


Io. Dom. Ferretti inv. et del. *Carol. Gregorj Sculp.*

IOANNIS MEVRSI
OPERVM
VOLVMEN NONVM
EX RECENSIONE
IOANNIS LAMI

LVCVBRATIONES QVAE IN EO CONTINENTVR
SEQVENS PAGINA INDICAT.



FLORENTIAE. CIↃ. IↃ. CC. XLVI.
SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS TYPIS
APVD TARTINIVM, ET FRANCHIVM
CVM ADPROBATIONE.

PRAEFATIO.

IO. MEVRSIVS, ut ille, qui in Academiam Soranam a *Christiano III.* Danorum Rege ad praelegendam historiam evocatus fuerat, sui muneris esse iure optimo existimavit historiam scribere, & historiam illius gentis praecipue, a cuius supremo Principe beneficiis innumeris cumulatus fuerat. Itaque historiae Danicae scriptionem adgressus est, antiquiorum Scriptorum auctoritate fretus, ex quibus ea in suos commentarios transtulit, quae sibi eximia habenda censuit; & historiae a se concinnandae magis consentanea. Huiusmodi Historiographorum, quos sibi imitandos, seu magis compilandos, proposuit, quorumdam syntagmata publici iuris facta iam fuerant; quorumdam vero adhuc in Bibliothecarum pluteis delitescebant. Inter posteriores erat *Nicolaus Cragius*, vir orbi literario ob editas lucubrationes notissimus, qui luculentam de rebus Danicis historiam ab excessu Regis *Friderici I.* ac deinde a Rege *Christiano III.* ad annum usque MDL. sex libris complexus est; haec autem numquam in vulgus prodita fuerat. Vbi igitur *Meursius* ad ea scribenda devenit, quae a *Cragio* quoque litteris mandata fuerant, *Cragii* commentariis ita institit, ut paene integros in sua historia transscripserit, interpolatos tamen, & ab minus culta, ac paullo rudiore, *Cragii* Latinitate in venustioris orationis elegantiam reformatos. Hanc Danicae historiae partem, seu Cragianam, seu Meursianam, adpellare mavelis, non ipse *Meursius*, non alius ullus, ut dixi, umquam ediderat; ipse primus, quum eam manu exaratam in regia Bibliotheca Hafniae adservari ex epistolis viri eruditissimi, & humanissimi, *Io. Grammii*, a Regis Bibliotheca, & Archivo, intellexissem, ab liberalitate viri incomparabilis eam obtinui, & publici iuris in hoc volumine feci; ut Danicam *Meursii* historiam, quoad fieri posset, absolutissimam, atque integerrimam, evulgarem. In primi Meursianorum operum voluminis Praefatione epistolam laudati praestantissimi viri *Io. Grammii* produxi, ex qua cognoscere est, quid hac de re ad me scripserit, quam enixe hanc historiae Meursianae continuationem ab eo poposcerim; & quam iucunde postremo obtinuerim. At ipsarum *Grammii* eruditissimi litterarum portionem hic iterum describere abs re esse non arbitror, quae quidem ita habet: *Erat sine controversia vir magnus, & eruditus in primis,* Io. *noster* Meursius, *sed in regni nostri historia, quam iussu Regis scribendam suscepit, plane hospes, sicut in praecedentibus meis dixi. Quid ergo fecit? Compilavit decessorum suorum scrinia, in tribus quidem Regibus, Christiano I. Ioanne, & Christierno II* Ioannem Suaningium *Seniorem* (*nam plures apud nos sunt eo nomine*) *sequutus, in antiquioribus etiam* Saxonem Grammaticum, *&* Albertum Crantzium. *Et quod in* Suaningio *commisit, latuit tanto securius, quod paucissima eius viri publicam lucem adspexere. Friderici I. vero res gestas condere nemo adhuc tum temporis adgressus erat, praeter* Arnoldum Witfeldium, *Danica usum lingua, quam neutiquam intelligebat* Meursius. *Ergo eam historiae partem, quae decennio tantum constat, transsiliit, destituentibus iam illum schedis* Suaningii. *Sed earum loco incidit in laborem* Nicolai Cragii, *quem ipse egregius, ex eleganti opere de Rep. Lacedaemoniorum litterato orbi notissimus, in Christiani III. historia sumserat, eique, cum ad annum* 1550. *pervenisset, erat immortuus. Huius itaque gloriam noster in se studuit transmovere, quaedam dumtaxat leviora in dictione* Cragii, *satis licet con-*

cet concinna & plerumque non incuriose elaborata, immutando, in rebus nihil. Superest adhuc illud Cragianum opus, inque meis est manibus, haud prorsus aliis incognitum, dignum sane, quod aliquando protrahatur in lucem, una cum laudato superius supplemento, quod ea dudum potitum est, stilo nitidissimo, quippe quo Stephanius *in primis pollebat, scripto. Ergo causam modo habes, vir eruditissime, quare vix existimem, honori nominis Meursiani recte ab iis consultum iri, qui* ἀνέκδοτον *istud opus sub eius nomine vulgaverint; quum fieri non possit, quin, statim ut* Cragius *se ostenderit, palam omnibus sit futurum, eum esse genuinum parentem,* Meursiumque *eius, ante triginta iam fere annos fato functi, foetum subduxisse. Sed & alia quaedam est ratio, quae, utut cetera expedita essent, videtur, si quid iudico, impedire, quo minus in Italia commode liber excudatur, qui Christiani III. res comprehendat. Scilicet is est in Regum nostrorum serie, qui, mutata divini cultus ratione, sacris, quae Pontifici Romano damnata, ipse olim parensque suus capessiverant, universam suam gentem iussit initiari.* Hactenus eruditissimus *Grammius*, cuius rationibus ipse e sententia deduci non potui, itaque rursus enixe rogavi, ut nihilo minus Meursianam illam historiae Danicae continuationem ad me mitteret, publici iuris in Meursianorum operum editione faciendam. Dum autem hanc historiae continuationem ille meo rogatu describendam curat; dum ad me mittere certo consilio differt; ut *Meursii* plagium cunctis manifeste pateret, & gloriae popularis sui *Cragii*, nationisque Danicae universae, consuleret; *Nicolai Cragii* historiam praelo commisit, & opportune in vulgus prodidit, eiusque exemplar una cum Meursianae continuationis ἀπογράφῳ ad me liberaliter misit. At operae pretium me facturum esse arbitror, si illius Prooemii, quod Cragianae historiae litteratissimus *Grammius* praefixit, partem huc transferam, ex qua melius atque distinctius, quid inter nos ἀμοιβαίως ἐπιστέλλοντας usuvenerit, quidque ille expedierit, aut quid *Meursius Cragio* subripuerit, percipiatur. *Quod deinde Io. Meursium nominavimus*, inquit, *absit ut a nobis credatur factum, quod ad hunc tantae eruditionis, tamque excellentem virtute, meritis, & scriptorum celebritate, hominem comparandum ullo modo censeamus illum, de quo nunc egimus. Quid enim quaeso hoc foret, nisi iudicio tam iniquo, non illi quidem summo viro, atque etiam supra laudes nostras posito, sed nobis ipsis ignominiam imponere? Atque levius sane multo is peccat,*

Qui confert fulices cygnis, & aedona parrae,
Castaneis corylos aequat, viburna cupressis.

Id vero tantummodo omittendum haud erat, indicare eos, quos nunc edimus, Cragianos annalium libros, in quos occoeperat Lyschander nimis indigne grassari, Meursio postea omne illud atque totum suppeditasse, quod in suam historiam, a morte Friderici I. Regis usque ad annum MDL. *contulit; atque, si Lyschandrinum illud, de quo loquebamur, fragmentum excipias, nihil quicquam aliud adfuisse, quod ipsam amplius instrueret ac adornaret. At, quamquam ita videri possit laborem non magnum subiisse, tamen in eodem versatum esse, quemadmodum virum doctum decebat, hoc est caste, continenter, ac honestissime, haud fas est dissimulare. Nihil enim Cragio debere praeter materiam, & res, voluit. Quas quidem suo scribendi genere, quod ipsi simplex fuit, & candidum, & concinna quadam aequabilitate decorum, sic tractavit, ut nihil fere eius, quod necessarium esset, praetermiserit, interdum autem nonnulla pressius, quam ille, & breviore verborum ambitu, sit complexus. Igitur qualem in ceteris, qui in publica luce versantur, historiarum libris se praestitit Meursius, talis etiam hic adgnoscitur.*

Hoc

Hoc vero nescio quomodo excusari debeat, quod tam parum solicitus fuerit de subplenda, ac continuanda, hac historia, quum perspicere nequeam, quid admodum ipsi potuerit ad negotium desiderari, subsidiorum praesertim, quae a Lyschandro fuerant, in adversariis *supra dictis, enumerata, & quorum nihil tunc temporis, sive Meursio, sive aliis in hoc studio laudis se exercentibus, subtractum, iampridem potito. Nam certe quum totum istud, quod in historia Danica ipsi elaboratum, & a primo nostrorum Regum usque ad exsilium Christierni II. perductum, ex officinis typographorum prodiit, integris quatuor annis ante mortem viri paratum fuerit, (quamvis, quae operarum lentitudo fuit, multo serius evulgatum) atque hoc cum aliunde, tum ex ipsius ad Ger. Io. Vossium epistolis, constet; quumque praeterea auctor anno* MDCXXXII. *a quo septenas aestates vidit, aperte profiteretur, se prope metam antiquioris historiae, quae Reges Oldenburgicos praecedit, iam tum constitutum, in eo mox futurum esse, ut quae in Domo Oldenburgica inchoaret, persequeretur, oportet alia ipsi omnia, quam tempus, ad hoc pensi defuisse. Nisi dicendum fortasis, pertaesum istiusmodi laboris, cuius iam satis datum crederet, totum se philologicis suis deliciis immersisse: neque, nisi extremo vitae anno, ad pertexendum illud, ut vocabat,* auctarium rerum Friderici I. Interregni, & Christiani III. *serio animum convertisse. Quumque hoc ipsum etiam ex ultima eius ad Vossium epistola, Cal. Iunii* MDCXXXIX. *scripta quodammodo verisimile reddatur, nolumus contradicere Io. Svaningio, operis Stephani Stephanii, quo Meursianum illud subplevit, editori, quando in Praefatione ait, fuisse magnum virum istud, quod imperfectum reliquit,* feliciſſime abſoluturum, modo fata illum ſuperſtitem voluiſſent. *Quidquid vero sit, id quod solum superesse novimus exemplum tamdiu desiderati monumenti, illud ipsum scilicet, quod penes Laurentium Wlfeldium servabatur, Wlfeldiique propria manu, ad mediam fere partem, descriptum est, nunc in nostram possessionem transivit, ex Bibliotheca nuper defuncti amplissimi viri Nicolai Slange aere modico redemtum. Sed & antea ego ab laudato viro, pro insigni eius non tam in me, quam historiam, & res patriae adfectu, descriptum idem opus obtinueram, ut Florentiam ad egregium, & celeberrimum Ioan. Lamium, Professorem ibidem, & Bibliothecae Riccardianae Praefectum, destinarem, operum Meursianorum editioni, quae iamdudum felicibus auspiciis praela exercere coepit, inserendum. Itaque, quum brevi sit proditurum, integrum cuilibet posthac futurum erit, examinare, & contendere, utrum melius ac luculentius de memoria rerum Christiani III. Cragius noster, an qui eum suo scribendi genere usus reformavit, Io. Meursius, sit promeritus. Quum vero, ut indicavimus, tota, quantacumque fuit industria Meursiana, totusque labor, quem in dictum opus insumsit, ex stylo spectari debeant (nam quod ex Lyschandri chartulis unius alteriusque facti mentio accesserit, pro nihilo fere habendum) non videmus tamen, quid ei in hac parte gloriae a Cragio concedendum.* Diu quidem haec omnia ab clariſſimo *Grammio* exſpectaveram, ſed tamdem, ut dixi, me voti compotem fecit, & non haſce hiſtorias tantum, verum etiam ſuas in univerſam hiſtoriam Danicam obſervationes, exactiſſimas quidem, atque luculentiſſimas, quibus *Meursii* hiſtoria ad veritatis amuſſim exigitur, humaniſſime tranſmiſit. At hiſce vir eruditiſſimus contentus non fuit: miſit inſuper alia monumenta, quibus Meurſiana hiſtoria inſtructior, atque ornatior, amplius redderetur; hiſtoriae, videlicet, *Christiani III.* continuationem ab *Ioanne Stephano Stephanio* elucubratam; & anno MDL. editam, & illam rurſum ab ipſo *Grammio* in vulgus proditam, poſt *Nic. Cragii* hiſtoriam; Regum Dani-

corum

corum imagines aeri affabre incisas, ab *Dano I.* Rege ad *Christianum III.* ab *Alb. Habebvego* eleganter pictas, & excusas, cum adiectis epigrammatis Latinis, Danicis, & Germanicis, Regum Daniae res gestas compendio exhibentibus. Latina quidem *Ionas Iacobi Venusinus* composuit; Germanica *Adamum Frederici Wernerum* auctorem habent; Danica tamdem a *Severino Torchillo* concinnata fuerunt. Numismata quoque misit, quibus res a Danicis Regibus praeclare gestae aut illustrantur, aut confirmantur; picturas denique egregie delineatas, quae illorum Principum actiones praecipuas non sine voluptatis illecebra exhibent, atque ob Lectoris eruditi oculos ponunt. Non haec omnia tamen in hoc volumen; congessi, immensis, quibus typographi premuntur, impensis parcens, quae quidem nimis excrevissent, si & picturae illae Principalium gestorum, & Regum omnium effigies, aeri incidendae fuissent, & historiae Meursianae a me editae aptandae. Ipse quidem id factum maxime expetebam, ne quae humanissimus *Grammius* tam diligenter, tam liberaliter, ad me deferenda curaverat, frustra, & inutiliter, misisse videretur; sed & typographorum nimias expensas detrectantium votis non omnino iniustis indulgendum fuit; adeoque a me certo temperamento quaedam selecta sunt, quibus Meursiana historia perfectior, & locupletior, evaderet; quaedam a me, invite quidem, & dolenter, omissa, durae necessitati obsequente. Itaque brevem *Stephanii* historiam Meursianae adtexui; & insuper Danicorum numorum, aliarumque rerum, tabulas ipsi initio commentariorum inserui, additis laudati *Grammii* brevibus, sed aptissimis, enarrationibus. Quin, nec intra hosce limites steti, sed & Geographicam Daniae, seu Cymbricae Chersonesi, aliarumque provinciarum, tabulam de meo addidi; & quaedam alia a *Grammio* missa in calce adposui, post *Aelnothi* de *S. Canuto* Rege commentationem, & passionem *S. Caroli* ab Anonymo scriptam. Nam & haecce duo commentariola huic volumini addenda putavi, quod aliquam Danicae historiae portionem complectantur; & ab *Io. Meursio* scholiis locupletata publici iuris facta fuerint. Sed & alia quaedam addidimus, quae ad me laudatissimus *Grammius* manu exarata inter alia, superius commemorata, dono misit; & quae sunt, *Anonymi Auctoris in historiam Danicam Io. Meursii, priusquam publici iuris fieret, observationes;* huic enim viro Anonymo, sed rerum Danicarum perito, regius Cancellarius *Christianus Frisius*, vir amplissimus, historiam Danicam nondum editam hac lege tradiderat, ut, si qua inter legendum offenderet animadversione digna, ad se perscriberet; quod quidem hisce observationibus ille praestitit, & fidem suam liberavit. Vbi vero observationes istae a Regio Cancellario cum *Io. Meursio* communicatae fuere, non censuit is, cunctis censuris, & animadversionibus, Anonymi adquiescendum, sed responsionem eruditam exaravit, *Frisioque* Cancellario misit, quam statim *Anonymi observationibus*, apteque, subiecimus. Post haec adnexuimus *Ioannis Meursii Animadversiones in historiam Danicam Io. Isac. Pontani, editam Amstelodami* MDCXXXI. *cum adspersis parvulis Stephani Stephanii Notis, quibus Pontanum vindicatum ivit*. Has quidem notas *Ovvenius Iul.* regius Vicecancellarius in ora sui libri ex autographo Meursiano adscripserat, & cum *Thoma Bartholino* Medicinae Professore, Anatomico, & Polyhistore, celebri communicaverat, ex cuius autographo eas *Grammius* pereruditus descripsit. Itaque haec omnia, quibus historia Danica Meursiana perficitur, & numeris omnibus absolvitur, eruditae liberalitati clarissimi *Io. Grammii* laudati accepta fero, quemadmodum insequentes numorum, aliarumque rerum, quae tabulis, quas memoravimus, continentur, enarrationes,

E X P O S I T I O
QVINQVE TABVLARVM
NVMOS COMPLECTENTIVM

Nec non sextae, cui ARCHIEPISCOPI ABSALONIS *ornamenta, & S. Reliquiae insculptae.*

T A B V L A I.

Num. 1.

NVmus Arnfasti Episcopi Aarhusiensis, cusus regnante vel Christophoro I. vel filio eius Erico VII. Vid. Meurs. *P. II. lib. II. pag.* 40. *b. fin.*

Gladius cuspidem sursum versum habens, cum binis AA. quibus Arnfastus Arhusiensis indicatur. In aversa, Clavis, & ab utraque parte Stella. Aer.

Num. 2.

Litera S. cum duobus punctis. In postico litera N. cum punctis quatuor.

Numus Sigurdi Archiepiscopi Nidros. anno 1234. electi. Aer.

Num. 3.

In antica, Litera N. supra quam Stella, infra Luna corniculata. In postica, Litera I. inter Solem, & Lunam.

Est Iorundi, Archiepisc. Nidrosiensis, ann. Chr. 1286. Aer.

Num. 4.

Litera M. cum punctis quibusdam. In aversa, Candelabrum. Etiam alicuius Episcopi, sed incertum cuius. Aer.

Num. 5.

In antica, Litt. P. In aversa Crux, pariter ἄδηλος. Aer.

Num. 6.

Litera S. & ante eam Stellula. In aversa Crux formae singularis.

Ad Simonem Episcopum Othoniensem pertinere, qui sedit regnantibus Valdemaro I. & Canuto VI. mortuus anno Christi 1186. iudicavit Io. Mulenius *Numism. Dan. Class. II.* Aer.

Num. 7.

Litera I. a cuius latere dextro Luna crescens, a sin. Stella: in aversa, Anchora.

Incertum cui adtribuendus. Nonnulli ad Sundam, Pomeraniae Vrbem, & Emporium maritimum referunt, atque I. litera nomen Principis Iarimari indicari. Aer.

Num. 8.

Clavis cum tribus punctis. In aversa, quatuor Lunae, cornibus extrorsum spectantibus.

Episcopi alicuius numus; sed incertum cuius. Aer.

Num 9.

Corona Regia. In aversa Gladius inter Lunam dimidiatam, & Stellam. Inferius duo globuli. Est Regis Erici VII. Aer.

Num. 10.

Litera B. In aversa Crux cum quatuor punctis. Episcopi incertum cuius. Aut [quod rectius credo] Birgeri Regis Sveciae, de qua multa in Erici VIII. Regis Daniae *Hist.* e. g. *lib. III. p.* 55. *a.* & alibi. Aer.

Num. 11.

Machaera, seu Spatha, inter quatuor puncta. Av. Pedum Episcopale inter duas Cruces. Est sine dubio alicuius Archiepiscopi Lundensis. Aer.

Num. 12.

Spatha, ut superius, sed absque punctis. In aversa Peda Episcopalia duo, decussatim posita, inter puncta quatuor.

Ex eadem, ut videtur, officina, qua praecedens. Aer.

Num. 13.

Rota, sed formae singularis. In postica, Craticula.

Posticae partis insigne indicat Ecclesiam, seu Episcopalem Sedem Lundensem, cuius praecipuum, & Cathedrale Templum S. Laurentio erat sacrum. Rota vero symbolum S. Catharinae. Aer.

Num. 14.

Fulminis telum. In aversa Littera I. inter

inter Lunam, & Stellam cum quatuor punctis.

Est Numus Stralesundensium; nam & fulminis ista imago a priscis usque seculis fuit Stralesundicae, sive Sundicae, Vrbis insigne. Vid. praeterea sup. n. 7. Aer.

Num. 15.

Litera I. quemadmodum superius. In av. Anchora. Eiusd. Vrbis. Aer.

Num. 16.

Calix, qualis ad S. Eucharistiam adhibetur, & circa eum duo puncta. Av. Stella, totam aream implens; seu, ut aliis videtur, Rota Episcopi alicuius. Aer.

Num. 17.

Calix, & ab utroque latere punctum. In av. Trifolium.

Eiusdem generis. Aer.

Num. 18.

Rota, sive Stella; quemadmodum in aversa num. 16. & in ambitu eius puncta complura. In av. Crux Molendinaris. Aer.

Num. 19.

Crux, figurae latioris. Av. Turres tres, supra arcum erectae.

Creditur esse Numus Hamburgensis, propter tres istas turres, super portam fornicatam. Aer.

Num. 20.

Stella, cuius singuli radii singulis punctis interstincti. In aversa quatuor corda. Aer. Incert.

Num. 21.

Anchora. In aversa, duo Cornua cervina.

Neque hic aliquid certi dicitur. Aer.

Num. 22.

Litera A, cum puncto. In av. Lunulae tres cum trinus punctis.

Credunt Alburgi in Iutia hunc cusum esse. Alii ad Abelem Reg. referunt. Aer.

Num. 23.

Crux, in circuitu ornamenta quaedam, ad instar cordium effícta. In av. Calix ansatus, cum circillis in circumferentia areolae.

Ad incertos itidem referendus. Aer.

Num. 24.

De eo idem censendum, quod de n. 22.

Num. 25.

Referatur ad n. 14. cui cognatus videtur. Aer.

Num. 26.

Clavis, cum duobus punctis. In av. Crux Gothica: qualis scilicet in Numis Hispanicis vetustis, quos vulgo Gothicos adpellant, occurrit. Est alicuius Episcopi. Aer.

Num. 27. & 28.

Vid. sup. n. 22. & 24.

Sequentes sunt ARGENTEI.

Num. 29.

Gladius latus admodum, ad cuius dextrum latus Sol, ad sinistrum Luna. In aversa Crates. Crates nempe est Sancti Laurentii, eoque Lundensis Archiepiscopi insigne. Praecipuam sibi secundum Regem auctoritatem in Regno Daniae Archiepiscopi Lundenses semper adrogarunt, saepe etiam cum Regibus gravissimas simultates exercuerunt. Et ad eiusmodi quoddam dissidium, atque apertam discordiam gladius huic Numo impressus spectat forsitan. Arg.

Num. 30.

Regis imberbis imago, dextra Sceptrum, sinistra globum cum Cruce tenet cum literis VV. A. illa scilicet a dextra, hac a sinistra. In aversa: Icon Praesulis Mitrati, lituum tenentis. Insignis sane Numus VValdemari I. Regis [cuius nomen binis literis initialib. indicatur] qui aversam eius voluit imagine Absalonis Episcopi ornari. Arg. (a)

Num. 31.

Eiusdem Regis typus, sed cum Sceptro dumtaxat, & unica litera W. in av. Episcopi imago, dextra Clavem, sinistra Baculum Episcopalem gerens. Arg. VValdemari I. & Absalonis, ut iam dict.

Num. 32.

Lilium τρίφυλλον. In circuitu areae circelli, undique ambientes. In aversa, lituus, & gladius ad formam crucis positi, & coniuncti, ac inferius litera O.

Lilium antiquitus fuit insigne Fioniae, & Sedis Episcopalis Othoniensis. Neque dubitant nostri, quin Numus hic sit alicuius Episcopi Othoniensis, seculo XIII. aut initio XIV. cusus. Arg.

Num. 33.

Litera E. in medio Areae. In aversa Frontispicium Templi.

Erici VIII. seu Menvedi, ut creditur, qui

(a) Ad Meurs *lib. V. Col* 294. 338.

qui vivere desiit an. 1319 (*v. Meurs. Histor. lib. III. Col.* 481. Arg.

Num. 34.

Lilium, quale in n. 32. cum circellis ad oram Numi. Av. Claves binae, itidem cum circellis in circuitu. Arg.

Num. 35.

E. litera. In aversa: Crux aream Numi secans, in cuius angulis quatuor literae, nominis ERIC.

Regis Erici est certissime: num vero VII. an VIII. nemini credo liquere. Arg.

Num. 36.

Crux eadem, iisdemque literis ERIC circumdata, quae in aversa praecedentis.

Av. Triangulus, liliis ornatus, cum his literis REX. Arg.

Idem de hoc dicendum, ac de priore.

Num. 37.

Gladius, cum literis RX. & quatuor punctis, seu globulis.

In postica, Frontispicium Templi, turribus duabus instructi, in fastigio Stella. Arg.

Cuius Regis sit, vix potest definiri. Roschildiae vero cusum esse postica videtur indicare, quum templi Roschildensis typus hac forma alibi repraesentetur. Arg.

Num. 38.

Crux lata, in cuius quatuor angulis Lunulae quatuor, in ambitu vero Numi circelli, vel globuli dispositi. In aversae area hae literae. REX, & in ambitu globuli. Arg. Etiam incertus.

Num. 39.

Crux lata, cum tribus literis R. E. X. tribus angulis insertis, & in quarto Rosa. In aversa, Crux, quasi ex quatuor L. formata, cum totidem Lunulis. Arg. ἄδηλος.

Num. 40.

Crux in medio areae, quam ambiunt quatuor Lunae falcatae, totidemque Stellae, alternatim positae. In aversa Crux, trifoliis exornata, cum duodecim globulis, tribus scilicet in singulis interstitiis dispositis.

De tempore nihil magis constat, quam de tribus prioribus. Arg.

Num. 41.

† CNVT REX ANGLORVM Regis Icon coronata.

In av. † ASLAG. MO. LINCO. Crux aream secans.

Inscriptio aversae eadem, quae in Andr. Fountaine *Numismatib. Anglo-Sax. & Anglo-Dan. Tab. IV. n.* 7. Aslacum Monetarium Lincolniensem indicans. Arg.

Num. 42.

† CNVT REX ANG. Rex mitratus, & diadematus, sceptrum tenens.

Aver. † LODRIC. CO. NORNVTV Crux.

Lodricum Comitem Nornutunensem, seu Nordhamptunensem interpretatur Io. Laurentzenius in *Museo Regio*. Apud *Fountaine* non reperitur. Arg. (a)

Num 43.

† HARDCNVT REX. Regis Icon cataphracta, sceptrum laeva tenens.

In aversa † LEOFRIC. ON. LINCOL. Crux, ut in priorib.

Non habet Andreas Fountaine, in opere laudato, cuius tamen Tab. VIII. duos alios huius Regis exhibet. Arg. (b)

Num. 44.

† CNVT REX. Regis Icon, obverso dextro humero, qui clipeo armatus, manu gladium praeferens.

Av. † AILNOD. I. RO. Crux brevis, & lata. Arg.

Hunc Numum Canuti Sancti esse [de quo Meursius *Hist. lib. IV. P. I. Col.* 213. 224.] putavit Io. Laurentzenius. Dubius tamen, utrum I. R. O. in aversa interpretaretur *in Roschildia*, an *in Rochester*. Ego non verebor potius ad Canutum Magnum referre, & in Anglia excusum credere.

Num. 45.

† ZVEN. REX. AD. DENER. Rex imberbis, sceptrum tenens.

Av. GODYINEM. AN. DNE. R. Crux, in cuius quatuor interstitiis literae C. R. V. X. Arg.

Numus Svenonis III. Estrithii [quem Meursius describit *lib. III. pag.* 57. 62.]

Cuius faber monetarius, aut monetae Praefectus, ex nomine Anglus cognoscitur, atque in Inscriptione Anglica Latinis immiscet. Nam AN DNE. R. significant *in Daniae Regno*; quemadmodum in antica, AD. DENE. R. *ad Daniae Regnum*.

Num. 46.

† SVEIN. Rex barbatus, caput velatum habens Mitra, unde flagella dependent, Sceptrum crucigerum tenens. In av.

Meursii Tom. IX. ✠ †

(a) Referantur ad Meursii *Col.* 190 *lib. III. Partis I.* & si ita placet plures ex Andr. Fountaine Numismatib. Anglo-Danicis. in Hickesii Thesauro Linguarum Septentrionalium, pone alt Tomum, inveniendis desumantur.

(b) Ad *Col.* Meursii 594.

av. CIIYIC DEI. Crux, cuius extremitates quasi coronis, ut visum olim Laurentzenio ornatae; interiores vero angulos lilia occupant. Arg.

Svenoni IV. qui ante Valdemarum I. regnavit [v. Meurs. *Hist. P. I. Col.* 291.] adtribuitur a Io. Laurentzenio, variis argumentis, ibi videndis. Aversae inscriptio eidem exponitur, CIVIS DEI, num vero recte, ego non dixerim.

Num. 47.

† KTIL. Rex eodem fere habitu, quo in proxime praecedenti.

Av. VVIBERGY. Crux, pluribus cum ornamentis, quam in priore. Arg.

Ex aversa cognoscitur VVibergae [quemadmodum olim adpellabatur oppidum Iutiae, hodie Viburgum dictum] excusum esse. KTIL. autem vix potest aliud, quam monetarii nomen, quod *Ketillus* fuerit, denotare [a].

Num. 48.

† VALDEMARVS. In area Numi litera M.

Av. † REX DANORVM. Crux. Arg.

Ad Valdemarum III. [quem Meursius *P. II. lib. IV. a Col.* 503. *ad* 542. descripsit] sine omni dubio pertinet. Litera M. in anticae area quid indicetur, difficile est dicere; Laurentzenii sententia, eo inclinat, filiae eius, & heredis Margaretae Reginae nomen indicari. Sed quum nullam rationem video, cur filiae nomen, parente adhuc vivo, & regnante, in numis poneretur, credam potius urbem, ubi moneta cusa, significari, & quidem Malmogiam. Neque enim obstat eius sub Valdemaro III. novitas, aut inter privilegia eiusdem, silentium de moneta, uti existimatum Laurentzenio.

T A B. II.

Num. 1.

† CNVT REX ANG. Rex, capite galea acuminata ornatus Pallio amictus, dextra Sceptrum tenens.

† ASLA. MO. LINCOLN. Crux.

In Andreae Fountaine *Numism. Anglo-Sax. & Dan.* Tab. IV. conspicitur idem *num.* 7. Arg.

Num. 2.

† CNVT REX ANG. Id. typus.

† LEOFVIG ON LVNDE. Crux.

Leofvig est Comitis monetalis nomen, *On Lunde*, lingua Anglica scriptum, Latine vertendum *Londini*, vel *in urbe Londinensi*. Arg.

Num. 3.

† CNVT REX ANG. Idem.

† RICHVLF ON NORDF. Eadem Crux, quae in superiorib.

Id. Riculphus Monetarius in Provincia Nordfolck. Arg.

Num. 4.

† CNVT REX AN. Idem.

† HILDOLF MO. E. O. E. Crux.

Id. Hildolfus Monetarius Earl of Erefert, h. e. Comes Herefortensis. Arg.

Num. 5.

† CNVT REX ANGL. Idem.

† VI. DRIN MO. E. OF. RY. Crux.

Id. VVithrinus Monetarius Earl of Rychvin, h. e. Comes Rychvinens. Arg.

Num. 6.

† CNVT REX.. Rex, capite Mitram indutus, quam ambit Diadema, taenus ad cervices hinc inde dependentibus; pallio amictus, dextraque Sceptrum tenens.

† LANDFER. MONET. Crux solita. Arg.

Num. 7.

† CNVT REX. Idem typus.

† BLACANANON. S. N. forte significatur on Sidney, h. e. Sidneiensis, Eadem Crux. Arg.

Num. 8.

† CN -- EX. Idem typus. Arg.

† LIFV -- ON OXFRP. Crux.

Id. Lifvinus Oxfordiensis, h. e. Oxoniensis.

Num. 9.

† CNVT RECX A. Idem. Arg.

† ELFVARD ON HEST. Crux ead.

Num. 10.

† CNVT RECX. Idem. Arg.

† LEODMER ON RIIC. Crux solita.

Num. 11.

† CNVT REX ANG. Idem. Arg.

LVEFVINE ON DOF. Crux.

Num. 12.

† CNVT REX ANGLO. Id.

† LVOFRIC ON LVNDE. Crux. Arg.

(a) Referendus hic etiam ad Svenonem IV. Meurs. *Hist. Col.* 542.

Num. 13.

Num. 13.

† CNVT REX ANGLORV. Regis idem typus, sed coronati.

† COLGRIM. M. O. E. O. Crux. i. e. Colgrimus Monetarius Earl of Oxford, h. e. Comes Oxoniensis. Arg.

Num. 14.

† CNVT REX ANGLORV. Id.

† ARNCETEL. O. E. O. Ead. Crux. Arg.

Num. 15.

† CNVT REX ANGLOR. Id. Arg.

† YVLEMER. O. E. O. D. Crux.

Num. 16.

† CNVT REX ANGLOR. Id. Arg.

† DVREERD. M. NOR. Ead. Crux. Id. Dureferdus Monetarius Norvicensis.

Num. 17.

† CNVT REX ANGLORVM. Idem typus.

† ELFR... MO. D. E. O. Crux. Arg.

Num. 18.

† CNVT REX ANGLORV. Id.

† LODVIG ON LVNDE. Crux. Arg.

TAB. III.

Num. 19.

† CNVT REX ANGLORVM. Idem typus, sed vultu Regis admodum iuvenili, aut puerili potius.

† ELRIC. ON SEFTESBR. Crux solita. Arg.

Num. 20.

† CNVT REX ANGLORVM. Id.

† YVLFRIC ON LVNDE †‡† Crux. Arg.

Num. 21.

† CNVT REX ANGLORVM. Regis coronati vultus.

† SELVIN ON DEOTFO. Crux i. e. Selvinus Theotfortensis. Arg.

Num. 22.

† Eadem inscriptio, id. typus.

† OVDGRIM MO. E. O. T. Crux. Arg.

Num. 23.

† Eadem & inscr. & imago.

† ZVNEGOD. MO. LIN. Crux. Arg.

Num. 24.

† CNVT REX ANG. Id. typus. Arg.

† BRVNTA -- LIN. Crux.

Num. 25.

† CNVT REX ANG. Rex Sceptriger, & Palliatus, cum casside ovata.

† FARTHEIN. M. T. O. EOF. h. e. Fartheinus Monetarius on [h. e. in] Eoxford [Oxonia.] Arg.

Num. 26.

† CNVT REX ANG. Id. Arg.

† CRINAN M -- OE OFR. Arg.

Num. 27.

† CNVT REX ANG. Idem.

† ZVNOLF M - OE OF. Arg.

Num. 28.

† CNVT. in media Numi area, fine ulla Icone.

† YVLNOD. M. OE. OF. RP. Arg.

Num. 29.

† CNVT REX. Vultus Regis Mitrati, colobium induti, & dextra gladium strictum tenentis.

† VLKIL IN ODC. * Crux. * i. e. Vlkillus in Othensea. h. e. Othoniensis, ab Othonia, vel Othinia civitate Fioniae Insulae. Arg.

Hic numus, figura vultus, atque aliis modis plane diversus a praecedentibus, qui Cnuti nomen habent, pertinet sine omni dubio ad Regem Canutum IV. s. Sanctum, de quo Meursius *Hist. lib. IV. Col.* 213. *&c.*

Num. 30.

SVENO REX. Caput Regis Corona s. Mitra indutum. Numus est bracteatus s. cavus. Sveno vero hic ultimus eius nominis intelligitur, de quo Meursius *Hist. lib. V. a Col.* 271. *ad* 293. Arg.

Num. 31.

RANDROSIA. Eiusdem Regis vultus. Randrosia est oppidum Iutiae. Laurentzenius observat, urbes Iutiae, ut suum in hunc Regem, cuius Imperio parere desiderabant, exclusis ceteris [VValdemaro I. & Canuto V.] ostenderent amorem, Numos suos ipsius vultu, nomine vero suo insigniri curarunt. Itidem bracteatus. Arg.

Num. 32.

HERINGA. Idem vultus. Vrbs, cuius hic fit mentio, hodie parvum oppidulum in Vandalia, seu, ut ab aliis vocatur, Vensilia est, Burglamo, Episcopali olim

olim Sede, ad unum tantum milliare distans. Bracteat. & Arg.

Num. 33.

ALABVRGA. Idem Rex. Vrbs ista, totius Iutiae, si opes, & mercaturae amplitudinem spectas, praecipua, ad Lymicum sinum sita, & Dioeceseos Alburgensis caput. Bract. & Arg.

Num. 34.

Crux, circum quam literae SVENO. Ad eumd. Regem pertinet. It. Cavus, & Arg.

Num. 35.

RAND. Hae literae circum Crucem positae Randrusium, oppidum sic adpellatum [de quo nuper num. 31] indicant. Cav. & Arg.

Num. 36.

ARAS. Crux. Arhusia, quae & una celeberrimarum Iutiae Vrbium, & Dioeceseos Arhusiensis praecipua, significatur, Cav. & Arg.

Num. 37.

PETRVS, literis in Cruce sexangulari positis. In aversa: Rex in Cruce quadrata. Numus ferreus, olim, ut videtur, argento obductus, adeoque ex eo genere, quos *numos foratos* vocant.

Est omnino Svenonis IV. Regis, de quo & ceteri illi intelligendi. Nam & Petri nomen ab eo adscitum, & loco Svenonis, ethnicismum sapientis, usurpatum fuisse, iam olim nostris adnotatum.

Num. 38.

CANVT. REX. Vultus Regis, vertice coronato. Numus concavus Argenteus exhibens nobis imaginem Canuti V. qui cum Svenone IV. iam dicto, & Valdemaro I. de Imperio decertavit. Vid. Meurs. *Histor. lib. V. Col.* 271. *seqq.*

Num. 39.

ARHVSIA. Eiusd. Regis Icon coronata. Itidem concavus. De Vrbe, cuius hic nomen exstat, nuper actum ad n. 36.

Num. 40.

† HORS. Caput Regis imberbe. Literae indicant nomen oppidi in Iutia, quod Horsnesium adpellatur. Rex autem hic repraesentatus est Valdemarus I. de quo Meursius *a Col.* 293. *ad* 338. *lib. V.*

Num. 41.

VALDEMARVS REX. In area Numi DAN.

† NICOLAVSEPE. In medio numo ℞.

Est Valdemari II. Numus [Meurs. *P. I. lib. I. Col.* 33. 35.] cuius aversa insignitur nomine Nicolai Episcopi Roschildensis. Arg.

Atque tunc temporis rotundae, & monasticae literae in usu esse ceperunt, moxque invaluere, quum hucusque etiam in Danicis numis, & inscriptionibus latini prisci generis characteres adhibiti essent.

TAB. IV.

Num. 42.

† VALDEMARVS. In area REX.

† Nicolaus ℞. in medio EPE.

Indicatur, ut sup. NICOLAVS Episcopus Roschildensis.

Num. 43.

VALDE ∞ ARVS REX D. Caput Regis coronatum.

† NICHOLAVS EPS. Mitra Episcopalis.

Num. 44.

† ERICVS REX. Facies Regis coronati.

† NICOLAVS. Icon Episcopi Mitrati. Pertinet ad Ericum VI. Valdemari II. filium [de quo Meurs. *Hist. lib. I. P. II. Col.* 347. 401. 415.]

Num. 45.

† ERICVS. Ensis, inter Solem, & Lunam crescentem, mucrone erecto, additis literis RX.

In av. Crux, cum litteris IACOB.

Eiusdem Erici VI. est. Nomen vero in aversa est Episcopi Roschildensis Iacobi Erlandi.

Num. 46.

ABEL. Crux.

In aversa, Enses duo, & ad alterius latus figura Crucis minoris (de hoc Rege Meurs. *Hist. P. II. lib. II. Col.* 415. 420.)

Num. 47.

† ABEL REX. Rosa in medio.

† DANORVM. Stella totam aream intermediam occupans.

Num. 48.

ABEL REX. Area vacua.

In aversa: Duo peda Episcopalia, in quorum medio Crux, superius vero Stella.

Num. 49.

† CHRISTOPHORVS. Corona.

REX DANORVM. Crux.

(Est

(Est Christophor. I. de quo Meurs. *loc. cit. Col.* 79. 108.)

Num. 50.

† CHRISTOPHORVS . In medio litera C.

† REX DANORVM. Stella.

Num. 51.

ERICVS REX. Gladius, mucrone deorsum verso, inter Solem, & Lunam.

† DANORVM. Clavis, & utrimque Rosa, seu potius trifolium.

[Ericus VII. hic intelligendus. Vide Meurs. *loc. cit. Col.* 108. 153.]

Num. 52.

† ERIC. REX. Crux.

† Danorum. Corona.

Num. 53.

† ERICVS REX. Lilium.

† DANORVM. Corona.

Hunc ad Ericum VIII. filium praecedentis trahunt nostri.

Num. 54.

ERIC. REX. Crux.

† DANORVM. Corona.

Hic iterum est Erici VII.

Num. 55.

ERIC. Crux.

REX. Trigonum liliis ornatum.

Est Erici VIII. cognom. MENVVEDI de quo Meurs. *loc. cit. a Col.* 154. 224.

Num. 56.

CHRISTOFOVS. Crux.

† REX DANORVM. Duae, ut videtur, columnae, seu potius vocalis I. geminata.

Agit de Christophoro II. hoc Meurs. *loc. cit. Col.* 225. 247.

Num. 57.

VALDEMARVS. In medio Numi duae I. seu columnae, cum tertia, sed minore, inferius posita.

REX DANORVM. Crux.

Est Valdemari III quem alii IV. vocant [Meurs. *loc. cit. Col.* 250. 287.]

Num. 58.

VALDEMARVS. in area II.

REX DANORVM. Crux.

Num. 59.

† VALDEMARVS. In area O.

† REX DANORVM. Crux.

Literam O. *in* antica parte nostrates, ita explicant, ut significari ea putemus Olaum, Valdemari nepotem, ex Margareta filia natum. Sed incertum hoc: & potest fortasse ad urbis Othiniae nomen respici.

Num. 60.

O. REX. Hae literae circumponuntur flori quatuor foliorum.

DANORVM. Duae II. seu columnae.

Est Olai VI. Regis. V. Meurs. *loc. cit. Col.* 289. 291.

Num. 61.

O. REX. Quatuor pugiones, mucronibus obversis O Crucem efformantes, quos literae dictae ambiunt.

I. A. Lituus & clavis. Literis I. A. designatur Ionas Episcopus Asloensis in Norvegia, qui Regis Olai inaugurationi adfuit anno Chr. 1381.

Num. 62.

ERICVS REX D. S. N. Corona.

† MONETA NESTVED. Crux.

Ericus hic est IX. [Meursio X.] Pomeranus vulgo dictus. v. Meurs. *lib. V. P. II. Col.* 555. 601.

Siglis D. S. N. indicantur regna Daniae, Sveciae, Norvegiae. Nestvedia est oppidum Sialandiae, olim celebre, nunc obscurius, ubi officina monetaria, quemadmodum & in aliis urbibus, oppidisque exstitit.

Num. 63.

† MONETA RANDE. Litera E. coronata.

* IN NOMINE DOMI. * Crux.

Hic numus Randerusii cusus: de quo oppido Iutiae supra meminimus, occasione vetustiorum numorum.

Num. 64.

* IN NOMINE DOMI. * Crux.

MONETA OTTOIS. E. coronatum.

Ottois Othoniensem notat, quia Numus Othiniae, seu Othoniae percussus, quae urbs Danico vocabulo *Odense* dicitur, in seq. numismate obvio.

Num. 65.

* MONETA * ODENSE * E. coronatum.

* IN NOMINE * DOMI. Crux.

Num. 66.

CRISTOFER. D. GR. REX DACIE. Trini Leones (seu Leopardi potius) in scuto.

GLORIA IN EXCELSIS DEO.

Clypeus quadripartitus, Leonibus Palatinis, & Rhombis Bavaricis exornatus. Est Christophori III. seu Bavari.

Num. 67.
CRISTOP. REX. D. S. N. in medio K. trifolio addito. K vero est litera initialis nominis regii in lingua Danica.

MON. MALMOIENS. Scutum, quod Crux interſecat, ad oram & ambitum Numi porrecta.

Eſt vero in urbe Malmogienſi percuſſus.

Num 68.
CRISTOFER REX DACIE. Sigla Regis K. coronata.

MONETA MALMOIENS. Scutum cum cruce, ut ſupra.

Num. 69.
† REX SVERVS MAGNVS. Caput Regis barbati coronatum.

Crux averſae aream pertranſiens, cum literis NI. quater repetitis.

Eſt Norvegiae Regis Sveri, ſeu Svereris Numus: cuius mentio incidit in Valdemari I. Hiſtor. Vide Meurſ. *P. I. lib. V. P. III. infra med.* ubi tamen vitioſe excuſum *Svecum*, pro *Suerum*. Vid. *not. noſtr.*

Num. 70.
† PHILIP. DVX NORVEGIE. Caput Ducis Philippi, ſerto, ut videtur, roſaceo redimitum.

† MONETA D. ASLOENSIS. Crux, quatuor roſis diſtincta. Huius Philippi mentio fit apud Meurſ. *Hiſt. P. II. lib. I. Col.* 375. Asloia, primaria urbs fuit Norvegiae ciſmontanarum partium.

Num. 71.
† ERICVS REX NORVEGIE. Caput Regis coronatum

† CIVITAS OBERGENSIS. Crux, cum quatuor roſis.

Is Ericus Norvegiae Rex, Regis Magni, cognomento *Legum Emendatoris*, filius, Haquini frater fuit, quem ſolum per id temporis [h. e. ſeculi XIII. ultimo vicennio] Regem Norvegis imperaſſe credidit Meurſius; ſed perperam, ut in *not. ad Hiſtor.* eius *P. II. lib. III. Col.* 450. An. Chr. CIↃCCLXXXVIII. oſtendimus; namque eo loco Ericus reponendus eſt, ubi Meurſius Haquinum nominavit; proptereaque Numus noſter commodum quoque, & opportunum ibidem locum ſortietur.

T A B V L A V.

Complectens Aurea tantum Numiſmata Regum Domus Oldenburgicae

CHRISTIERNI I. IOANNIS, CHRISTIERNI II. FRIDERICI I. & CHRISTIANI III.

Argenteis, ne numerus nimis excreſceret, omiſſis.

CHRISTIANI I.

Num. 1.
CHRIST. Rex trabeatus, corpore erecto, dextra ſceptrum, ſiniſtra globum cum cruce impoſita tenens.

Av. tres Leones, ſeu Leopardi, Daniae Inſignia in ſcuto. Numus eſt truncatus.

Num. 2.
Numus bracteatus, & alterum dumtaxat latus ſignatum habens prima nominis Regii litera C, cui corona impoſita.

IOANNIS.

Num. 1.
IOHS. DEI. GRA. REX. DANOR. IVSSIT. ME. FIERI. an. 1496. Effigies Regis trabeati, regiiſque ornamentis decorati, inſidentis Solio Regali.

Av. DEXTERA. DNI. EXALTA. ME. DEXTERA. DNI. FECIT. VIRTV. Integra Regnorum Inſignia.

Num. 2.
IOHS. DEI. GR. REX DACIE. Rex, capite coronato, cataphractus, ac deſuper Pallio Regali amictus, ſtans dextra ſceptrum, ſiniſtra globum cum cruce praeferens. Inter pedes habet ſcutum cum Inſignibus domus Oldenburgicae.

Av. MONET. AVREA. REGNI. DACIE. Crux totam averſam partem ſecans, cui incumbit clipeus cum Inſignibus Regni Daniae.

Num. 3.
IOHES. DEI. GR. REX. DACIE. Rex eodem habitu, quo in praecedente, niſi quod hic inter pedes eius loco Scuti Oldenburgici Vrticae folium, quod Holſatiae inſigne, adpareat.

MONET. AVREA. REGNI DACIE. Eadem Regni Inſignia, quae ſuperius n. 2.

CHRI-

CHRISTIERNI II.

Num. 1.

CHRISTIERNVS. DEI. GRACIA. REX. DACIE. SVECIE. AC. NORVEG. Effigies Regis coronati, cum Sceptro, & globo, solio insidentis.

XPS: IHS: ELEGIT: ME: REGEM: POPVLO: SVO: IN: ANO: DO: 1518. Insignia Regnorum integra.

Numus semunciam pene auri pendens, quemadmodum & Ioannis Regis ille n. 1.

Num. 2.

CHRISTIERNVS. D.G.REX. DAC. Rex coronatus, solio insidens, cum clipeo inter pedes, Insignia Domus Oldenburgicae, binas scilicet trabes, exhibente.

Av. CHRISTOPHORVS. CO. OLDENB. Insignia Comitatuum Oldenburgi & Delmenhorsti integra.

Numus hic in Dania cusus est an. 1534. auctoritate Christophori Comitis Oldenburgici, qui Regnum, a Friderici I. Regis morte vacuum, Christierno II. captivo vindicare laborabat. De quo Meursius in Historia Interregni, *pag.* 129. [exemplaris MS.] sic loquitur: *Insuper Rhenenses aureos, ac pecuniam aliam minutam cudit* (Comes Christophorus) *& in parte una nomen Christierni, in altera suum repraesentat; ceu testatum eo vellet, non se sua Lubecensiumve causa bellum istud suscepisse.*

FRIDERICI I.

Num. 1.

FRIDERICVS ET SOPHIA D. G. REX ET REGINA DANIE. Facies Regis, & Reginae sibi obversae.

Av. IN. MANV. DOMINI. OMNIS. POTESTAS. TERRE. 1532. Insignia Regnorum & Ducatuum per octo clipeos distributa.

Num. 2.

FREDERICVS. D. G. REX. DACI. R. NOR. Rex trabeatus, Solio insidens, dextra gladium, sinistra globum tenens.

MONETA. NOVA. RIPENSIS. Integra Regnorum Insignia.

Num. 3.

FREDERICVS. D. G. REX. DAC. ELT9. NO. SLE. E. H. DV. Effigies Regis, Mitrati, & Coronati, Pallioque induti: pectore tenus exstans.

MONETA: NOVA: AVREA: RIPENSIS: Insignia Regnorum integra.

CHRISTIANI III.

Num. 1.

CHRISTIANVS D. G. DANO. REX. Icon Regis.

VNICA SPES MEA CHRISTVS. 1541. in area Numi.

Num. 2.

Facies Regis sine ulla Inscriptione.

Av. CHRISTIANVS III. D. G. DANIE ET NORVEGIE REX 1550. In area Numi.

Num. 25.

Eadem facies Regis sine Inscriptione addita.

Av. IHS. KK. ultimae literae creduntur Monetarii nomen indicare.

Num. 4.

CHRISTIANVS III. D. G. DANIE. NOR. Icon Regis coronati.

Av. VVEGIE. VANDA. GOTOR. Q. REX. 57. Insignia Daniae integra.

REGINAE DOROTHEAE
Christiani III. coniugis.

DOROTHEA. R. D. Reginae Viduae Icon.

ALES VAN. GODT. in Numi area.

Symbolum hoc, Germanica lingua scriptum, Latine significat, *omnia a Deo.*

Ad Regis CANVTI VI. *Historiam exornandam adhibetur Tabula, repraesentans Ornamenta Archiepiscopi Absalonis, quae ad haec usque tempora in Museo Regio Hafniae adservantur, omniumque oculis etiamnum hodie ostenduntur. Haec illustrat ea, quae memorantur in* Meurs. Hist. Dan. Continuat. Lib. I. P. II. *ad fin. anni Christi* cIↄcci. *ubi de morte Absalonis narratum. Numerorum vero in Tabella haec est explicatio.*

Num. 1.

Mitra fissa Episcopalis.

Num. 2.

Galea artificiose elaborata, sapphiro ingente, pluribusque gemmis, & margaritis distincta.

Num. 3.

Pedum Episcopale, ex unicornu, longitudine quatuor pedum cum dimidio.

Num. 4.

Pedum Episcopale, ex cupro inaurato, sex pedes longitudine aequans. In fastigio Agnus inauratus cernitur, cum inscriptione hac: *Agnus Dei qui tollis peccata Mundi, miserere. Da nobis pacem.* Ex parte aversa: *Non dominantes in Cleros, & forma facti gregis ex animo.*

Num. 5.

Gladii duo, quorum alter inauratus; alter vero rubigine obductus, & in sepulchro Archiepiscopi Absalonis olim, ut ferunt, repertus.

Num. 6.

Baculi duo, quorum summae parti laminae latae, & rotundae ex orichalco adfixae, figuras quatuor Evangelistarum exhibentes.

Num. 7.

Cranium Absalonis, cum ossibus duobus, decussatim sibi incumbentibus, ex Templo Sorano Sialandiae, in quo sepultus fuerat, huc adlatum.

Num. 8.

Cornu ingens, poculi in conviviis loco olim adhibitum.

Num. 9.

Cista, sive Arca, condendis rebus pretiosis destinata.

Num. 10.

Achates, cui insculpta effigies Episcopi Absalonis.

Num. 11.

Cordis simulacrum ex argento, in cuius medio Crux elaborata.

Num. 12.

Zona, seu cingulum coriaceum.

Num. 13.

Socci, seu calcei, ex serico confecti.

HI-

HISTORIAE DANICAE

SIVE

DE REGIBVS DANIAE

Qui Familiam Oldemburgicam praecessere, eorumque rebus gestis a Dano ad Canutum VI. in quo desinit Saxo

LIBRI QVINQVE PRIORES.

CVM IO. GRAMMII ADNOTATIONIBVS.

SERENISS. AC POTENTISS. REGI ET DOMINO

CHRISTIANO IV.

DANIAE NORVEGIAE GOTHORVM ET VANDALORVM

REGI

DVCI SLESVICI HOLSATIAE STORMARIAE
AC DITHMARSIAE COMITI OLDEMBVRGI
ET DELMENHORSTI &c.

REGI AC DOMINO CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME AC POTENTISSIME REX, CLEMENTISSIME DOMINE:

Annus agitur decimus tertius, quum Maiestas tua me e patria mea evocavit, ad erudiendam nobilem Regni huius iuventutem, & Historiam literarum monumentis consignandam. Vt vocationem admitterem, alia efficiebant; tum hoc etiam, quod in animum inducerem, nulli Regum operam dicari meam rectius posse, quam uni CHRISTIANO IV. *qui aetate, rerum usu, ac prudentia, invicta animi magnitudine, iusti & aequi observantia, sapientia, studio in eruditos, denique summa, quae virtutibus cunctis praestat, pietate, omnes sui aevi Reges longe admodum antecelleret; ita ut hoc ipso quoque ad parendum & impelli, & obstringi me sentirem. Ergo quum haec item ratio animum in primis meum permoveret, morem gessi; & divinae providentiae, ac vocationi tuae, non cunctanter me permisi. Ex quo vero in hoc Maiestatis tuae Regnum veni, operam dedi, ut, utrumque munus meum bona fide obiisse, liquido testari possem. Ac, quum pridem diligentiae, fideique, in Historia conscribenda, publicatis tribus primis regibus familiae tuae, specimen dederim, nunc hic alterum exhibeo; eos nempe, qui hos ipsos praecessere, universos; ut perfectum Historiae corpus Dania a me haberet. Etenim, quum operam typographus offerret suam, ad vulgandas lucubrationes meas qualescumque, editas ineditasque, & in uno corpore repraesentandas, initium mihi ab Historia, quam iam dixi, faciendum esse duxi; eo ipso publice testatum volens, sicut Maiestati tuae me probari animi demissione summa optem, sic ingenii quoque mei foetus omnes, cum in patria dudum editos, tum deinde in Regno tuo partim natos, partim etiam vulgatos esse, quam gratissimos cupere; quippe, ut meipsum obsequio Maiestatis tuae humillimo dudum totum consecravi, sic deinceps Opera mea universa sub tutela nominis tui augustissimi a posteritate legi oportere existimavi, voluique. Inter quae quum tua Historia classem ducat, separatim dare statui; quo & Maiestatis tuae, & eorum,*

qui

qui promotam cuperent editionem, desiderio satisfacerem. Quòd ut opto, ita in hoc voto finio; ac supremum numen veneror, REX SERENISSIME, ET POTENTISSIME, *uti Maiestatem tuam, donis suis cumulatam, regnis, atque ditionibus, subditisque nobis tuis, diutissime conservet. Sorae, ad diem* VII. *Decembris* clↃ. IↃ C XXXVI.

Tuae Maiestati humillime subditus

IOANNES MEVRSIVS.

BENIGNE LECTOR.

QVae ab annis quadraginta scripsi, & in lucem dedi, ne in partibus interciderent, ut colligerem, & in unum corpus cogerem, viri dignitate pariter, & doctrina excellentes, in diversis regionibus, dudum a me, saepiusque, petierunt; Reipub. Literariae interesse dictitantes, ne perirent. Qui hoc ipso quum ostenderent suam in me benevolentiam, ac quam magni lucubrationes meas aestimarent, rationi consentaneum esse duxi, in iudicio tam benigne honori meo consulentium semel tamdem adquiescere, & petitioni eorum morem gerere; maxime quum operam offerret suam, nihil tale exspectanti, Gulielmus Blavius, qui typorum exquisita elegantia, ac nitore item chartae, tum librorum, quos excudit, accurata editione, aliis, qui artem illam profitentur, dubiam fecisse palmam merito videri potest. Itaque induxi animum, ut colligerem, ac disponerem, & in certos inde tomos distribuerem. Insuper, quae antea vulgata erant, auxi passim, & emendavi; quaedam ita, ut quarta parte ampliora, & meliora, nunc exhibeam; quin, ut magis haec editio se emtori, rerum talium studioso, commendaret, addidi Syntagmata non pauca nova, quae tomorum singulorum in elenchis, in principio propositis, asterisco indicantur Tuum est, benigne Lector, qua benevolentia iam dudum meas lucubrationes singulas accepisti, ea universas quoque nunc accipere; & favorem mihi tuum porro item impertiri; sic efficies, ut, quod vitae reliquum (deinceps mihi bonus Deus esse volet, Reip. Literariae sim alacriter impensurus. Vale.

ELENCHVS.

Asterisco quae notantur, nunc primum prodeunt.

HISTORIAE DANICAE

LIBER I.

QVAE origo gentis Danicae, quae antiquitas, quive ipſius Daniae ſitus, quia alii magna cura tradiderunt (a), praetermittam; & ad Reges, atque res eorum geſtas, domi pariter foriſque, me convertam. Inter illos primo loco occurrit,

DANVS.

Humbli filius. Erat autem Humblus iſte e proſapia gigantea (b), & in Sialandia auctoritate, ac potentia, eminebat. Neque Sialandiam tantum, verum etiam Langelandiam, item Monam, inſulas in Mari Balthico, uno omnes Videsletae nomine (c) dictas, ſua in poteſta-

(a) *Alii magna cura tradiderunt*) Vix alius intelligendus, quam Io. Iſacius Pontanus, cuius *Rerum Danicarum Hiſtoria libris* x. haud ita multo antea fuerat evulgata, ubi id praeſtitum, de quo noſter loquitur; praeſertim ſi luculentum opus, quod hiſtoriae ipſi ſubiicitur, ac *chorographicam Daniae deſcriptionem* continet, inſpiciamus.

(b) *E proſapia gigantea*) Vnde hoc habuerit *Meurſius*, aut potius, quem hic ducem ſequutus eſt, Io Suaningius, non dixerim. De Dano quidem, Humbli ipſius filio, auctor *Chronici*, quod vulgo *Erici Regis* adpellant, ſic loquitur: *Dan primus Rex fuit; pugil fortiſſimus, & giganteus.* Ac de Skioldo, Dani nepote, Saxo Grammaticus: *Quindecim annos natus, inuſitato corporis incremento perfectiſſimum humani roboris ſpecimen praeſerebat.* Praeterea notiſſima cuivis, quae de veterum ſeptentrionalium proceritate, corporibuſque & armis ingentibus, cum Romani Scriptores, tum Iornandes, & quos ille citat, Gothici, prodiderunt, ut taceam Saxonis iſtud in *Praefatione Hiſtoriae*, de Danica regione *giganteo quondam cultu exercita, ſicut eximiae magnitudinis ſaxo, veterum buſtis, ac ſpecubus adfixa teſtantur*; item, quae Aragrimus Ionas *Rer. Island. lib.* 1. *cap.* 4. VVormius in *Monum. Danicis*, Conringius *de Habitu corporum Germanicor. p.* 4, 12. aliique congeſſerunt. Verum neque eo reſpici, aut iſtud eſſe, quod indicetur, crediderim, quando de proſapia, cui Humblus originem debeat, memoratur. Hoc potius; Humblum e reliquiis fuiſſe priſcorum indigenarum & Aboriginum, qui ante Odini Aſarumque adventum patriam noſtram incoluere. Hos enim gigantei generis habitos, & gigantum adpellatione, notum celebratos, qui, quia Othino, & ſociis reſiſtere auderent (quod hi caelo & Diis ipſis, Titanum more, bellum inferre interpretabantur,) infamatos, ex *Edda*, & interpretibus eius conſtat. Vid. Thorm. Torfei *Ser. Regum Dan. pag.* 495. & *p.* 100. Neque ita abſurdum, eodem referre vocabula, *Kemper*, gigantes, pugiles, unde *Cimbri*, ac *Iet*, quod pariter *gigantem* ſignificat, Saxonice *Geat*. Vid. Arngrim. *l. cit. p.* 42. Torf. *Ser. pag.* 91. Atque de *Geat* & *Iet* pluribus egerunt Sheringarmius *de Orig. gentis Anglor.* & Dan. Langormius in *Elencho Antiquitatum Albion.* Hic quidem, inter alia, *pag.* 321. his verbis: *Iutae & Iotum a proceritate dicebantur, cum Iaet in ſingulari numero gigantem Gothice notet. Ietum in plurali, gigantes. Geatum, Gutae, Guti, & Gioti, a maiorum adpellationibus vocabantur, qui Getae, Gutae, Guti, & Gotbi ſunt nominati.*

(c) *Vno omnes Videsletae nomine*) De hoc vocabulo mirum, nihil vel Saxonem Grammaticum, vel Suenonem Aggonis, vel Islandicorum quemquam meminiſſe, neque aliud, ut credo, monumentum oſtendi poſſe, in quo reperiatur, antiquius illo *Chronico*, quod *Erico Regi* falſo a noſtratibus adſcribitur. Ita vero hoc: *Dan, filius Humblae, de Svecia veniens, regnavit ſuper Syalandiam, Onen, Faſter, & Laland, cuius regnum dicebatur VVithesleth.* Non quod negare omnino auſim, id nominis quondam ſive alicui Danici Regni parti, ſive certo in Dania loco adhaeſiſſe; neque quod auctoris huius, plus adeo, quam ceterorum, fidei detractum velim, (quem etiam vetuſtiorem, quam vulgo creditur, & vixiſſe, antequam naſceretur Ericus Pomeranus, puto;) ſed quia perſuaſum habeo, traditionem illam minime domi natam, aut e Danico fonte profluxiſſe, quippe quam, ſine omni dubio, auctor Chronici e Svecia, tunc quum indidem Danum Regem deduceret, arceſſiverit. Verumtamen *VVithesletae* nomen ad ſolam Sialandiae inſulam reſtrinxerunt Annales alii, quos ineditos, ac in membrana ſctiptos, atque Pſeudo-Erici Chronico haud multo iuniores, verſaverat olim Thomas Bartholinus iunior. En verba: *Vidit autem Rex Danus ſuam, ſuper quam regnavit, Iutiam, Fiuniam, VVitthaesleff, (ſic) Scaniam, quod eſſet bona, vocavit Primates exauctoreſque ſuos &c.* Nam in Nicolai Petreii *Originibus Cimbrorum & Gothorum*, quod refertur ex antiquitatibus Gothlandicis ſcilicet; Gaellandiam adpellatam *Middhelslet*, quod *mediam planitiem* ſonat; Iutiam, *VVideslet*, quod *amplam planitiem*, Scaniam, *Skoneslet*; Fioniam, *Fineslet*; purum putumque, alteroque multo recentius commentum. At *Erici Regis Chronico* conſonant ſcriptores ſequentium aetatum plerique, apud nos omnes; Fr. Nigellus, Monachus Soranus, in *Chronico Dan. rhythmico*, tempore Chriſtiani I. Regis circa an. 1480. ſcripto; &, qui eodem tempore vixit, Thomas Gheyſmer in *Epitome Hiſtoriae Danicae*, Saxonica lingua edita; noſtroque deinde aevo propiores, Arnaldus Witfeldius, Stephanius *not. ad Saxon. pag*, 28. *Meurſius*, alii, ut de Svecicis iam nihil dicam, mox commemorandis. De ratione & origine vocis varie, ut in eiuſmodi rebus ſolet, diſputatur. Vltima ſyllaba pleriſque extra dubium eſt, qua volunt *planitiem*, vel *planum campum* deſignari; quum neque aliud hodie Danica voce *Slet*, ac *Slette* ſignificetur. Priorem partem nonnulli adpellativam faciunt: plures ad propria vocabula referunt; ad *Vitos* nempe, ſeu *Vitas*, antiquam, ut creditur, Septentrionis noſtri gentem. *Vud* & *Vide*, nomen adpellativum, atque adiectivum, *latum* & *amplum* dicimus, atque inde *VVidesleth* Stephanius, cum aliis, *latam planitiem* interpretatur, quaſi *Vide-Slet*; incertus tamen, utrumne *Vitarum campum* praeferat. *Vitas* enim, ſive *Vitos*, quem populum olim Daniam inſediſſe, citra omnem dubitationem volunt, in hac voce, ut dixi, maxima pars imaginati. Multo tamen animoſius Sveci, quam noſtrates; nimirum, ut ſibi ſolis integram *Gothorum* gloriam totumque decus ſervent, nobis *Vitos*, ignobilem, ceu perhibent, eorum progeniem, relinquunt. Latuit tamen hoc myſterium, quaſi nondum iſto aevo detectum, utrumque fratrem, Ioannem & Olaum Magni Gothos. Sed in Meſſenii operibus eo frequentius, & ad nauſeam uſque, *Viti* & *Dani* pro ſynonymis ponuntur, *Vitia* & *Vitasletia* pro Dania, tanta profecto confidentia, quaſi nihil aeque certum in hiſtoria haberetur: adprobantibus Verelio & Rudbeckio; quorum ille in notis ad *Hiſtoriam Hervari*, *cap.* x. hic in Atlantica, cap. XVI. & XXIV. etiam etymi rationem reddunt; nempe quod *VVitae* dicti, quaſi *excubitores, & pyrarum ad litora publicae ſecuritatis cauſa, erectarum cuſtodes*. Nugae merae. Quibus non neceſſe erat, ut Thotmodus Torfaeus aliam etymologiam, etſi haud paulo veriſimiliorem, opponeret, demonſtrans, *Vitas* adpellatos olim *ſapientes, populorum rectores, imperatores*, indeque *Vitaslet*, *imperii ſedem* denotare. *Ser. Reg. Dan. l.* 2. *cap.* 1. voluit autem fortaſſe ludere Dan. Langhorvius, quando *Vitas*, a Rege quodam *Vita* denominatos ſcripſit, *Antiquit. Albion. p.* 323. Facile ſuffragium habiturus antiquitatum Gothlandiae fabricatorum, qui *Vittonem* nobis ducem Sleſricenſem ante Dani I. Regum tempora produxerunt, unde *Vitos* adpellatos cenſent. Vid. Guaning. *Chron. Danic. pag.* 24. Verum antequam de etymologia diſputetur, vellem ſcire, annon operae pretium foret, taliſne umquam nomenclatura alicuius gentis extiterit, perquirere. Nobis de ea, quae comperta, haec fere ſunt. Prima *Vitarum* mentio in Bedae exemplaribus obſervatur; & ex eo fonte, quidquid uſpiam de *Vitis* legitur, ſive in Anglorum ſcriptis, quorum nemo non Beda poſterior, ſive in Germanicis, aliiſve, derivatum. At in Beda ſubſpectam iam olim lectionem eam reddiderunt Lambardus & Camdenus; magis etiam Vſſerius, cuius, in *Britannicar. Eccleſiar. Antiquitatib.* haec verba ſunt
„ *pag.* 209. Antiquam eſſe *Iutiae* & *Iutlandiae* adpellationem,
„ non ex Adamo Bremenſi tantum, & Saxone Grammatico,
„ ſed etiam ex Beda liquet; qui eius incolas non ſemel *Iuias*
„ nominat. Sic enim omnes, quos conſului Bedae MSS. Co-
„ dices legunt, (conſentientibus etiam Florentio Vigornienſi,
„ Guil. Malmesburienſi, Henr. Huntingdonienſi, Matthaeo
„ Weſtmonaſterienſi, Ranulpho Ceſtrienſi, & aliis,) non *Vitas*,
„ ut

testate habebat. Aedes illi permagnificae; quarum hodie etiam vestigia exstant (a), iuxta silvam; quae nunc quoque, velut tantae monumentum antiquitatis, Humbli dicitur; inter Roschildiam, & Ringstadium, pari fere intervallo, ubi hodie Svenstropium; quod Ecclesiae Roschildensi, antequam religio mutata esset, subiacebat; at in praesens Regno subest. Etiam ab Oresundae freti ripam pagus quidam, Humblebequa. Danus vero, belli clarus, quum pro patre, iam grandaevo, Sialandiae praeesset, Cimbriamque forte Saxones per id tempus infestarent (b), terram illam subiugare plane certi, opem eius Cimbri implorant; & Provinciae Principatum, si victoriam contra hostes obtinerent, pollicentur; atque is, conditione luculenta invitatus, arma capit; Cimbros iuvat, Saxones caedit; Cimbriaque, ut promissum, in potestatem suam accepta, Rex creatur; ac mox regionem eam universam, quasque a parente acceptas, alias tunc possidebat, ab Eidora ad fines usque Gothiae Svecicae, ut unius sub imperio omnes erant, ita uno a se nomine Daniam dici (c) voluisse existimatur; inde, uti vicinorum animos conciliaret, atque, pace confirmata, novum Regnum stabiliret, uxorem sibi e Saxonia Gritham capit (d), summi illic loci feminam; & sublatos ex hac filios Humblum, ac Lotherum, vocat; quumque frater Anglus esset, natu minor, neque Principes una Dania duos caperet, arma in Britannos movet (e), & devictis eum imponit, isque a se ut putatur, Angliam Danicam; cui

„ ut libri habent editi. Legum Eduardi Confessoris interpola-
„ tor *Gutos* eos adpellat; Fabius Ethelvverdus *Giotos*; Annales
„ Petroburgenses Anglo-Saxonici, ut & liber Bedae Saxonicus
„ *Geatum* & *Iotum*; Asserius Menevensis *Gothos* & *Iuthos* &c.
Reclamat Pontanus noster, ac *Vitarum* nomenclaturam nequaquam expungendam iudicat, (*Chorogr. Dan. pag.* 653.) sed ex argumentis, quae producit, ne unicum quidem memoratu dignum, excepto fortassis ipso a *Vithungis*. Verum neque inde aliquid firmi concluditur, haud magis, quam a Danais ad Danos, aut a Danis ad Danubium. Atque ubinam illi, te quaeso, Vithungi? in Sidonii Apollinaris *Carmine* VII. respondebis; & in auctoribus ibidem a Savarone adlegatis. Verum in Sidonio recentior editor Sirmondus non dubitavit reponere *Iuthungos*, atque eodem modo corrigendum esse pertendit in *Panegyrico Constantii Caesaris*; ita ut nusquam in orbe posthac locus reperiendus sit *Vithungis*. Sed nec *Vitis*, ut credo; nisi in librariorum mendis, & corruptis per eorum, qui praefuerunt, sive incuriam, sive inscitiam, editionibus. Vnus nobis restat Spelmannus, pro *Vitarum* lectione apud Bedam pugnans (*Glossar.* in v. *Guti*) sed neque ullo argumento, nisi quod Saxones *Gu* in *VVy*, mutarint; quemadmodum pro *Gulielmo* scripserunt *VVilhelmum*. Summa tamdem huc redit, *Vitaslet* non posse a *Vitarum* gente nominari, priusquam probatum fuerit gentem revera tali adpellatione exstitisse, neque unice ortum suum exscribentium errori debere. Sed neque adpellativa vocis expositio placet; praesertim illa de *ampla planitie*, linguam & dialectum hodiernam magis, quam remotam adeo antiquitatem sapiens. Torfaeana multo tolerabilior. *Vita*, sapiens, optimus; *Vite*, magistratus; & quod ad alteram partem, *Slede* & *Slaed*, vallis, *Slethe*, pugna, vocabula sunt in *Glossario Anglo-Saxonico* obvia; quae quis noverit, annon huc vere pertinuerint? Praeterea probabilius mihi videtur regiae sedis, aut urbis, seu palatii vocabulum fuisse *VVitesleth*, quam integri Regni, hocque modo adpellati fuerint primi illi Reges *VViteslethenses*, sicut postea *Reges Lethsenses*. Iam si *Annalium* membraneorum fidem sequamur, eorum, inquam, quos fuisse penes Thom. Bartholinum supra dictum; habemus non amplius *VVitesleth*, sed *VVithaesleff*; quod ipsum & hodie pagi nomen esse in Sialandia, non secus ac Lethra, adgnoscitur; terminatione etiam usitatiore, utpote cum innumeris fere aliis per totum Regnum communi. Neque video, cur id sequi nobis non liceat; aut quare Annalibus iam dictis minor in eo fides tribuenda sit, quam, qui hucusque omnibus imposuit, Pseudo-Erico, alias in nominibus propriis per totum librum mendosissimo; praesertim postquam a communi lectione longius adhuc discessum in *Chronico rhythmico Svecorum*. ubi non *VVitesleth*, sed *VVetallaheedh* habetur, haud semel, sed quater diversis locis repetitum. Quod ultimum unice adrisisse videmus Sheringhamio *Vetallaheedam* ex Gothica lingua interpretanti *Terram undecumque, aquis madidam* ex *VVet*, humido, *all*, omnis, *heedh*, terra inculta, (*de Orig, Anglor. cap,* VII.) ita ut, si tantummodo esset verum, id nominis fuisse ullo tempore de hac insula nostra usurpatum, Sheringdamio iudice, nihil eo aliud significaretur, quam quod *Sialandiae* illud, omnium veteris linguae intelligentium consensu, denotat. *Sia-land* enim est, *terra mari circumdata*. Ceterum & alia apud Svecos carmina, Chronicis illis rhythmicis vetustiora *Vitalum* nobis exhibent, quod, quamvis ibidem saepius ita scriptum, vitiosum tamen pronunciavit Veselius, ac reponi iussit *Vitalund*, vel *Vitalaund*; nimirum, ut *Vitarum terras* sonet adpellatio. Cui, ad expositionem confirmandam, idem Verelius addidit *Vitaheid*, inculta vitarum; *Vitaheim*, mansionem vitarum; *Vitaslet*, planitiem vitarum, in *notis ad Hervarar-Saga p.* 113. Ita vero docti illi viri figmenta figmentis superstruunt, numquam sibi magis placentes, quam ubi vetustiorum somniis interpretandis sua adplicare possunt, & impendere.

(a) *Aedes illi permagnificae, quarum hodie vestigia exstant*) Hoc non a veritate tantum, sed ab omni verisimilitudine abludit. Neque enim sufficit vestigia domuum ostendere, *Humbleorae* adhuc nomen servantia; quum hoc minime sit necesse, per incertam traditionem, a Rege XX. & amplius annorum centuriis remoto, accersere; ad adpellativam potius, quod *lupulum salictarium*, notissimum fruticem, significat, referendum. Vel, si omnino a viro, & fundatore tractum, de alio quovis inferioris aetatis cogitandum. De Lethra, quae sedes olim, & palatium multo nobilissimum Regum Daniae, Humblo, & Dano aliquot seculis recentiorum, fuit, audiamus testimonium Suenonis Aggonis, qui seculo XII. exeunte scripsit: *Rolf Kraki occisus in Lethra, quae tunc famosissima Regis exstitit curia, nunc inter abiectissima ferme vix colitur oppida*. Idem vero, si hodie perlustretur, locus, ne unicum quidem lapillum ostenderit, veteris magnificentiae indicem.

(b) *Cimbriam forte Saxones infestarent*] Saxones erant Cimbrorum per ea tempora vicini contigui, Holsati postea, atque hodie, adpellati. Ipse etiam *Meursius* infra) *Dani cunctos albim accolentes* Saxones adpellabant. Vid. & Langhorn. *Ant. Albion. p.* 341.

(c) *Vno a se nomine Daniam dici*) Regem propria adpellatione *Dan* dictum, Regni *Daniae* fuisse eponymum, communiter fuit priscis septentrionis nostri historicis traditum. Neque hic aliqua dissensio Islandorum, nisi in tempore, Regumque, quos aliter illi ordinant, successione. Id enim, quod ceteri Dano Humbli filio, omnium Regum primo, multis ante Christum natum seculis adtribuerunt, Islandi Dano, sed in ordine Regum nono, & Olai Mansueti filio, *Magnanimo* dicto, atque ad alterum Christianae aere seculum pertinenti, adscribunt. Vid. Torfaei *Ser. Regum p.* 269. 272. Sed eiusmodi Regnorum gentiumque denominationes ab Heroibus primisque conditoribus saniori eruditorum parti merito explosae, adsentimurque omnino Stiernhielmio, in epistola ad Verelium haec scribenti: *Nihil moramur eos, quibus usus est, gentium, & populorum nomina a Diis, aut primis conditoribus, iisque vel fictis, aut nimium incertis, extorquere; ex. gr. Teutonas, a Deo Tuiscone, vel Theut; Germanos a German, Britones a Bruto; Francos a Francione, ducibus Troianis; Danos a Rege Dan; Svedos a Svider; Svenska a Rege Sven &c. Coniecturae hae sunt, nullo fundamento nixae, & Scriptorum fabulosorum, ne quid ignorasse videantur, putida mendacia, & imposturae*.

(d) *Vxorem sibi Gritham capit*) Saxo *Grytham* habet. Nimis autem quam ridiculum videre Lyscandrum in Opere *Genealogico*, & Suaningium iun. in *Chronol. Dan. pag.* 25. inde *Margaretam* effingere.

(e) *Arma in Britannos movet*] Error manifestus. Quid enim Anglo, Dani fratri, negotii cum Britannis? Moverit is arma in quamdam vicinam gentem, eique devictae, a suo, Angliae nomen imposuerit: an ergo illa statim Britannia? Equidem scio, hanc culpam vulgo in Saxonem Grammaticum reiici; sed qui eius prorsus innocens. Audiamus eum: *Angul, a quo gentis Anglicae principia manasse memoriae proditum est, nomen suum provinciae, cui praeerat, aptandum curavit . . . . . cuius successores postmodum Britannia potiti, priscum insulae nomen, novo patriae suae vocabulo permutarunt*. Vbi per *provinciam, cui praeerat*, & cui *nomen suum aptavit*, nulla alia intelligitur, quam pars ditionis Slesvicensis, cui etiam hodie Angliae nomen haeret, & cuius situm olim, ut videtur, ampliorem extensioremque, descripsit, & confirmavit seculi X. Scriptor Athelverdus: *Anglia vetus*, inquit, *sita est inter Saxones, & Giotos, habens oppidum capitale, quod sermone Saxonico Slesvich, secundum vero Danos Haitheby dicitur*. Ex ista Provincia Anglos postea prodiisse, (Anguli, secundum Saxonem Gramm. successores) ac Britannia potitos esse, quis ignorat? Rectissime igitur Saxonii Grammatici patrocinium contra Albertum Crantzium suscepit, post Witfeldium, Io. If. Pontanus, ad cu-

cui Britannica nomen, & originem debet, adpellavit. Regnum, armorum gloria partum, summa cum iustitiae fama ad exactam aetatem tenet, ac defuncto filius succedit,

HVMBLVS,

Natu maior, quem cum proceres, saxis terra eminentibus insistentes [a], Regem sibi elegissent mox,

LOTHERVS

eum frater armis petit; acieque superatum, regno exuit. Tulit autem casum adversum magna animi constantia: & ostendit, in privati hominis sorte, qui se continere possit, eum quoque quasi regnum quoddam habere, immo rege quolibet beatiorem multo esse: verum inquies scelere animus uti fere, quae meretur, semper timet, temere subspectum eum regni adfectati habens, minime securum esse posse se existimabat, nisi tamdem, solio pridem deturbatum, etiam vita spoliaret. Quidam ei Adelam uxorem tribuunt [b], Guttonis filiam, viri inter Cimbros principis; & ex ea Danum, Bogiumque, filios; sed, deficiente Historia, nil est temere adfirmandum. At Lotherus, fratris metu liberatus [c], regno male comparato peius utens, quum in quosvis desaeviret, a quibusdam coniuratis, ut tyrannis fieri solet, interficitur. ceteros exemplo docens, regna, scelere adquisita, ut habenter cum opprobrio, & non sine insolentia, ac saevitia, exercentur, ita, odio subditorum concitato, cum ludibrio tamdem amitti. Hinc

SCIOLDVS,

filius eius, moribus, sed dissimillimis, regnum accipit: puer quidem, sed qui prima in aetate, quantus mox futurus esset, palam faceret: atque avum potius, quam patrem, ostenderet. Quindecennis in venatu obvium ingentem ursum, sine telo deprehensus, cingulo iniecto strinxit; tenuitque, dum ministri accurrentes neci darent; quo specimine fortitudinis, populo iam ante gratus, magnum sibi honorem peperit: moxque adultus, cum pugilibus celeberrimis, Scato, Altalo [d], aliisque decertando, iis victis, gloriam auxit. quin existimatio eius tanta fuit, uti reges insequuti aliquandiu Scioldungi dicerentur [e]. Ex Saxonia coniugem Avildam cepit, viri ibi illustris filiam, quam cum Scatus, eius ditionis princeps, adamaret, ac pro illa armis concertandum esset, ipso caeso, Saxones item pendere tributum iussit. Ex Avilda, filium subscepit Gramum, postea regem. Armis positis, animum ad reip. ordinandae curam vertit: ac, quum sciret, nihil aeque ad imperia, quamvis maxima, labefacienda validum, atque

ad cuius verba si animum attendisset *Meursius*, nullos nobis hoc loco Britannos finxisse. En Pontani ista: *Dano frater fuerit, Anglos nomine, a quo, ut Praeside, ac Rectore, Anglicae gentis in Cimbrica chersoneso, Gutiam nunc dicimus, principia promanarint. Cuius exinde, post secula aliquot, successores Britannia potiti, priscum insulae nomen patriae suae vocabulo, Angliam adpellitantes, permutarunt. Quod perperam intellecto Saxone, de Anglo ipso, non posteris eius, accepit Crantzius.*

(a) *Proceres saxis terra eminentib. insistentes*) Saxo Gram. h. l. *Lecturi regem veteres adfixis humo saxis insistere, suffragiaque promere consueverant.* Ad quem locus Stephanius sequentia adnotat *p.* 29. „ Eiusmodi saxa, quae ut plurimum duodecim „ fuerunt, hodieque multis in locis apud nos conspiciuntur, in „ Saelandia nostra prope *Lethram*, vulgo *Leire*, civitatem olim „ regiam, locus exstat, *Kongestolen*, seu sedes regia, grandi sa- „ xo inter reliqua conspicant, qui eligendo Regi olim fuit de- „ putatus, & etiamnum seniorum de hac re relationibus nobilita- „ tur. Parilis exemplum ritus in Svecica exstat historia, &c. „ Plura in hanc rem contulit Olaus Wormius *Monum. Danicor. lib.* I. cuius caput XII. a pag. 87. ad 91. de locis electioni Regum deputatis agit.

(b) *Quidam ei Adelam uxorem tribuunt,*) sunt ii Gothlandicarum antiquitatum confictores, eosque sequutus Claudius Lyschander: e cuius opere, Danica lingua edito, istud de Adela filiusque eius desumsit Pontanus, atque ex hoc Meursius.

(c) *At Lotherus fratris metu liberatus*) Notum, aliam ab Illandis seriem Regum Daniae antiquissimorum institui, a Saxoniana oppido diversam, istaque non parum verisimiliorem. Hanc vero ampliter illustratam debemus operae & labori Thormodi Torfaei. Quumque ibi Skioldus Odini, Herois ac Deastri filius, primus Regum statuatur, haud abs re erit cognoscere, quid de tribus illis, quos Saxo ante Skioldum regnavisse scribit, Torfaeus sentiat. Ita ergo *pag.* 247. *Danum primum Daniae regem, regumque antesignanum eapropter fecit Saxo, quod idem semper regno nomen fuisse vellet.* & *pag.* 66. *Credimus Saxonem ea, quae de antiquissimis patriae rebus scripsit, in Illandorum monumentis talia non invenisse, sed gloriae gentis suae in primis studiosum, Regibus originem apud Christianos honoratiorem, quam a gentilium deastro (Odino scil. Skioldi parente,) dare, gentique antiquitatem profundiorem conciliare voluisse, atque ideo Daniam ab ultima origine eodem, quo suo tempore, nomine dictam voluisse.* quibuscum confer. quae habentur in eod. opere pag. 497. De *Humlo* deinde & *Lothero* incertae & obscurae traditionis originem detexit hoc modo *pag.* 247. „ Humlium non magis, quam primum Sa- „ xonis Danum genuinis Daniae Regibus accensendum reor; „ quippe quem *Historia Hervoriana* Hunnorum Regem fuisse, „ irruptionemque Heidreki Cimbriae Regis fuga evitasse, opum- „ que & supellectilis domesticae iacturam fecisse tradit, & in- „ super filiae, quae capta ab Heidreko, filium ei peperit, no- „ mine Lodum seu Lotherum, quocum ad patrem remissa, a- „ trocissimi belli causa fuit. Quae omnia ad longe inferiora „ tempora pertinent. Hinc Lotherum suum Saxonem desumsisse „ crediderim. Interea Lotheri cuiusdam meminerunt scriptores „ Saxonici, quem fuisse Wodani (seu Odini) fratrem & Sa- „ xonibus imperitasse adfirmant. Ista forte traditio cum Saxone „ conciliari poterit, si hunc eumdem Lotherum, Skioldi pa- „ truum, eique tutorem, vel, si mavis, συνεργὸν a patre Odino „ datum velimus, eumque, quod omnia regni munia, regia „ plane auctoritate, obierit, in Regum numerum insertum, „ Skioldique patrem a posteritate existimatum esse. „

(d) *Altalo*) mendum est typographicum. *Attalus* vocatur a Saxone Gram.

(e) *Skioldungi dicerentur.*) Haec ad mentem Saxonis Gram. posita. Ceterum vox ista proprie Skioldo prognatos denotat; quemadmodum dicuntur a Budlone Budlungi, a Giukone Giukungi, a Knuto Rege Knytlingi, in historiis nostris; in Anglia ab Vffa, Orientalium Anglorum rege, Vffingi (Matthae. Westmonast. ad an. 578.) in Francia, a Carolo Carolingi, a Capeto Capetingi, &c. sic & in Edda: *Hildingi, Niflungi, Ynglingi, Doglingi &c.* ubi & Volsungos Francorum, Skioldungos Danorum, habes. *Pag. Gg.* 4. *a.* Gnorrius in *praefat. Eddae:* „ Odinus, subscepto ex Saxonia itinere, in aliam mi- „ gravit regionem, quam Reidgotalandiam (i. e. Iutiam, vel „ Iutlandiam) vocarunt, atque ibi quidquid placuit, sibi vindi- „ cavit. Huic terrae praefecit filium suum *Skioldum*, qui Frid- „ leifum genuit. Inde *Skioldungorum* familia ortum ducit. *Hi* „ *sunt Daniae Reges.* „ Vnde & historia de antiquissimis Daniae Regibus, quae olim apud Norvegos & Illandos exstitit, *Skioldungar-Saga* dicebatur: quam deperditam esse & nusquam hodie reperiri, non uno loco conqueritur Torfaeus. Atque haec de proprio significatu. Quod ad alterum attinet, nempe, quod a Skioldo, honoris gratia, & ab egregia *indolis eius experimenta, ceteri Danorum reges communi quodam vocabulo Skioldungi nuncuparentur,* (quae verba Saxonis sunt,) pariter veritati consonum, de quo memorabilem sane locum ex Anglo scriptore attulit Torfaeus. Digna eius verba quae exscribantur: „ Ab hoc Skioldo (ait *Ser. Reg. Dan. lib.* III. *cap.* III.) „ *Skioldungorum* familia descendit, *Skioldungique* nomen primum „ Daniae regibus commune, deinde singulis monarchis & prin- „ cipibus titulus honorarius & encomiasticum epithetum evasit: „ quo & regum singuli etiamnum apud Illandos poetice censen- „ tur. Nec aliter scriptori Vitae S. Cuthberti *Scaldingorum* no- „ mine eos vocari existimem, qui in Angliam irruentes. Ebo- „ racum civitatem fregerunt, terram vastarunt, &c. „ Credo equidem istos Danicae gentis regulos, quibus per istud aevum in consuetudinem verterat, Angliae; Scotiae, aliarumque terrarum oras infestare, *Skioldungorum* nomine a suis fuisse designatos, unde laudatus auctor *Scaldingorum* istud acceperit.

atque luxum, ut honeste agendae vitae subditis iniiceret studium, in exemplum, ad quod illi se componerent, ipse vixit: ratus, uti res se habet, populi in regem obsequium, & amorem aemulandi, poena, legibus constituta, multo potiorem esse. tum vox eius haec audita est; *Suum ornare principatum, quam adquirere alienum, verae laudis plus habere*. In subiectos admodum mitis, quum nonnulli dura valde servitute premerentur, in solatium eorum, legem manumissionis primus tulit: ac libertum, clam insidias parantem, gravi poena castigavit: aere alieno obrutos liberabat; adflictorum, & potissimum pupillorum, summam rationem habebat: ac non tantum ipsi sibi, quantum regno universo, providendum dictitabat. Victor autem, hostis superati gloriam pretium sat dignum putans, praedam militi tribuebat. His virtutibus, regnum, quod tyrannide patris graviter attritum acceperat, instauravit. Annis gravis, ac paulatim regno impar, procerum suasu, in consortium adscivit Gramum filium, quamvis etiam tum impuberem. quod inique ferens Ringo, e primatibus Sialandiae, ipse animo regnum agitans, patris filiique aetatem apud populum traducebat: illum, lingua; istum, mente oculisque captum dicens. tum suadebat, *regnum ut in se transferrent, genere parem, annis vero, animoque, meliorem; sed fortuna sola vinci, quae maioribus dignitatem regiam non concessit*. Quo Scioldus intellecto, sua interesse ratus, uti vivus sceptrum suum filio in manum traderet, illico, coacto milite, arma in Ringonem movet, ac tumultuantem opprimit. moxque, exstincta eius caede factione, filium imponit solio; &, suorum maximo cum luctu, moritur. Nomen eius, Scioldenessa, olim regia illius, in hunc usque diem tenet. Vivo autem etiam patre, in possessionem regni

GRAMVS

venit (a). Is, senatu sic iubente, a Roario in spem regni summa cura educatus, regem egit bello, ac pace, iuxta bonum. Regno per aetatem aptus, ut alumno aliquam referret gratiam, eius sibi filiam uxorem capit; inde Besso, belli gloria tunc illustri, ob navatam operam, tradit. Hinc Sictrugo, Sveciae regi, arma infert. Huic filia Groa erat. quam petitam in matrimonium, cum Sictrugus viro alteri elocasset, vasto corpore, & plebeio, indignatus contumeliam, ac rivalem sibi istum antelatum aegre ferens, ut repulsam vindicaret, bellum movet, quo superior, ope Bessi, e medio Sictrugum tollit, Sveciamque primus capit, & ius regni posteris parat. ac Sictrugus, a Vodano idolo doctus (b), ferro se insuperabilem, plenus animi, occurrebat: verum Gramus, rei gnarus, clava sua, aureo munita globo, crebris ictibus contusum, sternit tamdem, & occidit. Eo caeso, Gothiae regem, Suarinum, Sveciae insidiantem, aut suspectum, sedecimque eius fratres, caedem ulcisci cupientes, redigit in potestatem, & interficit: Sveciamque, armis partam, ducta in uxorem Groa, alta mox in pace tenet. Inde, orta cum Finnorum rege Sumblo de limitibus controversia, quum ad arma ventum esset, ac paratae acies utrimque starent, illico colloquium de pace capitur. Erat Sumblo filia Signe, matura aetate, & honesta item forma; quam tunc conspicatus Gramus, pacis sibi pretium petit, obtinetque, divortium cum Groa spondens. Vix haec arma deposuerat, cum, relicta apud patrem Sumblum sponsa, ea in Suibdagerum sumit, qui Norvagiam per seditionem invaserat; &, expulso inde patre, regnum, iniuste occupatum, per tyrannidem exercebat: insuper compresserat sororem Grami, & haec belli causa fuit. Cum exercitum in Norvagiam abduxisset, cuncta satis impedita est expertus. quippe, mali conscientia, & ex ea belli metu, quodlibet praesidium sibi Suibdagerus, contra hostem invasurum, comparaverat: utque belli incertam aleam declinaret, manum haud temere conserebat; tutius ratus, frangere cunctando Gramum, quam ambigua praeliorum nimium periculose experiri. Qua de causa, postquam traheretur bellum, nec eventus adpareret, ac timendus minus Gramus, ceu nutante iam fortuna, videretur, pacis Sumblum, filiaeque desponsatae, poenitere; itaque mutare animum, & Saxoniae ducem, Henricum (c), eius loco generum capere, cuius rei ubi nuntius in Norvagiam pervenisset, indignatus in maiorem modum Gramus, illico, rebus ordinatis, parvo admodum comitatu Finniam petit. quoque die nuptiae peragerentur, occultatis prope sociis, unicum adducens famulum, Sumbli aulam, veste peregrina usus, medicumque simulans se percunctantibus, omni-

(a) *In possessionem regni venit* GRAMVS) Regem, proprio nomine sic dictum, Danis praefuisse, pernegant scriptores Illandici; qui adpellativum potius vocabulum adgnoscunt, apud poetas suos, regibus & bellatoribus quibusvis commune. Et tamen minime dubitandum, quin proprium aliquando nomen fuerit, si non Daniae regis, tamen insignis alicuius principis aut herois. Audiatur Torfaeus *Ser. Reg. Dan. p.* 248 „ Gramum Skioldo patri successisse vult Saxo, quod nostrae antiquitates ignorant. Interea cum maiorum industria, post amissam *Skioldungorum historiam*, nihil nobis, praeter nudam supremorum Daniae Regum seriem reliquerit, praefracte negare non audemus, Gramum & Hadingum, nonnullosque alios Saxoni memoratos, ab hoc etiam Skioldo descendisse, & territoriis praefuisse, sed eos in supremorum dynastarum numerum venisse, hoc est quod nos, antiquitatibus nostris innixi, negamus. „ Deinde idem Torfaeus meminit, ex *Edda* & *Originibus Norvegicis*, Halfdani cuiusdam, Hringarikiae & Valdresiae in Norvegiae reguli, longe bellicosissimi, inter cuius octodecim filios unus fuerit, *Gramus* adpellatus, *cuius nomen in vetustissimis Norvegorum & Illandorum carminibus indifferenter omnibus regibus, honoratissimi instar vocabuli, crebro adplicatur*. Aliud exemplum suppeditat Snorrius Sturlaeus, *prolegom. ad Chron. Norveg.* cuius haec sunt: „ Tempore, quo Sveciae imperavit Dagus Rex, is, qui bello praefuit, princeps *Gramus* dictus est, milites vero *Grami* „ Ipse Saxo de suo Gramo rege: „ Tantum magnitudini eius a posteris tributum est, ut in vetustissimis Danorum carminibus *ipsius vocabulo regia nobilitas* censeretur. „ Concludit ergo sic Torfaeus *pag.* 250. *Hinc forsitan Saxo occasionem sumsit* Gramum *Danorum regibus adnumerandi, quod tam clarum & illustre in patria nomen nisi indigenae Regi non potuisse competere existimaret*.

(b) *A Vodano idolo doctus*) Id in Saxonis Grammatici historia non lectum, e Suaningii opere MS. hausit noster. Ita enim ibi: *Sigtrugus promissis Vodani idoli sui confisus, cuius responso insuperabilem se, aut numquam ferro periturum acceperat, plus spei in idolo, quam in armis collocavit*. Vid. Stephan. *not in Saxon. pag.* 37. *a*.

(c) *Saxoniae ducem Henricum*) Nullum plane ista tempora Saxoniae vel ducem vel regem adgnoscunt, hoc nomine. Saxo Grammaticus hanc, cum pluribus aliis, fictionem ex fabulosis, nescio quibus, commentariis exceperit. Vid. not. seq.

mnibus ignotus intrat. Gaudio cuncta personabant; verum inquies animi Gramus in vindictam incumbebat; itaque, oculos circumferens, videt sponsam, pridem suam, alteri nunc collocatam: ardet ira; quam occultat, donec tempus ulciscendi se offerret. Procedente inter mensam hilaritate, cum se largiter invitarent, & iam vino graves essent, ablegato clam ministro, comites, quos occultaverat, ocyus adesse iubet. Post haec in Henricum irruens, eum obtruncat; aliosque, qui suppetias accurrebant; sponsam vero, inde abreptam, in Norvagiam abducit. Huc reversum, ac iam bellum acrius redintegrantem, Saxones, Henrici ducis caedem ulcisci cupientes, magna classe mox invadunt, & cum rege Suibdagero arma iungunt. Acriter, & varie, pugnatum fuit: ac succumbens tamdem Gramus, mox a Suibdagero caeditur: Princeps magnus, & in quo nil reprehendas, quam amoris coniugalis inconstantiam, & repudia: etiam regibus indecora, & illicita; neque a Deo, ut auctore matrimonii, ita quoque adsertore, impunita, quamquam saepe per libidinem usitata. Filios reliquit duos; Guthormum, ex Groa, Haddingum, ex Signe. quos, ut Suibdagero eriperet, Brachius navigio in Sveciam defert: & proceribus illic viris, Vagnophtho, & Haphlio, educandos, atque defendendos, tradit.

SVIBDAGERVS (a).

Ille primus, caeso Gramo, trium borealium regnorum potens, cum Guthormo, Grami filio maiori, precibus uxoris suae, Daniam mox tributariam, Sveciamque Asmundo suo, concessisset, ac Norvagiam sibi solam retineret, ab Hadingo, filiorum Grami altero, patris caedem vindicare cupiente, ad Gothlandiam, praelio navali victus, interficitur: ac parata scelere regna, cum non diu tenuisset maxima cum ignominia, uti fere fieri solet rursum amittit.

GVTHORMVS (b).

Hic paratum turpiter regnum itidem non diu tenuit; neque nomen, cum opprobrium clientelae claro aliquo facinore abolere debuisset, laude ulla illustravit, aut virtutis specimen dedit: ac vix umquam Dania maius passa dedecus, quam quod munere Suibdageri habere regem sit coacta, itaque, indignus regno, immo vita, hanc, & istud, fine inglorio, & incerto, terminavit: mortem nactus, qualem ante vitam habuerat. Verum fratris ignominiam, ac parentis item caedem, rex

HADINGVS, (c)

profligato Suibdagero, vindicavit. Hic, ex Signe, Sumbli filia, uti dixi, Gramo natus, quum in Svecia exsularet, omne tempus in operibus militaribus occupabat; nihil aliud secum agitans, quam quo modo patris caedem aliquando ulcisceretur. Id consilium illius cum Asmundo, qui pro patre Suibdagero Sveciam tunc gubernabat, tamdem manifestum esset, isque opprimere per insidias conaretur, se in Daniam subduxit, ad Guthormum illic fratrem, filia Vagnophthi Hartgrepa fugae socia. quae, virilis animi virgo, iuvenis amore ardens, veste sexum occultabat, & amatum plurimis periculis eripiebat. Verum, neque apud eum, fratrem quidem, sed clientem Suibdageri, satis tutus, mox in Sveciam regreditur. Vbi mortua Hartgrepa, quae protexerat saepius periclitantem, incidit in senem quemdam, altero orbatum oculo: qui, fortunam iuvenis regii miseratus, dat Lisero, tunc piratae perillustri, defendendum. Quum hoc in Locherum tendens, Curolandiae tunc ducem, bello infeliciter gesto, sauciusque domum redit: ac curata valetudine, viribusque restitutis, ad militiae exercitia usitata denuo convertit animum. inde in Thraciam contendit, cum egregia militum manu; & ad Dunam, oppidum munitum arte, ac natura, regem Handuanum obsidet: quumque vi haud facile expugnare posset, astu capit. Multae interdiu hirundines, postquam inde advolassent, mox eodem revolabant. quo Hadingus animadverso, aucupes earum copiam capere ingentem iubet; ac concisos minutatim inde fungos, & incensos, adligat captarum alis, ac dimittit. itaque quum revolarent, urbem statim incenderunt. concurrentibus vero undique ad incendium exstinguendum oppidanis, atque stationes suas deserentibus, vacuo excubiis muro scalas admovet, occupatque, & in potestatem redigit: Regem Handuanum captum, & abductum in conspectum, dato pretio, libertati suae reddit. Hoc successu excitato magis animo, militem ab oriente mox in Sveciam reducit: ubi classe comparata, Suibdagerum, ad Gothlandiam consequutus, praelio navali vincit, & occidit; copiasque eius omnes internecione delet. Qua re Dani, Suibdagero liberati, iam Guthormo vita functo, seu amoto, nam incertum, tamquam regem tributarium regno indecorem censerent, in Hadingum inclinantes, praemium virtutis illi sceptrum offerunt: isque in principio ipso, ut amabilem se praestaret, statim abolet tributum, & restituit libertatem. Inter ista rex Asmundus, cui pater Suibdagerus Sveciam regendam dederat, eius mortem ulcisci cupiens

(a) *Suibdagerus*) Hunc regem quomodo & qua de causa Torfaeus ex nostratium ordine expungat, audi: „ *Suibdagerum* „ (inquit *pag.* 252.) Norvegiae regem Gramo successisse Saxo „ perhibet, quem nostrates, non suarum modo antiquitatum, sed „ plurium aliarum, fidelissimi & curiosissimi scrutatores, peni- „ tus ignorant; nec Saxones magis Henricum Regem, cuius „ hic fit mentio, adgnoscunt. Non immerito igitur subspecta „ videtur haec relatio. Alias nonnullos, *Suibdagi* nomine insi- „ gnitos, magni commatis viros, antiquitates suggerunt, quorum „ tamen nullus Danicam tiaram umquam gestavit. „

(b) *Guthormus*) Praeteritur in ipsis Annalibus, quos Erico Regi Pomerano adscribunt: pariterque, atque praecedentes duo, Torfaeo reiicitur.

(c) *Hadingus*) Torfaeus l. c. „ Sed neque annales Illandorum „ Hadingum inter Daniae reges geminum adgnoscunt: quum ta- „ men *Haddingos* nullo modo sileant, quos provinciarum Had- „ diangiadali & Thelamarchiae in Norvegia reges perhibent . . . „ Horum Haddingorum alicui si quis nonnulla eorum adscribat, „ quae Saxo de suo Hadingo refert, ego non refragabor.

piens arma in Hadingum capit. qui, instructo agmine, quum se obiiceret, & Henricum, Asmundi filium, inter pugnam, cecidisset, mox Asmundum quoque ipsum, magno impetu irruentem, hasta sternit: ipse quoque pedem saucius, & ex vulnere tota deinceps vita claudus. Domum ex hoc bello redux, quum aerarium, quo paratas bellis opes adservabat, expilatum repperisset, quem praefecerat, Glumerum, illico in crucem agit: ac, propositis honoribus, qui ablata reportassent, quum se illi prodidissent, ut promissa exhiberet, effert primum, atque dignitate ornat, inde graviter castigat, ne impune furtum esset, & exemplo alii quoque uterentur. Post victoriam, ut reliquias porro belli profligaret, multum repperit negotii; facessente id Vffone, altero Asmundi filio, quem in locum patris Sveci regem elegerant. Ille enim, quum Hadingo imparem se animadverteret, ut amoliretur bellum, quod haud propulsare posset, Daniam infestus petit, limitemque eius vastat: &, retracto sic Hadingo, in Sveciam itinere diverso redit. Id Hadingus admodum indigne ferens, praesidiis in regno suo constitutis, iterum in Sveciam tendit, eam subiugare certus. Verum Vffo, ingenio vafer, quum diffideret armis suis, astu bellum ita annis quinque duxit, ut Hadingum mora frangeret: sic militibus, intercepto commeatu, fame pressis, ut post herbas, atque equos, tandem etiam seipsos edere compellerentur: adeoque decimum quemque sorte lectum, occidebant; ac robusti infirmiores, aegros sani, ad lanienam rapiebant. Qua suorum clade Hadingus, & miseria, stimulatus, uti bello, & aerumnis, semel tandem finem imponeret, summa vi adgressus hostem, acriter oppugnat eum, & nec noctu pugnam omittit; sed, Vffone quam fortissime repugnante, omnia adversa expertus, plurimis suorum amissis, in Helsingiam (a), ac Norvagiam, ad Haquinum illic regem, sese recipit. a quo dum auxilia poscit, & exspectat, eius filiam Gunildam, forma liberali virginem, homini deformi sponsam, conspicatus, mox amore eius capitur; &, indignum ratus procum, qui tam bella potiretur, in duellum provocatum quum e medio sustulisset, sibi eam uxorem petit, accipitque: inde, viribus instauratis, rursus in Vffonem tendit. qui, ut hostem denuo sibi imminentem intellexit, turpi admodum consilio, & principibus indigno, per sicarios debellare eum statuit: &, Hadingi ad se caput adlaturo, caedis praemium, filiae, forma excellentis, matrimonium pollicetur. quod Thunningus, vir illustri inter Svecos loco natus, tentaturus, cum insidias successuras desperaret, advocatis in auxilium Biarmis, Finniae extremae populis, manu eum armata invadit. sed Thunningus, frustra hunc conatum videns, ad incantamenta magica, quibus ea gens excellere, se convertit: & inducit statim nebulam, uti tenebris propulsaret, quando minime armis posset. quo adverso, veteranus in Hadingi castris miles, itidem magiae gnarus, nebula mox dissipata, lucem reddit. inde renovato praelio, quum Danorum impetum Biarmi haud ferrent, fugam capiunt. Itaque Hadingus, profligato iam Thunningo, ut Vffonem ipsum everteret, copias Vpsaliam ducit. Et inopinato adventu graviter consternatus Vffo, iterum in dolum versus, pacem petit; & ablegat transacturos, obsidesque in manum tradit. Itaque Vpsaliam Hadingus intrat, & excipitur benigne: sed sub noctem pene insidiis circumventus periisset. quum ministri, domo exire, in qua epulum cum Vffone agitabat, cupientes, extra aedes regem suum exspectaturi, ab illius satellitibus, simul atque extra limen pedem efferunt, obtruncantur: ipse, in tenebris elapsus, vix periculo praesentissimo liberantur. Hinc Hadingus gravem adeo perfidiam armis mox apertis vindicat, acieque victum caedit. itaque potitus Svecia, eam Hundingo, caesi fratri, titulo clientis tradit; ipsum, Vpsaliae, mausoleo illustri condit: pariter testatum faciens, nec se iram ultra hostem debellatum retinere, & maiorem quoque regno habere animum. Atque inde, quum Hundingus Canem, aut Caninum notet, dici coepit, canem Danos regem Svecis posuisse (b). Hunc in modum borealium regnorum monarchia, pridem in Norvagiam translata a rege Suibdagero, ab Hadingo Daniae recuperata est. quam dum ille in tranquilla pace tenet, incipit in Cimbria turbare Tosto, homo ob flagitia Facinorosus cognomento adpellatus: & initio, convocatam rusticorum perditissimorum manum contra regem concitare nihil veritus, etiam maiora audet; & Saxoniae quoque ducem Sigefridum, metu incusso, ne vicinum agrum invaderet, vastaretque, reluctantem in partes trahit. Hadingus, ante incrementa opprimendum eum ratus, illico collecto milite, mox in Cimbriam contendit, & Tostonem coercere armis parat: sed, congressu primo victus, plurimis suorum caesis, vix navigio evadit: verum, animo inter ista nihilominus erecto, viribusque integratis, praelio secundo victor, fugam, in quam antea coniectus fuerat, ipsi facit; ac, quum neque sic quiesceret, &, profectus in Britanniam, celebrem piratam hinc Collonem abduceret, copiasque auxiliares, ut suorum sanguini Hadingus parceret, in certamen singulare eum vocat, & congressum item sternit. Hinc, re-

(a) *In Helsingiam*) Vel hinc recentius aevum Hadingo adsignandum; cum Helsingia temporibus longe inferioribus coli coeperit a Thorere. Torf. *p.* 253.

(b) *Canem Danos Regem Svecis posuisse*) Hanc animadversionem Meursius Io. Suaningio debuit; qui ex suo ingenio excogitatam, putavit heic loci inserendam esse; haud sine quadam probabilitatis specie, propter *Hundingi* vocabulum; quum adpellativum *Hund* canem denotet. Credo, ut uicisceretur iniuriam, Danico nomini pari fictione a Ioanne Magno Gotho illatam, *Histor. Sueonum lib.* II. *cap.* XXI. quamvis saniores eam Sveci detestati sint; ipse etiam Messenius *Censur. Chronol. Scond. not.* 249. Ceterum & aliud eiusdem commatis figmentum Saxo exhibet, de Gunnaro Sveco, Norvegis canem rectoris loco imponente, in *cap. de quinque gubernatoribus*, *pag.* 134. *edit. Sor.* Quid? quod ipse historiae Norvegicae scriptor praecipuus *Snorrius Sturlaeus* simile quid de Cane habet, quem Oistenus, Vplandiae tyrannus, devictae Frondorum genti praefecerit, in ultionem interfecti ab illis filii. Atque hunc Oistenum etiam suis regibus adnumerant Sveci, narrationemque de Cane referunt ex Snorrone: Messenius quidem aliquoties; plenius vero Loccenius *pag* 28. *edit. in* 4.

presso sic Tostone, quum securus pace parta frueretur, regno inhians Vlvilda, eius filia, insidias struit: & invitat ad convivium, ut occideret, nihil tale metuentem. verum ille, sive sponte sua cautus, sive monitus in somnio, ut periculum prohiberet, ad triclinium excubare militem occultatum iubet; qui adesset ad suppetias, simul atque signum daret, ipse, intrat; & excipitur perbenigne. in convivio, quum sicarius adpareret, discumbentem, ubi opportunum foret, occisurus, non diutius exspectandum sibi ratus, advocatis, quos abduxerat in subsidium, & periculo se eripit, & in generum animadvertit; filiam vero, adfectu victus, verbis acribus obiurgatam, abire iubet. Traditur Gunilda uxor, postquam vita functa esset, aliquando in somno regem monuisse, natam sibi immanem feram, alias omnes domituram; tum canorum quoque cygnum. non discrimen ullum a fera imminere: sed exitio, ni caveret, cygnum fore. & Hadingus, experrectus, quum ex coniectore quaereret, quid hoc sibi visum vellet, is respondet; feram illam, filium significare, hostibus suis aliquando formidandum: cygnum vero, filiam Vlvildam esse, olim insidias structuram, regni causa. itaque, ut prohiberet infortunium, eam Suttarino locat (a), viro ignobili: ratus, ita filiae ambitionem cohiberi satis posse. verum illud male vertit. nam Vlvilda, eo ipso, ceu indigna contumelia, irritata, animo vindictam agitat, & maritum ad regnum invadendum instigat. isque renuit quidem diu, sive regem socerum revereretur, sive exitum metueret; semper dubium, & rarissime felicem: neque, quum succedit, bonum: sed, Vlvilda non cessante, tamdem et iam persuaderi sibi passus, audet facinus, & punitur. Ac Hadingus, etsi manus parricidae evasisset, tamen passim interfectus ferebatur. idque Hundingus, eius beneficio rex Sveciae, quum accepisset, epulum ferale parat; & invitat regni proceres, ut exsequias, more id temporis usitato, celebrarent. adsunt omnes, & inter se convivantur. imperat hilaritatem ipse Hundingus, & exemplo illis praeit. quin ministrat quoque potum, & pincernam agere non dedignatur. tamdem ebrius, ad choreas se convertit, quae laetitiam omnibus funestam reddunt. nam, dum saltat, pede offenso, in dolium adpositum cadens (b), quod cervisia, sive mulso, ut alii tradunt, plenum erat, suffocatur: & exsequias, quas Hadingo destinaverat, suas facit. ille vero, intellecta regis tam amici morte, ei superesse nolens, ut referret parem gratiam, coram regni optimatibus, quos ad leges quasdam novas promulgandas convocaverat, vitam sibi laqueo finit. Atque ita rex fortissimus, & clarissimus, restituta regno Daniae boreali monarchia, toties victrices manus, animi dolore victus, sibi infert: quique vitam maxima cum laude egerat, cum opprobrio summo finit, morte neque viro digna, ne dum rege. acciditque, quod praedictum a Biarmo quodam sene ante fuerat, bello cum Vffone gesto, ut, hostili manu invictus, sua ipse vitam perderet. Liberos habuit, Frothonem, successorem; & Vlvildam, ac Suanthuitam: aliasque, quarum nomina ignorantur.

FROTHO I. (c)

cognomento Liberalis, quum virtutes patris sui sectaretur, regnum quoque, eo vita functo, accepit. accedebat, quod, quam ipse existimationem nominis concitasset, etiam harioli omnes, patris somnio, de quo paullo ante dixi, explicato, confirmarent: qui futurum sapientem, bonum, fortem, ac bellicosum, uno ore praedicebant. Regnum nactus, non dumtaxat optime administravit, sed & auxit, & ornavit: adeo ut aureum sub illo seculum plane esset. Aerario exhausto bellis, ac largitione varia, quum deficerent stipendia, angustiam indigena loci sublevavit. Erat insula, in qua vim ingentem auri custos Draco, quod piratae excellentis nomen (d) erat, in spelunca adservabat. quam cum ipsi is, quem dixi, indicasset, mox hanc petit; &, Dracone interfecto, aurum abducit: ac iam potens, arma in Curlandos movet. Rex tunc illis Dorno erat, Locheri filius, de quo in Hadingi vita memoratum. Hic Frothonem imminere certior factus, convocatos optimates, quid agendum existimarent, percunctatur. placuitque, postquam impar hosti esset, uti, omni commeatu intercepto, quem non posset armis vincere, necessariorum inopia profligaret. itaque ex agro in urbem contrahit frumentum, pecora; & quae alia exercitui substentando profutura viderentur: inde agrum ipsum exurit; urbem vallo, fossa, ac praesidio, munit. Inter ista Frotho veniens, quum, abducto commeatu, non se diu commorari illic posse, neque facile item urbem permunitam expugnare, animadverteret, dolum adhibet. scrobes totis castris fodere, & egestam inde terram in praeterfluentem amnem clanculum abiicere iubet; tum, insidiae ne paterent, cespite iniecto tegere. quibus ita comparatis, fugam simulat, copiisque inde abductis, retrocedit. oppidani, vere fugere hostem rati, magno impetu erumpunt; & in castra, ea praedaturi, invadunt; sed, in foveas illapsos, dum exscendere adnituntur, irruens improviso Frotho, omnes caedit, vacuamque defensoribus urbem capit. Post haec

in

(a) *Suttarino locat*) corrig. *Guthormo*. Ita enim Saxoni adpellatur, *p.* 19. *v.* 5.

(b) *In dolium cadens*) Narrationem hanc, sive, ut nobis persuasum, fabulam, de alio quodam Svecorum rege, Fiolnero, Snorro Sturlaeus habet, Hundingo certe non convenire Torfaeus putat, cum eo nomine nullus Svecorum genti cum regia potestate praefuerit. *Ser. Reg. Dan. p.* 263. *seq.*

(c) *Frotho I.*) Collatis, quae de hoc principe, fide Saxonis Grammatici, narrantur, cum scriptis Islandorum, patebit ipsum ad tempora longe seriora detrudendum esse, atque hunc primum Saxonis Frothonem plane desumtum esse ex Islandorum Frothone sive Frodio IV. cuius aetas ad medium seculi IV. post Christum pertinet. Atque hic filium Haldanum habuit, nepotesque Roarum, & Helgium; hic & varia perpetrasse scribitur, quae in huius Frothonis I. vitam a nostro, Saxonem exscribente, congesta. Vid. Torf. Ser. p. 254. s. 268. 283. & 286.

(d) *Draco, quod piratae nomen*) Saxo, non illepido carmine hanc fabulam persequutus, *implicitum gyris serpentem* vocat, *crebrisque reflexum orbibus*, ex superstitiosa veterum opinione, de draconibus auro incubantibus. Vnde istud de pirata a Meursio inventum, eorum praesertim in gratiam, qui fabulas in Grammatici opere volunt ex allegorico genere esse, verasque saepenumero historias involuere.

in Ruthenos tendit: apud quos pirata summus, Tranno, mare infestabat; & hos quoque, missis qui de nocte naves perforarent, dolo superat: ac, tributo imperato, mox in Daniam regreditur; sed haud diu quievere, & legatos ad tributum, quod negabant, exigendum cum e medio sustulissent, iterum in eos Frotho arma capere est coactus; itaque reductis copiis, urbem Rotalam arcte cingit: alveoque fluminis praeterlabentis derivato, mox in potestatem redigit, inde in Peltiscam fertur; ac, invictam quum videret, astu usus, etiam capit; loco se secreto abdens, obiisse vult videri, & dispergit mortis famam: addunt milites exsequias, exstruuntque monumentum; quo accepto oppidani, ceu discrimen nullum aliud, hoc sublato, superesset, iam securi, & excubias negligebant, & in luxum vertebantur, idque gnari obsessores, urbem invadunt, ac diripiunt: & Vespasium quoque regem inter lusus, atque pocula, interficiunt. Hinc in orientem versus, urbem ad Hellespontum Dunam (a) acri obsidione premit. Rex illius, Handuanus, ab Hadingo pridem patre superatus, atque vectigalis factus, iam tributum recusabat: eaque bellandi causa, & Handuanus, memor doli, quo Hadingus superasset, hirundines, quaecumque in urbe, caedi iubet: neque tamen sic evadit; quippe Frotho, immisso milite, nimia temeritate, neque regi usurpanda, vestem muliebrem sumit, urbem intrat, & explorat: tum emittit, qui abducat militem suum, multa nocte irrupturum; ita fit, & urbs opprimitur. Handuanus, ut se iterum captum videt, nec spem evadendi esse, ne cum urbe opes quoque in manum hostis pervenirent, in navigio impositas, mari adiacenti mergit: at victoria moderate Frotho utitur: Handuani filiam uxorem capit; atque ipsi libertatem, & regnum, reddit. Sed, dum ille foris hostem debellatum admodum benigne habet, domi turbae a sororibus concitantur, quarum altera, Suanthuita, quae Regnero, Hundingi filio, eo absente, & inconsulto, sponte nupserat, suadet coniugi, uti sibi regnum Sveciae vindicaret: altera vero, Vlvilda, antea Hadingo patri insidiata, incitat maritum Vbbonem, cui Daniam abiens Frotho commendaverat, uti illam occuparet. Hac defectione Frotho utriusque irritatus, primo in Regnerum tendit; quo accepto, Suanthuita, iustis copiis, quas opponeret, destituta, ut leniret fratris animum, adit eum; &, demissa oratione adloquuta. *Nosse*, ait, *quum abire in Ruthenos, quod nubendi, cui vellet, potestatem concessisset, ac Regnerum elegisse, Hundingi filium, genere, & virtute, parem: non ceu regnum adfectaret, verum quia is prae ceteris animo suo placuisset; quando autem in marito capiendo nil peccasset, neque se indignum quidquam admisisset, oratum summo opere velle, uti ratum matrimonium esse cupiat; ac, si ita rebus suis expedire videatur, non gravate cum marito excessuram regno esse*. Quibus verbis motus Frotho, & delicti gratiam facit; &, Regneri matrimonio adprobato, regnum item Sveciae donat, titulo clientis deinceps, sicut ab Hadingo patre pridem, Hundingus, eius pater, accepisset, possidendum. Hinc in Daniam, ut reprimeret Vbbonem, & Vlvildam, sese confert: ubi occurrere ausus Vbbo, uno praelio superatur, veniamque a victore item impetrat. Magna certe in Frothone bonitas naturae erat, animique excellens quaedam magnitudo: qua obstringere beneficiis, quam suppliciis coercere; & ignoscere, quam punire hostem, mallet; sed, qui sciret, boni maxime regis esse, veniam delictis dare, illud etiam probe noverat, pariter prudentis esse, providere, ne deinceps quis delinquat; neu cogatur, aut severe animadvertere, aut periculose simul, temereque, condonare; itaque, ut conatus novos prohiberet, adimit Vbbonem coniugem, & dat Scotum (b), virum illustrem, ac perspectae dudum fidei; quumque etiam hunc tentaret, atque is constanter recusaret facinus, necem ipsi machinatur; qui, edoctus a pedisequa, ut averteret periculum, ea nocte, qua patranda caedes foret, loricatus, positisque iuxta armis, lectum adscendit: &, Vlvilda interrogante, quid armatus praeter morem ad se accederet, ita visum esse, inquit; ac, quum mox sicarii ingrederentur, dormientem, ut putabant, oppressuri, lecto illico desiliens, arma capit; & adgressus irruentes, omnes caedit, quod Frothoni postquam nuntiatum esset, & reduci is sororem, tertium iam perduellem, ad bonam mentem umquam posse desperaret; neque tamen, quod meruerat, e medio sublatam vellet; removere quam longissime e conspectu satis habens, eam, ac maritum Scotum, multis opibus donatum, & pollicitum in obsequio semper fore, tum obstrictum iuramento, in Scotiam abire iubet, atque illic habitare: vel tum animum inducens princeps optimus, exsilio potius, quam supplicio, pessimam sororem adficere: ac ne illud quidem ipsum, ut puniret; sed consilia detestanda, & nocendi potestatem, ut huic eriperet, se periculo liberaret. Quae in Dania quum gessisset, ad Vitthonem compescendum proficiscitur; is in Frisia maiori cum piraticam exerceret, ingens Danis mercatoribus detrimentum adferebat; itaque, ut prohiberet, ac commercia vindicaret, copias in eum ducit: atque, nactus occurrentem, conquiescere suos iubet, clypeisque se protegere, donec tela hostes omnia exhausissent; ac tum demum impetum in illos facere; quod quum fieret, nullo negotio superati, fugam capiunt; atque ita victor Frotho, rebus illic pro arbitrio constitutis, mox Saxoniam, quae tributum, a Scioldo olim rege imperatum, recusabat, & adgreditur, & reducit ad obsequium. inde in Britannos movet; ut rebellione pares, ita clade: obviumque regem Dalemannum habens, una

(a) *Vrbem ad Hellespontum Dunam*) Hellesponti adpellatio in historiis nostris, quatenus Saxonis Grammatici auctoritate nituntur, haud nimis rigide urgenda. Plerumque enim Thraciae aliqua pars indicatur: monente Stephanio, *not. ad Sax. pag.* 49. *a.* Ceterum eamdem urbem *Dunam* supra nominatam habes, in Hadingi historia, pag. 4. v. 20. ubi in Thracia situs eius ponitur.

(b) *Scotus*) In Saxone *Scottus* scribitur, saepius.

una cum pugna sternit: post quae, insulam pervagatus, copias in Scotiam ducit: quum instare Dalemannum, viribus redintegratis, nuntiatur. itaque, eodem tempore cum duobus simul hostibus decertare inconsultum arbitratus, alterum adgrediendum arte statuit: mandat sarcinas abiicere, & quamcumque supellectilem: in quam dum intentus hostis spolia opima legeret, facilem victoriam fore; ac, Torkillo quamvis admodum renitente, obsequutus tamen miles, iussa regis sine ulla mora facit. aderat mox Dalemannus; &, obiectam praedam videns, statim dolum intellegebat: itaque hortari suos; *abstinerent, donec hostem insidiantem superassent; praedam certam, & in manibus; victoriam, incertam esse; itaque pugnarent prius, vincerentque, tum secure, quod nunc cum periculo velint, collecturos.* Interim Frotho, Scotiae ingressus fines, eos diripit: obviumque cum auxiliis Scotum habens, pridem eo ablegatum, bellum persequi, & subiicere gentem, iubet: ipse, in Britanniam reducit copias; & onusto spoliis hosti superveniens, eum opprimit, ac prosternit: & Londinum, urbem insulae primariam, fugientem Dalemannum arcte obsidet; quumque expugnare haud posset, iterum ad dolum versus, sicut antea in Russia, mortem fingit, & in vulgus spargi iubet: tum & pacem suos petere, ac deditionem offerre Dalemanno, si permittat novi regis eligendi potestatem; qua concessa, quum in urbem bonam partem copiarum admisisset, illa capitur, ipse in tumultu occiditur. Ita victor, & in Daniam reversus, quum labore militari fessum Status recreare statuisset, epulumque adparasset, ad certamen singulare ab Hundingo, & Haquino, provocatus, ambos caedit: hinc insidiis petitus a duobus e cubiculi ministris, sceleris mox cogitati manifestos, adligato ad collum saxo, abiici in mare praecipit. Per hoc tempus etiam Vlvilda soror vestem donat, nullis armis penetrabilem, qua indutus, quum Regnerum inde adfinem, falso regni adfectati incusatum, bello peteret, inter viam, pondere & aestu pressus, simulatam semel iterumque mortem tamdem obit: rex iustitia, moderatione animi, ac clementia, bellicaque fortitudine, nullo minor. Liberi ex Handuani filia tres ipsi nati; Haldanus, Roe, Scatus, quorum maximus,

HALDANVS, (a)

nullo modo patri similis, ut regnare solus posset, fratribus per summum scelus interfectis, regnum invadit: nec contentus, illos quoque, qui faverent interfectis, ne restarent, quos deberet formidare, graviter cruciatos, tollit: eo uno admirandus, quod infamem, omnibusque detestandam, vitam illam, inter tot continua crudelitatis exercitia, & perduxerit ad extremam senectutem, & tranquillo item fine terminaverit. Moriens, ex matre incerta, filios reliquit duos; Roe nempe, & Helgonem: vere fratres, & amore mutuo inter se claros. quippe

ROE (b)

aetate prior, ideoque regno propior, quum id solus totum sibi vindicare potuisset, raro exemplo, cum Helgone est partitus: ac, retenta sibi terra, maris potestatem tradidit. Erat autem animus illi in pusillo corpore magnus, & iustitiae observans; itaque & leges Danis primus tulit; quum ad illud usque tempus unusquisque suo potius arbitratu ius, quam ex praecepto, diceret. Vrbem quoque condidit in Sialandia; quam Roschildiam, a se, & insigni fonte, qui & hodie illic exstat, adpellavit. Inter ista, cum Regnerus, vita excedens, Sveciae regnum, quod Frothonis beneficio obtinebat, filio Hotbrodo traderet; atque is clientis nomen apud Roe profiteri detrectaret, ac pro rege, Daniae nequaquam obnoxio, sese gereret, insuper lacesseret bello; ille obviam contendens, tertio praelio superatur, & occiditur. Quam ob causam antea divisum regnum,

HELGO, (c)

universum accipit. Hic a fratre, uti dixi, imperium maris consequutus, illud quoque ad orientem est, Balthicumque nuncupatur. totum sibi mox subiecit: tum ubique stationes, quo recipere sese posset, communivit: & ab eo, longo temporum successu, reges Daniae tenuere. Albim quoque classe invectus, in Saxoniam, saepe Cimbriam populantem, arma intulit: quaeque acceperat damna, reddidit. tum Hundingum, eius regionis principem, cum exercitu occurrentem, in duellum provocavit: ea lege, uti victi terra omnis in victoris potestatem traderetur; quod Hundingo quum placeret, inita ad Stadium pugna, superatum ipsum Helgo & occidit (d), & Saxoniam, ut convenerat, suam fecit: posuitque illic legem, ut, ingenuum, aut libertum, qui occideret, pari modo plecteretur. Hinc in Cimbriam regressus, Saxones, qui hanc invaserant, pellit omnes, Daniaeque eam suae rursum addit; inde in Scalcum, Vandalorum regem, movet: ac navali praelio victor, quum in Thoram insulam reflecteret cursum, virgini illic rusticanae stuprum infert, & ex ea filiam mox Vrsam tollit; cum qua ipsa etiam con-

(a) *Haldanus*) Expungunt Haldanum Regem hoc loco Annales Illandorum, ac, sub Halfdani II. nomine, infra Frodium suum IV. detrudunt, cuius etiam filium fuisse statuunt.

(b) *Roe*) Ipse pariter ad longe recentius aevum pertinet, & quidem, ex calculo Torfaei, ad ann. Christi CCCCLX. Illandis adpellatur *Roar* vel *Hroar*, qui cum in Britanniam transfretasset, ducta ibi Nordrii, Northumbriae regis, filia, Ogne nomine, non reversus sit in Daniam, sed imperium avitum fratri Helgio cesserit. Torf. *p.* 287.

(c) *Helgo*) frater Roi, vel Roaris, etiam Illandis habitus: qui, fratre in Britannia regnum adepto, solus in Dania regnavit. Plura de utroque Torfaeus l. c.

(d) *Hundingum pugna superatum occidit*) Hic graviter erratum, Torfaeum si audiamus: qui Saxonem adfirmat diversos homines propter nominum similitudinem confudisse. Non fuit, inquit, iste Helgius Halfdani filius, a quo Hundingus occisus, sed alius quidam, Sigmundo Volsungio natus, qui ulturus parentis caedem, Hundingum, celeberrimum Regem, gladio interemit, quindecim tunc annorum adolescens, atque ob hoc factum Helgii *Hundingsbanii* cognomine celebris. *Bane* enim caedem, vel interfectorem notat.

congressus postea, turpiter virginitatem dudum ereptam matre ulcisci cupiente, filium Roluonem gignit (a), mox in regno successurum. Nece fratris intellecta, arma in Hotbrodum parat: &, si quid adversi forte eveniret, ut successor sibi certos superesset, nondum puberem Roluonem in tutorum manus tradit: qui in Lethra eum arce, regum per id tempus sede, summa cura adservarent. Quibus ita constitutis, mittit qui Hotbrodi duces, arces aliquot in Scania limitaneas tenentes, manu valida exsturbarent; ipse, clam in hostem ducit: ac congressus, victum caedit; inde, fratris Roe nece adsperatus, nimio in hunc adfectu, legem in Svecos admodum crudelem statuit (b): ac permittit, ut impune, quisquis Danus, quavis causa, hos occidat. tum Atislum, Hotbrodi filium, imperato, quod is pridem recusaverat, tributo, regno imponit. Inde, sive rerum taedio, sive animi dolore, ob incestum intellectum, morte ignobili decedit: vel, ut alii sunt auctores, ipse sibi manus infert (c). Erat rex, amore in fratrem, ac virtute militari, praedicandus: nisi laudem hanc libidine, ac saevitia, minuisset. Reliquit unam ex Thora Vrsam (d): & ex ea, incesto, uti dixi, coitu, filium Roluonem; filiasque, Rutam, & Sculdam. Mortuo successit

ROLVO: (e)

qui opprobrium nascendi maxima virtute extinxit. Arma nulli foris intulit, ut servaret pacem domi: quam nonnumquam, dum abessent, aliis turbatam sciret Dum quiete sua fruitur, filius Hotbrodi Atislus, Sveciam Helgonis beneficio tenens, ut tributi onere se liberaret, per legatos matrem Vrsam uxorem petit: arbitratus, in adfinitatis gratiam facile remissum iri. Sed, adeptus matrimonium, admodum avarus princeps, sordide uxorem habet, neque ut regina dignum, quod cum illa aegre ferret, ac divortii causam quaereret, callide hortatur virum, ut Roluonem in Sveciam invitet blande: ita fore, ut benignius gratiam tributi faciat. Atque is praetextus erat: sed revera hoc agebat, ut occasione ista uteretur, & cum filio recedente in Daniam redire posset. Nec difficilis hic Roluo; cum exiguo comitatu matrem visit, & Atislum: qui benigne excipit advenientem, ac muneribus multis donat. tum & blande obtestatur, ut tributum, non tam grave, quam probrosum, saltem matri condonaret. Roluo, caussa invitationis eius intellecta, tertio, quo venerat, die abitum parat, atque instigabat mater; de Atisli avaritia, quam haud ultra tolerare ipsa posset, in maiorem modum querens: tum & orans, ut in Daniam reduceret, comitemque itineris se pateretur; quod cum Roluo haud gravate indulgeret, clam ex aula se subducens, & sequentem cum ingenti equitatu, auro per viam obiecto, remorata. filium in Daniam regredientem comitatur, Sed Atislum mox Biarco, praelio superatum, caedit: is, militiae laude clarus, a Roluone matrimonio sororis Rutae honestatus erat: itaque Vrsae, socrus suae, contumeliam ad se pertinere ratus, eam vindicandam statuit. In Atisli vero locum, Hiartuarus constituitur; cui uxorem Roluo Sculdam, alteram sororem dederat. Iamque Roluo alta pace fruebatur, quum insidias Hiartuarus (f) illi struit: seu ambitione sua, sive coniugis impulsu, quae fraternum ipsa regnum adfectabat. Iam tributi exsolvendi dies venerat; quam facinoris audendi pulcram occasionem putans, naves parat, & imponit cistas plures; non tributo, quod videri cupiebat, oneratas, verum armis: inde comites adiungens, ad extrema quaeque promtos, Daniam petit; & in ea arcem Lethram (g), regis sedem; ubi exceptus perbenigne a Roluone, nulla iuris hospitalis reverentia, eum obtruncat: ipse quoque a Wiggone (h), maximae virtutis viro, fideique in Roluonem praedicandae, die postero interfectus. Erat Roluo princeps longe laudatissimus: quem virtutes, rege dignae, plurimae condecorabant (i). belli fugiens, pacem amabat:

(a) *Cum filia Vrsa congressus, filium Roluonem genuit*) Exstat *Hrolfi* (vel *Roluonis*) *Krakii* historia, olim peculiari libro conscripta ab Illando quodam, qui Magistrum Gualterum se nominavit, ubi eius ortus sic enarratur: Helgo Olufae, Saxonum Reginae, stuprum vi intulit, atque ex ea filiam subscepit, Yrsam dictam. Haec quum a matre nimis negligenter haberetur, a patre Helgone, generis illius inscio, rapta est, & compressa. Ex incesta illa copula natus Roluo, Krakius postea dictus, eamdem & matrem & sororem habuit. Tamdem Yrsa, suae cum Helgio cognationis certior per matrem facta, ab eo digressa est. Cuius abitum adeo aegre tulit Helgo, ut domunculae, velut carceri, sese includens, hominum commercio renunciaret. Haecque non adeo multum ab iis, quae de Helgone a nostratibus tradita, abludere videntur.

(b) *Legem admodum crudelem statuit*) Legem istam historicorum Svecicorum nonnulli fingunt enato inter duo regna, Dansae & Sveciae, ac postea inveterato odio primam causam dedisse. Loccen. *lib.* 1. *p.* 13. *edit. in* 4.

(c) *Vel, ut alii &c. ipse sibi manus infert*) Exstat tamen, praeter modo memoratam, alia de exitu vitae Helgii traditio, quod scil. in Svecia ab Adilse rege (quem noster Atislum adpellavit nuper) caesus sit.

(d) *Ex Thora Vrsam*) Sveci Vrsulam nuncupant, vid. Loccen. *p.* 13. Illandi, ut diximus, Yrsam, matremque, non Thoram, sed Olufam.

(e) *Roluo*) Animadvertimus, de hoc & praecedentibus quatuor Regibus, nullam admodum inter nostros (hoc est, Meursium, Pontanum, Wisfeldium, numquam aut certe perraro, a Saxone Grammatico discedentes) & Illandicos controversiam esse, nisi de tempore. Si enim calculo Saxonis computemus, regnaverit aliquot ante Christum seculis Roluo; sin vero Illandorum chronologiam praeferamus, habebimus eum integris mille annis iuniorem, in fine demum quinti post Christum seculi collocandum. Atque pro posteriore sententia series ipsa generis, ab Odino usque derivata & contexta pugnat; ab hoc enim deastro, vel heroe, directa, ut loquuntur, linea, Roluo supra decimum quartus descendit. Hoc vero, atque plura, demonstratum ivit Thoram. Torfaeus, cum in *Serie Regum pag.* 287.-89. tum in peculiari libello, quo *historiam Hrolfi Krakii* comprehendit, ex Illandicis monumentis desumtam, ac anno MDCCVII. Hafniae editam. Etenim plures Roluones fingere (si quis eam fortassis conciliationis viam tentare velit) non succedit; adeo multa sunt, & in nominibus, & in factis, rebusque gestis, inter Saxonis Roluonem, & Illandicum hunc consentientia; ac in quibus maiorem Torfaeus sibi videtur caussam, Saxonem Grammaticum laudandi, quam in ullo ante enarratorum Regum, invenisse. Vid. *Ser. Reg. p.* 288. *Hrolfi Krakii Histor. p.* 19. 20. it. *Praefat.* eiusd.

(f) *Hiartuarus*) in Illandorum libris vocatur *Hiorvardus*.

(g) *Arcem Lethram*) Huius arcis, in Sialandiae fere meditullio sitae, atque in tantum olim celebris, ut inde Daniae reges saepe in antiquissimis monumentis nominati sint reges & domini Lethrarum, topografiam nobis dedit diligentissimus Stephanius *notis ad Saxon. Grammat. p.* 75. Quod vero ad adpellationem istam spectat Regum Lethrensium, videtur haec eo respexisse, ut discernerentur ab eis, qui in ceteris regni partibus dominabantur, regulis Iutiae aliisque.

(h) *A Viggone*) non Viggo ille, sed Voggo aut Voggus dicebatur. De quo homine mox plura occurrent dicenda.

(i) *Quem virtutes, Rege dignae, plurimae condecorabant*) Huc per-

bat: qua florere regna quaevis, & constare subditorum publicam salutem, sciret. Etiam munificus erat, ac petentium numquam exspectationem differebat; &, si quid daturus esset, statim dabat: gnarus illud gratius esse beneficium, quod non diu exspectantis spem torqueret. Percunctanti aliquando, *quam virtutem ceteris praestare duceret; patientiam*, respondit; quippe sic existimabat: bono principi, ad rempublicam gubernandam, nihil magis patientia opus esse. Ad insignes animi dotes, corpori statura ingens, & heroica [a], dignum illis domicilium, accedebat: ideoque vulgo Krage cognomento dicebatur

HOTHERVS [b].

Post Roluonem interfectum, traditur Hothero regnum, Hadingi ex filia Suanthuita pronepoti. Is a patre in Norvegiam puer missus, a Gevaro illic Rege postquam educatus esset, ad Roluonis caesi famam, eius suasu, & auxilio, classe instructa, Daniam petit; &, Isoram ubi mox adplicuisset, proximum Roschildiae portum, iuxta Regum sedem Lethram, quum adventus sui causam optimatibus indicasset, regnum accipit; quo potitus, in Norvegiam regreditur, filiamque alumni Regis, Nannam, in uxorem ducit; atque Balderum rivalem, ab Othino oriundum, una cum Geldero Saxone invadentem, illo caeso, in fugam agit; unde freto, in quo dimicatum fuit, etiamnum Baldersundae nomen manet [c]; sed is, viribus instauratis, mox revertitur; &, invadens Sialandiam, incolas in Regem ciet. Hic in Svecia tunc agebat; &, ad nuntium recurrens cum exercitu, apud Balderbrundam vincicitur; unde in Cimbriam se recipiens, quo loco hiemaverat, urbem Hadersleviam condit [d]; atque iterum a Baldero illic victus, Sveciam repetit, ubi reparatis copiis, denuo Bal-

pertinet, quod Olafus, Norvegiae Rex, (is, quem in Sanctorum collegium posteritas retulit, & cuius memoria in *Actis Sanctorum* ad d. XXIX. Iulii amplissime illustrata,) cum interrogaretur, quemnam priscorum Regum vellet prae ceteris aemulari? Rolfum Krakium, responderet. Et in *Rolfi historia*, quam seorsim evulgatam diximus, refertur de sene quodam in Svecia, filiis suis, egregiis viris & militiae claris, sed qui ab taedium patriae regisque sui quaerere novum dominum constituerant, his verbis consulente: „ Rolfum, Helgii filium, „ in Dania regnare, seculi sui decus; eum esse in cuius satel- „ litium adsci honorificum ipsis foret: esse namque sapientis- „ simum, utpote qui, omnibus vicinis regibus subactis, securi- „ tatem sibi, subditis etiam felicitatem, opes, & rerum omnium „ abundantiam, talium opera & ministerio conciliasset: praeterea „ accessu facilem, colloquio blandum, vultu adfabilem, forma „ elegantem, iustitiam clementia temperantem, in eligendis ami- „ cis providum, retinendis constantem, ornandis donandisque „ profusum, in promissis fidum, liberalitate & magnificentia in- „ comparabilem; manu promtum, legum severum vindicem, „ praevaricatoribus difficilem, iniuste adflictorum perfugium & „ praesidium, hostibus formidabilem, nulli magis, quam vitiis „ inimicum: his virtutibus nominis sibi immortalitatem & aeter- „ nam ad posteritatem memoriam comparasse. „ Haec ad verbum copiose adeo excepimus ex laudato libro, saltem ut inde iudicaretur ac constaret, maiores nostros, in describendis temporibus versantes, nondum aut religionis aut morum cultu illustratis, etiamsi parum amoenas subinde narrationes habeant, tamen non ubivis lectorem frustrari, ac, si non alia, virtutes certe, quae ad optimum componendum principem, officiumque regis pertinerent, non male cognovisse.

(a) *Corporis statura ingens & heroica*) Ita quidem non solum Saxo Grammaticus, sed etiam Illandica illa Rolfi historia, *cap.* XXII. *pag.* 147. eum nobis descripserunt. Sed plane eius contrarium habet Edda *Mythol.* LXIII. cui discrepantiae sine dubio locum dedit narratiuncula de cognomento *Krakii*, deque occasione, qua illud Rolfus acceperit. Saxo Grammaticus historiam his verbis refert: *Adolescens quidam, Woggo nomine, corpoream Roluonis magnitudinem attentiori contemplatione scrutatus, ingentique eiusdem admiratione captus, percontari per ludibrium coepit, quisnam esset iste* Krage, *quem tanto staturae fastigio prodiga rerum natura ditasset? Faceto cavillationis genere inusitatum proceritatis habitum prosequutus. Dicitur enim lingua Danica*, Krage, *truncus, cuius semicaesis ramis fastigia conscenduntur, ita ut pes praecisorum stipitum obsequio perinde ac scalae beneficio nixus, sensimque ad superiora provectus, petitae celsitudinis compendium adsequatur*. Neque abludit vitae regis Illandicus, quem dixi, scriptor. Contra Edda ita rem narrat, ut necesse sit, nomen *Krakii* nequaquam *trunci* aut *perticae* significatu, sed vel *cornicis*, vel *pusionis* accipere, modo Eddae sit fidendum. Est igitur vocabulum istud πολσημον, potestque tria illa pariter indicare in vetere dialecto; cum non nisi *cornicis* notionem in hodierna lingua Danica servaverit. Verba Eddae: *Rex quidam Daniae Hrolfus Krake dictus est, Regum priscorum, propter liberalitatem, fortitudinem, ac modestiam celeberrimus. In eius aulam adolescens pauperculus aliquando venit, nomine Voggus, regem fixis intuens oculis. Cui rex: quid, inquit, adolescens, vis effari, quum ita me attente contempleris? Tum ille: Domi meae audivi, Rolfum, regem Lethrae, maximum esse hominum totius septentrionis; sed iam in solio sedentem video parvum* Kraki (h. e. *vel cornicem, vel pusionem aut adolescentulum;*) *Tunc Rex: At tu, iuvenis, cognomen mihi primus dedisti, ut posthac Hrolfus Krake adpeller. Et quoniam moris est, ut cognomina dono aliquo confirmentur, te vero, quod dones nihil habere video, aequum esse arbitror, ut qui habeat, is etiam donet, quo dicto, detractum digito annulum aureum Voggo obtulit. Qui liberalitatem regis admiratus: Gratias habeto, inquit, Regem fortunatissime: Ego vero vicissim hoc me voto obstringo, ut, quicumque vita te privaverit, mea dextra occidatur. Respondit Rex subridens: Voggus ex eorum est numero, qui exigua re exhilarantur*. Addimus, eumdem fuisse hunc Voggum, qui Rolfi postea caedem strenue sit ultus, quemque & Pontanus & Meursius noster Viggonem nominant per errorem. Sed & a Saxone Grammatico dissentientes in eo sunt Illandi, quod ille Hiarvardum Hrolfo superfuisse, & a Voggo interemtum narret: hi vero tradant, eadem pugna, qua Hrolfum adortus, Hiarvardam periisse, sed relictam eius coniugem Skuldam, quae maritum adversus Hrolfum concitaverat, post exiguum aliquod tempus a Voggo captam esse, variisque suppliciorum generibus adfectam. Denique, ad vocabulum *Krake* ut revertamur, si quis plura de eo velit, inveniet animadversione haud indigna, in egregio opere Thomae Bartholini iun. *de Contemtu mortis apud veteres Danos lib.* III. *cap.* III. *p.* 671.-74.

(b) *Hoterus*) Post Rolvonis, seu Rolfi mortem, brevisque ab insequuta Skuldae caede coepisse interregnum aliquod, seu regulorum plurium regimen in Dania, Islandi statuunt. Tales in provinciis regulos nominant, *Hakium*, in *Pseudo-Erici Regis Chronico* inter Reges Daniae numeratum,) & *Haraldum Grandaevum* in Scania, *Frothonem VI*. Lethrae, in parte Sialandiae *Roidarum*, & qui eum occidit *Hiosleifum Mulierosum*. Alibi *Eysteinum*, *Svenum Victoriosum*, *Solvium*. In Iutia *Heidsecum Ulfhamum*. Sic vero nullus locus sit reliquus Hothero, quem tamen hic *Meursius*, aliique; auctoritate Saxones, tamquam totius Daniae Regem, collocant. At fuit Saxonianus ille Hotherus-Rolvone aliquot seculis antiquior; imo antiquior ipso Hadingo, cuius tamen pronepos hic statuitur; eiusdem scilicet cum Odino, & Baldero aetatis, atque Asarum, qui septentrionem nostrum cum Odino occuparunt, unus. Cuncta vero argumenta producere; quibus & hoc conficitur, & delendum esse e numero Regum nostrorum consequatur, neque locus patitur, neque, ut puto, opus fuerit. Vid. Torf. *Ser. pag.* 293. 301.

(c) *Etiamnum Baldersundae nomen manet*) Pariter, ante *Meursium*, Pontanus, *pag.* 18. uterque sequutus *Pseudo-Erici Regis Chronicon* in Danica lingua *Sund* fretum dicitur; ergo *fretum Balderi* exponendum erit *Baldersunda*. Verum Saxo Grammaticus non *fretum* adpellavit, sed *portum*, *lib.* 3. *p.* 41. *Testis belli, portus. Balderi fugam vocabulo refert*. Quod brevi post sequitur *Balderbrundae* nomen, notat *Balderi puteum*; estque pagus medio Hafniam inter Roschildiamque itinere. Vid. Stephan. *pag.* 95. *a*.

(d) *Hadersleviam condit*) Voluit fortassis dicere *Hothersnesiam*; debuit vero certissime. De hac enim intelligendus Saxo, *pagin.* 42. *v.* 38. *quum in Iutiam concessisset* (Hotherus) *vicum, in quo manendi usum habuit, nomine suo nuncupandum curavit*. Et Erici Regis Chronicon: *Ab ipso Hoter villa Othera dicta est*. Neque enim potuit hoc loco *Meursius*, nisi errore nimis manifesto, de Hadersleviae origine referre, etiamsi alios eiusdem sententiae auctore habuit; quippe quam inferius. Hatero, Cimbriae Regulo, quem Haraldus III. Hyldetandus armis superavit, adscribit. Neque suffragium iuvat Loccenii, qui pariter *Histor. Svecanae lib.* 1. *pag.* 15. Hotherum conditorem facit Hadersleviae, quasi oppidum illud dictum fuerit olim *Hoterslevia*. Nam Loccenium plurimum tribuisse *Meursio*, eiusque saepenumero auctoritatem sequutum esse, qui utrumque legerit, observabit. Ceterum Io. Suaningius Iun. istud de *Hothernesia*, & *Haterslesia* in dubio relinquens, *pag.* 35. & *pag.* 50. attentionem non meretur.

Balderum adgreditur, & profligat, iuxta Runam [a], assitum Roschildiae pagum; unde ludus, etiamnum in tota Dania usitatus, quem adpellant Balderrune, nomen traxit. Huius caedem ulcisci cupiens frater Bous, quum infesta arma inferret, & huic obviam ire vellet, de Gevaro, Norvagiae Rege, a Gunnone regni satrapa, per insidias intercepto, ac cremato, nuntiatur; itaque, omisso eo, in Norvagiam iter capit; & Gunnonem comprehensum igne itidem, sicut is Gevaro fecerat, vivum exsurit; filiisque, in altoris patris gratiam, educationis praemium, regnum reddit. Hinc in Daniam reversus, coercere Boum statuit; sed prius quam in illum ducit, fati providus, convocatis optimatibus, filium Roricum sistit, postulatque; *ut hunc sibi, si humanitus quid eveniat, successorem esse velint: iam aetatem inclinare; neque vitae, etsi bellum semper anceps, recte cadat, multum adeo restare; insuper expedire Regno, ne successor in incerto habeatur, meliusque spes immodicas aliorum cohiberi; si, quae peteret, concedant, mortem minus gravem fore.* Nec displicuit oratio; &, in filium postquam omnes consensissent, alacer in pugnam exit, caediturque; princeps bonus, ac non una laude clarus. Victo, & occiso, Hotero, regnum occupavit.

BOVS [b].

Sed quam diu id tenuerit, quidve post hoc tempus gesserit, aut quo modo vita excesserit, ignoratur. Eo sive mox eiecto, sive mortuo, nam Historia nihil tradit, filius Hotheri.

RORICVS [c],

cognomento Slingebondus, adolescens regnum accipit; quum aetatem adspernatae tributariae ditiones, Curolandia, Svecia, Vendia, de excutiendo iugo inter se consilium capiunt; quod Rorico postquam gnarum, opprimendum, antequam se confirmaret, hostem ratus, illico paratis copiis, abditos in Sveciae littore Vendos caedit, quosdam in interiores portuum recessus agit; qui, suorum strage territi, nec pugnare ultra ausi, quum se etiam magis abderent, atque bellum traheretur, tamdem e navibus miles prodit, vasta corporis statura, nec magiae imperitus, & ad pugnam sese offert; tum conditionem statuit, si superior evadat, ut immunes a tributo sui forent; si vincatur, porro debeant; neque deerat inter Danos, qui capescere pugnam auderet; etsi animo meliore, quam eventu; nam congressus, postquam leve hosti vulnus inflixisset, ipse graviore saucius, mox collapsus, vitam in arena perdit; sed postridie, cum fiducia victoriae animum efferret Vendus, iterumque ad classem accedens adversarium postularet, prodiens in eum Vbbo, vir intrepidus, post ancipitem conflictum, valide pugnantem sternit; ita tamen, ut, victoriae vix superstes, ipse etiam concideret. Quibus gestis, Vendi, de eventu belli omem quoddam ex hac militis sui pugna capientes, arma ponunt; & tributum, quod negarant, pollicentur. Ante pugnam, Rex victori praemium promiserat virtutis suae, sex argenteas armillas, quas cum Vbbo apud quemdam militum deponi vellet, is traiicere colligatas statim in ipsius navem conabatur; sed, deficiente iactu, illae in subiectum mare decidebant; atque inde Slingebondi cognomentum est adeptus. Vitae finis, in incerto est. Et successit

HORVENDILLVS [d],

Rex a Cimbris constitutus. Coniugem Gerutham habuit, filiam Rorici Regis, de quo dixi: ipse filius Gervendilli, Cimbriae per id tempus praesidis, tunc virtute militari, ac Colleco Norvagiae Rege [e], pugna singulari victo, & occiso, perillustris. Plurima praeclare gessit; &, victoriis celebratus, per invidiam a Feggone fratre occiditur. Filium reliquit unum, cui Amletho nomen erat; isque, patris caedem ultus, postea & patruum e medio tollit, & paternum Regnum tenet. Itaque, quum sine prole mascula Roricus pridem decessisset, generumque item eius Horvendillum Feggo frater, per insidias circumventum, scelerate substulisset,

FEGGO [f],

Sceptrum consequutus, non contentus illo scelere, aliud addit; & Gerutham, eius toro viduatam, sibi iungit. Sed, flagitiorum poenam, ut non semper differt Deus ita, neque

(a) *Iuxta Runam — unde ludus Balderrune*) In his etiam error. Pro *Runa* enim scribendum *Tuna*. Sed seduxit *Meursium* illud, quod sequitur, ludi nomen, *Balderrune*. Quod compositum videns ex *Baldero*, & *Runa* (quasi *Balderi incantamentum* dicas) arbitratus est *Tunam*, pagi rustici in Sialandia nomen, eodem pertinere, atque ab aliis vitiose scribi per *T*.

(b) *Bous*) Nequaquam Saxonis nostri auctoritate factum, quod inter Daniae Reges *Meursius* Boum reposuerit, utpote quem Saxo, post interemtum Hotherum vulnerum dolore confectum dicit, atque postridie exspirasse. Praeferebat vero noster hoc loco, ut alias, Saxoni *Chronicon* Erici Regis, in haec legerat: *Hither occisus est a Boyo Rege Svetiae, qui etiam post eum regnavit*. *Boum* vero, in Edda, & Islandorum scriptis, diverso nomine *Valium* nuncupari, docet Torfaeus *Ser. R. D. pag.* 300.

(c) *Roricus*) Islandis quidem hic notissimus, nomine *Henereci Slanguanbaug*, non tamen pro Rege, sed uno tyrannorum, seu polyarcharum Daniae adgnitus tempore interregni post Rolfi Krakii necem. Neque in Islandorum serie, filius est Hotheri, sed Halfdani III. ac nepos Frothonis, seu Frodii VI. gener autem magni, & memorabilis Regis *Ivari Vidfadmii*; de quo aliquando inferius agemus. Ea vero ratione pertinebit ad seculum VI. iam declinans, seu ad Ann. Chr. DLXX.

(d) *Horvendillus*) Constitutum hunc a parte tantummodo civium Regem a Cimbris scilicet, ne quidem ipse *Meursius* diffitetur; qui illum ex Erici Regis Chronico, (ubi *Orvvendel* nominatur,) atque ex Anonymi *Historia succincta Daniae Regum*, quam edidit Erpoldus Lindenbruch Antuerp. typ. Raphelengii an. 1595. in 4. accepit.

(e) *Colleco, Norveg. Rege*) corrig. Collero.

(f) *Feggo*) Neque hunc quidem Saxo Grammaticus pro Daniae totius Rege habuit, multo vero minus Islandi in Pseudo-Erici Regis Chronico *Foggi* scribitur, & bis quidem. Sed in Anonymi *parva historia Feggo*. Saxo Grammaticus numquam non *Fengonem nominat*; quemadmodum *Meursius* infra; ubi diu ante Roricum fuisse e vivis sublatum scribit. Saxonem sequuntur Crantzius & Pontanus. Witfeldius tamen *Fegge* praetulit, sine *N*. an fortassis, ut facilius crederetur, nomen imposuisse freto, quod *Feggesund* dicimus etiam *Meursio* memoratum infra. *Fengonem* scribit Messenius *Tom. I. p.* 33.

neque diu tenet; caedem Horvendilli patris vindicante mox Amletho. Is, dum a Gerutha matre educatur, ſupra aetatem ſuam prudens, ut ſaevitiam evaderet patrui pariter, vitricique, ad dementiam ſe componere, & iniungere coeno faciam minioque; ut pro morione vulgo cenſeretur; foco otioſus adſidens, uncos etiam fabricare, ac ſeponere; cauſam vero, atque uſum, percunctantibus reſpondere: *ſpicula parare ſibi, quibus olim patris caedem ulciſcatur*. Iſtis verbis quum ſe proderet ſagacibus, ac ſtultitiam illi fictam animadverterent, varie ſuos explorare Feggo iubet, atque erant, qui cenſerent: *facile deprehendi poſſe, ſi in latebris degenti aliquam puellam darent, forma perquam eleganti, quae accendere animum eius in ſe poſset; ſine dubio illam vim amoris fore, ut deponat ſtatim fucum, & oblata voluptate perfruatur*. Nec conſilium diſplicebat; legitur puella quaedam, & in abdito receſſu nemoris cuiusdam ſiſtitur, ubi ſolus colloqui cum illa queat; verum, equum adſcenſurus, & ad ipſam deducendus, magis etiam Feggoni, & adſtantibus, riſum praebet, ac ſe ſtultum eſſe probat; nam obverſus ad poſteriora equi, adripit pro freno caudam; &, in nemus denſum abductus, quum inſidias quidam olim collactaneus, veteris amoris retinens, docuiſſet, eas cavet; quumque fruſtra ea res tentata eſſet, alia excogitatur; ſuadent Regi: *ut longinquum iter ſimulet, & cubiculo uxorem, ac cum ea illum includit; tum clam abdat in eodem, qui auſcultet, quae cum matre verba faciat; etenim, ſi ſapiat, fore, uti matri, nulla ultra ſimulatione uſus, mentem prodat*. Laudat hoc conſilium Feggo, & profectionem ſimulat; ac ſe abdit in cubiculo, qui id ſuaſerat; hinc Amlethus introducitur; iſque, inſidiarum metuens, diligenter loca prius cuncta explorat; quaſſis brachiis, inſtar galli, cantum edens; tum latentem ſubter veſtes corycaeum deprehendens, eum caedit; ac diſcerpit, abiicitque in cloacam, inde matrem adloquutus, eam obiurgat: *quod calamitatem filii fictis lacrimis deploraret, ſe inceſto polluiſset: cui ſceleri verae lacrimae deberentur; ſibi hanc neceſſitatem a fortuna impoſitam eſse, ut praeſidium ab inſania ſimulata vitae caperet; nam tyrannum, qui parentem, fratrem ſuum, nulla plane ratione ſanguinis habita occidiſset, neque ſibi, ſi ineſse mentem ſanam deprehendat, parciturum; hoc praetextu ſe tueri, dum paternam quoque caedem aliquando ulciſcatur, cuius rei, ſi occaſio ſe offerret, non iam ſtolidum ultra fore*. Quibus verbis poſtquam mater priſtinum in patrem amorem revocaſſet, filium quoque miſerata, mox ſilentium rei geſtae pollicetur. Feggo ſimul rediiſſet, ſcire cupidus, quae Amlethus cum Gerutha matre verba habuiſſet, hominem illum, qui ſe in cubiculo eius abdidiſſet, advocari ſtatim iubet; quem quum omnes viſum ſibi ex eo tempore pernegarent, & Amlethus a quibusdam rogaretur, in cloacam deſcendiſſe, & a porcis, ſubtus ſordes depaſcentibus, devoratum illum ait; quod reſponſum, quamlibet confeſſionem veri habens, nihilominus, ceu prolatum ab inſano, magis omnibus ridiculum habitum, quam verum fuit. Nec ſic tamen Feggo ceſſat, & Amlethi evertendi aliud conſilium capit; mittit ad Britanniae Regem, cum duobus ſatellitibus; ac clam mandat, ut e medio illum tollat; ſed Amlethus, rem, ut erat, ſuſpicatus, quum ſatellites in itinere vino, quam largiſſime ſe invitaſſent, & oppreſſi alto' ſomno noctu eſſent, ſedulo marſupia illorum explorat; ac Feggonis literas nactus, quum mandatam mortem ſuam, quod coniecerat, comperiſſet, nomen in his ſuum debet, & ſatellitum reponit, tam induſtrie, ut cognoſci fraus non poſſet; addit porro; *petere Feggonem maxime, uti ſe, virtute clarum, regioque genere natum, perbenevole haberet*; ac Britannus, quum has literas a Feggone accepiſſet, poſtulatis mox obſequitur, & ſatellites ſuſpendit; quod Amlethus, iam depoſita ſimulatione inſaniae, quum apud familiares quaereretur, ceu id etiam metuendum ſibi foret, Rex vocatum multo ſtatim auro donat; tum & plura pollicetur beneficia, ſi in aula permaneret, quae feciſſet, de Feggonis, qui mandaſſet, voluntate facta eſſe. His ſecurior Amlethus, dum in aula porro etiam commoratur, atque Regi mores, ac virtutem probat, filiam uxorem accipit; quo potitus matrimonio, quum in Daniam excurrendi a Rege ſocero poteſtatem impetraſſet, eam ingreſſus, mutat habitum, & inſaniam iterum fingit. Feggo tunc Viburgi agere, & exſequias Amlethi, qui non ita multo ante obiiſſe ferebatur celebrare; & adventum inſperatum, qui intererant, admirati, animis diſtrahebantur; aliis hunc ipſum eſſe, aliis illudere umbram dictitantibus; verum ille percunctantibus vivere ſe ac coram eſſe, cui nunc exſequias agerent, teſtabantur; ac rogatus a Feggone, quid comitibus ſuis factum, quos in Angliam abduxiſſet; baculos oſtendens duos, quos geſtabat, auro liquefacto graves (a), quod Britannus, uti dixi, de occiſis quiritantem cupiens placare dederat; ecce, inquit, iſthic habes, quibus verbis quum in riſum ſolverentur, quotquot aderant, hilare convivium fuit; & Amlethus (b), qui iam animo ultionem agitabat, pro pincerna ſeſe gerens, mixtis per occaſionem multis iocis, ac facetiis, riſum cunctis excitabat; inter miniſtrandum queſtus, ſe non commode ſervire, atque veſte laxiore prohiberi, cingulum a quodam petit, quo adſtringat; iſque, ut maiorem riſum diſcumbentibus commoveret, cingu-

(a) *Baculos, auro liquefacto graves*) Autor hiſtoriae huius, ſeu fabulae (quid enim aliud adpellemus, quam commentum, ſive Islandicum, ſeu Danicum fuerit?) videtur legiſſe narrationem Scriptorum Romanorum de Iunio Bruto, oraculum Delphicum adeunte.

(b) *Amlethus*) Regem Daniae fecerunt Anonymus in *Hiſtoria ſuccincta*, ab Erp. Lindenbruch, edita, & Pſeudo-Erici Regis *Chronicon*. Sed Pontanus *pag.* 20. in *Vigleto*, Witfeldii exemplo eos reprehendit, qui Horvendillum & Amlethum, Iutiae tantum regulos in ordine Regum ponunt, contra Saxonis auctoritatem. Ceterum totum illud, quod de Amletho a Saxone narratur, fictionem ſapit; non quidem eius Hiſtorici, ſed Islandorum veterum, a quibus hoc multaque id genus ei communicata. *Amlode* hominem fatuum, ac ſtupidum etiam Islandi hodierni vocant, ac in priſcis carminibus idem obſervatur.

cingulum dat, & oblongum ensem addit; quo subinde cum districto summos digitorum articulos sauciaret, ne id facere ultra posset, figi in vagina eum, clavo iniecto, Feggo iubet; cui ut referret gratiam, maturandae ebrietati, magis etiam implet pocula, ipsi pariter ac proceribus; quumque vino gravis Feggo cubitum deductus esset; & excubitores passim peregrinis intermixti, ubi biberant, requiescerent, idque Amlethus animadverteret; arbitratus commode nunc caedem patris vindicari a se posse; uncis antea fabricatis, uti dixi, ac sepositis, omnes colligat, ac constringit; ita arcte, ut haud facile excitati expedire sese possent; inde ignem tecto iniicit; &, invalescente incendio, ipsum in cubiculo Feggonem obtruncat; qui ut regnum summo scelere occupavit, ita inter probra gessit, finiitque morte digna, ac tyrannis fere propria. Nomen eius Feggesunda Cimbriae etiamnum servat. Et

AMLETHVS

eo modo patris sui caedem ultus, primo in latebras se abdit: dum, quo pacto id acceptum, experitur; inde advocat primores, quos Feggonem odisse norat; memorat *parentis caedem, ac pollutum matris torum*; *tum calamitatem suam, qua tot annos conflictari sit coactus*; addit *publicam miseriam, contemtam nobilitatem, graviter oppressos cives, & agricolas divexatos, quibus malis quum nunc ipse universos liberasset, praemio, an poena dignum aestimarent, arbitros se eos velle, & paratum in utrumque, si periculo suo regnum a tyrannide liberatum existimarent, vindici in manum traderent: sin electum alium vellent, integrum id ipsis cupere; dum auctorem beneficii, vindicemque libertatis, unum se meminerint, ac fateantur: in Feggone occidendo, non de regno adquirendo, sed de patria liberanda cogitasse: ac periculum tam magnum eius causa subiisse*. Quibus verbis moti proceres, Regem omnes uno ore adpellarunt. Itaque potitus Regno, clipeum insignem parat, & in eo res praeclare a se gestas sculpi (a) iubet. Post haec, rebus ordinatis, magna selectissimorum iuvenum manu comitatus, in Britanniam iter capit, ubi a Rege socero benigne exceptus, quum is de Feggone quaereret, caesum inquit, atque porro sciscitanti, a quo, & qua ratione? *ego ipse hac manu*, ait, simul destram ostentabat, *interfeci, uti simul patris necem, & opprobrium item matris vindicarem*. Mutuo se iuramento Anglus, atque Feggo obstrinxerant, ut alterius interfecti alter caedem ulcisceretur; itaque

haerebat animi, generone suo parceret, an amico satisfaceret, tamdem tamen placuit religionem iuramenti ante caritatem ponere; sed, ne violasse hospitem, neve generum occidisse culparetur, nullum probrum existimavit, aliena manu uti; itaque ad Hermuthrudam, quae Scotorum tunc Regina procos omnes interfecerat, nuptias sibi petiturum ablegare visum fuit: ratus fore, ut ipse quoque, sicut ad id tempus alii, mox e medio tolleretur, sed spes eum haec frustrata est; & Amlethus ita Hermethrudae (b) placuit, ut Britanno, qui legaverat, eum ipsa anteferret. Hinc in Angliam revertens, & adducens novam uxorem, cum Scotorum magna manu, obviam priorem habuit; quae neglectam fidem coniugalem questa, sibi tamen veterem constare adfectum, cuius pignus filium ex ipso pridem suscepisset, testabatur; tum monebat, ut a socero caveret, qui praereptas sibi nuptias Hermuthrudae aegre ferens, irae plenus, clam perniciem moliretur. Hoc Amlethus intellecto, quum adpropinquaret urbi, in qua socer adventantem exspectabat, armis subter vestem indutis, legit praestantissimum quemque, latera sua stipaturum; ceteros subsistere iubet, & ad signum, si sic forte usus ferat, praesto esse. Quum ad urbem ventum foret, ante eam obvius socer, blande excipit, & invitat ad ingressum; intra portam, velut iam in potestate sua habens, hasta ferit; & omnino parum aberat, quin confoderet, ac fecisset, nisi ictum occultata veste arma retudissent. Anglo odii in hunc modum manifesto, illico Amlethus se ad suos recipit; ac cedentem maxima celeritate sequens Anglus, eius comites, in propinquo occultatos, omnes caedit: multis etiam, qui evadere conabantur, ipsa in fuga interceptis. Hic Amlethus, qui videret, quam praesenti in discrimine versaretur, mittit socero, qui offensae mitigandae, matrimonium Hermuthrudae interversum excusarent, & in eam uti sese res habebat, culpam omnem derivarent; verum ille, irae pertinax, non admittere excusationem ullam, ac parare in sequentem diem praelium; & Amlethus, qui pugnandi impositam necessitatem animadverteret, nec haberet pares copias, mortuorum, novo astu, opem implorat, ut terrorem hosti incuterent. Corpora interfectorum passim sparsa, legere noctu militem iubet: & eorum aliqua suffulta erigit; alia permixta vivis, & in equis collocata, inter cornua poni mandat, ac successit recte dolus; nam postridie, quum in pugnam Angli occurrerent, tetrico cadaverum adspectu territi, fugam

(a) *In clipeo res, praeclare a se gestas sculpi*) Diceret aliquis, Saxonem voluisse Heroa suum Amlethum undicumque exornatum reddere, varioque ex Graecorum, & Romanorum armamentariis conquisito cultu instruere. Neque dissimulabo, quod mihi verisimilius semper visum; hoc nempe, Saxoni, aut vetustioribus quos ille exscripserit, de clipeis nostratium heroum nihilo plus constare potuisse, quam Virgilio de Aeneae illo, Silio Italico de Annibalis. Sicuti enim hi Homerum, ita eos pari modo imitati Saxo Grammaticus, Islandi, aliive; quibus profecto haud minus studium fuit in illustrando Heroas suos vario colorum, & pigmentorum genere, quam Poetis illis. Equidem haud sum nescius, virum perquam egregium, nostraque laude maiorem, Thomam Bartholinum iuniorem, cuius in Septentrionis nostri antiquitatibus non solum eruditio, atque labor, sed sinceritas & candor supra ceteros quoscumque eluxit, hunc morem clipeos caelandi, & rerum gestarum historiis ornandi usque adeo a summa antiquitate illa non reiecisse, ut potius inter inventa, quibus perpetuitati laudum suarum consulebant, etiam hoc retulerit, *lib. I. cap. IX. pag. 149 seq.* Verum quamdiu nulla alia suppetant argumenta, quam quae e libris Saxonis nostri petantur, atque illud de Scuto Einari Skalaglammi, (poeta hic fuit Norvegus, circa finem seculi X.) quod ei Comes Hacon dedit, nihilo doctiores evadimus.

(b) *Hermethrudae*) legendum *Hermuthrudae*

gam capiunt, & Amlethus fugientes insequutus, plurimos eorum caedit, atque inter illos Regem, quo sublato, & redacta in potestatem tota Anglia, duplici iam Regno auctus, Scotia, Britanniaque, mox in Daniam se recipit; & adducit Hermuthrudam, magno passim plausu exceptus; adeoque universi duplici laetitia perfundebantur; quum ob patriam pridem a Feggone tyranno liberatam, tum ob ingens Regni Danici incrementum. Sed non diu, ut conditio fert humana, res Amletho adeo laetae permansere. Vix redierat, quum querelae de Vigletho, Cimbriae borealis satrapa, quod tyrannidem exerceret, ac Geruthам quoque matrem, quam gravissime divexasset, adferuntur; quem initio quum benigne a proposito vitae genere abducendum statuisset, mox ab aliis instigatus, ac sceleribus, quae patrasset intellectis, animum ad vim inclinat: & denuntiato bello, ditione tota eiicit. Idem Fiallero facit, Scaniae per id tempus praesidi, qui Vigleto se adiunxerat. Sed Vigletus non diu exsilium tulit; ac, cum Scanos in Amlethum, & Sialandos concitasset, viribus eorum adiutus, illum oppugnat, praelioque victum sternit, magnum principem, quum virtute, tum prudentia adeo dissimulata, ac laudandum ipso quoque vitae fine, quod in acie fortiterque pugnans, caderet. Tumulatus est in campo, qui Amlethi etiamnum adpellatur.

VIGLETVS [a],

praelio superior, & Amletho interfecto, Regnum occupat, viduamque item eius Hermuthrundam uxorem capit. Non laudandum quidquam gessit; verum otio tranquillo, ac diuturno obtorpescens, senio confectus obit; felix potius, quam clarus. Filium Rorici eum quidam tradit [b], & Roricum quoque ipsum sub Amlethi demum finem obiisse. Saxo aliique volunt, sed similius vero censeo; eum, sicut alia monumenta ferunt, neque filium habuisse, neque vitam produxisse ultra matrimonium Geruthae filiae Horvendillo, quem mox Feggo interfecit elocatae, uti supra memoravi. Tum Vigletus, si Rorici filius fuit, cur, defuncto vita patre, non successit? quare Feggo, nullo modo sanguine prognatus regio, denique & fratricida, fratriaque ducta infamis, a proceribus adeo Rorici amantibus, est receptus? aut, si per vim occupavit, uti fecit, cur non, eo post sublato, quamquam opera Amlethi, regno tum imposuerunt? cur ex filia nepotem filio praeposuerunt? insuper, si filius Rorici erat, admodum grandaevum iam fuisse oportet, quum Amlethus nepos caderet; quanam ergo ratione illud verum esse potest, quod commemorant, diu regnum tenuisse? ergo etiam neque isthic ratio constat. Post Vigletum, regnum tenuit

VERMVNDVS [c],

eius filius. Ille pacis studiosus, multos annos summa in quiete egit sine liberis, nisi quod extrema aetate filium Vffonem genuit [d], adeo stolidum, ut ineptus regno esse censeretur; adeo taciturnum quoque, per tres & viginti annos, nempe a septimo aetatis ad trigesimum [e], ut an loqui etiam posset, diu cunctis dubium fuerit; ac solicitus Vermundus, quid futurum eo esset, & quo modo ali-

(a) *Vigletus*) Vigletum Islandicis penitus ignorari testatur Torfaeus *pag.* 302.

(b) *Filium Rorici eum quidam tradit*) His verbis notatur Io. Is. Pontanus, atque omnia hic adducta argumenta contra eum militant. Sed revera certamen est imaginarium. Pontanus habuit, quem sequeretur, (non secus atque Messenius *Tom. I. pag.* 34.) Arn. Witfeldium; isque incertum se ostendit, num Vigletum Rorini filium, an generum, aut etiam in coniugio successorem faceret. Pseudo-Erici Regis *Chronicon* vitricum fuisse Amlethi tradit, atque sic gener, non filius Rorici fuerit.

(c) *Vermundus*) Non Vigleti hic, ut Saxo opinatus, (quum forte nullus in Dania Vigletus umquam exstiterit,) sed Frodii, seu Frothonis II. filius, quem seculo primo, & secundi initio, regnum tenuisse, ex Islandorum monumuntis conficitur. In quibus *Vermund Sapiens* cognominatus. Igitur Roricum Slyngebaand (Isiandis Hraererum Slanguanbaug) a Saxone priore loco recensitum, quot contra seculis praecesserit Vermundus, facile aestimatur. Sueno Aggonis, Saxonis licet coaevus, & contubernalis, eum, sicut alibi, ita & hic deserit, quando cum Islandis Vermundum Frothone natum statuit. Ceterum aut valde fallor, aut Vermundus iste numquam Danicam tellurem presserat, sed, una cum filio suo Vffone, ex Anglorum scriptis, & commentariis, diu post fata sua ad nos pervenit. Qua quidem ratione neque amplius de Vigleto, Vermundi, secundum Saxonem, parente, soliciti erimus; quippe quem, pariter apud Anglos inventum, indidem aversemus. Etenim in genealogiis, quas non uno loco exhibet *Chronicon Saxonicum*, a Gibsono editum, sic legitur: *Penda fuit filius Vybbae - - - Offa VVaermundi, VVaermundus VVithlaegi, VVitlaegus VVodeni, pag.* 28. *& p.* 59. Eadem fere occurrunt apud Matthae. Westmonaster. *pag.* 142. ad an. DCCLVIII. *Offa fuit VVeremundi, qui fuit VVithleig, qui fuit VVagon, qui fuit Frethegeath, qui fuit VVodeni.* A Florentio Wigorniensi pariter nominantur *Offa, VVermund, Vthleg* &c. in *Chronico* Io. Bromtomi, *Offa, VVermonde, VVyclac*, ut taceam his antiquiorem Fabium Ethelvverdum *lib.* 2. *circa fin.* Iam vero nimis quam mirandum foret, nisi Saxones tres illi, *Vffo, VVermund, VVigleth*, iidem essent cum Anglicis. Verum restant nobis plura. Scripsit Matthaeus Parisiensis, praeter alia opera, Historiam, seu *Vitas duorum Offarum*. Regum Merciorum. Eius libri, si saltem priores pagellas legerimus, atque a lectione adhuc recentes, ad narrationem Saxonis Grammatici, vel Suenonis Aggonis, de Vermundo, & Vbbone, animum adtendamus, fatebimur, numquam fieri potuisse, ut apud Anglos pariter, atque Danos res eadem, & quod magis singulare & mirandum, iisdem sub nominibus contigerit, tam perfecto in praecipuis partibus consensu. Itaque Daniel Langhornius, in *Append. Antiqq. Albion. pag.* 29. in eam devenit opinionem, ut crederet, quemdam fabulatorem haec ex Danicis in Anglica monumenta traduxisse. At nos, omnibus comparatis, & expensis, opinamur, in Anglia, ubi literarum cultus, & scribendi atque res gestas enarrandi studium, diu antequam apud nos excitaretur, viguit, non hoc solum, sed plura id genus commenta, ortum habuisse; ad Norvegos deinceps, Islandos, atque Danos propagata, qui sua iisdem historica monumenta distinxerunt, pluribus etiam ad imitationem confictis. Atque cum ipsa Dania, non secus quam Norvegia. potissimam cultus sui partem Angliae acceptam tulerit, praesertim ob magnum Sacerdotum numerum, per Canutum M. huc propagandae Religionis caussa missornm, (quibus plures postea successerunt, itidem ex Anglia per Suenonem Estrithium filiosque ipsius arcessiti,) haud quidquam probabilius, quam per eosdem homines etiam historica multa, quum vera, tum conficta, fuisse in nostris oris disseminata. Ita ut haud mirandum sit, si labentibus temporibus nonnulla in Historiam Danicam transiverint, semperque postea adhaeserint, deficientibus nimirum, qui sanioris critices remedio, grassanti huic per totam septentrionis historiam malo occurrerent.

(d) *Extrema aetate filium Vffonem genuit*) Sic & Wermundus Matthaei Parisiensis: *usque ad annos seniles, absque liberis exstitit, praeter unicum filium, quem, ut aestimabat regni sui heredem & successorem, puerilis aetatis incommodo laborantem, constituere non valebat.*

(e) *A septimo aetatis ad trigesimum* &c.) Offa etiam Matthaei Paris. *permansit a nativitate visu privatus, usque ad annum septimum; mutus autem, & verba humana non proferens, usque ad annum aetatis suae trigesimum.* De convenientia eum Croesi, Lydorum Regis filio, apud Herodotum, & Gellium monere, haud necesse.

aliquando successorem habere posset, dat uxorem, Frovini Slevicensis filiam, qui non solum ceteros aetatis suae principes prudentiae fama multum ipse superabat, verum etiam filios habebat duos Ketonem, & Vigonem, uti robore excellentes, ita laude militari, quos idcirco ei adfines adsciscebat, ut in regno administrando, si decederet, quandoque illorum opera iuvaretur. Inter ista Sveciae praefectus, Atislus, quum vicinum orientem domuisset, insolentior fortuna, arma in Frovinum vertit, & eumdem, acie superatum caedit; hinc in Sveciam regreditur, moxque cum maiore exercitu ipsam Daniam lacessit, sed repellitur a Vermundo, ac gravissime sauciatus, vix evadit, qua in pugna maxima Frovini filiorum virtus, qui ulcisci patris necem cupiebant, se ostendit. Interiecto inde tempore Rex Vermundus, annis gravis visum amittit, atque caecus ex re ista cognomento adpellatur, isque casus multo illi gravior accidit, quia Vffo non idoneus regno esse videretur. Cuius rei utriusque gnarus Saxo despicari illum coepit; Daniaeque invadendae optimam occasionem arbitratus, per legatos *tradi sibi regnum* petit: *aut, si illud recusaret, certum in locum filium Vffonem mitteret, qui certamine singulari contra suum de re summa dimicaret; etenim indignum esse, virum senio confectum, & effoetum, atque caecum, regnum ultra administrare, quo si cedere sponte vellet, beneficia grandiora, quam a filio muto pariter, & vaecorde tribui possent, accepturum; si abnueret, bellum exspectandum sciret*. Hanc superbiam graviter Vermundus ferens: *minus recte*, inquit, *Saxo viro seni caecitatem vitio vertit, quam defectui aetatis, non naturae pravitati imputare oportebat; rectius erat. senem imbellem tueri, quam de regno sine causa deturbare, quod si tamen adfectaret, multo honestius, libera electione procerum id adipisci, quam per vim ereptum ire, esse quidem sibi filium, verum eum minus aptum ad duellum de re summa ineundum; quamquam autem vires sibi senium imminuisset, ideoque nec descendere in certamen ipse posset, tamen pro salute regni, licet caecum, contra Saxonem videntem, armis certaturum esse: neque umquam commissurum, ut acceptam a maioribus libertatem ulli extraneo manciparet*. Ad quae cum legati dicerent: *indecorum plane esse, ut cum caeco Rege Saxo dimicaret, meliusque a filiis negotium id actum iri*. Danis ad haec conticentibus, Vffo graviter indignatus, tam superbe patri seni a Saxonibus illudi, orat veniam loquendi, atque ea impetrata: *Frustra*, inquit, *Regnum Daniae, quod legitimum Regem habet, & Saxoniam viris bellicosis superat, Saxo petit: itaque hoc duci vestro respondete: Regi Daniae, Vermundo, filium esse, qui succedat, atque eum non dumtaxat cum Saxoniae Ducis filio, de re summa concertare satis promtum; verum etiam permittere, ut is alterum quemcumque, gentis suae robustissimum, socium duelli adducat: quum utroque unum se pugnare certum, ut deinceps sciant exteri, neque Regi Daniae deesse filium, neque regno successorem*. Quibus verbis postquam patri, ac proceribus, & legatis, admirationem maximam commovisset, placuit locum pugnaturis adsignare, etiamnum Koninckfeldiam, quasi *Campum Regis* dicas, adpellatum, iuxta Eidorae fluentum, limitem antiquum Daniae, & Germaniae. Postquam dies constitutus advenisset, adsunt etiam pugnaturi. Vffo solus, socium Saxo abducebat. Erat medio in flumine insula non magna quaedam, in qua decertare visum, adstant in utraque ripa spectaturi; Saxones hinc, inde Dani, ac Vermundus, ad crepidinem collocare sese iubet; nam, quum animo reputaret dubium eventum pugnae, maxime quam contra duos filius solus subscepisset, eo forte superato, se praecipitare in flumen constituerat; minime inglorio vivendum ratus, regno amisso, atque dignitate regia. Hinc congressis, oritur certamen ingens. Vffo diu hostium duorum magno impetu in se ruentium ictus clipeo excipere, ac paulatim retrocedere, ut lassaret irruentes, & mox lassos acrius urgeret ipse, ac feriret item certius; inde, occiso prius socio, totum se in Saxonis convertit filium, ac minore iam negotio profligatum, e medio tollens, regnum patri, regno libertatem vindicat, & Saxonibus, quod excutere nisi erant, iugum gravius imponit; ipse Fortis ex hac pugna cognomento adpellatus. Neque multo post Vermundus, plenus gaudii, & dierum, vita excedit.

VFFO, sive OLAVS I. cognomento Mansuetus.

Saxonibus in ordinem coactis, Vffo, fausta acclamatione omnium, regnum accipit; & acceptum ita placide administrat, ut mutato nomine, Olaus [a] porro, ac Mansuetus cognomento diceretur. Multa, eaque praeclara, sine dubio gessit princeps laudatissimus, sed iniuria vetustatis ignorare ea cogit [b]. Vxorem habuisse traditur filiam illustris viri, Slesvicensium praefecti, ex qua filius successit

DANVS II. [c]

admodum dissimilis patri. Laude quidem belli clarus, debellatis in principio Saxonibus,

Meursii Tom. IX.

(a) *Mutato nomine Olaus*) Saxo vero ita: *Hic a compluribus Olavus est dictus*. Neque aliter Pontanus. In *Langfegdatal*, aliisque pervetustis Regum nostrorum Catalogis semper *Olaus* vocatur, *Mansueti* cognomine, ac inter genuinos Daniae Reges locum habet post parentem, Vermundum, *Sapientem* dictum.

(b) *Sed iniuria vetustatis ignorare ea cogit*) Videantur in eamdem sententiam verba Saxonis Grammatici *pag. 65. edit. Ser.* qui numquam sinceriorem se praestitit, quam hoc loco.

(c) *Danus II.*) Iste, ex Islandorum hypothesi, primus est hoc nomine. Cognomen ei tribuunt *Mikillati*, quod *Magnificum*, vel *Magnanimum* denotat. *Mikil*, vox notissima, in veteri lingua nostra est *Magnus παρὰ τῦ μεγάλυ*. *Laete*, vel *Late*, gestus, adfectus; *Mikillati* ergo, quasi *mores, & adfectus animi magno viro dignos gerens*. Et ab hoc Dano Regnum Daniae adpellationem habuisse, testantur Snorrius Sturlaeus in *Chronico Norvegiae*, ac vetustum aliud monumentum, *Langdfedgatal* dictum, quod accuratam Regum seriem complectitur. His addi meretur locus ex ineditis *Rerum Danicarum Annalibus*, quos ex membranis descriptos possedit bon. mem. Tho-

bus, post Vffonis patris mortem rebellantibus, sed virtutis parum constans, mox in vitia prolabitur, fastu gloriam, luxu regni opes perdens [a], inde adflicta valetudine, morbo derepente extinguitur. Ei

HVGLETTVS [b]

substituitur, qui an filius eius fuerit, ignoratur. Vnum hoc de ipso prodirur, quod Homothum, & Hogrinum regni Sveciae primates, ac piraticam exercentes, praelio navali fuderit, & e medio sustulerit, Sveciamque adeo ipsam, nova iude molientem, mox represserit. Regnum quam diu tenuerit, aut quo modo vita excesserit, quaeve uxor, liberive, illi fuerint, ut in pluribus pariter Historia nescit. Succedit ei

FROTHO II,

cui Vegeri cognomentum, ob insigne corporis, animique robur, est tributum. Inter ipsa initia regni, prima illi cura fuit, ut, quae Dania maiorum aut ignavia, aut socordia, amisisset, omnia recuperaret. Quam ob rem in Norvagos primum, qui defecerant iam dudum, arma vertens, decem duces, inter eos excellentes, primo statim praelio vincit. Mox Erogerum quoque ipsum, gentis regem, astu abducta e vestigio eius terra, sine qua ne vinci posset Othini, seu Vadani [c] patris, quem semideum commemorat, beneficium credebatur. Postea nutare item visa Svecia, sed in fide tamen mansit. Vbi vero universos, qui desciverant, ad obsequium reduxisset, animo ad pacem verso, ea diuturna fruitus, vita fungitur. Eius filius

DANVS III [d],

annum agens duodecimum, mox in solio collocatur. Huius teneram aetatem Saxones despicientes, aut tributum exhibere, quod a tempore Vffonis ipsi Daniae persolvissent, aut bellum exspectare iubent. At superbe adeo legatione moti Dani, habito prius senatu, armis potius decernere, ac tueri libertatem, quam tributum dare, malunt; idque tanto animorum ardore faciunt, ut parata statim classe, flumen Albim mox invecti, & in hosticum exscendentes, Saxonesque, uti Dani omnes Albim accolentes adpellabant, imparatos opprimentes, eos funderent, ac fugarent; & tributum, quod exegerant, porro dare, sicut ante consuevissent, imperarent. Quo peracto, Rex egregius, & ad summa quaeque natus, in aetatis ipso flore, morte immatura eripitur. Eius locum accipit

FRIDLEVVS [e], Celer

cognomento adpellatus, qui initio regni sui cum

Thomas Bartholinus, ubi res hoc modo peracta refertur: *Vidit autem Rex Danus, regionem suam, super quam regnavit, Iutiam, Fiuniam, VVithaesleff, Scaniam, quod esset bona, vocavit primates exauctoresque suos, & ait: Bene placet mihi regio mea, quo nomine adpellabimus eam? Respondentes principes terrae dixerunt: Rex in aeternum vive. Tu es Danas Regio tua Dania, vel Dacia vocabitur; quod nomen in aeternum non delebitur.* Ceterum, haec atque plura id genus testimonia facile cuius monetae sint, cuiusque ponderis cognoscitur, quando de ratione adpellationis Regnorum, populorumque agitur. Ac meminimus, nostram de ea re sententiam satis aperte exposuisse, sup. ad *pag.* 1.

(a) *Fastu gloriam, luxu regni opes perdens*) Gravis profecto, accusatio, atque, si alios audiamus, immerita. Quid? quod videtur nihil aliud tam sinistram nomini huius Regis famam adsperxisse, quam parum dextra cognominis *Mikillati* interpretatio. Quum enim hoc vocabulum ex numero sit eorum, quae Grammatici *μέσα* vocant, & *elatum*; vel *superbum* aeque possit, ac *magnanimum* significare, placuit Saxoni Grammatico, in descriptionibus suis rarius moderato, laudisque non minus, quam vituperii plerumque nimio, id cognominis in malam partem potius accipere, quam bonam. Islandici certe scriptores nihil vituperio dignum de Dano referunt, teste Tolfaeo *Ser. Regum pag.* 272. atque hi sunt, qui testantur cognomento isto Danum ob insignem adfectum esse magnificentiam; ad quam etiam referunt, quod posthabito demortuorum corpora cremandi more, primus Danorum Regum, non combusto cadavere, se iusserit colli, ac tumulo inferri, vestibus simul regalibus, & magnificentissimis, armis, equis, ephippiis phalerisque, tum vero & thesauris, iniectis. Denique refert Snorrius Sturlaeus ad tempora non multum Dano hoc vetustiora, regiae adpellationis in lingua septentrionali originem, nempe qua *Konungi* vocitati. Dicit enim, Dano magnanimo sororem fuisse, Drottam nomine, sed alio patre genitam, Danpo nuncupato, atque huic Danpo parentem fuisse Rigum, qui primus Danica lingua (h. e. per septentrionem) *Konungus*, quod vocabulum *Regem* sonat, salutatus est; postea Drottae, Dani sororis, filium, Dygvium, primum in Svecia regium nomen gessisse, quum decessores ipsius *Drotter*, seu *Drotnrar*, h. e. domini essent adpellati; & uxores eorum *Drotninger*, h. e. Reginae. Sed de his ex professo egit Ottho Sperlingius, in *Comment. de summae Regio nomine, & titulo Konnung*. Hafniae 1707. edito in 4. Non omittendum, Torfaeum Dani huius magnanimi aetatem in seculo altero post Christum collocare, atque annos regiminis ipsi LXXVI. tribuere, ad annum tertii seculi XXII. excurrentes.

(b) *Hugletus*) Islandi Frothonem, vel Frodium, cognomento *Tranquillum*, ordine nominis Tertium, Dano *Mikillati*, seu Magnanimo, parenti, successorem dant. Hic Saxonis esse Frotho II. videtur, quem ille perperam Hugethi filium existimavit. At vero Hugletus, quemadmodum ex Snorrii Chronico docemur, Svecorum fuit, non Danorum Rex, Frothoni Tranquillo, ut videtur, coaevus, Torf. *Ser. R.D. p.* 274.

(c) *Othini, seu Vadani*) Corrig. *Vodani*. Possent quidem hic multa de Odino, sive (ut Anglis Scriptoribus vocatur saepius) Wodano & Wodeno, in medium afferri; nec non summo Chronologiae negligentia in Saxone Grammatico, (quem hic *Meursius*, post Suaningium, exscribit,) indicari. Sed cum eiusmodi disquisitio nimium extra institutum nos deduceret, malumus Lectores remittere ad Eddam Saemundi, a Petro Resenio editam, & ad laudatam saepius *Seriem* Thom. Torfaei, *lib.* 2. *capp.* 2. 3. 4. 5. & 6. seu a *pag.* 99. *ad* 156. ubi omnia, aut certe pleraque ad Odinum spectantia, docte examinantur, ut Thom. Bartholinum *Commentar. de contemtu mortis*, Sheringham. Langhorn &c. taceamus.

(d) *Danus III.*) Hunc Regem ex Halfdano effecisse Saxo Grammaticus videtur, illius nomine truncato, priore scilicet syllaba ei abscissa. Namque & Snorrius Sturlaeus, & alia monumenta, in quibus Odini genealogia, *Langfedgatal* vulgo dicta, praecipuam auctoritatem obtinet, Frodii, seu Frothonis, nuper memorati, filium, non Danum, sed Halfdanum nominat. Atque sic etiam nominandum, inque hunc Saxonis locum omnino vitium irrepsisse, vel ipsum Saxonem adlucinatum esse, ipse Stephanius arbitratus, *in notis pag.* 106. a Non potuit ergo Torfaeus abstinere, quin (ad hunc Regem scribendo delatus) sequentia de Stephanio effaretur: *Huic monumento* (Genealogiae Odini MS.) *cum Stephanius hoc in loco tantam fidem habuerit, ut secundum illius tenorem Saxonem corrigere non dubitaverit, cur eamdem ipsi in ceteris auctoritatem non tribuerit, haud video*. Est autem Rex, de quo agitur, in Islandica Regum nostrorum Serie, Halfdanus I. quem Sveciam sibi subiecisse scribunt, ac praeterea simul cum fratre suo Fridlefo III. Daniam aliquamdiu aequo iure tenuisse, donec fato functus, imperium totius Daniae Fridlefo reliquerit. Vtriusque initium ponit Torfaeus ad annum Christi CCLXXII.

(e) *Fridlefus*) Hunc nomine ipso III. cognomine vero *Celerem* Islandi solent nuncupare. Contra Saxoni Grammatico *Primus* est inter Fridlefos, cuius filius Frotho III. *Pacificus* dictus, tempore, quo Christus natus est, in Dania regnaverir. Secundum Islandos Frotho ille Pacificus, nativitati Christi coaevus, patrem quidem habuit Fridlefum nomine Primum, sed & ipse Frotho, seu Frodius, *Primus* adpellandus. At Frid-

cum Huirvillo [(a)], Hallandiae principe, foedus icit; verum is quum postea, neglecto illo, mare Balthicum, ac deinde Sialandiae partem australem infestaret, vim Fridlevus propulsurus, illico collecto milite, summo impetu adoritur; ac pugnatum adeo utrimque fuit, vix praelium nox dirimeret. Erant in Huirvilli partibus duces quinque praestantissimi: Bildus, Broddo, Bugo, Fanningus, & Gunholmus. Horum Broddo, atque Bildus, plurimis suorum caesis, de victoria desperantes, noctu clam conscensa nave, se periculo subduxere; quo Fridlevus intellecto, denuo Huirvillum oppugnat, copiasque eius omnes internecione delet; ac perfidiam clare vindicante Deo, cecidit Huirvillus ipse; & cum eo excellentes, quos iam dixi, belli duces, Bugo, Fanningus, & Gunholmus; malae causae temere opitulati. Inde victor, in Hiberniam arma transfert; ac Duflinum principem in ea urbem, quum aperta vi non posset, per hirundines, ut Hudingus [(b)] olim Dunam, astu capit; inde insulam universam redigit in potestatem, & praesidium imponit; idem Britanniae facturus, quae iam itidem defecerat, postquam copias traiecisset, ac conseruisset manum, pene caesus, vix in Daniam evasit. Inde, amplexus pacis studium, in quiete reliquam aetatem agit; donec, senio confectus, diem obit. Ac succedit ei filius,

FROTHO III [(c)],

cognomento Magnus dictus, vix tunc annos septem natus. Etenim effecerat Fridlevi virtus, ut Regem puerum educare proceres mallent, quam aliunde virum eligere. Ac duodecim constituti, qui aetatem eius regerent, & rempublicam gubernaret; duo autem constituti, quibus data Regis cura; ceteris negotia regni demandata. Qui curare Regem iussi, fratres erant; & hic, Vestmarus ille, Colo dicebatur; ac Vestmaro, duodecim filii erant, & in his tergemini, Greppae uno nomine adpellati; qui paterna indulgentia, quam turpissime abutente, in flagitia quaevis ibant, non matronae, virginisve ullius tuta pudicitia; ubi preces non admissae, vis illata; eo etiam dementiae natu maximus devenit, ut Gunnaram [(d)] Regis sororem, pulcritudine excellentem, & idcirco Pulcram cognomento dictam, amare auderet; adeo quidem impudenter, ac proterve, ut vim illa dum metueret, in conclavi se munito occultare cogeretur; tum triginta stipatores item poneret, qui prae foribus excubarent; atque, ut contemtum hunc ulcisceretur, quum haberet procos plures, eligendi ex universis huic mariti potestatem sibi dari a Rege petit; ac, quum ille minime flagitiorum eius gnarus, haud gravate concessisset, unum in locum convocatos comprehendit, & obtruncat; tum stipitibus capita figit, iuxta virginis conclave, qua re quidem maxime offendit Regem, sed auctoritate patris est effectum, ne quid gravius is statueret. Varie sane adflicta per id tempus Dania; & experiundo didicit, numquam fere infeliciora regna, quam sub Regis, etsi boni pueritia, in qua Regem se existimat, quisquis Regi est praefectus. Inter ista, quum virilem Frotho aetatem adtigisset, Hermundam [(e)] Hunnorum Regis filiam, uxorem petit, accipitque; cuius dum amori indulget, nulla regni sui cura, misere id Greppae fratres divexarunt; & exemplo multi quoque e proceribus utebantur; adeo aetatem Regis contemnentes, ut ignaro etiam ipso, leges multo iniquissimas pro arbitrio suo ferrent; inter quas hae memorantur: *Qui conventum Regem vellet, is adloquii honorem a cubiculariis emeret. Quisquis filias elocare, veniam ab ipsis ille dato pretio mercaretur: sine ea, matrimonii contrahendi potestatem nulli fore. Neque fas virginibus nubere, nisi quas experiundo tales esse ipsi prius cognovissent*. Audax facinus, improbumque, & detestandum! Istis legibus, ac flagitiis, admo-

Fridlevus III. seu *Celer*, quem impraesentia ante oculos habemus, in eisdem Islandorum scriptis filios reliquit Olaum, & Frothonem IV. ambos regia dignitate potitos, ut mox videbimus. Neque abs re erit, nonnihil hic adnotare de nomine Fridlefi. *Leif* in prisca nostratium lingua *reliquias* significat, hodie ex eadem radice *Lefning* vocatus, a verbo *Lefne*, relinquere: *Frid* pacem notat. Etenim, quemadmodum in vetusto apud Islandos monumento, quod *Rimbegla* vocant, legitur, Skioldus, Odini filius, primusque Daniae (ita tamen post cc. annos adpellatae) Rex, postquam regno suo in pace ad mortem usque praefuisset, filium successorem habuit, cui quum & opes luculentas, & *pacatum* regni statum *relinqueret*, *Fridleifi* nomen adtributum. Postea eadem adpellatio pluribus sequentium Regum usurpata.

(a) *Huirvillo, Hallandiae principe,*) prisca Saxonis Grammat. exemplaria *Hollandiae principem* exhibuerunt, atque ii, qui Saxonem Danice loqui fecerunt, eo sensu interpretati. Itaque vitiosam istam lectionem serio & operose refutatum iverunt Io. Is. Pontanus in *Histor. Dan. pag.* 22. & Stephanius in *notis ad Saxon pag.* 106. *seq.* Verum diu ante illos errorem animadverterat Albertus Crantzius, ut videre est ipsius *lib.* 1. *Histor. Dan. cap* 27. ubi nonnisi de *Hallandia* loquitur, provincia Scaniae contermina. Deinde coniecturae Stephanii, quando *Halogiam*, vel *Halogalandiam*, Regni Norvegici ditionem indicari putat, nihil necesse est accedere; praesertim quum argumenta quaevis innititur, aeque pro Hallandia, ac pro Norvegia pugnent.

(b) *Hudingus*) corrig. *Hadingus*.

(c) *Frotho*) In nomine Frothonis consentiunt Saxo Grammaticus, & Islandi, nempe quod Fridleifo, Frothonis filio, Dani Magnanimi nepoti, filius fuerit Frotho nomine, in Serie Regum Daniae conspicuus. Verum praeter quam quod inter hunc & parentem Fridleifum interserunt Islandi fratrem eius natu maiorem, Olium, seu Olaum nomine, atque ei integros XII annos adsignant, queis ante Frothonem regnavit, in reliquis etiam propemodum est nihil, de quo inter illos & Saxonem conveniat. Itaque frustra fuerit, volens conciliationem hic aliquam instituere, quum res nimium sit intricata, praestetque Lectorem potius remittere ad ea, quae superius de Frothone I. adnotavimus. Etenim, ex hypothesi Islandorum, Frotho, qui tempore nativitatis Christi regnavit, *Primus* fuerit eo nomine, atque illi adplicari possunt multa eorum, quae a *Meursio* nostro, ad mentem Saxonis Grammatici, de Frothone III. (quem facit Saxo Christo Servatori coaevum) commemorantur. Vid. Torfae. *pag.* 255. Frotho Islandorum *Secundus*, quem supponunt regnasse circa ann. Chr. LX. erit ille, quem si gesta eius inspiciantur, Saxonem sequuti *Quartum* nominant, ac de quo *Meursius* agit infra. Frotho Islandorum III. apud Saxonem, & nostrum Auctorem *Secundus* numeratur; huncque praecedent *pag.* 15. habuimus, a Torfaeo ad Annum Christi CCXXII deiectum. Ergo huius nepotem, ex altero filiorum, Fridlefo genitum, necesse est Frothonem IV. adpellamus, ac seculis tribus cum dimidio iuniorem faciamus illo, quem hoc loco *Meursius* nobis ex Saxone enarravit. Interim ad Frothonem IV. hunc Islandorum nonnulla posse adplicari eorum, quae Saxo & *Meursius* suo Frothoni IV. (infra) adscribunt, adgnoscit Torfaeus *pag.* 283. *seq.*

(d) *Gunnaram*) scribendum *Gunvaram*, ex Saxone Grammat. *pag.* 68. atque idem error corrigendus infra, ubi ter occurrit.

(e) *Hermundam*) corrig. *Hanundam*; ita enim Saxo vocavit, *pag.* 70. atque ipse *Meursius* infra, sic eam adpellat, recte: quamvis idem, (vel forte Typotheta) non solum hoc loco sed etiam *pag.* 17. *a*. & 18. *a*. errorem, iam notatum, in eodem nomine commiserit.

modum Frothonem invisum subditis suis, quorum liberis adeo superbe illuderent, reddidere. Neque hic protervia stetit. quin Gepparum natu maximus, etiam reginam Hermundam turpiter amare ausus, clam cum ea consuevisse memoratur; idque etsi emanasset, tamen, quia criminantes graviter ulciscebatur, nemo accusare audebat: tum, qui vellet, a colloquio cum rege, ipsis sedulo, uti dixi, prohibentibus, arcebatur. Id quum exteris gnarum esset; ac, pro libertate sua, si dux foret, arma populum respicere; rex Norvagiae, Gotharus, bellum inferre cogitabat. Etenim, *maioribus sic suis factum aliquoties a Danis; & oppresso per Grepparum tyrannidem rege, populoque indignante, iam occasionem esse, neque eam negligendam.* Sed Ericus, vir plebeio quidem genere, verum magna sapientia, ac facundia, dissuadere. *quippe Danos, etsi nunc discordes agerent, tamen, imminente hoste, illico concordes fore; itaque consuleret quieti suae; & domesticum principatum potius ornare vellet, quam, captando alieno, obnoxium periculo facere. saepius venisse usu, qui alterius regno temere inhiaret, ipse suum infeliciter ut amitteret. si sententia tamen staret, neque retrahi a proposito se permitteret, rem periculo aliorum potius expeteretur; mitteretque, qui, excursione crebra Danos passim vellicantes, belli aleam tentarent.* Placuit Gotharo oratio; & Diserti ob hanc ipsam cognomentum Erico dedit. mox praefectum classis Rafnum mare Danis reddere infestum iubet: sed res ea male vertit; siquidem occurrens Oddo, classis Danicae praefectus, praelio superatum fundit; &, deleta exercitus maiore parte, naves aliquot Norvagicae redigit in potestatem, quasdam mergit. sex elapsae, nuntiant Gotharo cladem: ac fidem faciunt, *non tam facile debellari Danos posse, atque ipsi censuisset. regem quidem, otio, & luxu, perditum: ac tyrannide quorumdam, quibus nimium permittat, populo invisum esse; at habere e proceribus satis multos, manu promtos, ac praestantes.* Quo Rollerus, gente Norvagus, corporis vi, animique, ipse etiam excellens, intellecto, ad visendam eius aulam excitatur: & Ericus, quem iam dixi, huius frater, quum nequidquam diu, ac multum, dissuasisset, & videndae Daniae cupiditate ceteroquin teneretur, comitem se illi addit. Illico consilium Gotharo aperiunt; isque probat, & dat navim, qua vehantur; ac profectionis comites, quotquot vellent, tum & mandat, omnia regno Daniae diligenter explorarent: ut reversi de quibusvis reddere certiorem possent. inde adeunt parentes, ac subsidia longi itineris ab his petunt, apud quos morati paullum, navem adscendunt, & adpellunt ad Isoram. Cognito adventu Greppa, qui iam ante de facundia Erici fama acceperat, quum sermonem contulisset, victus, atque indignatus, magis etiam, quod reginae consuetudinem exprobrasset, ad Frothonem, similis amenti currit: ac, devictum sese querens, regios satellites ad arma vocat, vim in illum tentaturus. & fecisset, nisi Frotho vetuisset, ne in hominem advenam, ac peregrinum, quidquam indecorum admitteret, qua monitione Greppa, a proposito revocatus, odium inhibuit potius, quam mutavit; itaque, quum in Erico vim ingenii singularem deprehenderet; ac metueret, ne is gratiae primum locum, quem apud Frothonem regem ipse hactenus tenuisset, blande se insinuando occuparet, unice hoc operam dedit, uti aula prohibere illum posset, sed inveniunt fata viam; neque ea sistit quisquam, aut avertit: ita certe frustra nitebatur Greppa; & Ericus, quum Frothonis in conspectum pervenisset, sic colloquio, ac prudentia, eum cepit, ut deinceps magni faceret; & amaret inter primos. Ea res cum aulicorum, & in istis quoque Greppae, pridem graviter offensi, odium in se accenderet, ut amoliretur Greppam, supra ceteros infestum, de reginae stupro illum coram accusat, qua delictum mox confessa, ac repudiata statim, quum honorem Greppa suum vindicare statuisset, & actorem, innocentiam probaturus, ad certamen singulare provocasset, tot flagitia ulciscente tamdem Deo, superatur, & occiditur. duo, qui restabant, fratres, cum ulcisci interfecti necem vellent, uti scelerum consortes, ita fati, eodem modo cecidere. tum Vestmarus pater additus: qui, natorum caede motus, in duellum provocaverat, quam rem indignatus Frotho, bonus princeps, & alumni sui amans, telo in Ericum iacto, interficere eum voluit, verum ille, a Gunnara, Frothonis sorore, monitus, postquam ictum declinasset, gnarus, regibus, post iniuriam acceptam etiam agendas gratias, e pariete exstractum, in quem alte impactum erat, summa cum dissimulatione reddit: ac modeste; *munera, rex Frotho,* ait, *dare amicis oportebat, non adiicere. gratiusque habuissem, si cum telo & vaginam porrexisses.* Qua prudentia sermonis captus Frotho, iram ponit: quemque iniuste interficere constituerat, iusto amore tanto magis mox complectitur: tum, consilio eius usus, aula improbos expellit. qua re cum adfectum sibi apud subditos benevolum, gloriam vero apud exteros comparasset, ut Ericum beneficio devinceret, data sorore Gunnara, in adfinitatem adsciscit: ac Rollero, eius fratri, dat Hernundam; quam repudiatam pridem, ob illatum a Greppa stuprum, memoravi. inde ambos in Norvagiam ad Gotharum regem mittit, filiae Alvildae sibi matrimonium petituros. ubi perbenigne excepti, quum legationis causam retulissent, rex, Frothone genero repudiato, filiam Erico offert; ea lege, ut Gunnaram, quam abduxerat viae comitem, sibi tradat: tum provinciam dotalem, ut facilius adquiescat, pollicetur. Simulat placere valde hanc conditionem Ericus; ac collaudat, ceu vix voto expetendam: gratiasque ingentes agit, quod rex tantus homini plebeio sibi filiae offerret nuptias; quibus nihil exoptare maius possit. inde animum Alvildae in Frothonem clam explorans, quum haud alienum cerneret, ac paratam etiam in Daniam sequi, eam abducit, & Frothoni uxorem sistit. Post quae quum in borealem Cimbriam irrumperent Vandali (a), duce Strunico, missus

(a) *Vandali*) Hi sunt, quos alias adpellavit Vendos, Saxo Gr. autem hoc loco (est *pag.* 84. *in editione Serana*) atque alibi Sclavos vocat.

ſus in hos eſt Ericus, qui reprimeret. iſque, ſumtis octo navibus, mox adgreſſus, eos fudit, ac fugavit. inde totis illos viribus adoriri viſum fuit: &, Erici ſuaſu, Frotho claſſem parat, & exercitum terreſtrem. quibus copiis cum Strunicus imparem ſe animadverteret. mittit qui inducias peterent; quas quum Frotho denegaret, & adigeret ad certamen, caeſus ipſe, cum fortiſſimis gentis ducibus, belli temere inchoati poenas dedit. Victor Frotho, leniter ſucceſſu uſus, recipit in fidem victos; &, victoriae monumentum, primus regum Danicorum, etiam ſe Vandalorum regem ſcribit [a]: a quo ceteris, qui deinceps ſucceſſere, uſitatum. Victis in hunc modum Vandalis, quum praedones inter ipſos multi eſſent, qui continuis latrociniis regionem infeſtarent, ut e medio eos tolleret, aſtu uſus, ceu cum gente aliqua rapace bellum gerere conſtituiſſet, ſe accingere univerſos ad hoc iubet, praemiumque pollicetur. quo pellecti, quum non pauci e latibulis prodiiſſent, caedem omnium Vandalis mandat, atque ſic Vandaliam in poteſtatem ſuam redigit, & colluviem in ea ſceleſtiſſimorum hominum plane delet. Poſtquam, Vandalis ſubactis, pacem domum retuliſſet, ne bellandi magis artem, quam regnandi, tenuiſſe videretur, leges condit; abrogatque, quas pudendas pridem Greppae populo impoſuiſſent: pari regni cum dedecore, & iniuria ſubditorum. Quae dum facit, rex Norvagiae Gotharus, Gotharus, filiae ulturus raptum, bellum parat. verum ille, accepto nuntio, prior claſſem in Norvagiam traiiciens, adhuc imparatum occupat; ac devictum etiam caedit, & Rollerum regno praeficit: quod, a Dania avulſum, a Frothonis II. morte, denuo in poteſtatem nunc reductum. Hinc reverſus, quum triennium alta pace frueretur, rex Hunnorum, filiae repudium ulciſci ſtatuens, bellum infert: ac, quo gravius invaderet, in ſocietatem eius Olimarum, regem orientis, trahit. Fidem excedit, quod refertur ab Erico [b] Pomerano, ſexaginta novem reges ad auxilium adfuiſſe; navium triginta millia, militum nonagies centena millia, in exercitu numerata. Quin & auget reges Saxo, ac fuiſſe centum ſeptuaginta dicit: quidam, etiam multo plures; ad ducentos, & viginti. Certe Hunni maximas fuiſſe copias nullo modo dubitandum; tantas tamen, vix prudentior quiſquam credet. Frotho vero, belli imminentis certus, ipſe quoque validum exercitum parans, ditionibus ſubiectis militem, arma, commeatum, & claſſem imperat. tum Ericum item mittit, Hunni copias exploratum, qui dum caſtra hoſtium perluſtrat ſedulo, agnitus, ad Hunnum abducitur; ac remittitur, ut Frothoni, quae vidiſſet, memoraret; iſque redux, cuncta exponit; &, quid faciendum cenſeat, inquirenti, occurrendum hoſti ait; neque exſpectandum eſſe, dum invadat. itaque, paratis omnibus, copias navales Hunni adgreſſurus, claſſem educit; & adortus ad Bleckingiam occurrentes, praelio inſigni fundit: capto etiam Olimaro, claſſis duce; ac legato eius, Dago. Poſtquam mari ea pugna plane debellatum eſſet, iterum Ericum Frotho, quae exercitus terreſtris profligandi ratio foret, percunctatur, atque ille reſpondere; *copias immenſas eſſe, ideoque fame potius, quam armata ulla manu, oppugnandas; itaque idoneum ſibi locum caperet, ac muniret; & in eum e finitima regione commeatum univerſum comportari imperaret: militemque intra caſtra contineret, nec pugnandi copiam faceret*. Cui quum conſilio obtemperaſſet, & nil Hunni invenirent, in deſertis Sveciae locis, quo tam magnam multitudinem ſuſtinerent, fame prius, inde orta ex illa lue, quam graviſſime laborantes, tamdem etiam diffluxere: & exemplo docuere, *modum quoque in exercitu comparando adhibendum: ac facilius conſilio, quam vi, hoſtem ſuperari; grave eſſe, quidquid nimium: & inconditam multitudinem fere molis plus habere, ac terroris, quam virtutis, & ſucceſſus*. In hoc bello, Vggerus, inter Hunnos vates, & aetate hominis conditionem ſupergreſſus, quum eventum infelicem praevideret, ad Frothonem ſe recipiens, aperit conſilia ipſi regis ſui: & abducit e Norvagia quidam regulus Hilthinus naves centum quinquaginta. Superatis autem Hunnis, Ruſſiam Frotho, & provincias vicinas, in deditionem accipit: ac tributas in praefectos, ſibi vectigales facit: tum Fridlevum quoque filium educandum hic relinquit. Poſt quae rex Svecorum Alricus, & Gothorum orientalium Geſtiblindus [c], quum de finibus regnorum inter

(a) *Se Vandalorum Regem ſcribit*) Hoc vero certis documentis oſtendere, ac probare, *Meurſio*, & cuicumque alii nimis, quam difficile foret. Equidem non repugnabo, ſi quis Saxonem, alioſque ſequutus, credere velit, a Daniae Regibus circa tempora, in quae initium aerae Chriſtianae incidit, Slavos, ſive Vandalos, h. e. populos ſub hac adpellatione poſtea in orbe cognitos, ſubactos eſſe. Verum eiuſmodi devictae gentis titulum a Frothone in literis, & ſcriptis uſurpatum eſſe, ne quidem ipſi in mentem venit Grammatico, cuius de tam remotis tamque obſcuris temporibus narrationem novis eius generis ſupplementum augere, haud neceſſe.

(b) *Fidem excedit, quod refertur ab Erico*) Sed & praeter ea, quae heic adeo viſa fuerunt noſtro fidem excedentia, nimis multa ſunt aeque incredibilia, in Frothonis huius hiſtoria; diceres poeticis fabulis propiora, niſi interdum in bonae poetices leges, quae veriſimilitudinem quamdam exigunt, impingerent. Quid vero de temporibus loquar? quae hic adeo confuſa, & conturbata, ut, niſi ſupponatur, Saxonem in hoc Rege plurium ſeculorum narrata, & traditiones delibaſſe, vaniſſimus in eis omnis ſit labor. Rectiſſime Verelius *not. ad Hiſtor. Hervari cap.* 3. *pag.* 49. „ Saxo, inquit, quidquid in veterum hiſtoriis magnificum, & admirandum reperit, in Frothonem congeſſit, ut non Regem modo, ſed „ etiam heroem priſcis illis heroibus ac ſemideis parem exhiberet'. Prout in Aenaea ſuo nihil omittit Virgilius, quod „ depraedicationi eius ſervire poterat; in quem Didonem, tribus circiter ſeculis iuniorem, amoris flamma exarſiſſe memorat, poetica ſua licentia tutus. Interim, ſi quis lectorum fortaſſis non ſecus atque h. e. *Meurſius* magno illo Regum numero offendatur, qui ſequuti Frothonis caſtra memorantur, is meminerit, multos ſimul eodemque tempore Reges provinciales in borealibus Regnis vixiſſe, *Chronico Norvegico* id diſerte atteſtante, ac praeterea omnes ex familia regia prognatos, regium nomen uſurpaſſe. Vid. Sperling. *Comment. de Regio nomine ap. Danos pag.* 165. & *pag.* 169. qua ratione neque numerus ille ccxx. Regum nimius, atque omnem veri menſuram excedens fuerit, praeſertim ſi cogitemus, aliam fuiſſe, & ab hodierna diverſam coniugiorum tum temporis rationem.

(c) *Geſtiblindus*) Nomen proprium, a fabularum concinnatoribus confictum, vel potius ex duobus adpellativis conflatum *Geſt*, hoſpes, *blinde*, caecus; ita ut *Geſtur blinde* caecum hoſpitem ſignificet. Deſumſerat hoc Saxo Grammat. ex Islandica quadam fabula, atque Regi Gothiae orientalis (quae pars Sveciae, vulgo *Oſter-Gylland*) adplicuerat; figmento addens, Alricum Svecorum Regem cum iſto orientalis Gothiae Rege, cui

inter se altercarentur, resque in bellum erupture videretur, impar viribus Gestiblindus, opem a Frothonem petit, & in clientelam quoque regnum offert; quod is accipit; & Erico bellum mandat: sociumque illi addit Scalcum Scanicum. Hi mox, rege Gestiblindo restituto, arma in Alricum vertere animum quum induxissent, suasu Erici, filium eius Gunthionum, quem Solongis, Vermiisque, pridem ille imposuerat, prius petunt; & hoc caeso, ipsum mox Alricum invadunt; is prudentiam Erici, fortitudinemque, metuens, antequam consereret manum, eum ad colloquium vocat; inde beneficia refert, quae in ipsum, ac maiores, contulisset; tum protervium Gestiblindi, qui lacessivisset varie. Denique enixe orat, *ut discederet ab armis, aut cum eo experiri singulari pugna sineret*. Cui Ericus; *valde sibi turpe fore, si relinqueret in periculo, quem adiutum advenisset: etenim senem Gestiblindum, & invalidum, ac imbellem, ipsa aetate a duello excusari; quod si vellet, se pro eo pugnaturum.* Hoc Alricus quum se cupere testaretur, pugna inita, ipse cadit: & Ericus, graviter saucius, vix evadit; Sveciamque, & adiunctas quasdam insulas, praemium virtutis suae, a Frothone titulo clientis accipit. Quae quum ita gesta essent, & Norvagia turbas daret, classe instructa, eo Frotho copias ducit, & Ericum cum exercitu terrestri sequi iubet. Postquam classem in Norvagiam adpulisset, &, extremam in Halogiam sese hostem recepisse, per exploratores disceret, quamquam necdum copias Ericus suas abduxisset, tamen eum ibi adgressus, manum conserit. Impedita admodum pugnandi ratio illi erat, inter montes: Norvagique, non inferiores navibus, copias terrestres quoque sibi magnas comparaverant; &, excepto acriter hoste, pedem etiam, uti opus, referebant, gnari eniti per abruptas illic rupes, eminus non minus item, quum fugissent, praeliantes; quin & saxa in sequentes grandia deiicientes, graviter eos adfligebant; quibus nihil motus Frotho, praelium a prima luce usque in noctem indefessus protrahebat, tenebris vix dirimentibus: ac postridie, quum Ericus advenisset, copias terrestres ducens, eius suasu mari, & terra, denuo pugnatum acriter; tam ancipiti eventu, ut victoria diu in incerto esset, omnibus utraque ex parte summa quaeque facientibus; donec victi tamdem Norvagi, tanta strage, ut vix quinta pars restare eius gentis crederetur. Sed & Dani ingentem cladem accepere: adeoque ex ter mille navium classe vix ducentas reportarunt. Frotho, Norvagis devictis, ut quieti publicae consultum iret, dat easdem illis leges, quas in Dania paullo ante promulgaverat: ratus fore, ut, quemadmodum uno iure uterque populus uteretur, ita etiam deinceps animo coniungeretur, utque homines a rapinis, atque furtis, ad honestam vitae agendae rationem revocaret, furem in furcam agi iussit; tum praeterea lupum vivum iuxta eum adligari, qui cadaver varie dilaceraret, ut spectantes poenae eius gravitate deterreret; inde geminas columnas iuxta Eidoram, Scanoram, & Vortingburgum, publica in via statuit, & armillas aureas ex his adpendit [a]; advocatque populum, & praefectos regni; ac supplicium illis ultimum, si abduci id depositum sua ipsi negligentia paterentur, comminatur. Et effecit ea severitate Frotho, ut intactae annos plurimos eae armillae iuxta viam permanerent. Rebus ita ordinatis, dum septennium illic agit, filium Alvonem gignit, & Osuram item filiam. Inter quae athleta Svecus, Arnogrinus, quum duello Scalcum Scanicum, a quo spoliatus fuerat, provocatum superasset, coniugem Osuram petit, neque obtinet; post repulsam, Ericum orat, uti pro se intercederet: sed is, veritus, ne & ipse frustra foret, adhortatur; ut Frothonem claro aliquo facinore potius demereretur, & occasionem esse, quando in extrema Svecia Finnomarchiae rex Thengillus, ac Biarmiae Echtherus, iussa eius detrectarent, cuius quum consilio obsequeretur, &, exercitu coacto, utrumque adgressus, tamdem etiam in Frothonis potestatem redegisset, negato pridem matrimonio potitur. Iam pacatis in septemtrione rebus, quum oceanum a piratis infestari intelligeret, arma sua in occidentem Frotho vertit: tum Britanniam, a maioribus subactam, defecisse item cogitans, eam petit. Insulae rex, cuius nomen in Historia ignoratur, nominis Frothoniani fama territus, quem virtute vinci posse desperaret, eum dolo evertendum esse statuit: itaque colloquium orat;

cui Gestiblindi adpellationem imposuit, certamen habuisse de Regnorum limitibus; in quae Sveci apud Saxonem nostrum incidentes, praesertim Io, & Olaus Magni, istos tamquam coelitus sibi oblatos Reges exceperunt, pluribusque fictionibus exornatos, haud sine pompa in historiam suam Svecicam induxere. Eamdemque ipsos rationem in permultis commentis aliis tenuisse, quae partim e Saxoniano opere ad se transtulerunt, partim ipsius exemplo e similibus derivarunt fontibus, res notissima. At vero, qui conficto huic Gestiblindo, (quem Io. Magnus, *Gestillum* in Svecorum monumentis utplurimum dici, nobis persuadere vult *lib.* IV. *cap.* XV.) pariter atque Alrico, detractam larvam velit, adeat Torfaeum in *Ser Reg. Dan. lib.* III. *cap.* IV. nec non Stephanium *adnotat. in Saxon. Gram. pag.* 125. *a*, in Edda *Geslion blinde*, inter nomina poetica Odini habes, *pag. Cc.* 2. *a. n.* 40.

(*a*) *Armillas aureas adpendit*) Hoc ex iis est memorabilibus, quae Islandici de Frodio I. Fridleifi I. filio, Skioldi nepote, Odini pronepote, scriptis tradiderunt. De eo scilicet antiquus liber, *Rimbegla* dictus: *Fridleifi filius fuit Frodius, qui adeo sapiens & multiscius fuit, ut ab illo quilibet sapiens* Frodr *dicatur. Illius tempore tanta pax viguit, ut nemo hominem occidere praesumeret, etiamsi patris sui, aut fratris interfectorem vinctum offenderet. Tunc latrocinia & furta sopita sunt, adeo ut annulus aureus in campis Ialingrensibus in publica via in multos annos iaceret*; itaque huius, vel alterius huic similis, auctoris Islandici fide, Saxo hoc tradiderit; unde vero acceperant Islandi? Ex vetusta traditione, inquies. Tale quid, ut sibi persuadeat, cuivis liberum relinquemus; modo nos pari libertate fruamur, credendi quod verisimilius videtur. Hoc vero est, Islandos istud ipsum, atque alia, plura forsitan quam quis facile existimaverit, ex Monachorum Anglicanae gentis scriptis collegisse; quaeque hi de suis regibus & heroibus sive ex vero memoriae prodiderunt, sive, quod saepius opinor factum, fabulati sunt, ea Islandos postea atque Danos de Daniae & aliis Septentrionis regibus heroibusque usurpasse, Ita, quod de Frothone heic legitur, quod armillas in triviis adpendi fecerit, iam antea Angli de AElfredo suo Magno praedicaverant. Matthaeus Westmonast. *ad an.* 892, *Pacem infudit provinciis, ut etiam per publicos adgeres, ubi semitae finduntur in quadrum, armillas iuberet aureas adpendi, ut viantium aviditatem irritarent, quum non esset qui eas abriperet.* Et in ipsius *AElfredi Vita*, per Ioan. Spelmannum edita, *lib.* II. *cap.* XXVII. *p.* 81. *Etiam omnia ubique loca tam alta pax insedit; ut cum Rex, periculi faciendi gratia, torques aureos inter compita subspendendos curaret, ii quidem viatorem ludibrio haberi visi sunt, ut quibus nemo manus iniicere sit ausus.*

rat: quo concesso, se submittit, ac tributum, pollicetur: tum invitat ad convivium, inter quod de pace porro acturi essent; poscit quoque e comitibus mille alios, & ducentos. Gratum id Frothoni erat; sed metuebatur dolus, quem Britannus instruebat; itaque non negat quidem, sed excusat; & conditiones pacis ante pertractari cupit, quam convivio incalescant: quippe sobriis hoc negotium convenire. Quum Britannus non desisteret, ac de pace, quando se, & sua omnia, obtulisset, nihil ultra laborandum dictitaret; ac praeterea rogaret, ut augeret comitatum, quantum vellet, adfuturum pollicetur; itaque praemittit prius: qui vicina loca explorent: ac, tentoria quum in silva nigra conspici acciperet, nihil territus, suos proxime disponit; & ad signum litui adesse iubet, ut auxilium laboranti sibi ferant: inde abit, & excipitur benignissime. in convivio, poculis certatum fuit: moxque, ut solet, largius invitatis Danis, clam Britannus se subducit, & post ipsum omnes sui; & coenaculum occludunt, ut exire nullus posset: ac deinde ignem iniiciunt; quem quum animadverterent Dani, ut evaderent, postquam exitus negaretur, facto in parietem impetu, summa eum vi effringunt, & erumpunt: acriter oppugnant Angli, neque deserunt se Dani: lituoque, ut praeceperat ante Frotho, militem auxiliarem ad se vocant; qui quum ocyus accurreret, victi omnes, & occisi: Angliaque denuo subiecta Daniae, qua nunc rursum ordinata, ac praeposito, qui tributum imperatum procuraret, in Hiberniam, itidem tunc rebellantem, classem ducit. Rex Chervillus, ut egressu imminentem prohiberet, murices per littus sparserat; quibus tamen ille spretis, militem exponit suum; &, obiecta quaeque loca populatus, magnam inde praedam abducit: regem ipsum, interceptum, e medio tollit. Eius morte intellecta, frater, cui Chervillus partem insulae regendam dederat, arma ponens, dedit sese, & regnum a Frothone accipit, ac tributum, quod negarat alter, pendit. Ita victa quoque Hibernia, Frotho in Daniam revertitur: ad triginta inde annis pacem inconcussam tenens, universis formidabilis, vitam finit. Erat princeps pace iuxta, ac bello, maximus; atque alter per septemtrionem Augustus, cui erat coaetaneus; itaque pacato orbe, sub utroque hoc Augusto, ille pacis, & dilectionis, auctor, ac servator humani generis, IESVS CHRISTVS, nasci voluit. Frotho vero, adeo pacis semper studiosus erat, ut, quantumvis ad gerenda bella natus videretur, arma tamen numquam sane, nisi lacessitus, sumeret: & effecit eius virtus, ut maiorem Dania regem non habuerit, neque latius Danicus se principatus umquam extenderit; quippe, praeter tria regna borealia, Daniam, Sveciam, & Norvagiam, quae coniunxerat, antea rebellione praefectorum separata, praeter Angliam, & Hiberniam, aliasque in Oceanu mari insulas, quas subegerat, terminos Imperii sui, Russiam in oriente, Rhenum in occidente habuit. Morte obiit, tanto principe certe indigna, a venefica interfectus (a), ea filium ad armillam, ex auro factam, quam subspensam e columna ad viam publicam memoravi, rapiendam adhortata, quum is furtum, poenae metuens, detrectaret, imminere summum iam Frothoni diem, & se arte subventuram sua, dicens, tamdem reluctantem impellit: quod Frothoni nuntiatum, quum exasperaret animum, mittit ille, qui mulierem, filiumque, comprehenderent: sequiturque inde ipse, cum nonnulla militum manu; id venefica quum praesciret, ut evaderet periculum, ad praestigias conversa, se in vaccam, filiosque item in vitulos commutasse, & ad flumen proximum citato cursu contendisse, memoratur; itaque elusis omnibus, atque factum admirantibus, rex ex essedo descendens, & in pedibus consistens, exitum exspectaturus, dat militibus mandatum, uti vaccam, vitulosque, aqua sedulo prohiberent; ac quum hi obsequerentur, illa cornu regem invadit, alterumque latus ferit, & letale vulnus infert, Regni proceres, ut provincias, quae, iam ipso vita functo, defecturae putabantur, in officio continerent, corpus eius, aromatibus conditum, per triennium adservant, & circumvehunt ceu vivum: tum putredine corruptum, nec servari ultra quitum, in Sialandia sepeliunt, iuxta Veram illic pontem: & ostendit se haud procul inde etiamnum collis; in quo conditum Frothonem (b), post annorum adeo longum intervallum, fama fertur: retinetque eius nomen, in memoriam sepulturae; quem quum pridem Ioachimus Rannovius (c), designatus Roschildensium episcopus, rege Christiano III. rusticorum plurimorum opera usus, suffodisset, aliquem in tanti regis monumento se thesaurum reperturum arbitratus, nil invenit, praeter ossium reliquias. Habuit uxores duas; primam Hanundam, filiam Hunnorum regis: qua ob Greppae adulterium post dimissa, duxit Alvildam Gotari, Norvagiae regis. Ex priore, ut videtur, filium Fridlevum substulit, mox in Russia relictum; quem extinctum quoque ibi fama incerta ferebatur: ex Alvilda, filium Alvonem genuit, & Osuram item filiam. Et Alvonem, diem suum ante patrem obiisse, inde certo sat colligitur, quod, post obitum illius, nemo ipsi filiorum superesse putaretur. De Osurae vero morte, nuptiisve (d), nihil certi in Historia memoratur.

(a) *A venefica interfectus*) Veneficam fuisse oportet, quae sese in vaccam filiosque in vitulos transformandi artem didicerat. Itaque non una aut simplex fabula olim de Frothonis fato percrebuerat. Nam aliam, plane diversam legimus in Edda; quam pro allegoria habitam, ex vero explicare nititur Torfaeus in *Addendis ad Ser. Regum Dan. pag.* 498.

(b) *Collis, in quo conditum Frothonem*) De hoc monumento, quod in Sacllandia etiamnum rustici commonstrant, paucis quidem ignoto, ac tamen, si tantummodo famam exceperis, nihil, quo doceamur, potius ad hunc regem Frothonem, quam alium quemvis spectare, ostendente, Olaus Wormius *Monum. Danicor. lib.* 11. *cap.* 1. omnia, quae dici possunt, hoc est paucissima vixque attentione digna, protulit.

(c) *Ioachimus Rannovius*) corrig. *Ronnovius*.

(d) *De Osurae vero morte nuptiisve*) Attamen de Osurae huius nuptiis memoratum supra nostro fuerat *pag.* 20. *b.* ubi, Saxonis Grammatici auctoritate, relatum, Osuram Arnsgrimo, (sive, ut Saxo scribit *pag.* 92. Arngrimo) athletae Svecico nu-

HISTORIAE DANICAE

LIBER II.

HIARNVS. [a]

Frotho moriens, sine prole ulla mascula, uti vulgo credebatur, decedebat; nam Fridlevus, quem in Russia reliquerat, dudum vitam finiisse putabatur; quam ob causam is futurus Daniae rex pronuntiatur, qui defunctum iam Frothonem carmine praestantiore celebrasset. Excitabat maximam contentionem ipsa praemii magnitudo: & in spem erigebatur adquirendi sibi regni, quisquis aliquid ingenio se valere existimaret; sed Hiarnus, ceteros hic superasse iudicatus, etiam praelatus fuit [b]; quamquam sceptrum, uti facile consequutus, ita neque diu tenuit; nam Erico, qui rex Sveciae a Frothone constitutus, vita functo, eius filius Haldanus, quum duodecim e Norvagia fratres graviter infestarent, a Fridlevo, mortui Frothonis filio, quem superstitem apud Russos intellexerat, opem contra eos petit, ac parentis mortem refert. Audit is honesta orantem, & in Sveciam mox sequitur; inde in Norvagiam tendit, & Haldani hostes caedit, uno Biornone excepto; quem, virtutis militaris laude clarum, salvum & idcirco voluit; ut deinde in negotiis gravioribus eius opera uteretur. Post quae Dani, ubi vivere cognovissent, quem defunctum antea existimabant, summam rerum promittentes, ad se vocant; & Hiarno, ut deponat regnum, mandant; quod quum ille, ut difficile principatus exsuuntur, recusaret, abeunte in partes populo, ac proceribus, regnum valide perturbatur, ac Fridlevus, per legatos praecipit renuntiari; *non se ita institutum a Russis esse, ut poetae alicuius paucis versibus regnum patris posthabendum sibi duceret: itaque aut cederet Hiarnus eo, aut mox bellum exspectaret*. Sed Hiarnus, cui grave ad privati sortem redigi, praemium ingenio suo pridem datum, armis propugnare statuit; & occurrit adventanti; verum fusus, quum in Cimbriam profugisset, copiasque illic novas comparasset, plane profligatus fuit: ac vix solus, multis saucius vulneribus, in Fioniam evasit, ubi diu delitescens, loco a se nomen dedit; inde, rebus desperatis, quum Fridlevo maximam subditorum partem adhaerere cognovisset, nec tueri sese armis ultra posset, ad insidias conversus, ut e medio Fridlevum per occasionem tolleret, vestem mutat, ac se illi pro coctore salis offert; & receptus, posteaque deprehensus, in duello, quod Fridlevo oblaturum se fuisse testabatur, ab eodem interficitur: uti regno facile parato felix, ita morte, quod occisus regis manu cecidisset, gloriosus: tum & tumulo, in quo conditum cadaver, nomen eius retinente, ad posteritatem clarus.

FRIDLEVVS II. [c]

Itaque potitus regno iam Fridlevus, operam dedit, ut reliquias factionis, ab Hiarno excitatae, aboleret, neque id difficile fuit: ita pronis omnium in eum animis, ob memoriam parentis, ut facturi quaevis etiam imperata viderentur. Pace regni restituta, a senatu admonetur, ut coniugium circumspiceret. Verum ille, id detrectans obiicit *exemplum patris, cui uxoris adulterium magno probro extitisset: itaque se vitam caelibem matrimonio anteferre*. Tamdem tamen persuaderi sibi passus, in Norvagiam ablegat, qui Frogertham, filiam Amundi regis, postularent. Verum ille & legatos contumeliose habet, & petitionem eludit; dictitans, *nequaquam sibi cum Frothonis, qui Norvagiam adeo graviter infestasset, filio adfinitatem contrahi ulla umquam posse, aut debere:* multum indignante filia, reiici a patre generum, qui virtute, ac potentia, & gestarum rerum gloria, longe ceteros antecelleret. Asperum Amundi animum quum Fridlevus se constantia leniturum existimaret, iterat legationem; quae maiore contumelia etiam excepta fuit, ac praecessit triste omen, quod eventum indicaret; quippe unus e legatis, inter viam navi excussus, postquam

nupsisse. Hoc itaque iam oblitus *Meursius*, paulo antea sibi scriptum: Cui tantum abest, ut ob istud succenseamus, ut potius omnis de Osura & Arngrimo mentionis, nec non de pluribus, quae tamen insigni usus moderatione, ex Saxone transscripta nobis retulit, gratiam lubentes ipsi fecissemus. Quid enim ornamenti athleta iste vel Osura, (cuius nomen Saxo perperam legerat, aut ex vitioso codice expresserat, quum in omnibus Islandorum libris constanter nominetur *Egfura*, vel *Egvora*,) quidque utilitatis ad Frothonis nostri historiam conferent? quorum aetas, (si modo umquam exstiterint, de quo maxime dubitaverim,) non potest Frothonis temporibus convenire. Vid. Torf. *p.* 256. *seq.* & Verel. *not. ad Histor. Hervar. p.* 49.

(a) *Hiarnus*) Islandi hunc prorsus silent. Putat tamen Torfaeus, non tuto eximi posse Regum catalogo. Rationem addit, quia Islandi in regum genealogias referre hominem nequiverunt, qui maiorum nobilitate destitutus, carminis ope ad imperium evectus esset.

(b) *Etiam praelatus fuit*) Haud sane inconvenienter huc abduxit Pontanus, in *Histor. Dan. p.* 23. locum illum Varronis, quem citat S. Augustinus in libello *de Quantitate animae*. Verba Augustini sunt *cap.* XIX. *Non enim si quidam tibicen, ut Varro auctor est, ita populum delectarit, ut rex fieret, ideo animum nostrum illo artificio augendum putamus*.

(c) *Fridlevus II.*) „ Fridleifo, Frodii (seu Frothonis) filio, inter Reges genuinos locum deberi certum est, licet ipsius historia, ut & reliquorum Skioldungorum, interierit, neque, praeter nuda nomina e genealogiis petenda, aliquid supersit; quae magis ordinem, quam narrationem dirigant. Hic nobis in Fridleiforum ordine secundus est. Fuisse illi filium Frothonem, s. Frodium IV. statuit Saxo; quod nos refellimus, inque ipsius locum substituimus Havarem. „ Haec ad verbum Torfaeus *d. l. p.* 268.

quam vitam infeliciter amisisset, versa in cruorem aqua ceteris spectaculum horrendum praebuit: quos Amundus, quum deinde in Norvagiam adpulissent, comprehendit, & occidit, quod Fridlevus merito indigne ferens, ut iniuria vindicaret, bellum parat: sociosque sibi iungit, Biornonem, de quo paulo ante dixi, & Haldanum, Sveciae regem. In Norvagiam ingressus, obvium Amundum habet, valida instructum manu, acriter utrimque pugnant, terra pariter marique: tamdem Amundus, maxima exercitus amissa parte, violati iuris gentium poenas luit, & occiditur. Bello eo consummato, ac praefectis, qui Norvagiam pro se regerent, quum in Daniam revertisset, iterum senatus orat; *cogitet posteritatem, denuoque animum ad uxorem adplicet; etenim optare omnes, si humanitus ipse quidquam aliquando patiatur, ut e regia prosapia regem successorem habeant*. Aequum postulare visis, adsentitur: &, itinere in Norvagiam instituto, coniugem Frogertham capit, bis negatam ab Amundo; quam, post nuptias celebratas, quum in Daniam abduxisset, mox Frothonem ex ea tollit, postea regem, nominis istius quartum, Largum cognomento dictum: adeo in pueritia, ob iucundam avi Frothonis memoriam, cunctis carum, ut, ceu publicus alumnus, omnium ulnis gestaretur: & educaretur inter oscula, blanditiasque, velut populi delicium. Post haec moritur Fridlevus, princeps, ad exemplum patris, bello, atque pace, egregius: post Amundum interfectum, & Frogerthae matrimonium, annos tredecim pace quam altissima fruitus. Praeter filium Frothonem, successorem, ex Frogertha Amundi natum, ut iam ante memoravi, etiam Olaum habuit, e pellice Iurita Grubbi: quam Avoni, ob virtutem militarem perquam charo, elocavit. Postquam vita functus esset, regnum accipit

FROTHO IV. (a)

quem & Largum cognomento adpellarunt. Annum aetatis iam agebat duodecimum: sed ut arboris generosae etiam planta est cum fructu, ac futurae bonitatis spem proponit universis, ita ille magnum regem, quamvis puer, ostendebat. Iam floruerat a Frothone avo Dania, & Fridlevus gloriam eius illibatam conservaverat, subditaeque illi gentes in officio permanebant; primi Saxones per hoc tempus, regis huius pueritiam despicati, secedebant, ac tributum denegabant; contra quos profectus Frotho, sic coercet rebellantes, ut doceret, tam sublimem magistratum nec in puero contemnendum. Victis, ad consueta onera, numum imperat, annis singulis unicuique persolvendum: lenitate mulctae ostendens, non fortunas subditorum, sed obsequium, se petere. Per haec tempora naufragus in Daniam venit Stercatherus, ab extrema Sveciae orientalis ora (b); uti vasta mole corporis, ita robore, animoque, iuxta invictus: tum insignis temperantia, quem benigne exceptum Frotho, quum virtutes perspexisset, maris praefectura donat; idque ille quum piratis valde infestum accepisset, mox effecit, uti, fusis ac fugatis universis, tuto cuivis navigari deinceps posset, qua re & Frothonis gratiam maxime devinxit sibi, & illustrem nominis famam apud exteros quoque principes comparavit. Vicarum, Norvagiae regem, a fide deficientem, dolo substulit. Russiam, itidem rebellantem, sub Frothonis potestatem mox reduxit. Eodem modo & Hiberniam recepit, quae iam denuo desciverat: &, Vgleto rege caeso, ac Dufflino urbe capta, pro tributo denegato, maximum thesaurum inde reportavit. Etiam in oriente nova molientes populos, Curolandos, Semigallos, aliosque, ad officium reduxit; inter quae quum Saxones iam iterum se commoverent, ac conductus ab his Hammo (c), insignis pugil, regem quoque in duellum provocaret, redux forte ex oriente per id tempus Stercatherus, ait, indecorum regi cum plebeio dimicare; inde, Saxonum perfidiam quum increpuisset graviter, qui, a Danis toties bello superati, fidem tamen non servarent, se Hammoni in certamen illud offert. Locum pugnae Hammum villam capi placuit; cuius rara etiamnum tuguriola ad Hamburgum se ostendunt. Vbi dies pugnae adesset, Hammo iuvenis Stercatherum senem spernens, ceu luctando eum mallet, quam pugnando, superare, inter multiplex certamen ita pugno mox excepit, ut in terram pene sterneret, ac nutabat Stercatherus; sed ex lapsu ira accensus, animoque asperatus, erigit se; ac validius adversarium adgressus, eum occidit, quum victori acclamant Dani; & rex, praemium victoriae, dat mancipia sexaginta, totidemque agri iugera: victis vero, quod tributum ante in capita persolvebant, nunc in membra imperatum: ab Hammone autem, ut volunt, urbi Hamburgo nomen datum. Sed nec ita

(a) *Frotho IV.*) Is, ut modo observatum, ab Islandis hoc loco movetur: ac Fridleifo II. successor datur filius eius HAVAR, a manuum robore *Handrammi* dictus, hoc est *Havar, manu fortis*, e regum albo haud reiiciendus, judice Torfaeo *Ser. Reg. Dan. p.* 268. „ cum tam patrem, quam filium reges „ habuerit manifeste: nisi forte ante patris obitum, supremum „ diem regni expers clauserit; qua de re (pergit ibidem Tor- „ faeus,) nihil certi adferre possumus, deficiente hic, ut alias, „ Skioldungorum, h. e. Daniae regum antiquissimorum, histo- „ ria. „ In alia Genealogia, ex *Originibus Norvegiae* exhibita, apud eumd. Torf. *p.* 213. perperam vocatur *Havardus*. Atque huius Havaris filium faciunt *Frodium* seu *Frothonem*, heic quidem *Meursio*, ad mentem Saxonis, *Quartum* adpellatum, sed qui Islandis *Secundus* adgnoscitur. „ Huic an res illae „ competant, quas Saxo de suo Frothone I. scribit, parum con- „ stat. Filii vero, quos *Primo* illi Frothoni attribuit, sunt Fro- „ thone Vegeto, qui nobis, pariter ac illi, numero *Quartus* „ est, procreati. Id enim filius Halfdanus, ac nepotes Hroar „ & Helgius, eorumque historia evidentissime probant. Quin & „ ea, quae de Suertingo memorantur, in illum conveniunt. „ Torf. *l. c.* Conferantur, quae supra ad pagg. 6. 8. 9. de *Frothone I. Roo* & *Helgone* adnotavimus.

(b) *Starkaterus ab extrema Sveciae orientalis ora*) Aliquanto aliter Saxo (*pag.* 103. *edit. Sor.*) *Hunc*, inquit, *in ea regione, quae Sveciam ab oriente complectitur, quamque nunc Estorum aliarumque gentium numerosa barbaries latis sedibus tenet, originem duxisse, memoriae proditum constat*. Io. Magnus Gothus in *histor. Svec.* in Helsingia, Sveciae provincia, natum Starkaterum adserit; cuius rationibus adsentitur Messenius *Censura Chronol. Scond. pag.* 38.

(c) *Hammo*) Saxoni Grammatico *Hama* vocatur saepius, *p.* 106. quod autem *pag. seq. v.* 16. 17. dicitur, ab hoc Hammone nomen urbi Hamburgensi datum esse, fabulam plane sapit; tolerabiliorem tamen illa, quae a Iove istud Hammone arcessit, in veteribus hinc inde *Chronicis* obvia.

diu victi in obſequio permanſere: & Hanofus ac Suertingus, inſurgentes, arma capiunt. quare Frotho, intellecta, Albim denuo traiiciens, occurrentem cum exercitu Hanofum, eo loco, ubi urbs Hanovera (a) mox excitata, prima ſtatim pugna caedit; id Suertingus quum videret, neque ſe iam regi parem, petit pacem; ac tributum, quod maiores perſolviſſent, ſe deinceps aequo animo ſoluturum pollicetur: ac deinde, voti compos, invitatum ad convivium Frothonem, neque fraudem ſubſpicatum, ſeque una, incenſa inter epulum arce, igne perimit; alii tradunt, inter flammam depugnantes mutuis vulneribus ambos cecidiſse. Erat Frotho a natura ad benignitatem factus; &, munificus in omnes, Largi ſibi, uti dixi, cognomentum adquiſivit. Inter alios, maxime devinxit militem, cui ſtipendium duplicavit, denique, ut virtute ipſe ſuclarus, ita felix propugnante Stercathero. Filios reliquit plures; quibus, dum in Svecia educarentur, Stercatherus annos totos ſeptem adfuit: item filias, Helgam, & Aſam. Nomina quidem filiorum ignorantur (b); ſed

INGELLVS (c)

inter iſtos regnum poſt parentem accepit: adeo ingenio diſſimilis illi, ut nil minus, quam Frothone natus eſſe, videretur. Immemor virtutum patris, neque caedem vindicavit; quin, Suertingi filia uxore ducta, eius filios magno in honore habuit: donec tamdem, incitante Stercathero, interfecit. Etiam cum ſorore Helga conſueviſſe memoratur, & Olaum ex ea filium ſubſcepiſſe; quam deinde homini obſcuro nuptam indignatus Stercatherus & eripuit, & Helgoni, uni ex Norvagiae regulis, elocavit. Vtque reges ſubditis timendos virtus, contemnendos luxus facit, ita Svecia, aliaeque regiones, ſpreto eo, ceu imbelli, & effeminato nimis, ab obſequio defecere. Moritur Lethrae, atque ibi ſepelitur: non inglorius dumtaxat, verum etiam infamis, filiis relictis quatuor; ex Suertingi nempe filia, Fridlevo, Frothone, Ingello, ex ſorore Helga, Olao. Ex quibus unus tamdem reliquus,

OLAVS II. (d)

regnum a ſenatu adeptus, uti turpiter progenitus, ita illud turpiter adminiſtravit: in Ingelli patris luxum, & ignaviam, provolutus. Neque eius quidquam ſane memoratur, quam quod moriturus regnum binis ex Alloga filiis, quum Frothoni, tum Haraldo, ſic regendum diſtribuerit, ut, imperio alternato, unum annum ille terram, iſte mare poſſideret. Eo mortuo,

FROTHO, & HARALDVS, (e)

filii, ex praecepto eius regnum inter ſeſe diſtributum tenuerunt: ac quum Frotho, natu maior, primus mare gubernandum accepiſſet, infeliciter rem geſſit, derrectante per recentia matrimonia pugnam milite, & uxorem quoque ſuam, ceu flagrante inter initia novo amore, quam honorem, aut utilitatem publicam, cogitante: quo Haraldus animadverſo, ut periculum evitaret, noluit uxorium militem; neque legit, niſi coelibem, nec conſilium fruſtra fuit. etenim, ſecuro iſto, & alacriter praeliante, pluribus victoriis clarus, ſpoliiſque, ex hoſte auctus, domum rediit. Ea res quum ureret Frothonis animum, & is fratre ſe minorem reputari aegre ferret, per ſicarium illum tollit (f): & mox iſtum quoque ipſum, ut ignoraretur ſcelus; inde, ceu ulturus caedem, acriter in auctorem inquirit; verum Deus, qui flagitia, & in primis tam horrenda,

(a) *Hanofum eo loco, ubi urbs Hanovera*) par fictio praecedenti de Hamburgo: derivata ſcil. e Saxone Gram. qui *p.* 106. *vicum Hanofra, taliter ab Hanef nuncupatum* ſcribit. Vnde hoc interim diſcimus, iam Saxonis aevo *a* in prima ſyllaba ipſius vici uſitatum fuiſſe, neque pronunciatum fuiſſe *Honoveram*, quod (ab *hoben Over*, alta ripa) veteres ac diplomata exhibere, adfirmavit Leibnitius, *Introduct. ad Hiſtor. Brunſv. Tom. II. p.* 36.

(b) *Nomina filiorum ignorantur*) Horum tamen Islandis tres recenſentur, nempe, praeter Ingellum, Frodius & Halfdanus: de quibus mox videbimus.

(c) *Ingellus*) Islandis *Ingialdus*, ac eisdem Frodii IV. Vegeti filius: cuius adeo regnum ad initium fere ſeculi V. referunt, ſeu ann. Chriſti CDVII. hoc eſt, Saxoniano Ingello trecentis annis iuniorem faciunt. Cetera de eo varia Islandi habent, Saxoni conſentientia: inter alia, quod alumnum adgnoſcant Starkateri, indeque *Starkadar-foſtri* nominent. Quid? quod ob nullius regis hiſtoriam, tantam a Torfaeo gratiam, quantam ob huius Ingelli, inivit Saxo: ita ut eum amiſſae Skioldungorum hiſtoriae damnum aliquo modo reparaſſe, praedicet, *Ser. Regum Dan. p.* 284.

(d) *Olaus II.*) In hoc nomine prorſus erraviſſe Saxonem, Islandi confidenter pronunciant: qui Ingello, ſeu Ingialdo, non Olaum fuiſſe filium, ſed *Hraerecum Hniggvanbaugium* ſcribunt; neque tamen in Lethrenſe regnum volunt parenti hunc ſucceſſiſſe, ſed in alia quadam parte Daniae imperitaſſe, circa medium ſeculi V. atque ex ſe genitum reliquiſſe Frodium; qui filium habuerit Halfdanum; a quo procreatus alius Hraerecus (infra nobis dicendus) cognomine *Slanguanbaug*, Hraereci *Hnagguanbaugii* pronepos. Omnes vero iſti, ab Ingello deſcendentes, in monumentis Islandicis minime inter Daniae reges, ſupremae poteſtatis compotes, ſed inter ſecundarios, ſive provinciarum regulos numerantur. Nempe Ingello conſtituunt in regno ſucceſſorem Halfdanum fratrem, eoque ſublato, alterum fratrem Frodium, qui ſucceſſive regnum tenuerint. Poſtea Frodius a filiis Halfdani, Hroare & Helgio occiſus traditur; quemadmodum ſupra ad dicta nomina *pagg.* 6. & 8. obſervatum.

(e) *Frotho & Haraldus,*) Rectius, ſecundum Islandos foret, *Halfdanus* & *Frotho*. *Haraldus* enim Saxoni hic perperam nominatur, pro *Halfdano*. Hunc vero Haldanum II. vocare liceat, ſi Torfaeum audiamus, ab anno Chr. CCCCXII. ad CCCCXLVII. regnantem. Fuerunt autem, non filii Olai, neque Ingelli nepotes, ſed huius fratres, filii vero Frothonis IV. Hoc vel unicus ab Islando quodam conſcriptus, & ad aetatem noſtram ſuperſtes, liber docuerit, hiſtoriam Hrolfi Krakii regis exhibens, auctore *Magiſtro Gualthero* quodam. Qui liber niſi exſtitiſſet (quemadmodum a Thormodo Torfaeo latine converſum ſeorſimque editum eſſe, ſupra adnotavimus) ne quidem Frothonem V. a Saxone hoc loco inſertum, confirmatum haberemus ab Islandis. Nuſquam enim alias in eorum monumentis conſpicitur, omiſſus etiam planiſſime in tribus iſtis Seriebus & Genealogiis, quas ex *Chronicis Norvegicis* ac aliunde depromſit Torfaeus, repraeſentatas in *Ser. Reg. Dan. p.* 211.-215. Sed &, praeter iſtud nomen, facta nonnulla ex eodem de Hrolfo Krakio libello ſuppeditantur, de his fratribus narrationem oppido ſtabilientia: ut mox patebit.

(f) *Per ſicarium illum tollit*) Nempe ita Saxo (*pag.* 120.) *a quodam familiarium occulte eum interfici iubet*. Sed aliter in iam laudata *Hrolfi Krakii hiſtoria*, quae rei geſtae ſeriem hoc modo exponit *cap.* 1. „ Haldanus totius Daniae rex (ſupremus videlicet) fuiſſe traditur: id quod Frodius frater, oeſtro invidiae ſtimulatus, aegerrime tulit, atque eo tamdem invidia crevit, ut poſt conſilia de tollendo Halfdano agitata ingenti exercitu ad parricidium patrandum, ignaro talium integerrimo fratre, & omnino imparato, in Deum moveret, incendiis, caedibus & rapinis, ditionem eius faedaret. Halfdanus, quantas ſubita perturbatio permiſerat, copias colligit, ſed fruſtra. Maior enim erat impii conatus progreſſus, quam ut reprimi iam poſſet. Itaque nulla difficultate vertitur in fugam manus Halfdaniana: ipſe in ſceleratas fratris manus captus pervenit; & abſque ullo ſanguinis reſpectu impie occiditur. „

da, neque occultata cupit, neque impunita esse, voluit, ut infamia primum exsecrandi parricidii laboraret, inde etiam poenas daret. Carolusque, rex Gothorum, Haraldi socer, quum & ipsum interrogaret, satis palam eius conscientiam arguens, frustra, ait, simulatum quaeri auctorem, quem haberet sibi cognitum. Quidam tradunt, aemulatione uxorum, coniuges ad principatum invadendum concitantium, factum esse. Vtque mali, inquieti conscientia, metuunt fere, quod se meruisse sciunt, veritus, ne fratris filii patris caedem vindicarent, etiam hos e medio tollendos censuit: quasi tutius regnaturus, post conduplicatum scelus; verum frustra perquirebat ad supplicium, quos ad ultionem Deus conservatos cupiebat. Erat autem filii Haraldo duo, ex Caroli, quem dixi, filia Signe nati: quorum huic, paternum Haraldi; alteri, Haldano nomen (a). Eum utrumque regni tutor, cui Regno nomen erat (b), ut eriperet Frothoni, in Sialandia cavae ilici incluserat, clanculumque educabat: sparsa fama, diem pridem obiisse; verum Frotho, quem quiescere non sinebat malus animus, etiam vivere eos credens, ac servari ad vindictam aliquando capiendam, porro quoque investigat; ac proponit ingens praemium, si quis usquam occultatos indicaret: & a saga edocetur, vivos alibi a Regnone adservari; qui, quum latebras alumnorum indicatas comperisset, in Fioniam eos transfert: ac reversus, ad Frothonem mox abducitur; isque quum de fratris filiis quaesivisset, animo constanti factum, sine ullo involucro, profitetur: simul orat, *suo sanguine abstineret; neque, quos privasset patre, nunc & vita innocentes spoliaret: se, si umquam novi aliquid moliantur, ipsum delaturum esse*. Admittente orationem hanc Frothone, conservati, postea grandiores facti, ac reversi in Sialandiam, quum amici ad vindictam incitarent, & se illi intra annum id facturos testarentur, aut vel ipsos perituros, Regno, quod pollicitus erat, ut praestaret fidem, defert: quo accepto, Frotho statim properat in Sialandiam, ut consilium interciperet, & insidias anteverteret; itaque deprehensi iuvenes, quum evadere non daretur, dolum parant: &, furorem simulantes, ante oculos Frothonis, velut ferro mutuo se confecturi, acriter digladiantur: quo spectaculo a proposito revocatus, furiosis, ut putabat, iterum parcit, ut mox circumventus caderet; quippe nocte insequenti, adiutantibus amicis, qui ad caedem ante quoque instigaverant, in cubiculum irruentes, coniugem Vlvildam saxis, ipsum vero fugientem, & abdentem se in latebras, fumo, atque flamma, necant. Erat illi ex Vlvilda, filia Sivardi Sveci, Ericus filius, regno avi mox potitus: nam Frothoni, qui per summum scelus fratrem regni causa interfecerat, & in filios quoque eius idem machinatus fuerat, minime permisit Deus, uti filium sibi successorem haberet: sed in filios interfecti sceptrum transtulit, qui id postea tenuere. Itaque in illis maior natu,

HALDANVS II. (c)

sublato e medio Frothone, rex creatus, statim Olandiam, ac finitimas illi insulas, populatur; inde Sveciam invadit, & Sivardum illic regem bello petit, acieque victum occidit, cui quum Ericus postea, ex filia eius Signe nepos, sibi frater patruelis, successisset, in hoc quoque patruum Frothonem exosus, ob parentem interfectum, quamquam odii reciproci eadem illi causa foret, arma sua etiam in ipsum vertit: isque valide repugnabat: & Haldanum, primo praelio superatum, ope pugilis Aquini, ac vulneribus multis saucium, fugam capere in Helsingiam compellebat; ubi viribus restitutis, & exercitu instaurato, quum in Sveciam, ad Ericum denuo impugnandum, duceret, praelio commisso in valle, rupibus altissimis cincta, aciem inclinare videns, dum utrimque depugnatur, quum Torone, viro clarae per id tempus fortitudinis, ac nonnullis item aliis, in vicinam illic rupem tramite occulto enisus, desuper coniectis saxis, copias Erici obtrivit: ac victoriam, paulo ante desperatam, & Biergrami, ceu montani bellatoris (d), cognomentum reportavit. Ericus vero, cladem ulturus, quum parasset novas vires, in Svecia Haldano impar, absentem eum in Dania impugnare statuit: ibi ille cum Haraldo fratri regnum tradidisset, isque occurreret, tribus praeliis aequo Marte depugnatis, quarto superatus cadit. Cuius rei fama Haldanus, magnis itineribus, relicta Svecia, Daniam petit, intercipere hostem certus; verum ille, imminere Haldanum gnarus, via alia regrediens, vim declinat, Sveciamque suam recipit; quam non diu tamen tenet: nam Haldanus, denuo eum persequutus, quum pertractum in insidias devicisset, atque ille, libertatem vita potiorem ducens, tradere in servitutem sese nollet, virum dignitate parem, animo maiorem etiam, quamquam victum, nimium crudeliter certe feris devorandum exponit: victoria, laudabiliter parta, turpiter utens; & infamiam gloria maiorem re-

(a) *Huic paternum Haraldi, alteri Haldano nomen*) Hoc, ut cetera heic omnia, ex Saxone; sed Roarem & Helgium adpellatos fuisse, ex libro modo adlegato discimus.

(b) *Cui Regno nomen erat*) Is in laudato libro Islandico *Reginus* est, vir primarius, dives agrorum, ac in Dania potens. Non vero, quemadmodum hic dicitur, pueros cavae ilici incluserat, sed post parentis necem tantis angustiis implicitos, destinatae a patruo neci clam subduxit, & apud amicum quemdam, Virfilem nomine, latibulum eis procuravit. Plura ibidem (loquor de *Rolfi Krakii historia*) possunt legi, atque ad finem *capitis* II. *pag.* 19. 20. Torfaei comparatio narrationis Saxonianae cum Islandica.

(c) *Haldanus III.*) Hunc Regem ex pluribus conflatum esse, quemadmodum hic atque a Saxone enarratur, contendit Torfaeus *pag.* 303. atque ibidem haud paucis demonstrare nititur. Concludit tamdem *pag.* 306. his verbis: *Igitur Haldanus Bierggrammus, ex pluribus, uti diximus, Regibus compositus, in sua principia resolutus evanescit; neque aliter inter Daniae reges locum habet, quam ut Halfdanum I. Fridleifi III. fratrem, cuius nomen exprimit, referatur*.

(d) *Biergrami, ceu montani bellatoris*) Recta satis interpretatio: siquidem *Gram*, inter alios significatus, *bellatorem*, *militem animosum* notat, ut supra, ad Regem istius nominis, animadversum. Saxo tamen hic paullo aliter: *Bierggrammi cognomen accepit: quod vocabulum ex montium & feritatis nuncupatione compactum videtur*. Vbi Stephanius *pag.* 154. *b.* „ Nobis enim mons, *Bierg*, & ferus, *Gram*: ut intelligatur „ hoc cognomine, qui in montibus feritatem exserit, ferociamque exercet. „

referens. Mox conversus in piratas, ac latrones, Toconem in his, & Amundum, littora Daniae infestantes, eos domat. Quod dum facit, Sveciam Sivaldus turbat; ac, favore incolarum in se prono, regnum occupat; sed accurrens mox Haldanus, ipsum, filiosque septem, omnes robore excellentes, ac peritos veneficii, pugna singulari sternit; querna contusos clava interficiens, quos nequiret, fascino munitos, ferro laedere. Post haec homines praeferoces, & opprobria quaedam seculi, Hartbenium, Egtherum, Grimmonem, & Ebbonem, aut occidit, aut in ordinem coegit. In provectiore aetate coniugem Thorildam accepit, filiam Hotheri, Norvagiae regis: eaque Asmundum illi filium peperit, ante patrem vita functum, ut quidam volunt: alii tradunt, diu regnum tenuisse; & ab hoc Norvagiae reges genus ducere. Vita excessit admodum senex, & gestarum rerum gloria inter primos recensendus. Tantae certe existimationis fuit, ut Thoronis, sive Iovis, vulgo filius diceretur [a]: & in Svecia etiam vivus instar dei coleretur. Vnum tamen non iniuria reprehendas, quod Ericum, Sveciae regem, virum fortem, & indignum tali morte, belluis dilaniandum crudelissime exposuerit. Liberos, extincto Asmundo, de quo dixi, nullos habuit: itaque Vnguinum sibi, Gothiae orientalis regem, successorem nuncupavit: non facturus procul dubio, si superfuisset filius. Qua de causa verior eorum mihi est sententia, qui Asmundum prima statim in aetate obiisse diem tradunt: neque enim vivum hunc praeteriturus erat pater; neque Daniae item proceres, qui amore semper summo regum filios sunt complexi, id passuri uti fieret. Ergo, post Haldani mortem, regnum accipit

VNGVINVS, [b]

rex Gothorum, qui Huguinus aliis dicitur: & Haldani sive nepos, sive frater; sive, ut alii, consobrinus: nam incerta est Historia: ac falluntur etiam illi, qui fuisse socerum tradunt [c]: nam Haldanum filiam duxisse Vnguini, etsi ab Ebbonis nuptiis liberaverit, nemo dicit. Sed haud diu regnum hoc Vnguinus tenuit; a Regnaldo, Sveciae rege, gravi bello impetitus, & occisus: filiumque successorem sibi habuit Sivaldum.

SIVALDVS I. [d]

Is, rex factus, sub initia ipsa regni ulcisci patris necem statuit: ac, coacta magna manu, cum Regnaldo in Sialandia pugnam init; acrem admodum, & ancipitem, ac in triduum integrum continuatam: neque acies etiam tum inclinabat, quum Otharus, vir militiae eximius, gente Danus, ac Sivaldi partes sequens, in confertum hostem ruit, & Regnaldum mox obtruncat; quo occiso, consternati statim Sveci fugam capiunt: & in illis Stercatherus, cum delectis sexaginta; quem ad illud usque tempus, in tot ante praeliis invictum semper, nemo fugientem viderat. Et Otharo rex Sivaldus filiam Syritham, forma pariter pudicitiaque insignem, praemium navatae operae, dat uxorem; ac sororem invicem illius capit; alii vero, filiam tradunt ante bellum elocatam; ac virtutem sic Othari obstrictam regi. Hinc Sivaldus, Svecis superatis clarus, & Otharo genero felix, vita excedit, superstite Sigaro filio.

SIGARVS. [e]

Huic filii tres erant; Sivaldus, Alfo, & Algerus: filia una, Signe dicta. In his Alfo, quum, egregia mixtura, forma, & robore, emineret, & Alvildam, filiam Gothorum orientalium regis, in uxorem postulasset, atque eam dehortata mater esset, ipsaque, mutata veste, ad piraticam exercendam abiisset, ille, classe, persequutus, quum in potestatem suam redegisset, compotem se voti facit: ac Sigarus, ocii & quietis amans, velut in virtute eius adquiescens, regni illi curam tradit; isque, Algero fratre comite, dum persequitur piratas, mare suum infestantes, in Hamundi, Hiberniae regis, filios incidit, Helvinum, Hagabertum, & Hamundum: praelioque mox commisso, quum pugnantes ingruens nox diremisset, die postero, armis positis, foedus init, quod non diu tamen tenuit: nam Rolvisus, in Sigari aula vetus, gratiaque validus apud Algerum, constitutam inter regum filios pacem aegre ferens, statim incitat Alfonem, uti

(a) *Vt Thoronis, sive Iovis filius diceretur*) *Thor*, *Thorus*, vel *Thord*, deastrorum Septentrionis potentissimus habitus, cuius idolum apud Vpsalienses, Wodanum seu Othinum a dextris, Martis habitu, Fricconem a sinistra respiciens, eodem fere modo, quo Iupiter fulgurator repraesentabatur: sicut ex Adami Bremensis *libro de Situ Daniae, &c. cap.* CCXXXIII. discimus. Post quem, & Olaum M. alii id satis multi attestati, Dani, Sveci, Angli, Islandi: neque res ampliore a nobis illustratione indiget; quam qui desideret, adeat Stephanii longam adnotationem de utroque celeberrimo idolo, Thoro & Othino, in *notis ad Sax. Gram. a p.* 135. *ad* 144. ut Wersteganum, Sheringhamum &c. Anglos, & nostratem Thomam Bartholinum in *Antiquitatib. Dan. lib.* II. *cap.* V. VI. VII. omittamus.

(b) *Vnguinus*) In Pseudo-Erici Regis *Chronico* vocatur *Hugni*; in Anonymi *succincta historia*; *Huguinus*. Islandus penitus est ignotus. Igitur Torfaeus, ad eum perveniens, *pag.* 306. *Haldano* (Bierggramo) inquit, *ex Regum ordine extruso*, *Vnguinus* (*quem ab illo adoptatum Saxo scribit*) *superesse non potest. Quod si quis eum, filiumque illius Syvoldum, nobis ignotum, incerti temporis regulorum collegio accensere voluerit, fecerit id me non repugnante.*

(c) *Falluntur, qui fuisse socerum tradunt*) His notatur Pontanus, qui in Haldani Bierggrami vita, hoc dixerat, *pag.* 28. *Chronicon*, Erico Pomerano Regi vulgo attributum, *Huguinum Haldani nepotem* nominat. Stephanius, in *notis ad Suenonem Aggonis*, non dubitat iis accedere, qui statuunt, totam antiquissimam Daniae regum stirpem & propaginem in Haldani Haraldi filio defecisse. Qui cum sine liberis esset, regias opes Vnguino cuidam Gothico, testamento legaverit, eumque Regem constituerit, teste Saxone *lib.* VII. Hunc Vnguinum postmodum ab aemulo, cui Regnaldo nomen, bello oppressum, filium Sivaldum reliquisse. Sivaldo filium Sigarum successisse, Sigaro filium Sivaldum; & in hoc Sivaldo denuo masculam Regum sobolem exspirasse. Ista vero ab Islandicis toto coelo in diversa abire, ex sequentibus patebit.

(d) *Sivaldus I.*) Vid. nuperrime notat. de *Vnguino*.

(e) *Sigarus*) Neque hunc inter genuinos Daniae reges collocari posse, ostendit Torfaeus, *pag.* 279. Regulus quidem, inter illustriores, videtur fuisse; cuius fama in multis septentrionalium scriptis adhuc persistit. Torfaeus certe, in septentrionali chronologia ad miarculum usque accuratus & diligens, declarat, omnibus collatis & expensis, aetatem eius in Frodii Tranquilli tempora (is Frodius Islandis III. est, Saxonis autem, ut videtur, Frotho II.) incidere, hoc est, circa an. Chr. CCXXX. ad CCXL. unde tanta minus ipsi inter supremos Daniae reges locus patet.

uti bello Hamundi filios denuo persequeretur: & impellit eo animum, ut in mari occurrentes mox invaderet; hostis derepente fieret, quem credebant foederatum: ac, perfidia illo tempore fortunata, victor caederet. Sed non diu haec felicitas illi stetit; quippe frater occisorum Hagabertus, qui a clade forte aberat, superveniens, integer cum fatigatis manum conserens, vicissim Alfonem, & Algerum, fratrum stragem ulciscens, caedit: nec contentus hac vindicta, etiam iuvenis, & imberbis, sumta veste muliebri, regiam Sigari adit; & in Signes, regis filiae, famulitium mox admissus, eam pellicit in amorem, comprimitque: quod cum postea emanaret, & Sigarus poenam irrogatam cuperet, laqueo Hagabertum damnat; ac subspendit Sigarstedii, in propinquo illic colle, qui patibuli dicebatur. Exstat vero etiamnum ille pagus ad Ringstedium: & corrupte Siarstedium, nomen retinens Sigari, cuius Regia tunc erat, nuncupatur. Errant autem, qui Sigarum Sveciae fuisse regem, ac de Hagaberto hoc supplicium in Svecia (a) sumtum, sunt auctores. Signe, amatori pacta vitae exitum communem, se, cum sociis virginibus, prius quoque incensa regia, itidem iniecto in collum laqueo strangulat. Is Sigaro luctuosus casus fuit: &, amissis antea duobus filiis sat infelix, nunc & filia privatur, dum castigat amatorem, qui laesisset pudicitiam. Ac mox Haco, intellecta fratrum caede, & in primis Hagaberti ignominiosa morte asperatus, bellum infert (b): &, in portum Hervigum adpellens, quum exposuisset militem, partem navium petere Roschildiam iubet (c), ipse per vicinas silvas Lethram tendit, vetus regum domicilium, ac tum etiam Sigari. Qui quum Haconis adventum accepisset, constitutis, qui in locis opportunis excubarent, mox Roschildiam contendit; verum Haco, elusa una alteraque statione, ut & tertiam deciperet, quum e silva prodeundum in apertum campum foret, abiicere impedimenta, & incidere ramos iubet: atque eos, una cum districtis gladiis, manu ferre; sic in urbem recta ducens, quum a tertia statione cerneretur, qui in ea erant milites, novitate rei territi, mittunt, qui referret regi, silvas ambulantes conspici, & appropinquare urbi. Rex Sigarus, eo nuntio accepto, quum in aciem illico suos eduxisset, praelio commisso, cadit: tanta strage, ut *Valbrunna*, quasi *Stragis* quidam *puteus*, a caesorum multitudine, locus deinceps diceretur. Hic Sigari finis fuit; qui, suorum clade potius, quam virtute sua, clarus, tamdem ipse, ceu calamitatis suae supplementum, ob perfidiam filiorum, ac punitum filiae stuprum, bello impetitus periit; uno tamen illo felix, quod, non omni extincta prole, filius ei superesset,

SIVALDVS II. (d)

qui & regnum mox acciperet, atque caedem vindicaret. Nam, rex factus, ocyus coactis copiis, quum post interfectum patrem crudelissime victor Haco in quoscumque, nulla sexus, aut aetatis, ratione grassaretur, occurrendum illi statuit. Haco vero, non exspectans venientem, imposita in naves tertia copia-

(a) *De Hagaberto hoc supplicium in Svecia*) Quasi res magni momenti, aut insignis alicuius foret gloriae, sive apud Svecos, sive in nostra terra, ipse Venereus nepotulus ob regiae puellae raptum in patibulum esset actus. Adeo scilicet unumquodvis antiquitatis monumentum habendum erit pretiosum, ut etiam patibula & malefici in istum censum veniant? Mirum profecto, quanta gravitate id egerit Io. Messenius in libro, quem *Sueopentaprotopolim* inscripsit, ubi, postquam varia produxerat argumenta, ad probandum, Signem Regis Sveciae natam, Haborem Norvegiae Regis filium fuisse, huiusque supplicium contigisse in Svecia, tamdem *pag.* 61. pronunciavit: *Mihi a fide dignissimis narratum hominibus, in ipsa planicie Haborina, secus decursum Meleri iacente, paucos ante annos, quemdam accolarum, caudicem patibuli, in quo Habor circiter annum salutis* CCXXII. *laqueo strangulatus, ex terra eruisse, & plurimis hominum commonstrasse*. Nimirum, ut falsi argueretur *agrestis* ille, qui, quemadmodum Saxo narrat, *pag.* 132. in Saellandia *glebam vomere rimatus, trabem patibuli*; in quo subspensus Habor, repertam, Absaloni Archiepiscopo monstraverat. Magis tamen mirabitur, qui consideraverit, quanto studio, quanta verborum profusione, quanta denique vehementia Messenium refutatum iverit Olaus Wormius *Monumentor. Dan. lib.* II. *cap. ult.* ut taceam Stephanium, qui in *notis ad Saxonem Grammat. pag.* 158. *seq.* etiam loci atque integri tractus, ubi Habartus supplicio adfectus est, topographicam delineationem adposuit. Piget sane, videre in rebus nihili doctissimos viros tam serio occupari. Interim Messenius, progressu temporis, re melius considerata, aliquid in priore sua sententia mutavit, in *Censura Chronol. Scond. not.* 277. contra popularem suum Laur. Nericium professus, verissimum esse, quod Signe fuerit Dana, & Habor Norvegus. Itaque finitam certaminis partem diceres, atque de patria amantium, inter nos & Svecos convenire. Hoc vero nequaquam licuit, aut licebit unquam per Norvegos, minime quieturos, nisi universam istam fabulam, & Svecis & nobis abiudicatam, suae terrae vindicaverint, etsi de loco ipso maxime inter se discordes. De quo malumus praestantissimi Torfaei, quam nostra verba lectori, expendenda dare. Sic autem ille *Ser. Regum Dan. lib.* III. *cap.* V. *pag.* 280. „ Rei gestae vestigia Dani, Nor„ vegi, Sveci, singuli in sua patria, ut evidentes testes, pro„ ducunt loca, iis nominibus insignita, quae ab Hagbardo, & „ Signya Sigareque in perpetuam ad posteros memoriam id tem„ poris sortita sunt. Quin & tres Norvegiae provinciae, inter „ se discordes, singulae sibi fidelitatis huius gloriam adserunt. „ Conspicitur in Lipsia campus, hodieque *Sigarsvoll* dictus, ce„ teraque rudera. In tractu Bergensi, in praedio Sogniae, Or„ nesia dicto, parum a promontorio Aungulsnesia, alter. In „ Halogia insula Aungulseya, & quidem praedio, supremi pro„ vinciae iudicis habitationi dicato, Steig dicto, *Liber Originum* „ *Islandiae*, monumentum antiquitatis illustre, Arii etiam Poly„ historis auctoritate prope invictum, tertium, sed rei gestae „ prototypum, indigitat, nomine *Fontis Signyae* insulaeque, quae „ ab Hagbardo *Hagbardzholmus* adpellatur. Illa locorum rude„ rumque nomina perpetua fama, quasi per manus ad poste„ ros tradita, in hodiernum usque diem illic durare, confirma„ vit nobis Vir amplissimus Canutus Gedde, qui provinciam „ illam praefecti titulo multis annis gubernavit. Admiratione tam „ illustris facti, gentes complures tragoediae ipsius monumenta „ in perpetuam memoriam apud se statuisse videntur. Nos, ubi „ contigerit; haud decidemus; cum singulae antiquitatis testimo„ niis monumentisque innitantur. „ Hucusque Torfaeus. I nunc, atque in tantae vetustatis rebus, ubi scriptores coaevi desiderantur, traditionibus vulgi, & monumentis, quae commonstrantur, fide.

(b) *Bellum infert*) Messen. *Cens. Chronol. Scond. not.* 278. *Ob incendium Signes & subspendium Haboris, tantum inter Danos & Norvegos oritur bellum, ut in eo genus utriusque gentis omne regium interierit.*

(c) *Partem navium petere Roschildiam iubet*) Hic noster Ioan. Suaningium ducem habuit, non Saxonem. Et Suaningius cur deserere Saxonem voluerit, nullus capio: nisi memoriae vitio, aliove errore id factum. Etenim in Grammatici narratione nulla alia locorum occurrunt nomina, quam *portus Hervigi*, *Susae amnis*, & *oppidi postea ab Hesberno constructi*. At hoc ultimum non est Roschildia, sed Calunda, sive Calundburgum, quod condidisse Esbernum, Absalonis Archiep. germanum, ipse docet, utrique coaevus & familiaris, Saxo lib. XIV.

(d) *Sivaldus II.*) AEque ignotus Islandicis scriptoribus, ac superioribus illi quatuor. De illo, & parente ipsius audiatur Torfaeus: „ Sigarem, quem Saxo Syvaldi filium statuit, in Fro„ dii III. seu Tranquilli tempora referendum esse, supra mo„ nui, ubi eius genealogiam paulo altius repetitam, & a tradi„ tione Saxonis alienam exhibui. Patet exinde, mortem filii „ eius Syvaldi, si is unquam exstitit, interregno causam non „ praebuisse, quum tam ante quam post Sigarem, regnum a „ legitimis successoribus & Regibus genuinis longo tempore ad„ ministratum fuerit. „ Pseudo-Erici Regis *Chronicon* loco Sivaldi II. aliud nomen habet; quod *Goldrie* bis scribit: atque istum Goldrie nepotem Sigeri, cui in imperio successerit, facit.

piarum parte, fugam adripit; & Haconi, cognomento Fastuoso, reliquum exercitum tradit. Pugna initur ad Roschildiam [a]; adeo magna, & obstinata, ut, per totum biduum continuata, vix amborum ducum caede, Danis tamen superantibus, finiretur: ac reliquias, quae Haconis sui corpus, in aggesto illic colle, qui illius etiam hodie nomen [b] refert, sepeliverant, superveniens Borcarus, vir nobilitatis summae inter Scanos, Scanicum equitatum ducens, profligavit: tum Haconem, Hamundi filium, quem fugisse ante pugnam memoravi, comprehensis ibi navibus, & imposito illis milite, persequutus, & in mari deprehensum praelio navali adgressus, ita fudit, ut in Scotiam vix evaderet: in qua per biennium exsul, velut in saevitiae poenam, pridem exercitae, tamdem vitam miser finiit.

OSTMARVS, HVNDINGVS, HANO, RORICVS, HATHERVS [c].

Post haec bella, diuturna, ac multiplicia, adeo exhausta fuit domus regia, ut ex ea nemo ultra superesset, praeter unicam Guritham, Sivaldi huius ex Alfone fratre neptem; itaque proceribus regni, magno admodum consilio, visum fuit id dividere, & pro rege uno sibi viros quinque constituere, qui in partes distributum administrarent, ac Scania, Ostmaro data; Sialandia, Hundingo; Fionia, Hanoni; Cimbria australis, Hathero; borealis, Rorico cessit. Hi aequata potestate suam quisque ditionem possidebant. Guritha vero, animi excelsi virgo, quod, extincta stirpe regia, dignum se maritum habere minime posset, nullum volens castitatem tuebatur: ac, quo contra invasuros se muniret, legerat duodecim fortissimos viros, qui cubiculum custodirent, & adire cupientes prohiberent. Inter ista autem Haldanus, Borcaro, de quo dixi, natus, atque Drotha, quae Regnalidi, Sveciae regis, filia erat, matrimonium eius petit: sed repulsus, hoc ab ea tamen impetrat, ne maritum aliquem deligeret sibi, antequam rediret ipse, aut defunctum illa esse intelligeret; quippe regno excessurum; neque reversurum prius, quam virtute, ac gestarum rerum gloria, meruisse, quod petebat, videretur. Hinc in Russiam profectus, quam Alverus, Sveciae rex, tunc impugnabat, contra eum arma capiens, quum facinora illic multa praeclarissima edidisset, tamdem e duello saucius decessisse apud Danos memoratur. Inter quae Saxoniae Sivardus princeps, qui sub quinque his dynastis ditionem ipse suam in libertatem vindicaverat, per legatos matrimonium eius petit; nec difficilis Guritha, & concedit postulatum: hac conditione tamen, ut distractum in quinque principatus regnum studeat recuperare, ac recuperatum quoque sibi tradat; quod quum ille promisisset, & nequidquam aliquandiu tentasset, quod pugnando obtinere non potuerat, largiendo, & Gurithae curatoribus corrumpendis, mox consequitur, ut in nuptias, sine hac conditione, consentiret. Id Haldanus quum in Russia accepisset, tanta Daniam festinatione repetit, uti diem nuptiarum anteverteret; quae quum mox peragerentur, se convivis, omnibus ignotus, miscet: ac, captata cum Guritha colloquendi occasione, queritur; *non servasse fidem, & in matrimonium istud, ante reditum, aut de morte sua nuntium, contra quam pollicita fuerat, consensisse.* Atque, illa curatores accusante, quae invitam coegissent, ira accensus, magnam convivarum partem, & in his Sivardum ipsum, e medio tollit: hinc Guritham uxorem accipit, & cum ea quoque regnum.

HAL-

(a) *Pugna initur ad Roschildiam*) Hic iterum Suaningius, cuius verbis noster inhaeret, alium rei gestae locum adsignavit, quam apud Saxonem invenerat. Apud hunc certe nulla Roschildiae fit mentio; neque ex omnibus, quae describit, ad pugnam hanc spectantibus, aliud videtur confici, quam pugnatum esse propius Ringstadium, quam Roschildiam: cum etiam nominetur Axelstada, pagus rusticus, hodie *Alsted*.

(b) *Colle, qui illius nomen &c.*) Vocatur etiam, ad nostra usque tempora, *Hageboi*, i. e. Haconis collis; ac in tabella ipsa topographica, quam Stephanius, illustrandae de suspendio Hagbarti historiae causa exhibuit, in *notis ad Saxon. p.* 160. est conspicuus. Vnde & magis dispalescit error Suaningii atque Meursii, de Roschildia loquentium: nec non ipsius Torfaei, qui in *Histor. Norveg. Tom. I. p.* 363. sententiam Meursii secure adoptavit.

(c) *Ostmarus, Hundingus, Hano, R. H.*) Nomina quinque Daniae gubernatorum apud Saxon. Grammat. *pag.* 133 Verum Pseudo-Erici Regis *Chronicon*, haud plane hoc loco consentiens, sic habet: XLVIII. *Goldrie*: *Post cuius mortem regnum Danorum in quinque regna divisum est.* XLIX. *Rorgardus, qui habuit filiam Sivardi, nomine Role, in uxorem, regnavit in Scania.* L. *Hundenger in Syalandia. Ipse semper impediendo alios perdidit, & defendendo se vicit, unde & ex eo tractum est proverbium aliud, Hunderheinae rike est.* LI. *Hani regnavit in Fyonia.* LII. *Hother in Sunder-Iutia.* LIII. *Reyner in Norvicia.* Videtur alios hic auctor fontes habuisse, quam Saxonem Grammaticum; quamvis nonnihil etiam librariorum culpae adscribendum. Sane nomen *Goldrie* quo magis considero, eo mihi magis persuadetur corruptum esse, neque aliud nomen in primo exemplari, quam *Sigvaldi* (quomodo Messenius aliique id scripserunt) exstitisse, unde priores duae litterae perierint, fortassis vetustate detritae, aut alio quodam vitio abolitae. *Borcardum* auctor Chronici Scaniae regulum constituit, maiori probabilitate, quam Ostmarum Saxo cum suis adseclis: praesertim si quae ipse Saxo de rebus a Borcaro gestis, tum in Sivaldi II. vita, tum postea, Meursiusque hac ipsa & seq. *pagg.* narrarunt, considerentur: cum Ostmari nomen alias haud occurrat, neque ullo facto memorabile sit usquam redditum. De matrimonio Borcardi, quod Saxo Reginaldi Norvegi filia, *Drotta* nomine, initum dicit, Chronicon vero Ericianum, cum filia Sivardi, nomine *Role*, nescio quid dicendum: Saxonis tamen mihi potior auctoritas videtur, & *Chronici* auctor in *Sivardi* nomine scribendo, pro *Reginaldi* memoria lapsus. Fuerit interim *Drottae* (quod adpellativum vocabulum erat omnibus iam olim commune Regum principumque uxoribus) illud alterum *Role* proprium, quod ignorarit Saxo. *Hundenger* cum Saxone convenit, qui Hundingum vocat. Sed quod ex *Hanonis* nomine proverbium nobis Grammaticus retulit (*p.* 135.) *in proprio plus lare Hanonem valere*, (ubi adluditur ad vocabulum *galli gallinacei*, quod in nostra lingua est *Hane*) illud ipsum *Chronici* auctor ad Hundingum adplicat, pari dexteritate. Ita enim vernacula illa a librarii errore expedienda: *Hund er heimae rikest*, id est, *Canis domi suae plus pollet*. *Hother*, qui ceteris *Hatherus*. *Sunder-Iutia*, australem Iutiam significat. *Regner*, Saxoni *Roricus*. Sed pro *Norvicia* legendum levi transpositione *Norintia*, ut borealis Iutiae pars intelligatur. Ceterum de interregno hoc, seu statu Daniae polyarchico, Torfaeum si consulamus, aliter ordinatum, non solum quod ad nomina, sed etiam quod ad tempus spectat, inveniemus. Adseritur enim, post spoliatum vita simul & regno Rolfum Krakium (de quo legantur, quae adnotavimus *supr. ad pag.* 9. & 10.) sumtamque de interfectoribus eius ultionem, rem ad interregnum venisse, atque tum protinus magnam regulorum messem surrexisse, qui pari potestate praediti, nullique superiori obnoxii, regios titulos usurparint. Ex his Scaniae praefuisse *Hakium* & *Haraldum Grandaevum*. Lethrenses rexisse *Frothonem VI.* partem tamen Saellandiae tenuisse *Reidarem*, &, qui eum occidit, *Hiorleifum Mulierosum*, provinciarum Norvegiae Hordiae & Rogalandiae Regem: Iutiam *Eldrecum* cognomento *Vlfhamum*: alibi regnasse *Eysteinum*, & *Suenum Victoriosum*, nec non *Solvium de Niardeya*. In his vero nihil esse, quod cum Saxoniano interregno consentiat, quivis videt: de quo iudicium suum porro expromit laudatus Torfaeus ad finem *cap.* VII. *libri* III *Seriei Reg. Dan. pag.* 307. quod, quia nihilo plus ad illustrationem auctoris nostri facit, hic omittimus.

HALDANVS III. (a)

Sic Guritham coniugem Haldanus nactus, armis regnum vindicare, ac dynastis extorquere, animum inducit suum; quod quum diu varieque tentavisset, praelio contra Vesetum in Sialandia infeliciter commisso, victus cadit: princeps corpore animoque pariter magnus, & ab utriusque robore Fortis cognomento dictus. Filium superstitem, & successorem, Haraldum habuit: filias vero numero duas, quarum una, Sivardo nupta, Norvagiae regi, Olonem peperit, Haraldi avunculi successorem: altera autem, Ingello, Sveciae regi, rapta primo, mox concessa, filium Ringonem enixa est, de quo postea dicetur.

HARALDVS III. (b)

Profligato sic Haldano, Haraldus, ex Guritha filius, tentatam frustra a parente restitutionem

(a) *Haldanus III.*) In *Chronico* Pseudo-Erici Regis, *Haldanus hinsterke*, h. e. *fortis*, *robustus*. Neque Islandis hic magis, quam plurima ceterorum pars, cognitus. Est quidem alius iis Halfdanus, cui Diserti cognomentum dant, filius, non Borcari & Drottae (ut Saxonis ille) sed Haraldi Grandaevi, atque Haraldi Hildetandi, non pater, sed proavus; parens autem celeberrimi olim Regis, sed Saxoni Grammatico ignorati, Ivari Vidfadmii.

(b) *Haraldus III.*) Hunc inter prisci aevi praecipuos maximeque memorabiles Reges Danos, haud nostri tantummodo, sed & Islandi, omnesque boreae scriptores numerant. Torfaeus imperium eius refert ad seculum septimum, quod regnando totum impleverit, aliquousque etiam in octavum vivendi spatiis extensis, quae fuerat xv. annis ante finem sexti seculi ingressus: ita ut, si Islandis fides habenda, imperium eius cxxxv. annorum fuerit, ipse vero anno Christi DCCXXXV. sesquisecularis obierit. (vid. Torf. *p.* 239.) secus quam seq *pag.* 29. *b. v.* 10. tradit de quinquagenario eius regno Meursius, Erici Regis *Chronicon* sequutus; Saxoni enim tantum hoc dicitur: *provinciis principibusque perdomitis quinquaginta annos in otio habuisse, lib.* VII. *p.* 139. Verum de ortu eius ac parentibus multum etiam discrepant Islandi a nostratibus: Et Saxo quidem, haud satis sibi constans, modo, (ut hic Meursius,) Haldano & Guritha prognatum esse, modo Borcarum & Gro, Alvildae comitem, parentes habuisse scribit. Vnde Io. If. Pontanus noster in eam opinionem devenit, ut duos exstitisse Haraldos, fere coaevos crederet, unum *Haldtandi* nomine, *Hyldetandi* alterum: quam vero coniecturam Stephanio minus potuit adprobare, qui memoria lapsum fuisse Saxonem, verisimilius existimavit. At Islandi genealogiam longe aliam texunt. Ostendunt hi, non uno, sed plurimis monumentis, historicis poeticisque innixi, Regi Ingialdo, (seu ut Saxo adpellat, Ingello,) Starkatori alumno, cuius aetas fere cum seculo V. incipit, filium fuisse Hraerecum Hnogguanbaugium, nepotem Frodium VI. pronepotem Halfdanum III. abnepotem Hraerecum Slanguanbaug, (qui nostratium est Roricus Slyngebond) atque ex hoc Hraereco, & filia Regis Ivari Vidfadmii, Audure dicta, natum Haraldum Hildetandum. Genus autem Ivari Vidfadmii, quem Haraldus Hildetandus avum, ut dixi, habuit maternum, sic deducunt: Halfdanus II. Rex Daniae, Regis Ingialdi, nuper dicti, frater, filium habuit Hroarem, nepotem Valdarem Munificum, pronepotem Haraldum Grandaevum, abnepotem Halfdanum III. Disertum, parentem Ivari Vidfadmii, cuius filia Audur nupsit Hraereco Slanguanbaugio, atque ex eo subscepit Haraldum Hildetandum: ut ex sequenti patet schemate:

Frotho f. Frodius IV.

Ingialdus, Starkateri alumnus	Haldanus II.
Hraerecus Hnogguanbaug.	Hroar
Frodius VI.	Valdar Munificus
Halfdanus III.	Haraldus Grandaevu
Hraerecus Slanguanbaug	Halfdanus III. Disertus
	Ivarus Vidfadmius
	Audur Dives, Hraereci Slanguanbaugi coniux

HARALDVS HILDETANDVS.

Id praeterea Islandi in his genealogiis peculiare, & ab hypothesi Saxonis Grammatici diversum, habent, quod omnes illos ab Ingialdo seu Ingello descendentes, non inter veros & supremos Reges Daniae, sed inter regulos, aut certarum dumtaxat partium regni dominos numerent, atque vice versa posteros Halfdani II. quos enumeravimus, adgnoscant summa, aut saltem praecipua cum potestate regnum Daniae tenuisse. Nam variorum sub dominatu quin fuerit, negari omnino nequit, usque ad Ivarum Vidfadmium, eiusque nepotem & successorem Haraldum Hildetandum, qui tamquam in hoc ipsum nati, suae illud integritati & dignitati denuo restituerunt. Porro inter illos, Halfdano II. progenitos, duo offendimus nomina, frustra apud Saxonem Grammaticum eiusque sequaces quaerenda, VALDARIS nempe MVNIFICI, & IVARI VIDFADMII. De priore Islandi paucissima habent, quae narrent illique ditionis sedem in Scaniam fuisse, credit Torfaeus *p.* 501. At de *Ivaro* tanto plura in libris ac memoriis eorum consignata. Huic *Vidfadmii* cognomen, non solum posteri, sed, ut perhibent, etiam aequales indiderunt, a victoriarum ac ditionis, quam pugnando ac vincendo adquisivit, amplitudine; quasi *Latipassum* diceres: a *Vid*, latus, amplus, *Fadmr*, passus, vel orgyia, spatium inter manus expansas, sex pedum mensura. Et hoc verius fuisse eius cognomen pertendunt nostri, quam quod in *Histor. Hervoriana cap.* XX. exprimitur, *Vidfarne*, h. e. peregrinator, qui multas obivit & lustravit terras. Celebravit ipsum, praeter alios, Snorrius Sturlaeus, in *Chron. Norveg.* ubi victorias & potentiam eius hoc compendio verborum descripsit: *Ivar Vidfadmius universam Sveciam in suam potestatem redegit; omnem insuper Daniam adquisivit, magnam partem Saxoniam, totamque Russiam, & quintam partem Angliae. Ab illo ortum trahunt Daniae & Sveciae reges, qui in illis regnis monarchiam tenuerunt.* Plura vide sis apud Torfaeum a *pag.* 307 *ad* 316. Filiam ipsius, Audurem, in matrimonium duxit Hraerecus Slanguanbaugius, qui cum fratre Helgio Acuto Lethrensem ditionem tenuit. Vterque vero dolo Ivari, sacra omnia & profana, sanguinisque adeo & adfinitatis iura ambitioni suae postponentis, e medio sublatus, locum dedit regni sub uno Rege coniunctioni. Tunc autem filia Ivari, vidua, quam Audurem vocatam diximus, ut saevitiam parentis & immensam perfidiam evitaret, e Dania in Russiam cum Haraldo filio, tunc admodum puero, profugit; Regique ibidem Radbardo nupsit, unde Raudver, uterinus frater

nem regni feliciſſime perfecit: ac initium illi quidem viſum facere a Veſeto; qui in pugna, uti dixi, patrem Haldanum interfecerat. Hunc quum nuptias in Scania celebrare intelligeret, eo tendit; opprimitque poſt convivium, & occidit: quum Veſetus duos prius ipſi dentes excuſſiſſet: quorum loco poſtquam duo rurſus alii excreviſſent, mox cognomen Hyldetandi eſt adeptus: ac, Veſeto interfecto, poſtquam Scaniae principatum iterum regno adiunxiſſet, magno exercitu comparato, Cimbriam auſtralem petit; & Hatherum, a quo nomen etiamnum Hatherslebiae, armis ſuperat: tum converſus in Roricum, & Hundingum, iis caeſis, Lethram capit: ac, ſubacta Sialandia, ſequutaque mox fortunam eius etiam Fionia, regnum totum, miſere diſtractum hactenus, redigit in unum corpus, & antiquam item maieſtatem reddit. Quibus factis, quum permiſſu magis tacito, quam electione ſolita, regem hactenus egiſſet, nunc, ob res praeclare geſtas, procerum communibus ſuffragiis rex declaratur; moxque, rebus ordinatis, regem Aſmundum, Vicarorum in Norvagia regno a ſorore pulſum, manu valida reducit; nec pro opera, vir excelſi plane animi, ſola gloria contentus, ulla dona, quamquam maxima offerrentur, admittenda exiſtimavit. Quae dum in Norvagia gerit, rex in Svecia Alverus diem obit, tribus filiis relictis; Ingone, Olao, & Ingello; quorum Ingo, natu maximus, regnum adeptus, eo minime contentus, ipſe, ac fratres, Daniam adgrediuntur. Quo Haraldus intellecto, quum Othini oraculum in Svecia Vpſaliae conſuluiſſet, de eventu, acieque inſtruenda ibi edoctus (a), comparatis ſtatim copiis, ac profectus in Ingonem, & Olaum, in Svecia utrumque nactus, praelio commiſſo fudit, & occidit; quorum caedem quum Ingellus accepiſſet, neque vires ſibi eas eſſe ſciret, quas opponere tuto poſſet, pacem per legatos petit; utque eam a victore generoſo obtineret, morbum fingit: & Haraldus, qui, ut debellare hoſtem, ita parcere debellato, glorioſum exiſtimabat, non gravate adquieſcit. verum ille, ingratus nimis, paullo poſt invadit Scaniam, & ſororem eius abducit, atque pro uxore habet, quod Haraldo non iniuria indignante, iterum bellum concitatum, vario ſucceſſu geritur, ac poſtremum laeto fine terminatur: dum rex, bonus iuxta ac fortis, iuſto bello pacem vel iniquam praefert. Hinc Olaum, regem in Norvagia Nidroſiorum, a ſororibus deiectum, in regnum reſtituit: &, in Daniam reverſus, quum Vbbonem, Friſiae principem, Cimbriae fines infeſtare accepiſſet, captum in poteſtate habet aliquandiu, ſex mox libertati reddit: ac, receptum in amicitiam, mox adſciſcit item generum: tum & fidem experitur, ac vicinos Rheno populos ſibi ſubiicit; etiam Vandaliam recipit (b): quae ſub regulis, ſpreta regni maieſtate, ſe in priſcam libertatem adſeruerat: ducibuſque eius gentis, Duco, ac Dalo, ob virtutem militarem, amicis utitur: moxque opera eorum quum cepiſſet Aquitaniam (c), etiam Britanniam recipit; quae tum Daniae obſequio, a Frothonis III. morte (d), ſe ſubduxerat: Humbriamque, caeſo eo bello duce, Danis incolendam tradit. Inter

ter Haraldi Hildetanni, natus. Ivaro poſtea in expeditione Ruſſica exſtincto, rediit Haraldus in Daniam, & amicorum opera ad regnum evectus eſt, XV. tunc annos natus. Factum hoc putatur anno Chriſti DC. Ita vero reſtitutus, nihilominus multis cum hoſtibus, cum externis, tum etiam inteſtinis, conflictandum habuit, antequam hereditatis totius compos fieret, ac provincias, quas per abſentiam mortemque materni avi . . . . tum nonnulli invaſerant, poſtliminio vindicaſſet „ Regni primordia (verba ſunt Thormodi Torfaei in *Hiſtor. Norveg P. I. cap.* XXV.) proximaque tempora, multis laboribus periculiſque obſita, magnum ei negotium faceſſebant. Quum enim „ in aetate tenera, quippe quindecim annorum, regni habenas „ capeſſeret, iis, qui, Ivaris Ingialdique Aſtuti viribus, patrimoniis exciderant, minus habilis viſus eſt, ad defendenda quae „ illi conquiſiverant; unde illi criſtis erectis, exſuto obſequio, „ bello eum adgreſſi ſunt. Id metuentes regnorum proceres, „ diris incantationibus & ſacrificiis nefandis perpetratis, a Diis „ impetrarunt, ut ab omni ferro immunis Haraldus, cutis duritiem nanciſceretur, quae ictus omnes illuderet. Itaque ſine „ galea, loricaque praelia iniit, ſine ullo periculo a quocumque „ armorum genere, tantuſque bellator evaſit, ut progenitorum „ ſuorum nullus tot tantaque bella geſſerit. Inde etiam *Hilditanni* cognomen obtinuit, ab *Hilde*, quae Dea belli perhibetur, ſeu Septemtrionis Bellona, & dentibus aureis. Hic omnia „ regna principatuſque, quae Ivar Vidfadmius poſſederat, bello „ & armis vindicavit, &c. „ Quae quidem in MS. veteri ſe offendiſſe, atque latino ſermone reddidiſſe, Torfaeus d. l. profitetur. Interim alio loco teſtatur, in Islandorum monumentis commemorari, multos in Dania provinciales Regulos, quos Ivarus Vidfadmius exegerat, ab hoc Haraldo reſtitutos fuiſſe.

(a) *De acie inſtruenda edoctus*) Iſta vero inſtruendae aciei ratio qualis fuerit, operoſa deſcriptione, ſed haud parum intellectu difficili, tradidit Saxo *lib.* VII. *pag.* 138. Stephanius, eam in notis ſuis explicandi cupidus, ingenium advocavit collegae ſui, Ioannis Laurenbergii, Mathematum in Acad. Sorana Profeſſoris: cuius diligens expoſitio, & adiectum ſchema, videri ibidem poſſunt, *pag.* 163. neſcio an hodiernae Tactices peritis ſeſe probatura.

(b) *Vandaliam recipit*) Saxo *pag.* 139. *Sclaviam preſſit*. Atque ita ſaepe, qui Saxoni *Sclavi*, Meurſio *Vandali* nuncupantur. Eodem modo noſter hac ipſa *pag.* regem *Nidroſienſium* dixit, quem Saxo *Throndorum* regem.

(c) *Etiam Britanniam recipit, quae tum Daniae obſequio, a Frothonis III. morte &c.*) Saxo de Anglia iſta expeditione haec dumtaxat *lib.* VII. *pag.* 139. habet: *Mox Britanniam petens, Humbrorum rege proſtrato, promtiſſimos quoſque iuventutis adſcivit. Quorum praecipuus Orm cognomento Britannicus habebatur.* Itaque de Frothone III. quod adiecit Meurſius, ex Suaningio ſuo deſumſit. Verum ignorarunt & Saxo & Suaningius, ſaepius fuiſſe, etiam poſt tempora Frothonis III. tentatam a noſtris infeſtatamque Britanniam. Ipſe maternus Haraldi Hildetanni avus Ivar Vidfadmius, quem, utpote Saxoni indictum, neceſſe fuit ipſum ſequentes ignorare, in Angliam armis motis, Northumbriam, etiam a parente eius poſſeſſam, regnis ſuis adiecerat. Plura vid Torf. *Hiſtor. Norv. P. I. lib.* X. *cap.* XXVII. nec non *Ser. Regum Dan. p.* 320. 322. atque in *Addendis pag.* 508. 509. ubi haec ipſa Islandicorum ſcriptorum narrata cum Anglicis indubitatae fidei monumentis comparantur, atque ex iis egregie confirmantur illuſtranturque. Iſtaque Torfaei obſervatio unum ex argumentis fuit, quae mihi perſuaſerunt, aliquid demum ſolidi ac certi eſſe in Islandorum libris, ad hiſtoriam Danicam, in ſeculis ante introductum in haec regna religionis cultum, ſtabiliendum.

(d) *Cum cepiſſet Aquitaniam*) Nimium quidem fuerit credere, occupatam a noſtris Aquitaniam; tacentibus praeſertim externorum hiſtoriis, in quibus ceterae, a maioribus noſtris perpetratae, praedationes vaſtationeſque ſatis diligenter adnotatae. Infeſtatam fuiſſe dictam Galliae partem, atque oris eius, mari prioribus, plurimum excidii & malorum etiam tunc, (ſeculo VII.) illatum, non inficiabimur. At hic nequeo ſatis mirari incredibilem fere inconſiderantiam Stephanii, qui in *notis ſuis ad Saxonem Grammat. pag.* 165. hanc Aquitanicam Haraldi Hildetandi expeditionem non dubitavit plane eamdem ſtatuere cum ea, cuius hiſtoriam Dudo Veromandenſis habet *lib.* III. *de Actis Normannorum*, ubi commemoratur, Haigroldum Regem Daniae ſuppetias tuliſſe Richardo I. Normanniae duci, contra Ludovicum Galliae Regem, Caroli Simplicis filium. Immanis memoriae lapſus. Rectiuſque feciſſet vir doctiſſimus, ſi obſervationem hanc reſervaſſet hiſtoriae Haraldi Gormonis filii, quem *Blaatandum* cognominarunt noſtri. Tunc enim revera haec, de quibus loquitur Dudo, geſta; ſeculo nempe poſt Chriſtum decimo. Aſt Haraldus Hildetandus, ſecundum Islandorum chronologiam, in ſeptimo ſeculo locum habet, ducentiſque fere annis eſt antiquior ipſo Rollonis in Neuſtriam ingreſſu. Dixi, ſecundum rationem computandi Islandorum. Nam ex Stephanii ipſius calculo, (quem ex aliis locis

ter quae Ingellus moritur, parvulo superstite Ringone filio (a): quem Haraldus, quamquam regni invadendi occasio esset, attamen tutoribus tradit, summa cura educandum, ceu futurum successorem. Certe laus est non exigua, quum quis maxima quaeque possit, modica, & honesta, velle: animumque, in sublimi potestate plurimum in aliena propendentem, intra fines iusti, & aequi, continere. Tamdem, bello cum Ringone hoc suscepto, infeliciter pugnans, cadit: postquam regnum annos circiter quinquaginta tenuisset. Fuit sane praelium istud inter prima memorabile: in quo quantae partis utriusque copiae, vix septennio comparatae, dimicaverint, inde satis deprehendas, quod Haraldi in exercitu, praeter ceteram multitudinem militum gregariorum, ducum ad triginta millia; in Ringonis, ad duodecim cecidisse referantur. Fretum inter Scaniam, & Sialandiam, navibus constratum produnt. Pugnabatur ad Calmariam, Sveciae urbem. Ringo avunculo profligato permagnifice parentat, ac cadaver deportari Lethram iubet: &, compositis inde rebus, Scaniam; avulsam Daniae, regno Sveciae adiungit, & Olonem consobrinum dat praefectum: Hetham feminam illustrem; Sialandiae, ac Fioniae, Cimbriaeque utrique imponit. Verum Dani, post virtutis tantae rem, feminae parere imperio non se dignum arbitrati, per legatos ab Olone, ut removeat Hetham, petunt: quod si velit, se negotium incepturos: neque ille deest ipsis; Hetham ad se statim vocat, & decedere Sialandia, ac Fionia, ocyus iubet, nisi armis cogi velit: neque praeter praefecturam Cimbriae concedit quidquam: & hanc ipsam ea lege, ut tributum iussum pendat. Ea urbem, a se Hethae adpellatam (b), nunc Slesvicum, condidisse memoratur. Hic Haraldi finis fuit, ac post ipsum regni status. Certe inter magnos reges summo iure collocandus; qui divisum in quinque regulos principatum quum virtute maxima restituisset, ita porro ampliavit, ut post Frothonem III. nemo maior merito censeri possit: numquam victus, nisi hoc postremo bello: quod ab ipse concitaverit, vitae satur, & inglorium arbitratus, post tot res praeclare gestas, instar hominis ignavi in lecto mori, an Ringoni inimicus demum factus, impellente, uti ferunt, huc Othino (c), in incerto est: ac, si ipse concitavit, non tam victus, quam potitus voto suo (d), vitae finem, quem optabat, gloriose invenisse dici potest: proposito laudando quidem illo aevo, in gentili; sed non hoc, in Christiano.

cis deprehendimus non multum diversum esse a generi ipsius, Ioh. Suaningii iunioris, *Chronologia Danica*) ad secula II. & III. promovendus Hildetandus fuerit: qua etiam ratione error tanto prodigiosior evadet.

(a) *Superstite Ringone filio*) Ringo ille, qui tum hic, tum *seq.* huius *pag. col. v.* 8. memoratur, in Islandorum & Norvegorum scriptis est *Sigurdus* cognomento *Ringus*; qui patrem habuerat, non Ingellum, ut Saxo scripsit, sed Anduerem, Haraldi regis fratrem uterinum, ex huius scilicet matre Audure, & Radbardo, Russiae rege, genitum. Isque ipse Sigurdus Ringus, qui in campis Smalandiae (in Svecia) Bravallensibus, praelio longe maximo, cum patruo suo, Haraldo Hildetanno, dimicavit. Cuius belli, Bravici communiter dicti, ordinem & progressum Saxo narratione sua, si cum Islandorum libris comparetur, quoad maximam partem recta, complexus est, iudice Thorm. Torfaeo *Histor. Norveg. P. I. lib.* x. *cap.* xxvi. ubi simul, in quibus adlucinatus Saxo, declaratur, tempusque pugnae Bravallensis, seu Bravikensis, qua nihil in ista antiquitate apud Danos Svecosque celebrius, refertur ad annum aerae Christianae DCCXXXV. quod etiam in *Serie Regum Dan.* definitum.

(b) *Vrbem a se Hethae adpellatam*) Voluit forsan dicere *Hetheby*: quod Slesvici notissimum quondam nomen. Sed non magis Hethaeby est ab Hetha, bellatrice virgine, quam Hamburgum ab Hammone, ac plurima id genus fabulosa. Potius ab *Hethe*, nomine adpellativo, quod *incultum* vel *desertum solum* significat. Sed notum de iis, qui nominum rationes & origines investigare student, quantum fabulis & coniecturis persaepe tribuant. Quo loco in mentem redit observatio, de Regis, in quo adhuc versamur, cognomine, *Hildetando*: quod quidem communiter ita explicari solet, quemadmodum Meursius noster exposuit *pag. praeced.* omittens tamen dicere, dentes, qui loco excussorum excrevissent, flavo fuisse vel sambuceo colore notabiles; unde *Hyldetandus* (sic Messenius *Tom. I. p.* 43.) nam *Hylde*, sambucus, & *Tand*, dens. Vetus tamen scriptor Islandicus, cuius verba Torfaeus *Histor. Norveg. P. I. pag.* 447. protulit, ab *Hilde*, dea belli, seu Septentrionis Bellona, & *dentibus aureis* derivavit. Ad *Hethen* revertimur; quam quia minime credimus Hethebyae nomen imposuisse, tamen eapropter haud negamus cetera illa gessisse, quae de ipsa constans fama celebravit. Islandi *Heidin* adpellant, neque minus, quam Dani & Sveci, virginem bello inclitam fuisse & in auxilium Haraldi copias devexisse praedicant. idem plures etiam Amazonas, qui Bravallensi pugnae interfuerint, recensent. Pseudo-Erici Regis *Chronicon* facit bellatricium istud virginum agmen ad CCC. excrescere; *quae*, inquit, *Skalmor dictae sunt*, (ubi legendum *Skioldmoer*, quasi virgines clipeatas diceres,) *quarum vexillum portavit Hether*.

(c) *Impellente, uti ferunt, huc Othino*) Nempe, sicut ab omnibus traditur, Othinus tutelare fuit Haraldi numen, & natalis instar genii ab incunabulis ei praesto fuerat. Ille etiam olim puerum ferro impenetrabilem, & *vulnifica aliis tela ad laesionem ei infligendam inhabilia*, ut loquitur Saxo, reddiderat: Et, eodem historico teste, paranti contra Svecos bellum, obvium se dedit, senis habitu, & *centuriandi in acie exercitus utilissimum documentum porrexit*. Sed quum nihil dolosius ac fraudulentius hoc ipso Septentrionis esset deastro, postea, cum tamdem perdere Haraldum, vitaeque eius, ad sesquiseculum productae, finem imponere decrevisset, & quidem, ex ipsius voto, honestum quodammodo ac decorum, inimicitiarum inter illum & Ringum, regno Sveciae ab ipso praefectum, auctor exstitit; quando, sub nomine & habitu Brunii, iam aquis absorti, occultatus, *insidiosae legationis cura arctissimam Regum concordiam labefactavit*. Denique, in complementum fraudis & insidiarum, hostes meliorem ordinandi agminis formam docuit; atque Haraldo, vel hinc ipsum detegenti, adgnoscentique *olim familiare sibi numen, in praesentiarum dandae vel subtrahendae opis gratia versiformi corporis habitu tegi*, clavam, nequidquam supplici, in caput impegit. Quae omnia in Saxonis nostri narratione occurrunt *libb.* VII. *&* VIII. *pagg.* 138. 142. 146. *seq.*

(d) *Quam potitus voto suo*) Respicitur ad haec Saxonis, circa finem *libri* VII. *Sunt qui Haraldum non livoris impulsu, aut regni aemulatione, sed industrio quodam spontaneoque conatu clandestinas exitii causas quaesivisse testantur. Quum enim ob senectam severitatemque civibus etiam onustus exsisteret, ferrum morbi cruciatibus anteponens, spiritum in acie quam lectulo deponere praeoptavit, consentaneum praeteritae vitae operibus exitum habiturus*. Plura vero ad hanc historiam ex domesticis scriptoribus suppeditat Torfaeus in *Histor. Norveg. l. c.* neque indigna, ut puto, quae hic legantur: *Quum Haraldus Hilditannus ad extremam senectutem, annos nimirum quinquaginta supra centum, provectus esset, lecto detentus, pedes incedere nequibat; qua occasione provocati piratae provincias regni incursibus passim lacessebant: id quod amicos eius male habuit, exponi quippe praedae latronum validissimum regnum: satis praeterea aetatis explevisse visus est. Quidam igitur potentiorum de eo perimendo consilium inierunt. Id vero cum balneo indulgeret, commodissime fieri posse visum est. Hanc igitur opportunitatem nacti, ligna saxaque ingerebant, quo fumo caloreque maturius suffocaretur. Quod ut rex cognovit, eos his verbis adfatus est*: „ Hinc me efferte, video quidem senectutem „ meam vobis displicere; nec id immerito: alio tamen fato „ fungi volo; hoc certe mortis genus aversor: Regie utique „ moriar. „ *Tunc accurrentes amici eum exhortarunt. Paulo post legatos suos in Sveciam ad nepotem suum Hringum misit, cum mandatis, ut exercitum ex universo regno provinciisque, quibus praeesset, longe validissimum conscriberet, secumque confligeret; remque omnem ordine, ut gesta erat, exponi curavit: nimirum Danos senectutem suam, ut nimiam, fastidire. His cognitis, rex Hringus tota Svecia, Vestrogotia, magnasque ex Norvegia copias colligit, &c. &c.*

OLO (a)

vero, eius ex sorore nepos, ita regnum consequutus, adeo crudeliter habuit, ut depulsae pridem Hethae universos poenituerit; itaque duodecim proceres, e familiis nobilissimis, coniurati, quando caedem perpetrari a se posse desperarent, Stercatherum hic implorant; & promittunt auri puri libras centum, ac viginti; sive, uti alii tradunt, centum, & vigintiquinque; isque, in balneo occisurus, quum Olonis torvo vultu terrefactus retrocederet, ab eodem, nihil tale a viro amico metuente, revocatus, scelus patrat; moxque, illius pudore, quum nonnullos, qui ad illud conduxissent, occidisset, se vicissim, praemio eodem posito, aliis caedendum offert, ac de se vindictam sumit. Filium reliquit Olo unum, Omundum; ex Olai, Vermiorum regis, filia Esa natum. Antea virtutis clarus, plurimis piratis simul, & latronibus, profligatis, gloriam priorem nominis, regnum adeptus, obscuravit; ac videri regno dignus potuisset, ni regnasset; adeoque in hoc ipso, vetere verbo, magistratus virum ostendit. Eo caeso, sceptrum accepit filius,

OMVNDVS, (b)

quem senatus surrogavit; non in gratiam parentis, quae exigua sane erat, ob saevitiam usurpatam, verum in honorem sanguinis, ac spem indolis melioris, quae in primis eius annis elucebat. In principio ipso regni, monitus, ut matrimonium circumspiceret, Esa placuit, filia Ringonis regis Norvagorum: verum postulare eam non audebat; quippe Ringo, princeps ipse bellicosus, quique gloriam armorum maximam existimabat, generum non admittebat, quam spectatae fortitudinis; itaque, ut laudem aliquam compararet, quum Norvagia ab obsequio Daniae iam defecisset, vindicare eam statuit; fortitudinemque ipso in Ringone experiri, neque mora: instructam classem statim in Norvagiam ducit. Inter viam ab Iathrae regulo (c) Oddone exceptus perbenigne, quum adventus ei causam retulisset, ipse quoque, a Ringone pridem varie offensus, copias iungit. Aberat tunc forte Ringo, & piraticam ad Hiberniam exercebat; itaque, adiuti etiam commoda occasione, vacuum praesidio invadunt regnum: &, fortunis subditorum abstinentes, quae Ringonis essent, rapiunt; quo is ocyus intellecto quum recurreret, uti terra venientem prohiberet, obviam Omundus mittit, viros belli excellentes, Homothum, & Tholam; addit naves; & in his eximiae magnitudinis unam, telis omnibus instructam, quaeque ceteris velut propugnaculum esset. Ringo gnarus, ad insidias se convertit: & in fronte navibus dumtaxat paucis collocatis, alias munitiores occultare sese iubet: ac periculum ingens erat, ne Omundus vinceretur: ni, Oddone praemonente, facto in insidias impetu, eas omnes oppressisset; cetera pugna, certe anceps: dederatque non minorem cladem Ringo, quam acceperat; & Athylo, pater Tholae, & Homothi, gente Scanus, dux primarius Omundi, se subducens, quum in Scaniam recessisset, victum etiam Omundum, non victorem, dicere Ringo ausus fuit; isque, ne victoriae opinione ferox hostis, viribus collectis cresceret, comparatis per Oddonem novis copiis, mare iterum ingreditur; moxque adest & Athylo; instauratis, quas abduxerat pridem navibus, quum ad manus ventum esset, ac victoria in Omundum inclinaret, Ringo, saucius lethaliter, canere receptui iubet, & Omundum accersiri; qui quum in conspectum eius advenisset; *iam libenter*, inquit, *tibi filiam, quam petiisti, do uxorem: moriorque non invitus, quod te generum sim adeptus.* Haec loquutus, mox exspirat, filias relinquens duas: quarum unam quum Omundus coniugem sumsisset sibi, alteram Homotho tradit, praemium fidelis operae. Inter ista, virgo bellicosa, Rusla, quae regebat Telemarchiam, partem aliquam Norvagiae, fratrem Thrundum lacessebat: nec contenta, etiam Daniae imminebat: &, Omundum in Norvagia regnare, aegre ferens, eam passim infestabat: quumque obiectas sibi copias profligasset, iam ferocior, etiam regno inhiabat; itaque Hallandiam invadit primo, hinc motura in interiora quaeque: ac fecisset, ni Omundus, haud ferendam virginis proterviam ratus, neque etiam contemnendam, misso Homotho, atque fratre eius Thola, praelio navali victam repressisset; quamquam sane vel sic fusa, ac fugata, fratrem occurrentem sternit. Cuius clade rex Omundus intellecta,

(a) *Olo*) Islandi maiore verisimilitudine successorem Haraldo Hildetanno dant Sigurdum Ringum, ex uterino eius fratre Randvere, ut diximus, genitum, & Radbardi Rustici regis nepotem. Saxo Ringonem adpellans, credidit ex Ingeldo rege Sveciae, ac sorore Hildetanni natum esse. Atque hunc Sigurdum Ringum volunt iidem Islandi regnum Daniae deinceps haud praesentem, sed per legatos suos, seu proreges, regiis tamen titulis (quia & tales sanguine censebantur,) insignes, rexisse. Inter proreges istos primum nominant *Olafum*, (quod cum *Olone* idem nomen). *Anglum* postea cognominatum, quia Northumbriae in Anglia regno, ab Ivaro olim Vidfadmio, deinde ab Haraldo Hilditanno, ac postea ab Sigurdo Hringo perdomitae, diu, & quidem usque ad Ragneri Lodbrochi tempora, praefectus fuerat. Vid. Torf. *Ser. Regum Dan. p.* 320. & *Histor. Norv. l. iam cit.* Itaque Saxo, haec omnia parum accurate edoctus, atque ea, quae perceperat, mira quadam & perpetua confusione offuscans, Olonem scribit summum Danici regni imperium post Haraldum Hildetandum subscepisse: ita tamen, ut quae in monumentis Islandorum de duobus regibus, Olai nomine, qui diversis temporibus exstiterunt, commemorantur, eorum iam hoc, iam illud delibatum, ad Olonem hunc retulerit. Nam illud, quod *a Ringone, Haraldi victore, parti Daniae praefectus* fuerit, vere Olafo Anglo competit, cuius modo facta mentio. Hunc enim Sigurdus Ringus Iutiae praefecit, docentibus Islandis. Caedes vero, per Starkaterum illata, in Olafum, Fridleifi III. filium, quadrat. Vid. Torf. *Ser. pagg.* 281. *s.* 500. *&* *p.* 324. *ac* 397. *seq.* Paene omiseram, in Erici Regis *Chronico*, & in *Anonymi* Lindenbrogiani illo, Ringonem proxime post Hildetannum in Regum serie adparere.

(b) *Omundus*) Excluditur penitus a Torfaeo: cuius haec verba habes *pag.* 324. *seq.* „ Olonis, ex pluribus, ut adparet, hominibus conflati, Omundus nec filius, nec heres esse potest. „ Duos ei filios Saxo adsignat, Syvardum & Buthlum, quorum natu maiorem Syvardum patri in Daniae regno successisse scribit, Buthlo in tenera aetate constituto; quem tamen ad Daniae sceptra postea pervenisse tradit. Nostrates Omundum & Syvardum penitus ignorant, quos universales vel supremos Daniae reges non fuisse, ex iis, quae de Sigurdo Hringo superius dicta sunt, abunde patet. „

(c) *Iathrae regulus*) Saxo *Iathriam* vocat. Est vero tractus in Norvegia, Iadrensis etiam hodie adpellatus, (vernaculae *Iaederen*.) Vid. Torfaeus *Histor. Norveg. P. I. lib.* II. *cap.* XIII.

lecta, in Norvagia difficulter armis eam vinci posse arbitratus, mittit iterum Homothum, & Tholam, qui argentum offerentes, ac maiora promittentes, Telemarchas ab obsequio abducerent; quo effecto, quum a Telemarchis illa pelleretur, & in insulas, in quis aestivare solita, concessisset, ab Omundo superveniente oppressa, maxima amissa classe, mox a Throndo fratre caeditur; itaque Omundus victor, Telemarchis Throndum imponit, ac Norvagiam universam sibi vectigalem facit. Rusla caesa, Bero, & Thorias, pridem iuramento obstricti ad ulciscendam dominae necem, si quis eam occidisset, mox in Daniam profecti, Omundum petunt, provocantque ad certamen singulare; neque ille, uti magno erat animo, abnuebat: sed proceribus non sat dignum videbatur, regem, in salute cuius populi totius salus verteretur, periculo praesenti obiicere; itaque se eius vicem Thola, & Homothus, offerunt; qui congressi postquam essent, cadit Bero; Thorias, graviter vulneratus, pugna effertur: ipsi, abeunt victores; rexque, ut virtutem Thoriae aestimare, se ostenderet, mox, vulneribus curatis, & in fidem eum accipit, & Norvagiae praefecturam item donat. Post haec, quum tributum Sclavi denegarent; etiam occidere legatos ausi, & in Cimbriam irrumpere: ut & contumeliam ulcisceretur, & rebelles coerceret, contra tendens, septem principes eorum internecione delet, & tributum dare cogit. Inde, longa pace fruitus, vita excedit: liberis relictis quatuor, ex utroque sexu binis. Filiorum natu maximus, nomine Sivardus erat; alter, Buthlus: filiae quo modo fuerint nuncupatae, ignoratur. Vna earum, a Gotharo, Sveciae rege, in uxorem postulata, ac mox rapta est. Erat princeps pacis atque belli artibus pariter magnus: quique exemplo suo ostendit, malis etiam parentibus bonos nasci filios posse: neque vitia, aut virtutes, natis inseri: tum nec, quod proverbio olim dicebatur, mali corvi semper malum ovum esse.

SIVARDVS. (a)

Itaqne, Omundo mortuo, regnum proceres in Sivardum, inter filios natu maximum, transtulere; moxque Sveciae rex Gotharus sororem eius per legatum uxorem petit, impetratque; verum, unde amicitiae confirmatio sperabatur, orta statim inimicitia, maxima calamitate regem, & regnum, implicavit: nam Gotharus quum mox sponsam per legatum eumdem peteret, isque in via, in Hallandiae quodam pago, a latronibus circumventus, pene interfectus esset; ac, periculo vix elapsus, & reversus ad Gotharum, rem narrasset; ille hoc Sivardi fraude factum ratus, bello vindicare iniuriam, quam existimabat, statuit; itaque & bellum infert, & Sivardum, occurrentem in Hallandiae finibus, sternit; qui in Cimbriam quum se fuga recepisset, Sclavos, iam ad famam belli Svecici tumultuantes, & in illam regionem irrumpentes, profligavit: at Gotharus, sat vicisse hostem ducens, neque ultra fugientem persequendum, tamen utitur victoria, & amplissimum fructum refert: Scaniamque, ereptam Daniae, uti pridem Ringo fecerat, Svecie addit. Sclavis vero non deiecit animum clades, quam acceperant: quin, pudore irritati, novas sibi copias parant; & Sivardum, in Fionia consequuti, mox in Cimbriam fugientem persequuntur: ac, commisso praelio, fundunt: tum & filium Iarmericum, filiasque duas capiunt, atque Iarmericus quidem, post, elapsus mirabiliter, regnum accipit: filiarum vero altera, in Norvagiam; altera autem, in Germaniam venum data, & abducta. Certe miser Daniae tunc status erat: & amplissimum ante regnum, atque longe potentissimum, paucis insulis constabat: ac Sivardus, cupiens recuperare, quae amiserat, meliore multo animo, quam fortuna, iterum conscripto exercitu, primo Scaniam reducere ad obsequium suum parat: inde Cimbriam, si succederet conatus, manu eadem adgressurus; sed, conserta cum Simone, Scaniae praefecto, pugna, dum utrimque quam acerrime dimicatur, caeso quamlibet Simone, ipse cadit. Erat certe princeps bonus, sed infelix: qui, quum regni partem maximam amisisset, etiam in servitutem liberos abduci vidit: suo quoque exemplo docens, non eodem semper loco virtutem, & fortunam, esse. Sed benignior mox Deus infortuniam compensavit, quum in solio paterno collocavit Iarmericum: eo quidem manifestiore gratia, quo a servitute illum mirabilius liberavit.

BVTHLVS. (b)

Post Sivardum Buthlo fratri, dum captivus apud Sclavos Iarmericus detinetur, regni Daniae reliquiae a senatu demandantur: non tam ob virtutem eius, quae omnino parva erat, quam quod regii sanguinis foret. Nam, Sivardus quamquam regnum infeliciter habuisset, tamen, quia vitam pro salute eius profudisset, fratrem sibi, etsi haud usquequaque aptum, quam externum, regem capere maluerunt. Misera profecto Dania; quae, de statu florentissimo in aerumnas has deiecta, neque virium sat habebat, ad vim hostium propulsandam, neque regem, ad restituendum regnum satis aptum; etenim, avulsa Scania, Cimbriaque, nihil illi reliquum erat, praeter Sialandiam, Fioniamque, ac vicinas quasdam insulas, quae veteribus nomine Smalandiae adpellabantur: minutissima regni portio, si Frothonum, Haldanorum, & similium potentissimorum regum, tempora consideraveris. Sed peccata regum Deus, populique his subiecti, quum decrevit castigare, regna infirmat, minuitque: uti contra, quum constituit beare, firmat ea, & adauget. Inter ista Iarmericus, regno patris omnium votis destinatus, apud Sclavorum regem Ismarum captivus agit, cum Gunnone, Danici senatoris filio; atque ille, quam-

(a) *Sivardus*) Ignoratus hoc loco Islandus. Videatur locus ex Torfaei *Serie*, nuperrime ad *Omundum* abductus.

(b) *Buthlus*) „ Ad Buthlum quod attinet (verba sunt Torfaei *l. c. Ser.*) „ is neque Omundi filius erat, nec unquam Da-„ nica sceptra gessit. Saxoniae regem fuisse nostrates innuunt, „ Sigurdo Hringo circiter coaevum: cuius neptem Aslaugem „ Ragnar Lodbroch, Sigurdi Hringi filius, uxorem duxit.

quamquam vinculis liberatus, quae iniecta in principio, dure tamen habebatur, inter operas serviles: id, indignum suo genere, non ferebat indignanter; animumque, quem deiectum eo modo hostes vellent, ad fortunam componebat; quumque ceteris alacrius iussa faceret, primo regis famulitio adhibetur, inde inter intimos familiares locum principem consequitur; iamque, regi ob virtutem valde carus, aliisque in aula omnibus, negligentius servabatur; quod regina, quum in vultu maiestatem, animumque magna ausurum, animadverteret, aegre ferre: ac vereri, ne, occasione data, fugam caperet, Daniamque in libertatem vindicaret. Neque vero Iarmericus inter istam aulae gratiam, ac delicias, patriae curam deponebat: &, intentus in occasionem quamvis, iam consilium de instituenda fuga agitabat; sed Gunnonem, civem suum, ac fortunae quoque socium, destituere, indecorum arbitratus, differt, dum & hunc eripiat. Forte Ismari regis frater vita fungitur; cui ille ut parentaret, arcem eius magno comitatu petit; Iarmericum cum regina domi remanere iubens: isque, hoc tempus commodum ad fugam ratus, postquam arctius a regina custodiri se videret, & interdiu propositum successurum desperaret, noctu faciendum statuit; itaque languorem simulat; & Gunnoni dat negotium, ut custodes sedulo inebriaret: quo peracto, media nocte somno oppressos omnes iugulat; ac reginam, ad tumultum excitatam, & incaute e cubiculo prodeuntem, Gunno obtruncat. Hinc, direpta gaza regia, fugam ineunt; & in ea arcem quoque, in qua fratri Ismarus exsequias tunc celebrabat, incendentes, illum item vivum cremant: &, elapsi insequentibus, mox in Daniam evadunt: ubi Buthlus Iarmerico regnum tradit, quod tranquille annos aliquot tenuerat; nulla alia re clarus, quam quod summa dignitate, pro qua multi extrema quaevis experiri potius ducerent, ultro, ac sine motu, cesserit. Itaque potitus regno

IARMERICVS, (a)

ut ingenti erat animo, nihil sibi prius habuit, quam recuperare partes, quas a Dania Sveci primo, inde Sclavi, avulsissent; quaeque prima laeserat Svecia, prima dat occasionem vindicandae contumeliae: rex Gotharus proxime Sibbonem quemdam, falso stupri, quod sorori illatum esset, accusatum, supplicio extremo adfecerat: id propinqui indignati, & ulcisci cupientes, opem a Iarmerico petunt, ac vicissim auxilia sua adiuturo pollicentur; ille, opprobrium patris cogitans, & ereptam pridem Scaniam, minime negligendas preces arbitratus arma capit; & Gotharum, praelio superatum, caedens, Scaniam recipit, Sveciamque denuo vectigalem facit. Hinc in Cimbriam conversus, eam quoque in potestatem suam redigit, atque Sclavos omnes eiicit. Per quae animo erectior, postquam secum reputaret, quanta damna Daniae dedissent Sclavi; quoties, foederibus ruptis, bello reges decessores lacessissent; tum quam graviter patrem etiam, seque ipsum, adflixissent, armis ulciscendos statuit; itaque coactum exercitum in illorum fines ducit: & prostratis, qui occurrere ausi essent, captos ex his quadraginta, primos gentis, ac cum illis lupos totidem, vivos agi in crucem iubet: hoc supplicio, furum proprio, iuxta legem a Frothone (b) Magno latam, publice testatum cupiens, furum instar, ac latronum, eos toties Daniam diripuisse; ceteris omnibus, quibus belli fors pepercerat, pristino tributo imposito, veniam offensae dedit. Ac, recepta ita Sclavia, & praesidiis ordinatis, quum in regnum rediisset, in Curlandos, atque Sembos, arma vertit: & devictos ad obsequium denuo cogit. Quae dum fiunt, iterum tumultuari ausi Sclavi, per absentiam Iarmerici, praesidia e medio tollunt: impetuque in Daniam facto, eam foede populantur. Quae quum nuntiata essent Iarmerico, domum properat; & in mari obviam eorum classem nactus fundit: captos vero ea pugna optimates, ut deinceps gentem a defectione deterreret, graviter punit, & inusitato modo; nam, taurorum postquam pedibus adligasset (c), incitatis in hos canibus, per plateas, & cloacas, misere raptari iubet; quo supplicio reliqui perterrefacti, tum, praeter severitatem, etiam fortunam eius metuentes, diu inde in obsequio permansere. Post haec arcem in excelsa rupe struit, ac communit: hinc coactam ex devictis gentibus praedam, uti tuta esset, infert. Tum, compositis regni rebus, expeditione nova in orientem instituta, occurrentes sibi fratres quatuor ex Hellesponto, qui piraticam exercebant, impugnatos eo adigit, uti pacem postularent; foedereque constituto, etiam sororem addicerent: addita dimidia tributi parte, quod a gentibus vectigalibus penderetur. Hactenus virtutis constans, turpiter deinceps animum in flagitia inclinavit; quippe Bicco, filius Livoniae regis, cuius fratres pridem bello contra populos orientis interfecerat, e custodia iam dimissus, & exceptus perbenigne, moxque ad consilia arcana admissus, flectere paullatim eum pro libidine sua coepit: quae res in exitium

(a) *Iarmericus*) Haud melius cum hoc agetur, quam cum tribus regibus praecedentibus, & aliorum, qui antecesserant, nec non deinceps enarrandorum, bona parte. At, ne immerito ac praeter fas eliminatum quis conqueratur, rogamus tantummodo, ut severiore trutina examinentur, quae Torfaeus *Ser. Regum Daniae p.* 325.-328. ac postea *pag.* 335. *p.* 341. *seqq.* in rem adduxit. Inde etiam, ut crediderim, elucescet, quibus olim adminiculis Saxo aliique nostratium ad historiam nostram, in temporibus maxime obscuris supplendam, usi. Patebit etiam ex iis, quae mox dicturi sumus. In Pseudo-Erici Regis *Chronico* scribitur *Iarmarus Rek*.

(b) *Iuxta legem a Frothone*) Nimirum in historia Frothonis Magni Saxo *lib.* v. *pag.* 95. haec memoriae prodidit: *Furi traiectis ferro nervis in subspendium acto, lupum collateralem adfigi praecepit, ut malitiam hominis acerbitati belluae similitudo exaequaret poenae*. Atque hanc legem nunc in memoriam revocavit, non quidem Saxo, sed Ioannes Suaningius, quem Meursius h. l. exscribit. Ipse enim Saxo, quasi in Frothone a se dictorum oblitus, aliam tam ignominiosi supplicii rationem reddidit hoc loco, *lib.* VIII. *pag.* 155. *Quem*, inquiens, *supplicii modum, olim parricidis debitum, ob hoc circa hostes peragere voluit, ut quantae in Danos rapacitatis exstiterint, ex ipsa atrocium belluarum communione videntibus conspicuum foret*.

(c) *Taurorum pedibus adligasset*) Saxo *pag.* 156. *Tibias loris traiectos, moxque immanium taurorum ungulis adligatos, molossisque incessentibus raptim in coenum voraginesque pertractos lacrimabili spectaculo consumsit*.

tium vertit: etenim homo sceleratus, postquam regem se in potestate habere animadvertit, & parere monitis suis, facile etiam, nimis temere obsequentem, ad flagitia quaeque duxit: neque enim iustiorem de suorum fratrum caede poenam posse sumere existimabat, quam si astu in praeceps ageret; & impelleret, ut, virtute derelicta, vitia amplecteretur: & hoc ipso apud populum, ante amantem, in invidiam, odiumque summum, abduceret; itaque crudelitatem, in suos pariter exterosque, magis suadet. Inter quae, quum vitiis imbellem factum Sclavi iam existimarent, quem invisum propter ea cognovissent, tertium deficere ausi, Cimbriae invadunt fines; verum is, coacto milite, uti prius, impetum eorum comprimit: & in pugna captos duces, de consilio Bicconis, equis, in diversa actis, adligat dilacerandos, nec contentus, Cimbriae finibus hostem victum eiecisse, in Sclaviam persequitur, graviterque itidem in conscios seditionis animadvertit. Post hoc bellum, aliud exortum maius; nam nepotes ex sorore, quam divenditam in Germaniam antea commemoravi, ad se quoque pertinere regnum Daniae contendentes, arma sumunt in avunculum; sine sanguinis respectu, cuius nulla apud principes, de imperio concertantes, ratio haberi solet: verum etiam hos repressit; oppidaque, ac munitiones, cepit, diruitque. Inter ista, fratres quatuor, quorum ante facta mentio, sororem, sicut pacti, abducunt: nuptiisque celebratis, domum repetunt. Interim Bicco, quum id solum agitaret, ut praeposteris consiliis regem perderet, in nepotes, velut nova regni causa molientes, illum incitat. Speciem calumnia habebat veri, qui antea id fecerant: & in talia principum est prona fides: itaque credit; & nil tale exspectantibus, neque meritis, arma infert, praelioque captos necat: simul quoque optimates, ad convivium invitatos. Hinc maiora etiam audet; & reginam consuetudinis cum Brodero (a), Iarmerici ex priore uxore filio, criminatur: ac subornat falsos testes, qui periurio rem firmarent. Iarmericus, quum sententiam in uxorem, filiumque, ferre nollet, totum crimen dat senatui arbitrandum; qui Broderum cum exsilio puniendum iudicaret, Biccoqui (b) posteritatem Iarmerici e medio sublatam cuperet, ea poena non contentus, suspendendum criminis tam magni reum contendebat. In reginam, gravius animadverti placuit; &, ab equis conculcanda, humi sternitur; sed, supinam quum invadere illi nollent, & praestigias Bicco diceret, atque pronam collocandam, mox in faciem conversam incursantes obterebant: at Broderum quum suspendi placuisset, ut amoliretur tamen a se facinus, suadet Bicco, indito in collum laqueo, ut ministri aliquantisper ita pendulum substinerent, dum dimittere eum tamdem fatigati cogerentur; atque ipsi potius hac ratione facti invidia premerentur; verum Deus, qui Broderum regno patris successorem destinabat, innocenter turpiter perire noluit, & delicti Iarmerico cogitationem obiecit; quippe, quum in aula sua per id tempus tristior obambularet, & obversaretur animo, quod mox sine prole foret decessurus, ac sessurum in solio suo peregrinum, talia Broderi canis reputantem confirmavit; qui, ingressus in conclave Iarmerici, totum illud, ceu herilem mortem deflens, querulo latratu implevit: tum, lustranti omnes angulos, mox conspectus est accipiter, plumas ipse sibi evellens: & interrogatus auspex, quid portenderet, orbitatem praesignificari dixit; itaque mittit sine mora, qui Broderum, si fortasse adhuc viveret, morti eriperent: ac ministri, quis supplicium demandatum, sortem iuvenis miserati, quum diutius, quam quis fore existimasset, pendentem substinuissent, laeti vivum dimisere. Sic supplicio Broderus, quo immerito plectebatur, protegente innocentiam eius Deo, felicissime liberatur. Post quae Bicco, falsae accu-

(a) *Reginam consuetudinis cum Brodero*) Reginae nomen est apud Saxonem *Suavilda*, quod tamen vitiose ibi scriptum pro *Suanhilde*. Hoc vero, & totum illud, quodcumque hic exstat, narrationis, ex veteri libro Islandico, *Ragnaris Lodbrochis Vitam*, sed infinitis fabulis respersam complectente, ita nobis exposuit Torfaeus *Ser. Regum Dan. p.* 326. *seqq.* ut cuivis liquidum sit, numquam in Dania vixisse aut Suanhildem, aut Iarmericum, sed ab exteris tamquam mutuo acceptos, postquam Islandi, scribendi & poetandi studio inflammati, talia nobis procuderunt magno numero monumenta, nostratibus ad argumenta fictionum servisse. Atque has illi quidem, ut erat genius aevi, non solum veris historiis praeferebant, verum etiam quodcumque in eisdem placeret maxime, in gentis suae gloriam trahebant. Interim indicare velle, aut investigando invenire singularum id genus narrationum fontes, frustra quis hodie adgrederetur: tanto praesertim ex medio illo aevo librorum numero, vel omnino deperdito, vel adhuc in bibliothecis delitescente. Sufficiat ex iis, quos habemus, posse rem subinde obviis exemplis declarare. Ita, quod ad armerici & Suanhildis historiam attinet, non difficile est hodie ad prima eius incunabula pervenire, ductore Iornande, apud quem *cap.* XXXV. *de rebus Geticis* haec leguntur: *Ermanaricus rex Gothorum, licet (ut superius retulimus) multarum gentium exstiterit, triumphator, de Hunnorum tamen adventu dum cogitat, Roxsolanorum gens infida, quae tunc inter alias illi famulatum exhibebat, tali eum nanciscitur occasione decipere. Dum enim quamdam mulierem*, Sanielh *nomine, ex gente memorata, pro mariti fraudulento discessu, equis ferocibus illigatam, incitatisque cursibus, per diversa divelli praecepisset: fratres eius Sarus & Ammius germanae obitum vindicantes, Ermanarici latus ferro petierunt*. Hic enim primum nomina habemus *Ermanarici* & *Sanielh*, ad *Iarmerici* & *Suanhildis* illa satis prope accedentia; propius vero, si pro *Sanielh* ex antiquissimo Bibliothecae Ambrosianae Codice legatur *Sonilda*, quod ibi diserte exstare attestatur praestantiss. Ios. Ant. Saxius, *Rerum Ital. Scriptorum T. I. pag.* 203. habemus deinde *Sonildam* eodem supplicii genere, quo apud nostrates *Suanhildem*, adfectam, habemus denique par fratrum, qui in germanae ultionem excitati, caedem Ermanarico intentant. Eaque omnino tam pauca sufficere otiosis ingeniis potuerunt, ut inde longam variisque eventibus productam & exornatam fabulam, ex eo genere, quas Romanenses adpellamus, molirentur. Hoc vero non possum non credere extra septentrionem factum primitus, atque Islandos deinceps ab externis in scripta sua derivasse, neque parum ornamentorum fictionumque novarum ex suo ingenio addidisse. Sane, quantum nobis compertum est, exstat Iarmerici illa & Suanhildis fabula in scriptoribus nostris triplici modo variata: primo in Saxone Grammatico; secundo in Ragnari Lodbrochis vita; tertio in Edda Saemundi: Quamvis enim haud parvus in nominibus aliisque partibus occurrat consensus, tamen neque minor diversitas notatur circumstantiarum & adiunctorum, quasi inter ipsos certamen fuisset de ingenii & inventionis gloria, in concinnandis id genus fabulis, institutum. Patebit hoc, si quis Saxonianam narrationem comparare velit cum illa, quae legitur in Saemundi Edda *Mythol.* 77. & 78. quamque ex *Ragnari Lodbrochis vita* compendio repraesentavit Torfaeus *Ser. Regum Dan. pag.* 326. *seqq.* ubi *Iormunrekum*, *Suanhildem*, *Bicconem*, *Gudmnam* habemus, communia cum Saxone nomina. Contra, qui Saxoni est Broderus, in Islandico illo Randver adpellatur. Fratres Suanhildis Saxo generali adpellatione Hellesponticos vocat: Edda *Saurlum* & *Amderum*; in quibus Iornandis *Sarum* & *Ammium* propemodum recognosces. Atque, ne longus nimis sim in re tantilla, is qui a Saxone Rex Daniae singitur *Iarmerici* nomine, in *Lodbrochis vita* adpellatus *Iormunrekus Potens*, nescio ubi imperitarit; certe haud ullo indicio ad Daniam pertinuisse adgnoscitur.

(b) *Biccoqui*) corrig. distinguendo *Bicco, qui*.

cusationis poenas metuens, clam ablegat, qui reginae mortem indignam fratribus in Hellesponto nuntiantes, eos item ad vindictam incitarent; qui quum mox armata manu advenissent, primus Bicco id rescivit, retulitque Iarmerico; is, a milite imparatus, quum huc usque formidabilis universis exstitisset, nunc formidans, percellente conscientia, propere in arcem fugit, a se structam, uti paullo ante dixi, illic hostem excepturus: ac perpauci fugientem comitati; ceteris omnibus eum odio ob saevitiam in uxorem, filiumque, deserentibus. Eo enim iam fortuna Iarmerici loco erat, ut, qui antea, ob virtutem, carus universis esset, nunc, ob maximam saevitiam, summo odio haberetur. Itaque, inclusus arci, quum obsideretur arcte, tamdem quoque irrumpunt hostes; fortiterque propugnantem quum in potestatem suam redegissent, manus, atque pedes, amputant, vitam in poenam relinquentes: donec tamdem, summo cruciatu enectus, infeliciter moreretur. Magnus princeps, & cum maximis Daniae regibus comparandus, dum virtuti se permittit, & consiliis rectis utitur; quippe, debellatos Svecos, denuo vectigales fecit; Scaniamque, ab his antea interceptam, regno reddidit. Sclavos, Cimbriam qui invaserant, ter devictos, regni finibus eiecit, & tributum denegatum dare coegit. Orientis quoque populos, Sembos, atque Curolandos, aliosque, qui, quum ante Daniae vectigal penderent, occupatis bello regibus, se obsequio subtraxerant, vindicavit. Denique, restituta Dania, quae distracta quam miserrime a principibus vicinis, ac, quod gravius, tributariis, vix habebat regni speciem, inter maximos, felicissimosque, esset praedicandus, nisi a virtute sua descivisset. Sed, ut fere omnes prospera difficulter toleramus, ita quoque Iarmericus; qui, fortunae suae impar, & elato per tot laeta rerum animo, oppulorum (a) plurimorum debellator, turpiter succumbens vitiis, quam paraverat armis gloriam, pace universam amisit. Successit filius,

BRODERVS, (b)

quem subspendio damnaverat. In hoc neque virtus patris, nec erectus ille animus, se ostendit; itaque, ignavo otio vitam transiens, nihil aliud praedicandum posteris de se reliquit, quam quod loco inter reges admodum obscuro vixerit: tum ignavia quoque eius Sveci armati, pariter defecere rursum. Scaniamque recepere; ac videntur aliae quoque regiones, uti sub imbelli rege, descivisse; ut a detrimento quoque regnum eius censeretur; & ostendit, minime semper verum esse, fortibus creari fortes; nec columbam aquila, quod aiunt, nasci. Hunc subsequitur

SIVALDVS III. (c)

nominis obscuritate par Brodero. Huic, iam provecta aetate,

SNIO

filius in societatem regni est adiunctus; atque ille, acer armis, Scaniam repetit: & Eschillo, ac Achillo, qui tenebant, inde eiectis, regno reddidit. Post haec, nuptias circumspiciens, mittit quosdam in Gothiam Svecicam, regis filiae animum exploraturos: quos prehensos rex in crucem agere iubet; idque indigne ferens Snio, ut iniuriam vindicaret, conscripto milite, eum invadit: ferro, ac flammis, omnia vastans. Gothus vero, imparem se animadvertens, per Eschillum, & Achillum, quos eiecerat e Scania, provocari ad duellum eum cupit; aut pugilibus, si id nollet, rem permitti; nec gravate admittit Snio: illam tamen legem dicit, ut victori regnum victi traderetur; itaque pugnatum, diu maximo utrimque studio: donec profligatis suis, regno Gothus cedere coactus fuit. Inter ista, filiam, quam Snio uxorem postularat, regi Sveciae elocaverat; idque postea gnarus Snio, postquam prius per mendicum eius animum explorasset, & in se vicissim illum propendere accepisset, raptam, cum mariti opibus, mox in Daniam abducit: inde bellum, diu acriterque gestum, magno regni utriusque detrimento; tum &, ut delictum regis populus dupliciter lueret, non contentus bello Deus id punire, etiam immittit famem; quae adflixit Daniam tam vehementer, ut non tantum homines tenuiores, sed & locupletiores, quam durissime premerentur; cui malo ut occurrere Snio posset, interdixit, ne quis ex frumento potus, quod iam tum in usu erat, coqueretur, sed ut illud universum ad cibum potius servaretur: at obsequio quum careret interdictum, aliud cogitatum fuit: verum istud nimis saevum, & omnino detestandum. Aggo, & Ebbo, sunt auctores, ut invalidi senes omnes, puerique, aut occidi, aut solum vertere, iubeantur; quod eorum mater Cambara, quae nonnullis Magga dicitur, animi virilis femina, & prudentiae supra sexum, ac virtutis praedicandae, quum intellexisset factum, ultro in concionem prodit; ac, loquendi facultatem consequuta, coram rege, & senatu, filios oratione acri obiurgat; *patriaque, immo vita, indignos* dicit, *quod & senes, sua aetate venerandos, puerosque innocentes, vita, aut patria, exsuendos, censuissent; quin id potius cogitarent, qui, servata in grandaevos puerosque pietate, malo patriam praesenti sine probro liberarent; id in praesens genti Danicae expedire, & ad posteras gloriosius futurum; rectius eligerent sorte, qui, ad patriam, quae alendis non sufficeret, sublevandam, ea exirent, alibique novas sibi sedes quaererent; ac, si forte invalida aetas posceretur, iuvenes pro hac ex-*

(a) *Oppulorum* corrig. *oppidorum*.

(b) *Broderus*) Inter confictos habendus. Is tamen, si auctorem historiae Lodbrochis audiemus, *Randver*, ut iam observavi, dictus fuit, patrisque ex mandato per delatoris Bicconis scelus periit.

(c) *Sivaldus III.*) Islandis penitus ignotus.

excederent, quos si nemo ducere e viris vellet, faeminam se ducturam esse, patriaque, causa patriae, aequo animo carituram. Qua oratione Snio, proceresque omnes moti, Cambarae consilium sequendum sibi censuere. Itaque, divisis sortibus, nonus quisque lectus fuit; ac congressi universi in Blekingia (a), ex eadem, ut famem publicam sublevarent, rebus omnibus paratis, sub Aggone, & Ebbone (b), quos Cambara quoque mater comitata, excessere; Longobardi inde dicti, quum tunc Vinnuli dicerentur. Facta autem haec mi-

Insequentes Adnotationes in Vitae Regis Snionis calcem reiectae sunt, nec in infima ora paginae, suis locis, ut reliquae, adscriptae, quod ad manus nostras pervenerint, postquam pars eiusdem Vitae prior excusa iam esset.

Snio] Neque Regem in Dania ullum, neque alium cuiuscumque conditionis virum, qui id nomen gesserit, invenire potis fuit Torfaeus, veterum nominum, & genealogiarum, quantum ex eis hodie sciri potest, toto Septentrione peritissimus. Vid. eius *Ser. Reg. Dan. pag.* 329.

Eschillo, & *Achillo*) Sic scripti etiam infra recurrunt. Saxo *Alkillum* habet, & qui eum sequitur Crantzius.

Cambara, quae nonnullis Magga) in Pseudo-Erici *Historia Gentis Danor. num.* LXV. nuncupatur *Magga*; nec non in *Epitome Saxonis Grammat.* lingua inferioris Saxoniae scripta, & circa finem seculi XV. typis impressa: Sed Paulo Diacono, & qui eum sequuntur, est *Cambara*, vel ut in plerisque exemplaribus, etiam in antiquissimo membranaceo Bibliothec. Regiae Hafniensis, legitur, *Gambara*: Saxoni Grammatic. *Gambaruc*.

(a) *Blekingia*) Provincia est Scaniae adiacens, ad quam deducere Argonautas nostros placuit Saxoni, antequam Gutlandiam attingerent, Paulo Warnefridi nihil habente, quod istuc ferat. Is tantum: *In regionem, quae adpellatur Scoringa, venientes, per annos illic aliquot consederunt.* Saxo noster vero: *Primum itaque Blekingiam advecti, ac deinde Moringiam praeternavigantes.* Nempe *Moringiam*, vel *Mauringiam* ex Diaconi *cap.* XI. de qua videsis egregii Viri Horatii Blanci adnotationem. Id nominis Stephanius in sua Saxonis editione illaudabili audacia transformavit in *Boringiam*, quod Insulae vocabulum, nostratibus *Boringholm* dictae, paucis milliaribus a Blekingia remotae, quaeque inde in Gutlandiam navigantibus primum se offert. Credidit forte Stephanius sibi hoc pari iure licere, ac Saxoni licuit ex *Scoringa* facere *Blekingiam*.

(b) *Sub Aggone, & Ebbone*] Sic olim Saxo Grammaticus, quippe qui nomina, quae apud Paulum offendebat, quomodocumque in Codice suo scripta habuerit, ita immutavit, ut Danica suo aevo usitata referrent. *Aggo* enim, & *Ebbo* propriis vocabulis adpellati fuere viri omnibus seculis longe plurimi, in Dania, Svecia, Frisiaque. In exemplaribus Pauli Warnefridi num aliter umquam lectum sit, quam *Ibor*, & *Agio*, vel *Ago*, ignoro. In Freder. Lindenbrogii editione Hamburgensi est *Ayo*; sed in Codice membranac. Bibliothec. Reg. Dan. (cuius character vix, aut parum antiquitate cedit illi in *Scriptor. Italicor. Tom. I.*) omnibus locis *Ibor*, & *Agio*. Apud Godefridum Viterbiensem, Saxone non multum antiquiorem, aut ei coaevum *Hibor*, & *Hangio*. Priorem tamen Prosperi Chronicon interpolatum *Iboream* nominat; quod imitatos haud paucos recentiorum observavi. Ego vero pervelim, vetus ut adpellatio retineatur, dicaturque *Ibor*; nempe, ut duo habeantur eodem nomine Heroes ἀρχηγέται, in cerebris Monachorum nati, unus Troiani generis, & qui nongentis fere annis ante Christianam aeram Francos in Galliam deduxerit, de quo Rigordus, & Guilielmus Brito meminere; alter vero hic noster; quem, qui ex Troiano illo effictum opinari velit, aut Troianum ex nostro, ei haud multum refragabor. Iamdiu enim est, quod hoc totum, quantum, quantumque est, commentum de Langobardorum ex patria nostra egressu, eodem plane loco cum altero, de Francorum ex Troianis ortu, habeo. Saxo noster Sialandensis nihil in hac re singulare nos docuit. Egit nimirum ille more solito, dum brevem, quam ex Paulo Diacono collegit, narrationem, adiectis, & excogitatis, quae aptissima ad rem visa, extensiorem reddidit; numquam de Longobardis, vel somniaturus, nisi in Pauli historiam (forte in heri sui Archiepiscopi Bibliotheca) incidisset. Et, quod nonnulli nostratium non sine indignatione mirantur, nusquam a Saxone mentionem fieri, vel Cimbrorum in Galliam, Italiamque, vel Gothorum emigrationum, cui, quaeso, alii causae adscribemus, praeterquam curtae librorum supellectili, Floro, aliove Romanae Historiae Scriptore, nec non Iornande destitutae? Iam quod ad Paulum attinet, isne tamen vera de Langobardorum ortu prodiderit, ipse utpote Langobardus? Non credo. Eique, ne falsitatem, qua popularium laborabat auctoritas, perviderct, haud aliud opinor magis obstitisse, quam illam ipsam, qua Saxonem laborasse dicebam, eruditionis, bonorumque auctorum penuriam; siquidem *nihil supra memoriam suam sapiebat*, ut recte de eo pronunciavit Historicus Mediolanensis Tristanus Chalcus *lib.* IV. *init.* Quod si cognitum habuisset unum, aut alterum illorum veterum, qui Langobardorum in Germania, multis ante Iborem, & Agionem seculis, meminere, putasne eum tanti aestimaturum fuisse, quae vel Secundus, (si quidem ex eius Historia haec hauserit,) vel alii de Scandinavica origine protulisset? At quid dico? Fueruntne superiore seculo, nuperque adeo, viri ingenti doctrina, omnisque, qua latissime patet, antiquitatis notitia instructissimi, qui eisdem barbari aevi commentis non solum credulitatem suam, sed defensionem quoque, & praesidium addicere adversus rectiora monentes haud dubitavere? Quibus vero rationibus inducti? Pigeret profecto eas hoc loco commemorare, nisi vererer, ne aliquis mihi illas parum consideratas, aut obiter tantum animadversas suspicaretur. Hoc mihi tantummodo detur rogo, ut rescissis, quibus Grotius lectorem fatigat, ambagibus, omnia & singula magni viri argumenta compendio repraesentem, imo, ut clarius distinguantur, eis, qui haec nostra aliquando sint iudicaturi, adnumerem. „ 1. Langobardi, ait Grotius „ fuere „ Vinuli, Paulo ipso teste; Vinuli autem iidem; qui Van„ dali, qui Vandalii, qui Vindelici, pro diversitate dialecto„ rum diversimode pronunciati. Eos omnes populos originis „ esse Gothicae pronunciavit Procopius: & Gothos esse ex „ Scandinavia, Iornandes docuit. 2. Viniloth in Scandinavia „ ponitur a Iornande: Id vocabuli possessionem Vinilorum si„ gnificat; nam *Oth* priscis Saxonibus est *possessio*. 3. Posito „ semel, Vinilos, & Vandalos eosdem esse, de his, quod ex „ Scandinavia exierint, dubitari nequit, quippe quos Dexippus „ ab Oceani littore venisse adfirmat. 4. Miscella historia, Con„ stantinus Porphyrogenita, & S. Theophanes, ortos ex Ge„ pidis Langobardos tradunt. Gepidas vero Gothorum prosa„ piae adscribit Iornandes. 5. De Langobardis, cui potius „ credendum, quam Paulo Langobardo? Quid enim certius, „ quam quod gentis cuiusque carmina, & a maioribus ad po„ steros manans perpetua fama servavit? 6. Neque primus hanc „ Langobardis suis originem dedit Paulus, sed ante eum Pro„ sper Aquitanicus in Chronico. Hos sequutus Otto Frisingen„ sis, aliique. „ Atque haec ea sunt fulcra, quae ad substentandam Paulinae narrationis fidem satis firma esse vir magnus sibi, aliisque persuasit. Haec arma, quibus Cluverium debellari, omnemque obiectionum eius molem prosterni posse credidit. Neque vero causae nocere, vel Plinium existimavit, Vindelicos, & Guttones in Germania collocantem, „ quum isthuc multi iam olim potuerint ex Scandinavia se con„ ferre, & integros sui sanguinis, & nominis populos ibidem „ relinquere; vel Tacitum, Strabonem, Ptolemaeum, Velleium, de Langobardis commemorantes, „ siquidem haec ad„ pellatio, qua nihil aliud, quam *barbae longitudo* denotetur, „ aliis etiam potuerit, & integris quidem populis communis „ reddi. „ Equidem numquam satis admirari potui, tanto ingenio hominem, & cui praeter divinae mentis aciem tanta inerat eruditio, eo demum sese adduci passum, ut contra constantem optimorum ex antiquitate Scriptorum fidem tam levibus armis dimicaret. Fuerint Langobardi iidem, qui Vinuli, iidem, qui Vandali, iidem, qui Gepidae, atque istae omnes nationes Gothico sanguine censeantur, (quamquam ego nihil eorum crediderim, atque ad talia concedenda neutiquam illa sufficere putem, quae in *Prolegomenis* suis Grotius, vel post eum Rudbeckius aliique, multa quidem lectione, sed maiore longe audacia, ac temeritate cumularunt.) Reliquerint quoque Vandali, & Gothi in Septentrione nostro, Dania praesertim, & Svecia, multa nominis sui, multa certae habitationis vestigia, unde Gothos, nec non Vandalorum, aut Vinulorum, partem aliquam hic olim, consedisse evincatur, quod, ut verissimum, credo. Haecne vero talia, ut nobis persuadeant, populum, cuius certissima apud Strabonem, Tacitum, ceterosque cognitio exstat, multis post seculis primum ex Scandinavia egressum esse? Nempe, quia barbari illi, rerum suarum, antequam in Italia aliquem accepissent cultum, incredibiliter incuriosi, postea vero ortus sui ignarissimi, istiusmudi quid confinxerunt; forte, (nam quis indubitate hoc dixerit?) ut communem patriam haberent cum Gothis, quorum fortitudinis gloria adhuc per Italiam celebrabatur, ac quorum egressum e Scandinavia Secundus Tridentinus, & Paulus Aquileiensis potuerant discere ex Iornande. Iam per *Oceani littus*, quando inde Vandalos Dexippus arcessit, qua potius necessitate Scandinaviam intelliges, quam aliam quamvis regionem Germanico adiacentem mari? De *Carminibus* popularium suorum nusquam, quantum recordamur, Paulus meminit, suntque, si meminisset, ex illo monumentorum genere, cui si semel fides adiungatur, tum nescio cur abiudicari fides debeat Saxoni Grammatico in primis eius libris, quorum pars maxima utique ex gentis nostrae carminibus derivata. De Langobardorum autem origine scribenti Paulo, eo quod Langobardus fuit, tum demum credemus, quando similem ob causam Rigordus, totque alii Franci, de Francorum ortu narrantes, fidem apud doctos invenient; aut quando Brutus Britannicae gentis conditor, & Gathelus Argivus, cum Scota Pharaonis filia, Scoticae, quia haec olim a Britannis ipsis, & Sco-

& Scotis, doctrina, ut puto, Paulo Diacono haud inferioribus, prodita, habebuntur. Neque iuvat, quemadmodum id neque ego adseverabo, Paulum non primum fuisse auctorem commenti, verum ab aliis ita accepisse. Saltem inter omnes, qui possunt hodie citra controversiam allegari, primus est. Nam, quod ex Prospero citatur, non magis est Prosperi Aquitanici, quam sunt Pompeii Festi, & Ambrosii Calepini ea cuncta, quae in libris nomina illorum praeferentibus nunc conspicua. Consulantur modo editiones Chronici Prosperi, quas post Scaligeranam illam corruptissimam, ex Codicibus multo sincerioribus publicarunt Andreas Du Chesne *Scriptorum Franc. Tom. I. pag.* 201. & Labbeus *Biblioth. noviss. Tom. I. pag.* 47. recus. in Graevii *Antiquitt. Rom. Tom. XI.* Videbis istud de Langobardis, cum aliis, queis solebant Monachi Chronica interpolare, supplementis, plane exulare. Dices, editiones istas demum post Grotii scriptionem orbi communicatas. Concedo. At exstabat, & doctorum usibus serviebat accuratissima illa Arnoldi Pontaci, Burdigalae anno 1604. excusa, in qua adulterina omnia in Prospero diversi generis typis solicite a genuinis auctoris verbis distinguuntur; & quod ad istud de Langobardis attinet, monuit Praesul doctissimus in *notis* suis *col.* 762. desiderari totum in septem optimae notae exemplaribus, ac videri *desumtum ex Diaconi libro I. de Langobardis cap.* 1. *&* 7. Ne nunc aliam disputationem attingamus, quae de illo *Prosperi Chronico* institui posset, materiam ei suppeditantibus, tum laudato Pontaco in *Apparatu*, tum Norisio in *Historia Pelagiana*, Carolo Cointe in *Annal. Eccl. Franc.* Iac. Basnage in *Tomo I. Canis. Lectt.* Sufficit enim nobis ostendisse id, quod de Langobardis in Chronico illo legitur, a manu recentiore esse. Denique Grotianum illud ab etymo deductum, (ubi miror, praeteritam ei auctoritatem Isidori Hispal. *Originum Lib. IX.*) quam frivolum, quamque, ne gravius dicam, viro docto indignum; & cui, si maxime veri aliquid contineret, nihil tamen inesset ad Scandinavica haec firmanda. Etenim cnemo umquam Scandinaviorum barbam sua lingua *Bart* voavit, sed hoc purum putum est Germanicum. Si ergo *Langobardi* fuerunt *Vinuli*, si *iuxta Vinulorum linguam Bart barbam significat*, (utrumque enim dicit Paulus,) utique falsum erit, Vinulos illos e Scandinaviae fuisse populis; quum in nulla Scandinaviae parte *Bart* barbam vel hodie significet, vel olim significarit. Danis, Svecis, Norvegis, Islandis, barba *Skegg* ab ultimo aevo, quemadmodum & hodie adpellata; atque hoc vocabulum, si a Suenonis I. usque tempore, eius Regis, qui Canuti M. pater, & a bifida sua barba *Tysve-skegg* cognominatus fuit, per septem, aut octo fere secula apud nos perdurarit, an credibile est maiores nostros Pauli Warnefridi aetate, hoc est, ducentis ante Suenonem illum annis, aut anterioribus seculis magis Teutonica adamasse vocabula, quam hodie? Atque hoc tamen sequeretur, si verum esset, Langobardos ex Dania exiisse, non quidem ob solum illud barbae nomen, quippe, quod hodie vix sagacior Germanus aliquis in Langobardorum nomine adgnoscet, recte olim explosum ipsi Alberto Crantzio; sed ex eo praesertim, quod in omnibus, ad nostra, quae pervenerunt tempora, Langobardorum monumentis, sive historica illa sint, sive iuridica, nihil reperiatur, ad linguam & sermonem eorum pertinens, quod Scandinavicum simpliciter possis dicere, permulta autem, quae pure & vere sunt Germanica. Credesne ergo, barbaros vernaculam tam penitus potuisse linguam oblivisci, per illam in terris Germaniae centum & quinquaginta annorum moram, quam eis ex Pseudo-Prospero vulgus historicorum tribuit, ut in Pannoniam, hincque in Italiam delati, nullum deinceps nobis vocabulum, quod Scandinaviae certo vindicare possis, relinquerent? Evolve eorum *Leges*: adgnosces, quae latinis ibi peregrinae voces admiscentur, omnes, atque singulas Germanicas esse, nullam Danicam. Nam ex una, & altera, quae occurrant, utrique linguae hodie magis, quam vetusto illo aevo communibus, nihil concluditur. At, quod invictum habet argumentum adversus omnes, qui ex Dania, Sveciave populum istum deducunt, Italica ipsa est lingua, non tam ob insignem vocabulorum numerum, Germanicam, quae originem referunt, quam ob articulos nominibus praeponi solitos, quippe quos Itali Maioribus suis ignoratos, primum ex imitatione Langobardorum acceperunt, hacque ita parte novam linguae suae formam induerunt; quod & fatentem habemus Virum omni laude maiorem L. A. Muratorium *Antiqq Ital. Tom. II. Diss.* 35. At in his ipsis articulis tantum positum est momenti, ut vix certius aliud, & constantius ad constituendum inter Germanicam, & Septemtrionis nostri linguas discrimen sese offerat. Dani enim, Sveci, Norvegi, Islandi in contrarium hic abeunt a Germanis, & ab omnibus seculis abierunt, articulum semper postponentes nomini, numquam praeponentes. Itaque quando Germani, ac aemuli Langobardorum Itali, dicunt, *der Koenig*, il Re, *die Erde*, la Terra, *das Geset*, la Legge, *das Reich*, il Regno; Dani, & Scandinaviae populi, nomina iam dictis respondentia sic efferunt cum articulo: *Kongen*, *Iorden*, *Loven* [Svecis, & veteribus Danis *Laghen*] *Riget* (vel *Riket*) ubi articulus in fine adpositus *en* (& quando nomen in vocalem *e* definit, sola littera *n*) masculum, ac faemineum sexum exprimit, *&* vel *t* neutrum. Simplicia enim. & articulo destituta sunt, *Konge* [vel *Konning*,] *Iord*, *Lov* (*Lagh*,) *Rige*.

Sed iam tempus est, ut dimisso Grotio, scripta civium nostrorum inspiciam, & quid ea causae afferant adiumenti, excutiam. Stephanius, atque eius gener Ioannes Suaningius iunior, citant *Annales nostros antiquissimos*, qui narrationi Pauli Warnefridi faveant, egressumque Longobardorum referant ad annum Chr. 383. ille in *notis ad Saxonem Gramm.* hic in *Prolegomenis Chronologiae Danicae*; ubi & bonus ille Suaningius probra in eos ingerit, qui tantam patriae nostrae gloriam ereptum eunt, quantam ille scilicet, cum Crantzio, plurimisque nostratium, sitam esse arbitratur in Danico populi Longobardici ortu, quem ego, ut immanium latronum colluviem, nihil verae gloriae sive maioribus, sive posteris suis afferentem (tam diversa mortalium sunt iudicia,) censerem potius esse abominandum. Sed haec obiter. Nunc, quinam illi *antiquissimi annales*, videamus. Sunt, & fuerunt, mihi crede, haud alii, quam quos nonnulli apud nos Monasteriorum inquilini, vel alii supra vulgus, ut tempora ferebant, docti homines, ex Eusebii, Sigeberti, Adami Bremensis &c. *Chronicis* concinnarant, nostrisque, & vicinarum gentium rebus, interdum apte satis, & probabiliter insertis, adauxerant. Quod studium num Saxonis Grammatici aevo, hoc est, circa finem seculi XII. coeptum fuerit, dubito. Nam, praeterquam quod vix ullus historicus ipso extiterit negligentior circa temporum notationem, etiam nullam fecisse mentionem annalium, inter subsidia, quae habuerit scriptionis suae, deprehenditur. Verum, quicquid eius fuerit, testari possum, ex vetustissimis annalibus, qui Stephanio sese obtulerunt, nullum ad Saxonis aetatem adsurgere. Extabant plerique ante ultimum urbis nostrae incendium in Bibliotheca Academica, aliqui in membrana scripti. Quorumdam inde nactus apographa publico bono communicavit vir praeclarus Io. Petrus de Ludewig in *Reliq. Manuscriptorum Tom. XI.* Vnum item, alterumque, ex Stephanii ipsius chartis, eruditissimus Ericus Benzelius in *Monum. Hist. Ecclesiae Sveo-Gothicae*, Vpsal. 1709. impressis. Nonnullos possedit, ac laudavit in Operibus suis Thomas Bartholinus Iunior, qui & postea Bibliothecae Acad. accessere. In istis tamen, quotquot lucem adspexere, ne verbum quidem de Longobardis; neque enim res nostras ordiuntur altius, quam a seculo VIII. & IX. multi etiam serius. Et ponamus tales, & maioris etiam rubigine vetustatis obsitos, vel mille nobis ostendi, in Dania scriptos, & de Langobardorum e Dania migratione loquentes; nos illos pro *Annalibus patriae* numquam eapropter adgnoscemus. Nihil enim in hac parte ex nostratium (Saxonem excipio) sed ex Latinorum Chronicorum fide repraesentant, hoc est, in scenam iterum reducunt Paulum ipsum Diaconum, primum, quem novimus, & unicum hodie narrationis fontem. Itaque, sive Godefridum Viterbiensem, Sigebertum Gemblacensem, Ottonem Frisingensem, Conradum a Lichtenau, seu Vrspergensem, Romualdum Salernitanum, *Originesque* illas a Io. Frid. Christio an. 1728. publicatas, sive Blondum, Pomponium Laetum, Platinam, Sabellicum, Georgium Merulam, sive Saxonem Grammaticum, Alb. Crantzium, & Annales Danicos nominas, semper Paulum nominas. Neque ex numero illo firmamentum rei accedet maius, quam quod Annii Viterbiensis nugae ex eo sunt consequutae, quod in multorum postea Historicorum, & Chronographorum scripta transierunt. Ceterum aliud habent nostrates monumentum, quod quidem si tantum haberet veri, quantum ingenii ad illud artifex, & circumspectionis historicae studuit adferre, longe expeditior res foret. Est illud Carmen quoddam, rhytmicis metris lingua vernacula compositum, versuum duorum & quadraginta; quo Longobardos ex ea Vinulorum fuisse propagine fingitur, quae extremam, sive maxime borealem Cimbricae Chersonesi partem, Norvegiae obversam, habitavit; unde & ista regio, a ceteris Chersonesi partibus sinu Maris divisa, nomen suum acceperit. Certum utique eamdem hodienum adpellari *Vendsyssel*, latine vero multis *Vandaliam*, *Veniliam*, seu *Vensiliam*, Adamo Bremensi, & Saxoni Grammat. *Vendilam*, incolasque eius *Vendilos*, & *Vendilenses*, vernacule *Vendelboer*, in qua regione & ipse, quae haec scribo, & parentes mei nati. Fingitur porro in Carmine, Vinulos istinc, quum fames urgeret, Ebbone, & Aggone ducibus egressos, non apud Scoringiam, aut Gotlandiam, neque instinctu Freae Deae, ut fabulose Diaconus; eumque sequutus Saxo, occasione capillorum, & barbae nominatos Longobardos; sed istud demum vocabulum a devicta, atque excisa veteri Langobardorum gente traxisse, postquam illum Germaniae tractum armis suum fecissent, ac prius, quam ulterius tenderent. Id quod Vitus Beringius in versione Latina Carminis, (legitur haec in Stephanii *notis ad Saxon. pag.* 182.) sic expressit:

nudantque feraces
Longobardorum pacatis sedibus oras,
Et sibi devictae depromunt nomina gentis.

Hi versus vernaculi cum Io. If. Pontano, in Historia Danica, tunc occupato, oblati essent, is nihil falsi subspicatus, persuasumque habens ex Tacito, aliisque, fuisse boreae gentibus annalium, & memoriae veluti genus eiusmodi versiculos, in eam devenit opinionem, (vel se devenisse simulavit,) illis emigrationem Langobardicam multo verius, multoque accuratius, quam erat a Paulo Warnefridi praestitum, celebrari, iamque se omnibus salebris, & difficultatibus in conciliando cum Graecis, & Romanis Diacono defunctum esse.

migratio, uti auctor est Anonymus (a) in Historia Regum Daniae, anno Christi quingentesimo octogesimo, & sexto, ut Ericus Pomeranus, sexcentesimo trigesimo septimo; Prosper, accidisse (b) tradit, anno trecentesimo, & octogesimo. Ecce tempus, in re certa, incertissimum. Quamquam sane Prospero adsentiendum hic existimo, qui aetati illi proximus, nuper factam memoravit; ac, si postea evenisset, neque scire, neque tradere eam nobis potuisset. Itaque Anonymi hic, & Erici satis manifestus error. Porro Snio, iam grandaevus, mortem obit; regno, quod Broderi ignavia, ac Sivaldi item patris misere distractum fuerat, instaurato, inter Reges laudatissimos memorandus; nisi raptu, quem mox Deus bello, & fame castigavit, gloriam nominis obfuscasset. Hinc

BIORNO,

eius filius, regnum tenuit; sed obscurus, neque ulla rerum praeclararum fama. Post hunc magnum est Historiae deliquium (d); & intercidere Reges satis multi. Quidam, ut defectum suppleant, totam expeditionis Longobardicae historiam (e) hic intexunt; sed quum nihil ad propositum hoc pertineat, rectius omitti puto; & excessum eius gentis, quem iam dixi, memorasse satis dico; alii etiam quosdam inserunt, verum temporis incertos (f); mihi visum, a Saxonis, & Anonymi, ac Erici Pomerani ordine, quamquam interrupto, non recedere. Primus vero a Biornone, itidem obscurus valde,

HARALDUS IV.

Verum eius filius, qui non recte ab Anonymo filius Biornonis dicitur.

esse. Miseret me, eruditissimi Viri, cui tam impudenter fucus factus. Est enim recentis admodum fabricae cantilena, non modo Carolo M. quem regni Langobardici destructorem ultimus versus celebrat, adeoque & Pauli Diaconi temporibus posterior, sed &, cum Pontano ad manus veniret, nondum, ut puto, centum annorum aetatem habens; ex quo nimirum eam, cum insigni plurium id genus adulterinarum mercium adparatu, ex insula Gothlandia, commentorum ferace, Nicolaus ille Petreius, Hafniam ad amicos suos misit circa annum 1550. & pro genuino antiquitatis foetu venditavit. Prodiit sane, (quamquam non erubescit Claudius Lyschander in *Genealog. Dan. pag.* 263. ad pagana, & Adelrunarum secula referre,) ex eadem ipsa officina, in qua ceterae *Antiquitates*, quas *Gothlandicas* vocant nostri, cusae, & fabricatae; quarum, qui genium, atque indolem cognoscere avet, adeat Thormodi Torfaei *Ser. Regum Dan. lib.* 1. *cap.* 8. ubi candidissimus iste vir accuratam de illis sententiam tum suis, tum Olai Verelii Sveci, talium rerum, dum viveret, intelligentissimi, verbis promit. Nempe in Carmine, de quo agimus, Langobardico idem omnino regnat vitium, (quo & impostor sese, quasi sorex, prodidit,) idem, inquam, quod in ceteris Gothlandicis deprehensum merito exsibilavit Verelius, sic scribens „ Character „ dictionis adulterinum foetum exprobrat. Imitari auctor voluit „ linguam Gothicam remotissimae vetustatis. Si sic scilicet umquam loquuti sint Gothi, & non monstra sint haec verborum, & soloecismi. Putavit nempe putidissimi figmenti parens, deformem dictionem, ut antiquissimam ab incautis „ exceptum iri; ideoque voces fere singulas in *om* terminari „ voluit. Dimove hanc larvam, & de genuina facie iudicabis. Finiamus tamdem verbosam de argumento hoc adnotationem, cui, nisi ea iam nimium ultra mensuram excrevisset, plura parata habebamus; sed quibus fatendum eos facile carere posse, qui eruditorum Germanorum operibus, inter quae primum merito locum tribuo Io. Iac. Mascovii illi, (*Tom.* 2. *in adnotatt.*) non destituuntur. Obiter tantum addo, Io. Fr. Christii coniecturam, de Langobardorum in *Sveticos agros* excursu, atque inde reversione in Germaniam, haud omni ex parte novam esse. Nam in *Commentariis ad Taciti Germ.* qui post Andr. Althameri Operam admodum aucti prodierunt Augustae Vindel. 1580. haec legat *pag.* 450. „ Langobardi „ primis illis suis sedibus (*in superiore Germania*) relictis, incertum, quo auctore, & fortuna, insulas Germanici Maris „ occuparunt, Scandiam, Scoringam, Mauringam, Gothlandiam, Rugilandiam; inde egressi Pannoniam occuparunt. Quae &, aliquantum immutata, adoptavit Michael Beutherus in suis ad eumdem Taciti libellum *Commentatt. pag* 192. Sed quanti coniecturae in talibus rebus aestimandae, quidque de conatibus sentiendum, qui pro inani, & fabulosa gentis alicuius de originibus suis fama subscipiuntur, non necesse est dicere.

(a) *Migratio, uti auctor est Anonymus*] Non videtur hunc an. 586. adsignare Anonymus egressui Langobardorum e Scandinavia, sed victoriae, quam Italiam ingressi de populis transalpinis retulerunt, regionemque Longobardiam inde dictam sibi subiecerunt. En verba Anonymi, ut ipse, Lector, iudices: „ Huius (Snionis) temporibus exorta gravi fame, exiit e „ regno grandis exercitus, qui superatis Alpibus, proximam „ illis Italiae partem, quae nunc Langobardia dicitur, ab eisdem „ vocabulum sortita, quod essent *longis barbis*, invadentes occupabant, ac interfectis omnibus viris, relictas uxores accipiebant. Vnde crevit tota Langobardorum posteritas. Haec „ autem feruntur facta anno salutis DLXXXVI. „ Haec ille.

(b) *Prosper accidisse*] Verum est, ad hunc annum referri in Prosperi editione Scaligeriana. An etiam in pluribus, neque vacat, neque operae pretium est inquirere. In Pontaci editione annus adsignatus 382. Sic quoque in *Chronologia* Funcii. A Palmerio, & Calvisio annus 383. Crantzius annum 384. in suo Prosperi exemplari (Eusebium nominans) habuit. Tilemontius annum 379. statuit. Sed *Chronicon Danicum* lingua veteri Saxonica [quod Saxonis Grammatici epitome est] diserte annum 286. „ *Do desse uth Dannemarken toghen, de* „ *nu Langhebardi heten, dat was in den tyden alse men schreffna* „ *Godes bort.* CCLXXXVI. „ A quo non multum abit Romualdus Salernitanus Episcopus, Scriptor seculi XII. (Murator. *Scriptor. Ital. Tom. VII. pag.* 108.) qui egressum eorum ad tempora Constantini M. refert. Ceterum, quae subiicit Meursius de testimonio, & auctoritate Prosperi, quanti nobis aestimentur, iam satis indicavimus.

(c) *Biorno*) Quum totum tempus a praelio Bravallensi, quo *Haraldus Hildetannus* cecidit, usque ad *Ragnarem Lodbrogum* (quod tamen nonnisi quindecim annorum, ab ann. 735. ad ann. 750. statuitur) regno *Siguardi Ringi* adsignet laudatus saepius Torfaeus, in Chronologia Septentrionali mire diligens, & adcuratus, adparet nullum locum esse vel *Snioni*, vel *Biornoni*, vel quem Saxo, & ex eo Meursius, ceterique ei successorem dant, *Haraldo*. Audiatur Torfaeus *Ser. Regum Dan. pag.* 331. „ Snione a sceptris Danicis remoto, de *Biorno*, & „ Haraldo, quos post eum successivo ordine regnasse Saxo ait, „ parum soliciti sumus; quippe quorum sola nomina, sine „ ulla bene, vel secus gestarum rerum memoria exstant. Si „ quis eos in Ducum, vel Heroum ordinem redigere voluerit, nos non obnitemur; at locum eis inter Daniae Reges dare per *Sigurdi Hringi*, potentis Monarchae, praesentiam non licet. „ Haec Torfaeus.

(d) *Magnum est in historia deliquium &c.*) Primus, qui hoc animadvertit, fuit sine dubio Albertus Crantzius, quem de eo conquerentem legimus *Dan. lib.* 2. *cap.* 25. Vetustioribus, Saxoni, Erico &c. ne verbum quidem excidit de historiae hiatu post Snionem, aut in mentem venit. Saxo annorum numeros adponens numquam, Chronologiae etiam, ut imperitus, ita supra, quam dici potest, incuriosus, perfacile potuisset rei mederi, omnemque querelae materiem illam nostris praecidere, modo Longobardos suos non sub *Snione* collocasset, sed sub vetustiore quodam Rege, sive vero, seu confícto; saltem ut ex supputatione Suaningii, quae communis fere Saxonianorum facta, *Snionem* tribus seculis, aut amplius praecessisset.

(e) *Totam expeditionis Langob. historiam*] Sic fecit Crantzius, totumque *Daniae* suae *librum tertium* enarrandis Longobardorum gestis impendit.

(f) *Quosdam inserunt, verum temporis incertos*) Claudium Lyschandrum intelligit, id in opere suo *Genealog. Regum Dan.* ausum, sed ea fide, qua aeternam sibi apud omnes veritatis amantes infamiam peperit. Inseruit autem, & confinxit, (absit enim, ut *restituendi* verbo cum Stephanio, & Suaningio utar,) octo Reges, quos scilicet ipso iudice Saxo praeterierit. Nomina eorum sunt *Roricus II. Sueno, Gotilacus, Haraldus, Eschillus, Vermundus, Omundus, Balderus*. Verum istos sub examen vocavit doctissimus Pontanus *Hist. Dan. pag.* 37. *seq.* usus erga fabularum architectum illum, quem nec nomine quidem designat, maiore, quam opus fuerat lenitate.

GORMO,

magna claritate fuit; ſed diverſa ratione, quam maiores, illam petiit; nam ad gloriam iſti armis contendebant; hic peritia arcanorum, quae natura a communi intellectu removebat. At quae de Geruthi ſede, opibuſque, & Vgarthiloco idolo, tum Gormonis huc itinere, & Torchilli pariter legatione alii tradunt, hic omittam: qui haec ſcire tamen volet, apud Saxonem inveniet; quem mirari equidem, quam ſequi malim (a); quamquam fatear, in diaboli olim regno, fideique Chriſtianae ignorantia, talia fidem inveniſſe. Certe olim per eiuſmodi praeſtigias generis humani hoſtis hominum ſimplicitatem circumveniens, & illudere credulis ſolet, & in illis regni ſui confirmationem quaerere. Hoc Gormoni, ac Torchillo, a Gerutho, & Vgarthiloco factum; e quibus Torchillus tamen poſt id tempus, omnium Danorum primus, quantum ex Hiſtoria conſtat, fidem in Chriſtum in Germania eſt amplexus. Vxorem vero Gormo habuit filiam Svecorum Regis; e qua illi filius Gotricus natus. Obiit grandaevus admodum, acta per quietem vita; pacis quidem, quod in bono Rege eſt vituperandum, ita amans, ut & regni detrimentum, nimio illius ſtudio, non invitus pateretur. Filios reliquit duos; natu maximum Gotricum, qui ſucceſſit; alterumque, cuius filium Reinoldum (b) in bello caeſum memorat Stadenſis Abbas, ad annum octingenteſimum octavum.

GOTRICVS, (c) cognomento Liberalis.

Eo mortuo, ſumma rerum ad Gotricum filium eſt devoluta; alii Gotilacum dicunt (d): quidam vero Godefridum (e). Hic adeptus principatum, arma ſtatim in rebelles Saxones vertit, ac devictis legem dicit, quotieſcumque novum Regem Dania nanciſceretur, eum ut centum albis equis dux donaret; idem faceret, duce mortuo, qui ſuccederet: quo Danorum ſe imperio ſubiacere, & ab ipſis gentis ſuae principatum accepiſſe, teſtaretur. Poſtquam Saxones debellaſſet, Norvagiae regis Gothonis filiam uxorem accepit. Inde in tumultuantem Sveciam legatum mittit, qui componeret; ſed negotio ille impar, & contemtus, mox & noctu, devoluto in dormientem ponderis ingentis ſaxo interficitur: quam ulturus contumeliam, arma capit; ac devictos uno praelio, maxima clemen-

(a) *Quem mirari equidem, quam ſequi malim*] Torfaeus pariter *Ser. Reg. Dan. pag.* 332. ait, ſe non ſatis mirari poſſe, Saxonem tam *abſurdas relationes* operi ſuo inſerere voluiſſe: nihil enim eas niſi poetarum fabulas exhibere; monſtrat idem in Eddae Mythologiis, de *Thore*, *Vtgardalokio*, & *Geirraudo*, quaedam non diſſimilia referri. Talia & olim obſervavit Stephanius in *notis ad Sax. pag.* 185. ubi plura de fabulae, an allegoriae huius interpretatione legenda.

(b) *Alterumque, cuius filium Reinoldum*] Poſito nimirum, Gormonem fuiſſe patrem Godofredi, eius, qui cum Carolo M. bellum habuit, alterum quoque recte ſe habet. Nam Albertus Abbas Stadenſis in *Chronico*, ad an. DCCCVIII. auctor eſt, *Godefridum* in iſto bello *filium fratris amiſiſſe, nomine Reinoldum*. Verum, uti de *Godefrido*, ſaltem, ut Iutiae Rege, nulla nobis dubitandi cauſa eſt, ita magna ſane fuerit de *Gormone*; quem nec patrem Godofredi adgnoſci, nec in Daniae Regum ordine collocari poſſe, citra magnam temporum confuſionem, evicit Torfaeus *pag.* 332. niſi Gormo ille Audulfi filius, *Stultus* cognominatus, intelligatur, qui Ragnaris Lodbrogi Regis Daniae Vaſallus in Iutia fuit, & Knutum *Expoſititium* adoptavit. At idem Gormo ἄπαις, ſi fides Islandorum monumentis, fuit. Conf. Torf. *pag.* 332. item *pag.* 398. & 409. *ſeq.*

(c) *Gotricus*] Hoc nomen, ſi Torfaeum audiamus (*pag.* 332.) nullus Danorum Regum geſſit. Saxo hac adpellatione aliquem inter Weſtro-Gothiae Regulos offendit, quem etſi Caroli M. aetate ſeculis aliquot antiquiorem, ob aliquam tamen ſoni ſimilitudinem in nomine putavit poſſe eumdem eſſe, qui in hiſtoria Caroli M. Godefridus nuncupatur.

(d) *Alii Gotilacum dicunt*] Non Saxonis iſte, aut alterius noſtrum, ſed Meurſii ipſius error, plane non ferendus. *Gotilacum*, noſtris hiſtoricis ignoratum, ſolius Gregorii Turonenſis teſtimonio cognovimus, ad annum Chr. 516. adeoque trecentis propemodum annis ante Godefridum, Caroli M. aequalem. *Dani*, inquit Turonenſis, *cum Rege ſuo Gothilaco evectu navali per mare Gallias adpetunt*. Alii *Cochilacum*; alii aliter id nominis ſcribunt. Idem hic ergo Meurſio accidit, quod alias Saxoni, ut ſcilicet ex levi nominis alluſione, ſynchroniſmi parum memor, Reges confunderet. Indigne ferebat, ut opinor, a Saxone, aliiſque nullam mentionem fieri *Gothilaci*. At credo longa urgeri nocte multo ampliorem numerum Heroum noſtratium, quibus per barbara iſta ſecula, omni ſcriptionis, & litterarum beneficio deſtituta, nulli neque vates, nec hiſtorici contigere. Neque Gotilacum, quamvis Rex audiat Gregorio Turonenſi, ſtatim ideo dicemus Daniae ſumma cum poteſtate praefuiſſe; quum pervulgatum ſit, Regum ſeptentrionalium filios, fratres, aut conſanguineos, quando piraticam, aut id genus expeditiones obibant, regium nomen uſurpaſſe. Ea autem conſuetudo quin aliquam inſequutis temporibus confuſionem parere potuerit in Regum noſtrorum Catalogo, nullum dubium.

(e) *Quidam vero Godefridum*) Ita Annales Fuldenſes, Regino Prumienſis, Eginhardus, Annales Bertiniani, & Loyſeliani, omneſque illi exteri, qui de Caroli M. bello Danico meminere. Verum quantacumque Godefridi fuit gloria, nullum tamen inter ſupremos Daniae Reges, ſeu Monarchas habet locum, ſi Norvegica, Danicis multo ſinceriora, monumenta evolvantur. In his enim Iutiae tantum praefuiſſe dicitur, beneficio Ragnaris Lodbrogi, & filii eius Siguardi Anguioculi. Docuit id nos *Hiſtoria Olai Trygguini*, cuius en verba Latine reddita: „ Carolo Rege Magno imperante, Iutiae „ Rex praefuit *Godefridus* dictus. Hic *Roricum* Friſiorum Prin- „ cipem occidit, & Friſios ſub tributum miſit. Hinc Rex „ Carolus M. numeroſo cum exercitu contra Godefridum mo- „ vit. *Godefridus* autem tunc a propriis militibus occiſus eſt, „ fraterque illius *Hemmingus* Rex Iutiae creatus. „ De genere Godefridi, exploſa Saxonis Grammatici fictione de Gormone patre, coniecturam timidiuſcule ſuam aperuit Torfaeus *pag.* 410. „ *Huitſerco*, inquit, Ragnaris Lodbrochis filio (hunc Iutiae, „ & Vandaliae praefecerat pater) genitus eſſe potuit, ac ea „ ratione abſoluto iure in Iutia regnaſſe; neque enim *Hvitſerci* „ illius in Iutia, & Vandalia ſucceſſor uſquam exprimitur. „ Nihil tamen abſque praevia litterarum auctoritate, quae hic „ omnino deeſt, pronunciare audemus. „

Ceterum, quidquid fuerit de *Huitſerco*, eiuſque in Iutia regno, & Vandalia, (quem lubenter ſuae obſcuritati, quum nullius niſi in Islandorum ſcriptis ſit nominis, relinquemus,) alius nos ad ſe vocat illuſtrior heros, *Sigefridus* nempe, ille Francicis, Germaniciſque auctoribus pernotus, eodemque iure ac *Godefridus*, imo ante eum, inter Iutiae Reges ponendus. Quo nomine non poſſumus non laudare Pontanum, non ſolum nomen eius hiſtoriae noſtrae reſtituentem, ſed & ei magnam geſtorum partem, quae Godefrido ceteri noſtratium tribuunt, vindicantem. Pugnat quidem, & obnititur haec contra Stephanius, in *notis ad Saxon. pag.* 186. *a.* ſed nullis plane argumentis; nulla enim vocamus, quae a Saxonis, & Saxonianorum ſilentio ducuntur. Habuit tamen Pontanus e noſtris praeeuntem vetuſtum Anonymum, quem Erpoldus Lindenbrogius edidit. Is enim *Sigefridum*, quem Gormonis maiorem natu filium facit, & Godefridi fratrem, ante *Gotricum* in Catalogo Regum ponit, haecque de eo memorat: „ Rex *Sigefridus* Gormonis filius, Godefridi fra- „ ter, cuius ſororem (ſic legendum, pro vitioſe edito, *uxo-* „ *rem*) Widekindus Saxonum Rex, ſeu unus ex primoribus „ Weſtfalorum, hoſpeſque eius uxorem habuit, ex qua ge- „ nuit Witpertum. Hic legatos ſuos miſit ad Carolum Ma- „ gnum anno Chriſti DCCLXXXVII. caſtris poſitis ad Lippiae „ fontem, cum omni Francorum exercitu conſedentem, atque „ per dies non paucos ibidem morantem. „ Patet clariſſime, iſta auctorem hunc ex Francorum Annalibus deſcripſiſſe, ſed erraviſſe aut ipſum, aut editorem in anno, qui non 787. ſed 782. fuit. Apud Francos, ut dixi, crebra ſatis *Sigefridi* mentio. Meminerunt Widekindi ad eum fugae anno 777. Annales Francor. Loyſeliani, Eginhardi, Bertiniani, Regino Prumienſis, Poeta vetus a Rein. Reineccio primum editus, alii. Referunt iidem illi auctores de legatis *Sigefridi Danor.* *Regis*,

mentia usus, in deditionem accipit, qui legatum occidissent, senis auri libris [a] mulctat; ceteros, facinoris conscios, una uncia. Quae in Svecia dum geruntur, Galliae rex Carolus Magnus bello Saxones invadit, duxque eorum Vitichindus a Gotrico, cui adfinitate iunctus, opem petit; qua accepta, Carolo in Sarracenos in Hispaniam tum profecto, loca, quae is occuparat, mox recuperat, & praesidia Gallicana inde eiicit. Quumque rediisset Carolus, castraque ad Lupiae fauces [b] posuisset, Alidem Gotricus eo, & Asmundum, statim mittit, qui exponerent: *dudum Saxones Danis vectigales esse* [c]; *itaque orare ipsum, armis abstinere velit, neque illos divexare, quod si autem ad inceptum frustra bellum revertatur, se ad arma, suis opponenda, cogi.* Quibus Carolus quum haud commode respondisset, iterum Gotricus nova Vitichindo auxilia parat. Inter ista, ordinatis in Saxonia rebus omnibus, quum repeteret Galliam Carolus, copias auxiliares a Gotrico consequutus Vitichindus, limitem Saxoniae repetit, & praesidium depellit, quod huic Carolus imposuerat; tum & suum illic collocat, aditusque omnes munit. Qua re nuntiata, Carolus, reducendis ad obsequium Saxonibus sub Cunrado, & Adelgiso, copias mittit, quibus pelli rursum posse Vitichindum existimaret; sed has ille omnes fusas internecione delet. Id quum Carolus accepisset, denuo coactum militem ipse ducit, plenus irae, & adventum Vitichindus minime exspectandum ratus, profugit trans Albim flumen, ad Gotricum. Inter ista adest Carolus, Saxonesque duce suo destitutos, ac nequidquam deprecantes, graviter punit; raptis ad supplicium plus quatuor millibus, & quingentis. Neque id Gotricus tulit; sed, reverso in Galliam Carolo, denuo cum magna manu in Saxoniam profectus, omnem ad obsequium antiquum cogit. Cuius rei certus Carolus, ipse a Pontifice Leone III. ad tumultum compescendum evocatus, dat negotium Pipino [d] filio suo, ut Gotricum coerceret. Ille, rebus in Saxonia ordinatis, iam in Daniam redierat; sed mandato Caroli hoc intellecto, magnum exercitum conscribit; addit classem, munitissimarum navium trecentarum, quae transmitteret in Germaniam, atque primo ducit in maiorem Frisiam [e]; uti, ea occupata mox Germaniam, inde Galliam infestaret; etenim dolebat principi magni animi, & virtutis, quod Saxonia quae tamdiu Daniae vectigalis fuerat subiugata, arma Gallica intra ipsum regnum suum metuenda animadverteret; itaque, facilius hostem profligari foris posse, neque tuto intra limitem exspectari arbitratus, omnes copias ablegare destinavit; ac negotium Carolo exhibiturus certe erat, ni consilium casus quidam improvisus evertisset; nam, praeter trecentas naves, milite, armis commeatu instructissimas, etiam terrestres copias maximas circumducebat, quibus fretus, non Saxoniam tantum Carolo, sed & ipsum Aquisgranum [f] sedem regiam erepturum, palam quoque minabatur. Frisiaque debellata, & imposito tributo, quum

Regis, Carolum ad fontem Lippiae accedentibus anno 782. ubi Loyseliani habent: *Illuc convenerunt Nordmanni, missi Sigefridi Regis*. Vltimum, quantum memini, occurrit eius nomen anno 798. ubi Eginhardi Annales produnt, Saxones Transalbianos trucidasse inter alios Godeschalcum Caroli M. legatum, quem ille ante paucos dies ad *Sigefridum Regem Danorum* miserat. Atque in eodem anno terminum regni, ac vitae Sigefridi Pontanus constituit. Equidem, ut nihil certi de fine eius habetur, ita neque de *Godefrido* quidquam se nobis obtulit ante annum 803. quo primam eius mentionem facit Ado Viennensis in *Chron.* alii vero seq. an. 804.

(a) *Senis auri libris*] Saxo *pag.* 167. habet *bissena auri talenta*.

(b) *Castraque ad Lupiae fauces*] Librarii, ut subspicor, aut typographi alicuius error, in auctore, quem Meursius, nec non Pontanus *pag.* 90. sequuti sunt, qui *fauces* pro *fontes*, scripserit. Omnes, quos ego vidi, veteres Annales *Lippiae fontes*, vel *fontem* repraesentant. Annal. Bertin. *ubi Lippia consurgit*. Pontanus ipse alibi *Lippiam amnem*, *pag.* 94. Et Fragmentum Annalium in Du-Chesnii *Tomo II. pag.* 22. *Habuit Carolus Rex* (anno 782.) *conventum magnum exercitus sui ad Lippuibrunnen*. Qui de fonte, & loco illo plura antiqua testimonia desiderat, inveniet in *Monumentis Paderbornensib.* luculento illo opere Episcopi Ferdinandi de Furstenberg *pagg.* 14. *seq.*

(c) *Saxones Danis vectigales esse*) Eginhardus *cap.* 14. „ Godefridus Saxoniam non aliter, ac suam provinciam aestimabat. Iam Abotritos vicinos suos, in suam ditionem redegerat, iam eos sibi vectigales fecerat. „

(d) *Dat negotium Pipino*) Ita & Saxo dixerat *pag.* 167. Sed erravit in nomine. Neque enim Pipinum Germanicis bellis, sed Carolum iuniorem pater praefecit. Ceterum de bellis Caroli M. conrra Danos ante annum 800. & circa tempus illud, quo Romam profectus est, nihil diserte narrant Scriptores exteri, quamquam Sigefridi Regis, & commeantium inter eum, & Carolum legatorum meminere. Quare & doctissimus Io. Henr. Schminckius multus est in refellendo Pseudo-Erico Pomerano, ob haec scripta: *Anno* 776. *venit Carolus cum toto imperio suo contra Godefrith Regem Daniae, cui idem Godefrith ultra Albiam occurrens, fugavit Carolum de Saxonia*. Et haec quidem falsa esse fatemur, nihilique aestimanda. Attamen non audeo adsentiri Schminckio, ante annum 808. nullum belli initium factum inter Carolum, & Danos, maxime cum ab anno usque 795. mentio apud Scriptores fiat de perfidia, & rebellione Saxonum, ad quos iterum, iterumque domandos Carolus tum ipse profectus est anno 798. tum copias sub aliorum ductu destinavit. Et Saxonibus haud defuisse Danici Regis auxilia, perquam credibile. Considerentur, quae Ado Viennensis in *Chronico* ad ann. 796. & Annales in Du-Chesnii *Tom.* 2. *pag.* 18. nec non in *Tom.* 3. *pag.* 163. Bertiniani adnotant ad ann. 798. & 799. de expeditione contra *Nortliudos, trans Albim sedentes*, qui gravem seditionem, excitarant *Nortliudi* vero maxime vicini Iutis, quibus Sigefridus, & Godefridus praefuere, Annales, Eginhardi dicti, eosdem in anno 798. *Transalbianos*: qui *Nordmanni* vocantur, nominat; in sequente autem anno etiam *Nordliudos*. Iidem Annales ad ann. 804. memorant, „ Godefridum Regem Danorum venisse *cum classe* sua, nec „ non & omni equitatu regni sui, ad locum, qui dicitur „ *Sliestorff*, [in Alb. Stadensis *Chron.* est *Diesdorp*, sed in „ Adonis Vienn. illo *Liesthorp*, uti, & in Bertinianis Annal.] „ in confinio regni sui, & Saxoniae. Promisit enim se ad „ colloquium Imperatoris venturum, sed consilio suorum inhi- „ bitus, propius non accessit. Imperator autem super Albim „ fluvium sedebat in loco, qui dicitur *Holdunstetin* (Alb. Sta- „ densis habet *Holdenstein*,) & misit ad Godefridum legatio- „ nem pro perfugis reddendis. „ Possent equidem plura colligi, sed rectius facturum me puto, si ad Pontanum ablegavero, a *pag.* 89. ad *pag.* 92. singulari haec diligentia persequutum.

(e) *Primo ducit in majorem Frisiam*) Annales Pithoeani ad ann. 810. „ Imperator nuncium accepit, classem ducentarum navium Frisiam „ appulisse, totasque Frisiaco littori adiacentes insulas esse vastatas; „ iam exercitum illum in continenti esse, terraque praelia cum „ Fresonibus commisisse, Danosque victores tributum victis im- „ posuisse, & vectigalis nomine centum libras a Fresonibus esse „ solutas: & revera ita erat. „ Idem habent Annall. Bertin. subiungentes: *& Regem Godofredum domi esse*.

(f) *Ipsum Aquisgranum*) Eginhardus *cap.* 14. „ Rex Godefri- „ dus adeo vana spe inflatus erat, ut totius Germaniae sibi pro- „ mitteret potestatem - - - - - - Iactabat etiam se brevi Aquis- „ grani, ubi Regis comitatus erat, cum maximis copiis avven- „ turum. Nec dictis eius, quamvis vanissimis, omnino fides „ abnuebatur, quin potius putaretur tale aliquid inchoaturus. „ „ Helmoldus *Chron. Slav. lib.* 1. *cap.* 3. „ Rex Godefridus, iam „ ante Fresis itemque Nordalbingis, Obotritis, & aliis Slavorum „ populis tributo subactis, ipsi Carolo bellum minatus est. „ Et ista quidem ad annum 810. spectant: cum & ad praecedentem memorant Annales Pithoeani, Carolo fuisse *multa de iactantia & superbia Regis Danorum nunciata*. Vid. & Bertinian. *ibidem*.

in eum recta tenderet, neque iam a castris item longe abesset a satellite, sive ut alii [a] volunt, filio, ob repudiatam matrem, in tentorio interficitur; anno, ut Regino tradit, decimo, & octingentesimo, rex insignis, pace, & bello; iustus, clemens, & munificus; unde etiam Liberalis cognomento [b] adpellatus. Duraverat autem illud contra Francos bellum, ut Ericus Pomeranus nobis refert, per sex & triginta annos [c]. Liberos eius tres invenio, unum filium Olaum [d], qui successit interfecto; & duas filias, quarum una Norvagiae regi elocata, Sivardum Olai successorem, est enixa; altera, ignoto nupta, filium Ringonem peperit; cum Sivardo consobrino, ut mox dicam, contendentem.

OLAVS III.

Interfecto sic Gotrico, regnum Olaus filius tenuit. Huius multi nullam mentionem [e] faciunt; alii Hemmingum ante illum ponunt; ego vero, ut in ceteris, ita hic Saxonem sequor, & Hericum Pomeranum Daniae regem [f], quibus iure separatis peregrinis, fidem habeo; quum res patriae ille scribat, iste regni, quasi patriae. Hic, dum pie patris caedem ulcisci cupit, gravi bello intestino imprudenter se involvit. Moritur, relinquens filium unum Hemmingum [g] successorem, ut Ericus Pomeranus nobis auctor, quamlibet Gotrici eum patruelem memoret Stadensis Abbas, & adeptum esse regnum anno octingentesimo decimo; alii nepotem ex fratre eum tradunt. Sepulcrum illi constitutum in Sialandia prope Lethram, in Olai ibi colle, quem ab eo adpellarunt.

HEMMINGVS.

Patri Olao suffectus Hemmingus, anno, ut Regino auctor, & Albertus Abbas Stadensis, decimo & octingentesimo, quo Regino tamen idem [h] decessisse etiam Gotricum dicit, huius avum; unde satis manifestum, maxime confundi tempora, tutiusque in his talibus nihil certi constituere. Hic cum Ludovico Pio [i] foedus quoddam iniisse memoratur, in quo regni limes dictus Eidora [k] fluvius; idque factum traditur a Reginone, & Annalium Francicorum incerto Auctore, anno octingentesimo undecimo. Evertit quoque urbem Venetam [l], opulentam, ad Viadri amnis ostium, mari Balthico adiacentem. Eam diu,

(a) *A satellite, vel, ut alii*) De priore Saxo *lib.* 8. *fin.* Anonymus Erp. Lindenbrogii, Ericus Pomer. *A proprio milite cultro transfixus est in ventre*. Annales Franc. ad ann. 810. „ Ad Imperatorem Suncius perfectur, Godefridum Regem a „ quodam suo satellite esse interfectum „ Idem Eginhardus habet, & Regino Prumiensis, & Monachus S. Gallensis *lib.* 2. *cap.* 21. qui id factum dicit, *cum Rex voluerit falconem suum de aneta extrahere*. De posteriore, nempe filio, nescio unde acceperit Stadensis, quae scribit ad ann. 810. „ Interea di- „ versi veniunt nuncii, scil. classem Godefridi regressam, & „ Godefridum a suo satellite, vel a proprio filio, cuius matrem „ alia ducta dimiserat, interfectum. „ Eadem Crantzius *Saxon. lib.* 2. *cap.* 6. & *Daniae lib.* 4. *cap.* 2. Pontanus noster, ex memoriae lapsu, Eginhardo tribuit istud, de filio patrem Godefridum perimente.

(b) *Vnde liberalis cognomento*) Vernacule cognominatum *Gafmilde* testatur Pseudo-Ericus in *Hist. gentis Danor.* Est igitur ibi *Godric hin Gyafmilde*. Saxo *non armis modo, sed etiam liberalitate conspicuus*. Sed hoc de Regis istius liberalitate totum nititur narratiuncula quadam de armilla aurea, qua Refonem Thylensem (h. e. Islandum) donavit: quam vero ipsam historiolam Torfaeus observat in veteri, & fabulosa *Vita Gotrici*, non Daniae, sed Westro-Gothiae Regis, occurrere. Duo itaque inde discimus: primum, quod *Historia Gotrici Westrogothi Regis*, quam Islandice cum versione latina, & notis suis edidit Olaus Verelius *Vpsal.* 1664. iam Saxonis aevo nota, atque lecta fuerit; alterum, quod Saxoni Grammatico ad adfingendam Danorum Regi Godefrido, tum Gotrici adpellationem, tum liberalitatis virtutem occasionem idem liber fabulosus dederit. Verum in hac ipsa commendatione plane incongruum, quod Refo ille, cui munificum se Rex ostendit, Thylensis, seu Islandus gente fingitur, quales isto tempore (seculis VIII. & IX.) nondum extitere, siquidem Islandia suos incolas demum seculo X. accepit.

(c) *Per sex & triginta annos*] Hoc Pseudo-Erici Regis commentum ample refutavit J. H. Schminckius in *notis* suis ad Eginhardum. Vid. egregiae, quam publico dedit, editionis *pag.* 71.

(d) *Filium Olaum -- filium Ringonem*] De ista genealogia quid existimandum patebit ex iis, quae inferius nobis dicenda.

(e) *Multi nullam mentionem*) Et hi recte faciunt. Neque enim eum adgnoscunt Norvegici, & Islandici Scriptores, sive *Olavi Tryggvini Vitae auctor*, sive *Gnorrini Chronici* interpolator. Vid Torf. *pag.* 333. & *pag.* 407. neque ullus exterorum, qui omnes Godefrido protinus Hemmingum successisse aiunt. Saxonem Grammaticum, quid permoverit ad *Olaum* hic inserendum, hodie ignoratur.

(f) *Ericum Pomeranum Daniae Regem*) Non repetam, quae toties inculcavi, Chronicon illud falso adscribi Erico-Regi, cuius forte nomen in fronte alicuius exemplaris repertum fuerit, possessorem indicans. Alii coniiciunt, Monachum quemdam, Erici Regis Sacellanum, Chronicon eius iussu compilasse, quod nec improbabile. Quod autem verissimum, & Sole, ut aiunt, meridiano clarius est, editionem eius, quam Erpoldus Lindenbrogius curavit tum alias, tum in Fabriciana Hamburgensi expressam, multis & gravibus scatere mendis, in quibus & hoc habendum, quod Olavus Gotrici filius *Gothdranker* adpellatur, quad aliter reddere Latina interpretatione vix potes, nisi *insignem potatorem* velis dicere. Sed Arnoldus Huitfeldius, Claud. Lyschander, & alii, qui Historias Regum vernacule edidere, scripserunt *Goddreng*, h. e. *bonae indolis puerum*.

(g) *Filium unum Hemmingum*) Ne quidem Saxonem istud auctorem habet. Omnes vero hic a Pseudo-Erico diversi. Auctor Islandus *Historiae Olavi Tryggvini* Regis Norvegici Hemmingum vocat *fratrem Godefridi*. Annales Pithoeani, Egínhardini, Monachus Engolismensis, & plures Franci, *filium fratris Godefridi*. Sigebertus Gemblac. *filium Godefridi*. Adamus Bremen. & ex eo Albertus Stadensis, *Godefridi patruelem*.

(h) *Quo Regino tamen idem*] Sed nihil plane confundit Regino, non solus, qui hoc tradit, quum omnes exterorum Annales, quibus concinunt Islandi nostri, & Anonymus Lindenbrogii Latinus, eumdem annum 810. morti Godefridi, & auspiciis Hemmingi adsignent.

(i) *Hic cum Ludovico Pio*) Miror, Meursium idem non perspexisse, quod Pontanus, & ipse Stephanius, quamvis Saxoni suo addictissimus viderunt, pacem Hemmingum, non cum Ludovico, sed cum Carolo ipso iniisse; de quo luculenter adeo testantur omnes exteri, non solum Alb. Stadensis a Pontano laudatus, sed eo longe antiquiores, magno numero. Neque potuit aliter fieri, quum & ab omnibus iisdem exteris Hemmingi Regis obitus ad an. 812. refertur.

(k) *In quo regni limen dictus Eidora*) Pacificationis historiam, pacti conditiones, foederis, & iuris iurandi formulam, cum legatorum utriusque partis nominibus, conservarunt nobis Francici Scriptores, Annales Bertiniani, Eginhardini, Aimoini Continuator, atque alii. Excerpta inde Pontanus operi suo inseruit *pag.* 95. Praecipua legum fuit, ut videlicet in futurum inter Germanos, & Danos utriusque regni confinia flumen Eidora disterminaret.

(l) *Evertit quoque urbem Venetam*) Non Veneta, sed *Vineta*, aut potius *VVineta*, urbs illa adpellata. Tacet hanc expeditionem Saxo Grammaticus; omittunt quoque Vitfeldius, & Pontanus. Meursius ex Io. Suaningio Seniore, ut pleraque sua, depromsit. Hic vero ex Alb. Crantzio, qui unde illam didicerit, quum nec Micnelius, nec diligentissimus Bangertus in *notis ad Helmoldum*, docere id me potuerint, ignoro. Ecce interim verba Crantzii ex *Vandaliae lib.* 2. *cap.* 20. „ Subversa (Wineta) civili discordia - - - - nam Gothi, Van- „ dali, Saxones, quique alii eam incoluere, in se versi, dum „ quisque sibi primatum vindicaret, effecere, ut opulentissima „ urbs bello pressa vastaretur, & solo aequaretur. Nam Go- „ thi, qui habitavere, gentis suae in Svecia Regem Haral- „ dum imploravere: ille autem in societatem belli evocavit „ Hemmingum Danorum Regem, qui tempora contigit vicina „ Carolo Francorum, & Germanorum Regi - - - Qui Reges „ iunctis armis impugnatam civitatem expugnarunt, militibus „ diri-

diu, ac pacate incoluerant Vendi pariter, Saxoneſque; ſed mox, verſis in ſe armis, quum de urbis principatu concertarent, illam Hemmingus occupavit, ac delevit. Ex ruinis in Gothlandia excitatum poſt Visburgum, celeberrimum emporium, quidam tradunt. Moritur, ut Regino refert, anno duodecimo poſt octingenteſimum [a], ideſt, biennio poſt quam regnum acceperat. Albertus Stadenſis Abbas [b] annos regni ſeptem tribuit; mortuumque eſſe ait anno Chriſti octingenteſimo decimoſeptimo; at Ericus Pomeranus longe ab utroque abit, & viginti octo annos regnum tenuiſſe tradit; idque magis ego credo, cum maiore ille cura in inveſtigandis rebus regni ſui, ac tradendis, ſit verſatus.

SIVARDVS, & RINGO.

Defuncto Hemmingo, duos Dania reges habuit; Sivardum, & Ringonem [c], conſobrinos; nam Sivardus, ex eiuſdem nominis patre, & Gotrici regis filia natus erat; Ringo verò, etiam ipſe ex Gotrici altera filia, patre incerto, Cimbro tamen, ut videtur colligi ex factione ſatis poſſe; ac Sivardum quidem Scani, Sialandi, & vicini inſulani; Ringonem, Cimbri elegerunt; neutri ſubdita Fionia, ab utroque graviter vexata fuit: nunc hunc dominum, nunc iſtum, pro fortuna belli, paſſa. Inter iſta, Dania contemni coepit: ac ſubiecti populi tumultuari: quin infeſta quoque arma inferre Sclavi. Et Sivardus, bello inteſtino omiſſo, in hos ducere; quo quinquennium iam abſente, Sialandi, ut adfectum teſtarentur, ejus filium Regnerum, quamvis etiam tum impuberem, loco patris regem capiunt. Sed nec hoc Sivardo profuit; quippe aemulus ejus Ringo, uti occaſione gnarus, maxima inſtructa claſſe, Scanos, atque Sialandos quam graviſſime infeſtare, ni ſe dederent, mortem, & extrema quaeque comminatus. Quid inermes, & abſente rege ſuo, contra hoſtem armatum facerent? primo petunt ſpatium deliberandi; in quo cum Sivardi amor, & abſenti data fides, dubios illorum animos diſtineret; hinc perculſos vis ringonis, & potentia, territarent; parvum quamlibet Regnerum, & in concione adſtantem, regis patris reverentia, aliquid in medium, quoque conſulentem audire placuit; qui, aetatem ſapientia ſupergreſſus, *quorſum attinet*, inquit, *hoſtem, multo viribus praeſtantem, reſiſtendo irritare? quod nil aliud, quam periculum ſibi accerſere, & victoris in ſe iram provocare; ut enim deſerere ſigna, & transfugere ad hoſtem, nulla vi neceſſitatis adigente, magnum eſt profecto ſcelus; ſic obniti ſupra vires, temerarium eſſe duco: itaque, deditione ſimulata, potius fallendus hoſtis, dum, defectione oblata, deſeri opportune poſſit: ſiquidem fortuna adverſa nunquam melius, quam cedendo ſuperatur*. Qua oratione pueri moti ſenes, eo prius, ut periculo ſurriperent, in Norvagiam ablegato, vitam, ac fortunas ſuas, ſalvas pacti, ſe ringoni dedidere. Cuius rei quum perlata ad Sivardum fama eſſet, ille, motis ſtatim caſtris, cum exercitu, feſtinatis itineribus, regnum petit, vindicare iſtud certus. Nec minore animo occurrit Ringo; acriterque praeliatus, tandem cadit: ita tamen, ut Sivardus, quamvis victor, graviter ſaucius, paucis poſt diebus eum, fati comes, ſequeretur. Sane pugna admodum cruenta fuit; & in acie circiter undena millia cecidiſſe referuntur. Hic amborum regum exitus, ut infortunatus ipſis, ita Daniae luctuoſus; ſed Sivardus meliore fama exceſſit; quod, ut Ringo regiam ſe poteſtatem affectare oſtendebat, ita ipſe ſalvam eſſe regni maieſtatem vellet; quam ob cauſam, praemium virtutis ſuae, munerante eam Deo, ſatis amplum conſequutus, filium Regnerum ſibi in regno ſucceſſorem habuit.

RE-

„ diripiendam tradiderunt, & deinde ſolo aequarunt. Quod au-
„ tem (pergit Crantzius) huius expeditionis nullam faciat Saxo
„ Danicus Scriptor mentionem, ab incuria temporum venit,
„ quae minus ſunt in eius hiſtoria explicata. „ Helmoldus neque tempus everſionis, neque Regem nominans, haec dumtaxat exhibet, *Chron. Slav. lib.* 1. *cap.* 2. „ Hanc civitatem
„ opulentiſſimam quidam Danorum Rex, maxima claſſe ſtipa-
„ tus, funditus evertiſſe refertur. Praeſto ſunt adhuc antiquae
„ illius civitatis monumenta. „ Haec Helmoldus.

(a) *Anno duodecimo poſt octing.*] Eumdem annum omnes Annales Francici habent, quos recenſere nihil opus. Evolvi poſſunt plerique in Du-Cheſnii *Script. Fr. Tom. II.* Confirmat planiſſime *Vitae Olavi Tryggvini* auctor: *Tharſattuz their: en Henningr andadiz vetri ſidarr*. Hoc eſt: *Ibi pax utrimque facta eſt* (ad Egdoram;) *Hemmingus autem proxime ſequente anno exceſſit e vita*.

(b) *Alb. Stadenſis Abbas*] Huius Abbatis de iſta re teſtimonium plane infirmum eſt, nihilque ad rem facit. Sequutus enim Albertus more ſuo eſt Adamum Bremenſem, ac eius verba exſcripſit. Adamus, in hiſtoria ſua rebus Eccleſiaſticis intentus, quum narrare vellet de religionis Chriſtianae initiis apud Danos ſub Ludovico Imp. factis, rem paulo altius repetendam duxit his verbis: „ Per idem tempus Hemmingo Da-
„ norum Rege mortuo (ubi *iamdudum*, vel *ante aliquot an-*
„ *nos* intelligemus,) Sigafrid, & Anulo, quum inter ſe de
„ primatu regni convenire non poſſent, praelio ſceptrum divi-
„ ſerunt, qua congreſſione undecim millibus hominum inte-
„ remtis, Reges ambo ceciderunt. Pars Anulonis cruenta vi-
„ ctoria potita, Reginfredum, & Haroldum in regnum poſue-
„ runt. Moxque Reginfredus ab Haroldo pulſus piraticam claſ-
„ ſem exercuit. Haroldus vero cum Imperatore foedus iniit. „ Haec dum ex Adamo Abbas Stadenſis deſumebat, intexuit illa rebus a Ludovico Pio geſtis, quas, itidem ex Adami *Lib. I.* enotatas, credidit ad annum 817. referendas eſſe. Verum, qui inde aliquid ad tempus, quo vivere Hemmingus deſiit, concludere velit, praeter mentem Scriptoris facit.

(c) *Givardum, & Ringonem conſobrinos*) Conſtat ſatis, & multorum ſcriptorum teſtimoniis extra omne dubium ponitur, a morte Hemmingi duos ſanguinis Regii Principes de regno decertaſſe, & omiſſo inter ſe praelio mutuis vulneribus cecidiſſe. Horum alterum Saxo *Gyvardum* cognomento *Ring*, alterum *Ringonem* vocat. Exteri eos *Sigefridum*, & *Annilonem* [*Amilo* enim, ubicumque invenitur, corruptum,] nominant: auctor *Vitae Olavi Tryggvini*, alterum *Sigfrodum*, alterum gemino nomine *Ringum Anulonem* Omnino autem credo, ſolum poſteriori huic nomen proprium *Ring*. fuiſſe, & *Annulonem* pro interpretamento habendum Monachi alicuius ſeu clerici, qui de bello ac fatis illorum ad aulam Caeſaris retulerit. *Ring* enim tam Danica, quam Germanica lingua notat *annulum*. Ceterum tota de duobus iſtis narratio, quam eodem modo magnus exterorum numerus quo Islandici ſcriptores reliquerunt, his abſolvitur, quae Reginonis verbis referemus: „
„ Anno Dominicae Incarnationis DCCCXII. *Hemmingus* Danorum
„ Rex moritur, cui cum *Sigefridus* nepos *Godefridi*, & *Anilo*
„ nepos *Herioldi*, ſuccedere voluiſſent, neque inter eos de divi-
„ ſione regni conveniret; comparatis copiis, & commiſſo prae-
„ lio, ambo moriuntur. Pars tamen *Anilonis* adepta victoriam,
„ fratres eius *Herioldum*, & *Reginfredum* Reges ſibi conſtituit:
„ quam neceſſario pars victa ſecuta, eosdem ſibi imperare non
„ abnuit. In eo praelio decem millia nongenti quadraginta viri
„ cecidiſſe memorantur. „ Haec Regino Prumienſis. Eadem vero repetunt, levicula mutatione, Annales Bertiniani, Annales vulgo Eginhardi dicti, nec non Pithoeani. Eadem Annales Loiſeliani Fuldenſes, Aimoini continuator, Monachus Engoliſmenſis, Vita Karoli M. incerto auctore ap. du Cheſn. *T. II. pag.* 66. ad eumdem omnes annum 815. Neque Adamus

mus Bremensis dissentit, cuius verba a Stadensi Abbate ad an. 817. exscripta nuper allegavimus, & aliquam adscripti a Stadense temporis rationem reddidimus. Accedat hisce testimonium auctoris Norvegici, qui vitam Olavi Tryggvini Regis composuit, hoc scilicet: „ Tunc (Hemmingo mortuo) Re-„ ges in Iutia facti sunt *Sigfrodus*, *Godefridi* cognatus, & alius „ nomine *Ring Anulo*. Hi de regno invicem contendentes, exer-„ citum utrinque conscripserunt, & ingenti praelio conflixerunt, „ quod utriusque illorum caede finiebatur. Isto praelio decem „ millia hominum nongenti, & quadraginta occubuere. „ Contra ista ergo, tot testibus confirmata, Saxonis, &, qui eum sibi ducem elegit, Meursii narrationi nemo, me iudice, fidem facile habuerit; hoc solum si excipias, quod de praelio Principum utrique fatali consignarunt. Reliqua omnia quomodo Saxo ille noster, mirus fingendi, amplificandique artifex, in historiam redegerit, partimque confundendo vetera, partim nova comminiscendo perverterit, nunc accipe; Didicerat ille *Sigvardum* quendam cognomento *Ring* in Dania regnavisse; acceperat quoque, Regem qui pater extitit *Ragnaris*, vel *Regneri Lodbrogi*, nomen gessisse *Sigvardi*. Porro domestica nec non exterorum monumenta docere eum potuerunt, duos *Sigvardi*, (vel *Sigfridi*) & *Ringi* nominibus appellatos Principes, ab Hemmingi morte de principatu conflixisse, funesto ambobus exitu. Iam cum per summam, quae in ipso fuit, temporum, atque stirpium vetustorum Regum ignorantiam, neglectum ei fuisset *Sigvardum Ringum*, eiusque filium *Regnerum Lodbrogum* suis locis, id est, proxime post Haraldum Hildetandum ponere, (de quo videantur, quae supra ad *Haraldum Col. 66. &c.* nec non ad *Olonem Col. 71.* annotavimus,) utrumque illum collocavit fortuito, post Hemmingum, cuius tamen ipsiusque etiam Godefridi, & qui ante Godefridum fuit, Regis aetatem vere illi praecesserunt. Id ut securius faceret, persuasisse ei videtur fama de Sigefridi, & Ringi, seu Annilonis intestinis certaminibus, quibus tamen nihil simile evenisse Sigvardo Ring, Ragnaris Lodbrogi patri, quodammodo certi sumus. Huius, ab anno Chr. 735. ad ann. 750. supremum in Dania dominium obtinentis, regnum nullus turbavit aemulus. Sigefridus, & Ringo (sive Annulo,) sub Sigvardi Ringi nepote, circa an. 812. de Daniae illa parte, quam Godofridus & Hemmingus tenuerant, Iutia scilicet, contendebant. Iam vero in hunc locum veterem Sigvardum detrusit Saxo, ob similitudinem nominis Sigefridi, invento ei pariter aemulo, quem quaerebat, in cognomine *Ring*. Cetera quae Saxo attexuit, Meursiusque vestigia eius legendo exhibet, de Scanis Sialandis & Fionis, inter partes Sigvardi, & Ringonis distractis, non tam pro ornamento historiae, quam pro meris Saxonianis commentis, quemadmodum & de Regneri pueri consilio illud, habenda. Verbo, nihil; ut aliqua fide dignum, de duobus, qui hic describuntur, Regibus admittimus, praeterquam quod exteri iam laudati & Islandici scriptores memoriae prodidere. Perspexit quidem hoc ipsum illustris olim Cancellarius Arnoldus Hvitfeldius; verum in eo, quod conciliare cum ceteris narrationem Saxonis studuit, operam profecto lusit.

Saxonis in serie Regum confusionem & turbas vidimus. Maiores tamen sunt, quas auctor sub nomine *Regis Erici Pomerani* latens excitat. Hic Saxonis vestigiis pro more suo insistens, in illa, de qua agitur, periodo, eosdem, quos Saxo, annumerat nobis Reges, *Gormonem*, *Godefrith*, *Olafum*, *Hemmingum*, *Ringum*, & *Syvvardum*; duorumque ultimorum fatum his verbis depingit; *Isti duo Reges inter se diu pugnaverunt, & tandem in bello mutuo ambo corruerunt. Post Ragnerum* autem *Lodbrogum*, quem pariter atque Saxo, *Ringi* successorem facit, natosque Regnero *Ingvarum* & *Syvardum*, itidem in ordine Regum collocatos, tandem producit nobis *Annulonem* & *Sigefridum*, primum §. LXXVI. una regnantes, deinde §. LXXVII. solum *Anulonem*, ac denique §. LXXVIII. *Sigefridum* solum, adiecta demum hac expositione: „ Isti duo nepotes fuerunt „ Regis Godefridi, Inter quos pugna fuit X. annis, & cum in-„ ter se de primatu regni convenire non possent, sceptrum prae-„ lio diviserunt, in quo Reges ambo corruerunt, & cum eis XI. m. „ hominum. Pars autem Anulonis cruenta victoria potita, Rein-„ fredum & Haraldum in regnum posuit, & facta est pugna „ inter eos IX. annis §. LXXIX. Haraldus tandem Reinfredum re-„ gno expulit, & solus regnavit. Tunc filii Sigefridi Haraldum „ de regno expulerunt; qui ad Imperatorem Ludovicum sup-„ plex confugit. Anno Domini DCCCXXVI. baptizatus praedictus „ Rex Haraldus apud Maguntiam. „ Agnoscis supinam Monachi negligentiam in computatione temporum omnem fidem supergressam. Qui enim a nece Godefridi, de qua nullum poterit esse dubium quin anno 810. contigerit, atque ab Olavi interitu, XXVIII. annos Hemmingo assignavit, Ringum deinde & Sivardum diu inter se pugnantes, Regnerum multa regna victoriis suis pertranseuntem, ac vastandis Franciae urbibus undecim interea annos impendentem fecit, is iam, praeter intervallum Ingvaro & Syvardo Regneri filiis relinquendum, Sigefrido & Anuloni suis decem annos, Reginfredo inde Haraldoque undecim adscribit, priusquam anno Chr. 826. Haraldum ad recipiendum baptismum Maguntiam deducit: hoc est, si Regnero, & eius filiis 40. illos annos tribuamus, quos utique aliunde constat solum imperando Regnerum implevisse, illud sedecim annorum tempus, quod a Godefridi morte ad baptismum Haraldi effluxit, in annos minimum centum dilatavit.

Atque hi illi sunt in hac parte historiae nostrae insuperabiles; quamdiu Meursiano more solis domesticis, Saxoni, & Erico Regi adhaeremus, errores, ad quos evitandos firma opinione munitum esse oportet historiae studiosum de istorum duorum in tam vetustis rebus ignorantia. Pontano nostro, Viro prudenti, & doctissimo, idem hic accidit, quod Cancellario Hvitfeldio. Vterque rectiora a Francicis, & Germanis edoctus, Saxonis tamen Grammatici reverentiam animo suo ita excutere nequivit, quin seriem, & successionem Regum, qualis apud illum invenitur, studuerit exterorum narratis adaptare: hocque ipso nihil uterque, quod nos iuvet, praestitit. Propius veritati accessit Reinerus Reineccius in *Appendice Genealogica ad Chron. Alb. Stadensis*, nempe quia in ordinandis Regibus nostris primas Francicis, Adamo Brem. & Alberto suo tribuit, secundas Saxoni, veritus tamen omnem huic fidem abrogare. Id quod nec nostri sane est instituti, ubicumque contrarium nihil probabilitati, aut eorum auctoritati, quibus nostrarum rerum a Saxonis aevo tam remotarum, verior omnino erat notitia, offenderimus. Verum qui viam ingressus est ceteris omnibus rectiorem, est sane Godofredus Henschenius S. I. in excellenti illo *Commentario praevio ad Acta S. Anscharii*; ubi, post Saxonis, & sequacium talem censuram, qualem in hac historiae nostrae parte merentur, conatus est §. VIII. emendatam successionem Regum Daniae, qui Anscharii aetate vixerunt, nobis dare ex scriptoribus Francicis. In quo conatu summam Viri diligentiam admiramur, iisque, qui sententiam eius velint amplecti, nullo verbo refragabimur. Optaremus quidem, eadem sententia sese obtulisset cognoscendam, & censendam Thormodo Torfaeo nostro, cuius etiamsi calculum satis video haud in omnibus potuisse obtinere, propter Islandicorum scriptorum venerationem in optimo Torfaeo saepiuscule nimiam, vix tamen dubitamus, quin plerasque ut recte ordinata sese illi approbassent, Quemadmodum neque ambiguum, quin ipse Henschenius aliter constituisset nonnulla, si, qui tum nondum erat susceptus, labor Torfaei tempore illius extitisset. Non vacat, neque locus patitur, ut singula minutatim hic discutiam. Faciam tantum, ut quae in mentem venerunt doctissimo Viro circa stemmata Regum, de quibus agitur, in schema, ut vocant, genealogicum redacta, lectori nostro repraesententur.

Heriolt *vel* Haraldus senior

- Gormo
  - N. N.
    - Hemming Rex, Reginhold, Hancvvin & Angandeo.
  - Sigefridus
    - Sigefridus
  - Godefridus
    - Roruc & quatuor alii fratres.
- Halpdani
  - Anulo, Reginfredus, Herioldus, Hemmingus, Roruc, *vel* Horic.

Ista vero Tabula sic ab Henschenio in sequentibus confirmatur:

Haraldus, a quo tota propago derivatur, in Danicis *Catalogis*, Lindenbrogiano, Erici Pomerani, ipsius denique Saxonis, comparet. Et in Annalibus, vulgo Eginhardo adscriptis, Bertinianis, ac Loyselianis ad annum 812. *Anulo nepos Herioldi, & ipsius Regis* dicitur.

Gormo, in *Catalogo Regum Daniae* Lindenbrogiano filius statuitur Heriolti, seu Haraldi, idemque pater *Sigefridi* & *Godefridi*, dein Regum.

Sigefridus anno 777. Witekindum Saxonem ad se confugientem suscepit: Legatos ad Carolum M. anno 782. misit; alios ab eo remissos anno 798. accepit, ut legitur in Francicis Annalibus, & Poeta Saxonico.

De *Godefrido* Rege Danorum, eiusque cum Carolo M. susceptis bellis agunt omnes Francorum veterum Annales, ab anno potissimum 804. ad 810.

Hemmingus Rex *Godefrido* successit, & *fratris eius filius* ubique eisdem verbis vocatur. Eodem plane modo *Reginholdus* [aliis *Reynoldus*, vel *Reginbaldus*,] eiusdem Godofredi *fratris filius* dicitur, *fraterque Hemmingi*, anno 808. interfectus. Alii duo fratres *Hancvvin* & *Angandeo* pace cum legatis Caroli M. anno 811. firmata innotuerunt. Sed quo fratre Godofredi omnes hi procreati sint, non proditur. *Suspicamur* [verba sunt Henschenii] *ex eo silentio, & ex quieta post obitum* Godofredi *in regnum successione, natos ex seniore aliquo eius fratre, qui ante vita functus fuerit, quam patri in regnum succederet*.

Sigefridus, nepos *Godofredi*, & *Anulo*, post defunctum anno 812. *Hemmingum*, successionem praelio dirempturi, ambo occidun tur. *Sigefridus* iste, an *seniore Sigefrido* prognatus (ita ut *nepos* sit idem ac *fratris filius*,) praetenderit ius successionis, filius *Godofredi* ultro adhuc quiescentibus!

Anulo, in praelio anno 812. occisus, fratres, ex testimonio eorundem Annalium, habuit *Reginfredum* & *Herioltum*, simul Reges, nec non quartum, qui apud Carolum M. obses tunc erat, *Hemmingum*, anno sequente remissum. Alius *Heriolti* frater occurrit, *Roruc* nuncupatus, in Annalibus Fuldensibus, nec non Metensibus, ad annum 850. Quod autem fratres isti patrem habuerint *Halpdanum*, liquet ex Annalib. Fuld. ubi ad an. 837. *Hemmingus* dicitur *filius Halpdani*.

Halpdanus, *pater Anulonis*, & quatuor eius iam nominatorum Fratrum, floruit circa annum 782. quo in laudatis Annalib. Fuld. legitur, *Missus Sigefridi Regis ad Carolum M.* Filius quoque videtur *senioris Heriolti* fuisse, aut ducta in uxorem filia eiusdem, gener. Etenim in Annalibus Bertin. & Loysel. ad an. 812. ius regni datur *Anuloni*, quod *nepos* esset *Heriolti quondam Regis*.

Godofridi filii, cum contra *Reginfredum* & *Herioltum* arma sumerent, quinque fuerunt. Interfectis in pugna *Reginfredo* & *seniore filio Godefridi* (quem putat Henschenius fuisse *Olavum*, a Saxone, & Erico Pomer. perperam inter Godofredum & Hemmingum locatum,) supererant quatuor filii Godefridi, simul gubernantes, quos unus diu oppugnavit *Herioltus*, copiis Saxonum, & Obotritorum adiutus. Tandem discordia inter fratres exorta, regnoque duobus expulsis, duo reliqui an. 819. assumpto in regni societatem *Heriolto*, quiete aliquandiu rexerunt, missis anno 822. ad Ludovicum Pium legatis. Cetera de *Heriolto* satis nota, & quod post annum 826. (quo & baptizatus est Moguntiae) nullam regni partem recipere potuit. Ad annum 827. unus ex *filiis Godefridi* in Annalibus laudatis appellatur *Horicus*, quem & solum *Monarchiam Danorum tenuisse* referunt *Acta S. Anscharii* num. 41. Iste *Horicus* suos ad Imp. Ludovicum Pium legatos misit annis 836. 837. *& seq.* ut pluribus exponitur in Annalibus Bertinianis. Ceterorum fratrum nomina in Gestis Francorum non exprimuntur.

Talis itaque est explicatio Schematis genealogici, quod ad mentem Henschenii exhibuimus, ipsius paene verbis repraesentata, eademque fide, qua is Francicos Annales citavit: contra quorum testimonia haud equidem quid excipere quis possit, video. Interim potest fieri, ut ubi iidem Annales laudatissimum Virum destituunt, laboret quoque Genealogia, quatenus in uno alteroque loco vel coniecturis, vel suspecta *Catalogorum Danicorum* fide innititur. En itaque aliam ex nostra, forte haud minus probabili, coniectura.

N. N.

- *Heriold* seu *Haraldus*.
  - *filia N. N.* nupta *Halpdano*
    - *Anulo*.
    - *Reginfred*.
    - *Haraldus*.
    - *Roruc*.
    - *Hemmingus*.
- *Sigefridus*.
  - *Reginhold*.
  - *Hemmingus*, Rex.
  - *Hancvvic*.
  - *Angandeo*.
- *Godefridus*.
  - *N. N.*
    - *Sigefrid*.
  - *N. N. occisus an.* 874.
  - *N. N.*
  - *N. N.*
  - *N. N.*
  - *Horuc*, vel *Ericus*.

Hic *Haraldum seniorem*, *Sigefridum*, & *Godefridum* pro fratribus habemus; quorum vero patrem nominare nequaquam nobis integrum est, postquam neque Saxoni possumus aut Saxonianis, (tales nobis sunt Erici Pomerani, Crantzii Lindenbrogii, Wormiique *Catalogi Regum Dan.*) tuto fidere, neque in Islandicis monumentis, ex quibus Iutiae Regulos recensuit Torfaeus *Ser. Regum Dan lib* 3. *cap.* 14. *&* 15. vel minimum quod nos adiuvet, invenimus. Memorant quidem Islandi *Vitsercum*, Regneri Lodbrogi filium, cui pater Reidgothiam, id est, Iutiam regendam cum Vandalia adsignarit; sed praeterquam quod de progenie eius silent, nescio an chronologicis rationibus conveniat, tribus illis, quos nominavimus, Iutiae Regibus patrem inter Regneri Lodbrogi filios quaerere; ut taceam multa in illo libro, unde Vitsercum depromunt, fabulosa contineri. Verum quocumque parente editos, cur tres istos Heroas fuisse fratres existimem, his causis sum adductus. Primo notum est, in Regum apud Danos antiquissimos electione raro habitam rationem fuisse filiorum in aetate minore constitutorum, quamdiu fratres defuncti Regis supererant, iique imperio administrando, praesertim vero militari praefecturae, & regendo exercitui apti. Sed ultimo demum fratre extincto, ad maiores natu filios veniebatur, & sic porro. Huius observationis recentiora etiam sunt exempla in historiis, filiorum, & nepotum primo Svenonis Estrithii, deinde & Valdemari II. Fateor, nonnunquam filios, ubi praeteritos se videbant, turbas, & civilia excitasse bella: nihilo vero minus mos perdurabat. Secundo, cum verum, & indubitatum sit, filios *Halpdani* (is est, qui in Annal. Bertin. ad an. 782. *Almtan*, in ceteris *Halpdan* dicitur) nepotes fuisse *Haraldi senioris*, nullamque regni partem postulasse, antequam *Godefridus*, & *Hemmingus* essent extincti; cumque haud minus confirmata res sit, *Sigefridum* ante annum 777. regno praefuisse, & *Godefridum*, cum an. 810. moreretur, magnum filiorum numerum reliquisse, qui bellum deinde cum *Halpdani filiis* gessere, conveniens quoque iudicio, *filios Halpdani* uno gradu inferiores, sive a communi stirpe remotiores statuere, quam fuere duorum fratrum, *Sigefridi*, & *Godefridi*, filii. Tertio, Gormonem, aut alium ex Saxone, & Catalogo Lindenbrog. Regem, nulla nos ratio iubet inter *Haraldum sen.* & *Sigefridum* ponere, cum *Sigefridus*, & *Godefridus* a nullo scriptore Francico, aut alio nepotes dicantur *Haraldi senioris*, quemadmodum *Halpdani* filii diserte appellantur. Ergo fratres mihi habentur tres isti, *Haraldus senior*, *Sigefridus*, & *Godefridus*. Nunc *Godefridi* successori *Hemmingo* haud necesse est alium patrem adsignare, quam maiorem, qui nuper regnarat, *Godefridi* fratrem, scilicet *Sigefridum*. *Halpdanum*, si filius, ac non potius gener *Haraldi senioris* fuerit, fato iam functum fuisse puto, cum *Hemmingus* regnum susciperet. *Hemmingo* mortuo, quid de duobus eius fratribus, *Hanvvinco*, & *Angandeone*, (quorum hic alicubi *Gandeo*, ille *Hancvvin*, & in Aimoini editionibus *Hancum* scribitur,) factum sit, nemo ullus indicavit. Sufficit, nihil ipsos pro regno obtinendo movisse. Itaque, qui tunc eligebatur, *Godofredi*, *tertii fratrum*, nepos *Sigefridus*, (nepos enim est, non filius, in Annalibus Francorum,) cuius pater iam ante erat mortuus, adversarium statim expertus est *primi fratrum*, *Haraldi senioris*, nepotem *Anulonem*. Vtroque caeso, iure quidem, ex hypothesi nostra, propiores successioni erant filii Godofridi; sed ius illud victoria, quae a parte filiorum *Halpdani* steterat, subvertebat, clare satis hoc ipsum attestante Annalium Francorum fide. Reiecti Godofridi filii, & cum Halpdanidis *Reginfredo* & *Haraldo* pugna congressi, maiore inter ipsos caeso (cuius nomen nos latet,) reliqui in Sveciam fuga se conferunt. Plura hic non repetam, ne actum agam.

Haud equidem sum nescius, occurrere in Islandorum monumentis nonnulla, quae moveri possunt contra utramque Tabulam genealogicam, ex Henschenii hypothesibus, meisque nunc expositam. Inter alia hoc, quod in *Vita Olavi Tryggvini* vocatur Rex *Hemmingus frater* Godefridi, *Sigefridus* vero ille, qui cum *Anulone* decertavit, eiusdem Godefridi *cognatus*. Sed exiguam huius historici prae Francicis auctoritatem non solum aetas, sed & alia eius narrata nobis faciunt; haec nempe, quod *Haraldus*, secundum ipsum quinquennium regnaverit, antequam cum *Reginfredo*, *Gothofredi* filio, dimicaret; quodque eodem in praelio voto se obstrinxerit, sacri baptismatis recipiendi, si salvus evaderet; quae tamen aliter se habere nimis quam manifestum. Ita & in Snorronis Sturlaei *Chronico*, versionis Danicae, (non in genuino ipsius Sturlaei opere) *Sigefridus*, (ibi *Sigurdus* dictus,)

REGNERVS.

Exſtincto itaque rege utroque, mox Regnerus, de quo dictum, filius Sivardi regis, regnum accipit. Hunc nonnulli Reginfridum, alii Ragnifridum vocant. Res, quas geſſit, varie ſane memorantur ab Auctoribus, qui, quae a Germanis geſta, ſcriptis ſuis prodidere. Sed, quum Saxo ſumma cura (a), atque fide, ea in literas retulerit, quae ex patriae tabulariis ejus temporis accepiſſet, merito illum, quanquam unum, externis pluribus anteponam. Itaque Regnerus noſter, e Norvagia, in quam ablegatum dixi, revocatus, in parentis caeſi locum a proceribus ſubſtituitur; ac, compoſitis domi rebus, contra Froum, regem Sveciae (b), in Norvagiam proficiſcitur. Ille enim, dum inter ſe Dani diſſident, poteſtatem ibi regiam vindicaverat; nec contentus Sveciae finibus, Sivardo quoque, Norvagiae regi, Regneri avo, arma infeſta inferebat; etiam devicti uxorem, filiaſque, uti aliorum illuſtrium, ad libidinem quorumcumque exponebat. In Norvagiam quum veniſſet, undique matronae eum, virginesque, eadem ludibria ſibi metuentes, accedebant; & orabant, uti pudicitiae ſuae, quam vix hactenus conſervaſſent, ſubveniret; quin nonnullae, habitu virili ſumpto, opem illi maſculam pollicebantur; nec oblatum a virginibus ſubſidium pudicitiae vindex ſprevit: aequum eſſe arbitratus, qui illuderet mulieribus, ut is illis, cum opprobrio graviore, poenas daret. Itaque, paratis omnibus, copias in eum ducit; & occurrit ille ſtrenue: Acriter pugnatum utrinque; & victoria in ancipiti. Erat in Regneri acie Lathegarta (c), animi virilis virgo: ea ſtragem ſummam dedit; & effecit, ut, in fugam verſis Svecis, Frous quoque interfectus violatae matronarum, virginumque pudicitiae poenas ſexui maxime pudendas daret. Eo bello ſic confecto, quum virtutem Lathegartae maximi Regnerus faceret, ac prognatam è magnatibus intelligeret, mittit, qui uxorem peterent; atque illa, ne coniugium tanti regis aſpernari videretur, ſimulat placere ſibi; quumque acceſſurum ſciret, cupida virginitatem etiam porro conſervare, in introitu domus ſuae canem, & urſum, inauditae feritatis, vinculis tenuibus conſtrictos locat; quibus ruptis, adeuntem incurſantes lacerarent. Huius rei rex ignarus, cum exiguo comitatu ad amatae aedes pergit, in Goleria valle ſitas; & has eminus conſpicatus, iuſſis praeſtolari ſuis, puero uno ſubſequente, manu ſpiculum tenens adit; ubi quum veſtibulum ingreſſus eſſet, fera utraque nihil exſpectantem invadit; ſed nec ille, ut interritus erat animi, ſemet deſerit; atque telo, quod geſtabat, unam traiicit; alteramque, faucibus prehenſam, ſtrangulat; inde pergens, neque dolum ſuſpicatus, eius thalamo potitur; ac Fridlevum item filium; filiaſque duas tollit. Iam triennium illic egerat, cum abſentia diuturna in tumultum uſi Cimbri, etiam Scanos in defectionem trahunt, & in Sialandos movent. Quo Regnerus intellecto, ocyus armata claſſe navium triginta accurrens, opem laborantibus affert; & in Scaniam appel-

ctus,) qui cum *Anulone* pugnavit, *nepos* quidem *Godefridi*, ſed ex *filia*, & patre Norvegiae Rege natus perhibetur. Quod nec mihi probabile videtur, ob filios Godofridi, qui tum quinque numero vivebant, numquam paſſuros, ut ſororis ſuae filius, & in alieno regno natus, ſibi praeferretur; idque haud magis de proceribus Daniae, penes quos electio erat, credi poteſt. Vt nihil dicam de altero commento eiusdem interpolatoris, (talis enim & aliis adgnoſcitur,) quod ex Saxone videtur derivaſſe, de *Regnero Lodbrog* eidem *Haraldo Iuniori* bellum inferente.

(a) *Sed quum Saxo ſumma cura, atque fide*] Regneri hiſtoriam tantum abeſt, ut Saxo vel ſumma fide in litteras retulerit, vel de eo, quae conſcripſit, ex tabulariis patriae deſumſerit, ut potius nullius ſit Regis memoria, quam fabulis, & commentis Saxo, interlucentia hinc inde vera quaedam, ſed cum mira temporum confuſione, oſtendentibus, magis foedaverit. Quae in iis vera habenda, ut ea primum attingamus, haec videntur: vixiſſe, & regnaſſe in Dania Regnerum, cui Lodbrogi cognomentum datum, Rege Siguardo Ringo genitum, medio ſeculo VIII. ſive ex Torfaei calculo, ab anno uſque 750. ad 790. multiſque mari, & terra, partim ſuo, partim filiorum ductu, cladibus Saxoniae, Norvegiae, Gothiae, Angliae, Hiberniae illatis inclaruiſſe. Deinde &, interiecto paucorum ſupra viginti annorum ſpatio, *Reginfredum*, ſanguinis regii Principem, extitiſſe, qui, quum *Siguardus*, & eius cognatus *Ringo*, [quos exteri *Sigefridum*, & *Anilonem* vocant,] memorabili ambo pugna concidiſſent, regnum Iutiae una cum *Haraldo* obtinuit, ſed brevi poſt a Godofredi Regis filiis, e Svecia, ubi exularant reverſis oppugnatus, & in praelio anno 814. occiſus eſt. Porro *Regnerum* alium, itidem *Lodbrogum* cognomento, forte maioris illius nepotem, poſt medium ſeculum IX. inclaruiſſe, qui tamen nullo in Dania regio titulo conſpicuus, famoſus tantum pirata fuit, atque in Anglia periit. Cuius filii multo maioribus, quam pater, rebus geſtis, & facinoribus, & invecta tum Angliae, tum aliis regnis multiplici calamitate famam conſequuti ſint. Atque illa omnia, quamvis temporibus adeo, hominibuſque diſtincta, Saxo ille noſter confudit, atque ad unum ſuum *Regnerum Lodbrogum*, quem Ludovico Pio Imp. coaevum fecit, retulit. Et quum in librum quoque incidiſſet, a Thylenſibus ſuis (ita ſemper Islandos vocat) communicatum, quo illorum aliquis ingenii exercendi gratia *Ragneri Lodbrochis*, illuſtriſſimi Regis, *Hiſtoriam* complexus fuerat, atque, ut mos ferebat iſtorum temporum, queis Turpini, atque ei ſimilium Scriptorum auſus in exemplum iverant, non ſolum ſtupendorum facinorum narratione, verum & amatoriis, magicis, pluribuſque id genus adſcititiis ornamentis inſtruxerat, illius quoque multa excerpſit, ac veris illis, ſed quae nimium quantum turbata, minime omnia ad *Lodbrogum* ſpectant, intexuit. Exſtat etiamnum ſimilis liber, Islandica lingua, *Ragnars Saga Lodbrokar*, hoc eſt, *Hiſtoria Regneri Lodbrogi* inſcriptus, eiuſque non unum, ſed plura exemplaria in Bibliotheca Manuſcriptor. ab egregio Viro Arna Magnaeo Vniverſitati Hafn. relicta, reperiuntur. Saepe eumdem allegatum habemus ab antiquariis noſtris, Thoma Bartholino filio, & Thormodo Torfaeo, quorum hic compendium totius operis exhibet in *Serie Regum Dan. pag.* 346. *ſeqq.* & in *Hiſt. Norveg. P. I. lib.* 10. *cap.* 29. & deinde *cap.* 46. *& ſeqq.* a *pag.* 489. ad 501. Tamdem & ipſe liber typorum beneficio in lucem prodiit, Islandice, Svecice, & Latine, opera Erici Iulii Biornerii, Antiquarii Svecici, in volumine plures eiusdem farinae Hiſtorias *Regum*, *Heroum*, & *Pugilum* complexo, Stockholmiae 1737. in folio. Ceterum adparet quidem, & conferentibus ad oculum patet, narrationem Saxonis haud in omnibus conſentire libri iſtius, qui hodie ſupereſt, hiſtoriae de *Regnero*; verum, qui animadvertit, quanta Saxo licentia perpetuo fere graſſetur, quamque in variandis, & ſupplendis, quaecumque ſub manus veniſſet, ſcriptis ſibi indulgeat, cuius inter alia exemplum in Paulo Diacono edidit, non magnopere id mirabitur. Deinde, potuere plures olim, quemadmodum ſolebant, Islandi in eodem argumento verſari, fabulaſque illas haud eodem omnes modo diſponere. Nihil utique certius, quam extitiſſe, & lectitatos eſſe Saxonis aevo libros, partim veros, partim confictos, & fabuloſos, qui hodie deſiderantur. At certe *patriae tabularia*, de quibus Meurſium aliquid opinatum fuiſſe miror, nulla fuerunt Regneri tempore; imo ne quidem, antequam in Septentrione religionis Chriſtianae cultus ſtabiliretur, aliquid in literas relatum habebatur.

(b) *Froum, Regem Sveciae*) Eadem narratio, de Froo, & matronis Norvegicis, in hiſtoriis Svecorum legitur, ex Saxone Grammatico, ut adparet deſumtos, illiſque per alterum atque ae[illegible] Magnum Gothum cum amplific[illegible]

(c) *Latheg*[illegible] [illegible]t.

pellens, hoſtem iuxta Vetae vicum (a) plane fundit; inde, milite in hiberna diſtributo; poſtquam ver iam adveniſſet, Cimbros petit, ac coercet. Quibus victis, Scani iterum, tractis in ſocietatem belli Hallandis, arma capiunt, domitique, quum Regnerus in vicinas inſulas ſe recepiſſet, tertium in arma coeunt; ac tum quoque ſubiugati, aegre tamen, niſi quartum etiam victi, quievere. Poſt quae ubi pacem ſibi intra regnum comparaſſet, & inſidias Lathegarthae cognoviſſet, ea mox repudiata, Thoram, Herothi, Sveciae regis (b), filiam ambire coepit. Huic Herotho gemini alumni erant, ambo animi praeferoces, ideoque a nonnullis angues dicti (c); quumque, in quoſvis incurſantes, pro libidine agerent cuncta, raperentque, etiam vita, quos liberet, ſpoliarent, omnibus, ut formidandi, ſic inviſi; atque ipſi tandem quoque regi graves, ab eodem proſcribuntur; filiae promiſſis nuptiis, ſi quis eos occidiſſet. Multi, praemio tam illuſtri excitati, ad certamen ineundum accurrebant, verum omnes miſere occidebantur. Id Regnerus poſtquam fama accepiſſet, anxius inter periculum, & amorem verſabatur; verum hoc exſuperante, firmat animum, ac ſe parat in certamen; &, in Sveciam quum veniſſet, viſis illis, poſita aenea, qua in bello contra hoſtes ſe tueri conſueviſſet, armatura, novum genus comminiſcitur; veſtem itaque (d) villoſam, hieme ſibi uſitatam, aqua ſpargi, & gelu indurari iubet; qua & minus gravaretur, promptiorque in pugnam foret; ad hanc, duo capit ſpicula: quibus mox aggreditur eos, magno impetu irruentes, & occidit. Dum concertat, prominente ſubligaculo, ſtiriisque ex eodem dependentibus, ab Herotho, ut ferunt, Lodebrogi cognomento nuncupatur (e). Victor, praemium certaminis, Thoram accipit; & ex ea filios deinde ſeptem, Rathobordum, Dunum (f), Varthum, Sivardum, Biornum, Agnerum, & Ivarum. Inter iſta iterum Cimbri, quintum Scani, ab obſequio diſcedentes, capiunt regem Haraldum Clagum (g); ita cognomento dictum; ac Regnerus, ut rebelles coerceret, vires cogit, & auxilia ex Norvagia, quam opinione ſua pronoriem eſt expertus; etenim, quam antea repudiarat, Lathegarta, claſſe inſtructa centum & viginti navium, ad ſuppetias accurrit; & oſtendit, ſe adfectum in maritum olim regem, etſi offenſam, minime depoſuiſſe; adeoque ad victoriam maximum momentum attulit. Iſtis copiis Regnerus in Haraldum mox profectus, & in Scaniae eum limite conſequutus, manum conſerit; acris pugna, & eventus diu anceps: quum Sivardus, filius Regneri, ſaucius, procidenſque, conſternatos ſua nece milites in fugam agit; ſed Regnerus, ubi cauſam intellexit, uti magno erat animo, nihil filii caſu motus, vulneratum acie efferri iubet, retrahitque fugientes: ac mox, novo in Haraldum impetu facto, adiutante ſummo niſu Lathegartha, eum fundit; & navigio in Saxoniam (h) cum uxore, liberiſque fugere cogit. Poſt victoriam, graviter in factioſos animadvertit; & militibus bona profugorum donat; inde, reputans Saxonum iniurias veteres, & ad Carolum olim Magnum defeciſ-

(a) *Iuxta Vetae vicum*] Saxoni eſt *Vhiteby*.

(b) *Herothi Sveciae Regis*] Iſte in Islandica, quam indicavi, *Ragneri Lodbrogi hiſtoria* adpellatur *Herraudus*; neque Sveciam rexiſſe, ſed tantum parti eius, quam Gothiam adpellant, cum titulo Comitis praefuiſſe dicitur.

(c) *A nonnullis angues dicti*) Nempe, ut honori Saxonis, & Islandorum conſultum irent, fabulam ab his confictam, & ab illo adoptatam, pro allegoria noſtrates accepere, quibus hic Meurſius adſentitur, adprobantibus etiam Loccenio *Hiſtor. Svec. lib.* 2. & Torfaeo noſtro *Hiſt. Norv. Tom. I. p.* 455. Verum Saxonis verba nimis hic diſerta: „ Rex, inquit, „ Sueonum ſylvas forte venatione complexus, repertas a comi„ tibus angues filiae dedit nutriendas. Illa paterno ocyus obſe„ quuta praecepto, viperoum genus virgineis manibus educare „ ſubſtinuit. Quin etiam curae habuit, ut integrum bovis ca„ daver earum quotidie ſatietati ſuppeteret, ignorans ſe priva„ to pabulo publicam ſubſtentare perniciem. Quae quum adul„ tae peſtilentiſſimo halitu viciniam urerent; Rex inertis ope„ rae poenitens, potiturum filia, qui peſtem amoviſſet, edi„ xit. „ Quod autem Ioan. Magnus *Hiſt. Svec. lib.* 17. *cap*, 5. ſe deprehendiſſe ait ex Svecicis hiſtoriis, belluas illas non, ut Saxo literis prodidit, ſerpentes, ſed immanes fuiſſe urſos, id, puto, non tam in hiſtoriis, quam in ſua coniectura, & imaginatione, ut rem ſibi multo probabiliorem viſam, deprehendit; niſi hoc de Lathgerthae cuſtodia intelligas, quam urſo, & cani demandatam ipſe docuit Saxo *pag.* 169. Vetus *Ragnari Hiſtoria* unius tantum anguis meminit, de quo narrationem habet, prae Saxonis illa mirifice portentoſam. En illam, qualem Latine exhibet Cl. Biornerus: „ Pater (Her„ raudus) filiae dilectiſſimae prope palatium ſuum, gynaeceum „ extrui curavit, ligneis circumdatum moenibus. Conſuevit e„ tiam eamdem quotidie ſingulari, quo delectari poſſet, mu„ nere ornare, quem morem quum ſibi continuo ſervandum pro„ poneret, accidit, ut filiae ſerpentem aliquando parvum pari„ ter ac ſpecioſum mitteret. Placuit ipſi adeo ſerpens, ut arcu„ lae incluſo aurum ſuppoſuerit; aſt brevi ibi detentus tempore, „ adeo una cum auro creſcere coepit, ut arculae anguſtiis per„ ruptis, eandem ambire maluerit. Tandem in dies creſcendo, „ nec virginis ſe palatio concludi paſſus eſt, auro in parem cum „ ipſo iniubatore excreſcente molem. Igitur poſtquam tanto cir„ cumflexu univerſam occupaſſet domum, ut cauda caput con„ tigeret, horribili ſua forma omnes aditu arcebat, eo ſolum„ modo excepto, qui alimenta ſibi adferret; etenim taurum in„ tegrum qualibet conſumebat coena. „ Iudicet iam lector, qualis hiſtoria futura ſit, quantaeque auctoritatis & fidei, quae ex fontibus eius generis derivanda.

(d) *Veſtem villoſam hieme*) Vetus *hiſt. Ragnari cap.* 2. „ Veſtes ſibi „ inuſitato conficiendas curavit modo, quinque nimirum, brac„ cas villoſas, lacernam pariter hirſutam, quas paratas moxque „ pice illitas ad ſolem indurari fecit. „

(e) *Lodbrogi cognomento*) Vocabulum *Lodbrog* notat *hirſuta vel hiſpida indutum femoralia*. Torfaeus id latinis litteris effert primo caſu, *Lodbroches*. *Lod* Danice eſt vellus, vel hirſuties. *Lodden*, hirſutus. *Brog*, bracca vel femorale. Francici ſcriptores *Lothparchum* appellarunt, teſte Adamo Brem. *Hiſt. Eccl. lib.* 1. *cap.* 33. Wilhelmus Gemmetic. *Hiſt. Normann. lib.* 1. *cap.* 5. *Lothrocum*. Angli nonnulli, & ex eis Polydorus Vergil. *Lothebricum*.

(f) *Dunum, Varthum*] in Saxonis editione Stephaniana pag. 170. *Dunvattum* una voce excuſum. Sed in prima Pariſienſi *Dunum, Varthmumque*. Eadem tamen Pariſienſis altero loco habet *Dunvat*; pariter ac Stephaniana *pag.* 175. Sic & Torfaeus pro uno nomine accepit *Ser. Regum Dan. pag.* 353. Ceterum vetus *Ragnari hiſtoria* Regi illi ex *Thora* duos tantum natos filios memorat, *Ericum*, & *Agnerum*, quibus *originum Islandiae liber* filiam *Olufam* adiungit, teſte Torfaeo.

(g) *Haraldum Clagum*] Saxo cognomen hic non addidit. Verba eius *pag.* 170. *Haraldo cuidam rerum contribuunt ſummam*. Ceterum communis & inveteratus eſt error, illi, de quo hic agitur, Haraldo cognomen *Klakii* attribuere, inde ortus, quod multis poſt annis vixerit in Iutia auſtrali Comes quidam, Haraldus Klack appellatus, qui in Galliam profectus, Chriſtianam Religionem ſuſcepit, quique pater fuit Thyrae, coniugis Gormonis Grandaevi Reg. Daniae. Vid. Torf. pag. 416.

(h) *Navigio - - - in Saxoniam*) Perſuaſum mihi eſt, Saxonem (ex eo enim habet Meurſius) hic reſpicere ad hiſtoriam Reginfredi, & Haraldi, quos Francici, aliique docuerunt Sigefrido, & Anuloni ſucceſſiſſe. Verba Reginonis ad ann. 813. „ „ Illis vero filii Godefridi Regis, & nonnulli ex primoribus Da„ norum, qui iamdudum relicta patria apud Suiones exulabant, „ attractis undique copiis bellum intulerunt, & confluentibus ad „ ſe paſſim ex omni Danorum terra populorum turmis, commiſ-

cisse; ac nunc etiam recepisse subditos seditiosos, profugosque; armis eos castigandos esse statuit. Igitur parata classe, & invectus in Siguini amnis ostium, ocyus exponit militem; Saxonesque, nihil exspectantes, opprimit. Cuius rei minime gnarus Imperator Romanorum, tunc (a) in finibus Saxoniae iuxta flumen Albim agens, a muliere, quae per somnum, uti volunt, classem adpellentem viderat, advenisse hostes Danos admonetur. Itaque, ut fit in subitis perturbatus, dum dispersum militem cogit, & se ad conflictum parat, a Regnero oppressus, fugit. Quae dum fiunt in Saxonia, novae ortae in Svecia turbae; nam, Heroto illic rege vita functo proceres, eiectis liberis, quos exsuerant quoque bonis coniurati, Sorlum quemdam [b] sibi regem constituerant. Id Regnero postquam gnarum, accitis in auxilium filiis, Sorlum invadit, deiicitque; & ereptum Herothi filiis regnum reddit, quod repetiturus Sorlus, postquam magnas sibi copias comparasset, per legatos a Regnero rege poscit, ut periculo paucorum tota res permitteretur, nec Regnerus, cui gratum sanguini suorum parcere, detrectabat. Igitur quum Scardum Sorlus, clarae tunc virtutis pugilem, atque septem eius filios, pro se pugnaturos daret, ipse, adsumtis tribus filiis, Biorno, Fridlevo, & Rathberto, utroque exercitu inspectante, pugnam init; ac, devicto statim Scardo, ipsum quoque Sorlum invadit, perimitque; tum exercitum item eius internecione delet, Sveciamque universam denuo vectigalem facit. Dum in Svecia commoratur, filiam illustris ibi viri Esberni (c) amare incipit, & ex ea filium Vbbonem tollit; sidere infausto natum, ac sumturum arma in patrem. Inter haec decedit Thora, cuius mortem quum doleret maximopere, ac remedium a militia sibi comparandum duceret, publico edicto mandat, si qui filios, sive servos minus gnavos, aut industrios item haberent, eos sibi uti traderent, bellum in exteros moturo, qui subiecti olim regno defecissent. Quod dum agitur, regnum ordinat, & spectatae fidei duodecim viris reipublicae curam tradit; inde Angliam (d), quae obsequio se subduxerat, classe petit, & exscendens, Hamam regem (e), cum infestis copiis obvium, praelio superatum caedit, insulamque universam (f), & vicinas illi alias, ad deditionem

„ misso cum eis praelio, eos regno paterno expulerunt. „ Pariter fere Annales Loyseliani, ad eundem annum, pluresque in Du-Chesnii *Tom.* 2. Sigebertus Gemblac. ad an. 815. „ Harioldus Rex Danor. patria, & regno pulsus a filiis Godefri-„ di, ad Imperatorem Ludovicum veniens, implorat opem re-„ gni recuperandi. „ Annales Eginhardi vulgo dicti ad an. 814. „ „ *Heriboltus*, & *Reginfredus* Reges Danorum, qui anno superio-„ re a filiis *Godefridi* victi, & regno pulsi fuerunt, reparatis „ viribus, iterum eis bellum intulerunt. In quo conflictu & *Re*-„ *ginfredus*, & unus de *filiis Godefridi*, qui maior natu erat, „ interfectus est. Quo facto, *Heriboltus* rebus suis diffidens, ad „ Imperatorem venit, & se in manus illius commendavit. Quem „ ille susceptum in Saxoniam ire, & opportunum tempus exipe-„ ctare iussit, quo ei quemadmodum petierat, auxilium ferre „ posset. „ In eadem mecum sententia est Stephanius, *Regnerum* nempe Saxonis eundem hoc loco esse, quem exteri *Reginfredum* nuncuparunt. Verba eius in *notis ad Saxonem pag.* 188. „ „ Hi (*Siguardus* & *Ring*) ad internecionem pro corona dimi-„ cantes, successores reliquerunt, hic *Haraldum Klack*, ille *Regin*-„ *fredum*, seu *Regnerum Lodbrog*. Inter hos fuere certamina con-„ tinua, & magna, superiore tamen exsistente *Regnero*. „

(a) *Imperator Romanorum, tunc*] Quis vero Imperator? An calliditas vocanda, in Meursio, quod hoc dissimulaverit? postquam paulo superius dixerat satis caute: *reputans Saxonum veteres iniurias, & ad Carolum olim Magnum defecisse*. Saxo vero aperte *Carolum M.* designat, contra quem *Regnerus* tunc classem duxerit scilicet postquam ille Regum Danicorum, qui Regneri parentem in regno praecesserat, pacem cum Imp. *Ludovico*, [haec ne enim Saxonis verba?] composuerat. Ac demus, istud de *Ludovico* ad memoriae lapsus Saxonianos referri posse, num sic magis *Carolum M.* adstruemus hoc loco, ubi de *Regneri* expeditione in Saxoniam agitur? Ita sane credidit optimus Stephanius *not.* in Saxon. *pag.* 190. a. *Hic ipsus*, inquit, *est Carolus, cui a rebus actis, & auctis cognomentum Magni incessit. Is statim ab infelici hac cum Regnero, & Sivardo pugna, dum Aquisgrani hiemaret, supremam obiit diem, anno Christi* DCCCXIV. Idem superius, ubi de *Hemmingi* cum Caesare pacificatione agitur, *not. pag.* 187. „ Quam Saxo no-„ ster ad Caesarem *Ludovicum* refert pactionem, exteri horum „ temporum scriptores in extrema *Caroli* tempora reiiciunt. Et „ forte rectius. *Nam Caroli adhuc Imperatoris fit mentio infra* „ *statim in Historia Regneri, ubi eius exercitum in Saxonia pro*-„ *fligasse dicitur*. „ En laqueos, quibus nos ipsos irretimus, & constringimus, semel auctoris alicuius admiratione abrepti, quippe quae doctos etiam viros caecos efficit, ne vel crassissimos errores oculis, & mente discernant. Didicerat ex Saxone suo Stephanius, *Carolum*, quum proposuisset *Godofredum* in Saxoniam irruentem comprimere, inde avocatum, Romam ad liberandum Pontificem Leonem III. ivisse, idque factum esse circa ann Chr. 800. Videantur *notae* eius *pag.* 186. b. Idem Stephanius *Godefridi* necem factam esse an 810. non solum exterorum, sed & *Chronici Islandici MS.* quod penes se erat, testimoniis confirmarat *pag.* 187. b. Idem *Caroli M.* obitum in anno 814. recte constituit Itaque per quatuor istos annos *Olaum*, *Hemmingum*, *Sigvardum*, & *Ringum* in Dania Regnare, *Sigvardum* peregrinis bellis operam quinquennio dare, (sic enim Saxo *pag.* 168.) filium *Sigvardi Regnerum*, *vix dum cunis erutum*, *Regis nomine censeri* [idem Saxo *ibid.*] eundem, patre mortuo, gubernationem regni capessere, bellum cum Svecis gerere, unam atque alteram uxorem ducere, filios bellis obeundis maturos ad provincias administrandas ablegare, ac tandem in Saxoniam, ad lacessendum *Carolum* illum *Magnum* navigare facit; seu, quod idem est, quadraginta annorum gesta quadriennii ambitu concludit. Quidni vero potius imitatus est Alb. Grantzium, qui postquam haec tam ἀσυςάλα diligenter, & cordate excussit, & Saxoni obiecit, ita eum affatur indignabundus: *Quis est ergo iste Carolus, cui vis conflictasse Regnerum? Ego non video, nisi quod aut somnia dicas, aut de Imperatoris nomine erres*. Meursium etiam non dubito quin hoc ipsum incommodum impulerit ad cogitandum de alio Caesare, & deserendum hoc loco Grammaticum. De quo ergo cogitavit, quemque ut intelligamus voluit? quum de alio, quam *Carolo* ipso *Magno*, interpretationem nullam admittant haec Saxonis, cladem Caesaris, *Regnerique* victoriam exaggerantia: „ Itaque infatigabilis ille totius Europae „ domitor serenissimis, amplissimisque victoriis tantam terrarum „ partem permensus, tot civitatum, tot gentium victorem exer-„ citum, aversis bello pectoribus, unius provinciae parvula ma-„ nu profligandum aspexit. „

Ceterum dum Saxonem ostendimus pessimum, ut saepius diximus, Chronologum fuisse, atque in ordinanda Regum Serie confusissime versatum, haud tamen idcirco omnem fidem narrationi eius de bello cum *Carolo M. Regneri* auspiciis gesto, detrahemus, utpote cui nonnihil inesse veri ipsis Francicorum Annalium testimoniis convicti sumus. Hoc primum postulamus, ut *Regnerus* loco, qui in Serie Regum ei convenit, restituatur, ad medium fere seculum VIII. retrahendus, regnoque deinde universae Daniae quadraginta annos, aut circiter (tantum enim temporis Torfaeus invictis ei argumentis adseruit) praefuturus. Tunc enim ipsum, aut certe eius auspiciis *Sigefridum* Iutiae Regem Saxoniae infestos, & cum *Caroli M.* ducibus bella suspicientes habebimus; illa nempe, quorum satis manifesta indicia esse in *Annalibus Francicis*, inter an. 782. & 798. supra *ad Col.* 90. *b. v.* 9.) meminimus. Potuerunt haec bella contra tam potentem hostem in memoria posterorum apud nos perdurare, & *Regnero* adscribi, utpote Daniae Monarchae, & bellicosissimo, quamvis per eius absentiam, [dum semper fere in piraticis expeditionibus erat occupatus,] a Iutiae Regibus gererentur.

(b) *Sorlum quemdam*] Svecici historici hunc adpellant *Carolum*, eius nominis *sextum*. A Gallicis *Arlum* dici notat Loccenius.

(c) *Filiam Esberni*) Filiam *Eysteni* Regis duxisse, fingit *Ragnari* historia Islandica. De quo, si tanti hoc, legatur Torfaeus *Histor. Norveg. P. I. pag.* 455.

(d) *Inde Angliam*] Anglicam hanc expeditionem Saxo ponit ante illas in Saxoniam, & Sveciam. Vid. ips. *pag.* 171.

(e) *Hamam Regem*) Credo nullum Regem in memoriis, ac monumentis Anglicis inveniri sic dictum.

(f) *Insulamque universam*) Ne quidem Saxo hoc dixit. Ad tempus huius expeditionis nihil in Anglicis Scriptoribus accom-

nem cogit; deditisque filios Sivardum, & Rathbertum imponit: etiam debellat Orcadas, ac Norvagiam, tunc tumultuantem pacat; & Fridlevum filium suum huic, atque illis praeficit. Quibus gestis, quum in regnum rediisset, coniugem Svanlongam ducit; tresque ex ea filios tollit, Regnaldum, Widsercum, & Ericum. Inde in Hellespontum movet (a), & Dionem ibi oppugnat. Causa belli, quod illius orae reges Daniae olim vectigales exstitisse accepisset; ac Dione, post certamina multa, & acria, profligato, cum Dione, & Daxone, eius filiis bellum, idest, persequutus. Hi, quod regis Ruthenorum filias haberent coniuges, maxima a socero auxilia sibi comparaverant; sed Regnerus, quum potentiores sciret, astu eos circumvenit; nam, electo pugnae loco, alto pariter, ac declivi, equos aliquot aeneos imponit rotis; &, commisso praelio, in hostem impellit; qui per prona devoluti, obvium quemque non dumtaxat obtriverunt, sed & aciem dissiparunt: quod Regnero ad victoriam plurimum momenti adtulit; etenim quadrato agmine, atque denso, moles eas subsequutus, hostes ante dissipatos, minima suorum clade profligavit, fratrum altero Dione interfecto; altero vero Daxone in fugam verso: ac Rutheni, qui suppetias advenissent, quum, quae gesta, profugi in patriam renuntiassent, rex perculsus turpi metu, finibus suis profugisse perhibetur. Eo bello sic confecto, quas subegerat provincias, filio Widserco tradit, inde populis orientis per quinquennium divexatis, in Biarmos Russiae gentem (b), nimis in res novas pronam, arma vertit, diu dubia fortuna, ac Biarmi homines feri, & silvestres, incantationum quoque peritissimi, magis his, quam armis fisi, per haec tempora saepius rebellionem instituerant; ideo aestivo tempore, quod in silvis studio venationis, e qua vitam tolerarent morarentur, minus debellatu faciles censebantur; hieme vero propter nivium altitudinem, in editiora quaeque loca sese conferentes, saepe ab hoste intercepti, minimo negotio devincebantur. Horum in fines postquam militem perduxisset, tantam illi magicis carminibus statim tempestatem excitarunt, quanta vix oriri posse credebatur. Hac detentus uno in loco diutissime, & inedia plurimis suorum amissis, armis antea invictus, fere ob penuriam rei frumentariae interciderat; ni, sedata tempestate, ventum opportunum nactus, se in Sembos, ac Curlandos recepisset, qui exceptum perbenigne postquam illico supplemento, & commeatu adiuvissent, iterum in illos tendit. Rex illorum per id tempus ad Matullum Finnorum ducem, ad auxilium postulandum, iter pridem instituerat, & ab eo sagittariorum manum non exiguam impetraverat; ac cum ista in Biarmiam mox regressus, hibernanti tunc Regnero damnum satis magnum dedit; quippe Finni, sive docti a Ruthenis, seu venationi sueti, iaculando excellebant. His subnixus, quum Regnerum mox lacesseret, is, prohibitus loci incommoditate, niviumque altitudine, aciem contra explicare, & confligere, semel frustra hoc conatus, revocat in castra militem, ac nocte proxima, explorato negligentius hostem agere, sine excubiis, tacite in eum ducit, opprimitque imparatum, & occidit; tum in loco, quo pugnatum, etiam trophaeum ponit, e congestis magnis saxis, & victoriam his inscribit. Quo peracto, quum redire in Daniam per Sveciam vellet, edocetur, turbas concitare Vbbonem filium nothum, atque regnum adfectare, adiutante avo Esberno; itaque in Gothiam Svecicam verso itinere, militem cogit; nec deesse sibi Esbernus, quin in Sveciam, Gothiamque ablegare, qui praefectos itidem ad rebellionem instigarent; sed Biornus, qui a patre Gothiae praefectus erat, indignatus se in eum concitari, mox in crucem agere legatos iubet, ac sequuti exemplum Sveci, idem faciunt. Etiam in Cimbria Ivarum fratrem quum sollicitaret Vbbo, itidem repulsam tulit, atque ille, quum nec se tueri posset, nec ad patrem tuto evadere, in exilium concessit. Ita Vbbo, & Esbernus, temere quaesitum auxilium postquam minime reperissent, classem instruunt, & in mari adgredi Regnerum statuunt; ac Regnerus, obvium Esbernum sibi primum nactus, eum superatum occidit, & ad rostrum navis suae caput interfecti figit. Hinc delatus in Vbbonem, adeo eum hoc spectaculo terrefecit, ut in Sialandiam se fuga eriperet, ubi iterum congressus, atque victus, quum captivus duceretur, ac saeviret in ducentes, ab iisdem trucidatus, meritas impietatis in parentem poenas dedit. Quae dum fiunt, Daxon ille, quem e prae-

commodatius mihi occurrit hoc Florentii Vigorniensis ad annum 787. „ Huius tempore (*Brithrici* Regis West-Saxonum) „ Danici piratae tribus cum navibus Angliam adiere. Quorum „ adventus dum Regis praeposito nunciatus fuisset, eos cum „ paucis festinus adiit. Quumque penitus ignoraret, qui es- „ sent, & unde venissent, invitos ad regiam minare villam „ molitus est, sed mox ab eis occisus est. Hi primi fuerunt, „ qui de Dania Angliam adierunt. „ Et Matthaeus Vestmonaster. ad annum 791. „ Brithricus securo vacabat otio, cum „ gens Danorum piratica rapina vivere adsueta, tribus advecta „ navibus pacem provinciae perturbavit. Istos quoque quasi „ exploratores advenisse subspicandum est, ut ubertatem patriae „ explorarent, sicut postea Danorum multitudo superveniens, „ quae totam Britanniam replevit, luce clarius demonstravit, „ Tunc vero furtive appulsi, regiam villam, quae prope erat „ adgressi, villicum Regis, qui eis ad pugnam occurrit, pe- „ remerunt. Hic primus ex Angligena natione interfectus est; „ sed multa postmodum ex eis millium millia corruerunt. „ Ergo praepositus ille Regis, aut Villicus, fuerit fortassis ille *Hama*, vel *Hamo*, quo occiso, crediderunt se Regem intemisse. Prima deinde cum iusto exercitu, & numerosa classe irruptio Danorum refertur a Westmonasteriensi ad annum 795. a Simeone Dunelmensi autem ad annos 793. & seqq. Verum *Lodbrogi* tamdem mentio fit in Historia Anglica tempore Osbrichti Regis, hoc est, paulo post medium seculum IX. quo tempore Gormo Grandaevus imperium tenebat Daniae; in Iutia autem regnabant duo *Erici*, vel *Horici*, unus post alterum, quorum *S. Auscharii Acta*, & *Remberti Historia*, nec non Francor. Annales meminere.

(a) *Inde in Hellespontum movet*) Cave hic regionem intelligas, a priscis auctoribus sic dictam. Habuit in mente, & cogitatione Saxo, mirifice interdum ludere in nominibus solitus, longe aliam, haud multum remotam a Ruthenis. Torfaeus credidit *Livoniam* esse.

[b] *Biarmos Russiae gentem*) De situ Biarmiae multum ab eruditis Septentrionalibus disputatum fuit, Scheffero, Verelio, aliisque. Torfaeus multa investigatione tamdem concludit, ultra Mare album esse, ubi Divina fluvius, olim Vina dictus, circa urbem S. Michaelis Archangeli decurrit. Legatur *Hist.* eius *Norveg. Tom. I. lib. 3. cap. 25.*

lio profugisse paulo ante memoravi, cum Widserco, quem Regnerus terris victi imposuerat, denuo collectis viribus, aliquoties congressus, sed nequidquam animum ad fraudem vertit, ac cum eo foedus init, ut, quem bello superare nequivisset, pace everteret, & occasio se praebebat, quum Widsercus ad convivium invitaret. Nundinae tunc urbis erant, quae ad dolum opportunae, & subornat aliquos Daxon, qui sub veste occultatis armis suis, mercatorum habitu ingrederentur. Ipse, parvo comitatu, urbem intrat, & Widserci aedes petit: ille accipit benigne hospitem advenientem, neque hostem, foedere iam constituto, subspicatur; inde, inclinante die, adsunt, uti iussi milites, esse mercatores crediti, & Widserci domum invadunt, qui tumultuari sentiens, cum ministris admodum paucis, arma rapit, prosilitque, & accessu hostem prohibet; verum obruente numero cedit tamdem, capiturque cum nonnullis ministrorum. Daxon, viri fortitudinem admiratus, mediam regni partem offert, & sororis matrimonium, dum iniuriam numquam se ulturum spondeat; sed vir animi generosi potius moriendum ducens, quam debere vitam perfido, *non se quidquam aliud*, respondet, *cupere*, *quam ut hoc supplicium nunc irrogaret. quo perire ipse vellet; etenim Regnerum patrem, mortem filii non impune dimissurum*; ac repulsa offensus Daxon, alias ferox, & iam hostis sui potens, neque metuens futuri, quam expeteret mortem rogat, atque illo vultu intrepido se, suosque colligari, ac cremari, postulante ocyus constringi omnes, iniicique in ignem iubet (a). Quo Regnerus intellecto, adeo impatienter filii sui mortem tulit, ut invictus semper hosti, nunc succumberet dolori, & in lectum se proiiceret; inter graves eiulatius, lacrimasque vix afflictam animam trahens; quum Svanloga uxor intrans consolata adhortatur: *post victorias tot illustres, & multiplices, ne dolori manus daret, neu pericula nullo umquam victum animum nunc submitteret, quin erigeret se potius; &, virtute illa prisca revocata, ultionem cogitaret; hoc virile, istud muliebre esse*. Quibus verbis confirmatus lecto exilit; ac doloris tamdem etiam sui victor, arma capiens, regnum Ivaro filio mandat, & contendit in Daxonem, necem Widserci ulturus, ac devictum quum in potestatem suam redegisset, & ulcisci mortem filii, morte quoque hostis posset, rex magnanimus, qui se vincere, quam hostem, multo maius reputaret, vix credibili clementiae ad posteritatem exemplo, libertate rursum donat; ea lege, ut se dominum adgnosceret, & quotannis, cum duodecim proceribus supplex, ac discalceatus, censum debitum regno Daniae exhiberet. Hinc Ericum a ventoso pileo [b] cognominatum, filio Widserco surrogat, Sveciamque gubernandam illi tradit. Inter quae quum denuo Norvagia tumultuari tunc inciperet, eo illico profectus, in ordinem factiosos cogit, & Biorno filio suo regni praefecturam tradit. Quae dum agit, moritur Svanloga uxor, sed dolorem arma mox obiecta excutiunt; quippe Anglia, Scotiaque, quum res novas molirentur, primo Scotiam coercuit [c], victo pugna triduana rege Muriale, ac caeso; sed victoria Duno, & Rathberto amissis filiis suis, satis luctuosa fuit. Hinc in Angliam transgressus (d), in qua filium regno Galli deturbarant, eam quoque, plurimis Anglorum caesis, vindicavit; filiumque Hammae Hellam (e), qui se Gallis adiutantibus, regem pridem adpellaverat, profligatum, insula pellit. Atque hic exacto anno, quum turbaret, & Hibernia (f) eo traii-

(a) *Iniicique in rogum iubet*) Quod hic Saxo de *Vitserki* fato perhibet, videtur omnino reiiciendum Torfaeo *Ser. Reg. Dan. pag.* 396. quia adversatur libris, & historiis Islandorum, praesertim *Vitae Olavi Tryggvini*, cuius auctor perquam accuratus, filios *Regneri* tam vivo patre, quam post mortem illius, varias, & longinquas expeditiones suscepisse scribit, atque in patriam tamdem reduces, vastam patris ditionem inter se divisisse. In ista divisione, narrat idem Historicus Norvegus, *Biornum*, cui a *ferreo latere* cognomentum, Sveciam totam, Vpsalense regnum, & utramque Gothiam accepisse, cum provinciis illic pertinentibus: *Sigurdo Anguioculo* cessisse Eygothiam, sive Gothiam insularem, omnesque insulas Danicas, nec non Scaniam, atque Hallandiam. *Vitsercum* denique Iutiam, olim Reidgothiam adpellatam, & Vandaliam obtinuisse. Fabulosa *Ragnari Historia* Islandica *cap.* 22. favet quidem Saxoni, de mortis genere, quo Vitsercus extinctus, additque etiam profectum in Orientem, (quod de Russia, vel Livonia interpretari possumus,) captumque ibi, & rogo impositum periisse; sed mortuo demum patre, non, ut Saxo narrat, vivo, & interitum filii lugente, id contigisse. Locus, ex Biorneri versione, ita habet: „ Ita quidem Huitsercus, & Sigurdus avitum repetunt regnum, Ivaro in Anglia „ regia regente sceptra. Inde vero mox sociis agminibus diversas infestabant terras. Mater eorum Aslauga ad aetatem pervenit senilem. Filius autem Huitsercus per Orientem aliquando arma circumferens, tanta obruebatur hostium multitudine, ut viribus defectus caperetur. Tale vero sibi ipse elegit mortis genus, ut in rogum capitibus humanis calentem imponeretur comburendus. Filio isto modo defuncto, mater hoc statuit epicedium: *Filium possedi, Hvitserci nomine clarum: Ille in Orientem profectus, mortem sibi arcessivit nimio fugae odio. Arsit calore capitum confertim in bello occisorum hominum. Optaverat sibi hanc mortem celebris heros, antequam caderet.* „ Est autem epicedium istud metro Islandico pervetusto scriptum, quod ipsum inter monumenta fuisse, queis Saxo in vita Regneri componenda usus, plane arbitror. Io. Magnus Gothus, (insignis ille Saxonis expilator, etiam ubi manifeste hallucinatur hic noster,) *Hist. Svec. lib.* 17. *c.* 10 de Vitserci ex Russia contra Svecos expeditione longam nobis fabulam contexit, cuius vix alibi fundamentum extare credo, quam in mero Saxonis errore; nempe illo, quo *Vitsercum Sveciae principantem* Saxo dixit, *pag.* 174. immemor eorum, quae superius dixerat de Biornone Sveciae, Vitserco autem Hellesponto, seu vicinis Russiae regionibus praefecto, Reliqua de Vitserco idem Io. Magnus sic persequitur, ut nihil a Saxone diversum, si maiorem verborum copiam excipias. habeat.

(b) *Ericum a ventoso pileo*] Vernacule *Erik Vaederhatt*, sic dictus, quia magicis artibus praepollens, in quamcumque plagam protenderet pileum, (verbis utor Loccenii *lib.* 2. *Hist. Svec. pag.* 49.) ventum sibi obsequentem, & secundum habebat. Filium Regneri fuisse Saxo adfirmat; Nepotem ex filia, quae Ingoni nupserit, faciunt Sveci. Meursius cum a patre Regnero subrogatum Vitserco, & Sveciae impositum, hoc quidem ad mentem Saxonis, illud vero nulla eiusdem auctoritate refert. Neque enim huc trahenda Grammatici hallucinatio, nuper animadversa, quam & obiter castigavit Torfaeus *Ser. Reg. Dan. pag.* 355,

(c) *Scotiam coercuit*] Hoc, ut multa in Saxone Regneriana, credo subspectum habendum, imo plane confictum esse. Quis enim *Murialis* nomen vel fando accepit, vel legendo observavit? Scotiam tamen possum credere, accessam a Danis, piraticam longe exercentibus, fuisse, etiam ante illud, quod Boethius, & Buchananus ponunt, tempus, videlicet an. 870. Nam & is posterior historicus Danos Scotiae notitiam habuisse ab initio seculi v. testatur, & exemplis declarat *lib.* v. *cap.* 1. in Annalib. Fuldensib. legitur ad an. 812. *Classis Danorum Hiberniam adgressa, a Scotis praelio superatur*.

(d) *Hinc in Angliam transgressus*] Aeque ignotum hoc Anglicis Scriptoribus, ac alterum illud Scotis.

(e) *Filium Hammae Hellam*] Saxo: *Hellam Hamonis filium*.

(f) *Quum turbaret, & Hibernia*) Danos, & Normannos, vel Ostmannos, anno Christi 795. Hibernica littora primum infestasse produnt Annales Hibernici, teste Io. Warraeo *in Disqui-*

traiicit; ac, Molbrico (a) duce occiso, mox Duflinum, urbem insulae primam obsidet, & expugnat, militique praedam donat. Inde, rebus ordinatis, quum in naves militem imposuisset, cursum in Hellespontum (b) dirigit; & victoriis per obiecta passim regna perillustre nomen parat. Quae dum agit, ipsi Dani in rebellionem versi, & Haraldum, quem in Scania superatum, uti dixi, fugam capere in Saxoniam compulerat, denuo ad regnum vocant (c). Is potentiam Regneri, ac virtutem secum reputans, ne quid temere incoeptaret, opem a Ludovico Caesare, qui Moguntiae tunc agebat, implorandam sibi ducit; neque se munitum satis contra hostem tam potentem esse credit, nisi illam impetraret, atque pius Imperator propagandae Christianae fidei amore flagrans, postulatum auxilium spondet; verum hac conditione (d), ut mox Christo nomen daret; neque enim, qui diver-

squisit. de Antiquitat. Hibern. cap. 24. Ex eo vero tempore tam crebrae, & frequentes a nostratibus in illam insulam excursiones factae, (confer. idem Waraeus, & Vsserius in *Indice Chronol. ad Antiquit. Eccles.*) ut nihil miremur, Saxonem *Regnero* suo, quem illustrare omnibus modis proposuerat, aliquam earum partem imputasse.

(a) *Molbrico*) Saxo *Melbricum* vocat, tam in Paris. quam Sorana editione.

(b) *Cursum in Hellespontum*) De alio hic, ni fallor, Hellesponto agitur, quam qui Dionem, & Daxonem Reges habebat, & quem Torfaeus pro Livonia accepit. Hic enim verba Saxonis nimis expressa: *Mediterraneum fretum pernavigans, ad Hellesponticum penetravit*. Potest tamen fieri, ut Balthicum nostrum Maris *Mediterranei* nomine intellexerit, quum nec ratione destituatur adpellatio.

(c) *Denuo ad regnum vocant*] Hic ad *Reginfredi*, & *Haraldi* historiam rursus devenitur, de qua supra ad *Col.* 102. *v.* 33. egimus. Videbat hoc, praeter alios, doctiss. Pontanus, adeoque *Regnerum Lodbrogum* in historia sua descripturus, priora illa Saxonis, de amoribus eius, & plerisque expeditionibus praetermisit, atque exorsus demum inde est, ubi aliquam sibi viam aperiri ad conciliandos cum Saxone historicos exteros deprehendit. Hanc ergo ingressus, *Sigvardo*, & *Ringoni* duos statim successores dat, *Haraldum*, & *Regnerum* Reges, narrationem de iis suam, hoc modo incipiens: „ Porro a partibus *Rin-* „ *gonis*, qui victores supererant, in *Haraldum Ringonis* filium, „ & *Ragnifredum* (*Regnerum Lodbrogum* Saxo nominat) *Si-* „ *gvardi* filium, communem regni titulum transtulere. Sed ut „ esse potestas omnis impatiens consortis solet, ita & heic per- „ petuae inter utrumque lites, & dissidia viguerunt. Pulsus pri- „ mo, ut tradit Stadensis, ab *Haraldo Reginfredus*, mari for- „ tunam tentare instituit, piraticam longe, lateque per Hyber- „ nias, & Scotiam exercendo; atque inde longinquam mili- „ tiam ingressus, Hispaniasque praetervectus, non quievit, do- „ nec ad Mare Mediterraneum longo circuitu pervenisset, o- „ mnesque circumpositas regiones una cum Constantinopoli di- „ vexasset, & tamdem eodem remenso itinere in Daniam cum „ admirabili victoria rediisset. *Haraldus* interea, defuncto *Ca-* „ *rolo*, cum *Ludovico* Imperatore inito foedere, ipsius copiis a- „ diutus, regnoque potitus est. „ Ego equidem haud video, nec concedam facile, in iis, quae Saxo de *Haraldo* commemoravit, plus veri inesse, aut plus solidi inde elici, quam quod sincera exterorum narrata nobis confirmaverint. Permittam interim, eum, qui exteris *Reginfredus* est, in Dania vocatum fuisse *Regnerum*, sicut non dubito, quin ex *Haraldi* nomine, nostris usitato, illi effecerint *Herioldum*, & *Herielthum*. Sed quod ad dissidium eorum attinet, solum, & unicum de eo habemus auctorem Adamum Bremensem, *lib.* 1. *c.* 14. *Moxque Reginfredus ab Haroldo pulsus piraticam classem exercuit. Haroldus vero cum Imperatore foedus iniit. Historia plenius haec Francorum exsequitur*. Stadensis, multo recentior auctor, istud ex Adamo descripsit. Verum, si Francicos conferamus, quibus omnibus Reginfredus, & Haraldus *fratres* sunt, & Anulonis Regis, in praelio occisi, germani, numquam legimus Reginfredum ab Haraldo pulsum fuisse, sed concordes hos regnavisse, donec Godefridi filii ex Svecia reversi, ubi per intervallum illud, quo Hemmingus, ac deinde Sigefridus, & Anulo summam rerum tenuerunt, exsularant, utrumque & Reginfredum, & Haraldum regno eiicere sunt adgressi. Igitur si non prorsus memoria Adamum, quod saepius ipsi usuvenit, fefellerit, Reginfredus ille, quem Haraldus fugavit, unus filiorum Godofredi fuerit, (non *Sigvardi*, ut Pontanus Saxonem, & Stadensem conciliaturus autumat,) atque haec inter bella Reginfredus, Anulonis, & Haraldi frater, perierit. Francici profecto admodum clari sunt, & de hac particula historiae nostrae & certi, & consentientes, a quibus ne latum quidem unguem discedere, vel propter Ad. Bremensem, nimis incuriosum, & negligentem scriptorem, vel in gratiam Saxonis nostri, possumus. Docent autem illi Francici, (loquor praesertim de Annalibus Bertinianis, *Du-Chesnii Tomo III.* nec non de iis, qui, postquam cum Aimoino, Ascensianis typis an. 1514. edito, comparuerant, ac deinde ab Hermanno Comite Nuenario *Vitae Caroli M.* Eginhardinae subiuncti, tandem in *Du-Chesnii Tomo II.* sub titulo *Annalium Eginhardi*, quamvis falso, evulgati sunt,) docent, inquam, illi, eodem anno DCCCXII. quo Sigefridus, & Anulo occubuerunt, *Heriholtum & Reginfredum*, Annulonis fratres, *ad regnum evectos, missa ad Imperatorem legatione pacem petivisse, & fratrem suum Hemmingum sibi remitti rogasse*. Consentiunt laudatis duobus plures, in *Tomo II Du-Chesnii* obvii, Fuldenses s. Pithoeani, Regino quoque Prumiensis. Ita ut plane cogamur Bremensem, cum sequace suo Stadensi, falsum pronunciare, adstipulante nobis, praeter Torfaeum, diligentissimo Viro Sigism. Frid. Hahnio *Introduct. in Hist. Imp. Germ. Tom. I. pag.* 103. Etenim piraticam haud exercuisse Reginfredum, saltem brevi illo tempore, quo simul cum fratre Haraldo regnavit, iidem Francorum Annales nos certos faciunt, ad ann. 813. & sequentem. Verba eorum, quia insigne supplementum adferunt historiae nostrae, per intervallum temporis apud indigenas scriptores tam sterile, non pigebit integra hic adscribere: „ Anno Domini „ DCCCXIII. missi sunt de Conventu [Aquisgranensi] quidam „ Francorum, & Saxonum primores trans Albim ad confinia Nord- „ mannorum, qui pacem cum eis secundum petitionem Regum „ illorum facerent, & fratrem eis redderent. Qui cum pari nu- „ mero, nam XVI. erant, de primatibus Danorum occurrissent, „ iuramentis utrinque factis pax confirmata, & Regum frater „ eis redditus est. Qui tamen eo tempore domi non erant, sed „ ad Vestersoeldam cum exercitu profecti: Quae regio ultima re- „ gni eorum inter septentrionem, & occidentem sita, contra aqui- „ lonarem Britanniae summitatem respicit; cuius principes, & „ populus eis subiici recusabant. Quibus perdomitis quum rever- „ tissent, & fratrem ab Imperatore missum recepissent, filii Go- „ dofridi Regis, & ex primoribus Danorum non pauci, qui „ iamdudum relicta patria apud Suenones exulabant, compara- „ tis undique copiis bellum eis intulerunt: Et confluentibus ad „ se passim ex omni Danorum terra popularium turmis, com- „ misso praelio, etiam regno non multo eos labore pepulerunt. „ Et haec quidem *Carolo M.* adhuc vivente, ultimo vitae, & imperii eius anno contigerunt. Eo autem Caesare defuncto, iidem auctores ad annum DCCCIV. haec referunt. „ Heriholtus, & „ Reginfredus Reges Danorum, qui anno superiore a filiis Go- „ dofredi victi & regno pulsi fuerunt, reparatis viribus iterum „ eis bellum intulerunt: in quo conflictu & Reginfredus, & „ unus de filiis Godefridi, qui maior natu erat, interfectus est. „ Quo facto Heriholtus rebus suis diffidens, ad Imperatorem ve- „ nit, & se in manus illius commendavit: quem ille susceptum „ in Saxoniam ire, & opportunum tempus expectare iussit, „ quo ei, quemadmodum petierat, auxilium ferre posset. „ Postea, quo successu *Ludovicus* Imperator Haraldo terra, marique auxilia tulerit, & Godefridi filios, (ex quibus natu maximo anno 814. occiso, quatuor superfuisse ad an. 819. unumque eorum *Horicum* vocatum ad annum 827. discitur,) ad pacem petendam adegerit, qui *Haraldum* quidem anno 821. in societatem regni receperunt; deinde autem, recrudescentibus inter eos odiis, ad implorandam saepius Imperatoris opem compulerunt, ampliter expositum habetur ad sequentes annos. Ex quibus nihil ultra delibabimus, postquam primos, & praecipuos fontes, ex quibus hauriendа illa, ac unde tot alii medii aevi Annalistae, & Chronographi eadem in sua scripta transfuderunt, indicavimus. Ceterum non possumus omittere, *Haraldum*, post initam ab anno 821. pacem, aut potius perpetua cum filiis Godefredi dissidia, iteratasque eo saepius apud Ludovicum Pium querelas, tandem fuisse anno 827. regno exturbatum. Qui, cum in eo res esset, ut nova transactione controversiae dirimerentur, ipse totum negotium corrupit; de quo auctores nostri ad ann. 828. haec prodidere. „ Interea „ cum in confinibus Nordmannorum tam de foedere inter illos, „ & Francos confirmando, quam de Heriholti rebus tractandum „ esset, & ad hoc pene totius Saxoniae Comites simul cum „ Marchionibus illo convenissent, Heriholtus rerum gerendarum „ nimis cupidus, condictam & per obsides firmatam pacem ru- „ pit, incensis ac direptis aliquot Germanorum villis. Quod „ audientes filii Godefridi contractis subito copiis ad Marcam ve- „ niunt, & nostros in ripa Eidorae fluminis sedentes, ac nihil „ tale opinantes transito flumine adorti, castris exeunt, eisque „ in fugam actis cuncta diripiunt, ac se cum omnibus copiis „ suis in sua castra recipiunt. Deinde inito consilio, ut ultionem „ huius facti praevenirent, missa legatione ad Imperatorem, quam „ inviti, & quanta necessitate coacti id fecerunt, exposuerunt, „ se tamen ad satisfactionem esse paratos; & hoc Imperatoris „ esse arbitrio quatenus ita fieret emendatum, ut de reliquo in- „ ter partes pax firma maneret. „

(d) *Verum hac conditione*) Etiam hoc citra meliorum auctorum suffragia, docent hi, primo statim Ludovici Imp. anno spem Haraldo, absque illa conditione, factam auxilii, quod & sequenti anno 815. satis validum & efficax obtinuit. De religione

diversa sacra colerent, animis coniungi posse. Quid hic faceret Haraldus, inter sacrum, & saxum positus? nulla illi pietas erat, sacris gentium adsueto; sed necessitas cogebat, ut ignotam hactenus fidem, neque diu retinendam [a] amplecteretur. Itaque dat nomen Christo; &, suppetiis impetratis, per absentiam Regneri regnum occupat; &, delubra idolorum demolitus, exstruit Slesvici aedem [b], in qua porro sacra ritu Christiano agerentur. Sed mox pietas haec turbata; & Regnerus ad rumorem rei gestae cum exercitu superveniens, victum praelio Haraldum, iterum profugere in Germaniam cogit; ac, destructo ocyus templo, quod Slesvici is exstruxerat, cultum idolorum reddit. Sed hoc factum vindicavit statim Deus; nam, recuperato regno, & composito, iterum in Hellam tendit [c]; qui, ab eo Anglia eiectus pridem, nunc eamdem, & Hiberniam contra ipsum concitaverat; ac, commisso praelio infelicissimo, copiis amissis omnibus, vivus ipse in hostis potestatem venit; isque eum crudelissime coniicit in horrendum carcerem, plenum viperis [d], & serpentibus, quorum morsibus misere dilaniatus, tamdem animam exhala-

gione tunc nihil memoratur actum. Res praeterea confirmata, Haraldum demum ann. 826. (non, ut Sigeb. Gemblacensis posuit, an. 825.) baptismum suscepisse Moguntiae, cum uxore & magna Danorum multitudine. Haud tamen inficiandum, Caesarem diligenti sua cohortatione effecisse, ut Haraldus se satis proclivem ad Christianum cultum ostenderit; quamvis haud ita celeriter res acta sit, ac persuadere videtur auctor *Vitae S. Anscharii cap.* 6. Interim perfugium, quod toties Haraldo Caesar praebuit, viam Christianae Religioni in Daniam aperuit, adeo ut Regem etiam suum multi civium in salutari amplectenda fide aliquot annis anteverterint, ab Ebbone Renensi Archiepiscopo baptizati. En verba Annalium, quos laudavimus, ad ann. 823. „ Venerat & Harioldus de Nord-
„ mannia auxilium petens contra filios Godefridi, qui eum pa-
„ tria pellere nitebantur. Ob cuius causam diligentius exploran-
„ dam ad eosdem filios Godefridi Theotarius, & Ruotmundus
„ Comites missi fuerunt. Qui causam filiorum Godefridi, &
„ statum totius regni Nordmannorum diligenter explorantes, ad-
„ ventum Harioldi praecesserunt, & Imperatori omnia, quae in
„ illis regionibus comperire potuere, patefecerunt. Cum quibus
„ Ebbo Remorum Archiepiscopus, qui consilio Imperatoris &
„ Romani Pontificis auctoritate, praedicandi gratia ad terminos Da-
„ norum accesserat, & multos ex eis aestate praeterita ad fidem
„ venientes baptizaverat, regressus est. „

(a) *Neque diu retinendam*) De sublesta hic quoque Saxonis fide, infra ad *pag seq.* videbimus.

(b) *Extruit Slesvici aedem*] Videant alii, quomodo hoc conciliandum cum Adamo Bremensi, & cum Remberto *Vitae S. Anscharii* Scriptore, quorum uterque aedificationem Templi Slesvicensis, omnium primi, ad tempus, quo *Haraldo* penitus eiecto *Horicus*, (seu *Ericus*) regno potiebatur, refert.

(c) *Iterum in Hellam tendit*) Optimi Torfaei adnotationem, postquam eam cum monumentis Anglicis comparavimus, non possumus non integram hic adscribere: Ragnarem, Sigurdi
„ Ringi filium, in Angliam ab Ella Rege necatum esse, no-
„ strates, (h. e. Islandi) & Saxo concorditer adserunt. Nos
„ inter terrae illius Reges tres eo nomine vocatos invenimus:
„ unum Australium Saxonum Regem, qui ab anno 491. ad
„ an. 514. regnavit; alterum Northumbrorum Regem, ab an-
„ no 559. ad annum 589. & tertium, qui dictos Northum-
„ bros ab anno 862. ad 867. rexit. Sed nullus eorum in Ra-
„ gnaris huius tempora quadrat. Aut igitur in hoc Ellae no-
„ mine erratum est; aut, quod magis credimus, Ella iste,
„ qui Ragnarem interfecisse perhibetur, exercitus dux, vel a-
„ lius conspicuae dignitatis fuit; unde nostrates, qui Saxoni
„ hac in re praeiverunt, eum forte Regem fuisse credidere.„

(d) *Carcerem plenum viperis*] In Islandica *Ragnari historia* multo id plenius narratum extat, quam vel hic, vel apud Saxonem, qui nescio cur, praeter morem suum, varia hoc loco fabulosa circumcidit, nisi quod forte in *Lodbrogi historia*, qualis isto aevo legebatur, non invenerit. Interim, quod ad ultimum Regneri fatum attinet, an de illo historia intelligenda, quam exhibet ad annos Christi 793. & 794. Simeon Dunelmensis *Hist. de Dunelm. Eccles. lib.* 2. *cap.* 5. his verbis:
„ Eodem anno pagani ab aquilonari climate navali exercitu, ut
„ aculeati crabrones, Britanniam venientes, hac illacque, ut di-
„ rissimi lupi discurrentes, praedantes, mordentes, interficien-
„ tes - - - - vastant cuncta, calcant sancta pollutis vestigiis, al-
„ taria suffodiunt, & omnia thesauraria sanctae Ecclesiae ra-
„ piunt. Quosdam e fratribus interficiunt, nonnullos secum
„ vinctos assumunt, plurimos opprobriis vexatos nudos proii-
„ ciunt, aliquos in Mare demergunt. - - - Denique, anno se-
„ quenti dum portum Egfridi Regis vastantes, Monasterium
„ quoque ad ostium Doni amnis praedarentur. - - - Dux eorum
„ ibidem crudeli nece occisus est ab Anglis - - - - - Nec mul-
„ to post vi tempestatis eorum collisae, contritaeque naves pe-
„ rierunt, „ Quae ipsa etiam postea idem Dunelmensis repetit *Histor. de gestis Anglor. Col.* 113. Adsentior equidem Torfaeo, ista ultimis Regneri nostri temporibus satis convenire, neque multum a Dunelmensis narratione nostrates discedere, quippe qui & Regnerum naves suas ad Angliae littora amisisse, & postea crudeli nece interemtum prodiderunt.

Ceterum, quod initio (ad *pag.* 38. *med.*) innuebam, plurium Regnerorum historias in unam conflatas esse a Saxone, qui varia illa ex libris vel auditione percepta, de *Regnero Lodbrogo* Rege Daniae Sigvardi filio, de Reginfredo, & Haraldo, deque Regnero Lodbrogo Iuniore ab Ella Rege Anglico peremto, ac eiusdem Lodbrogi filiis paternam caedem ultis, ad unum illum primo loco nominatum ac seniorem, cum insigni & rerum, & temporum confusione retulit, id hoc loco praecipuae nobis utilitati erit ad has tenebras discutiendas, & conciliandos cum Anglicis Scriptoribus nostrates, de Ella, & Lodbrogo, huiusque filiis commemorantes. Intexuit Io. Brompton *Chronico* suo duas narrationes, quarum argumenta, si cum Matthaeo Westmonasteriensi, Simeone Dunelmensi, & Ranulpho Higdeno comparaveris, videbis tempus illis adsignandum esse inter annum 860. & annum 870. Prioris summa haec est: „ Osbrichtus, Nortum-
„ briae Rex, cuiusdam ex proceribus suis, *Bruern Bocard* ad-
„ pellati, uxorem per vim stupravit. Hoc probro exacerbatus
„ Bruern, renunciato Regi obsequio, & homagio, quantocyus
„ in Daniam se contulit, ubi auxilium Regis Danorum ad ul-
„ ciscendam contumeliam imploravit. Rex Danorum *Codrinus*
„ nomine, (id *Gormum* indicat, quem alii Anglorum, & *Go-*
„ *drinum* vocant; perque ea tempora vere in Dania regnabat
„ *Gormus Grandaevus*,) ad vindicandam iniuriam *Bruerni*, qui
„ de suo sanguine educatus fuerat, se convertens, exercitum
„ suum maximum celeriter congregavit, & duos fratres, va-
„ lentes milites, Capitaneos, & duces constituit; quorum
„ unus *Ingvar*, alter vero *Hubbe* vocabatur, & navibus coa-
„ dunatis, & necessariis omnibus ad hoc paratis, illos in An-
„ gliam cum innumerabili transmisit multitudine armatorum.
„ Qui in parte boreali terrae applicantes, & per Hildernesiam
„ tendentes, villas depraedati sunt, & eas, incolis interfectis, in-
„ cendio vastaverunt. Tamdem ad Eboracum venientes, dictum
„ Regem *Osbrith* ad praelium provocaverunt, qui a civitate
„ cum exercitu suo exivit, ubi Rex *Osbrith* cum suis interfe-
„ ctus est. Vrbe vero capta, Dani in eadem remanserunt. - - -
„ Erat autem eo tempore quidam alius Rex in Northumbria,
„ nomine *Ella*, quem parentes, & consanguinei dicti *Bruern*
„ in Regem levaverant, eo quod de Rege *Osbrith*, pro con-
„ temtu dicto *Bruern* illato, terram de eo ulterius tenere, nec
„ sibi intendere voluerunt. - - - *Ella*, audita Danorum invasio-
„ ne, homines suos & armatos convocans, ad Danos in ci-
„ vitate Eboraci expugnandos celeriter properavit. Sed Dani a
„ civitate egredientes, Regem *Ellam* non longe ab Eboraco
„ cum maxima suorum multitudine extinxerunt. Locus autem,
„ ubi bellum fuit, vocatur modo *Ellescroft*. Hucusque prior narratio. In altera, quae ibidem subsequitur, ac paulo fusior occurrit apud Westmonaster. ad ann. 870. Bromtonus causam exponit, qua excitati *Hingvar*, & *Hubba* Angliam invasere, Sanctumque Edmundum Regem vita, & regno spoliavere. Fuisse scilicet „ in regno Danorum virum quemdam de regia
„ stirpe genitum, nomine *Lothebrocum*, cui filii erant *Ingvar*,
„ & *Hubba*. Is [*Lothebroc*] cum accipitre solus brevem na-
„ viculam ingressus, ut in insulis Maris, & terris vicinis ana-
„ tes, & aviculas alias aucuparet, subita tamdem tempestate
„ suborta, inter Maris latitudinem raptus, diebusque aliquot hinc
„ inde deiectus, graviter vexabatur. Tamdem plurima Maris
„ pericula perpessus, proiectus est in provincia Orientalium An-
„ glorum, quae *Nordfolch* ab incolis dicitur, apud *Rodham* vil-
„ lam adplicuit. Solus cum accipрite inventus, Regi *Edmundo*
„ praesentatur, & ab ipso propter elegantissimam corporis for-
„ mam cum honore receptus, in curia eius remansit, Regique
„ casum suum exposuit, atque arti venatoriae, cum Berno
„ Regis venatore indulsit. „ Piget reliqua auctoris, nimia profecto verbositate taedium adferentia, eius verbis prosequi. Summa haec est: Venator Regius *Bernus*, invidia impulsus, quod a novo hospite *Lothebroco* venandi arte superaretur, per insidias eum interemit. Cuius facinoris, canis indicio manifestati, cum a Rege venia negaretur, homicida in navicula *Lothbrochi* sine instrumentis navalibus Mari exponitur. Sicque paucos post dies in Danicum littus proiectus, ad *Lothebroci* filios adducitur. Hi multis adhibitis tormentis, quid de patre, in nota navicula eis subtracto, actum sit, exquirunt.

Illet

halavit. Animo invictus ſemper, ne tunc quidem fractus quidquam, inter diros cruciatus res praeclare a ſe geſtas in ſolatium [a] memorabat; tum addebat: *ſi porcellis gnarum foret* [b], *quantus verres in tormentis nunc verſetur, illico, effracta hara, opem ferrent, & eriperent*. Quae, excepta a cuſtodibus, quum ad Hellam adlata eſſent, iſque id de filiis interpretaretur, mox ad necem patris ſui ulciſcendam adfuturis, mittit ſtatim, qui e carcere eum eximerent; verum ſerius, & ſerpentum morſibus iam interfecto. Non ignoro alios haec aliter commemorare; ſed in rebus Daniae regum cur extraneo Scriptori potius credam, quam indigenae cauſam equidem non video. Itaque ſic indigna morte vitam finiit, princeps certe armorum gloria inter ſummos referendus. Domuit Angliam, Scotiam, Hiberniam, Orcadas, Norvagiam, Sveciam, Ruſſiam, Saxoniam, Vandaliam; denique & remotum longe Helleſpontum; etiam tumultuantes domi ſuos, capta per abſentiam occaſione; Scanos quin tum, Cimbros iterum ſubiugavit. Filios ex uxoribus tribus undecim habuit; ex Lathegarta, Fridlevum; ex Thora, Rhatberthum, Dunum, Varthum, Sivardum, Biornum, Agnerum, & Ivarum; ex Svalonga, Reginaldum, Widſercum, & Ericum; tum Vbbonem ex amata in Svecia virgine; inſuper & duas filias ex priore Lathegarta. Inter filios, Vbbo, Widſercus, Dunus, & Rhatberthus, vivo patre, vario fato exceſſere; ceteri ſupervixere, regnis variis praefecti. Toto regni ſui tempore, quantum ex Hiſtoria conſtat, nil commiſit, quod in bono rege quiſquam iure poſſit reprehendere, quam repudium Lathegartae, tam amantis, ac praeclare de ſe meritae; nam, quod ſacra Chriſtiana, per Haraldum in regnum ſuum introducta, aboleverit, id in principe gentili deplorandum potius fuerit, quam culpandum; nam qui Chriſtum ignorabat, pie ſe putabat facere, ſi quos crediditſſet deos, miſeranda caecitate, non malitia deteſtanda reſtitueret. Verum Deus, qui nec a gentili quoquam, etſi maxime ignorante, minui honorem ſuum impune ſinit, factam ſibi contumeliam ſeveriſſime vindicavit. Multo autem gravius peccatum [c] Haraldi, qui cognitionem quamquam veri Dei nactus eſſet, plane tamen neque pietatem habuit in principio, nec conſtantiam in fine, ac videtur quoque Deus ſimulationem eius caſtigare ſtatuiſſe, quum deiectum a Regnero iterum voluit.

Ille vero patrem illorum aſſerit *Edmundi* Regis iuſſu necatum eſſe apud orientales Anglos. *Ingvarus* itaque ira, & furore accenſus, claſſem inſtruit, & ductore *Berno* cum magna armatorum manu in Angliam properat, *Edmundum* collatis ſignis vincit, capit, arborique alligato, & crebris telorum ictibus confoſſo, caput abſcindi iubet. Haec itaque illa ſunt, quae apud Anglos ſuperſunt, de Ella, de Lodbrogo, de filiis *Lodbrogi*, *Ingvare*, & *Vbba*, hinc paternam caedem in *Edmundo* Rege vindicantibus, illinc iniurias ſanguinis ſui in alium Regem, *Ellam*, perſequentibus. Quumque haud alia in monumentis gentis illius ſe offerant, nulla certe, quantum mihi compertum eſt, quae *Lodbrogum* ſeniorem *Sigvardi Ringi* filium, (illum, qui ante Godefridum, Caroli M. aetate vixit,) certo apud Anglos interiiſſe oſtendant, nulla etiam, quae *Regnero*, vel *Reginfredo*, & *Haraldo*, aequalibus Ludovici Pii, ſint σύγχρονα, eo demum deveniamus neceſſe eſt, ut iuniorem quemdam *Lodbrogum* ſtatuamus, regii ſanguinis Principem, veteriſque, ut veroſimile admodum, nepotem, in quem pleraque iam dictorum conveniant. Sint nonnulla, quemadmodum nec inficiamur, fabuloſa in Anglicis, quas adduximus, memoriis de *Lodbrogo*; temporis ſaltem nulla eſſe poteſt confictio in *Ingvare*; utpote cuius perpetrata apud Anglos facinora, & res geſtae, ex conſtanti *Chronicorum* omnium, & *Annalium* fide verſus annum 870. & ſequentes conſtituuntur. Accedit diſertum Wilhelmi Gemmeticenſis teſtimonium: *Hiſtor. Normann. lib.* 1. *cap.* 5. de *Lothroco* [ſic enim ille nominat] *Daniae Rege*, eiuſque filio *Biere*, *ferrea coſta* cognominato, quos circa ſeculi IX. medium Galliam, & Italiae partem armis infeſtaſſe narrat. Vt breves ſimus, hominum diverſorum, eiuſdem vero ſanguinis, homonymia decepit non ſolum Saxonem, ſed & eo vetuſtiorem *Vitae Lodbrogi* Scriptorem Islandum, ut ad unum referrent, quae duobus, aut pluribus adplicanda erant. Nihil in ea re mirum, nihil inſolitum eſſe, omnes nobis facile largientur. Quis enim neſcit innumera illa omnis aevi talium ὁμωνύμων exempla? Duo fuere *Menae*, *Athetis filii*, in prima Ægypti dynaſtia; prior aliquot ſeculis a poſteriore diſtinctus. Duo apud Perſas diverſi *Oſthanes*, alter Xerſis, alter Alexandri M. σύγχρονος. Plures apud Romanos *M. Terentii Varrones*, *Caii Plinii Secundi*, *M. Valerii Meſſalae*, *Sexti Aurelii Victores*; ut infinitos aliarum gentium alios taceamus. Talium quoque ex Septentrionalibus Hiſtoriis inſignem copiam ſuppeditat Torfaeus *Ser. Regum Dan. cap.* 9. *pag.* 343. *ſeq.* duos *Harde-Cnutos* Daniae, duos *Halfdanos Nigros* Norvegiae Reges duos *Thorleifos Spakios*, duos *Haraldos Graenskios*, inter plures, haud parvo numero ibi obvios, celebrans. Ita ut, quando de *Regneri* noſtri fatis, & hiſtoria agitur, nihil rationi, nihil veritati magis conveniens, & neceſſarium arbitremur, quam eiuſdem accuratiſſimi Torfaci ſententiam amplecti, de duobus *Regneris*, quibus idem *Lodbrogi* cognomen fuerit, ſtatuendis. Cui ſententiae, & alia militare argumenta, idem demonſtravit *cap.* XII. *a pag.* 383 *ad pag.* 395.

(a) *Res praeclare a ſe geſtas in ſolatium*) Saxo: *omnem operum ſuorum curſum animoſa voce recenſuit*. Intelligitur longum illud Carmen XXIX ſtropharum, quarum ſingulae decem conſtant verſibus, (excepta ultima, quae octavo verſu finitur.) a *Regnero Lodbrogo* in carcere, ut volunt, conditum, & ante mortem decantatum. Extat illud integrum in hiſtoria, cuius ſaepius meminimus, *Ragnari Lodbrogi* Islandica, *cap.* XVI. editionis Biornerianae *pag.* 43. *ſeqq.* Sed iam olim integrum quoque in lucem produxerat Olaus Wormius in *Append. Litteraturae Danicae pag.* 183. *ſeqq.* perquam inepte tamen litteris Runicis, ut ſolebat ille in Islandicis fere omnibus, depictum. Spirat quidem cantilena ſingularem quemdam animi vigorem, & heroicum illum apud Septentrionales veteres *mortis contemtum*, de quo Thomas Bartholinus iunior, excellens vir, & noſtrarum rerum callentiſſimus, ſingulari, & perdocto opere commentatus eſt. Sed qui a *Lodbrogo* ipſo compoſitam volunt credere, & ab audientibus exceptam, moxque litteris mandatam, poſſunt id facere abſque ulla mea adienſione. Thormodus Torfaeus a poſtrema Regneri coniuge, *Kraka* adpellata, carminibus pangendis celebri, factam in honorem viri ſubſpicatus eſt, nempe quia carminis iſtud genus, hodieque apud Islandos *Krakumal*, ſeu *Krakae ſermo* dicatur. Ego pro ingenioſi alicuius Islandi, qui ſeculo X. aut XI. vixerit, luſu habeo, cui ſane pretium non poteſt non vetuſtas tanta conciliare. Vltimam eius ſtropham Torfaeus exhibet in *Hiſt. Norveg. P. I. lib.* 10. *pag.* 499. metro Latino ſic expreſſam:

„ Cetera quid referam? Nunc me Plutonis ab aula
„ Emiſſae Eumenides in ſua iura trahunt.
„ Ergo ubi vis animae moribundos liquerit artus,
„ Iverit & felix umbra per Elyſium,
„ Sedibus optatis, epulis & nectare Divum
„ Inter Aſas ſanctos, ambroſiaque fruar.
„ Ite voluptates! melioris raptor amore
„ Sortis. Ad hanc ridens tranſeo. Terra, vale.

(b) *Si porcellis gnarum foret*) Hoc itidem ex *Hiſtoria Ragnari* Islandica *cap* 16. nec non Saxone.

(c) *Multo autem gravius peccatum*) Commentum Saxonis, a noſtro, & a Crantzio pluribuſque aliis adoptatum. Anonymi *Hiſtoria Regum Dan.* a Lindenbrogio edita, tempus apoſtaſiae huius refert ad ſextum annum, poſteaquam religionem Chriſtianam ſuſceperat. Sed Torfaeum potius audiamus, qui *lib.* 3. *cap* 15. *pag.* 115. ſic habet: *Quod de Haraldi apoſtaſia Saxo ſcribit, indubiam apud nos fidem non invenit; cum Adamus Bremenſis, & alii quotquot illius meminere, Scriptores veteres, ne verbum quidem ea de re habeant*. Olafi Trygguini Vita *impietatem iſtam poſteriori Hareco* (Horico *Francis*, & *Romberto*) *impingit, & Haraldum morbo deceſſiſſe tradit*.

HISTORIAE DANICAE

LIBER III.

IVARVS.

DE Regneri ſucceſſore non conſentiunt Hiſtorici; & Haraldum quidem Anonymus, in Compendioſa Hiſtoria Regum Daniae; Ericus autem Pomeranus, filium Inguarum tradit, quem Ivarum Saxo dicit. De Haraldo, tantum abeſt, ut hunc ſucceſſiſſe putem, ut ne quidem inter reges collocandum eſſe cenſeam; nam, quum regnum, vivo etiam Regnero, & abſente, illegitime occupaverit, non eſt magis regis nomine honorandus, quam deinceps Valdemarus Sleſvicenſis, quem nonnulli III. dicunt, ſub Chriſtophoro II. quin nec ſucceſſiſſe verum eſt; nam, bis a Regnero eiectus, profugusque in Germaniam, numquam poſtea rediiſſe (a) memoratur. Eo tamen praedicandus maximopere, quod Anſgario adiuvante (b), Chriſti cultum Daniae intulerit primus; ac, quantumvis ipſe ſe amplexum eſſe ſimularet, tamen vere amplectendi plurimis occaſionem, & licentiam exhibuerit. Itaque, cum rege Erico Pomerano, cuius fidei non eſt facile quid detrahere, ſucceſſiſſe Inguarum ſtatuo, ſive Ivarum (c) adpellare eum libet. Huic proceres, quamquam plures ex Regneri filiis etiam ſupereſſent, rerum ſummam detulere, anno Chriſti DCCCXXXVI. [d] In principio, rebus domi ordinatis, prima illi cura fuit, patris necem vindicare. Itaque parata claſſe, quum in Angliam traiecisset, Hellam illic, qui crudeli patrem morte interfecerat adgreſſurus, imparem ſe ei videns, advocato e Norvagia, Sveciaque fratrum auxilio, iſtud nactus, eum vincit, & atroci poena adficit; nam, quod Romanorum copiis (e) in parentem uſus eſſet, aquilam eorum inſigne dorſo primum inſculpi [f] iubet; inde corpus laceratum ſale etiam fricari, donec inter

(a) *Numquam poſtea rediiſſe*) Quantum quidem ex Annalibus Francicis colligitur, non rediit Haraldus in Daniam poſt annum 828. ſed in Friſia, ubi ei Comitatum, *Riuſtri* dictum (cuius ſitum ex Vbbone Emmio Pontanus illuſtravit,) ſedem fixit. Vitam produxiſſe ad annum uſque 846. Huitfeldius noſter ſtatuit. Quod etſi nulla antiqua auctoritate innixum, [nam Annaliſta, unde deſumſiſſe videtur, quique etiamnum extat, vixit apud nos ſeculo XIV.] nihil tamen non probabile infert. Ita & viſum Torfaeo, cuius argumenta ex Adamo Bremenſi, & Annalibus Fuldenſibus depromta legi poſſunt *Ser. Reg. Dan. pag.* 417. *ſeq.* Godefridus Henſchenius mortuum quoque credidit ante annum 850. *Commentar. ad S. Anſchar. Vit.* §. IX. Idem ex *Annalibus MSS.* obſervavit, Haraldum a Lothario Imp. *Walchram*, ſeu Walacras in Selandia Belgica, aliaque vicina loca anno 841. in beneficium collata obtinuiſſe. Verum quod ſolicite adeo monet Meurſius, ne Haraldus catalogo Regum Daniae inſeratur, (quo Huitfeldium inprimis notat,) ex vulgari illa ſcilicet eſt hypotheſi, quod nulli Saxoni, Erico Pomerano, aliiſve ſimilibus enumerati credantur Reges, niſi qui toti Daniae imperarint. At hanc falſiſſimam eſſe omnes hodie, qui aliquod in his ſtudii poſuere, adgnoſcunt. Regnum, quod in Dania Haraldus habuit, & cuius gratia cum Godefridi filiis certabat, Iutiae tantum fuit, inſularum per iſta tempora imperium, cum Scania, & Hallandia, tenentibus *Sigvardo Anguioculo*, eiuſque filio *Horda Cnuto*, vel eorum nomine *Gormo Rikio*, h. e. *potente*, *Cnuti* filio. Vid. Torf. *Ser. p.* 401 *&* *p.* 403. *ſeq.*

(b) *Anſchario adiuvante*] Hic nihil adnotamus, cum *S. Anſcharii Acta*, ex editionibus Petri Lambecii, Claudii Arrhenii, Io. Alb. Fabricii, & quae omnibus palmam praefert, Godofredi Henſchenii in *Actis SS. ad d.* 3. *Februar.* ſatis nota ſint, in quibus & varia de Haraldo noſtro.

(c) *Sive Ivarum adpellare*) Vtroque modo, *Ingvar*, & *Ivar* nomen eius ſcribitur in Chronicis, & Annalibus Anglorum. Ioan. Wallingford tamen *Igguar* habet. Saxo, & Iſlandi *Ivarum* conſtanter vocant. Hodie diverſa habentur nomina *Ingvardus*, & *Ivarus*.

(d) *Anno Chriſti* DCCCXXXVI.) Vnde hanc temporis notationem Meurſius, aut eius auctor habuerit, neſcio. Suaningius iunior, qui *Chronologiam Danicam* multis a Meurſii obitu annis edidit, Regneri Lodbrogi mortem refert ad ann. 841. Hvitfeldius ad ann. 865. quod poſterius propius vero exiſtimandum, hoc ſcilicet ſuppoſito, ut haud magnus ille Rex *Lodbrogus*, Sigvardi Ringi filius, ſed iunior eiusdem adpellationis Regulus, vel pirata, (Ingvari, Biornonis a *ferrea coſta* dicti, & plurium filiorum pater,) intelligatur. Hic ſane, quantum ex Anglorum ſcriptis colligitur, obierit circa tempus a Hvitfeldio notatum, cum Ingvari prima in Angliam exſcenſio circa annum 867. aut, ſecundum Ranulphum Higdenum, ipſo anno 865. contigerit. Notavit etiam nuperus Anglorum Hiſtoricus Rapinus, Chronologiae Meurſii repugnare hoc loco Anglorum Chronica.

(e) *Nam quod Romanor. copiis*) Per Romanos hic intelliguntur Galli, quibus adiuvantibus Hella Danos expulerat. Vid. ſupra Meurſ. *Col.* 110. a. Gallos enim ſic nonnumquam adpellari, norunt in medii aevi auctoribus verſati.

(f) *Aquilam dorſo inſculpi*) Saxonis verba ſic habent: *Comprehenſi* [Hellae] *dorſum plaga aquilam figurante adfici iubent, ſaeviſſimum hoſtem atrociſſimi alitis ſigno profligare gaudentes*. Miror ergo, voluiſſe hic Meurſium ſupra Saxonem ſapere, in reddenda ratione ſupplicii plagae aquilinae, ac de Romanis aquilis cogitare ob Gallicana iſta auxilia in Angliam miſſa. Verum quid ſit *aquilam dorſo inſculpere*, docuit ad Saxonis locum Stephanius his verbis: „ Apud Anglos, Danos, aliaſque nationes boreales, victor ignominia ſumma debellatum adverſarium adfecturus, gladium circa ſcapulas ad ſpinam dorſi adigebat, coſtaſque ampliſſimo per corporis longitudinem facto vulnere, utrimque a ſpina ſeparabat; quae ad latera deductae alas repraeſentabant aquilinas. Hoc genus mortis vocabant *Aquilam in dorſo alicuius delineare*. Gloſſarium Islandicum MS. eiuſmodi vulnus, ſeu plagam *Blodorn* (h. e. *Aquilam cruentam*) ſive *Blod-Hugle* (h. e. *Vlulam cruentam*) dictam teſtatur. Sic in *Hiſtoria Ormeri* legitur: *Ormerus evaginato gladio in dorſo Bruſi aquilinam inflixit plagam, ſeparatis a dorſo coſtis, & pulmonibus extractis*. „ Auctor *Ragnari Hiſtoriae Island.* ſaepe nobis allegatae, *cap.* 21. non aquilae, ſed *colubri figuram* Hellae dorſo, quam altiſſime impreſſam ſcribit, virumque operi adhibitum, *qui pungendis mucrone vulneribus probe adſuetus* erat, *vulnera plurima Regi inflixiſſe, antequam eadem in habitum ſerpentis figurare poſſet*. Hoc modo fratres caedem patris Regneri, per *ſerpentes* factam, ſe probe ultum iviſſe exiſtimabant.

Ceterum *Hellam* ſcriptores Anglici nullo eiuſmodi ſupplicio peremptum dicunt, ſed tantum in praelio cecidiſſe. Et quod Rapinus *Tom. I. pag.* 298. ſcribit, quoſdam narrare, captum fuiſſe ab Inguaro, pellemque vivo detractam, de Danicis Hiſtoricis intelligendum. Suſpicari aliquis poſſet, Saxonem de crudelis necis genere, quo ab Inguaro *S. Edmundus* Rex adfectus fuit, aliquid audiviſſe, & cum Edmundi nomen ignoraret, cuius neque ullo verbo meminit, ad *Hellam* retuliſſe. Contra ea *Catalogus Regum* Lindenbrogianus *pag.* 22. de Hellae nomine tacens, dicenſque tantummodo *duos* ab Inguaro, & fratribus in Anglia *Reges occiſos duoſque fugatos*, haec ſubiungit: *Poſtea Sanctus Edmundus* (ſic) *Rex ab Ingvaro captus, & flagellatus, noviſſime vero decollatus eſt*. Meſſenius ad annum 870. (*Chronolog. Scond.*) *Inguarus S. Edmundo Regi paternam imputans caedem, ipſum in conflictu captum, Scorpionibus immani-*

inter cruciatum tam ingentem exspiraret. Quibus actis, postquam fratres dimisisset, illic mansit, ac biennium totum egit. Quum tumultuantes Dani, Sivardo, & Erico, regio prognatis genere, regnum tradunt, qui auxilia sociorum in Ivarum comparantes, sese muniunt; & Ivarus, eo motu intellecto, advocatis iterum fratribus, & Anglorum magnam secum manum ducens, in Holsatiam exscendit, ubi post semestre bellum, grandi praelio ad Slesvicum depugnatur (a), in quo superati Dani, qui novorum regum partes sequebantur, ad duodecim fere millia cecidere; victorque Ivarus, iam absentiae damnum expertus, ne auderent idem denuo, Anglia Agnero fratri (b) demandata, cum Sivardo item fratre in Dania deinceps mansit. Verum Angli, quum externum dominatum graviter ferrent, ac se rursum commoverent, mox Sivardum fratri laboranti mittit, cuius ope denuo redacta in potestatem Anglia, ne deinde etiam tumultuari umquam posset, maxima crudelitate in omnes usus, pium regem Eadmundum, proceresque regni ceteros, gladio percussos substulit. Quae in Anglia dum geruntur, etiam se movet Svecia, scelere cuiusdam Ostheni (c); & occiso fratre Erico, quum Agnerus huc adcurreret, ac pugnaret imprudentius, circumventus interficitur. Neque multo post Ivarus vita fungitur, postquam regnum annis quinque (d) tenuisset,

SIVARDVS III.

Defuncto Ivaro, in Sivardum eius fratrem (e), Anguioculum cognomento (f) adpellatum, proceres omnes inclinantes, regem quoque ipsum creant. Is, in iuventute acer, & bellandi admodum amans, quum ad regnum pervenisset, animum ad pacem vertit, & tranquillam aetatem egit. Studiumque iuvit Deus, qui amanti pacem dedit, utque ipse neminem bello lacessivit, sic vicissim neque lacessitus fuit. Decedens filium reliquit Ericum (g) adhuc puerum, posteaque successorem.

ERICVS I.

Quum Sivardus decessisset, eius filius Ericus, Barno cognomento (h) dictus, in spem regni alebatur. Sed Haraldi Claghii frater, etiam Ericus (i) nomine, pueri contemta aetate, quum in suam factionem optimates pertraxisset,

maniter caedit, & tamdem occidit. Sed constat ex Abbone Floriacensi, *apud Surium in Vitis Sanctor.* XVI. *Novembris*, Danos eum *telis sagittarum, quasi ludendo ad signum, toto corpore confodisse*, donec *terebratis spiculorum aculeis circumfossus palpitans horreret*.

Velut asper hericius, aut spinis hirtus carduus,
In passione similis Sebastiano martyri:

Tum vero *caput ei amputatum*.

(a) *Ad Slesvicum depugnatur*] Constans quidem fama est, ingens circa haec tempora praelium in vicinia Slesvici habitum, cuius indicio adhuc sunt colles, ibidem conspicui; de quibus fuse agit Cypreaus in *Histor. Eccl. Slesv. & Holst. cap.* 3. & alii. Sed incertum est admodum, hoc ne fuerit praelium, an aliud, cuius ostenduntur vestigia. Potest esse illud anno 814. quo Reginfredus & unus filiorum Godofridi interfecti. Potest etiam esse, quod biennio prius inter Sigefridum, & Annulonem depugnatum: aut denique serius, inter Guttormum, & Ericum, quo universa fere stirps regia ad internecionem caesa. Nihil certi.

(b) *Anglia Agnero fratri*) Angli appellant *Godinum, Guttrunnum, Guttormum, Gytronem, Gurmundum* [hoc est *Gormum*] eum, cui *Ingvarus* discedens regnum demandavit. Hoc ex Bromtono, aliisque pernotum. *Agnerum* apud veteres Anglos nominatum nusquam offendi. Recentiores, si qui habent, sequuntur nostros. Polydorus Vergilius plerumque *Agnerum* pro *Ingvaro* ponit. *Hubonem, & Agnerum*, ubi ceteri *Inguarum, & Hubbam*, coniungens. Verum inter Reges, ducesque Danorum, & aliorum paganorum, qui circa ann. 867. magna classe in Angliam sunt advecti, nullus reperitur *Agnerus*. Nominantur a Dunelmensi, & Westmonasteriensi hi: *Halfdanus*, vel *Haldene, Inguar, Hubba, Beicgsecg, Guthrum, Oscytellus, Amundus, Sidrac senior, Sidrac Iunior, Osoern, Francus, Haraldus*. His addit Ranulphus Higdenus *Regem Danorum Osric*, ad ann. 871. Vid. & *Chron. Saxonic.* ad ann. 871. & 875.

(c) *Svecia, scelere cuiusdam Ostheni*) De bello isto Svecico contra Eystenum (sic enim vocatur) gesto a filiis Regneri Lodbrogi Regis, longam narrationem habet eius *Historia* Islandica saepe laudata a *cap.* 9. ad 12.

(d) *Ivarus vita fungitur, postquam annis quinque*] Si credendum Ioanni Wallingford [*pag.* 535. *edit. Tho Gale*] haud dubie ab antiquioribus rem edocto, a Northumbris Ingvar fuit interfectus. Contra Islandi, non solum in fabulosa *Ragnari Historia*, sed etiam in *Vita Olavi Tryggvini*, senio in Anglia mortuum esse, ibique tumulatum scribunt. Praeterea de Ivaro isto notandum, quod *Exos*, vernacule *Beinlausi* (hodierna dialecto *Been-los*) cognominatus sit, ex eo quod in corpore eius ossium vices cartilago continua per universam corporis compagem suppleret.

(e) *Siguardum eius fratrem*) Hoc *Sigvardi* nomine, vel (ut Norvegi, & Islandi semper scripsere) *Sigurdi*, filium habuit vetustus Ragnarus Lodbrog *seculo VIII*. Danorum Rex. Isque *Sigvardus*, cognomento *Anguioculus* (Islandice *Orm i auga*, Danice *Snog-Oie*) praecipuus suo tempore Regum Danicorum fuit, insulis Danicis, Scaniae, Hallandiaeque imperans, ab anno 790. (vel aliquanto serius,) ad annum 820. *Sigefrido* interim, *Godefrido, Emmingo*, eorumque successoribus regnum Iutiae illius beneficio tenentibus. Dum vero hi continuis fere bellis, externis internisque distinebantur, suas *Sigvardus* provincias pacifice administrabat. Sed qui Angliam invasit *Ingvar*, filius Lodbrogi iunioris, neque Regio apud Danos titulo fuit, etsi eum catalogo Regum nostrorum inseruit, exemplo Erici Pomerani, Meursius, neque fratrem reperitur habuisse, *Sivardum* adpellatum.

(f) *Anguioculum cognomento*) Saxo rationem, & originem cognominis docet *pag.* 170. quod scilicet, cum aeger ex vulnere in pugna accepto decumberet, *lectulum accedens vir stupenda magnitudine, pupillas eius pulvere quodam perfuderit, qui maculis repente coortis eximiam vermiculorum similitudinem oculis ingeneravit*. Islandica *Ragn. Lodbrogi Historia* aliunde arcessit, dicens, matrem huius Sigvardi filiam fuisse celeberrimi herois *Sigurdi Fafnericidae*, generisque sui nobilitatem, ut probaret, praedixisse marito suo Regnero, apparituram serpentis imaginem in oculis partus, quem utero ferret, stirpis evidens argumentum, a *Sigurdo* nempe, immanis serpentis, *Fafneris*, occisore derivatae; moxque filium, serpentis imaginem oculis referentem, enixam, dictis fidem fecisse. Verum ne cunctos Islandicae gentis homines credas fabulis delectari, audi sententiam Arngrimi Ionae, ex *Crymogaea* sive *Rerum Islandicar. Comment. lib.* 2. *pag.* 150. „ *Sigvardus*, inquit, *cognomine ὀφιώδης, quem sic dictum a circumspecta prudentia arbitror. Angues* „ *enim acute vident*. Quod veteres quidam forte non animadvertentes, aliam cognominis rationem finxerunt. „ Haec Arngrimus.

(g) *Filium reliquit Ericum*) Errat omnino Saxo, & cum eo noster, ac plures. Filius *Sigurdo Ragnaridae* seu *Anguioculo* fuit *Horda-Cantus*, de quo postea ad *Col.* 121. b. nonnulla referemus. Quis autem pater *Erici* fuerit, iam iam dicetur.

(h) *Barno cognomento*) Plane inusitatae formae est vocabulum *Barno*, & a Meursio confictum. *Barn* vox Danica est, puerum significans. Hoc autem cognomento *Pueri*, non Ericus I. insignitus fuit, sed eius successor *Ericus II.* ob causam a nostro (*Col.* 124 b.) indicatam.

(i) *Haraldi Claghii frater, etiam Ericus*] Haec, & sequentia, quatenus huic fundamento superstruuntur, meram confusionem spirant, turbasque in historia nostra pariunt, similes propemodum eis, quae modo in Regnero Lodbrogo patientiam nostram exercuerunt. Non fuit *Ericus Puer*, quem inepte Meursius *Barnonem* vocat, Rege aliquo *Sigvardo* nomine, sive *Anguioculo* illo, sive alio, genitus. Non eius tempore in Dania regnum aliquod occupavit, aut obtinuit Haraldi, dudum eiecti, frater, nostris *Ericus*, exteris *Roricus* adpellatus. Nullo quoque idoneo auctore constat, eumdem Haraldi fratrem Ecclesiam afflixisse, cultumque idolorum reduxisse. Vti nec de stupendis expeditionibus, quas obiisse hic dicitur, Saxonica scilicet, Anglica, Gallica, quicquam memoratum invenies. Qui enim illas susceperunt, aliis, ut postea ostendemus, auspiciis regebantur. Denique ille, cui *Guthormus* bellum intulit, multis hominum millibus omnique fere stirpi Regiae funestum, diversus ab *Haraldi Claghii* fratre fuit. In tot autem devia, & errores Meursium illa Saxoni, & Suaningio seniori suo addicta abripuit veneratio. Neque ex iis quisquam se extricabit, cui non, hac in parte historiae nostrae, Saxoni, ceterisque domesticis prae-

let, regnum occupat, anno Christi, ut quidam volunt, DCCCXLVII. vel ut alii DCCCLVII.[a] Vbi regnum adeptus fuit, memor, pulsum fratrem Haraldum, postquam fidem Christianam amplexus esset, odium religionis[b], quamquam huic etiam Moguntiae cum fratre suo initiatus, magnum cepit; &, doctoribus interfectis, rursum subditos ad antiquum idolorum cultum adigit. Inde, ut Saxoniam sibi, Angliamque ad rebellionem versam subiugaret, novo foedere cum Norvagiae[c], Sveciaeque regibus inito, horum auxiliis subnixus, maximum exercitum parat, terra, ac mari occupandum. Centum hominum millia commemorantur, navium infinitus numerus. Dividit copias, atque partem in Saxoniam, partem in Angliam, & ex ea in Galliam mittit; ac terrorem cunctis illic regionibus magnum iniicit; dumque foris sic grassatur, domi amplexos fidem Christianam vexat; adeoque sacerdotum ministerium annis circiter septem cessat. Verum Deus, qui in manu sua habet regum corda, tamdem huius quoque flexit; & Ansgarius Bremensium antistes

praeferantur ea, quae ab exteris prostant consignata. Talia vero nobis exhibent *Chronica*, & *Annales* Francorum, Adami *Historia Ecclesiastica*, *Vita & Acta S. Anscharii*, queis adiungere ex Islandis possumus *Vitae Olai Tryggvini* auctorem. Itaque ex istis, quae rectiora discimus, totque falsis, in hunc unum locum a Meursio congestis, merito substituimus, sunt sequentia: Inter *Godefridi* filios, qui sociata cum Haraldo potestate ab anno 819. Iutiae regnum tenebant, unus eminebat, quem exteri *Horicum* nominant. Ita enim Annales Francici. „ Anno 827. Imperator duobus conventibus habitis, uno apud „ Noviomagum, propter falsas *Horici*, *filii Godefredi* Regis Da„ norum, pollicitationes, quibus se ille ad Imperatorem ventu„ rum promiserat. „ Eundemque *Horicum* postea solum totius Iutiae arbitrium consequutum esse, fratre (altero Godofredi filio) ut videtur, mortuo, Haraldo vero extorre, idque ante alteram S. Anscharii legationem Danicam, docet nos Rembertus *cap.* XI. confirmantque amplius *Annales* Francici, de *Horici* solius (quem & interdum *Oricum* scribunt,) haud infrequentibus missionibus ad Imperatorem loquentes, videlicet annis 831. 836. & 839. nec non trium Ludovici filiorum ad eum anno 847. Porro meminerunt eius *Annales* Bertiniani ad annos 850. & 854. atque hunc posteriorem annum fatalem *Orico* extitisse dicunt. Ergo nulla est ratio dubitandi, quin ille in Regum Danorum serie *Ericus*, qui *Primus* vulgo audit, vere fuerit Godofredi filius, victor, expulsorque *Haraldi*, non vero huius frater; quemadmodum post Saxonem hucusque perperam crediderunt Crantzius, Hvitfeldius, Andreas Velleius in *notis ad Adamum*, Pontanus, Meursius, Cypraeus, alii. Inter septentrionales autem scriptores unus, quantum novi, *Vitae Olavi Tryggvini* auctor hunc Haraldi successorem recte vocavit, non fratrem, sed cognatum eius, *Harekr fraendi hans*, h. e. *Hericum cognatum suum*. Nunc de fratre Haraldi quid quantumque constet, audiamus. Is constanter in Francorum monumentis *Roric*, vel *Roruc* nuncupatur. Adamus tamen Bremensis *Horic*, sicut illum alterum, vocat; & *Vitae Tryggvini* auctor *Harecum*, quod nostratibus *Eric*. Vtrique, & Adamo; & Islando huic, idem est, qui cum Haraldo fratre baptismum Moguntiae accepit. Fratris quoque fatum sequutus, in exilio videtur post ann. 827. vixisse, sine dubio in Frisia, & vico Dorestadio, ubi Haraldus beneficio Caesaris sedem habuit. Neque aliquid de gestis ab eo rebus invenio, viventibus Haraldo fratre, & Ludovico Pio Imperatore. Sed defuncto illo, tandem ad annum 850. Annales Metenses, & Fuldenses haec exhibent; „ *Roruc*, qui cum „ fratre Harialdo vicum Dorestadum iure beneficii tenuerat ab „ Imp. *Ludovico*, post obitum Imperatoris apud *Lotharium*, qui „ patri successerat, proditionis crimine falso, ut fama est, insi„ mulatus, tentus, & in custodiam missus est. Vnde fuga lapsus, „ ad Regem Ludovicum confugit. Quumque per aliquot annos in„ ter Saxones, qui confines Normannis sunt, maneret, collecta „ Danigenarum non modica manu, coepit piraticam exercere, & „ loca regni *Lotharii*, quae sibi erant viciniora, vastare. Venit„ que per ostia Rheni fluminis Dorestadum, & occupavit eam, „ atque possedit. Et cum a *Lothario* sine periculo suorum ex„ pelli non posset, consilio suorum legatis mediantibus in fidem „ receptus est, ea conditione, ut tributis, ceterisque, negotiis ad „ Regis aerarium pertinentibus fideliter inserviret, & piraticis Danorum obviando resisteret. „ Annales autem Bertiniani ad eumdem annum, dum eadem paulo succinctius narrant, aliqua simul adiecta habent, nonnihil lucis afferentia. Totus locus sic habet: *Orich Rex Normannorum* (hic *Ericus I.* est, filius Godefridi) *impugnantibus sese duobus nepotibus suis*, (scil. fratrum alicuius tum defuncti filiis,) *bello impetitur. Quibus partitione regni pacatis, Rorich nepos Herioldi, qui nuper a Lothario defecerat, assumptis Nortmannorum exercitibus, cum multitudine navium, Fresiam, & Batavum insulam, aliaque vicina loca per Rhenum, & Vahalem devastat. Quem Lotharius cum comprimere nequiret, in fidem recepit, eique Dorestadum, & alios Comitatus largitur*. Videmus hic *nepotem Haraldi* dici, (*fratris filium* interpretor; (qui apud alios *frater Haraldi* fertur. Resque in incerto est etiam apud septentrionales Scriptores, cum eum unus codicum *Vitae Olavi Tryggvini* itidem *fratre* Haraldi genitum faciat, teste Torfaeo *pag.* 405. Associatur deinde *Godefrido* iuniori, Haraldi filio, qui ipse a pacificatione cum Lothario „seorsus aliquamdiu egit, & assumtis Normannorum copiis, per Sequanam adscendens, Caroli regnum praedabatur: & Carolus primum quidem Lotharii fratris auxilium advocavit, sed *mox mutato consilio*, *Codefridum cum suis in societatem regni recepit*, & *terram eis ad inhabitandum delegavit*: ut claris verbis commemorant Annales Metenses. Ceteri Normannorum, seu Danorum, ab utroque Rorico, & Godefrido) separati, *Menapios*, *Tarvisios*, *aliosque depraedabantur*; *pars Britanniam insulam impetebant*, testantibus Annalibus Bertinianis ad eumd. annum 850. De *Godefrido* deinde Bertiniani ad an. 852. haec: *Godefridus*, *Herioldi Dani filius*, *qui quondam sub Imperatore Ludovico Maguntiaci fuerat baptizatus*, *a Lothario desciens ad suos se confert*. „ Vnde conrogata manu va„ lida, Fresiam cum multitudine adgreditur. Deinde vicina Scal„ dis fluminis ad postremum ingreditur, &c. ac tandem an. 853. „ Carolo *quibusdam pactionibus* conciliatur. „ Ita vero, in Fresiae, Belgii, & Galliae oris grassantes *Roric*, & *Godofredus*, procul a patria etiamnum an. 854. videntur abfuisse, quo illud in Dania celebre, & *Orico I.* ac tot sanguinis Regii Principibus praelium depugnatum. Ceterum ad huius famam versus patriam tendunt, spe adicendendi solium iam vacuum. Annal. Bertin. ad ann. 855. *Lotharius totam Fresiam filio suo Lothario donat. Vnde Roric, & Godefridus patriam, idest, Daniam repedant, spe potestatis Regiae nanciscendae*. Interim in irritum tunc spem illam cecidisse declarant quae sequuntur, in eiusdem anni conclusione: *Roric & Godefridus, nequaquam arridentibus sibi successibus, Dorestado se continent, & parte maxima Fresiae potiuntur*. At biennio post res eousque successit, ut *Roricus* in exiguam regni partem admitteretur, de quo in Annalibus Metensibus, nec non Fuldensibus, a P. Pithaeo evulgatis sic proditum, ad ann 857, *Ruoruc Nordmannus*, *qui praeerat Dorestado*, *cum consensu Domini sui Lutharii Regis classem duxit in fines Danorum*, & *consentiente Horico Danorum Rege*, *partem regni*, *quae est inter Mare*, & *Egidoram*, *cum sociis suis possedit*. Nimirum ille *Horicus*, a quo *Roric* partem regionis, hic memoratam, obtinuit, revera *secundus* nomine fuit, *Horici* (vel *Erici*) *primi*, an 854. in memorabili praelio interfecti, filius, & *Godofredi senioris*, qui ann. 810. periit, nepos; is denique ipse, qui solus a funesto praelio superstes, *Barn*, vel *Puer* nostratibus adpellatus fuit, quando in paternum solium evehebatur. Adeoque insignis est error, qui hucusque obtinuit, *Ericum Puerum* Siguardo Rege genitum pronunciare.

(a) *Vel ut alii* DCCCLVII.) Hic annus, quemadmodum iam vidimus, recte adsignatur tempori, quo *Ericus* (vel *Roricus*) *Haraldi*, vulgo *Klackii* cognominati, frater, particulam illam regni inter Mare, & Eidoram ab Rege *Erico*, non I. sed II. consequutus est.

(b) *Odium Religionis*) Nullus video, quo auctore id confirmari queat de Haraldi fratre. Equidem credam, haud multum felicem, & tranquillum fuisse Ecclesiae statum in parte illa, quam ab anno 857. insidebant Roric, Godofredus, & socii. De *Horico I.* Godofredi filio neque omnimodo res vera. Is numquam Religioni Christianae initiatus fuit, & tamen aequum se eius cultoribus aliquamdiu praestitisse *S. Anscharii Vita* loquitur. Concludo igitur, Saxoni hoc imputandum commentum, duorum Ericorum I. & II. facta confundenti.

(c) *Novo foedere cum Norvagiae &c.*) Hoc de foederibus, & quod sequitur de maximo belli adparatu, atque longinquis Erici I. expeditionibus, non quidem Saxoni Grammatico Meursius acceptum fert, sed partim Pseudo-Erici Pomer. Chronico, partim Suaningio seniori. In priori haec leguntur „ Iste (*Eri*„ *cus*) mox, ut regnum accepit, Ecclesias claudi iussit, sed „ & omnes Ecclesias Franciae, Angliae, Lotharingiae, Teuto„ niae, cum Episcopis, & Clero truncatis, succendit, & de„ struxit. Huius etiam tempore *Rollo* Dux Danorum Franciam „ intravit, & Carolum Regem Franciae compulit dare sibi „ terram, quae nunc Normannia dicitur. „ Quasi hoc, scilicet posterius de *Rollone*, tempore huius *Erici I.* factum esset, atque hic ad ann. usque 876. vitam produxisset, quem non solum exteri, sed & nostri scripsere ann. 854. in pugna cecidisse. Suaningius vero, quum in exterorum Chronicis legisset multas illas, & terribiles Danorum per meliorem Europae partem grassationes circa haec tempora invaluisse, opinatus est omnes mandatas fuisse a Rege, qui tum Danis imperabat, eiusque auspiciis effectas, haud satis animadvertens, longe alium regni statum, alios quoque Prin-

cipum,

stites, qui in Daniam pridem venerat, Herimbertum (a), & Gaudbertum secum ducens, quum Ericum antea Moguntiae cum fratre Haraldo sacris item Christianis imbuisset, revocata eius temporis memoria, suada mox oratione, & salutari animum ad pietatem, quam exuerat, postliminio reducit. Itaque rursum idolorum cultum abolet; &, edicto promulgato, si quis fidem Christianam amplecti vellet, id cuique liberum statuit [b]; neque pauci, falso idolorum cultu abdicato, sacro tunc lavacro tincti; quin Ericus promovendae pietati, aedem sacram (c), quam Slesvici Haraldus frater pridem struxerat, & everterat Regnerus, denuo condit, ac doctori pietatis Christianae Ansgario dicat. Inter quae religio dum Christiana efflorescit, & Ecclesia incrementa in dies maiora capit, quum Ericus animum ad pietatem sine fuco adplicaret, Deus, ut iudicia eius sunt interdum admiranda, quamvis tamen iusta semper, quum exigere regni per vim occupati poenas vellet, Guthormum contra eum concitat, fratris filium (d); qui contendens, suum potius, & Barnonis regnum esse, bellum movet; ac Guthormus ideo plebi gratus erat, quod non tam privatim suam, quam Barnonis causam (e) ageret, ideoque pertrahi in patruum se passus esset. Itaque, qui in iustitiam propendebant, vim Erici detestantes, in Guthormum inclinabant: qui Haraldo nuper in Regnerum adhaeserant, loco moti, ut erigere se possent, pristinamque dignitatem reparare, hi Ericum, ac praesentem regni statum tuebantur. Itaque in hoc dissidio unusquisque, quo abripiebat impetus, ferebatur; nec plebs tantum dissidebat, sed & procerum animi dividebantur; ut fortunam cogitarent potius Erici regis, in qua publicam salutem, aut perniciem positam existimarent, quam in puerum respicerent. Verum Deus, qui largitur regna quaeque, adimitque pro arbitrio, uti puero solium paternum redderet, perinique interceptum, partis utriusque duces, acri praelio ad Slesvicum concurrentes, cum suorum infinita multitudine, simul tollit. Fuit clades illa sane omnium maxime memorabilis, ceciditque

cipum, civiumque mores, piraticis istis, & latrocinalibus seculis, quam postea, in his terris obtinuisse. Quis enim ignorat, plerasque illas excursiones a regii sanguinis Principibus, quibus vel nulla vel angusta admodum regni portio obtigerat, gloriae, ut persuasum habebant, & praedae acquirendae causa institutas, ad quas facile ipsis erat ingentem indigenarum numerum, simili gloriae, & praedae cupiditate incensum, sibi adiungere? Vti vero haud necesse erat, ut eiusmodi expeditiones Rex mandaret, ita neque expediebat Regi, multum eisdem intercedere, aut resistere, in natione praesertim, nimia foecunditate sua, & incolarum multitudine laborante; cui aliquantum exhauriendae, nec non Regiae domui a factiosis Principibus liberandae talia identidem remedia esse poterant salutaria. Talium excursionum duces & ipsi Regum gerebant nomina. *Hist. Olavi Tryggvini: Consuetum*, inquit, *erat piratis, si Regum filii militiae praeessent, ipsos Reges nominare, etiamsi regnis carerent.* Nonnumquam dicebantur *Herkonungar*, h. e. *militares Reges*; atque si mari rem gererent, *Saekonungar*, h e. *maris Reges*. Snorro Sturlaeus: *Eo tempore Reges Dani, & Norvegi Sveciam valde infestarunt; multi enim Reges maris erant, qui ingentibus copiis praeerant, terris carentes. Ille summo iure* Regis maris *adpellationem mereri videbatur, qui sub fuliginoso ligno numquam dormiverat, neque ad focum umquam poculis indulserat*. Hinc factum est, Danis adsidua infestatione Angliam, Hiberniam, Galliasque ad internecionem fere vastantibus, *quod tot Regum nomina occurrant, cum ex Regibus Danicis descendentes, eas ducerent copias; quos, qui pro lubitu in legitimam Monarcharum Daniae Seriem induxerunt, discrepantiae, & adparentis in ea confusionis rei arguendi*; verba sunt Th. Bartholini *lib. 2. de causis cont. mortis cap. 9.*

Interim videndum, quae, & quanta omnino pars expeditionum, quarum hic meminit Meursius, vel *Horico I.* Godefridi filio, vel *Rorico*, seu *Horico*, Haraldi Clackio fratri, adscribenda sit. De priore utique manifestum, multas eo regnante a nostratibus in Angliam, & Scotiam, inque Flandriae, Germaniae, Galliae, Hispaniaeque oras excursiones mari factas, variis sub ducibus, quorum recensere nomina longum foret. Neque nullas videtur ipse obiisse, cum & talis nobis describatur, qui pacem, & tranquillitatem, sepius Imperatori, & Germanis promissam, identidem infregerit. Cuius rei varia extant documenta in Annalibus ab anno usque 835. ad 854. quo Horicus iste periit. Ad annum 836. legimus: „ Eodem tempore Nordmanni Dorestatum, & Fresiam rursum depopulati sunt. Sed & *Horic Rex Danorum* perlegatos suos in eodem Placito amicitiae atque obedientiae conditiones mandans, se nullatenus eorum importunitatibus assensum praebuisse testatus, de suorum ad Imperatorem Missorum interfectione conquestus est, qui dudum circa Coloniam Agrippinam quorundam praesumtione necati fuerant. Quorum necem etiam Imperator, missis ad hoc solum legatis, iustissime ultus est. „ Ad annum 838. „ Attiniacum Missi *Horich* venientes, piratarum in nostros fines irruentium maximos a se ob Imperatoris fidelitatem captos, atque interfici iussos retulerunt, petentes insuper sibi dari Frisianos atque Abodritos. Cuius petitio quanto Imperatori indecens, atque incongrua visa est, tanto vilius spreta, & pro nihilo ducta est. „ Ad annum 845. „ Nortmannorum Rex *Oricus* sexcentas naves per Albim fluvium in Germaniam adversus Hludovicum dirigit. Quibus Saxones occurrentes, commisso praelio, Domini nostri Iesu Christi auxilio victores efficiuntur. Ac denique ad annum 847. „ Hlotharius, Hlodovicus, & Carolus ad *Oric* Danorum Regem destinant, mandantes, ut suos Christianorum infestationibus cohiberet; sin alias, bello se impetendum nullatenus dubitaret. „ Sed, ut superius dixi, ceterae, quae omnibus istis annis leguntur vestationes factae a Normannis, in Belgio, Galliis, Hispania, Anglia, alibique, neutiquam ad *Horicum I* illum referendae, ex eo, quod ipsius regni tempore acciderunt. In libro *Miraculorum S. Germani*, (ex quo *excerpta Aimoini* habentur in Du-Chesne *Tom. II.*) narratur de *Ragenario*, Duce Normannorum, qui urbem Parisiorum, cum armata suorum multitudine ingressus, monasteria aliaque loca sacra vastarit, eaque cum facinora in patria, coram Rege suo *Horic* (alii eandem historiam narrantes *Roric* vocant,) iactaret, divinitus saevo correptus morbo, conciderit prope exanimis. Attamen inde haud concludetur, auspiciis aut mandato *Horici* illa perpetrata, *Ragenarium* illum fratrem fuisse Horici suspicatur Godofredus Henschenius *Act. SS. Febr. T. I. pag.* 399. quod ut incertum, ita nec improbabile. Sed quia Rex ille, cui facta sua iactabundus exposuit, in quibusdam libris *Roric* vocatur, persuaso Torfaeo fuit, intelligi *Roricum, Haraldi* quondam Regis, *Klackii* vulgo dicti, fratrem, *Ser. Reg. Dan. pag.* 319. Ego, ut infirmum nimis argumentum a tempore, & adpellatione duci existimo, quum multis eodem temporis tractum communia esse nomina *Horici*, & *Rorici* potuerint, ita quod tunc in Gallia fuit gestum, in *Roricum* Haraldi fratrem nequaquam convenire arbitror, ubi ea, quae postea in Annalibus ad annum 850. de ipso narrantur, (supra a nobis citata,) probe considerentur. Atque haec sufficere posse credam ad praesentem locum: in quem omnia congerere velle, quae ad Danorum, seu Normannorum excursiones, & crudelia in exteris regnis facinora spectant, queisque tot monumenta sunt refertissima, ingratus, meo iudicio, labor foret; iustam tamen Historiam scribenti haud defugiendus. Qualem qui in hac parte desiderat, adeat vel Hvilfeldium, vel potius Pontanum nostrum, in *Historia Erici Barn.* a *pag.* 103 ad 114.

(a) *Herimbertum*) Voluit forte *Rimbertum* dicere, vel *Rembertum*, optimum antistitem, gente Danum. Quamquam & *Erimbertum*, Gaudberti cognatum, alterius in Sveciam profectionis suae comitem habuit Anscharius, eumque Ecclesiae ibidem praefecit. Vid. Enschen. *Comment. pag.* 41. b.

(b) *Id cuique liberum statuit*] De Erico I. id confirmat *Vita S. Anscharii cap.* 21.

(c) *Aedem sacram, quam Slesv.*) Vid. quae supra de ista aede observavimus.

(d) *Guthormum, fratris filium*) Vocant itidem *Horici*, *fratris filium* Annales Francici, adeoque hi duo communem avum habuerunt *Godofredum* olim Regem. Annales Eginhardi, & Fuldenses *Gudurm*, Metenses *Guturm* scribunt. Torfaeus in Islandicis *Vitae Ol. Tryggvini* Codicibus unum offendit, qui *Guthornum* Erici *Avunculum*, alterum, qui fratres eos faceret. Godofr. Henschenius coniicit, sed dubitanter, fuisse Guthormum filium Ragnerii eius, qui Parisios, & S. Germani Monasterium vastavit anno 845.

(e) *Quam Barnonis causam*) h. e. quam *Erici Pueri*, Sigvardi, ut supponit, filii. Merum Saxonis commentum.

non dumtaxat maxima pars incolarum huius regni, & nobilitas potiſſima, ſed proſapia (a) quoque regia, quae Regnero, filiiſque eius genita, magnum in numerum excreverat univerſa, ut reſtaret plane nullus praeter hunc Sivardi filium, cui ſolium parentis reddere Deus conſtituerat. Tanta vero eius pugnae ſtrages fuit, ut indigenarum plures cecidiſſe, quam ſuperfuiſſe tradant.

ERICVS II. cognomento BARNO.

Deleta eo, ut dixi, praelio ſtirpe regia, filius Sivardi (b) Ericus, eius nominis II. reliquus ex illa ſolus, rex creatur, qui, quod regnum admodum puer poſt parentis ſui mortem accepiſſet, Barno vulgo cognomento dictus fuit. In principio, fidei Chriſtianae (c) adverſus graviter addictos illi infeſtabat; bonis aliquos, quoſdam etiam vita exuens, ac nonnulli ſolum vertere cogebantur. Loca ſacra devaſtabat, quamque aedem Ericus pridem apud Sleſvicenſes ſtruxerat, diruebat (d); quin mittebat & in Saxones exercitum, quod doctrinam admiſiſſent Chriſtianam, & a regno avi tempore defeciſſent. Sed mox, ſanae mentis factus, maxime adnitente Anſgario, ipſe quoque fidem Chriſtianam amplectitur (e), & edicto ſubditos (f) ad idem quoque faciendum adhortatur; tum idola etiam frangit, ac delubra paſſim evertit. Ripis templum inſigne (g) ſtruit, ac conſtituit, ordinante hos Anſgario, qui ubique toto regno verbum Dei praedicarent; tum largitur liberaliter quidquid vitae tolerandae neceſſarium. Tamdem moritur, ut principio hoſtis Chriſtiani nominis ſingularis, ita fine ob inſignem pietatem (h) praedicandus. Obit autem, uti proditum a nonnullis, quum regnaſſet annos ſex & quadraginta (i), unicum relinquens filium, & hunc parvulum.

OLAVS

(a) *Nobilitas potiſſima, ſed Proſapia*) Conſonant plane noſtris Auctores Francici, *Olavi Tryggvini Hiſt.* apud Torf. *pag.* 407 „ Haraldo *Harecus* (h. e. Ericus) cognatus eius ſucceſſit, Iutiaeque praefuit, donec *Guthormus*, *fratris illius filius*, praelium cum eo committeret. - - - Illo certamine uterque eorum caeſus eſt, ceciditque univerſa Regia proſapia, quae iſti bello interfuit. Vnicus ſaltem puer ſupervixit, nomine *Harecus*, qui poſtea Rex factus eſt. „ Annales Fuldenſes, Metenſes &c. ad ann. Chriſti 854. „ Nordmanni, qui continuis viginti annis regni Francorum fines per loca navibus acceſſibilia caedibus, & incendiis, atque rapinis crudeliter vaſtabant, congregati de regionibus, per quas praedandi cupiditate diſperſi fuerant, in patriam ſuam reverſi ſunt. Ibique inter *Horuc* Regem Danorum, & *Gudrum* filium fratris eius, qui hactenus ab eo regno pulſus piratico more vixit, orta contentione, ita ſe mutua caede mactaverunt, ut vulgus quidem promiſcuum innumerabile caderet, de ſtirpe vero regia, niſi unus puer, nullus remaneret. „ Bertiniani Annal. triduanum fuiſſe praelium adnotant : „ Dani inteſtino inter ſe praelio dimicantes, adeo tridui concertatione obſtinatiſſima bacchati ſunt, ut *Orico* Rege, & ceteris cum eo interfectis Regibus, pene omnis nobilitas interierit. „ Vid. & Adam Brèm. *lib.* 1. *cap.* 28. Gualdo Monachus in *Vita Sancti Anſcharii cap.* 71.

„ Contigit haec inter piratas inſidiari
„ Regno Danorum, certamen & inde moveri;
„ In quo confoſſus quoque Rex defecit *Horicus*,
„ Decubuere duces terrae ſimul, atque tribuni. „

Obiter notandus error Pſeudo-Erici Pomerani in Hiſt. gentis Danor. quo *Guthormum* illum *Regem Norvegiae* nominat, in his : *Tunc ortum eſt bellum inter Ericum, & filium fratris ſui Guthorm Regem Norvegiae, in quo tanta caede mactati ſunt utrique, ut vulgus omne caderet, ſed & Reges ambo corruerunt, nec aliquis de ſtirpe regia remanſit, niſi Grici nomine Eric Barn.* Vltima verba, vitium a librarii manu praeferentia, ſic corrigenda cenſuit Cl. Arrhenius : *niſi Ericus cognomine Barn.* Ego mallem : *niſi Erici filius nomine Eric Bar.* Quod in mentem venire doctiſſimo Arrhenio ideo nequivit, quia vulgarem, quam a noſtris hauſerat, hypotheſin, de Sigvardo III. Erici II. ſeu *Pueri* parente, deſerere verebatur. Adoptavit quoque idem Arrhenius Erici Pomerani errorem, quem dixi, de Guthormo *Norvegiae Rege*, haud aliunde, ut puto ortum, quam quia Guthormi exercitus ex Nordmannis conſtitiſſe ſcribitur, vocabulo poſtea, (& ſerius quidem) Norvegis adpropriato, verum prioribus iſtis ſeculis Daniae, Norvegiae, Sveciae incolis communi, maxime vero & frequentiſſime de Danis uſurpato. Vid. Torf. *Hiſtor. Norv. P.* 2. *in Diſſert. de Gaungu-Rolfo*, *pag.* 90.

(b) *Sivardi filius*] Non fuit Sivardi filius, ac ſuperius mihi hoc memini caſtigatum. Huitfeldius dubium eſſe ait, num *Erico I.* an *Sivardo* natus ſit. Meam ego opinionem, quam alias propoſui, fuiſſe *Erici I. filium*, nemini obtrudo; tutiſſimumque fuerit dicere, patrem *Pueri* hodie neſciri. Sufficit unum fuiſſe ex Regibus, horribili illa pugna interfectis.

[c] *Fidei Chriſtianae adverſus*] haec illuſtrat *S. Anſcharii vita cap.* 28. (*in Actis SS. cap.* 14. *n.* 54.

[d] *Aedem ſacram diruebat*] Sed Rembertus loc. cit. dicit tantummodo *Eccleſiam Slieſvici factam claudi iuſſiſſe*. Et mox *eod. cap.* Rex clementior erga Chriſtianos factus, *legatum ſuum ad Epiſcopum dirigit, mandans, ut ſacerdotem ſuum ad propriam remitteret Eccleſiam* : in qua inſuper, *ut haberetur Clocca, conſenſit*. Vnde liquidiſſimum, aedem haud diruiſſe.

(e) *Chriſtianam Religionem amplectitur*) Adamus Bremenſis, & ex eo Albertus Stadenſis hoc adfirmant. Et vetus liber Eccleſiae Bremenſis addit, a S. Remberto baptizatum eſſe. Quae miramur, cum doctiſſimo Henſchenio, nuſquam proferri in *vitis* SS. Anſcharii, aut Remberti. Chriſtianis faviſſe cum *Acta Anſcharii*, tum Nicolai Papae *epiſtola ad Horicum Regem Daniae*, prolata ab Henſchenio *pag* 407. ſatis loquuntur. Quibus addemus locum ex *Capitulis reſponſionum* eiuſdem Papae ad *legationem Salomonis Epiſcopi, miſſi a Rege Hludovico Germanico* (in Baluzii *Miſcellan. Tom. V. pag.* 484.) Ita ille habet „ Pro Rege Danorum, qui vovit votum Deo, & Sancto Petro, gratias agimus eidem Deo, deprecantes pariter, „ ut quod nobis de Cornelio centurione refertur, faciat quoque „ clementer de hoc in proximo nos audire. Cui orationes, & „ eleemoſynae etſi ante baptiſmum non profuerunt ad abluendam impietatem, profuerunt tamen ad cognoſcendam veraciſſimam pietatem. „

(f) *Edicto ſubditos*] Hoc & diſerte Adamus Bremenſ. *lib.* 1. *cap.* 28.

(g) *Ripis templum inſigne*] Non erexit ipſe, ſed tantum facultatem erigendi Anſchario dedit, & locum, ubi Eccleſia fabricaretur conceſſit. Vnde etiam conſtabit, *inſigne* tum temporis Ripis templum conſtitutum? cum neque magnificam aliquam ſtructuram tunc Anſcharium intendiſſe, neque illi ad eam impenſas ſuppetiiſſe veroſimile. Quae ipſa verba fere ex *Commentario* tranſcribimus praeclari Viri Godefr. Henſchenii §. 40. De magnificentia pariter negavit venerandus ſenex D. Petrus Terpagrius, nuper defunctus, in Hiſtoria urbis patriae, quam *Ripas Cimbricas* inſcripſit, *pag.* 76. *Obſtat*, inquit, *primorum Chriſtianorum devotio, qui ut eo citius ſacris ſuis in publico coetu operarentur, maluerunt humili aede contenti eſſe, quam omnino carere. Nullus enim dubito, quin primum illud templum fuerit ligneum. Nec credibile, magnos ſumtus tempore S. Anſcharii fuiſſe impenſos.* Ceterum dubitari quodammodo poteſt, ullane aedificata vel Erici II. vel Anſcharii aetate Ripis fuerit aedes ſacra, licet facultas erigendi data eſſet, & quamvis extructionem quoque eius Adamus Bremenſis (ex praecipiti, ut credo, verborum S. Remberti interpretatione,) aſſerat, maxime, cum anno 857. eam partem regni inter Mare & Eidoram ab Erico II. donatam fuiſſe Rorico, & Godefrido, Haraldi Klakii fratribus, ex aliis monumentis conſtet, ut laudati G. Henſchenii verbis utar. Attamen aedificationem templi Ripenſis Andr. Velleius, & alii referre non dubitarunt ad annum 860.

(h) *Ita fine, ob inſignem pietatem*] Hiſtorici Islandici contra, poſt obitum S. Anſcharii Chriſtianae Religioni renunciaſſe, neque diu exinde ſuperſtitem fuiſſe, tradunt. Vid. Torfaeus in *Ser. Reg. Dan. pag.* 407. *& pag.* 421.

(i) *Quum regnaſſet annos ſex, & quadraginta*) Inchoaſſe regnum anno 856. & regnaſſe annos 45. putavit Hvitfeldius. Ita vero mortuus fuerit anno 901. Sed ſi ab Erici I. caede numeremus, quae cunctorum teſtimonio incidit in an. 854. atque his 46. cum Meurſio addamus, habebimus annum 900. Pſeudo-Erici *Chronicon* ita : *Anno 902. Arnulphus Imperator Danis in Teutonia occurrens proſtravit ex eis centum hominum millia, bello coelitus adminiſtrato. Eodem anno obiit Ericus Barn.* Sed Arnulphi iſti victoriae, (qua, ſi diſſenſiones Analiſtarum, & Chronicographorum ſpectentur, nulla fere incertioris temporis res geſta in hiſtoriis ſe offert,) Annales Fuldenſes, & Metenſes annum adſcribunt 891. in quo etiam anno

O L A V S IV.

Vita sic defuncto Erico, quum Canutus eius filius, per aetatem necdum par regendo esset, inter se dissentiebant regni proceres, cui id deberent tradere, donec ille adolesceret; quumque sorte legi quemdam placuisset, ea in Ennignupum cecidit (a), maxima virtute virum. Sed rex Sveciae Olaus (b), quasi vacuum regnum esset, armis illud occupavit, tenuitque annis quinque, quo exstincto,

S I V A R D V S IV. (c)

eius nepos, tamdem a Danis post quinquennium

anno Pontanus *Erici Barn* historiam concludit. Henschenius in *not. ad S. Anscharii Acta pag.* 407. observat, creditum esse, ultra annum 888. quo S. Rembertus decessit, Ericum II. regnavisse. Claudius Lyschander, & Suaningius iunior in Chronol. Dan. ex coniectura, atque ut sequentibus Saxonis Grammatici Regibus sufficiens inveniant spatium, mortem Erici II. retrahunt ad annum 863. Nobis convenientius existimatur, sequi Islandos, qui S. Anschario haud diu supervixisse scribunt. Atque hoc loco omittere haud possumus animadversionem, quam Cancellario Hvitfeldio acceptam ferimus, de Regibus Daniae, nomen *Erici*, qui gessere. Meminit illustris Vir in historia *Erici Agni* Regis, quem ipse in *Ericorum* serie *quartum* adpellat, inspectas sibi literas authenticas anno 1140. scriptas, in quibus idem iste Rex, tunc vivus, ac praesens, nominatur *Ericus Tertius* conspiciebatur. Vnde concludere licet, isto aevo *Ericum Bonum* nomine eius *primum* Daniae Regum fuisse existimatum, *secundum* vero *Ericum Emundum*, atque antiquos duos, qui seculo IX. florentes, in Francorum Annalib. Actis S. Anscharii, Adamo Brem. &c. memorantur, (& quorum Saxo tantum unum, Sveno Aggonis nullum profert,) vel ignoratos fuisse, vel ideo, quia Iutiae dumtaxat, non autem universae Daniae imperaverant, praeteritos. Pari ratione Canutus Valdemari I. filius, quem nostrates postea scripsere Canutum VI. numquam se ita scribebat ipse, sed Canutum IV. ut suo loco ostendemus.

(a) *Ea in Ennignupum cecidit*] hoc ex Saxone. Sueno Aggonis etiam conditionem Viri designat his verbis: *In cuius* (Kanuti) *pueritia Emmignup, Sialandensis Bondo, custos regni fuit constitutus. Bondo*, vox Danica, colonum, seu agricolam significans. Vid. du-Cange *Glossar.* noviss. edit. in *Bondus*. Messenius aliter & de nomine, & de dignitate eiusdem Viri refert *Chronol. Scond. Tom. I. Ericus*, inquit, *Daniae Rex, de vitae migrans statione, liquit filium Canutum adhuc infantem. Ideo quidam Daniae Princeps religiosissimus*, Helgo *nuncupatus, Anglia posthabita, patriae sibi adripuit gubernationem*. Idem Messenius vicissim *Emmignupum* Sveciae vindicat, ut mox videbimus.

(b) *Sed Rex Sveciae Olaus*) Saxo istum Regem praetermisit, nec verbo eius meminit. Tanta vero *Chronici* Erici Pomerani apud Meursium auctoritas fuit, ut inserendum duxerit. Ita enim illud: *Olaf Rex Sveciae. Iste vi, & armis obtinuit regnum in Dacia, & regnavit v. annis. Huic successit Giurth.* Quod, quamvis Ioanni Magno ignoratum, refertur a Messenio, ad annum 865. *Secundum Helgonem Olaus Sueonum Monarcha, ad fastigium Daniae regium provectus, illo per quinquennium residebat. Deinde filiis illud commendans, Ennignupo, atque Sivardo, in Sveciam recessit.* Fontem, & primum auctorem, si quaeris, habuit Messenius Adamum Bremensem, hic vero, (modo fides haberi possit Monacho, nimis saepe fallaci deprehenso,) Svein Regem. Ita enim Adamus iste *lib.* 1. *cap.* 40. „ Audivi ex ore veracissimi Regis Danorum Sueini, cum nobis stipulantibus atavos suos numeraret: Post cladem, inquit, Normannicam, *Heiligonem* regnasse comperi, virum populis amabilem propter iustitiam, & sanctitatem suam. Cui successit *Olaph*, qui veniens e Sueonia regnum obtinuit Danicum vi & armis, habuitque filios multos], & quibus *Ehnob*, & *Giurd* regnum post patris sui obitum tenuerunt. „ Ab Adamo haud multum discrepat, imo ex eo haec ipsa, uti multa alia depromit, suisque intexit auctor *Vitae Olavi Tryggvini*, persequendo Iutiae Regum seriem hoc modo: „ Post Harecum II. (seu Ericum II. *Sigfrodus*, & *Halfdanus* praefuerunt. Post illos Danis imperavit Rex, nomine *Helgius*. Hic cum *Olavo* Svecorum Rege pugnans occubuit. *Olavus* vero longo exinde tempore Daniam & Sveciam rexit. Post illum regnum in Dania subsceperunt *Gyrdus*, & *Knutus*. „ En vero sylvam observationum! Daniae imperium Rex Svecus invadens, de quo nihil primis historiae sive Svecicae, sive Danicae, auctoribus constitit, Suenoni Aggonis, Saxoni Grammatico, Erico Olai, Ioanni Magno. Suenonis Regis notitia Regum Daniae, modo Adamus recte eam perceperit, aut fideli satis memoriae impresserit, plane discrepans & a Danicis, & ab exterorum omnium monumentis. Pseudo-Erici Regum series ex Saxonis & Adami libris imperite consarcinata. *Heiligo*, cuius virtutes Adamus ex ore Regis Suenonis praedicat, patriam, & conditionem silet, a Messenio ex Anglia evocatus, cuius ille heros principatum tutelae Regis pueri, & vicariae gubernationi patriae posthabuerit. *Ehnob* denique, (postquam illud nomen in Adami codicem pro *Chnut*, aut etiam *Gnub*, librarii culpa irrepsit,) in *Ennignupum* conversus, & colonus noster Sialandicus in Sveciae Regis filium transformatus. Et haec omnia quemlibet historiae nostrae studiosum meris involverent tenebris, nisi clarissimum illud in borealibus rebus accensum a Thormodo Torfaeo lumen eas iam omnes dispulisset. Iubet is *lib.* 3. *cap.* 16. nos attendere ad Adami Bremensis, primi, & unici hic auctoris, duo alia loca, queis obruptam narrationem resumit. Primus *cap.* 44. talis: „ Aliqua vero recitavit nobis clarissimus Danorum Rex, ita rogitantibus; post *Olaph*, inquit, Sueonum Principem, qui regnavit in Dania cum filiis suis, ponitur in locum eius *Sigerich*. Quumque parvo regnasset tempore, *Hardegon* filius *Sueni*, e Normannia veniens, eum regno privavit. Tanti autem Reges, imo tyranni Danorum, utrum simul aliqui regnaverint, an alter post alterum brevi tempore vixerit, incertum est. „ Alter locus est *cap.* 48. „ Apud Danos eo tempore (regnante in Germania Henrico Rege) filius *Hardevvick*, *Guurm* regnavit, crudelissimus inquam *Vermis*. „ In his *primo* fateri videmus Adamum ignorantiam suam, utrum Reges, quos a clade Normannica ad Gwrmum usque, Henrico Aucupi coaevum, enumerat, *simul aliqui regnaverint*, an *alter post alterum brevi tempore* vixerint. *Secundo*, corruptissimae, sive scriptionis, seu lectionis indicia manifesta. Nam *Hardegon*, & *Hardevvick* unum eumdemque Regem designant, vero nomine Harde-Cnutum adpellatum; quippe qui Gormonis pater fuit; hocque extra omnem est controversiam. Quemadmodum & in primo loco non *Ehnob*, sed vel *Chnut*, ex Torfaei sententia, vel *Gnub*, aut *Chnub*, ut modo innuebamus, legendum. *Cnutum* sane aliquem in Iutia regnavisse versus finem seculi IIX. certissimis constat testimoniis. Huiusque nomen fortassis, ab Adamo *Chnut* scriptum, librarius in *Ehnob* mutavit. Sed nec *Gnupae*, aut *Gnubae* nomen ignotum tempore aliquanto posteriore. Gormo enim Grandaevus bello devicisse, inter alios, Iutiae quemdam Regulum *Gnupam*, regnumque eius in potestatem suam redegisse, traditur in *Histor. Olavi Tryggvini lib.* 2. *cap.* 1. Et Henricus Auceps, Germaniae Rex, *Nubam*, [vel, ut in al. Codd. *Cnubam*] Danorum Frisiam incursantium Regem (hoc est, ex piratarum Regibus illis unum) domuit, atque ad baptismum recipiendum coegit teste Witekindo Monacho. Hunc autem *Chiupiam* nominavit Sigeb. Gemblacensis; alii aliter. *Tertio*, memoriae Adami lapsui adscribendum, quod *Hardeknuto* (vel, ut ille vocat, *Hardegoni*) patrem adsignet *Suenum*; quum *Sigvardo* is patre fuerit genitus. *Quarto*, crassissimus est error, credere *Hardeknutum* (quanto vero maior, enumeratos ante eum Reges?) vixisse post cladem Normannicam, cuiuscumque demum Chronologi sententiam in anno cladis eius constituendo sequamur, siquidem *Gormonem Harde-Knuti* filium, iam anno 866. plerisque Daniae Regulis debellatis, monarchiam regni tenuisse, in confesso est. Ipse etiam Adamus adfirmat, *Hardevvicum* (qui est ipse *Harde-Cnutus*) ultimo eorum Regum, quos recenset, regnum eripuisse. Ergo & omnes illi tanto longiore spatio ante Normannicam illam cladem collocandi. His Torfaeus noster argumentis, (paulo a nobis ordinatius, quam ab ipso proferuntur, dispositis,) postquam Adami narrationem, praesertim vero Chronologiam eius subvertit, progreditur ad ceteros, *Vitae Ol. Tryggvini* autorem, & Ericum Pomeranum, simili modo refutandos, *pagg.* 434. *& seq.* rationibus, quibus nunc immorari nihil opus. Tamdem de memoratis Regibus, *Helgio*, seu *Heiligone*, *Olafo*, *Knuto*, *Giurdo*, *Sigerico* sententiam suam aperit his verbis, *pag.* 436. „ Nos *Helgium*, & qui eum apud Adamum, & Olavi Tryggvini vitae auctorem sequuntur Reges, in Horda-Knuti tempora referimus „ (is ab anno Christi 820. ad 840. supremus Daniae Rex fuit;) videturque *Helgius* ille, veterum „ piratarum more, memorati *Horda-Knuti* vel minorennis, vel absentis, ditionem invasisse; devicto forte, vel ex insulis Danicis fugato, qui illius tum tutelam gessit, *Gormo Potente*, Iutiae Regulo. *Helgio* mox supervenire potuit *Olafus*, Sveciae Regulus, (inter Monarchas enim Sveciae id temporis non reperitur,) vel forte pirata; cui *Ehnob* & *Giurd* (*Knutum* & *Geurdum* successisse Adamus *lib.* 1. *cap.* 40. tradit; cum patre autem Olavo simul regnasse *cap.* 44. verius forte innuit. Vltimus *Sigericus*, vel *Siggeir*, quem *Olavo* Sveco successisse, regnoque ab *Hardegone*, vel *Harde-Knuto*, privatum Adamus scribit, ipso fatente, parvo tempore regnavit; adeo ut hac ratione exigua imperii periodus, ab *Helgio* ad *Sigericum*, iuvenili *Harde-Knuti* aetate facile absolvi potuerit. „ Haec Torfaeus.

[c] *Sivardus IV.*] Pariter Saxoni Rex incognitus. Ericus autem Pomeranus nepotem, & successorem Olavi Sveci *Gyurth* adpellat ex *Giurd* scilicet Adami. Anonymi *Histor. compendiosa*

nium, vel ut alii decennium, interfectus. Inter quae quum iam

CANVTVS,[a]

de quo dixi, pubertatem adtigiſset, deſtinatum dudum regnum proceres illi tradidere. Huius tempore patria egreſſi Dani magno numero, Boruſſiam [b], Semigaliam, & Careliam, aliaſque regiones ſibi plures ſubiugarunt. Moritur anno regni undecimo, filios relinquens duos, Suenonem, cognomento Langefodium, & Frothonem, regem poſtea utrumque. Quum initio bonae frugis [c] minime futurus eſse videretur, poſtea tamen ad virtutem ſe convertit, ac cum laude regnum tenuit; ſed infelix ob neglectam pietatem [d]. Huic Frothonem ſucceſſiſse plures tradunt, ſed Anonymo in Hiſtoria Regum Daniae, ante eum

SVENO I.[e]

regnum tenuiſse annis novem perhibetur. Ac ſequutus illum frater

FROTHO VI.

qui ut acer belli erat, ita felix. Angliam, quae rebellabat [f], ad obſequium reduxit, & in ea pietati Chriſtianae nomen dedit; utque Daniam magis quoque ea luce illuſtraret, Romam mittere conſtituit ad Pontificem Agapetum [g], eius nominis II. qui doctores ad erudiendum populum impetrarent; ſed legationem illam immatura mors praeveniens impe-

dioſa a Lindenbrogio edita, *Sivardum Olai filium* hoc loco habet, qui *regnaverit* x. *annis*, *tamdem a Danis interfectus*. Credidit forſan ille, quique eum ſequuntur, *Giurd* corrupte expreſſum ex *Sigurdo*, vel *Sivardo*. Aut forte *Sivardus* erit *Sigerich* Adami *lib.* 1. *cap.* 44 quem *Hiſtoria Olav. Tryggvini* vocat *Siggeir*, Regulorum ultimum, quem *Harde-Knutus* ditione ſpoliavit.

(a) *Canutus*] Hic itidem ad Iutiae Regulos, non ad Daniae Monarchas referendus. Sed nec *Erici*, [vel *Horici*] *II.* filius fuit, quemadmodum ex Saxone, Pſeudo-Erico, aliiſque Meurſius hic docet. Ortum & genus eius refert ex *Olavi Tryggvini Hiſtoria* Torfaeus *Ser. Reg. Dan. lib.* 3 *cap* 14. quod regnante in Iutia poſt medium Seculi VIII. *Gormone*, cognomine *Stulto*, Comes quidam Holſatus, nomine *Arnfinnus*, propriam ſororem inceſto amore complexus, filium ex ea genuerit; ac, ne facinus in vulgus emanaret, infantem recens natum ſervorum ſuorum duobus clam exponendum tradiderit. Hunc autem Gormonis ſervos per ſylvam tranſeuntes inveniſſe, pretioſis involutum pannis, obnuptumque exterius linteo, quod in pectore infantis nodus connectebat, aureos tres annulos complexu ſuo interius abſcondens Delatum ad ſe infantem Gormonem curaſſe enutriri, *Knutumque*, ideſt *Nodum* adpellaſſe, nominis ratione a nodo illo, qui velamini pueri innexus, aureos illos annulos continebat, deducta. De vocabuli quoque cauſa Sveno Aggonis, Saxoni Grammatico coaevus conſentit,, licet aliter hiſtoriam (ſive fabulam) enarrans; neque alio hodie Danico latinum *nodi* vocabulum exprimitur, quam hoc ipſo *Knude*, ſicut Germanicum *Knote* eamdem rem dicit. Sed & *nodus in arbore*, (& qualem Herculis habebat clava) *Knude* noſtris eſt. *Knutum* deinde, ſcribit auctor, a Gormone, poſtquam adolevit, ob ingenii, corporiſque dotes, quibus omnes longe anteiverit, admodum dilectum fuiſſe, quumque improlis Rex Gormo eſſet, filii loco ei habitum. Verbo, puerum iſtum expoſititium ſucceſſorem nutritii in regno factum eſſe, adpellatum inde vulgo ab expoſitione *Fundne Knud*, hoc eſt, *Cnutum inventum*: Vnde, neſcio qua errandi occaſione, ſive per librarium quemdam, ſive alio modo enata, extitiſſe putat Torfaeus nomen illud *Lodne-Knut*, quod Cnuto, Erici II. Pueri (ut volunt) filio rerum Danicarum Scriptores imponunt. Sed *Lodne-Knut* diverſum aliquid ſonat, nempe *Cnutum hirſutum*. Denique non praetereundum, quod de eodem Islandi hiſtorici prodiderunt: Potitum rerum ſumma a Gormonis nutritii obitu, proclamari feciſſe, magna ſe illis munera daturum, qui ſtirpem ſuam, ac parentes, hucuſque occultatos, vere ſibi indicarent. Hos autem quum iidem, qui infantem expoſuerant, ſervi, iam ſenes, indicaſſent, Knutum illos non ſolum libertate donaſſe, ſed & amplis ditionibus praefeciſſe; unde ob tantam in ſervos munificentiam multum ſcilicet invidiae apud alios habentem, *Toraela-Knut*, quaſi dicas *Knutum Servium*, adpellatum. En ergo tria unius Regis huius cognomina. *Fundne-Knut*, Cnutus expoſititius, exque eo corruptum *Lodne-Knut*; Cnutus hirſutus, & *Thraela-Knut*, Cnutus Servius. Ego vero non diffiteor, fabuloſa mihi ſemper illa viſa de *Cnuto expoſititio*; quae Oddus quidam Monachus *Vitae Tryggvini* ſcriptor, ita, ut ante ſe prodita invenit, poſteritati reliquit. Ceterum memorat idem auctor, ſatis glorioſe hunc Cnutum, ſed paucis tantum annis regnaſſe. Torfaei ex calculo *pag.* 403. regnare in Iutia coeperit circa ann. 792. vivere autem deſierit anno 796. ſupremum tunc Daniae imperium tenente *Sigurdo*, vel *Sigvardo Anguioculo*, Regneri Lodbrochi filio; Iutis autem praeter Gormonem, & Cnutum, maiore potentia, multoque ampliore armorum gloria imperantibus *Sigefrido*, & qui ei ſucceſſit *Godefrido*, de quibus ſupra egimus. Ergo, qui hic *Cnuto* a Meurſio, Saxonem ceteroſque ſequuto, locus tribuitur verſus finem Seculi IX. aut poſt illud, haud cum vera Daniae Regum Serie, aut Chronologia conſiſtit.

(b) *Boruſſiam*, *Semigalliam &c.*) Nihil horum in Saxone, ſed Ericus Pomeranus: *Iſte bellicoſus erat multum, & verſutus, & regnavit* XI. *annis. Huius tempore quilibet tertius de ſervis, & hominibus exivit de regno, & venientes totam Pruſſiam, Semigalliam, & terram Carelorum ſubiugaverunt ſibi, & delectati terrarum ubertate, noluerunt redire, ſed ibi remanent uſque in praeſentem diem*. An iſta de *ſervorum* expeditione vetus traditio, ſeu fama aliquid commune habet cum adpellatione *Thraela-Knut*? vel ad eam referenda? Mihi probabilius hoc videtur, quam Islandorum illud de Cnuti in ſervos liberalitate, qui ortum eius indicaverant.

(c) *Cum initio minus bonae frugis*) Saxo: *ex pene deſperato adoleſcente inſperatae probitatis evaſit*.

(d) *Infelix ob negl. pietatem*) Itidem ex Saxone. Et Eric. Pomeran. *Iſte Lothene-Knut*) h. e. Cnutus hirſutus, *Lodne-Knud*) *mortuus eſt paganus*.

(e) *Sveno*) Hoc nomine Regum numerum auxit Meurſius, ex Anonymo a Lindenbrogio edito, apud quem eſt: *Rex Sveno Langefod Canuti filius regnat novem annis*. Cognomen Danicum *Langefod* denotat *Longipedem* μακρόποδα. Vnde vero hunc Regem habuerit Anonymus, neque ſcio, neque multum referre puto. Verum adnotationem expoſcere hic videtur ſingularis illa, & mirabilis noſtri negligentia, numquam fere animum adtendentis ad annorum numerum, quos tot undique conquiſitis Regibus tanta prodigalitate impendit. Vnde quid demum conſequatur, nunc monſtrabimus. *Ericus I.* cecidit in magno illo praelio, quod omnes conſentiunt commiſſum fuiſſe anno 854. *Ericus II.* inde annos quadraginta ſex regnavit, hoc eſt, obiit anno 900. *Olao IV.* anni quinque; *Sivardo* minimum totidem. *Canuto* undecim; *Svenoni* novem tribuuntur; ita ut hac ex computatione, Svenonis obitus in annum 930. incidat. Nunc his adiice viginti illos annos, quos *Frothoni VI.* noſter, & quatuor, quos *Gormoni II.* impertitur; habebis, antequam ad *Haraldum V.* pervenias, annum Chriſti 954. *Haraldum* deinde [qui quamdiu regnaverit non dicit,) excipit *Gormo III. quod aetatem ultra vitae humanae terminum uſitatum produxiſſet*, Grandaevus *cognomento dictus*. Hunc Henrico Aucupi aequalem facit, atque ab eo armis repreſſum adgnoſcit. Ac tamdem Gormonis iſtius filium *Haraldum VI.* ſcribit parenti mortuo ante ſucceſſiſſe, quam *Adelſtanus* Angliae Rex vita decederet. Sed Henricus Auceps certiſſime anno 936. fato functus eſt. Adelſtanus anno 941. diem ſupremum obiit. Haec ſi animadvertiſſet Meurſius, aut annorum in nonnullis Regibus numerum contraxiſſet, aut, quod ſubſpicatum fuiſſe olim vidimus Adamum Bremenſem, multos Regum ſimul, & eodem tempore regnaſſe ſtatuiſſet, aut potius ſequutus exemplum fuiſſet Harnoldi Hvitfeldii, a quo, inter *Ericum Puerum*, & *Gormonem Grandaevum*, vere Henrici Aucupis aequalem, ſolus *Frotho*, poſthabitis ceteris, Rex adgnoſcitur.

(f) *Angliam, quae rebellabat*) Ericus Pomer. *Frothi, Victor Angliae. Iſte* 20. *annis haec duo regna tenuit, & in Anglia fecit ſe baptizari*. Nemini ignoratur, quanta ſeculo IX. fuerit Danorum in Anglia potentia, Northumbriam, Merciam, pluraque inſulae regna longo tempore poſſidentium. Commëmorata etiam nomina inveniuntur Regum, qui iſtic ſummam rerum tenuerunt. Sed *Frothii*, vel *Frothonis* nuſquam, quantum mihi deprehenſum. Nec ideo tamen negabimus, Iutiae quemdam Regulum ſic adpellatum, novas in Angliam copias, in auxilium popularibus ſuis eduxiſſe, contra Alfredum, vel forſan aliquem ſucceſſorum eius, nec non aliquam amiſſorum partem fuiſſe ductu eius recuperatam.

(g) *Ad Pontificem Agapetum*] Agapetus iſte II. Romanam tenuit Sedem ab ann. 946. ad 956. quod quidem Chronologiae Meurſii, cuius modo rationem dedimus, heic ſatis apte congruit, cum ex ea viginti illi Frothonis anni incipiendi ſint ab anno 930. Verum, cui non ſtatim occurrit, Pontifi-

cem

mpedivit. Vxorem habuit filiam Anglorum iregis, Emmam nomine (a), ex qua natus illi Gormo, qui successit. Diem obiit quum viginti annis regnum tenuisset.

Meursii Tom. IX.

cem *Agapetum II.* & *Ottonem I.* Imperatorem una aetate vixisse? Et tamen ab hoc *Frothone*, antequam istud tempus attingamus, terni nobis Daniae Reges, interque eos unus insigniter grandaevus, restant. Quod quum olim animadversum esset, Andreae Velleio, cui Danicam Saxonis Grammatici versionem debemus; emendandum illud censuit in Saxone, adscriptoque ad oram libri *Hadriani* nomine, putavit hoc modo salvam, ac sanam rem fore. Intellexit nempe, notante Stephanio in *notis ad Saxon. pag.* 194. *b*. Hadrianum III. cuius Pontificatus a Cal. Martii anni 884. ad Cal. Iul. 885. duravit. Verum, si refingendus Saxonis locus, cur non potius cogitavit de *Hadriano II.* qui sedere coepit anno 867. quinto post anno extinctus? Scilicet hoc neutiquam sufficiebat numero Regum, qui *Frothonem* praecesserant, & longo singulorum regimini. Claudius Lyschander in *Genealogia Regum Daniae* nomen *Agapeti* retinet, & tamen *Frothonis* annos numerat ab an. 873. ad ann. 889. ubi admodum verisimile est, succurrisse hic ipsi unum, alterumque medii aevi Scriptorum, apud quos *Agapetus* quidam inter *Hadrianum III.* & *Stephanum V.* intruditur, vix tamen unum annum impleturus; sed cui, stante historiae veritate, & temporum, locus esse in Pontificum Serie non potest, ab Onuphrio quoque, Baronio, Papebrochio, aliis reiecto. Ceterum rectissime illi faciunt, qui nihil in Saxone immutatum eunt, quem existimamus neutiquam in *Agapeti* nomine errasse, sed in eo tantummodo, quod, sicut plurimos Regum alios, ita & *Frothonem* Daniae summo cum imperio praefuisse dixerit, ac deinde, quod eum ante *Gormonem Magnum*, seu *Grandaevum* statuerit, quum potius *Gormonis* filio *Haraldo* σύγχρονος sit habendus, Regulorum Iutiae, quos antiquae memorant historiae, postremus. Etenim de hoc ipso *Frothone*, deque ipsius Christianismo, nec non ad *Agapetum* Pontificem legatione perquam luculentus extat locus in *Olavi Tryggvini Vita*, ubi auctor, post brevem de Henrici Aucupis expeditione Danica mentionem, sic pergit: „ Exinde *Huno* Episcopus, (is Adamo Bremensi *Vnni*) *Frodium* Regem, qui „ tunc Iutiam rexit, (in Codice Flateyensi monet Torfaeus „ esse, *qui tunc in Iutia regnavit*,) accessit, eumque cum „ universo populo baptizavit. Tunc reparata sunt templa, quae „ Heidabaei (h. e. Slesvici,) & Ripis desolata fuerant: Tunc „ & Arosiae (h. e. Aarhusii in Iutia) templum aedificatum „ est. Posthaec *Frodius* Romam legatos misit, atque tres in „ Iutiam Episcopos, *Agapiti* Pontificis consilio, consecrari curavit. Haeredus ad sedem Heidabaeensem, Lifdagus ad Ripensem, & Rimbrandus ad Arosiensem consecrati sunt. Acta sunt haec anno a nativitate Domini nongentesimo quadragesimo octavo, regni Ottonis Magni duodecimo. „ In istis omnia, & singula aptissime, pulcerrimeque cohaerere quis neget? ita ut suus Saxoni nostro *Agapitus* salvus maneat, reiecto saltem ad seriorem aetatem, & ad Iutiae Regulorum ordinem Frothone; quem neque in Anglia *solemnibus aquis humectatum*, ut phrasi Saxoniana utar, necesse erit statuere, [nisi primam Anglorum patriam cogitare velis, *Angliam* scilicet Cimbriae nostrae laciniam,] sed fortassis rudibus ibi religionis initiis tinctum. Nec iuvabit auctori nostro Islando, de Frothone narranti, Adamum Bremensem, aut eius sequaces, de Ecclesiis per Ottonem M. institutis in Dania loquentes, nobis opponere: *Islandi enim* (inquit Torfaeus *Trifol. pag.* 49.) *id melius noverunt, sive ex libris, qui postea interiere, sive certioribus relationibus civium suorum, qui tunc in Dania peregrinabantur, inter quos istis temporibus propior Gislius Surinus, qui Viburgi in Iutia catechumenus factus est, quadraginta annis antequam Christianismus ibi publico consensu receptus est.*

(a) *Emmam nomine*) Vnde hoc coniugis Frothonis nomen didicerint Suaningius, & Meursius, mihi incompertum. Claud. Lyschander videtur ignorasse, quum dicit tantum, regia fuisse apud Anglos progenie ortam.

(b) *Gormo Anglicus*) *Gormonis*, *Gormi*, seu *Guthri* adpellatione, aut alia ad eam accedente, non unus Heroum Danicorum in Anglica Historia seculo IX. celebris. Frequens sane mentio eius, qui quum in Angliam cum maxima multitudine adpelleret circa annum Christi 878. immanitate, & gentili superstitione nulli secundus, postea Alfredi Regis persuasione victus, Christo nomen dedit, & cum triginta proceribus Danis baptismum suscepit, *Adelstanus* tunc vocatus. Vid. Wallingford *Chron. pag.* 536. & 538. Ranulph. Higden *Polychron. pag.* 258. Asser. *Annal. pag.* 168. Notantque & Higdenus, & Asserius *pag.* 171. eumdem anno 890. vitam finivisse. Nomen eius scribitur ab Anglis diversimode, *Guttnen*, *Guthran*, *Guttris*, *Gudrum*, *Guthrumnus*, *Guthurnus*, *Gythurnus*, *Gytrus*, *Gurmundus* &c. Verum nomen haud dubie fuit *Guthorm*, quod Dani (utpote contractionis, & celeritatis in pronunciando amantes) efferebant *Gorm*. Torfaeus plerisque

GORMO II.

Anglicus (b) cognomento dictus, quod in Anglia natus esset, postquam patrem obiisse intelle-

M xit,

nominibus terminationem latinam *us* addidit; itaque in eius libris semper fere *Gormus*, quemadmodum & *Biornus*, *Suenus*, *Frodius* &c. Nos in re adeo indifferenti Saxoni usitatas formas retinemus, *Gormonem*, *Suenonem* &c. scribendo. Sed ad *Gormonem* illum *Anglicum* ut redeamus, is, de quo nunc loquuti sumus, Alfredi Regis aequalis, & in Anglia an. 890. mortuus, multo iunior fuit *Gormone II.* Saxonis, cui is *Anglici* cognomen attribuit, & qui Meursio heic describitur. Pertinet hic noster ad classem Iutiae Regulorum, quemadmodum *Frotho* nuper memoratus. Sed, sicut Frotho ad medium secul. X. nobis deprimendus fuit, ita *Gormo* contra ad finem seculi IIX. & initia *noni* elevandus. Certe ex hypothesi Torfaei *pag.* 403. post eum *Gormonem*, qui in Iutiae parte regnavit ab anno 796. ad annum 828. nullus Regum hoc nomine occurrit in monumentis alicuius auctoritatis, & fidei, ante *Grandaevum* illum, *Haraldi Blaatandi* patrem. Eumdem etiam Grandaevum *Gormonem Tertium* adpellari posse facile possumus concedere, quando generatim de Daniae tam Regibus, quam Regulis agitur; sed quum ad distinctionem venitur supremorum Regum, & aliorum, qui beneficiario iure Iutiae, aut eius parti praefuerunt, ad illos quidem solum *Gormonem* ultimum, seu *Grandaevum* referimus, duos vero antiquiores, (illum scil. quem *Gotrici* parentem fecit Saxo, & hunc *Anglicum*) Iutiae Regum classi adscribimus. Sed *Gotrici* (rectius Godofredi dicendi) patrem minime *Gormonis* nomen habuisse supra demonstravimus. Diximus etiam ad *Col.* 87. *a.*) nonnulla de *Gormone I.* Iutiae Rege, & ἄπαιδα fuisse indicavimus. Erat is nempe, qui quum filiis careret, *Cnutum expositititium* adoptavit, nuper nobis enarratum, alias *Gormo Heimske*, hoc est *Stultus*, cui pater fuisse proditur aliquis *Audulphus Robustus* nomine. Eum anno 792. vitam finivisse supputat Torfaeus. *Secundus* hic noster est, *Cnuti expositiţii* filius, & successor, quemque ille patris, vel nutritii sui nomine *Gormonem* vocaverat. *Cnuto* igitur, post breve quatuor annorum regnum defuncto, hic *Gormo II.* primum quidem eamdem Iutiae partem regendam suscepit, mox vero multo maiorem dicitur auctoritatem consequutus. Quum enim incidisset in ea tempora, quibus filii *Ragneri Lodbrogi* incredibili cupiditate aliena invadendi regna inflammati, excursionibus suis omnem fere Europam pererrabant, absentium *Gormo* vicem obtinebat, totiusque adeo Daniae arbitrium penes ipsum erat. Carum inprimis perhibent fuisse *Sigvardo Anguiaculo*, ac filium illius *Harde-Cnutum* educavisse. Mortuo *Sigvardo* circa annum 820. tutoris porro officium praestitisse *Hardecnuto*. Hinc *Gorm hin Rike*, idest, *Gormo ille Potens* cognominatus, quippe qui maiores suos potentia multum superaverit. *Nec mirum*, verba sunt Torfaei *pag.* 402. *hunc Gormonem a Scriptoribus Danicis inter genuinos Reges recenseri, cum ampliori ditioni praefuerit, quam singuli Lodbrochis filii, postquam regnum inter eos divisum erat*. Indicat idem, nullam rationem adesse, cur *Anglicus* vocetur, quum neque in Anglia fuerit natus, (quamquam id nostri tradidere) neque ullas ibi res gesserit. Ab *Olavo Anglico*, quem *Sigvardus Ringus*, olim Rex Daniae, & *Lodbrogi* pater, Northumbriae a se subiugatae praefecit, quique postea Iutiam regendam obtinuit circa annum Chr. 738. subspicatur Torfaeus scriptores cognomen illud in *Gormonem* nostrum transtulisse. Fuit inter *Olavum Anglicum*, & *Gormonem* (utrumque, ut diximus, in Iutia regnantem,) intervallum haud plane 50. annorum, utque hic *Lodbrogi* filiis, ita *Olavus* patri eorum, atque avo gratiosus inprimis habitus; unde & tanto facilior confusio in cognomine. In Pseudo-Erici *Historia gentis Dan.* sic describitur. *Gorm hin Enske. Hic dictus est Orm harthisnuoe, & regnavit* IV. *annis, in Anglia baptizatus*. Prius illud, (ne quis de *Heimske* subspicetur, i. e. *Stulto*, quod cognomen *primi Gormonis* fuerat,) est, quod hodie Danice efferimus *Engelske*, h. e. *Anglicus*. Sic & Olavus Anglicus in Norvegicis Historiis *Olafr Enske* adpellatur. *Enst Silfr* in Historia Ol. Tryggv. & alibi est *moneta argentea Anglicana*. Quod sequitur apud Pseudo Ericum *Orm harthisnude* [sic enim legendum,] haud minorem ambiguitatem habet. Credidit Torfaeus *pag.* 437. non *Orm*, sed *Gorm* intelligi, & *Hartisnut* initio male exaratum fuisse pro *Harti-Knut*; ita ut nihil aliud indicetur, quam *Gormum*, & quem ille educavit, *Hardecnutum* eodem tempore vixisse. Quumque, pergit Torfaeus, *Chronici auctor statum Daniae, absolutis & stipendiariis Regibus hoc tempore mixtum, non percepisset, hinc duorum simul, vel diversa conditione, imperantium Regum nomina uni tribuere visum est*. Ceterum vulgatissima est opinio *Orm Hartisnude* vocabula esse adpellativa, cognomenti loco Gormoni huic adtributa, ac *Vermem duro rostro*, vel *crudelem* significare. Sed hoc sensu neutiquam *Gormoni II.* vel *Potenti*, de quo nunc agimus, sed *Tertio*, seu *Grandaevo*, ab acerrimis, quas Christianis hic infligebat, plagis, impositum fuerit.

Arnol-

xit, instituto illico in Daniam itinere, a proceribus rex creatur. Vbi dum res regni ordinat, usi absentia eius Angli, denuo tumultuantur, neque ille castigare est conatus; sive animi ignavia, & non vindicare ausus; sive etiam pacis studio, ac modestia; &, quod gnarus maximo imperio fere maximam inesse curam, unus binis regnis impar, haud gravate coerceri intra terminos imperium, ac regendi minui sibi onus, ferret. Vita excedit, quum regnasset annos quatuor, ac successit filius eius

HARALDVS V. [a]

qui ut operae ignavus, ita neque famae clarus, salvo tamen regno felix diem obit. Ei filius succedit.

GORMO III. [b]

quod aetatem ultra vitae humanae terminum usitatum produxisset, Grandaevus cognomento dictur, ita ut sit *Cnutus Hardensis*. *Illius* postea *nomen* [verba sunt Torfaei *pag.* 431.] *retulit Horda-Knutus; vel, ut alii scribere malunt Harde-Knutus, Knuti Magni, Daniae, & Angliae Regis filius, quem Scriptores Danici vulgo* Canutum Durum *vocant*, (nam Danicum *Haard* est *Durus*.) In Anglorum Historiis alius se offert *Harde-Cnutus* Danicus, Ingvari, & Vbbae aequalis, circa annum Christi 870. de quo Io. Wallingford *Chron. pag.* 533. „Dani loca Sanctorum incenderunt. - - - Regiaeque dignitatis virum *Gutredum*, a quodam eorum duce, nomine *Harde-cnuto* comprehensum, in servum vendiderunt.„ Idem postea *pag.* 539. „Interruptum fuit inter tempora Danorum diu Northumbrorum regnum, & usque ad tempora Ethelstani nullus ibi regnavit, excepto solo *Gudredo*, qui XIV. annis regnavit, quem *Hardecnuti* filii in servum vendiderunt.„ Ergo tres minimum habemus sic adpellatos; nam omnino iste *Ingvari*, & *Vbbae* socius, Rege *Hardecnuto*, Gormonis *Grandaevi* patre, iunior. Sed revertamur ad Torfaeum nostrum, sic pergentem: *Sveno Aggonis cap.* v. *nomen istud a provincia, ex qua natalem duxit, profluxisse rectius scribit, licet id ad eum Knutum non pertineat*, (nam Sveno hoc scripsit de *Canuti M.* filio,) *sed nostrum huncce, Sigvrdi Anguioculi filium. Hunc recens natum Gormus, Knuti Servii filius, (qui in parte Iutiae Regis, sed beneficiarii, nomen tunc gessit,) pro seculi more aqua adspersit, patrisque sui nomine adpellavit. Nec minus ei intra pueritiae annos nutritii officium praestitit. De Horda-Knuto nihil nobis antiquae memoriae suggerunt, nisi quod Sigurdo patri, in provinciarum Danicarum, quas ille gubernaverat, (insulae Danicae hae fuere, Scania, & Hallandia) regimine successerit*. Hucusque Torfaeus. Sed pace eius, Islandorumque veterum, quos citat, nec non Suenonis ipsius Aggonis, Torfaeo quingentis annis vetustioris, mihi sese adprobare haud potuit sententia de nomine *Hardecnuti*, a provincia natali *Hardensi* imposito. Puto eam, quamvis vetustam, ad coniecturas pertinere. An enim Canutus M. id nominis, quod ex maioribus suis ille, cui nullum factum memorabile, resque nulla praeclare gesta adscribitur, a parva, & ignobili Iutiae parte impositum gesserat; adeo insigne, & auspicatum existimaret, ut filio illud suo ex Emma genito adplicaret? quando patris Suenonis nomen, & Haraldi avi, Gormonis proavi, longe illustriorum Principum, illa praeterivit. Ego vero non dubito, quin *Harde-Knud* idem olim significaverit, quod hodie denotat, duasque esse voces adpellativas coniunctas, Latine exprimentes *Durum nodum*. Canutum autem Magnum opinor, quum constituisset suum potius, quam alterius nomen filio suo dare, *Harde* illud adiunxisse boni ominis causa, ad excitandam aliquando in filio bellicam indolem, ut quam sua etiam *duriorem* ad expeditiones, & praeclaras obeundas res optabat. Etsi haud nego, numquam forte hoc ei in mentem venire potuisse, nisi iam antea vulgare illud nomen fuisset, quo plures olim extitissent tam bellatores celebres, atque principes,; quam alii viri adpellati. Torfaeo, & veteribus Islandis unus tantum, ante Canuti M. filium, *Hardecnutus* cognitus. Ego ex Anglicis alterum, ab his diversum, addidi. Nec dubito, multos eiusdem nominis hodie nobis latere, uti & illum, qui primus filio suo hoc indidit, eadem mente, & cogitatione id fecisse, qua ex coniectura nostra, Canutum M. Nota est consuetudo veterum, audspicata filiis imponendi nomina, non tantum ab animalibus, *urso*, *leone*, *cane*, *catulo* &c. (unde & Welpho Dux Bavariae, Helmoldo *lib.* 1. *cap.* 35. aliisque *Bavariae Dux Catulus* dicitur,) sed etiam inanimatis rebus, lapide (*Steno*) gemma, (*Ethelstan*) aliisque. Quidni etiam a Nodo (*Knude*) & a Duro Nodo (*Harthe-Knud?*) Notum insuper proverbium Latinum, *Duro nodo durus cuneus*.

Arnoldus Hvitfeldius *Gormonem II.* & *Haraldum* (eum quem Meursius *Gormonis III.* patrem facit,) studio, ut fatetur, omittens, illud *Harde-Snude* Frothoni Regi cognominis loco adplicat; cuius tamen nullam ibi rationem reddit. Neque ego ullam divinare possum, nisi quod exemplar MS. *Chronici Ericiani*, quod illustri viro serviebat, (nondum enim typis publicatum fuit,) uno, alteroque versu mancum exstiterit, hoc modo, ita ut post nomen *Frothi* istud *Harthi-Snude* continuo legeretur. Idem Hvitfeldius, nec non Pontanus, pariter *Gormonem II.* & *Haraldum V.* praetermittens, Saxonis *Gormoni III.* seu Grandaevo *Anglici* adpellationem addunt.

(*a*) *Haraldus V.*] De hoc sufficit audire pronunciantem Torfaeum *lib.* III. *cap.* 16. *pag.* 438. „*Haraldus*, quem *Gormoni II.* successisse Saxo voluit, quisnam fuerit, inventu tam difficile est, quam inutile. Etenim Saxoni de gestis illius nihil plane constitit: forsan & pauca memorabilia gessit, si modo umquam in rerum natura exstitit. Nos de illo parum soliciti sumus, dummodo nullum inter Daniae Reges locum ei deberi sciamus.„ In *Serie altera Regum* Wormiana omittitur, nullo Rege inter Gormonem *Anglicum*, & Gormonem *Grandaevum* posito. Sed in *priore Serie Gormonis Anglici* filius, & successor vocatur *Gampi*, cui succedit *Gormo Gampi filius*. Subspicabatur Wormius ibi mendum esse, donec, praeter iteratam eiusdem nominis mentionem, scrupulum plane eximeret liber MS. vernaculus, *Gesta Danorum* inscriptus, in quo verba offendit, Latine sic reddenda: *Tunc Rex creatus* Haraldus, *quem nonnulli vocatum dicunt Regem* Ganupi, *eo quod iners, ac regno inhabilis fuerit*.

(*b*) *Gormo III.*) Non Haraldi filius erat, quod miror Crantzium, atque Meursium statuisse, quum id neque a Saxone, neque Erico Pomerano, neque ab Anonymo Lindenbrog proditum. Solus est Sveno Aggonis, sed qui Meursio vita fruente nondum editus erat, cuius *pag.* 35. haec sunt: *Frotho filium genuit, quem Haraldum adpellavit. Huic successit filius, & regni haeres Gorm Loghae*. Cognomento illo *Loghae* putat Stephanius *desidem*, & *ignavum* denotari. Islandici Scriptores, rectius haec omnia edocti, certe, praeter exactam Chronologiae curam, cuius neglectus historicum etiam quemcumque solet subspectum reddere doctioribus, (de insipida enim plebe, vel quibusdam nescio quo patriae, populariumque amore occoecatis, non loquor,) insigni hinc inde cum exteris consensu id promeruit, ut pluris illorum, quam Danicorum auctoritas in vetustis adeo rebus habeatur: Islandi, inquam, *Gormoni* patrem adtribuunt *Harde-Knutum* (vel, ut illi scribunt *Horda-Knutum*) avum *Sigvardum Anguioculum*, proavum *Regnerum Lodbrog*, abavum *Sigvardum Ring*, atavum *Randverem*, qui frater uterinus fuit magni, & potentissimi Regis *Haraldi Hilditandi*. Hic nempe Haraldus, potentissimus suo aevo non Daniae tantum Monarcha, sed & omnium regnorum, quae maternus eius avus *Ivar Vidfadmius* (circa ann. Chr. 600. mortuus) possederat, postquam, ut suo loco dictum, cum fratris uterini filio *Sigvardo Ring* congressus, in campis Ostrogothiae famoso praelio Bravallensi anno 735. interfectus erat, successorem hunc ipsum nactus est *Sigvardum Ringum*, qui *Regnerum Lodbrog seniorem* procreavit. *Regneri* regni initium incidit in annum 750. finis inter 790. & 800. Eius filii, quos plures habuit, acerrimi bellatores, & piraticis suis expeditionibus magnae Europae parti permolesti, regnum Daniae inter se diviserunt: Vnde, quemadmodum etiam sub eorum patre *Regnero*, crebris apud exteros bellis occupato, potentia Iutiae Regum, & Regulorum increvit, ex eo, quod his Daniae administrationem, & praesertim regni limitum, ad Germaniam spectantium, defensionem contra Saxones, Obotritos &c. committebant, dum ipsi orbem pervagantes aliena populabantur regna. Solus *Sigvardus Anguioculus*, ab expeditionibus illis domum reversus, patre mortuo, insularum Danicarum, & regionum versus Sveciam iacentium imperium capessivit. Hunc mortuum esse statuit Torfaeus circa annum 820. eique successisse demonstrat filium *Harde-Cnutum*, educatum a *Gormone Potente*, Iutiae Rege, cui omnes *Lodbrochidae*, ut diximus, partium in regno suarum administrationem tradiderant. Nomen *Harde-Cnuti* quod attinet, auctor *Vitae Olavi Vryggvini* docet inde impositum, quod editus in lucem esset in *Horda* (vel *Harde*) Iutiae provincia, quae etiamnum *Hard-Syssel* adpella-

Ceterum *Hardecnuti*, Daniae Regis, *Sigvardo Anguioculo* geniti, filius *Gormo* fuit, de quo nunc disserimus. *Hartevvich* Gormonis huius patrem nominat Albertus Stadensis ad an. 921. ubi editor Reineccius, nec non nostrates Hvitfeldius, & Pontanus *Haraldum* intellexere; minus recte. Nam *Hartevvich* desumtus Stadensi ex Adamo suo, apud quem geminam eiusdem *Harde-cnuti* adpellationem, sed utramque corruptam, *Hardegon*, & *Hardevvich* occurrere supra observavimus. Interim operae pretium existimavimus, genus ac stirpem Gormonis a ducentis annis, & amplius, ac praesertim a potentissi-

to dictus. Ipse imbellis (a) e Thyra, Anglorum regis filia, filios gemellos sustulit, valde sane bellicosos. Christianis inimicus, eos graviter persequitur, & Ecclesias evertit, ac ministros regno pellit; adeo ut Vormo potius (b), idest, vermis infestissimus vulgo quoque diceretur. Inter alia, templum etiam Slesvicense solo aequavit; ac delubra idolorum, pridem abolita, instauravit. Inde, monitus a proceribus, ut contraheret matrimonium Thyram, Angliae regis filiam (c), forma insignem, ac pudicitia, nec non ceteris virtutibus, sibi iunxit. Illa prima nuptiarum nocte petiisse fertur, ne se tangeret, dum futurae prolis signum per quietem accepissent; quumque Gormo adnuisset postulatis, & ad somnum sese mox composuisset, visae illi aves duae, sponsae utero prodeuntes, in sublime evolasse, ac reversae, manibus suis insedisse: ubi autem paulum interquievissent, iterum mox avolasse; inde & minorem harum solam alis cruentatis rediisse. Quo perterrefactus viso, quum in somno se iactaret, ac clamorem quoque ederet, sponsae ipsum excitanti, & interroganti causam, somnium refert; quod quum matrimonii foecunditatem praesignificare utrique videretur, frui etiam eo placuit: neque res successu caruit, & impleta fides somnii, quum mox geminos est enixa (d), Canutum, & Haraldum; quorum illo postea in bello occiso, alter solus, quod in somno patri ostensum, ceu cruentus caede fratris (e), est reversus. Erant ambo, quum virilem ad aetatem pervenissent, militari fortitudine perillustres; ac primo quidem Vandalos deficientes subegere, inde domuere Anglos, & avunculum illic regem eo item adegere (f), ut heredes testamento sibi scriberet;

tissimo Monarcha *Haraldo Hilditanno* vel ideo repetere, quia per hanc veros, & absoluta potestate praeditos Reges discernere possumus a beneficiariis illis, qui in Iutia praefuerunt, & quos Saxo, atque eum sequuti cum veris confuderunt, neque exteri, de *Sigefrido*, *Godefrido*, *Horicis*, *Reginfredis*, *Herioldis* &c. loquentes, dignoscere umquam satis potuerunt. Breviter: Quatuor hos Reges, *Sigvardum Ringum*, *Regnerum Lodbrogum*, *Sigvardum Anguioculum*, *Hardecnutum* si excipiamus, ceteri cuncti, qui inter *Haraldum*, *Hilditannum* cognominatum, (quem ad Meursii *Col.* 66. *& seq.* supra descripsimus,) atque hunc *Gormonem Grandaevum* longo ordine recensentur, cuncti, inquam, collaterales, ut ita loquar, aut beneficiario, aliove nexu Regibus absolutis obstricti, sunt habendi. Cogitemus Angliae statum in Heptarchia, donec, tota ista sublata, omnia minora regna in unius potestatem pervenere. Talis propemodum fuit etiam status Daniae, aut cum hoc forte discrimine, quod nexus ratio inter Monarcham, & ceteros Reges alius apud nos fuerit, quam in Anglia, etiamsi certum aliquod de his dici, ac definiri posse vix crediderim. Talis etiam in Svecia, ac Norvegia; in utroque enim regno illo, antequam ad unum summa rerum deferebatur, plures simul imperitabant. Est itaque status, quem dixi, & conditionis regni Danici, qualis ante *Gormonem* fuit, mera, & simplex ignorantia, quae monstrosam illam Regum Seriem apud Saxonem Grammaticum, pluresque Historicos nobis peperit, tantamque historiae Danorum veteri confusionem intulit. Verum postquam ad Gormonem nostrum perventum, nullae amplius id genus salebrae, nullae, quales hucusque nos exercuerunt, difficultates occurrunt. Namque ab hoc tempore eamdem ipsam nobis Seriem Regum Daniae Saxo Grammaticus repraesentat, quam Islandica monumenta, quamque omnes exteri Scriptores uno ore confirmant. Et ad hanc notitiam eo faciliorem reddendam, praeter potentiam *Gormonis*, qui (Egberti Regis West-Saxonum in Anglia exemplum imitatus,) debellatis Iutiae Regibus, solus per longissimum aevi spatium Daniam gubernavit, plurimum quoque contulit religio, sub filio eius *Haraldo* invalescens. Cum hac nempe litterarum, & scriptionis usus introductus, ita ut semper deinde Clerici, Monachique extiterint, qui & Regum Seriem, & notabilia eorum gesta quomodocumque litteris consignarent. Vt taceam Boreae nostri, inde paulatim cultioris, crebra, multoque pacatiora, quam olim, cum externis regnis commercia; quae tamdem instruendis tabulariis, veris illis, omniumque certissimis ad memoriam rerum adiumentis, materiem praebuere.

(a) *Ipse imbellis*] Ita scil. & Saxo, & pluribus quidem verbis: *Hic*, inquit, *tametsi proceritatis habitu eximius putaretur, parum respondentem corpori animum gessit. Ita enim mores suos intra regnandi satietatem continuit, ut servata potius quam aucta maiestate gauderet, satiusque tueri proprium, quam alienum incessere duceret, magis de adquisitorum custodia, quam adquirendorum incremento solicitus.* En amplam Principis imbellis, & pacifici περίφρασιν. Et quis Saxoni nostro titulum Grammatici invidebit amplius, qui suam phraseologiam adeo copiose habuit instructam? Sed quam vellem eloquentiae loco adfuisset ei uberior quaedam cognitio rerum ante ipsius memoriam gestarum! Et heic quidem ignorantiae arguitur ab Islandis; in quibus historicus *Olavi Tryggvini lib.* 2. *cap.* 1. haec exhibet: „ *Gormo*, Rex in illam partem Daniae, quae tunc *Reidgotalandia*, nunc vero *Iutia* nuncupatur, adversus Regem quemdam *Gnupam* dictum, cum exercitu profectus est; quem post aliquot praelia occidit, & regnum ipsius in suam potestatem redegit. Deinde expeditionem suscepit contra Regem quemdam, nomine *Silfraskallium*; ac cum eo aliquoties conflixit, semper victor, tamdemque Regem illum interfecit. Postea in interiora Iutiae pergens, omnes Reges ad Slesvicum usque devicit, & magnam quoque partem Vandaliae sibi subiecit. Multa praelia contra Saxones habuit, & Rex potentissimus evasit. „ Haec vitae Tryggvini auctor. Alterum contra Saxonem testimonium arcessemus ex Snorronis Sturlaei, scriptoris excellentis, [& qualis utinam Daniae nostrae quondam obtigisset!] *Historia Norvegica*. Narrat ille de *Haraldo* Rege, eo, qui ab elegantia, & cultu caesariei vernacule *Haarfagre*, latine *Pulchricomus* cognominatur, quod a virgine, cuius amorem adpetebat, hoc responsum retulerit, tunc demum se ei nupturam, ubi ad exemplum *Gormonis Daniae Regis*, totius Norvegiae Regulis exstirpatis, universam regni Monarchiam sibi adseruisset. Vid. Torf. *Hist. Norv. Tom.* 2. *lib.* 1. *c.* 2. Itaque Gormo tantum abest, ut *imbellis* mereatur dici, vel *servata potius quam aucta maiestate*, ut Saxo loquitur, *contentus*, ut multo magis pro Monarchiae Danicae instauratore habendus sit, quippe qui paternae ditioni Iutiam, a *Regneri Lodbrogi* temporibus, primo per divisionem inter illius filios, ac deinde per varios veterum Regum, & Regulorum posteros, a reliqua Dania hucusque avulsam, maxima virtute subegit, & quasi postliminio restituit.

[b] *Vormo potius*) *Orm* voce Danica dicitur Vermis, dialecto Iutorum *VVorm*, Germanice *VVurm*. Et vide huc, quod de *Orm haardesnude* nuper observabam. De *Vermis* autem nomine, & acerbissimo *Gvurmi*, seu *Gormonis* in Christianos odio Adam. Brem. *Hist. Eccl. lib.* 1. *cap.* 47.

(c) *Thyram, Angliae Regis filiam*] Sic Saxo. Sed Islandica monumenta *Thyram* hanc Comitis Holsatiae *Haraldi Klackii* filiam fuisse, vel, quod Torfaeo rectius visum, neptim produnt, & longam de procatione, & nuptiis Gormonis, deque divina Thyrae sagacitate narrationem texunt. Vid. Torfaei *Trifol. Histor. cap.* 1. Ceterum ille Gormonis socer, *Haraldus Klack*, idem est, cuius cognomen postea nostrates indiderunt *Haraldo Regi*, qui olim tempore Ludovici Pii Imp. cum Godofredi filiis de regno Iutiae pugnavit, & Moguntiae ann. 826. baptizatus fuit. Errori occasionem dedit, praeter temporis, quo uterque vixit, convenientiam, hoc praecipue, quod Holsatiae iste *Comes Haraldus Klack*, vergente aetate in Galliam profectus, Christianae militiae nomen dederit, neque umquam domum redierit. Quod ipsum de *Haraldo Rege* observatum, ut qui regno ultimum exclusus, post annum 828. vitam in exteris transegit, & finivit.

(d) *Mox geminos est enixa*) Non sane *uno partu* geminos. Neque enim ipse Saxo hoc dixerat. Audiatur Torfaeus, memorias nobis Islandicas Latine reddens *Trifol. Histor. pag.* 5. „ Duos filios ex hoc coniugio *Gormus* suscepit, *Knutum*, natu longe maiorem, postea ab immodicis gentilium suorum studiis *Dana-ast*, seu *Danorum delicias* dictum, & *Haraldum*: utrumque avorum suorum nominibus insignitum; paterni enim ille, hic materni retulit. „

[e] *Cruentus caede fratris*) Haud peritum admodum somniorum interpretem agit Meursius. Quid enim? Rediret *Haraldus* ex fratris caede *cruentus*, quando hic bello foret occisus? Somnium vero id poscebat, ut quae alis cruentis reverteretur avis, ex alterius, quae una evolarat, caede a sese perpetrata, talis evasisset. Nam, ut mox dicetur, Islandorum monumenta, inque his *Olavi Tryggvini Vita lib.* 1. *cap.* 76. tradunt, *Knutum* maiorem fratrem, oppressum, & necatum fuisse ab Haraldo, qui inde ad parentem reversus, per aenigma, haud absimile illi somnio, quod ex Saxone refert Meursius, rem exposuit. Aenigma autem erat, *duos accipitres acerrime inter se dimicasse, album alterum, alterum cineraceum, huncque illum enecasse.*

(f) *Avunculum eo adegere*] Possumus de Rege aliquo, Danici sanguinis, in Northumbria, aut alia parte regnante, intelligere. Non enim necesse, ut de Alfredo cogitemus; siquidem ex

ret; unde in Hiberniam traiicientes, quum Dufflinum obsiderent, ictus iaculo Canutus [a], vita excessit; & Haraldus, capta urbe, atque rebus ordinatis, domum redit. Quae dum foris gerunt filii, ipse arma in Saxones capit odio religionis Christianae, quam exstinctam cupiebat; &, auxiliis e Vandalia (b) advocatis, misere gentem universam ferro, ac flamma populatur. Quibus rebus Henrico Aucupi, Romanorum per id tempus Imperatori nuntiatis, arma ille ocyus sumit; &, ingenti quoque praelio fusum reprimit (c); tum, ingres-

ex *Ethelredi* filia genitos *Knutum*, & *Haraldum* fuisse, pro commento habendum. Atque hic non omittendus nobis Pontanus, haud leviter profecto errans in eo, quod *pag.* 129. Gormonem nostrum in Dania regnantem confundit cum illo, qui in Anglia Alfredi temporibus vixit, & Christianis sacris initiatus fuit, a quo *Gormoncester.* adpellationem traxit. Is enim certe in Anglia diem suum obiit anno 890. attestantibus (ut supra observavimus) Asserio, & Higdeno.

[a] *Ictus iaculo Canutus*) Saxo id factum memorat ab Hiberniae Rege, qui, quum Dublinum obsideretur, cum paucis sagittariis egressus, Cnutum nocturnis ludorum spectaculis vacantem, sagittae ictu peremerit. Atque ei non dissimilem famam de fato Cnuti etiam apud suos extitisse innuit *Tryggvini Historia lib.* 1. *cap.* 79. in Anglia contigisse tamen memorans, postquam *Cnutus*, & *Haraldus* magnam Northumbriae partem occupassent.

(b) *Auxiliis e Vandalia*) Haec, & priora de infestata Saxonia, & vexatis Christianis Adamo debentur Bremensi, cuius verba sunt *lib.* 1. *cap.* 47. „ Dani quoque Slavos auxilio habentes, „ primo Transalbianos Saxones, deinde cis Albim devastantes, „ magno Saxoniam errore quassabant. Apud Danos eo tem„ pore filius Hardewick *Gurm* regnavit, *crudelissimus* inquam „ *vermis*, & Christianorum populis non mediocriter infestus.„ Inde sua Helmoldus descripsit, quae habet *Chron. Slav. lib.* 1. *cap.* 8. Ceterum ad Saxonica Gormonis bella an non & illud referendum, quo Bruno Saxoniae Dux Ludolphi filius, Henricique Aucupis Germ. Regis patruus, periit? de quo testatur Witichindus *Annal. lib* 1. *pag.* 634. *Bruno quum ducatum administraret totius Saxoniae, duxit exercitum contra Danos, & inundatione repentina circumfusus, non habens locum pugnandi, periit cum omni exercitu.* Vid. & Ditmar. Merseb. *lib.* 2. Adam. Brem. *lib.* 1. *cap.* 34. & Necrologium Fuldense in Leibnitii Scrr. *Brunsvic. Tom.* III. *p.* 762. ubi ad ann. 880. refertur.

(c) *Ingenti praelio fusum reprimit*) Quis vero auctor Meursium aliosve, qui cum eo errant, docuit, fusum ab Henrico Aucupe magno praelio Gormonem? Nominent eum, ut de auctoritate quid existimandum sit iudicemus. Nobis quidem nullus antiquiorum cognitus, qui hoc dixerit. Cypraeum enim, & id genus hesternos compilatores, fabulis propagandis natos, quis prudens aestimaverit? Lustremus, si ita placet, omnes, quos idoneos testes adgnoscere, & habere par est Danicae Henrici expeditionis. Primus, & praecipuus est Luitprandus Ticinensis, aequalis ferme ipsi rei gestae tempori: Is duo nobis loca suppeditat, primum *Chron. lib.* 3. *cap.* 5. de Henrico scribens: *Primus etiam hic Danos subiugavit, sibique servire coegit, ac per hoc nomen suum multis nationibus celebre fecit.* Alterum *libri eiusd. cap.* 13. *Henrici ex hoc apud Italos nomen maxime tunc clarebat, quod Danos nulli ante subiectos solus ipse debellaret, ac tributarios faceret.* Secundus erit *Vitae B. Mathildis*, quae Henrici Aucupis coniux fuerat, auctor, qui libri sui *cap* 2. *Quum*, inquit, *mirum in modum proficeret Princeps laudabilis, Christus illi plus auxit honorem dignitatis, perplurimas nationes suo subiiciens dominatui, Danos, Slavos* &c. Tertius Witichindus Monachus, qui sub Henrici Aucupis filio floruit, tanto maioris nobis habendus, quod rem plenius, disertiusque enarret, tum Danos, qui, qualesque fuerint devicti, indicans, tum Regem eorum nominans, *Annal. lib.* 1. *pag.* 641. Verba haec sunt: *Quum autem* (Henricus) *omnes in circuitu nationes subiecisset, Danos, qui navali latrocinio Fresones incursabant, cum exercitu adiit, vicitque, & tributarios faciens, Regem eorum, nomine Nubam, baptismum percipere fecit*, (quae ipsa ex Witichindo repetit *Annalista Saxo ad ann.* 935.) Addit deinde Witichindo: *Reginbern autem ipse erat, qui pugnavit contra Danos, multo tempore Saxoniam vastantes, vicit eos, liberans patriam ab illorum incursionibus usque in hodiernum.* Atque hic omnes habemus, quorum narratis aliquid inesse ponderis, & veritatis adgnoscamus, auctores, ut rei gestae proximos, aut propemodum coaevos (si Annalistam Saxonem excipias) ita & probatae satis fidei. An vero aliquis eorum Henricum vel praelio Gormonem fudisse, ac repressisse, vel in Daniam penetrasse dixit? Minime. Sed tamen in eorum dictis est, Henricum *Danos subiugasse, sibi servire coegisse, debellasse, suo subiecisse dominatui, tributarios fecisse.* Quos itaque abs te, quaero, *Danos?* an qui in *Dania* habitabant? non omnino; sed qui maiorum exempla suorum imitati, alienis incubabant regnis, atque hinc, associatis sibi Slavis, *Saxoniam vastabant*, illinc *navali latrocinio incursabant Frisiam.* In quibus excursionibus uti nullae partes fuere Gormoni, quantum ex auctoribus laudatis constat, ita ad illum victoriam Henrici pertinuisse neque iidem dicunt. Ad *Danos* reprimendos, subiiciendosque haud necesse erat, istis seculis, in Daniam excurrere, eiusve fines attingere; adeo late tum illi dispersi erant, sedesque hinc inde, modo ad breve, modo longum tempus collocarant? Nominat Witichindus eorum, quos *vicit*, quos *subiugavit* Henricus, & *tributarios* fecit, Danorum Regem: *Nubam* scilicet, (seu, ut Reineccii editio melius habet, *Chnubam*) & recte, ut omnino puto, (quidquid de mendo hic dicant alii,) nominat. Idem scilicet est nomen, quod gesserat Iutiae Rex ille, a Gormone nostro devictus, *Gnupa* auctori *Vitae Olavi Tryggvini* adpellatus. Huius ex progenie, & forte nepos (ut coniicio,) fuerit *Nuba* ille, seu *Gnupa*, Henrici Aucupis tributarius; admodumque est verisimile, postquam avus circa medium seculi IX. Gormonis armis victus, interfectusque esset, progeniem eiusdem, cum multitudine civium sibi addictorum, ut victoris arbitrio se subtraherent, novas in exteris sedes quaesivisse, Belgiique loca, & Zelandicas forte insulas, (uti existimavit Iacobus Eyndius *Chron. Zeland. lib.* 2. *cap.* 8.) insedisse, unde postea Fresones incursabant. Itaque Rex erat *Nuba*, (vel *Chnuba*) ex eorum genere, quos *Her-Konungar*, vel *Sae-Konungar* adpellare moris erat, *Reges militares*, & *Reges expeditionum maritimarum*, de quibus supra (ad *Col.* 120. *a.*) disseruimus. Annalistae, qui Witichindo posteriores sunt, differunt ab eo paululum in nominis eius scriptione. Sigebertus Gemblac. ad annum 935. *Rex Henricus Danos, qui per piraticam Fresones incursabant, vicit, & tributarios fecit, & Chiupiam Regem eorum baptizari fecit.* Eadem repetit *Chronicon* Alberici ad eumdem annum. Eadem ex Alberico *Magnum Chronicon Belgicum*; quod enim in hoc *Chnipia*, in illo *Chiupa* legatur, ex librariorum est oscitantia. Ad Ditmarum Merseburgensem quod attinet, credam utique, vel verum nomen Regis ignorasse, aut oblitum esse, vel *Cnuponem* scripsisse, ubi hodie *Cnutonem*, & *Cnittonem* legimus, *lib.* 1. *pag.* 327. *editio Leibn.* verba sunt: *Northmannos, & Danos armis sibi obtemperantes fecit, & ab errore pristino revocatos, cum Rege eorum Cnutone hos Christi iugum portare edocuit.* Vbi quum de *Cnuto*, *Gormonis filio*, cogitaret Torfaeus *Trifol. Histor. cap.* 3. *pag.* 11. nihil meo iudicio egit; quid? quod auctoribus suis Islandicis, sibique ipsi contradicens, dum exteros conciliare nititur, rem confusam, & intricatam magis reddidit. *Potuit*, inquit, *esse Knutus Gormi filius*, (scil. quem Henricus ad fidem Christianam vocaverit,) *qui tunc agro Slesvicensi ab avo donatus praefuit.* Sed nusquam legitur, avum maternum ipsi donasse *agrum Slesvicensem*; neque sane donare aliquid eius potuit, ut cuius nihil avus ille (Haraldus Klackius) possedit. In *Holsatia* ille nonnihil ditionis habuit, atque hoc totum nepoti suo Knuto cum omnibus bonis suis legavit, ut clarissime auctor *Vitae Olavi Tryggv.* testatur *cap.* 75. *pag.* 78. qui & nusquam vel *Haraldo* illi sedem prope *Slesvicum*, vel *Knuto* praefecturam eius adsignat, contra vero *pag. seq. cap.* 76. Knutum a Gormone patre *ex Holsatia* (non Slesvico) ad festum Iolense evocatum scribit. Slesvico, & toti Cimbriae, seu Iutiae australi, eisdem temporibus cum imperio praeerat *Frotho* ille, (seu *Frodius*,) qui ab Vnnone Episc. Brem. baptismum accepit, legatos ad Agapetum Pontif. misit, templa Slesvici, atque Ripis erexit, quemadmodum ex *Olavi Tryggvini Vitae cap.* 69. *pag.* 69. supra (ad *Col* 128. *b.*) ostendimus, ipseque adgnovit Torfaeus *Ser. Regum Dan. pag.* 429. & *Trifol. Hist. cap.* 3. *pag.* 9. & *cap.* 8. *pag.* 28. Deinde omnia, quae de *Knuto* exstant prodita, suspicioni Torfaei de Christianismo eius adversantur. Parenti, acerrimo Christianorum hosti, in deliciis fuit; convivio Iolensi, quod impiis, & paganicis superstitionibus celebrabatur, vocatus interfuit eo ipso anno, quo interiit; piraticam exercuit; &, quod rem omnem absolvit, (quum narratio de Gormonis fato, subito filii istud insequuto, ad fabulas releganda, ipso Torfaeo adgnoscente *Trifol. cap.* 4. *pag.* 13. & *Histor. Norveg. Tom.* 2. *p.* 278.) mortem obiisse Knutum circa ipsa regni Henrici Aucupis in Germania initia, multisque annis, antequam Henricus *Nubam* (vel *Cnupam*) debellaret, verisimillimum. Etenim haud potuisset Haraldus, ut minor filius, nec tantopere patri, populoque adamatus, totius regni administrationem a Gormone, iam decrepito, obtinere, Knuto adhuc superstite. Obtinuit vero, totamque Daniam quindecim minimum annis ante mortem Gormonis patris (*Knytlingor. Historia* XXX. annos numerat,) rexit, Torfaeo ipso hunc Hvitfeldii calculum adprobante *Histor. Norv. l. c.* Sufficiant de *Knuto* ista: Ad *Henricum Aucupem* revertamur. De eius postquam in Daniam ingressu, & cum *Gormone* Rege conflictu, historicos, quibus constare de illis poterat, nihil prorsus dixisse demonstravimus, videndum restat, ex quo fonte illa fabula, quae Germanorum hucusque, & nostratium scripta obsedit, profluxe-

ingressus in Holsatiam, atque agrum Slesvicensem, ipsum mox Slesvicum capit, diripitque (a); oppidum commerciis tunc florentissimum; ac vicino adeo loco novam civitatem struit, & Coloniam adpellat; ipso nomi-

fluxerit. Certe ex solo, & unico Adamo Bremensi, qui *Episcopum quemdam Danorum*, *prudentem*, ut dicit, *virum*, eius sibi auctorem refert *lib.* 1. *cap.* 47. verba, etiamsi in infinitis scriptis adlegata, non pigebit hic repetere: *Deinde* (Henricus) *cum exercitu ingressus Daniam*, *Guurm Regem primo impetu adeo perterruit*, *ut imperata se facere mandaret*, *& pacem supplex deposceret*. Ex eo igitur in omnes reliquos (nullus enim antiquior Adamo habet,) derivata, iisdem propemodum apud eos verbis. Nihil enim mutavit Abbas Stadensis *fol.* 102. ad ann. 921. nihil Helmoldus *lib.* 1. *cap.* 8. nihil Herm. Cornerus; nihil alii. Annalista Saxo ad ann. 931. *Rex Daniam ingressus cum exercitu*, *VVurm Regem perterruit*, *ac vicit*. Chronographus vero Saxo an eumdem ann. *Heinricus Rex Regem Abodridarum*, *& Regem Danorum efficit Christianos*. *Ingressus namque Daniam cum exercitu Regem nomine VVrm vicit*. Nempe commiscuit, & confudit misellus compilator cum Adami relatione alteram illam, satis probatam, indubitatamque, de *Obotritorum*, *& Regis Danorum conversione*, quam multi non exilis adeo auctoritatis Annalistae, Hermannus Contractus, Continuator Reginonis, Marianus Scotus, Cosmas Pragensis, Florentius Wigorniensis, Chronicon Augiense, Albericus, & plures ad annum 931. posuerunt; quorum tamen nullus *Gormonem* sive nominarunt, sive intellexerunt, sed tantummodo Danos, Slavos, Obotritos, Saxoniam, Frisiamque depopulantes, Regemque eorum *Chnupam*, [seu *Nubam*] ut supra dictum. Denique Adami, vel Annalium ex eo excerptorum, diligens nobis hinc inde deprehensus lector Oddus Monachus, qui *Olavi Tryggvini Vitam* composuit, haec pariter indidem desumpsit, *cap.* 69. legenda: *Henricus Imperator in Daniam expeditionem movit*, *Danosque tum minis*, *tum blandimentis*, *tum etiam bellis ad Christianam Religionem subscipiendam perduxit*; *nec prius destitit*, *quam se Christo nomina daturos pollicerentur*. Nobis autem hoc firmiter est persuasum (quemadmodum & olim fuit illustri Thomae Bartholino iun. cuius insignia de hoc ipso argumento excerpta produxit filius cognominis in *Dissert. de Danici regni nomine*,] nullam hic Adamo fidem adiungi posse, silentibus vetustioribus; eumque alias saepenumero falsi convictum, & damnatum, hoc loco, vel ab Episcopo suo Dano deceptum, vel verba illius ea fide retulisse, qua varia ipsi Regi Suenoni, praeter veritatem, imo veri speciem, dicta adfinxit. Talia de Adamo scribi, praesertim ubi de Dania agitur, aegre ferent, scio, Germani, quibus *accuratus in rebus Septentrionalibus Scriptor* (sic Conring. *de Fin. lib.* 1. *c.* 14. §. 2.) praedicatur. Cur vero in his *accuratior* habendus sit, quam in Germanicis, homo in Dania hospes, & peregrinus, vera ibi, & falsa aliorum relatu edoctus, Germanus ortu, & patria, Canonicus Bremensis, natione, ut Meibomius observavit, Thuringus, aut Misenus, capere profecto non possum. Aut ergo desinant illi explodere, & in scriptis suis refutare, quae idem *accuratissimus* Adamus *lib.* 2. *cap.* 4. tanta fiducia, tantoque consentientium numero stipatus, de *genere Hermanni Billingi* litteris consignavit, nec non de *Ducibus Saxoniae*, talia quidem, ut neque Henricum Aucupem, neque patrem eius, maioresque adgnoscere *Duces* fas fuerit, nisi cum Adami iniuria, (ne nunc plura similia coacervemus;) aut nobis ius idem, eamdemque, qua ipsi utuntur, libertatem in fabulas nonnullas, quas Adamus, cetera laudandus auctor, de Danicis hinc inde intexuit, permittant exercere.

(a) *Slesvicum capit*, *diripitque*] Altera Adami Bremensis fabula, sed quam Meursius, aut potius auctores eius Svaningius, & Cypraeus suam fecerunt exornando. Adami sunt haec tantummodo: *Sic Henricus victor apud Sliasvich*, *quae nunc Heidaby dicitur*, *regni terminos ponens*, *ibi & Marchionem statuit*, *& Saxonum coloniam habitare praecepit*. Haec ex Adamo & Helmoldus, & Chronographus Saxo ipsis eiusdem verbis, repetunt *ll. cc.* Helmoldus etiam relationem doctoris sui tam firmiter animo impressam retinuit, ut deinceps *cap.* 12. haec posuerit: *Eo tempore* [circa ann. 950.] *Slesvvich cum provincia adiacente*, *quae scilicet a lacu Slya ad Egidoram fluvium protenditur*, *Romano Imperio subiacebat*, *habens terram spaciosam*, *& frugibus fertilem* &c. Cypraeus omnia fere illa, quae apud Meursium sequuntur, verbis Adami de suo penu addidit, nisi quod de nova extructa urbe, quae *Colonia* fuerit adpellata, nihil apud eum reperitur, *Histor. Eccl. Slesv. & Hols. cap.* 6. Nos totum illud, de *Slesvico* capto, de *Colonia* exstructa, de *Marchione* Slesvicensi ab Henrico Aucupe imposito, pro inani habemus commento; de quo nemo mortalium, ante Adamum Bremensem, & Episcopum eius Danum, ne somniavit quidem, nedum aliquid in litteras retulit. Neque ullo modo veremur vel turbam adstipulantium (testes enim adpellari non possunt, qui Adamum testantem exscribunt, eiusque solius fabulam

ne posteris testatum cupiens, quod huc usque Imperii fines extendisset; tum imponit & praefectum, qui hunc limitem tueretur; atque, ut id melius posset, arcem ponit munitissimam, in propinquo illic colle, qui a

N Slia

nequaquam efficere possunt meliorem, etiamsi novorum aliorum myriada sibi adiungant,) vel Germanici imperii fines describentium indignationem, si hoc forte Palladium sibi eripi aegris animis patiantur. Oernhielmio autem, qui in *Histor. Eccles. Svec. lib.* 2. *cap.* 3. Saxonem Grammaticum, ceterosque Historicos Daniae, exceptis Meursio, & Pontano, malignitatis accusat, quod Adami narrata de fracta Gormonis ferocia, & Marchionatu Slesvici dissimularint, hoc reponimus, mirari potius oportere historicorum Germaniae, qui Henrici I. gesta enarrarunt, sive malignam dissimulationem, sive ignorantiam incredibilem, qui multo leviora consectati, rem tanta cum gloria coniunctam, ac fuisset pars Daniae occupata, & erectus in ea Marchionatus Slesvicensis, omiserunt, quam certe aeternum nescivissent Germani, nisi Episcopus ille Danus eam, mysterii alicuius instar, in aurem Bremensis Monachi insusurrasset. Rectissime Thomas Bartholinus nepos, nuper immaturo fato nobis ereptus, in laudata *De Regni Danici nomine Dissertatione* §. 6. „ De *Marchionatu Slesvicensi* ab Henrico constituto obstinatum silentium est Scriptorum eius aetatis, „ qui tamen Henrici gesta fuse, & adcurate prosequuti sunt. „ Neque causa est ulla, ut tam insigne facinus, unde tantus „ Henrico decor, omisissent; quod nescire non potuerunt, si „ umquam fuisset editum, negligere non debuerunt, qui multo „ minutiora eius facta prolixis laudibus celebrarunt. An itaque „ haec Bremensis Monachi fabula vetustissimorum Auctorum si„ lentio praeponderare debeat, cordati lectoris fit iudicium. Sed „ non possumus satis mirari, virum alias doctissimum Herman„ num Conringium, *De Finibus Imp. Germ. lib.* 1. *cap.* 14. „ Adamo potius, quam antiquioribus, quam Dithmaro fidem „ habendam esse clamitantem; qui alias extra praeconceptas o„ piniones constitutus, tam absurdae conclusioni acerrime se „ opponeret. - - - Illud minime ferendum: Scribit Conrin„ gius, eamdem rem, quam Adamus commentus est, nar„ rare, licet aliter, Witichindum. At si ad Witichindum re„ spicere voluisset, deprehendisset eum loqui nonnisi de *Danis* „ *Frisiam incursantibus*. Et ut a nodo se absolvat, in nomine „ *Regis Nubae* occurrente, quomodo Daniae Monarcham tunc „ neminem vocatum probe novit, *mendum esse*, ipsi dixisse „ sufficit. „ Haec b. m. Bartholinus.

Verum, ne nimis iniurii in Adamum Bremensem videamur, quem sane, & unumquemque Scriptorem potius defendere, & excusare, quam carpere, & castigare, quatenus id veritas, & ratio permittant, semper parati erimus, conabimur investigare causam, quae bonum virum, & Episcopum eius in errorem istum induxerit. Et haec nulla utique fuisse videtur alia, quam quae in omnibus fere medii aevi Chronicis, iis praecipue, quae de rebus a Scribentium aetate remotioribus concinnata, toto die, & innumerabilibus occurrit locis, confusio temporum, hominum, & locorum. Noverat Adamus, limitem inter regna Daniae, & Germaniae fuisse quondam constitutum, ipse de eo loquutus *lib.* 1. *cap.* 13. audiverat quoque de *Marchione* olim ordinato ad tuendos limites contra Danorum irruptionem, Coloniaque eodem in loco Saxonica. Haec cum Adami tempore nulla, & nusquam invenirebantur, quaesiverit, opinor, ab Episcopo Dano, aeque ac ipse fuit, historiarum nostrarum, ut haud raro contingit, ignorante, & quae ab illo accepit, in adversaria sua retulit. Tanti nimirum refert, in quos homines inter peregrinandum incidamus, cognoscendi de antiquis gentis alicuius rebus cupidi. Dicam breviter: Indubium est, certumque, exstitisse aliquando limitaneum custodem in loco, qui Germaniam a Dania separabat. Hic autem non Slesvici, seu Heidebuae, aut ad Sliam fluvium, sed ad Egidoram, [al. Eidoram,] fluvium, ulterius & aliquot in austrum milliaribus a Slia, & Slesvico dissitum, limites tuebatur. Hunc terminum positum tum fuisse, cum Carolus M. & Hemmingus Daniae Rex inter se paciscerentur, *Annales Francorum* docent ad ann. 811. ipseque Adamus *loc. ult. cit.* Impositum vero statim fuisse custodem, etiamsi iidem *Annales* non dicerent, quod tamen faciunt, neutiquam tamen dubium iis haberetur, qui aliquid de Germaniae veteris statu perceperunt. *Marca* etiam adpellabatur is tractus Holsatiae, qui ripae Eidorae in Germaniae parte adiacebat; adeoque neque ambigi potest, quin qui *Marcae* praeerat, limiti custodiendo praefectus, dictus fuerit *Marchio*. De *Marca*, eiusque situ expressa sunt loca in *Annalibus* vulgo dictis *Eginhardi* ann. 825. ubi Imperator dicitur pacem, quam legati filiorum Godefridi petiverant, cum eis *in Marca eorum* confirmasse. Et ad ann. 828. „ Filii Godefridi, contractis su„ bito copiis, ad *Marcam* veniunt, & nostros *in ripa Egi*„ *dorae fluminis* sedentes, ac nihil tale opinantes, *transito* „ *flumine* adorti, castris exuunt. „ De *Marchione* etiam Eidorano non obscure iidem loquuntur Annales, ad ann. 818. ubi *Gluomi Nordmannici limitis custos* nominatur. Et an. 852.

men-

Slia circumluitur, & veſtigia etiamnum muri veteris (a) ruinae oſtenduntur: Inſuper & eam pacis legem ſtatuit, ut religionem Gormo Chriſtianam, cui eſſet infeſtiſſimus, toto ſuo regno admitteret (b). Poſtquam ex Hibernia, Canuto caeſo, uti dixi, Haraldus frater rediiſſet, diu Gormo interfectum ignoravit, etenim, quum tenere amaret iuvenem, aliquando in mortem eius, qui defunctum nunciaret, iuramento ſe obſtrinxerat. Itaque regina Thyra, prudens femina, quaeque ſanguini ſuorum parſum vellet, ut periculo intercederet, ſolertiſſimo commento, ipſa indicat marito, quamvis tacita; ac ſolenni quo-

mentio fit *cuſtodum Danici limitis*, h. e. Marchionum. Nam quin duo, vel plures nonnumquam fuerint in eadem *Marca* tum ad Eidoram, tum & ad Albim conſtituti, non ambiguum; ſic ad annum 818. iidem Annales: *Imperator Comitibus, qui iuxta Albim in praeſidio reſidere ſolebant, ut terminos ſibi commiſſos tuerentur, per legatos mandavit*. Neque alius fuit Marchio, quam Eidoranus ille, (non ſane Sleſvicenſis,) quem poſtea Ottonis M. tempore, una cum Legatis Imperatoris, Dani in ſua *Marca* inter Sleſvicum, & Egidoram interfecerunt, hiſque & aliis contra ius, pactaque perpetratis bellum ſibi ab Ottone M. adtraxere, quemadmodum in Haraldi Vita, inf. videbimus. Haec autem *Marca* poſtquam cum ſuo *Marchione*, per pactionem illam inter Regem Canutum M. & Imperatorem Conradum Salicum fuiſſet ſublata, miraretur aliquis quomodo verus eius ſitus, & hiſtoria in oblivionem venire potuerit per intervallum quinquaginta circiter annorum, qui inde ad Adami ſcriptionem effluxere, niſi exempla nos docerent, brevius nonnumquam ſufficere tempus poſſe ad memorias rerum corrumpendas, neque minus inſignibus, quam quarum nunc meminimus, falſitatibus adſpergendas.

Occaſione de *Marca* iam dictorum, non poſſumus ſilentio praeterire alterum Conringii errorem, de nominis *Danemarcae* origine. Subiecit nempe duobus ſuis *de Imperii finibus* libris tertium, *Adnotata* complectentem. In iſtis ad *cap.* 14. ubi de *Marchione Sleſvicenſi* agitur, haec legas: „ Perquam ſane „ veriſimile eſt, ortum hinc eſſe *Danemarcae* nomen in Ger- „ mania uſitatum; quumque primum pertineret ad ſolam illam „ Cimbriae Cherſoneſi partem ab Henrico I. & Ottone M. ſu- „ biugatam, poſt ad totum Daniae regnum, etiam quod eſt „ ultra Balthicum ſinum, uſu populari fuiſſe translatum. „ Talia apud eos dici, atque ſcribi, qui omnia a viris profecta, tanta, quanta Conringius fuit, doctrina, & auctoritate praeditis, exoſculantur, & tamquam ex Oraculo Apollinis Pythii edita ſibi putant, non multum miramur: Apud Danos vero, alioſque Septentrionales qui legunt, rident tamquam puerilia, exempliſque adnumerant temeritatis doctorum Virorum, in coniecturis nonnumquam ultra illa, quae intelligunt, aut didicerunt, ſeſe extendentis. Quamquam fatendum, non primum eſſe Conringium, cui iſtud de *Danemarcae* etymo ſuboluit, cum vulgarem iam ſuo aevo fuiſſe opinionem teſtetur Goldaſtus in *Memor. vet. Holſat.* apud Illuſtr. Dn. de Weſtphalen *Monum. rer. Germ. Tom.* 1. *pag.* 895. Quaererem ab illis, quantum temporis putarent requiri, ad adpellationem regni, apud hoſtes eius Germanos natam ſub Henrico Aucupe, & uni Cimbricae Provinciae primum impoſitam, deinde toti regno adplicandam, ita ut Dani univerſi, eorumque Reges, abrogato in perpetuum priore, ac vetuſto regni nomine, eam in communem, popularemque uſum transferrent? An hoc effici poſſe intra unum, alterumque crederent ſeculum? Sed ante etiam unum a regno Henrici Aucupis ſeculum elapſum, iam ſaepius *Danemarchiae* vocabulum in titulis, atque in litteris Regis Canuti M. adparuerat, quod ex eius Diplomatibus in Anglia editis manifeſtum. Eumdem quoque *Regem Danomarchiae* in litteris ſalutaverat Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis, *Biblioth. Max. Patrum Tom.* XVIII. *pag.* 27. *epiſt.* 97. quae anno 1020. ſcripta: Ne iam plures ex eodem ſeculo undecimo Scriptores, Emmae Encomiaſten, Wilhelmum Gemmeticenſem, Ingulfum, alios producam, apud quos *Danomarchiae* nomen occurrit creberrime. Hiſque omnibus, nullus ſane dubitaverit ex longa cum Danis conſuetudine fuiſſe perſuaſum, idem nomen ab ultima antiquitate, cuius nulla amplius exſtaret memoria, Daniae noſtrae adhaeſiſſe. Hinc Io. Wallingford, Abbas S. Albani, (ſi modo is, nec vetuſtior potius aliquis eſt auctor *Chronici*, quod in Hardecnuti obitu deſinens, in *Tomo* 1. a Th. Gale editorum conſpicitur,) *pag.* 532. ad Antenoris Troiani refert tempora: *Vocavit*, inquit, *nomen terrae regni ſui a Dana, quodam Rege, ex quo ſtemma produxerat, Danemarchiam, nomenque ſatis hiſtoriae conſentit*. Et mox, de alia origine loquens, a *Gothis*, qui Scantam inſulam inſederint: *Alter*, ait, *populus ab eadem vagina, ſcilicet Scanta inſula erumpens, cum Rege ſuo Berig, intra Germaniae ſinus Maeotidas paludes occupavit, & in ſecunda ſede Danemarchiam*. Quae pariter exſtant in Gemmeticenſ. de *Geſtis Normann. lib.* 1. *cap.* 4. Nugas eſſe dices, quas adlego: Ego vero tales adfirmo, quae demonſtrent, veteres illos Anglos longiſſime a Conringiana ſententia abfuiſſe, quod *Danemarchiae* vox tam recentis, quam limes ille Germanorum, ſit originis. At quid dices, ſi teſtem etiam protulero, regno Henrici Aucupis multo antiquiorem? Otherus ille eſt in *Periplo*, ſeu *Relatione ſua ad Alfredum Angliae Regem*, ubi *Denemarcam* omnino ter videbis nominatam; quod monumentum Spelmannus in *Appendicibus ad Alfredi Vitam num.* 6. *pag.* 205. exhibuit. Alfredum M. ad quem haec ſcripta fuerunt, novimus omnes e vita exceſſiſſe ipſo anno 900. adeoque pluribus annis antequam vel Henricus I. vel deceſſor eius Conradus de obtinendo Germaniae Imperio poterant cogitare. Haud ergo neceſſe porro, ad opinionem, tam alioqui fragilem, evertendam, domeſticis argumentis uti, ſive ex Snorrone Sturlaeo, aliiſque Islandis Sturlaeo vetuſtioribus, quippe qui *Danum* cognomento *Mikillati*, ſeu Magnanimum, ſeculi a Chriſto ſecundi Regem, *Danemarkae* ἐπώνυμον communi conſenſu faciunt; ſive ex monumentis ſaxeis, in quibus idem vocabulum Runis noſtris exprimitur; ſive ex Edda, ubi *Danmarkar aucka* (h.e. Daniae augmentum) legitur in Bragonis poetae carmine, quem poetam vergente ſeculo octavo (centum quinquaginta annis ante Henricum Aucupem) floruiſſe certiſſimum. Nunc, ſi etymon conſideremus, quod in nomine *Danemarkae* non tantum Conringius, ſed & ipſe Leibnitius *Tomo* 1. *Scriptorum Brunſv. pag.* 29. pleriſque ſibi finxerunt, quaſi nimirum *limitem* ſignificet, monſtrabimus & hoc eſſe falſiſſimum. Neque, ut illi putant, ſequitur, quia *Mark* terminus eſt, & limen Germanis, & quia *Merke* apud Danos eodem ſignificatu dicitur, ideo *Danemarkae* nomen iſtuc quoque pertinere. Enimvero *Mark* in Danorum lingua, ex uſu tam antiquiſſimo, quam hodierno, *campum* notat, regionemque etiam *campeſtrem*, ſilvoſam utplurimum *planam*, *minuſque montoſam*. Islandi veteres hoc ſenſu ſaepe *Maurk*, & *Mork*, ſcripſere. Vid. Gudmundi Andr. *Lexicon Island.* Quin etiam idem, quod Germanorum *Feld*, Danorum illud *Mark* exprimit, uſque eo ut, (quemadmodum *Campus* Latinorum,) *locum pugnae* non minus, *caſtrorum*, & *expeditionum* deſignet; ſed & inſuper *ſedem* alicuius *populi*; ita ut *Mark* in compoſitione, ſit *Terrae*, *Provinciae*, imo *Regni* ſynonimum. In Norvegia tres habemus provincias, ſeu diſtrictus grandiores inde nominatos, *Heidemark*, *Tellemark*, *Finmark*, hoc eſt, *Heidarum*, *Tellarum* (priſcorum populorum,) & *Finnorum* ſedes, aut regiones, quas inhabitant. Lapponiae pars Svecis ſubiecta in quinque, vel ſex partes diſtingui ſolet, quas peculiari nomine adpellant *Marker*, ideſt *terras*, ſeu diſtrictus, *Pita-Lapmark*, *Torne-Lapmark* &c. Sic Buraeus, & Schefferus. Non ſane, quod Regum Germanorum aliquis *Marcas* conſtituit, *Marchioneſque* ordinavit in Norvegia. Verbo, ſi curioſior aliquis a me exquirat rationem compoſitionis cum *Mark* in *Heidemark*, *Tellemark* &c. reſpondebo, nihil aliud hanc vocem ſignificare, quam *Lanem*, in aliis eiuſdem naturae, & qualitatis Norvegorum diſtrictibus, *Hadeland*, *Opland*, *Halogeland*; *Rige* in *Raumarige* (ſimili Norvegiae provincia) imo in *Frankerige* (Gallia,) *Sverrige* (Svecia) *Land* in *Engelland* (Anglia) *Iutland* (Iutia) *Laaland* (Lalandia,) ac denique *Mark* in *Danemarka*, quod regnum, ſi primo illi impoſitori placuiſſet vocare *Daneland*, vel *Danerige*, haud ſane plus, minuſve, idem vero, quod hodie denotat, dixiſſet.

(a) *Veſtigia muri veteris*] Rudera arcis nihil probare poſſunt de Henrico Aucupe. Quis vero illam Regum noſtrorum olim aedificarit, hodie, cum plurium aliarum conditoribus, ignoratur. Cypraei, qui Meurſium ſeduxit, fides nulla eſt in rebus tantae antiquitatis.

(b) *Vt Religionem Gormo admitteret*) De Gormone tamen ipſo id negant Adamus, & qui eum ſequuntur, atque ad filium eius Haraldum referunt. Verba illius ſunt *lib.* 1. *cap.* 59. „ Vnno pervenit ad Danos, ubi tunc crudeliſſimus Gvvrm re- „ gnavit, illum quidem pro ingenita flectere nequivit ſaevitia; „ filium autem Regis *Haraldum* ſua eſt praedicatione lucratus, „ quem ita Chriſto fidelem perfecit, ut Chriſtianitatem, quam „ pater eius odio habuit, ipſe haberi publice permitteret, quam- „ vis nondum baptiſmi ſacramentum acciperet. „ Atque hic omnia Adamum recte, & ex vero dixiſſe puto, ipſaque haec ex Vnnonis *Actis*, ut probabile, deſcripſiſſe. Gormo, quum iſta agerentur, ſenex erat nonagenarius, ideoque non mirandum, haud veterem ſuperſtitionem exuiſſe. Ab Haraldo, qui partibus eius in adminiſtrando regno fungebatur, tantum impetrabat Vnno, ut praedicationem Verbi Divini toleraret, nec obſiſteret *Frothoni*, Iutorum Regulo, qui palam Chriſtianiſmum omni promovebat ſtudio, de quo ſuperius diximus. Addemus tantummodo, ne quis miretur, poſt eiectos, & debellatos dudum a Gormone Reges Iutiae, hunc tamen Frothonem eodem titulo inſignem poſtea obſervari; quod nempe olim toto Septentrione idem mos viguerit, quem apud Anglos adnotavit Torfaeus *Hiſtor. Norveg. P.* 2. *pag.* 162. ubi Alfre-

quodam die, quum is vestes tempori convenientes postularet, illa funebres proferri (a), & exsequiis aptas iubet; quis conspectis, *video quid velis*, inquit: *periit Canutus meus*; atque, illa respondente, *non hoc ego tibi nuntio, sed mens tua auguratur*; animi moerore oppressus, exspiravit. Mortuo patri funus fecit, sicut rege dignum erat, filius

HARALDVS VI.

quem Blotandum (b) cognomento adpellarunt; adeoque etiamnum exstat saxum in Iellingi coemeterio (c), Runicis inscriptum literis, clarum veteris sepulturae monumentum. Is, ad regnum iam admotus, quum in Anglia Adelstanus diem suum obiisset, & Haquinus rex Norvagiae, eam sibi testamento Adelstani (d) velut debitam vendicaret, minime committendum ratus, ut concederet, armis agere rem constituit. Ac iustissima causa erat, quando pater Adelstani, Hetelredus, proprio excluso filio, eum dudum heredem scripserat; sed, avunculi reverentia, pacem eius perturbandam non putarat. Itaque, quum mox Haquinus hanc invaderet (e), ne, quae virtus, pietasque in avunculum pridem fuerat, nunc ignavia videretur, bellum parat; & occasionem quoque Haraldus dabat (f), regio in Norvagia genere oriundus, qui subspectus adfectati illic regni, ideoque patria profugus, opem ab Haraldo petit, & tributum pollice-

Alfredus, & Adelstanus, fines imperii sui intra Angliam prolatantes, varios minores Reges, quos debellabant, titulis Regiis mulctatos, ad Comitum sortem, conditionemque, quosdam etiam inferius detrudebant; prohibere tamen non poterant, quin vulgus eos ex consuetudine Regum adpellatione honoraret.

(a) *Illa funebres proferri*) Sic in *Historia Olavi Tryggv.* „ Thyra „ universam aulam tapetiis nigris, cineraceisque insternendam „ curavit, certo publici luctus indicio. - - - - Quibus auditis, „ Gormo sedem, unde surrexerat, repetiturus, praeceps labens, „ actutum expiravit. „ Superius adnotavimus, extare narrationem de Knuti morte, quae a Saxonis, & Meursii illa discrepat. Hi occisum ab hostibus perhibent in Hibernia. Alii vero, sublatum e medio scripserunt ab Haraldo fratre, quem libidine integri regni a patris fato potiundi, nec non invidia accensum ob immensa in fratrem patris, populique studia, scelus perpetrasse, existimabat quidem Torfaeus, Islandis suis credulus, quum *Trifolium Historicum* scriberet, *cap.* 4. *pag.* 14. sed in opere serius evulgato, *Histor. Norv. Tom.* 2. *pag.* 278. de veritate facti dubitavit. Ego quacumque morte extinctum Cnutum, certe vita excessisse haud dubito multis ante Gormonem patrem annis, ob rationes, quas supra exposui; adeoque illud, quod de connexo filii, & patris obitu memoratur, fabulis adcensendum.

(b) *Quem Blotandum*) Sic quidem pronunciatione effertur; sed ex orthographia linguae Danicae rectius scribitur *Blaatandus*, h. e. caeruleos habens dentes, vel lividos, & nigros. *Blaa*, caeruleus, *Tand*, dens. Hinc Torfaeus perpetuo Haraldum *Caerulidentem* vocat. Multa de hoc cognomine vernaculo collegit Thomas Bartholinus iun. in doctissimo opere de *Causis contemptae mortis pag.* 222 *seq.*

(c) *Saxum in Iellingi coemeterio*) Exstat revera, & superat in hunc diem famosum monumentum, fuse ab Olao Wormio descriptum *Monumentor. Danic. lib.* 5. *a pag.* 326. *ad p.* 338. Ante Wormium in eodem nonnihil operae posuerat Bonav. Vulcanius in Libro *de Literis*, & *Lingua Getar. pag.* 44 nactus delineationem eius a Ios. Scaligero, quocum Henr. Ranzovius, inclytus olim Holsatiae Prorex, illam communicarat; ac post Vulcanium Petrus Lindebergius, in *Rerum memorabilium Commentar.* cuius libri pars maxima laudato Ranzovio debetur. Wormii autem descriptio omnium accuratissima, uti & Stephanii illa *notis ad Saxon. pag.* 203. Huic enim eaedem, quae Wormio, inservierunt formae ligneae, utrumque saxi latus, & characteres Runicos, cum aliis figurarum monstris exprimentes. Num vero iidem doctissimi viri pari felicitate versati sint in explicandis Runis, & vocibus, quas eae componunt, admodum dubitatur. Neque minoris momenti dubium, num quod tempio Iellingensi adiacens saxum omnium oculis patet, quodque Haraldum ipsum tumulo Gormonis patris imponi curasse haud difficulter creditur, figuras, & litteras, hodie quas ostendit, insculptas quoque Haraldi aetate habuerit. Etenim varia in vocibus observantur νοθείας, novitatisque indicia, similem ei, quae in Gothlandicis regnat antiquitatibus, imperitiam sermonis veteris loquentia. Legantur quae huc spectantia monuit Torfaeus in *Praefat ad Trifol.*

(d) *Testamento Adelstani*) Fabula est, a Saxone, vel alio ante eum, conficta, de testamentis *Edelredi*, & *Adelstani*, Regum Angliae, quibus ille scilicet Haraldum Danicum, tamquam ex Thyra filia nepotem, hic autem Norvegiae Regem, ob concessam Angliae pacem, & promissa contra Haraldum Danorum Regem auxilia, heredes scripserint. Quae duo testamenta non tantum nullis sive Norvegicarum, sive Anglicarum historiarum auctoritatibus fulciri, sed & omni verisimilitudine carere Torfaeus rectissime ostendit *Histor. Norveg. Tom* 2. *lib.* 5. *cap.* 13. & *Trifol. Histor. cap.* 7. *pag.* 13. Pigeret me laboris, si omnes docti viri rationes hic transcriberem. Breviter tantum ostendam, Saxonem aeque Genealogiae, atque Chronologiae fuisse imperitum. Adelstanum filium facit, quemadmodum & Meursius, Edelredi, quum tamen Edvardo I. natus sit, Edelredi fratris filio. Adelstani sororem Thyram, Haraldi matrem fuisse scribit, quod antea nobis refutatum, nunc haud opus redarguere. Solum adscribemus ex recenti Scriptore Rapino haec verba *Tom.* 1. *pag. m.* 331. *Les historiens de Danemarc donnent encore a Edovard l' Ancien une fille nommée Thyra, qui, selon qu' ils l' assurent, fut femme de Gormon III. l' un de leurs Rois. Il est etonnant, que ceux ci parlent si affirmativement d' une Princesse Angloise, dont les Historiens d' Angleterre ne font aucune mention.* Bellum denique Saxo fingit ab Haraldo Pulchricomo Rege Norvegiae Anglis illato; quum tamen nullas istuc expeditiones, sed tantum adversus Haebudas, Orcadas, aliasque Scotiae adiacentes insulas susceperit; cum Adelstano autem Angliae Rege, multis victoriis claro, amicitiam coluerit, ac tamdem filium ei suum educandum miserit, inde *Haconis Adelstani alumni* (*Adelsteins Fostre*) adpellatione illustrem. Causam, seu occasionem educationis si quis cognoscere avet, non solum in Torfaei *Histor. Norveg. Tom.* 2. *pag.* 63. & *seq.* inveniet, sed & ex Snorronis Sturlaei *Chronico Norv.* exceptam in Stephanii *notis ad Saxon. pag.* 196.

[e] *Quum mox Haquinus hanc invaderet*] Aeque hoc falsum, atque priora ista. Haquinus iste, seu Hacon *Adelstani alumnus* dictus numquam Angliam invasit. Is potius, perlata in Angliam fama de morte patris Haraldi Pulchricomi, inde, suppeditante subsidia ipso Adelstano, in Norvegiam rediit anno 934. & faventibus civium studiis exceptus, fratrem maiorem, sed non eadem matre natum, *Ericum Blodoxium* e regno expulit. Ericus autem, collecto exercitu, primo in Scotiam transgressus, deinde in Angliam pervenit, ubi Northumbriam ab Adelstano beneficiario pacto obtinuit, pacto, inquam, ut acceptam terram adversus Danicos piratas, nec non Scotos tutaretur, cumque familia, quam adduxerat, exercituque Christianam amplecteretur fidem. *Obtinuit* (verba sunt Torfaei *Hist. Norv. Tom.* 2 *pag.* 184.) *Adelstanus hac sua prudentia, ut obnoxios sibi Norvegos omnes haberet, tam eos, qui res Haconis, alumni sui, promovebant, quam qui exules Ericum sequuti erant, quorum & viribus tutam ab omni externo insultu Angliam praestaret, internasque seditiones metu ipsorum coerceret, ipse finitimorum Regum potentiae, fortunaeque arbiter.* Adelstano, qui ad finem vitae maximus Norvegorum fautor perstitit, anno 941. mortuo, Ericus metu fratris eius, qui successerat, Edmundi, in se minus propensi, Northumbria relicta, in Orcadas concessit; inde Angliam populatus; ubi ab Olavo quodam Rege, ab Edmundo finibus tuendis praefecto, exceptus, in pugna interficitur. Interim Hacon, seu Haquinus, Adelstani alumnus, Norvegiae solus imperabat, ac Danos, qui piraticis suis expeditionibus Norvegiae oras infestabant, pulsos, in Iutiam usque persequutus est; quibus easdem, & maiores etiam calamitates, quam illi umquam Norvegiae intulerant, reposuit. Hac severa nimis vindicta sua Regi Daniae, Haraldo nostro Blaatando, occasionem dedit, aures praebendi sollicitationi filiorum Erici Blodoxii, qui cum matre Gunhilde, singularis astutiae faemina, & crudelissima, in Orcadibus commorabantur, ut auxilia eis ad repetendum ab Hacone regnum Norvegiae promitteret. Itaque illi in Daniam advecti, perbenigne excipiuntur ab Haraldo, qui filiorum Erici unum, Haraldum nomine, genubus suis, sanctioris nexus symbolo impositum, in aula deinde sua educavit. Iste vero Haraldus puer, filius Erici Blodoxii, & postea *Grafeldi* cognomento notus, irruptione in Norvegiam facta, postquam & Gamlius frater, & Hacon *Adelstani alumnus* in bello ceciderant, sceptrum Norvegiae adipiscitur anno 950. Haecque omnia Torfaeus *Histor. Norveg. Tom.* 2. *libris* IV. & V. late persequitur.

(f) *Occasionem Haraldus dabat*] His Haraldus *Grafeldus* designatur, Erici Blodokii filius, Haraldi Pulchricomi nepos, de quo iamiam meminimus.

cetur. Itaque decernit classem sub Hevindo, & Carlosto [a], qui quum in Norvagiam mox traiecissent, & Haquinus, quia navibus inferior, pugnam in mari subterfugeret, terra praeliari adgressi, ex insidiis a Thoralvo profligantur; & Haquinus quoque ipse post victoriam, dum insequitur palantes, & eorum intercipere classem, parat iaculo, quod quis misisset ignoratum interficitur: Cuius morte quum Norvagia ad Haraldum pertineret, ille eam alteri Haraldo tradit, pridem supplici, & tributum, quod promiserat [b], soluturo. Hinc in Angliam, quae iam a Gormonis tempore, eius nominis II. denegaverat obsequium, se convertit: Qua subacta [c], Vandalos in ordinem cogit, mare Balticum infestantes. Dum ad bellum id se parat, Sturbiornus, Biornonis Sveci filius [d], ab Erico regno patrio eiectus, supplex venit, comitem exilii sororem trahens, nomine Gyritham, forma, & moribus excellentem. Rex auxilium pollicetur, Gyrithamque matris suasu, uxorem capit: Inde, omnibus expeditis, Sturbiornum belli in Vandalos socium adsciscit sibi, copiisque per Holsatiam, & agrum Slesvicensem ductis, mox Coloniam, novam urbem [e], ab Henrico Aucupe structam, uti paulo ante dixi, caeso praefecto, in deditionem accipit, obviosque ab Othone I. legatos domum remittit; paululumque ibi loci commoratus, vetus urbi nomen reddit, & hanc regno. Quibus gestis porro in Vandalos progressus, acta ex vicinis agris praeda maxima, urbium maritimarum plurimas per vim expugnat; quaedam ultro sese dedunt; ac militiae illic praemium Stur-

[a] *Carlosto*) Corrig. *Carlhofto*. Sic enim apud Saxonem. Ac de his duobus, *Evindo*, & *Carlofto*, nec non *Thoralvo*, qui eos profligavit, legatur *adnotatio* Stephanii, *pag*. 196. *seq*.

(b) *Tributum, quod promiserat*) De Haraldo Grafeldo minime hoc potest intelligi; nihil enim tale in Norvegorum historiis. Verum illo in Iutia, quo pacatus accesserat, fraude, atque invidiis Haconis Comitis, caedem paternam ulciscentis, peremto, [anno 962.] quum Haraldus Caerulidens, Rex Daniae, sibi Norvegiae regnum adsereret, alium Haraldum, cognomine *Graenskium* nepotum Pulchricomi unum, elegit, iuvenem octodecim annorum, cui Norvegiae partem aliquam illa ipsa, cuius Meursius meminit, conditione concessit; maxima interim auctoritate Comiti Haconi, tamquam suo per Norvegiae regnum vicario, adtributa. De Hacone isto Comite auctor *Knytlingorum Historiae* haec scribit *cap*. 1. „ Haraldus Rex Daniae in Norvegiam cum copiis movit, ubi „ regionem totam subiugavit, atque ei Haquinum Comitem, „ Sigurdi filium, praefecit, ista conditione, ut ex universa „ terra Regi Daniae tributa solveret. „

(c) *Qua subacta*) Familiaris admodum consuetudo Saxoni, & Scriptoribus Danicis, ubi de Anglicis Regum nostrorum expeditionibus loquuntur, synecdochen istam totius pro parte usurpandi. Angliam numquam totam Daniae Reges in potestatem suam redegerunt ante Svenonem, & eius filium Canutum M. Ab his vere universa subacta Anglia, & possessa fuit. Igitur Northumbria, & quaedam ei vicinae partes in Occidentali Anglia intelligendae, quoties de regno, & potentia Danorum in ista insula a Lodbrogidarum temporibus ad Svenonem usque sermo est. Iam, quod ad Haraldum nostrum Gormonidem, seu *Caerulidentem* spectat, haud quidem is umquam, quantum ex aliis colligitur, in Angliam movit ipse; filiorum tamen suorum unum cum copiis eo misit. Animadversum hoc olim Hvitfeldio ex collatis duorum Scriptorum locis confirmatur. Quorum alter Adamus est Bremensis *lib*. 2. *cap*. 15. haec exhibens: „ Anglia, ut in *gestis* „ *Anglorum* scribitur, post mortem *Gundredi*, a filiis eius *Analaph*, *Sigtrich*, & *Reginold*, per annos fere centum permansit in ditione Danorum. Tunc vero *Haroldus*, *Hiring* filium „ suum misit in Angliam. Qui, subacta insula a Northumbris, „ tamdem proditus, & desertus est. „ Alter Florentius Wigorniensis, primum ad annum 949. „ Northumbrienses egregio „ Regi Anglorum Edredo fidelitatem iuraverunt, sed non illam diu tenuerunt. Nam quemdam Danica stirpe progenitum, *Ircum* nomine, super se Regem levaverunt. „ Deinde „ ad annum 950. „ Rex Edredus totam Northumbriam devastat. - - - Et Northumbrienses timore perterriti, *Ircum*, „ quem sibi Regem praefecerant, abiecerunt. „ Itaque non dubito, quin iste sanguinis Danici Princeps fuerit Haraldi Regis filius, *Hiring* Adamo, *Irc* Florentio, sed vero nomine *Eric* adpellatus.

(d) *Sturbiornus, Biornonis Sveci fil.*] Mirum quantum Saxoniana haec a veris Norvegorum, & Islandorum narrationibus de Styrbiorno dissident. Harum summa haec est: Biorno II. *de Colle* cognominatus Rex Sveciae, moritur anno 923. Ei filii Ericus Victoriosus, & Olavus succedunt. Olavus, veneno sublatus, filium relinquit, Biornum nomine, qui sub nutricatu Vlfi, avunculi sui, in aula patrui Erici educatur. Adolescens, quum intra regnum intolerabilis, & ob ingenium praeceps, & indomitum civibus invisus videretur, cum classe ex milite in expeditiones extra regnum ablegatur a patruo, qui abitum eius, & absentiam, tamquam rixarum, caediumque inducias mercatus est, nomenque ipsi *Styrbiorni* a turbido ingenio indidit; *Styrre* enim turbare denotat. Tum Styrbiornus in Vandalicas oras infusus, post triennium Iomsburgum expugnat, seque ibidem Principem constituit. Inde Daniam infestat; ubi pace demum facta, Thyram Haraldi Regis filiam in matrimonium accipit. Brevi post Iomsburgo in Daniam redit, copiis, navibusque instructior, socerumque Haraldum ad iungendas secum vires regnum Sveciae occupaturo, minis adigit. Caruit successu expeditio, Erici Sveciae Regis (is Styrbiorni erat patruus,) exercitu, partim sapientis viri Thorgnyris consiliis, partim prodigiosis Idolorum auxiliis, victore. Caeso itaque Styrbiorno, Haraldus Caerulidens Rex Daniae, universaeque Danorum copiae, fuga domum suam repetunt. *Knytlingorum Historia* succinctius paulo, & sepositis prodigiorum fabulis rem ita exponit *cap*. 2. „ Tempore Haraldi Gormonidae *Styrbiornus Robustus* in Oriente (h. e. Vandalia) piraticam faciebat. Hic filius erat Olavi, „ nepos Biornonis Svecorum Regis. Styrbiornus ille cum exer- „ citu suo in Daniam venit, captoque Haraldo Rege, filiam „ ipsius Thyram, consentiente patre, matrimonio sibi iunxit. „ Hunc & Haraldus in Sveciam euntem comitatus est. Styr- „ biornus antequam in terram exscenderet, ignibus omnes na- „ ves suas cremavit. Igitur Haraldus Styrbiornum videns na- „ vibus destitutum, suas ipse in Melerum deducit, ac in Da- „ niam revertitur. Styrbiornus cum Erico Victorioso, Sveciae „ Rege, patruo suo, arma in campis Fyrensibus conseruit, ubi „ maxima exercitus parte caesa, paucis tantum fuga elapsis, „ interiit. „ Ex hac narratione non solum Saxo, & Meursius, sed & ipsi Svecorum historici, quantum ad Styrbiornum, corrigendi; quum Ioannes Magnus, turpius etiam, quam Saxo errans, Loccenium seduxerit. Prelium Fyrisvallense, quo cecidit Styrbiornus, Torfaeus inter ann. 980. & 984. factum fuisse invictis argumentis probat, *Trifol. pag*. 80. adeoque diu post Ottonis I. Imperatoris cum Haraldo bellum; quod tamen continuo cum historia Styrbiorni, ac post illam collocatum, Saxo connectit, sed ingenti, ut diximus, errore. Vid. insuper laudati Torfaei *Hist. Norv. Tom*. 2. *pag*. 292.

(e) *Coloniam, novam urbem*) Slesvicum scilicet, quam Meursius supra scripserat ab Henrico Aucupe extructam, & colonis eo ex Saxonia translatis repletam. Notissimus omnibus est Adami Bremensi locus, sed tamen, quia unicus de ea re, nobis hic repetendus, *lib*. 2. *cap*. 2. *In Danos* (*Otto I.*) *arma corripuit, quos ante pater eius bello compressit. Enimvero tunc rebellare moliti, apud Heidebam legatos Ottonis cum Marchione trucidarunt, omnem Saxonum Coloniam funditus extinguentes. Ad quam rem ulciscendam, Rex cum exercitu invasit Daniam: Transgressus terminos Danorum, apud Sliasvig olim positos, ferro, & igne totam vastavit regionem usque ad Mare novissimum, quod a Danis Nordmannos dirimit*. Quae quidem & Albertus Stadensis ad an. 948. & Helmoldus in *Chron. Slav*. & Chronographus Saxo ad 952. & nescio quot non alii minutiores, iisdem Adamicis verbis repetunt. In quibus ipsis verbis ut nonnulla inesse vera, ita & quaedam falsa, alia hyperbolice dicta adgnoscimus. Verum, certumque est, Ottonem I. Caesarem arma in Danos corripuisse, postquam ii Saxonum Coloniam extinxerant, legatosque Ottonis cum Marchione trucidarant; verum itidem, transgressum terminos Danorum, in Daniam penetrasse: Falsum vero, Coloniam illam Saxonum fuisse Heidebae collocatam; falsum, Danorum terminos umquam apud Sliasvig positos, & Marchionem ibi sedem suam habuisse. Nimis denique exaggeratum, totam Iutiae regionem ferro, & igne vastasse, & ad Mare novissimum, quod Norvegiam, & Daniam dirimit, penetrasse. In *rebellandi* verbo neutiquam difficiles erimus, quum illud haud necesse est de excusso obsequio interpretari, sed de novis susceptis bellis, ac redintegratis, quemadmodum saepe non medii tantum aevi, sed & optimis ac purissimis Latinitatis auctoribus usurpatur. Ceterum quod ad causam attinet infractae a Danis pacis, puto eam apud auctores Adamo vetustiores quaerendam: Witichindum intelligo, ac Ditmarum. Hi nihil quidem de legatis trucidatis, uti ne- que

Sturbiorno dat Iulinum [a], oppidum tunc magnum, potens, & praecipuum Vandaliae; tum instructam classem addit, qua & urbem, & mare Balticum tueretur, Vandalosque solitis excursionibus prohiberet. Sturbiornus, quum Iulino aliquamdiu praefuisset, ac piratas domuisset, maxime Haraldo carus, animo iniuriam Erici versans, neque ultra regno patris se per vim privatum ferens, ab Haraldo auxilium petit; neque is, virtute viri, & adfinitate motus, id gravate pollicetur: Simul militem conscribit; &, Erico arma infesta illaturus, per Hallandiam copias in Sveciam ducit. Quod dum agit, nuntiatur Otho I. Imperator Cimbriam [b] cum magna manu invasisse, & iam ad interiora Chersonesi properare. Causae belli in Haraldum Othoni erant, quod legatos contumeliose satis habuisset, Vandalosque, dum abesset in Italia, subegisset, & in agro Slesvicensi deiecisset munimenta, ab Henrico illic patre excitata. Accedebat, quod quantumvis

que de eventu belli, pactisve, ad quae Adamus narrat redactum ab Imperatore Haraldum, loquuti, (quod ipsorum silentium miratur, & aegre fert Conringius *de Finibus lib.* I. *cap.* 14. §. 3.) indicant tamen, facem & auctorem belli fuisse Wichmannum, quem nonnulli Stubesgehornium cognominant, cuiusque multa in historia Ottonis fit mentio. Is armis contra Imperatorem sumtis, a patruo suo Hermanno Billingo Duce oppressus, & trans Albim fugatus, Regulos barbarorum, (seu Slavorum) iam olim Saxonibus infestos, sibi sociavit, Witichindo teste *lib.* 3. *pag.* 657. quam ad societatem Danos quoque, ultra Eidoram habitantes, accessisse, omnia sane arguunt; idque Ditmarum dicere voluisse, quando (*pag.* 333. *edit. Leibnit.*) postquam devictum dixerat Wichmannum, tam abrupte illam de Popponis in Dania miraculo narrationem inchoat; ita ut vel ex hoc loco videar mihi colligere posse, Ditmarum olim hinc inde mancum, nondum primae suae integritati *restitutum*. Rebellasse postea Wichmannum iterum, atque iterum Witichindus dicit *pag.* 659 & ex Danis tum collectum exercitum habuisse, ex annalibus vetustioribus docet Geo. Fabricius *Memorab. Saxon. lib.* I. referens ad annum 964. Certum enim hoc contigisse per absentiam Ottonis M. in Italia, quippe quod Witichindum legenti clarum, evidensque. Ait ille *loc. cit.* Wichmannum *aequanimiter se continuisse, donec Imperatoris adventum speraret*; pergitque his verbis: *Quum eius* (Imperatoris) *reversio differretur, ad aquilonares partes se contulit* (Wichmannus,) *quasi cum Danorum Rege Haraldo bellum ab integro machinaturus. At ille mandavit ei, si Ducem* (Hermannum Billingum) *necasset, vel alium quemlibet Principem, nosset sine dolo eum sibi sociare velle, aliter rem fraudulenter agitasse non dubitaret.* Cunctabatur certe aliquamdiu Haraldus, neque tam promte fuerunt submissa ab eo auxilia. Patet hoc ex iis, quae *pag.* 660. legimus, quod cum Wichmannus, adsociatis sibi Slavis, (nec non, ut Fabricius adnotavit, *Danis quibusdam latronibus, qui piraticam exercebant,*) infeliciter rem gessisset, postea a Slavorum subregulis excitatus, arma denuo resumsit, ac in Slavorum urbem, ab Hermanno Duce obsessam, ingressus cum paucis est, *quasi ad extrahenda sibi de Danis auxilia*. Extraxisse tamen nulla videtur; urbs enim intra haud multos dies fame ad deditionem redigitur. Wichmannus quidem elapsus *iterum se paganis immersit*, coepitque cum Slavorum quibusdam agere, dum inter haec ab inimicis oppressus, tamdem viriliter pugnans morte occubuit. Itaque nihil apud historicos, quorum fuisset de Haraldo contra Ottonem bello commemorare, aliquid eius exstat, quamdiu in vivis erat Wichmannus; atque eius fatum ad annum spectat 964, non ut Sigebertus habet 967. Interim haud quidquam verisimilius, quam circa eadem ipsa tempora Haraldum iam aperte hostem induisse, atque eas in vicinos Saxones calamitates, & contumeliam edidisse, quae vindictam exposcebant, ac Ottonem ad maturandum suum ex Italia reditum impellebant. Ita enim Witichindus, continuo post epistolam illam prolatam, quam ad Duces, & Praefectos Saxoniae Otto ex Campania scripserat: *His literis lectis, in conventu populi, in loco qui dicitur VVerla - - - visum est pacem iam datam Redariis oportere stare, eo quod tunc bellum adversus Danos urgeret, & quia copiae minus sufficerent ad duo bella pariter conficienda*. Equidem graves fuisse causas, quae *bellum adversus Danos urgebant*, nullus dubito, ut hoc ipsum proceres minus se defugere posse existimarent, quam alterum illud contra Redarios. Itaque vera nobis narraverit Adamus, quando legatos cum Marchione interfectos scribit; hos enim missos fuisse a Saxoniae Ducibus, & Praefectis, ut a bello Haraldum averterent, credibile. Facta quoque caedes apud Slesvicum, postquam eo in itinere pervenissent. Reliqua, ad historiam hanc, quae attinent, in sequentibus examinabimus.

(a) *Sturbiorno dat Iulinum*] Iulinum, urbs Wandaliae eius partis, quae hodie Pomerania dicitur, alio nomine *Iomsburgum*, ab Haraldo nostro fertur condita. Vid. Torf. *Trifol. cap.* 12. *pag* 59. ubi an *Iumneta*, seu *Iomsburgum*, & *Iulinum* eadem urbs sit, disputat. De urbis istius per sequentes aetates celebritate, & amplitudine multa in nostris leguntur. Nos hic saltem animadvertimus, Styrbiorni historiam, ita ut a Meursio secundum Saxonem exponitur, male cohaerere, omnino ex iis corrigendam, quae iam iam adtulimus.

(b) *Otto I. Imperator Cimbriam*) Haec diu ante Styrbiornum, bellumque illud Svecicum evenerunt. Ergo ea neque in historia postponi, neque connecti oportet cum Styrbiorno, rebusque Svecicis. Ad Ottonem quod attinet, recte quidem *primo* eius nominis, quem *Magnum* adpellamus, adscribitur illa in Cimbriam nostram expeditio, etiamsi expressis Witichindi, & Ditmari testimoniis destituitur. Nam praeter paucissima illa verba, quae modo ex istis auctoribus indicavimus, duoque elogia, alterum ad Witichindei operis calcem, alterum apud Ditmarum *lib.* 2. *pag.* 340. quid erit, quod de Cimbrico eius bello testetur? Et quomodo se habent duo ista elogia? Ditmari hoc est tantummodo: *Interpositis diebus quinque, Italiae Daciae, & Saxoniae solus Otto primus obiit.* Vnde quid, quaeso te, confeceris? Witichindi autem *Populus pro eius laude* (tum defuncti,) *& gratiarum actione multa loquutus memoravit eum paterna subiectos rexisse pietate, ab hostibus eos liberasse, superbos hostes Avares, Saracenos, Danos, Slavos armis vicisse*. (*Vicisse* ait, non profecto *subiugasse*, quemadmodum maligne in rem suam citavit, solos hic *Danos* nominans, Conringius *l. c.* §. 4. *p.* 128.) Verum quum haud aliud de *Danis* dicitur, quam de *Saracenis*, quos in animo quidem habuit Otto oppugnare, numquam autem, ut fatentur omnes historici, praestitit, quid etiam inde concludemus? Nempe disiecisse globum Danorum in Saxoniam irruentium, non vero illud, quod Adamus tanto adparatu exponit. Et ad hunc solum Scriptorem tam saepe in rebus ante suum aevum, tempora, hominesque confundentem, redactos esse, quam infirmum, & fragile? Nam Stadensis, & Helmoldus, Annalista Saxo, & Chronici Sclavorum Auctor, Herm. Kornerus, & Alb. Crantzius, & sexcenti alii exscriptores verborum Adami, ne unum quidem vere dicendum testem componunt. At non desunt tamen, quibus permovemur, ad nonnihil Adamo fidei hic adiungendum; *primum* quando spatium annorum consideramus, qui a decreta ista tantopere *urgente contra Danos* expeditione usque ad mortem Ottonis I. effluxere. Decretam enim fuisse anno 964. ex Witichindo ostensum. Neque ullam praecessisse aliam puto, quamvis cum Card. Baronio, Calvisius, Phil. Labbeus &c. ad ann. 949. Schurzfleichius, Labbeum reprehendens, cum Alb. Stadensi, Crantzio, & Lambecio ad ann. 948. Chronographus Saxo, & Annalista Saxo ad 952. ea quae ex Bremensi describunt, referant, non alio fundamento innixi, quam quia ex Adami verbis, quae insequuntur, hoc omnino, etiamsi praeter auctoris mentem, concludere volunt, nullos fuisse in Dania Episcopos constitutos, ante illud Ottonis bellum cum Haraldo. Id vero falsissimum esse, posthaec nobis demonstrandum, ubi etiam de *diplomate* Ottonis I. & altero Ottonis III. differemus. Islandorum Annales, & alia monumenta nihil hic iuvant, tantus inter eos est dissensus, & in uno, eodemque Scriptore saepe inconstantia, fatente Torfaeo *Trifol. Histor. pagg.* 29. 30. 35. qui doctissimus Vir dum nobis Sigebertum Gemblac. Matth. Westmonast. & magnum Chronicon Belgicum, inter Auctores de bello hoc Ottonis I. refert, nullam laudem meretur: Agunt enim ii dumtaxat de Popponis miraculo, quod tamen neque Bremensis, neque alius, quantum novi, antiquiorum, cum bello isto connectunt. Breviter: inanem operam sumet quicumque probare conabitur, licet omnibus viribus id agat, expeditionem illam ante reditum Imperatoris ex Italia an. 965. locum habuisse. Quo vero postea anno suscepta sit, nusquam deprehendes in eis, quae de Ottone M. consignata. Plura promissi argumenta: En ergo *alterum*: Precipuus, atque unicus fructus, quem ex bello Danico quaesivit Imperator maximus, quemque divina gratia obtinuit, fuit Regis Haraldi ad salutarem cultum conversio; qua peracta, recte existimabat consequuturum, ut populus, nimis adhuc efferus, sensim mansuesceret, Christianosque mores indueret. Hinc inter alios titulos post mortem, sane meritissimos, etiam ille, *Salus Daciae*. Sed nullus in Ditmaro, & Witichindo tam disertus hac de re locus, quam iste Ruotgeri in *Vita S. Brunonis* § 35. *pag.* 286. *Egit Rector noster* (loquitur de Ottone I.) *ut ad se quasi ad tutissimum portum confugerent omnes, qui quietem, & pacem amarent; ipsorum etiam Barbarorum immanitatem, & intolerandam dudum ferociam mitigavit. Siquidem eo tempore, & Rex eorum Haroldus, cum magna sua multitudine gentis, Regi Regum Christo colla sub-*

matre Christiana (a) natus, a religione tamen alienus, eam quoque profitentes graviter persequeretur. Quibus motus Imperator, occupatum bello Svecico Haraldum invadit, & in Cimbriam incurrit; expugnari non difficilem, quum Haraldus regni robur universum in Ericum, Sveciae regem (b) abduxisset. Isque, ea re accepta, Sturbiornum in Hallandia relinquit, & cum eo mediam copiarum partem, qui incoeptum bellum urgeret; ipse, alteram partem ducens, maximis mox itineribus, novo etiam per viam milite passim comparato, adversum tendit. Inter ista, nullo resistente, Otho usque Vendilam pervenit, ubi progredi prohibitus, sinu maris interiecto, iacta in eumdem hasta (c), fecit, ut deinde Otho-

mittens, vanitatem respuit idolorum. Possem insuper *tertium* argumentum addere, ex Saxone Grammatico, & Erico Pomer. nostris, memorantibus inter Duces Ottonis *Epponem*, seu *Ypponem*, magna cum verisimilitudine. Erici verba sunt: *Haraldus occidit Ypponem, ducem exercitus Imperatoris, reliqui vero Teutonici fugerunt*. Hunc enim esse, qui Ibo Comes adpellatur, apud Witichindum *lib.* 3. *pag.* 657. & cui Caesar in Baioariam discedens Wichmannum commendavit; itaque unus praefectorum Saxoniae fuit, ac postea copiarum, quae in Danos ducebantur. Restant, *quarto loco*, duo mihi auctores, alter ipso Adamo Brem. vetustior; alter haud magnae aetatis, doctrina vero, aliisque meritis commendatus; quorum neuter ad vulgarium exscriptorum classem, quales supra enumeravimus, reiiciendus; etsi uterque suos manes passus, quaedam plane improbanda admiscet. Vetustus sane est Ekkechardus Monachus San-Gallensis, quippe quem ferunt anno 1040. vixisse. Is in *Casibus Monasterii S. Galli*, libro a Goldasto in *Alemannicis* edito, belli Ottonis I. contra Danos bis, terve meminit *capp.* 9. *&* 10. tempore illud postponens non solum morti Ludolphi, Ottonis M. filii, hoc est, anno 957. sed & morti Cralonis Abbatis, qui an. 959. decessit. Quod *Cnutonem* vocat Regem illum Daniae, quocum Imperator *apud Slesvvik belligeravit*, condonamus faciles. Sed quod Ottonem M. dicit *apud Anglos cum Adaltage Rege, socero suo, aliquamdiu egisse, ut iunctis viribus Cnutonem Regem debellarent*; nescio quomodo conciliandum. Intelligi enim haud alius potest, quam Adelstanus, non quidem proprie socer, sed coniugis, quam Otto habebat, frater, (& quis nescit *socerum* millies sic usurpari?) is autem diem supremum obiit anno 941. ut taceam ab alio nullo Scriptorum, quantum mihi compertum, de Anglico Ottonis itinere proditum. Potest fieri, ut hoc, cum pluribus aliis, omissum sit ab historicis; quemadmodum nec improbabile, Ottonem plurimis annis deliberatum, ac propositum habuisse bellum Danicum, antequam occasio daretur illud suspiciendi. Recens, si cum Ekkehardo comparetur, est Theodoricus de Neem. Insignis tamen ad scopum nostrum est locus, qui in eius *Nemore Vnionis* legitur *Tract.* VI. *cap.* 33 *pag.* 362. hic scilicet: *Praeterea idem Otto Magnus Augustus personaliter transfretavit ad Daciam, ubi per dimidium annum stando inter nunc fideles, tunc vero hostes Catholicae fidei Daces saevissimos, ad hoc, ut ipsos ad eamdem fidem quomodolibet convertere posset, venerabilem Ecclesiam sui nominis, quae adhuc Ottoniensis nuncupatur in Nissia, quae est pars potior, & fortior eiusdem Regni Dacorum; ex quo fretum maris ibidem ex tunc Ottensehe, hoc est, mare Ottonis, usque in hodiernum diem adpellatur*. Prima in his verba non contemnenda sunt, ac, ut existimo, ex auctore, quo publice adhuc caremus, deprompta. Sed illa de *Ecclesia Ottoniensi* veritati non conveniunt, & ex mera auctoris sunt coniectura. Ecclesia *Ottoniensis*, aut rectius *Otheniensis* est in Fionia (non *Nissia*) in urbe *Othenis*, vel *Othinia* adpellata, cum nomine suo una antiquissimarum totius Septentrionis. Otto M. qui in Fioniam minime, quantum constat pervenit, nullam ibi Ecclesiam fundavit; ideoque prima eius, quae usquam reperitur mentio, exstat in diplomate nepotis eius Ottonis M. anno 987. ubi vocatur Ecclesia *Othenesvigensis*. *Mare Othonis*, cuius meminit Theodoricus, aut, quod rectius dixisset, *fretum*, nomen habet *Ottesund*, de quo inferius dicetur. *Othense* adpellatio vernacula est urbis *Othenarum*; quam & Adamus *de Situ Daniae* suo aevo nuncupavit, *civitatem magnam Odanse*, *pag.* 140. *edit. Mader.* Verum haud solum Ottonem Magnum cum Haraldo belligerasse, sed & filium eius Ottonem II. res certissima est, pluriumque ex antiquitate testium disertis verbis confirmata, quam qui de patre occurrunt. Sunt illi Ditmarus Merseburgensis, Lambertus Schaffnaburgensis, Annalista Saxo, ex Septentrionalibus quoque Oddus Monachus, Theodoricus Monachus, *Knytlingorum historiae* auctor, praeter varias Islandorum memorias, & Annales, Torfaeo *Trifol. pag.* 35. enumeratos, queis addantur illa in Fabricii *Memorabilib. Saxon.* ad annum 974. ex veteribus eruta. Ditmari locus eximius est, *pag.* 342. „ Imperator prima expeditione *Buschuth* civitatem cepit, Danos „ sibi rebelles petens, ad Sleswik properavit. Ibi etiam hostes „ suos foveam, quae ad defensionem patriae parata est, & „ portam, quae Wieylesdor (al. Heggedor) (vulgo Egdora, „ vel Eidora; nempe *Dor* est porta, *Hegge*, *Haye*, sepes „ spinarum: Hinc tamdem & flumen *Eidorn* nomen accepit, „ quod hodieque retinet) vocatur, armis praeoccupare videns, „ consilio *Bernhardi* Duci, & avi meimet, *Henrici* Comitis, „ omnes has munitiones viriliter exsuperat. - - - - - Vrbem „ unam in his finibus Caesar aedificans, praesidio firmat. „ Lambertus Schafnab. cum aliis multis, anno 974. hoc adscribit, seu *secundo* Ottonis anno; neque multum refert, utrum ei adsentiamur, vel Annalistae Saxoni, qui ad an. 975. commemorat. Nam Ditmarus annum suum natalem 976. non videtur praecise voluisse istuc referre. Ditmaro proximam statuemus ex nostris *Knythlingorum historiam*, quae *cap.* 1. haec exhibet: „ Haraldi Gormonis filii tempore in Saxonia „ Otto Ruffus Imperator fuit: is cum Rege Daniae inimicitias aluit, Danosque ad fidem Christianam invitavit. Verum „ Rex Daniae exercitum collegit, fideinque Christianam amplecti penitus recusavit. Itaque ad Vallum Danicum, *Danavirkum* dictum, ingenti cum Caesare Ottone pugna dimicavit, ubi Hacon, Comes Norvegiae, castra Danorum Regis „ sequutus est. Caesar praelio inferior, nihilominus paulo post „ regionem subegit, Haraldo Rege & Comite Hacone usque „ ad *sinum Limicum*, & insulam *Morsiam* fugatis. Deinde „ Rex Haraldus cultum Christianorum recepit, cuius filio „ *Svenoni*, dum sacro fonte ablueretur, Caesar susceptoris officium praestitit, suumque ei nomen tribuit, ut nempe in „ baptismo fuerit Suen-Otto adpellatus, nec priusquam universis Daniae incolis ad fidem Christianam conversis e Dania „ Caesar abiit. „ Sed eiusdem profecto hic Auctor hallucinationis reus est, eumdemque errorem errat in Ottone II. quem Saxo, Crantzius, Meursius, omnesque fere nostrates commiserunt in Ottone I. hoc est, confundunt duorum Caesarum, patris, & filii, expeditiones Danicas. Saxo, eiusque sequaces Ottonis II. fugam, nihilque admodum memorabile actum, adscribunt Ottoni I. *Knytlingorum historicus* Ottonis I. victoriam, Haraldi fugam, conversionemque ad cultum Christianum, & quae hinc sequuta, ad Ottonem II. refert, falso, ac perperam. Nulla enim eiusmodi causa, aut destinatio iuniori Ottoni adfuit, cui ideo hoc bellum susceptum, quia Haraldus Henrico Bavaro, Ottonis patrueli, eripere ei regnum tentanti, adhaerebat, Bavaroque incitante, Saxoniam excursionibus vastabat. Igitur omnis gloria, & honor rerum & feliciter gestarum, & salutariter Haraldo, & Danis, quantum ad Religionem, peractarum, salva maneat *Ottoni Magno*, sive *Primo*.

(a) *Quantumvis matre Christiana Christianos persequeretur* &c.] Hoc inter causas belli nusquam alibi refertur. Nonne enim potius Adamus Brem. *lib.* 1. *cap.* 49. Vnnoni Archiep. facilem, & aequum, & quamvis nondum baptizatum, rem tamen Christianam promovisse Haraldum praedicat? Non loquar de auctore *Historiae Archiepiscoporum Bremensium*, in qua diserte legitur: *Vnnonem, postquam ad Danos pervenisset, Haraldum Regem baptizasse, cum Danorum multitudine, cuius adiutorio omnes Danorum insulas circumivit*. Etenim aberravit iste auctor nomine, Haraldi illud ponens pro Frothone. Interim haud dubium, quin Haraldus alieniorem iamdiu animum a feritate, & superstitione civium suorum gesserit, antequam sacro lavacro tingeretur, eoque tunc promtius ad conditionem istam accessisse. Audiatur, praeter Adamum, Dudonis S. Quintini testimonium, de *Gestis, & Actibus Normannor. lib.* 3. *pag.* 125.

„ O pius, prudens, bonus & modestus
„ Fortis & constans, sapiensque, iustus,
„ Dives, insignis, locuplesque, solers,
„ Rex Haygrolde.
„ Quamvis haud sis chrismate delibutus,
„ Et sacro baptismate non renatus. „ &c.

(b) *Ericum Svec. Regem* &c] Iterum bellum Svecicum, & Styrbiornus producuntur. Sed ad tempora seriora pertinere, supra monitum.

(c) *Iacta in eumdem hasta*) Id in fuga Ottonem, non *primum*, sed *secundum*, seu *Ruffum* fecisse Islandica monumenta produnt. In his *Vitae Olavi Tryggvini* auctor, (male de Ottone II). narrans, quae Saxo, & plures *primo*. Islandi plerumque *secundo* adscribunt,) memorat, Caesarem post egregia fortitudinis signa edita, tamdem, quum fugam suorum sistere nequiret, praecessisse ad naves suas, ac inaurata hasta, capulo tenus sanguine conspersa, quam gesserat, maritimis fluctibus impressa, votum denuo concepisse, proximo reditu, vel Daniam ritibus Christianis se imbuturum, vel funere suo nobilitaturum; hisque dictis Saxoniam repetivisse. Saxo, omnesque Danici; de Ottone I. narrantes, lanceam in undas coniecisse scribunt, cum Lymici sinus obiectu ulterius excurrere vetaretur. Cypraeus in *Histor. Eccles. Slesv. pag.* 51. haud dubitat, eamdem fuisse lanceam, quam Otto ab Henrico patre acceperat, qui a Burgundiorum Principe Rudolpho precibus, minis, muneribus, addita etiam parte pro-

Othonis, in memoriam expeditionis huius ſempiternam, diceretur [a]; incolaeque etiamnum utrobique, ubi caſtra habuere, citra fretum quidem Otho, ultra Haraldus, loca advenis oſtendunt. Errat Crantzius, qui & in Fioniam Othonem traieciſſe dicit, & Othoniam [b] illic urbem, inſulae primam condidiſſe; nam hanc ipſam ab Othino, multo ante natum Othonem, ſtructam eſſe, Danici annales tradunt. Exitum belli varie produnt, & auctores ſunt Germani, Haraldum, haud Sleſvico procul, qua peninſula coarctatur, regni viribus collectis, caſtra ſua collocaſſe, ut Othonem aut interciperet, aut ad pugnam vel invitum loco opportuno traheret; verum, praelio conſerto victum eſſe: Saxo autem Vendilam uſque proceſſiſse; &, Othoniano freto mox prohibitum fugienti, quam vincenti magis ſimilem receſſiſse; caeſo Epone, agminis extremi duce. Idem traditur ab Erico Pomerano [c], quin in fugam actum ab Haraldo Othonem, etiam Anonymus refert in Compendioſa Hiſtoria Regum Daniae. Illud quidam certum putant, inſtituto cum Otho ne mox colloquio, ac compoſitis regni rebus, pietatem Chriſtianam amplexum Haraldum, operam navante Vnno [d], magnae tunc exiſtimationis viro, pacem regno ſacram pariter, ac profanam comparaſse; & lavacro ſacro ablutum, una cum Gyritha coniuge [e], & Suenone item filio, ac familia univerſa, iuxta rivum ſacrum, vulgo ea ex re adpellatum, filiumque Suen-Othonem ab Othone, qui ſubſceperat e lavacro, nominatum; quamquam Saxo in exſilio apud Scotos, ut mox dicam, factum tradat. Poſtquam Otho in Germaniam receſſiſset, quum nequaquam ceſsaturum rex putaret, ut maiore cura fines regni ſui tueretur, milite urbibus imperato, communire agrum Sleſvicenſem incipit, & in eo commorari; nil omittens, quod ad hoſtem, ſi irrumpere iterum vellet, prohibendum pertinere videretur. Quae dum agit Sturbiornus, cum Erico Sveciae regi infeliciter praeliatus, ſuperatur; & Ericus duas Scaniae provincias, Blegingiam, Hallandiamque ſuae Sveciae adfines capit, ac praeſidio munit. Ea clade nuntiata, etſi graviter commotus, numquam tamen inſtitutam limitis munitionem intermittit; quin & mater eius Thyra, animi virilis femina, ſerio adiuvare opus, & auxilia advocare; tum coacta ingenti hominum multitudine, vallum amplum ad Sleſvicum, ubi quidam quaſi iſthmus orientis, & occidentis mare dividit, opere immenſo ducit, ac praealta foſſa munit; nomen inditum *Danevverca* [f], ceu *Danorum opus* dicas. Dum Haraldo cum Othone eſt negotium, alter nominis eiusdem in Norvagia vita fungitur; cui, poſtquam Haquinus [g] filius ſucceſſiſſet, is tributum, quod Haraldo pater dederat, denegabat; quippe ſic exiſtimabat, ſatis eum habiturum, ſi Othonem propulſaret; ac, ſi illud eveniſſet, cum Erico Sveciae rege, qui occiſo Sturbiorno, duas Scaniae provincias occupaverat, bellum potius incepturum. Sed res alium, quam putarat, finem habuit; etenim Otho, ad ſeditiones quaſdam in Italia comprimendas revocatus, cum Haraldo, ut iam dixi, foedus init. Et Ha-

provinciae Svevorum, illam extorſerat, & ad inſigne, & tutamen imperii poſteris reliquerat; ſiquidem crucem continebat ex clavis conflatam, quibus pedes, & manus Salvatoris noſtri Iudaei perforarant, multis hoc Scriptoribus atteſtantibus. Sed oſtentare Cypraeus hic tantum voluit lectionem ſuam; qui enim cogitari poteſt, Caeſarem in mare proieciſſe *ſacram* iſtam lanceam? quam praeterea aliunde conſtat diu fuiſſe poſtea in imperii tutelam ſervatam.

(a) *Vt deinde Ottonis diceretur*] Nomen vernaculum eſt *Otte-Sund*. Fretum enim Danice eſt *Sund*. Erici Chronicon: *Imperator totam Iutiam vaſtavit uſque ad mare, quod ab eo Oddeſund dicitur. Ibi enim lanceam ſuam in mare miſit ad perpetuam rei memoriam*.

(b) *In Fioniam - - & Ottoniam*) Error eſt, natus a nominis convenientia, quam *Othenarum* urbs, vel *Othinia* habet cum Ottone. Danice enim urbs illa nuncupatur *Odenſe*, vel *Ottenſe*, quod Germani audientes, quibus *See* lacum, vel mare ſignificat, putarunt eouſque Ottonem M. claſſe ſua navigaſſe, urbique pariter & mari nomen indidiſſe. Hunc & in Theodorico de Niem ſupra errorem caſtigavimus.

(c) *Ab Erico Pomerano*) Is, quemadmodum ceteri, confundit quae Ottoni II. acciderunt, cum prioribus.

(d) *Operam navante Vnno*) Vnno, vel Vnni, tum fato ſuo, & quidem diu antea, conceſſerat, anno 936. defunctus. Popponem forte voluit dicere.

(e) *Cum Gyritha coniuge*) Saxoni ſic vocitata. Sed Adamus Brem. *lib.* 2. *cap.* 2. nominat *Gunhildem*.

(f) *Danevverca*) Vocabulum quidem hoc modo ſcriptum, ſignificat in hodierno ſermone populari *Danorum opus*, voce Germanica *VVerk* cum plurimis aliis, in Danicam linguam translata. Sed vera ſcriptio eſt *Danavvirk*, eiuſque interpretatio *Danorum Vallum*. Nam vallum patria lingua, qualis olim obtinebat, *Virki* dicitur. Deſcriptionem iſtius valli, & hiſtoriam ſatis amplam videre eſt in Stephanii notis ad Saxonem *a pag.* 199. *ad* 201. ubi plerorumque de eo, qui prius meminerant, verba, & teſtimonia propriis obſervationibus illuſtrat; haud oblitus, quod ex Francicis hiſtoriis diſcimus, idem munimentum Haraldo, & Thyrae hic adſcriptum, multo iis antiquius eſſe, quum & Godofredus Rex Daniae copias Caroli M. ne in Iutiam penetrarent, hoc ipſo munimine excluſerit. Haraldum itaque tantum pro inſtauratore eius habendum; quemadmodum neque aliter loquuntur hiſtorici Norvegici, & Iſlandici. Qui poſt Stephanium aliquid contulerunt ad illud illuſtrandum, laudandi inprimis Torfaeus *Trifol. cap.* 10. & *cap.* 12. *pag.* 55. Broder. Boiſſen *Chron. Sleſvic.* in Menkenii *Tomo* 3. *pag.* 569. *ſeqq.* & Trugillus Arnkiel de *Cimbricis Antiquitatibus ex paganiſmo reliquis*, opere Germanico, *Part.* IV. *cap.* 2. §. 2. Addantur Cypraeus *lib.* 1. *cap.* 10. Danckwerthus, alii.

(g) *Cui poſtquam Haquinus*) Errorem Saxonianum vidit, & ex Chronicis Norvegicis ſatis refutatum ivit Stephanius in *notis pag.* 201. oſtendens Haraldi, qui intelligendus eſt cognomento *Grafeldi*, neque filium, neque regiae dignitatis ſucceſſorem fuiſſe Haquinum iſtum, qui tributa denegabat, ſed Sigurdi olim Comitis filium, Comitem & ipſum ab Haraldo Daniae Rege factum, atque huius beneficio regno Norvegiae praepoſitum. Huic contra Saxonem, & Meurſium obſervationi coniungenda alia; ſcilicet, quod de Haraldo, & Haquino iſta neutiquam locum inveniant ſub Ottone I. aut poſſint cum eius expeditione, [maxime ſi circa ann. 948. contigerit, uti communis ſententia eſt,] connecti, ſed omnino ad Ottonis Ruffi, ſeu filii bellum ſpectent. Subiungit Meurſius de Haquini defectione: *quippe ſic exiſtimabat, ſatis habiturum Haraldum, ſi Ottonem propulſaret*. Sed ignorarunt Saxo, Meurſiuſque ea, quae inter Haraldum, & Haquinum nuper acta praeceſſerant, nempe hunc illi in ipſo contra Ottonem bello, donec Imperator in Germaniam recederet, vocatum, cum auxiliis adſtitiſſe. Defectionis vero cauſam, & quae hanc inſequuta, *Knytlingorum hiſtoriae* auctor ſic exponit: „ Rex Daniae Haraldus Gormonides, ipſe iam Chriſtianus, „ Haconem Comitem, Sigurdi filium, ad ſacra eadem amplectenda vi coegit, ita ut is cum omnibus Norvegis ſuis, qui „ tunc temporis comitati ipſum in Daniam fuerant, ſacro „ fonte ſe ablui pateretur. Haraldus Rex etiam ei ſacerdotes, „ viroſque doctos tradidit, iniunxitque ut totum Norvegorum „ populum baptiſmi ritu initiari faceret, quod ut fieret, Hacon, fide iure iurando interpoſita, promiſit. Verum is, Haraldo Rege ſalutato, in Norvegiam iter tetendit, expoſitis „ prius in terram Halfi prope ſinum Limicum ſacerdotibus. „ Atque ita Chriſtianam fidem abiecit, inſtauravitque ſtrenue in „ Norvegia ſacrificia gentilium. Quo audito, nec non, quod „ Hacon Daniae regnum rapinis exerceret, Rex Daniae collectis „ copiis, in Norvegiam iter molitus eſt, regioniſque tractum „ maritimum adeo vaſtavit, ut inter promontoria Lindandiſnes „ & Stad omnia incendio abſumerentur. „

Haraldus, non contentus Cimbriam sic munüsse, fidem iam in Christum amplexus, eam in tres itidem Episcopatus (a), Slesvicensem, Ripensem, & Arhusiensem, dispertitur; primi-

(a) *Tres Episcopatus*] Infinitus fere eorum est numerus, qui opinantur, primos istos tres Episcopatus in Dania ab Ottone I. Imperatore institutos fuisse; haecque sola, & unica est causa, cur expeditionem Ottonis Danicam ad annum 948. referant; nempe quod Adamus Brem. scribit, Archiepiscopum Adaldagum tres Episcopos Danos primum ordinasse, anno Archiepiscopatus sui XII. Sed meretur omnino res discussionem. *Primo* enim ex Adami Bremensis verbis, & narrationis contextu nemo istud elicuerit, ita, ut inde necessario sequatur, Ottonis expeditionem praecessisse Episcopatuum nostrorum institutionem. Vti neque illud ego concessero, Adamo in re aliqua credendum esse, ubi rationes, testesque probabiliores diversum nobis persuadent. Sed audiamus, & consideremus paululum illius verba, quomodo cum expeditione Danica Imperatoris cohaereant, & quid inferant. Post narrationem de Saxonum victoria, Haraldi subiectione, Christianitate in Daniam recepta, atque Regis cum uxore, & filio baptismo, sic pergit: *Eo tempore Dania cismarina, quam Iutlant incolae adpellant, in tres divisa Episcopatus, Hammaburgensi Archiepiscopatui est subiecta. Servantur in Bremensi Ecclesia praecepta Regis, quae signant, Regem Ottonem in sua ditione regnum Danicum tenuisse, adeo ut etiam ille Episcopatus donaverit. In privilegiis autem Romanae Sedis videri potest, quod Agapetus Papa Hammaburgensi Ecclesiae de salute gentium congratulatus, omnia quae a praedecessoribus suis Gregorio, Nicolao, Sergio, & ceteris, Bremensi concessa sunt Archiepiscopatui, & ipse concessit Adaldago. Cui etiam sua vice ius ordinandi Episcopos tam in Daniam, quam in Septentrionis populos Apostolica auctoritate concessit. Igitur beatissimus Archiepiscopus noster omnium primus ordinavit in Daniam Episcopos, Haroldum ad Sliasvvich, Liafdagum ad Ripam, Reinbrandum ad Arhusam. Quibus etiam illas commendavit Ecclesias, quae trans Mare sunt, in Finne, Seland, & Skone, ac in Sveonia. Hoc factum est anno Archiepiscopi* XII. Annum Adaldagi XII. incidere in annum 948. adgnoscimus. Nunc videamus an & cetera, quae praecedunt, in hunc annum conveniant. *Eo tempore*, scribit auctor, *Iutland in tres divisa Episcopatus. Hammab. Archiepiscopatui est subiecta*. Vnde vero id probat? *Ex praeceptis Regis, quae in Bremensi Ecclesia servabantur*. At haec *praecepta* hodie pervulgata exstant, in multis editis libris conspicua. Sunt scilicet litterae Ottonis M. quibus testatur, se *interventu Archiepiscopi Adaldagi, quidquid proprietatis in Marca, vel Regno Danorum ad Ecclesias in honorem Dei constructas, videlicet Sliesvicensem, Ripensem, Arusensem, vel adhuc pertinere videtur, vel in futurum acquiratur, ab omni censu, vel servitio iuris sui* [Imperatoris] *absolvere, & ut Episcopis praescriptarum Ecclesiarum, absque ulla Comitis, vel alicuius filii sui exactoris infestatione, serviant, & succumbant, velle & firmiter iubere. Servos denique, & Colonos in eisdem proprietatibus habitantes, nulli nisi eisdem Episcopis servituros, ab omni iuris sui servitio absolvere, & sub nullius banno, vel disciplina illos nisi sub illarum Ecclesiarum Advocatis esse velle*. Ex quibus *primo* nihil colligi potest de tempore belli Danici, cum literae illae datae sint anno 965. a die VI. Kal. Iulii; adeoque nulla inde ad ann. 948. fit conclusio. *Secundo*, non dicunt, aut indicant litterae, Ottonem Daniam cismarinam in tres Episcopatus *divisisse*, aut eamdem Archiepiscopatui Hammaburgensi *subiecisse*; divisam iam tum, cum tres Episcopos Adaldagus anno suo XII. ordinaret, &, *subiectam*, quoad spiritualia, (ut vocant) per litteras Agapeti Pontificis, quas ex MS. edidit Nicol. Staphorst, evicitque datas esse an. 952. 3. Non. Ianuar. (*in Hist. Eccles. Hamb. Tom. I. pag.* 290.) *Tertio*, inepte ex Diplomate illo probare vult Adamus, Ottonem Episcopatus Danicos, quorum ibi mentio fit, donasse; cum, absque ulla Episcoporum, aut hominum ad Episcopatus ordinandorum mentione, sunt tantum litterae immunitatis, & exemtionis, aut privilegium, ut vocamus, consueta formula, qualia Reges etiam illis Ecclesiis concedunt, ad quas illi numquam Episcopos constituunt, aut constituendi ius sibi arrogant. *Quarto*, neque ex privilegio illo efficitur, quod Adamus, & fere omnes alii post eum arguunt, Ottonem *in sua ditione Regnum Danicum* tenuisse Quod quum ante nos Vir egregius Thormodus Torfaeus animadverterit, non possumus tamen eius responsionem adprobare, hanc scilicet: „ Sed nec statim summum imperii ius „ in universam Daniam, nec omnino Iutiam, penes Imperatorem fuisse, sola *immunitas a praediorum censu, servitioque* „ *Imperatori debitis, Ecclesiis indulta*, evincit. Poterat enim „ Imperator pactionibus in singulis Provinciis multum agri ad- „ quirere, quod deinde ad dotandas Ecclesias erogatum, sum- „ ma ei patronatus iura, & primis eius successoribus peperit.„ Nobis vero persuasum, tres istas Ecclesias iam a Frothone Rege (seu Frodio,) quem Archiepiscopus Vnno baptizavit, indulgentia Haraldi (vid. ips. Adam. Brem. *lib.* 1. *cap.* 49. & 50.) aedificatas, & ab eo, ac *multitudine credentium*, quae tum in Dania Vnnonis tempore, h. e. ante ann. 936. extiterat, dotatas *agris*, *servis*, & *colonis* fuisse. Adamus de Vnnone testatur, *ordinasse* eum *in regno Danorum per singulas Ecclesias Sacerdotes, ac multitudinem credentium Haroldo commendasse. Eiusdem etiam Haroldi, quamvis nondum is baptismum percepisset, fultum adiutorio, & legato Vnnonem omnes Danorum insulas penetrasse, evangelizantem Verbum Dei gentilibus, & Christianos, quos illic invenit, confortantem*. De Frothone autem testimonium produximus ex *Historiae Olavi Tryggvini cap.* 69. (supra ad Meursii *Col.* 128. b.) hunc scilicet Regem, aut Regulum Iutiae, post reparata templa *Slesvicense*, & *Ripense*, novumque *Arhusii* aedificatum, *misisse legatos Romam* pro tribus *obtinendis Episcopis*, eosque Agapeti Papae consilio, *consecrari curasse*; acta denique haec fuisse anno, quem Adamus Brem. confirmat, 948. Nihil itaque in hac re negotii Ottoni M. fuit. Quis enim umquam dixit, eum vel unicum in Dania templum exstruxisse, aut dotasse? excepto Theodorico de Niem, cuius illud de Ecclesia Otthoniensi vanissimum esse, supra declaravimus; sicut neque ei credimus, Ottonem Imp. per *dimidium annum in Dania stetisse*, ut conversionis negotium absolveret. Litteras illas de exemtione Imperator se dicit concessisse *interventu Archiepiscopi Adaldagi*, ac etiamsi illud, ex consueta Cancellariae formula, non dixisset, clarum tamen, & evidens, Archiepiscopum satis pro prudentia sua perspexisse, eiusmodi litteris sibi, & Ecclesiis sibi suffragantibus ad tutelam earum, & contra quasvis vexationes defensionem, haud minus in Dania esse opus, quam in Germania. Tales vero quum ab Haraldo Daniae Rege impetrare non liceret, primo quia gentilis adhuc necdum anno 965. [quod supra probatum, firmiter teneo] baptizatus; deinde, si etiam Christianus tunc fuisset factus, edicere quidem, & promulgare mandatum, nullas vero dare litteras potuit, propter summam istis seculis & Regis, & populi ruditatem, literarumque, & scriptionis inscitiam; hanc enim artem apud nos ante confirmatum Christianismum viguisse, aut aliquid chartae, membranaeve fuisse inscriptum, nemo nobis mortalium probaverit. Frustra igitur Conringius has tabulas tanta cum exaggeratione producit, urgetque voculas *fisci nostri*, quasi alicuius heic essent ponderis, nec potius ex misera formula, in omnibus id genus privilegiis solenni, quamque Clerici in litteris pro Ecclesiarum immunitate exarandis quotidie sequebantur, atque usurpabant. Otto, si regnum Danicum *in ditione sua tenuisset*, ut inepte Adamus concludit, cur non *nostrum Regnum Danorum*, vel *nostram Marcam*, aut *Regnum Danorum ditionis nostrae* scripsit? Tunc enim aliquid concludendum foret. Nam cetera, de *censu*, de *servitio nostri iuris*, de *Comite*, de *fisci exactore*, merae formulariorum voculae, & solennia, ut dixi, verba, sive rei, & loco convenirent, sive non, absque variatione, adhibita. Nullum certe in Dania Otto constitutum habuit Comitem, nullum fisci exactorem; quemadmodum neque nepos eius Otto III. qui simile privilegium anno 988. dedit iisdem per omnia verbis, auctius tamen duorum articulorum accessione, quibus Episcopis potestas conceditur emendi agros, & praedia in Germania, nec non immunitas a *theloneo* in Germanici regni finibus. Quidni ergo meminerit Conringius suorum ipsius dictorum, in eius operis *lib.* 1. *cap.* 4. occasione tabularum Ludovici Pii de Fundatione Ecclesiae Hammaburg? *Non est*, inquit, *quod quemquam turbet institutus a Ludovico Pio illo Hamburgensis Archiepiscopatus, per omnem Septentrionem, Daniam, Sveoniam, Norvegiam, Gronlandiam, Islandiam, aliasque regiones limitibus eius extensis: non enim sacer conatus iste Pii Caesaris populos illos sub Christi iugum mittendi ad imperii vim quidquam attinet*. Breviter: Litterae Ottonis, nullius, quod Imperator habuerit, in Daniam, sive iuris, seu dominii, verum artificii tantum sunt Archiepiscopi Bremensis testes, cui consultum oppido visum, Ecclesias noviter hic fundatas in tutelam maximi inter Christianos Principis, publicique Religionis, & defensoris, & propagatoris tradere, praesertim in regno, cui paganus etiamnum Rex imperitabat. Nec male ratiocinatur sua ex hypothesi Torfaeus *Trifol. p.* 32. „ Equidem ius Sedium Episcopalium, per universam Iutiam „ instituendarum, & ad minimum suprema in Ecclesias patro- „ natus iura, Imperatoribus, laborum, periculorum, impensa- „ rumque praemium, bello ab Ottone I. Danis illato, adquisi- „ ta, ex privilegio eiusdem Imperatoris, de Ecclesiis Hambur- „ gensi Ecclesiae suffragantibus, credi potest, ni scriptoris Vi- „ tae Olavi Tryggvini auctoritas obstaret, qui ultro per lega- „ tionem expetitos a Frodio Episcopos, Sedesque Episcopales „ institutas refert.„ Sed Torfaeus vulgarem hic hypothesin de tempore belli Danici Ottonis I. sequitur, credens scil. cum aliis hoc, ante datum illud Ecclesiis nostris privilegium, fuisse gestum. At haec hypothesis, quamvis ab innumeris hucusque imo plerisque omnibus doctis, atque indoctis adoptata, caret omni fundamento. Solum enim illud, quod habuit, habetque, est quod Albertus Stadensis, & nonnulli alii sequioris aetatis Annalistae retulerunt Adami Bremensis verba, & Sta-

mique ibi constituti mox Episcopi a Bremensi Adelago, Slesvici Haraldus [a], Ripae Hadagus, Arhusiae vero Regenbrundius. Post quae pietatis suae monumenta, iterum ad arma versus, poscere tributum statuit, quod Norvagiae rex Haquinus exhibere recusaverat. Itaque Iulino duces evocatos cum instructa classe mittit; ipse in Svecos contendit: quumque illi in Norvagia infeliciter pugnassent, ipse Svecos acri praelio superatos, Scania eiicit, & Ericum ad accipiendam pacem mox compellit. Quumque Sembi imperata detrectarent, Haquinum filium cum exercitu illuc mittit; qui quum eo adpulisset, & exposuisset copias, classem incendit, & in hostem animose suos ducit; illi vero numerum Semborum ingentem conspicati, quum deiicerentur animis, ipse eos adhortari: *viros sese cogitarent, ac praestarent, tum prognatos fortibus se meminissent, qui non fugere turpiter, abiectis armis, sed intrepide praeliari consuevissent. Ab his si degenerarent, non opprobrium dumtaxat, sed periculum ingens fore; quando inter mare, & hostem constituti, nullam fugae spem haberent, turpiterque una hora, ni virtutem ipsi suam adhiberent, moriendum cunctis esse; magno quidem numero hostem adparere, verum belli inexpertem, ideoque vinci facilem, itaque invaderent tantum, neque de victoria quidquam dubitarent.* Quibus verbis ducis sui incitati, & alacriter hostem adgressi, eum fundunt: inde, tota regione expugnata, caesis viris, matrimonia cum uxoribus contrahentes, suam illic gentem condunt, cuius stirps in hodiernum usque diem perseverat. Inter ista moritur Thyra Haraldi mater, optime de regno merita, unde etiam obitum luxere Dani, veluti communis matris, diutissime. Sepulta est haud longe a Coldinga urbe, in colle altero [b], qui mariti tumulo Gormonis obiacet, eo loco, quem Iellingum etiamnum Cimbri dicunt. Rex Haraldus, dum deliberat, quonam modo matris tumulum maxime ornare posset, quidam magnitudinis inusitatae saxum ostendit, in propinquo mari situm, quod vel mole tantum sua, etsi nullis etiam inscriptum literis, summo ornamento foret: id Haraldus, ubi vidit aqua mersum, minima exstante parte, convocatos publico edicto Cimbros inde edu-

Stadensis quidem integrum fere *caput* secundi eius *libri*, ad annum 948. induxeruntque hoc ipso Lectores ad credendum, eodem omnia, de quibus Adamus commemorat, anno contigisse, bellum Ottonis contra Danos, divisionem Iutiae in tres Episcopatus, Agapeti permissionem de ordinandis sua vice Episcopis, tres denique illos Episcopos quasi praesente in Dania, & vidente Imperatore, consecratos. Quum tamen clarissime pateat, Adamum, qui nullam temporis notam bello adposuit, postquam de eo narravit, transire ad privilegia, iura, & beneficia exponenda, quae Archiepiscopo suo, & Ecclesiae Hamburgensi ab Imperatore, & Papis accesserant. Fuisse interim illi persuasum facile largiemur, tunc erectos tres istos Episcopatus, quum Otto Haraldum ad recipiendum Christianismum perduxisset, At illos alium conditorem, & quidem ex nostris habuisse, qui etiam ante illum annum, quem vulgo Ottonis expeditioni adsignant, de Episcopis ad Papam legatos miserat, ostendimus ex auctore Septentrionali haud infimae notae, eoque cui Adamus Bremensis haud ignotus auctor, quippe cuius vestigia observatur, nonnumquam legere. Itaque si in hoc falsus fuerit Bremensis, scil. tres illos in Dania Episcopos, quos anno 948. ordinatos fuisse recte dicitur, per Ottonem fuisse constitutos, prius illud de bello Ottonis contra Danos, quod susceptum, gestumque sit eodem ipso anno, totum corruit. Nec iuvare Adamum potest Helmoldi, aliorumque eum exscribentium multitudo. Nostram de tempore belli, nec non occasione, & causis eius, sententiam superius exposuimus (ad *Col.* 144. a & *Col.* 146. a.) eamque nisi nobis solidiora, quam hucusque in libris veterum, & novorum Scriptorum offendimus, ostendantur, non mutamus. Praeter enim silentium probatiorum historicorum, Witichindi, & Ditmari, ut & Ekkehardi Monachi S. Gallensis, qui Danorum in Ottonis I. historia nonnisi serius postquam annum 960. meminere, dicemus. Ottoni, ut occasionis ita & temporis haud satis fuisse ad illa in Dania exsequenda, ante reditum ex Italia ann 965. vel sequente. Neque annus 948 sufficiebat, & debellandis Danis, & exstruendis Ecclesiis, Episcopisque ad eas ordinandis, Ottone per hunc annum, & priores Francicis turbis districto, ac in Synodo Ingelheimensi, quae initio mensis Iunii 948. habebatur, praesente; quemadmodum locupletes nos docuerunt auctores, Flodoardus in *Chronico* ad h. an. Idem in *Histor. Eccles. Rem. lib. 4. cap.* 35 Hugo de Flaviniaco in *Chron. Virdun pag.* 130. ac Sirmond in *Concil. Gall. Tom.* 3. *pag.* 585. Qui & ipsi auctores rem admodum notabilem simul adferunt, (ne quis credat ab ista Ingelheimensi Synodo Ottonem contra Danos profectum) hanc scilicet, quod Adaldagus Hamburgensis Archiepiscopus eidem Synodo interfuerit, duxeritque tres istuc secum suffraganeos suos, Episcopos Daniae, noviter ordinatos. Ostendunt hoc nomina eorum, quamvis haud optime expressa, (quod nec rarum in eiusmodi exscriptis) cognitu tamen perfacilia. In Flodoardi *Chronico: Adaldachus Hammaburgensis, Horath. Leesvicensis, Liefdai Ripuensis*. Baronius ad annum 948. peiore Flodoardi exemplo usus est. Sed in ipsorum *Synodi Actorum* subscriptione apud Sirmondum omnes tres una cum Adaldago adparent, Oredus Slesvicensis, Liopdagus Ripensis, Regimbrandus Arusvensis. Vnde videmus, si consecrati fuerunt hoc anno 948. (quod neutiquam inficiabimur,) factum fuisse primis anni mensibus. Intra quos, ut dicebam, mihi haudquaquam fit credibile, Ottonem simul potuisse Gallicis turbis vacare, copiasque in auxilium Ludovici Regis paratas contra Hugonem Magnum habere, tum & gravissima quaeque validissimum exercitum requireret, contra Danos expeditione perfungi, totumque Religionis negotium eousque perficere, ut tres Cimbriae Episcopatus haberet ante iter ad Ingelheimensem Synodum constitutos. Verum omnes difficultates cessant, cunctaque multo aptius congruunt, si Episcopos, procurante apud Agapetum Papam Frothone, introductos, & ab Adaldago ann. 948. ordinatos dicamus diu antequam Otto Daniam adgrederetur bello. Nullum sane vestigium belli Danici, aut indicium apud Witichindum ante annum 965 quo anno, ipsius verbis: *bellum Danicum urgebat, ita ut pacem dare Redariis oporteret, copiis ad duo bella minus sufficientibus*. Vnde & credo factum, quod idem Witichindus, & Ditmarus, in rebus Wichmanni occupati, (a quo origo belli profluxit,) inseruerunt historiam de miraculo Popponis coram Haraldo Rege edito. Miraculo Witichindus haec etiam subiungit verba: „Sed & haec merito „virtutibus patris tui adscribuntur, cuius industria in illis re„gionibus Ecclesiae, Sacerdotumque ordines in tantum ful„sere. „Nempe Otto, diu antequam bello Daniam lacesseret, de religione in hoc regno, quemadmodum & apud alias gentes, propaganda, perquam solicitus fuerat, Legatos identidem ad Haraldum mittendo, & Ecclesiis, quae hic erigebantur, bonos prospiciendo Sacerdotes. Neque adeo improbabile videbitur, si aliquis per coniecturam velit, causis, ob quas Otto, & Haraldus inter se collisi demum fuere, hanc quoque adnumerare, quod ille res ad religionem spectantes in Dania ordinandi, iuraque & privilegia Sacerdotibus, & Episcopis indulgendi, solus sibi auctoritatem in alieno regno sumeret, cuius exemplum in Diplomate, eod. an. 965. scripto habuimus.

(a) *Slesvici Haraldus &c.*) Nullum horum nominum recte hic expressum. Primum tamen, *Haraldum*, Codices Adami *lib.* 2. *cap* 2. tuentur, eumque sequutus Cypraeus, cum multis aliis. Rectius Oddo Monachus, *Vit Olavi Tryggvini* auctor, cuius verba sic Latine sonant: „*Heredus* ad Sedem „Heidabaeensen (h. e. Slesvicensem,) *Lifdagus* ad Ripensem, „& *Rimbranaus* ad Arhusiensem consecrati. „Quid quod Adamus ipse alio loco accuratius *Hist. Eccl. lib.* 2. *cap.* 16. edit. Hafn. Velleianae: *Hored*, *Liefdag*, & *Reimbrand*. Nam in Maderi edit. *Imbored* vitiosum. Inter Synodi Ingelheimensis subscriptores, apud Sirmond. *Tom.* 3. *loc. nuper cit*, habentur hoc modo: *Oredus*, *Liopdacus*, *Regimbrandus*. Vid. *not. praeced.*

(b) *In colle altero*] Etiam hoc Saxum, Runis inscriptum, hodie, iuxta aedem sacram Iellingi, omnium oculis expositum, illustravit Ol. Wormius, loco quem supra (ad *Col* 141.b) citavimus. Addatur Stephanius *not in Saxon. pag.* 204. De utroque tam Gormonis, quam Thyrae saxo sepulchrali, en locum Suenonis Aggonis *pag.* 61. *Vt autem praecluis illa Regina, cum Rege marito omnes aetatis suae annos complesset, Haraldus Blaatand, filius superstes, qui & regni exstitit haeres, iuxta ritum gentilium, in tumulis gemellis, & paribus, quasi illustribus Mausoleis, secus Regis curiam in Ielling utrumque parentem fecit humari.*

educere, & pertrahere ad sepulcrum matris iubet. Ea res exitium (a) Haraldo tulit, quippe indignati Cimbri, instar boum se ad opus tale cogi; tum & ante odio in eum accensi, quod religionem pridem Christianam, sua vetere abrogata, induxisset, clam conspirant, ac subornant, qui Suenonis filii pertentet animum, suadeatque, sumtis armis, patrem solio deturbare: *etenim infensos omnes, quod deorum veterum sublato cultu, dudum bello fatigatis, ac vexatis maximis exactionibus, nunc vilissimum quoque opus, bubus potius, asinisque demandandum, imperasset; itaque, si non abnueret, ipsi regnum tradere constituisse, ac paratos arma capere*; neque Sueno a facinore tam nefario abhorrere; tum & promtum, si promissa adparerent, se ostendere. Haec quum is complicibus renuntiasset, non celato ultra odio, rem adgrediuntur palam, ac Suenonem, concitata in Haraldum patrem plebe, in conventu Viburgensi regem creant, quod dum agunt, rei inscius Haraldus, opus inchoatum urget, nil omnino minus fore arbitratus, quam ut regno a filio deiiceretur. Nuntiat viator factum, quem Haraldus quum praetereuntem forte interrogaret, *an maiorem ipse molem trahi umquam ab hominibus conspexisset? ego vero*, nihil haesitans, inquit, *vidi*; ac roganti, *quando, & ubi? heri*, ait, *in conventu Viburgensi filius Sueno publice, consensu omnium, rex electus, regnum tuum ad se traxit; nunc tu, utra moles maior, iudicato*. Hoc responso postquam rex obstupuisset, illico omisso saxo in campo Becchio, quem adpellant hodie Cimbri, populum a se dimittit, armaque expedire iubet; sed in tanta multitudine, pauci admodum reperti, qui in fide regis patris contra filium perduellem remanerent: plurimis passim exclamantibus: *numquam arma se sumturos in illius regis gratiam, qui & inaudita onera, neque viris item digna iniunxisset*. Inter ista, non deferere se Haraldus, ac parare quoque arma, ut tueri regnum possit; &, coacta hominum manu, quantam poterat, in hac trepidatione, in Cimbria occurrit filio, praelioque primo victus, quidquid sibi militum a clade ista reliquum erat, mox in Sialandiam transfert, ubi plurimi, filii impietatem in parentem detestati, se coniungunt: Sed, commissa in mari pugna, & fortuna nihilo meliore usus, regno excedit, profugitque in Vandaliam, a potentibus tunc multum Iulinensibus nova auxilia petiturus. Verum, quum & illic Sueno profugum persequeretur, nec permitteret quiescere, neve vires instaurare, in Normanniam concessit (b), ubi rege Ludovico, qui Richardo Gulielmi ducis filio, & insidias struebat, & Normanniam regno suo vindicare satagebat, profligato, quum Iulinum cum auxiliis Normannorum rediisset, iterum in filium tendit, & in Sialandia exposito ad Helgenesae littus milite, postquam diem fere totum acriter utrimque dimicatum esset, fessi duces, ad colloquium de constituenda pace die proximo conventuros se promittunt. Itaque postridie quum summo mane rex Haraldus, per inducias securus, ideoque paucis admodum comitatus, in vicino nemore obambularet, ac deponeret onus alvi, a Tochone sagittario (c), qui Suenoni militabat, quemque regni

(a) *Ea res exitium &c.*] Quamquam hoc semper mihi visum fabulam sapere, plebeiis sermonibus, ut adparet, ante Saxonis aevum tritam, siquidem etiam apud Suenonem Aggonis legitur, tamen haud multum inficiator, quod exulcerati aliis iam dudum causis Cimbrorum animi, indignantium scilicet Christianum cultum Haraldi permissione, & conniventia increscere, patriosque ritus abrogari, potuerint quoque inter seditionis incitamenta habere servilem quemcumque laborem, ut sibi indecorum, ac iumentis potius imponendum. Interim Huitfeldius neglexit huius vel verbo mentionem facere.

(b) *In Normanniam concessit*] Grandis, & minime ferenda temporum confusio, errorque in oculos incurrens est, Haraldum statuere, post bella cum Ottone I. Imp. cum Svecis, cum Norvegis, totque alia hucusque gesta, tamdem per filii Svenonis, ac civium rebellionem regno expulsum, Normannicam hanc expeditionem obiisse; qua ex Gallorum historiis constat, Richardo ipsum Normannico ditiones paene ereptas feliciter vindicasse, Rege Gallorum Ludovico profligato. Certo enim certius est, excursionem Regis nostri in Galliam, & Normanniam, omnibus bellis, quae iam enumerabam, tempore priorem fuisse, Haraldumque confectis rebus, quarum gratia a Richardi tutoribus arcessitus fuerat munitis deinde urbibus, cunctisque per Normanniam sapientissime ordinatis, ingenti gloria in Daniam rediisse ante annum 946. Amplissimos totius expeditionis testes habemus, Odericum Vitalem *Eccles. Hist. lib.* 6. *pag.* 619, & Dudonem S. Quint Dec. *lib.* 3 *pag.* 122. 125. ex quibus sua recentiores historici Mezeraeus, & Gabr. Daniel desumserunt, in Ludovici Transmarini gestis narrata. Solus Willelmus Gemmeticensis eumdem fere cum Saxone, & Meursio errorem fovet, *lib.* 3. *cap* 9. dum ait, *Haigroldum* (sic enim is, atque Dudo, sed Odericus rectius *Haroldum* scribit) antequam illa, post Guillelmi I. caedem agerentur, *de regno suo a filio Sveno pulsum, Normanniam supplicem adiisse*; ac deinde *lib.* 4. *cap.* 9. Haigroldum, Normannia pacata, *non multo post regressum in Danamarcham, & Sveno filio suo reconciliatum fuisse*. Sed de hoc ultimo Scriptore perplacet nobis iudicium Torfaei *Trifol. cap.* 7. *pag* 25. *imposuisse ei famam posthumam de gestis inter eum, & Svenum filium, ideoque huc retulisse*. Addam ego, perquam videri verisimile Haraldum postea, a filio fugatum, receptum non solum ad Slavos, sed etiam in Normanniam habuisse, atque tunc a Richardo fuisse Comitatu Constantiensi donatum, *donec*, ut habet Gemmeticensis *lib.* 3. *cap* 9. *fabricatis navibus exercitum multiplicaret, & amissum cum validiore militum manu repeteret regnum*. Ita nostri, Saxo, & Meursius, nihil a vero alienum dixerint, nisi hoc dumtaxat, quod praeeunte Gemmeticensi, ultimum ad Normannos iter cum prima expeditione, (quae prima quum obiretur, dubito an Sveno etiamnum natus fuerit) confundant. Profecto ad angustias, & exilium redactus Rex optimus, nullum rectius Principem accedere, nulliusque meliore iure opem implorare debuit, quam Richardi, tantis sibi beneficiis obstricti, & cui, praeter illam in paternam hereditatem restitutionem, etiam multis post annis validissima contra Lotharium Regem auxilia submiserat, circa annum 962. attestantibus laudatis auctoribus Will. Gemmeticensi *lib.* 4. *cap.* 16. & Dudone S. Quint. *lib.* 3. *pag.* 144. quibus addatur ex recentibus G. Daniel in *Lothario Rege* ad ann 962.

(c) *A Tochone sagittario*) Sagittarium vocat, quia Saxo iam antea, priusquam adgressus est de Svenonis rebellione dicere, narrationem de hoc Tokone inseruit, similem plane illi, quam Helvetii de Wilhelmo suo Tellio narrant, ob admirabilis sagittandi peritiae specimen celebrato. Illam autem Saxonis historiolam, Meursio, Pontano, Huitfeldio neglectam, non ab Helvetiis, cum Tellius ille multo posterior Saxonis aevo vixit, sed ex *Olavi Tryggvini Vita* mutuo sumtam esse ostendit Torfaeus *Trifol. cap.* 15. *pag.* 92. qui & ibidem causas, quas Saxo adtulit, concepti ab isto Tokone in Haraldum odii, ad fabulas relegavit. Verae autem, quas Torfaeus ex Islandicis monumentis repetit, & per capita aliquot deducit, hae fuere: Vir iste vera adpellatione non Toko, sed *Palnatoke* dictus, inter primarios totius regni homines eminuit, dynasta, quemadmodum & pater eius insulae Fioniae. Rex aliquando, quum pro more provincias regni lustraret, apud eum virum divertens, feminam ministerio suo delectam impraegnavit. Filium ex eo natum concubitu Palnatokius, inscio Rege, solicite educavit, parique ac propriam sobolem amore complexus est. Quem *Sveni*, vel *Svenonis* nomine vocatum, quia Haraldus, post triennium reversus pro suo adgnoscere recusabat, hinc prima inter illum & Palnatokium frigoris, & dissensionis iacta semina, quae subin-

regni adhuc potens, aliquoties offenderat, ex insidiis telo ictus, ac lethaliter vulneratus, pace omissa, navi imponitur, & Iulinum deportatur, atque ibi, postquam regnum annos quinquaginta duos, vel ut alii quinquaginta tenuisset, diem obit. Corpus mox in Daniam translatum fuit, pompa maxime solenni, ac depositum in Roschildiensi templo, quod, exstructum a se pridem, sanctae ipse Trinitati (a) dedicaverat. Erat princeps pacis, atque belli artibus, cum supremis comparandus; pietate in Deum summa (b), tres Episcopos regno dedit, & praecones verbi Dei passim plurimos; tum & templa struxit multa, in quis numen pio ritu coleretur, & in primis, maximum Roschildiense, de quo dixi; cui ornando etiam collegium sodalium sacrorum addiderat, admodum locupletatum. Leges tulit (c) tanta sane aequitate, ut has Dani, Saxonesque post tot secula etiamnum tueantur. Filios e Gyritha coniuge (d) duos sustulit, Haquinum, & Suenonem, quorum hic successit patri; ille apud Sembos obiit.

SVENO II.

Itaque Haraldo mortuo, filius successit Sueno, etiam Suen Otho dictus, uti supra memoravi, apud Danos cognomentum a barba bifida (e) consequutus. Sub initia regni sui, quum

subinde in acres simultates eruptura, mox tamen extincta sunt, Rege non tantum illi reconciliato, sed & filium suum recipiente, qui simul cum patre sacris Christianis per baptismum initiatus fuit. Baptizatum vero quum statuat Torfaeus anno 948. communem sequutus errorem, locoque illo Adami Bremensis cum tot aliis deceptus, mirum est, quantum laboris optimus Vir exantlaverit, quantumque sibi negotium indixerit, antequam omnes, quae calculo obsistebant, difficultates, ut sibi visum, superaret. Hinc varia in auctoribus suis optime cohaerentia damnare, quaedam incerta admodum, nec paris auctoritatis admittere, alia per coniecturam supponere necesse habuit. Queis omnibus potuisset supersedere, si idem ipsi dubium de Adami verbis, quod nobis incidisset. Si enim ex nostra sententia baptismum Haraldi, & Svenonis ad annum 966. retuleris, aut forte verius in alterum post annum 968. quo Otto I. ex Italia denuo reversus, in Saxonia commorabatur, recte etiam calculos subduxerunt Islandorum primae notae historici, qui Svenonem anno aetatis decimo octavo, (aut si forte error in numeris est, quos Islandi Romanis notis exprimunt *vicesimo octavo*) caeso patri in regno successisse perhibent; adeoque nulla adest causa, cur in eis refutandis desudemus. Sed ad historiam de Palnatokio, & Svenone revertimur. Adultior factus Sveno, partem regni a patre gubernandam poscit. Negat hic, quidquam se eius daturum, etiam, [si fides *Encomiastae Emmae pag.* 164.] iureiurando adserens, numquam post se regnaturum esse. Naves tamen pater, & classiarios ad excursionem in exteras oras donat. His instructus Sveno, pluribusque a Palnatokio auctus, patris ditiones populatur, ac brevi, inclinantibus in ipsum, odio Christianismi, quem mature Sveno abiecit, popularium studiis, regno Haraldum eiicit; qui ad Slavos profugit, humaniterque ab eis excipitur. De hac fuga ita loquitur Adamus Bremensis *lib.* 2. *cap.* 8. „ In hoc miserabili, & plusquam civili bello victa „ est pars Haraldi. Ipse autem vulneratus est acie fugiens, & „ adscensa navi elapsus est ad civitatem Slavorum, quae Tumno „ (in Cod. MS. Hafn. *Tumneta*) dicitur, a quibus contra „ spem, quia pagani erant, receptus, post dies aliquot ex eo- „ dem vulnere deficiens, in confessione Christi migravit. „ Quae & Helmoldus habet *lib.* 1. *cap.* 15. sed falli in obitus loco, & tempore Adamum putat Torfaeus, cum Haraldus exinde regno restitutus, aliquot annis superfuerit. Palnatokius interim facinus filii detestatus, Haraldo Regi se adiungit, atque hi apud Slavos aliquantum degentes, urbem ibi Iomsburgum [Adamo *Tumno*] ut vidimus; vel *Iumnetam* Svenoni Aggonis *Hynnisburgum* vocatam,) condunt. Quod cum Torfaeus non convenire cum melioribus memoriis cerneret, Iomsburgum multos ante annos ab Haraldo ibi conditam adserentibus, interpretatus est de ampliore munitione, & exornatione. Ego vero longam Haraldi expulsi apud Slavos moram pro fabula habeo, fidemque hic tribuo Gemmeticensi, in Normanniam scribenti profugisse. Referunt porro Islandi, Palnatokium ad Svenonem accessisse, quem astu captum, Iomsburgum ad patrem deduxerit, Slavisque custodiendum tradiderit. Pater igitur in regnum reversus, illud cum imperio recipit. Iomsburgum statim exinde in Burisleifi, Slavorum Principis possessionem venit. Svenoni a Slavis tum dimisso, quem ingenti vi auri a Danis redemtum Sveno Aggonis tradit, (Saxo vero id factum in seriora tempora, ac post tempora Haraldi reiicit,) pater demum portionem regni videtur concessisse. Sed brevi inter eos simultates recrudüere, in apertum bellum terminatae, ancipiti utrimque fortuna gestum. Adamus, & ex eo Helmoldus, & Stadensis filium illud occoepisse dicunt, quia pater grandaevus, minus validus, & ad regnum propter senium esset inhabilis. Quod ad Palnatokium attinet, is apud Slavos remanserat, ubi Iomsburgo a Burisleifo praefectus, & *Iomsvikingarum*, h. e. Iomicorum piratarum princeps ductor constitutus. Is Svenonis demum partes amplectitur. Antequam vero cum classe, quam Svenoni in auxilium ducebat, adveniret, iam Haraldus prope Borgundarholmum (Bornholmiam vocamus hodie) Svenonem pugna navali superatum, in fugam compulerat. Alii in Isafiordo, sinu Roschildiae vicino pugnatum memorant. Eo Palnatokius, nocte pugnam insequuta adpellit; tacitus in terram exscendit, & Haraldum Regem, qui intra Silvam undecim satellitibus comitatus, corpus in valle quadam ad focum calefaciebat, telo arcu emisso traiicit. Factum hoc anno 985. ut multa, & laboriosa discussione, argumentis ab omni parte ponderatis contra Pontanum, aliosque evicit Torfaeus *Trifol. cap.* 20. ex cuius etiam diligentissima Islandicorum Scriptorum comparatione haec de Svenonis ortu, ac in patrem rebellione, excerpsimus, nostrisque observatis auximus.

[a] *Sanctae ipse Trinitati*) Adam. Brem. *loc. cit.* „ Corpus eius „ in patriam reportatum ab exercitu, apud Roschild civitatem „ sepultum est in Ecclesia, quam ipse primus construxit in „ honorem Sanctae Trinitatis. Regnavit autem annos quinqua- „ ginta. Obitus eius contigit in festivitate omnium Sanctorum. „ *Historia Knytlingorum cap.* 4. „ Hic primus Daniae Regum „ terra consecrata humatus est; cum sceptra regni octoginta an- „ nis, triginta nempe vivo adhuc Rege Gormone patre suo, „ & ab obitu illius quinquaginta annis tenuisset. „ Verum anni, quibus tum consors imperii cum parente, tum solus praefuit, rectius ex supra adnotatis computantur.

(b) *Pietate in Deum summa*] Legitur amplissimum eius elogium apud Helmoldum *Chron. Slav. lib.* 1. *cap.* 15., qui concludens, Haraldum nostrum iudicat, *adscribendum non solum inter Deo dignos Reges, sed etiam inter gloriosos martyres.* Alb. Stadensis ad ann. 984. „ Haraldus Rex Danorum, reli- „ gione, & fortitudine insignis, Christianitatem in regno suo „ iamdudum benigne susceptam usque in finem constanter re- „ tinuit, unde & regnum suum sanctitate, & iustitia confir- „ mans, ultra Mare in Normannos, & Anglos suam dilatavit „ potentiam. „ Ante utrumque hunc, de sanctitate eius testimonium perhibuit Adamus *lib.* 2. *cap.* 19. „ Sunt, inquit, „ qui adfirmant, per eum gratias sanitatum factas, & tunc, „ cum adhuc viveret, & post mortem ad sepulchrum eius, vi- „ delicet caecos frequenter illuminatos fuisse, aliasque multas „ contigisse virtutes. „

(c) *Leges tulit &c.*) Helmoldus *loc. cit.* Haraldi laudes celebrans: „ Huius, inquit, viri industria, in divinis quidem rebus fuit „ eximia, nihilominus tamen etiam in mundana sapientia, in „ his videlicet, quae ad regni gubernationem pertinere viden- „ tur, adeo claruit, ut leges, & iura statuerit, quae pro au- „ ctoritate viri non solum Dani, sed & Saxones adhuc hodie „ servare contendunt. „ Et ante Helmoldum, Adamus *loc. cit.* „ Certissimum est, cum tam nostro populo, quam Transal- „ bianis, & Fresonum genti leges, & iura constituisse, quae „ adhuc pro tanti auctoritate viri servare contendunt. „ Eadem Albertus Stadensis repetit.

(d) *E Gyritha coniuge*) Gunhildem ab Adamo adpellari supra indicatum, qui & *lib.* 2 *cap.* 19. *Memoria eius apud nos, & uxoris eius Gunhild perpetua manebit.* Sed incertum, annon hac mortua Gyritham postea duxerit, vel, quod omnino verosimilius, Gyrithae successerit Gunhildis. Tertiam & alii nominant, Thoram nomine. Pariter ignotum, quot ex legitimo thoro natos habuerit liberos. Praeter Haquinum, Saxoni memoratum, & quem Meursius apud Sembos oppetiisse mortem refert, alium Adamus Brem. nominat, *Hiring*, apud Anglos regnantem, ibique occisum, ut supra ad *Col* 143. b. expositum. Svenonem vero neutiquam ex legitima coniuge, sed mercenaria faemina, Aesa, vel *Saumaesa* dicta, in aedibus Palnatokii & conceptum, & natum, aeducatumque Torfaeus omnium historicorum Islandorum testimoniis confirmavit, quibus & olim adsensum praebuerat Cancellarius Arnoldus Huitfeldius.

(e) *A bifida barba*] Qui a bifida barba cognominant, *Tysveskeg* scribunt, a *Tysve* furca, *Skaeg* barba. Torfaeus mavult *Tygge-Skaeg*, quod vertit *admorsam barbam*, a verbo *Tygge* i. e. mandere, dentibus comminuere.

quum primates, populumque in religionem antiquam propendere deprehenderet, ut insigni eos sibi beneficio devinciret, sacra Christiana tollens, idolorum cultum reddit; idque tanta animi acerbitate, uti passim sacerdotes toto regno interficeret, aut eiiceret in exilium; frustra interdum Adelago [a], summo praesule Bremensium, dehortante. Ab impietate ista ad infausta arma transit: Iulinenses, quod Haraldum pridem patrem, impie a se proscriptum, armis suis adiuvissent, ter adgressus: sed iudicio Dei occulto, quoties patrem infestaverat, viceratque, toties item ipse funditur, capiturque [b], & redimitur; semel auri, bis argenti tanto pondere, quantum ipse armatus penderet. Ac primum quidem pretium suppeditatum ex aerario; alterum contractum est ex latifundiis, quae proceribus venum dare cogebatur; tertium vero, quum exhaustum aerarium esset, nec pecuniae conquirendae ullus iam restaret modus, feminae pariter, virginesque, regis casum miseratae, ut captivitate eum liberarent, ex collatis ornamentis confecere. Atque ea ratione libertati restitutus, quum in regnum rediisset, gratiam referre cupiens, legem tulit [c]; ut, quum antea a paterna hereditate excluderentur, deinceps quoque haeredes forent; filioque gemina parte adsignata, unam filiae concessit; idque etiamnum obtinet. Insuper ne detrimentum accepisse quaeri possent, regiis, ut ante, bonis venum datis, quidquid unaquaeque earum contulisset, reddi iussit. Quidam tradunt, non collatis matronarum, virginumque ornamentis, verum precibus liberatum; sed haud cuiquam vero simile videatur, homines natura sua, & victoria feroces, sexus muliebris preces ante aurum, cui maxime inhiabant, posuisse. Post quae tamen nihilo melior, nec adgnoscens manum Dei, quum idola colere perseveraret, magis etiam numinis supremi iram provocavit; ac mox, regno quoque exutus solum vertere est coactus; quippe Sveciae rex Ericus, contracta cum Poloniae rege Bolussao adfinitate, ac foe-

[a] *Adelago*) Corrig. Adeldago. Is anno 988. fato functus. Ceterum Adamus Brem. *lib.* 2. *cap* 21. adscribit successori eius *Libentio*, qui apud Svenonem *supplicibus legatis, crebrisque muneribus laborabat, quatenus ferocis Regis animum mansuetum redderet Christianis*.

(b) *Toties idem ipse funditur, capiturque*) Saxonis fide haec, & quae sequuntur, omnia, ut & Pseudo-Erici Pomerani. Adamus Brem. *loc. cit. Bis a Slavis captum, & in Slaviam ductum, toties a Danis ingenti auri pondere redemtum dicit*. Adamum exscribunt *Historia Archiep. Brem.* Albertus Stadensis plures. Ditmarus *lib.* 7. captivitatis tantum unius meminit, quam post obitum patris subierit Sveno. *Post mortem patris sui a Normannis insurgentibus captus, cum a populo sibi tunc subdito cum ingenti pretio solveretur &c.* Etiam semel tantum captum, & redemtum narrat Sveno Aggonis, & quidem id contigisse vivo etiamnum patre, qui tum regno exsulans cum Slavis commorabatur. Norvegicae historiae, & Islandorum scripta omnia, hanc tantam sortis adversitatem, in quam Sveno a parentis morte demissus sit, prorsus ignorant; ac de una tantum captivitate loquuntur: Cuius causas, totiusque rei ordinem Torfaei verbis ex *Trifol. cap. ult. pag.* 134. *seq.* exponam: „ Mortuo Iomsburgi Palnatokio, quum in eius „ locum Sigvaldius successisset, de repente leges ab illo latae, ab „ hoc negligentius, remissiusque colere coeptae. Ipse ad altiora adspirans, filiam Principis Burisleifi uxorem petivit, ni „ impetraret, discessurum se, praesidiumque deducturum minatus. Veritus autem Burisleifus toties exploratam Danorum „ vim, quibus, tanto praesidio nudatus se resistere posse desperabat, quamvis adfinitatem Sigvaldii adspernaretur, tamen, „ ne quid temere in hac parte consuleret, postulata illa filiae „ exponit. Haec & ipsa conditionem aversata, ne tamen statum regni turbaret, certis legibus in eam consentiendum suasit. Fuerunt istae, ut Sigvaldius ante nuptiarum tempus, totam Vandaliam universo censu, Daniae Regi reddi solito, „ exsolveret, atque ut Regem Svenonem in Vandaliam transportaret, inque potestatem sponsae patris redigeret. Ea cum „ proco proponerentur, promisit se utrumque intra festum „ Iolense expediturum. Proximo vere in Daniam tribus navibus traiicit, nactusque stationem prope villam quamdam, ubi „ tunc Rex convivabatur, gravi morbo simulato, Regem per „ nuncium monet, ut se antequam exspiraret, accedat; in eo „ enim salutem eius, regnique verti. Hunc fidem dictis habentem, anxiumque, ne subita Sygvaldii mors cognitionem „ rerum tanti momenti praeveniret, ideoque accedere festinantem, ille navi sua receptum, Iomsburgum avehit, ibique „ arbitrio suo dissidia inter Reges componit; utrique prius seorsim minatus, nisi iudicem se deligerent, Svenoni se eum „ Burisleifo traditurum, Burisleifo autem, se Svenonem in „ Daniam reducturum. Itaque in has conditiones consensum, „ ut Sveno Gunhildem Burisleifi filiam, Burisleifus sororem „ Svenonis Thyram, mutuis coniugiis acciperent, Gunhildi in „ dotem cederet pars Vandaliae Danorum armis quaesita, Thyrae vero, [quae Styrbiorno prius, vivo patre nupserat,] „ opulenta erant praedia in Fionia, Falstria, & Borgundarholmo a patre donata; sed nunc permutatione dotium instituta, „ praedia, patrimoniumque Thyrae, per Daniam sparsum, „ Gunhildi Daniae, pars autem Vandaliae a Danis occupata „ Thyrae, Vandaliae Reginis restitueretur, egregio temperamento, quo singularum dotes, dotiumque remunerationes, „ singulis regnis ad dissidiorum occasiones amputandas contine„ rentur. Vrbem autem Iomsburgum, cum provinciis Vandaliae, quas ipse delegit, compositionis, foederumque arbiter „ Sigvaldius sibi retinuit. „ Haec ipsa haud paulo fusius narravit idem Torfaeus *Histor. Norveg. Tom.* 2. *lib.* 8. *cap.* 3. Concludit tamdem Vir laudatus, non negandum sibi videri: *duriores aliquas conditiones forte adiectas; Norvegicis tamen, & Islandicis Historicis nihil ultra de captivitate Svenonis constare*. Hvitfeldius, non ausus Saxonem, & Adamum Bremensem heic deserere, eorum interim, quae Norvegicae Historiae vel commemorant, vel tacent, haud ignarus, ita utriusque partis narrata connectit, ut Regem quidem a Slavis Iulinensibus ter captum, (quos ad obsequium illud Daniae reddendum, cui translata illuc ab Haraldo Colonia obstricta, armis adigere conabatur,) totiesque redemtum scribat, tertiam vero captivitatem Sigvaldii, Palnatokii successoris, astui adscribat, peractamque eodem modo rem, quo Torfaeus, referat.

(c) *Gratiam referre cupiens, legem tulit*) Fabulosum hoc, sine omni dubio, de ista gratiae relatione; sed antiquiorem oportet fabulam statuere aevo Saxonis Grammatici, ita ut iniustum fuerit, hanc ei, ut nonnullas alias imputare. Sveno Aggonis consonat hic Grammatico, eadem ipsa de Svenone commemorans, scilicet, quod *mulieribus eo, quod prius paternae hereditatis prorsus essent exsortes, ob praestitum sibi a matronis favorem, & beneficiorum collationem in posterum primus tribuerit, quatenus soror fratri de cetero, in dimidia familiae herciscundae portione communicaret*. Itaque manifestum est, creditum fuisse tum temporis, (h. e. sub Valdemaro I. & Canuto VI. ducentis fere post Svenonem I. annis) istud participandae hereditatis beneficium filiabus in hoc regno concessum, a Svenone nostro profluxisse. Etiam quin is ipse Rex auctor, conditorque legis adgnoscatur, nihil video, quod impediat. Caussa tantummodo, & occasio legis ad fabulas referenda, quum, sicuti modo ostensum, fragili de captivitate Svenonis fundamento nitatur, nec non quod similia de eadem re extent in aliis quoque gentibus commenta, haud absimili modo narrata. Testatur nempe doctissimus Svecorum Iureconsultus Ioh. Ol. Stiernhook *lib.* 2. *de Iure Sveonum vet. P.* 1. *cap.* 3. *pag.* 186 privilegium illud, quo *uxores, & filiae ex semisse cum heredibus maritorum, & fratribus succedant*, viguisse *ex antiquissima consuetudine* apud incolas *territorii VVemberedensis provinciae Smolandiae, quod ab Hakone Ringh accepisse existimantur. Quum enim faeminae territorii istius in eo praelio, quod omnium maximum in Septentrione gestum est, adversus Haraldum Hildetan Danorum Regem, insignem operam navassent, in praemium fortitudinis, huic sexui, & eius posteris tribuisse Rex ipse refertur*. De quo tamen idem Vir doctus dubitat, existimatque potius sibi incolas *tacita conventione hanc legem constituisse*. Recentius multo est, quod Meklenburgici Scriptores de Alberto suo, olim (sec. XIV.) Sveciae Rege referunt, nempe quod ex captivitate Danica a nationis suae nobilibus matronis, & virginibus *mundo muliebri redemtus, privilegium eis reddiderit, quo deinde vitae tempore omnes posterae contra leges Augustales potitae, non exstantibus liberis aliis generis masculini hereditati succedant*; quae verba sunt Nicol. Marescalci Thurii in *Vitis Obotritarum cap.* 90. Sed & istud ad fabularum classem reiecerunt nostri temporis Iurisconsulti, & Historici Megapolenses.

foedere cum Othone Imperatore inito, animosior, & Svenonem, toties a Vandalis victum, vili pendens, maxima collecta manu, impetum in Scaniam facit, cui Sveno quum occurreret, praeliis aliquot infeliciter commissis, regno pellitur [a], profugusque in Norvagiam ad Olaum Haraldi filium, quem in regnum pater eius restituerat, quum auxilium pro insigni beneficio exspectaret, nullum refert; itaque cum spe hic sua miser admodum excidisset, Angliam petit, haud feliciore eventu; nam, ab Eduardo rege [b] pro exploratore habitus, ideoque nec se tutum satis putans, mox in Scotiam commigrat, ubi perbenigne excipitur, & habetur annos totos quatuordecim [c]. Post quod tempus quum Ericus decessisset, verso ad pietatem animo, atque Deo implorato, anno exilii decimoseptimo repetit regnum, recipitque; qua re, quum solius Dei beneficio restitutum se adgnosceret, ipse quoque Christi cultum toto regno restituere animum inducit; ac, proceribus

(a) ***Praeliis aliquot commissis, regno pellitur***) Totum hoc, de Svenone a Svecis victo, regnoque expulso, pro fabula, & commento habet Torfaeus, quia de ista re omnes Islandorum silent memoriae, praeter unum librum, *Langfedgatal* [h. e. *Series Principum*] dictum, cuius auctor istic, ut & alias, Adami Bremensis narrationem sequutus. Adami autem verba haec sunt *loc. cit.* „ Tunc potentissimus Sveonum „ Rex *Hericus* collecto innumerabili, sicut arena maris, exercitu, Daniam invadit, & occurrit ei *Svein*, a Deo derelictus, frustra sperans in Idolis suis. Sed quum utrimque „ bello navali, (sic enim gens illa confligere solet,) omnes „ copiae essent Danorum obtritae, *Hericus* Rex victor Daniam obtinuit. *Svein* ergo depulsus a regno, dignam factis „ suis a Deo recepit mercedem. Et haec *iunior* in avo suo „ *Svein* recitavit contigisse, iusto Dei iudicio, quoniam illum „ dereliquit, quem pater eius bonum defensorem habuit. „ Et postea idem Auctor *cap.* 28. „ Mortuo post haec *Herico*, „ *Svein* ab exsilio regressus, obtinuit regnum patrum suorum, „ anno depulsionis, & peregrinationis suae XIV. accepitque relictam *Herici* uxorem, matrem *Olaphi*, quae peperit ei *Knut*. Sed „ nihil ei adfinitas coniugii profuit, cui Deus iratus erat. „ - - - „ *Olaph* sane, qui post obitum patris sui *Herici*, regnum super „ Sveones accepit, cum exercitu superveniens, infelicem *Svein* „ iterum e regno expulit, & Daniam obtinuit. *Svein* autem „ cognoscens, quia Dominus ipse est Deus, rediit in semetipsum, & peccata sua prae oculis habens, poenitensque oravit ad Dominum, qui exaudiens eum, dedit illi gratiam in „ conspectu inimicorum suorum, restituitque eum *Olaph* in „ regnum suum, eo quod matrem suam habuerit uxorem. Feceruntque pactum ad invicem firmissimum, ut Christianitatem in regno suo plantatam retinerent, & exteras nationes „ effunderent. „ Haud quidem par est, ut cuiquam succenseamus, apud quem haec a Scriptore vetusto adeo prolata, quaeque is non ex levi aliqua auditione, sed ab ipso magni illius Regis, de quo agebatur, nepote cognomine, itidemque Danorum Rege hauserat, (quo quis maiorem, fideque in talibus digniorem desideraret testem?) nullasque comminiscendi habens causas, in tabulas retulerat, fidem prorsus inveniant. Aliter omnino iudicaremus, si Saxo Grammaticus, aut alius similis notae auctor, solus ista prodidisset. At quum rationes, & argumenta, quae Thormodus Torfaeus iisdem, ab Adamo commemoratis, opposuit, consideramus, utique si non tota, magna tamen sui parte destruuntur; ita ut necesse sit, calamitates illas, in quas Sveno inciderit, quasque Adamus exque eo ceteri describunt, quantum ad initium earum spectat, non demum a morte Haraldi, sed iam ante illam computandas, multoque angustiore temporis spatio, ac Adamus indicat includendas esse; si non potius omnia sint conficta, aut ad vetustiorem quemdam Regum pars aliqua eorum pertinuerit. Nam quod ad Svecorum victoriam de Svenone attinet, quem scilicet regno expulerint, & bis quidem, non potest, si Torfaei argumenta consideres, non in subspicionem adducere insignis in Adamo hadlucinationis. Haud quidem negabimus, ultimis Haraldi annis, per turbas a Styrbiorno excitatas, Danos haud semel *Erico* Svecorum Regi succubuisse, eosque tum Hallandia, & Blekingia, forsan etiam Scania a Svecis exutos. Sed Svenonem, Olafi Sveciae Regis armis vel fractum fuisse, vel regno spoliatum, gratuitoque deinceps restitutum, Torfaeo, cunctas tam chronologicas rationes, quam historicas colligenti, numquam reddi potuit verosimile. Vrget is,) praeter alia, nunc brevitatis causa omittenda, quum apud ipsum legi possunt,) ignorantiam, ut dixi, ceterorum omnium Septentrionis Scriptorum, (Svecici enim, quotquot rei meminere, habuerunt ex Adamo, & Danicis,) urget ipsius *Olafi* Regis silentium, in loco, & occasione, ubi nequaquam de tanti momenti victoria gloriari neglexisset, si ista sibi umquam contigisset. Fuit hoc, cum Olafus Crassus Rex Norvegiae, is, qui Sanctus ab obitu adpellatus est, legatum ad eum mitteret Hialtium Skegginum, filiam Regis Sveciae Regi Norvegiae in matrimonium petiturum. Tunc enim Svecus, initio adfinitatem istam dedignatus, inter alios cum Hialtio sermones habitos, suam inter omnes Septentrionis Reges eminentiam, & praerogativam magnifica oratione iactat, ceteros invidiosa comparatione deprimens, nihilque quod eo faceret, omittens. „ An, inquit, tibi vere hic gener, me socero „ satis dignus videtur? Sum enim decimus Vpsalensium Re„ gum, qui suo quisque propinquo successerunt, omnes au„ tem Monarchae Sveciae, multarumque aliarum, & magna„ rum regionum per Septentrionem Regum supremi. In Nor„ vegia autem pauca rura, easque sparsa, Regulis regnata, quos „ quidem omnes Haraldus Pulchricomus subiecit, maximus in „ illa regione Rex; eo autem prudens, quod Sveciam non „ adpetebat. Tranquilla inde etiam, cognationis respectu, ei a „ Sveciae Regibus permissa possessio Norvegiae; Haconi itidem „ Adalsteini alumno, quoad Gothiam, & Daniam oppugna„ bat; inde is manipulis immissis occisus est. Eius exemplo „ Gunhildi filii, & nepotes, cum Daniae Regi refractarii fie„ rent, etiam occisi, Norvegiaque Haraldo Gormonidae cessit; „ qui tamen Vpsalorum Regibus minime comparandus; ada„ ctus quippe ad obsequium ab agnato meo Styrbiorno, qui „ ipse patre meo tanto minor erat, ut, quum se invicem ex„ perirentur, perierit. Nec Olafus Tryggvinus Norvegiam im„ pune occupavit, seque Regem dixit, mox a me, & Sve„ none Daniae Rege sublatus. Quum igitur Norvegiam iure „ belli quaesitam iusta possessione complexus sim, quippe su„ perato Rege, qui eam novissime tenuit, cur illam Crasso „ illi permitterem? „ Ita verba illa ex *Historia S. Olavi* optimis Codd. MSS exscripta, interpretatus Latine est Torfaeus *Histor. Norveg. Tom.* 3. *pag.* 76. Concludit vero ex iisdem verbis *Trifol pag.* 131. non credibile esse, profusum in laudes suas, maiorumque suorum, Olavum Svecum, dum ad praerogativam Sveciae Regum evincendam, obvia argumenta adlegabat, maluisse dolum, fraudemque Styrbiorni, quam patris sui, suamque propriam, in debellando, fugando, gratisque restituendo Svenone, eumque Regno Daniae, vi bellica bis subacta, donando, potentiam, magnanimitatem, & quantam hominum sors capit, maximam gloriam, probationis loco adsumere, si hoc ei fortuna in Svenonem, Danosque permisisset. Vrget deinde *pag.* 132. auctorem, Adamo ipso Bremensi paulo antiquiorem, & quidem eum, cui res Svenonis optimae cognitae. Est is *Encomii Emmae Reginae* auctor, qui tale de isto Rege testimonium, quale initio operis *pag.* 164. exstat numquam scripto tradidisset; si tot eum novisset, tantasque calamitates perpessum; *cum uberrima ad congerendas eius laudes seges* (verba sunt Torfaei,) *per has ipsas adflictiones laetissimo eventu finitas suppeteret*. Audiamus Encomiasten illum, ut Adami Bremensis loco e diametro, ut loquuntur, opponatur. „ Regem Danorum Sveinum „ veridica comperi relatione, omnium sui temporis Regum „ ferme *fortunatissimum* exstitisse, adeo ut, quod raro con„ tingere solet, *principiis felicibus*, secundum Deum, & sae„ culum, *multo felicior* responderet *exitus*. Hic denique a no„ bilissimis, quod primum est inter homines, duxit origi„ nem, magnumque sibi decus secundum saeculum peperit im„ perii, quod administrabat, regimen. Tantam deinde illi „ gratiam divina concessit virtus, ut etiam puerulus intimo „ animo diligeretur ab omnibus; tantum patri proprio invisus, „ nulla hoc promerente puerili culpa, sed sola turbante invi„ dia. Qui factus iuvenis, in amore quotidie crescebat populi, „ unde magis, magisque invidia augebatur patri; adeo ut eum „ a patria, non iam clanculum, sed palam, vellet expellere; „ iure iurandoque adserens, eum post se regnaturum non esse. „ Vnde dolens exercitus, relicto patre, haerebat filio, & de„ fensabat sedulo. Huius rei gratia congrediuntur praelio, in „ quo vulneratus, fugatusque pater, ad Slavos fugit, & non „ multo post ibi obiit. Et Svein eius solium quiete tenuit. - - „ Denique quum nullo hostium incursu trepidus, *pacem in securitate ageret*, periculi semper, ac velut instantis metuens, „ in castris vivebat, quod hostibus, si adessent, nullatenus „ fortasse resisteret, nihilque suis, quae bello necessaria forent „ praeparando patiebatur remitti; scilicet, ne per otium, ut ad„ solet, viriles emollirentur animi. „ Denique nullus dubitat Torfaeus (*pag.* 131.) ad eamdem in historiis classem, ad quam multi hodie doctorum virorum Belisarii obolum, quamvis tot seculis creditum, & decantatissimum, redigunt, etiam famosam hanc calamitatum Svenonis tragoediam reiicere.

[b] ***Eduardo Rege***) Eduardum, anno 979. interemtum, noster potuerat Saxoni, pessimo Chronologo, relinquere, & Adamum Bremensem sequi, cui Adalradus maiore veri specie nominatus. Sed neutrum fuisse, mox dicetur.

(c) ***Et habetur annos totos quatuordecim***) Atque hic est longus ille temporis tractus, cui, tribus insuper annis, ut septemdecim fiant, per Meursium exaucto, nullum, ab obitu Haraldi

ribus advocatis, initio *captivitatem suam* memorat, *per quam fabula toti mundo, & ludibrium factus esset; non amissis tantum opibus, sed & fama, & existimatione nominis sui, rebus omnibus cariore; tum, & summo cum opprobrio, inde se ab eo rege debellatum, qui ne feminae quidem impetum ante id tempus substinere potuisset; & a Thyra matre sua* [a] *Scania eiectus esset*; inde addit, *quae indigna in exilio tot iam annos pertulisset; spretus illis, quos amicos optimos, fidissimosque credidisset; denique exilii locum nusquam tutum, nisi in extrema Scotia invenisse, quae quantumvis evenire homini humanitus posse, satis sciret, nil se tamen dubitare, quin a Deo, suae impietatis vindice, obvenissent; etenim regno patrem senem deturbasse; & quam is religionem induxisset, impie cultu idolorum instaurato, evertisse; verum nunc se certo scire, nullum esse Deum alium, quam qui caelum, atque terram condidisset; quique misso in mundum filio, se hominibus manifestum reddidisset, uti salvos peccatores omnes faceret, inter quos se maximum profiteretur; eum esse, qui in terris sceptra daret, & adimeret; eius se offensa pridem regno deturbatum esse; & tunc miseratione, post exsilium diuturnum, tamdem etiam restitutum; itaque admonitos velle, ac rogatos, ut deinceps idolorum, in quis nil praesidii foret, cultui renuntiarent; &, saluti animarum consulentes, Deum sempiternum colerent, populoque ad veram demum pietatem signum tollerent*. Ad quae illi: *nil omnino se diffidere, quin sat ipsi fidem suam, in periculis multis adeo, maximisque adprobassent; qua de re si dubitaret, id daturos operam esse, ut quamprimum exploratum habere queat, nec maiore studio se quidquam velle, quam, qua ipsi grata scirent, & utilia reipublicae; sed mutare veterem deorum cultum, quem acceperant a maioribus, & novitium, atque peregrinum sequi, quem nonnulli reges pridem, novitatis studiosi induxissent, non se sine magna levitatis nota, umquam posse; quam ob rem rogare enixe, ut religionem antiquam, quam maiores sui dudum, atque ipse ab electionis tempore, tanto opere coluisset, sineret inviolatam, in quibusvis rebus aliis, neque studium ipsi suum, nec obsequium defuturum*. Post quae, ubi omnes a se dimisisset, aliam religionis emendandae rationem ineundam sibi statuit, in qua dum excogitanda totus adeo incumbit, commodum ab Adelago Bremensium Praesule, Poppo mittitur [b], qui in Dania propagandae pietatis Christianae potestatem dari sibi a Svenone re-

raldi patris usque ad excursum Svenonis in Angliam, spatium invenire potis fuit Torfaeus. Si enim vel communis opinio, qua Haraldus anno 980. mortuus statuitur, eligeretur, & pro quatuordecim Adami annis, septem dumtaxat cum Saxone iuberet filii destinare exilio, neque sic tamen res procederet; propter ea, quae idem Adamus, tum de Libentii admonitionibus, demum post Adaldagi mortem, h. e, post ann 988. factis, tribusque insuper Slavicis captivitatibus memorat. Obvertet aliquis ea, quae de Scotico exilio Adamus, & ex eo nostri prodidere, ab historicis ipsis Scoticis confirmari. Vnde enim Buchananus haec scripsisset *lib.* 6. §. 48, „ Inter haec „ Sveno, Haraldi filius, Danorum Rex, domo profugus, in „ Scotiam venit. Is saepius a Vandalis victus, captus, redem- „ tus, quum ab Olavo Scandianorum, & Edvardo Anglorum „ Regibus, frustra petiisset auxilium, tamdem a Scotis, ex „ acerrimo Christiani nominis hoste Christianus factus, acceptis „ modicis copiis, in regnum rediit? „ Respondeo, unicum istius narrationis fontem Buchanano Hectora fuisse Boethium, qui clarissimis ipse verbis significat sese nullis suae gentis, sed *Danicae rei* Scriptoribus, hanc debere. Ita enim Boethius *lib* XI. *pag* 247. *edit. Ascens.* „ Danicae rei scriptores me- „ moriae prodiderunt, hunc Svenonem, mox ut Danorum „ Rex erat declaratus, in divina saevientem, totam verae Re- „ ligionis stirpem ab radice suo in regno convellere adnixum, „ eoque authore Danorum, plerosque subscepto dudum divini- „ tatis cultu dimisso, repetivisse superstitionem. Inde tantae „ temeritatis ultrice divinitate, ter hostium potestate captivum „ factum, totiesque ingenti pecunia redemtum, tamdem cre- „ bris detrimentorum incursibus lacessitum, exsulem, extor- „ remque ab Olavo Norvegiae regimen gerente spretum, auxi- „ lium, quod frustra a Divo Eduardo Anglo petierat, a Sco- „ tis ad veram pietatem sacris eorum Sacerdotum monitis con- „ versum, impetrasse, eoque fretum in regno restitutum. „ Compara haec cum Saxone, & videbis, pleraque ipsa eius verba, ipsamque phrasin Saxonianam a Scoto scriptore nobis redditam. Igitur facile cogitatu, quanti id genus testimonia aestimemus. Monstra vero nobis, vel in Io. Forduni *Scot-Chronico*, vel in ullo unico Anglicorum Annalium, quorum haud parvus sane adest numerus, aliquod exilii eius apud Anglos, Scotosve vestigium, & tunc demum difficilem adgnoscemus nodum, vindiceque dignum. Torfaeus contra, non solum integram Anglicorum catervam tibi producet; quos de Eduardo, ac Ethelredo, eorumque gestis amplissime commemorantes, cunctos tamen rem adeo memorabilem, atque Danorum Regem regno suo expulsum, factumque illi, cui tam formidabile Danicum esset nomen, supplicem, tacuisse, omnem profecto admirationem superaret, si revera tale quid evenisset? Sed & planum ex eisdem Anglis redditur. Svenoni inter causas fuisse celebris in Angliam excursionis tranquillitatem illam, & otium, quo domi fruebatur per annos parentis mortem insequutos. Hinc, antequam ipse cum adfine suo Olavo Norvegiae Rege famosam illam anno 994 expeditionem subsciperet, ne copiae, quas ad regni praesidium alebat, otio corrumperentur, singulis fere annis earum partem quamdam ad Angliae oras emisisse, sicque consilio, quod animo habebat destinatum, praeparasse. Vnde & frequentes illae ab anno usque 988 irruptiones, a Florentio Wigorniensi, Simeone Dunelmensi, Ran. Higdeno, Io. Bromtono &c. adnotatae, *futurae*, ut ipsi dicunt, *maioris vastationis praenunciae*. Et iam anno 991. coepisse Danis tributum solvi, ex eisdem liquet. De copia vero, quam dicebam, excursionum, & consilii Svenonis iterum *Emmae Encomiastes* audiatur: Omnibus liquet procul dubio, quoniam ita se habeat „ consuetudo, ut plerumque ex rebus prospere redeuntibus, „ mentem quorumdam ex aequo exagitet cogitationum aestus, „ atque ex nimia in otio licentia adgrediuntur aliqui, quod vix „ cogitare nedum facere audent in adversitate positi. Ita etiam „ praelibatis Regis militibus, quam in compositae pacis firmi- „ tate cuncta essent prospere firma, sui pro benefactis Domi- „ ni freti stabilitate, eadem ipsi agitanti placuit suadere terram „ Anglicam invadendo, sorte bellica imperii sui finibus adii- „ cere. „ Ceterum Anglicas Svenonis expeditiones praecesserant nonnullae eius excursiones in Saxoniam, quibus obviam ivisse Ottonem III. Imp. ipse Adamus testatus. Etiam Torfaei verba sunt *Trifol. pag.* 57. „ Nostri quoque Scriptores Svenonem „ post patris mortem Saxones bello lacessivisse tradunt. „ *Chronicon Holsatiae* in Leibnitii *Accessionib. hist. pag.* 18. „ Dani „ fide deposita cum Rege suo *Svven* cum navibus flumen Al- „ buam intrantes, omnem Saxoniam desolabant, & ante *Sta-* „ *dium* castrum fortissimum castrametantes; sed tamen nutu „ Dei ex eis viginti millia hominum interfecta fuere? „ His addendum, quod Torfaeo *Histor. Norv. Tom.* 2. *lib.* 8. *p.* 300. observatum: *Parum dubito, quin Ascomannorum irruptio in Saxoniam, quam Albertus Stadensis ad annum 988. refert, ut in exordio imperii Sveni, ita etiam auspiciis eius facta sit.*

[a] *A Thyra matre sua Scania eiectus*) Totam hanc orationem, argumentumque eius, pro fabula nobis haberi, & commento satis iam declaratum. Sed unde *Thyra* Svenoni hic mater adfingitur? Error scilicet, & memoriae lapsus est Meursii, quo *Gyritham* dicere voluit, quemadmodum in Haraldi vita non semel. Deinde a matre eiectum Scania Svenonem unde didicit? Respondeo, turpius priore erratum esse, oscitanterque ipsi, vel Svaningio potius, quem ducem sibi elegerat, inspectum Saxonem, qui loco illo, non de Svenonis, sed de Olavi Sveciae Regis matre loquitur. Locus ita habet: „ Nec segniter poenitentiae beneficio permulsa Dei- „ tas propitii Numinis favore pristinum ei fortunae splendorem „ conciliavit; annoque exsilii ipsius septimo, decedente Erico, „ promtum regni introitum struxit, pro exsilio patriam, pro „ paupertate amplissimum decus, ac summam largita poten- „ tiam. Nam Erici filius Olavus, cum matre Gyritha Sveciam „ repetivit, ibique degens regnum materno arbitrio subiectum „ habuit. Ita Sveno eodem pene tempore, & religioni paruit, „ & patria potitus est. „

(b) *Ab Adelago Poppo mittitur*) Non cogitavit, ut videtur, noster de notis temporum, ut quodammodo factis congruerent.

ne rege petat, quam quum mox obtinuisset, partim monitis salutaribus, partim etiam miraculis, populum ad fidem in Christum amplectendam adhortatur, & inducit; acciditque, ut quandoque coram rege, ac proceribus, quum in populi concione frequentissima verba faceret, eum quoque interrogaret, an doctrinae habere suae fidem vellet, si miraculo comprobaret, veram illam, caelitusque missam esse, omnibusque adfirmantibus, ac conversionem suam promittentibus, convenire universos Isefiordam, portum Sialandiae (a) tunc satis notum, ad Roschildiam, die praestituto iubet; quo quum omnes mox adessent, chirothecam ferream candentem indutus, orat Deum, ut veritatem verbi sui non credentibus eo modo manifestam esse vellet, ac circumiens, quum gestasset aliquamdiu ante pedes Regis exsuit, & illaesam simul cunctis manum ostendit. Ea re commoti omnes, cum potentiam in hac Dei obstupescerent, verbum Dei, ut promiserant amplectuntur; tum & Sveno pietatem studio maiore colens, idolorum sacerdotibus, quos in fana introduxerat, rursum pulsis advocat ministros Dei, & Episcopos, e Saxonia, Angliaque, quo profugerant revocatos, denuo suis locis reddidit; Popponem, meritorum ergo, Arhusiae imponit (b); isque, ut magis Christianos iam novitios confirmaret, altero

rent. Svenonem toties captum, redemtum, a Sveciae deinde Rege expulsum, tamdem post septemdecim annorum exilium reducem, ab Adaldago etiamnum legatos excepisse, quomodo ulli hominum persuadebit, Praesule isto, anno 988. defuncto? Ad Popponem, quod attinet, mirum est quanta de eo inter Scriptores sit diversitas. Attamen quid miramur? cum & ipsius Adami Bremensis aetate res in incerto esset, non tantum quod ad locum, sed ad hominem, ipsaque eius miracula. Ita enim ille *lib.* 2. *cap.* 26. referens, ut credi vult, ipsa verba Regis Svenonis Estrithii: „ *Hericus*
„ (Sveciae Rex) duo regna obtinuit, Danorum, Svecorum-
„ que, & ipse paganus, Christianis valde inimicus. Ad quem
„ missus legatus Caesaris ac Hammaburgensis Archiepiscopi,
„ Poppo quidam, vir sanctus, & sapiens, tunc in Slesvicen-
„ sem ordinatus Episcopum, de regno Danorum, seu pace
„ Christianorum Caesaris partes expostulavit. Quem etiam *aiunt*
„ pro adsertione Christianitatis, cum barbari suo more signum
„ quaererent, nil moratum, sed statim ignitum ferrum manu
„ tulisse, & illaesum adparuisse. Dumque hoc, facile omnem
„ Gentilibus erroris ambiguitatem tollere videretur, iterum san-
„ ctus Dei, pro submovendo gentis illius paganismo, aliud
„ aeque magnum ostendit miraculum &c. - - - - Haec *aliqui*
„ apud Ripam gesta confirmant, *alii* apud Sliasvig. „ Velleiana editio plures, quam Maderiana, notas incertae, & dubiae traditionis (ut sic loquar) exhibet; nam, ubi haec, *missus legatus*, ostendit, & similia; illa habet, *fertur legatus fuisse*, *aiunt*, *dicitur ostendisse* &c. De tempore maior utique dissensus. Anonymi veteris *Chronologia*, cuius (in Dania, ut videtur seculo xv. conscriptae) editionem, inter alia *monumenta vetera*, publico bono communicavit vir excellens D. Ericus Benzelius, hodie Episcopus Lincopiensis, refert ad annum 826. vel, inquit, ut alii 816. *Danicum Haraldo Rege suo ad fidem Iesu Christi Domini nostri sunt conversi, per Poponem Diaconum, qui candens ferrum nudis manibus illaesus, cunctis stupentibus portavit, crediderunt que omnes, qui aderant, & Popo Episcopus factus est.* Altera, in eadem *Monumentorum* Sylloge, *pag* 14 similis *Chronologia*, quae in anno 1263. desinit, annum ponit 916. Ego eos, qui hic olim statuerunt annum 826. puto in oculis, & animo habuisse conversionem Haraldi, non *Gormonidae*, sed eius quem vulgo *Klakium* adpellamus, quippe quem isto anno baptizatum constabat. *Chronica Slavorum* in Leibnitii *Tomi* 2. sub Haraldo, cuius patrem perperam *Svveyn* nominat, factum scribit, & annum habet 963. Sigeb. Gemblac. & Matthaeus Westmonast. annum 966. Radulphus de Diceto 970 Adamus Bremensis, Libentii Archiepiscopi tempore, eoque scilicet, per quod Ericus Rex Sveciae Daniam, Svenone eiecto, fingitur tenuisse, quodque ita foret inter annos 988. & 994. Albericus Monachus Trium Fontium, exque eo *Magnum Chronicum Belgicum*, Vitaeque *Meinvverci* auctor, Popponem, illi anno 1015. hic anno 1017. Archiepiscopum Trevirensem factum memorant, de miraculo etiam eius Danico loquentes, sed cui nullum annum adscribunt. Witichindus denique, & Ditmarus, ceteris, qui rei meminere, sicut aetate, ita & auctoritate praeferendi, etsi de anno tacent, aperte tamen, clareque indicant, regnante Ottone M. & sub ipsis Haraldi Regis oculis contigisse. Idem facit Chronicon Alberti Stadensis; annus enim, sub quo ibidem refertur, non hoc factum, quod Torfaeus *Trifol. pag* 56. putabat, sed Ottonis I. mortem respicit. Ceterum priores duo, Witichindus, ac Ditmarus, non quidem, licet multi ita olim. & hodie sint opinati, adserunt, Christianam apud nos religionem primum tunc per stupendum illud Popponis factum, sed potius renovatam, correctam, confirmatamque. Dignus sane Witichindi locus, auctoris ipso illo tempore viventis, ac, ni fallor, ante Haraldum Regem fato suo perfuncti, qui in honorem magni Regis totus transcribatur: „ Dani anti-
„ quitus erant Christiani, sed nihilominus idolis ritu gentili
„ servientes. Contigit autem altercationem fieri in quodam con-
„ vivio Rege praesente, Danis adfirmantibus Christum quidem
„ esse Deum, sed alios eo fore maiores Deos, quippe qui po-
„ tiora mortalibus signa, & prodigia per se ostenderent. Con-
„ tra haec Clericus quidam, nunc vero religiosam vitam du-
„ cens, Episcopus, nomine *Poppa*, unum verum Deum Pa-
„ trem, cum filio unigenito Domino nostro Iesu Christo, &
„ Spiritu Sancto, simulacra vero daemonia esse, & non Deos,
„ testatus est. *Haraldus* autem Rex, utpote qui velox tradi-
„ tur fuisse ad audiendum, tardus ad loquendum, interrogat,
„ si hanc fidem per semetipsum declarare velit. Ille incunctan-
„ ter velle respondit: Rex vero custodire Clericum usque in
„ crastinum iubet. Mane facto ingentis ponderis ferrum porta-
„ re iussit. Confessor Christi indubitanter ferrum rapit, tam-
„ diuque portat, quo ipse Rex decernit; manum incolumem
„ cunctis ostendit, fidem Catholicam omnibus probabilem red-
„ dit. Ad haec Rex conversus, Christum Deum solum co-
„ lendum decrevit, idola respuenda subiectis gentibus impe-
„ rat, Dei Sacerdotibus, & Ministris honorem debitum deinde
„ praestitit. „ Ditmarus pariter narrationem suam sic inchoat:
„ Apud Danos regnante tunc Haraldo contemta Christianitas sic
„ per *Popponem* renovata presbyterum. Arguebat enim idem &
„ Regem, & populum, antecessorum suorum cura devian-
„ tem, Diis ac daemonibus vacantem, unum adfirmans in
„ tribus personis Deum. „ Reliqua exscribere non necesse. Sigebertus Gemblacensis: „ Hoc tempore (anno 966.) Danis,
„ qui Christum Iesum, & idola simul colebant, cum *Poppone*
„ Clerico in convivio altercantibus super cultura Dei, & Deo-
„ rum Danis adserentibus Christum Iesum esse quidem Deum,
„ Deos vero maiores, & antiquiores esse, illo *Poppone* contra
„ adfirmante, Iesum Christum solum verum Deum esse, unum
„ in substantia, trinum in personis &c. Quae ipsissima verba ex Sigeberto retinuit Radulphus de Diceto, ac tamen ad annum 970. retulit; secus ac Westmonasteriensis, qui paululum immutatis annum tamen Gemblacensis adposuit. *Chronica Sclavorum* variat, cum in anno tum verbis, neutiquam in re ipsa. Neque abludit Aelnothus Monachus in *Vita S. Canuti cap.* 1. *ex antiquorum* (sic ait) *relatus*, *Popponem*, *Christum Dei filium verum*, & *solum Dominum fore*, *evidenti indicio declarasse*. Atque hi, una cum Saxone nostro, sunt fontes, ex quibus sua de Poppone, eiusque miraculo hauserunt recentiores, Crantzius, Cypraeus, Wassovius, innumerique alii; quos, quia nihil, nisi ex iam enumeratis, adferre, praeter incertissima, a parentibus, & avis prodita, & auditione propagata, vel etiam inanes suas coniecturas, potuere, hesterni, aut hodierni auctores, vel rectius exscriptores, lubentes omittimus. Si quis autem nonnullorum ex iis catalogum desideret, inveniet ex parte confectum a diligentissimo, doctissimoque Viro Ioanne Mollero Flensburgensi *Isagog. ad Hist. Cimbr. Chers. Par.* 2. *a p.* 70. *ad p.* 76.

(a) *Isefiordam*, *portum Sialandiae*] Hoc ex Saxone, cuius sunt: *Danorum concione publice ad portum*, *cui glaciei frequentia nomen peperit*. Glacies Danice *Iis*, sinus autem Maris *Fiord* dicitur. Portus Danis *Hafn*, communem cum sinu ipso adpellationem habebat hic loci. Vidimus tamen nuper, dubium fuisse Adami Brem. aetate, utrum Popponis miraculum prope Ripam, an apud Slesvicum acciderit. Quod de Comitiis Viburgensibus scribere audet Cypraeus, vel de aliis locis recentiorum alii, nil moramur.

(b) *Popponem Arhusiae imponit.*) Neque hoc citra controversiam. Antiquissimus auctorum Witichindus nullius Episcopae, aut Dioecesis, cui admotus sit Poppo, meminit. Ditmarus, ei proximus, scribit, a Caesare, qui de facto audiverat, honore Sacerdotali adfectum. Verba eius: *Imperator autem hoc, ut audivit, vocatum ad se venerabilem virum Popponem, si pugil Christi esset interrogat, & Sacerdotali honore sublimat*. Slesvicensem Episcopum ordinatum Adamus Bremensis ait, non tantum *lib.* 2 *cap.* 26. sed & inferius *cap* 44. ubi successorem eius Esiconem nominat. Crantzius, Huitfeldius, Slangendorpius, aliique recentiorum, vel in partes discedunt, hi Adamum, illi Saxonem sequentes, vel suas tantum coniecturas adferunt. Auctor *Vitae Meinvverci*, item

se miraculo[a] illustrem facit; quippe, in eundem locum convocata concione, quum ceratum mox indusium induisset, idque incensum deflagrasset, nihil laesus, cunctis maxime admirantibus, flammam evasit. Per id tempus Svecia quoque, & Norvagia, sub Erico, & Olao, illic regibus, se ad fidem Christianam converterunt. Sed, dum Sueno domi totus in religionem incumbit, in Norvagia rex Olaus, magicae artis[b], quam callebat, amantissimus, veritus, ne Sveno regnum, quod Haraldus pridem pater possedisset, armis repetitum iret, bellum parat; atque, ut potentiam maiorem sibi compararet, matrem Erici, Svecie Regis, Syritham, uxorem petit; quod Svenoni postquam

item Auctor *Chronici Magni Belgici*, qui h. l. citat Albericum, Ttithemus in *Annal. Hirsaug.* Catalogus quoque *Archiepiscoporum Trevirensium*, Popponem a miraculo isto exhibito haud in Dania Ecclesias rexisse, sed Archiepiscopum Trevirensem factum, produnt. Verum Christoph. Browerus, & doctissimi *Actor. SS.* editores *Iunii Tomo* 1. *pag.* 536. nec non *pag.* 107. errare illos adgnoscunt, & Popponem, qui in Dania versatus sit, Trevirensi antiquiorem iudicant. Fatendum quoque *Vitae Meinvverci* enarratorem haud magnam habuisse rerum Danicarum notitiam. En illam: „ Hic rogatus a quodam Danorum Comite Ottone Daniam venit, „ gentemque Danornm adhuc idolis servientem, ad Christum „ convertit. Vbi incredulis repugnantibus, chirothecam ferream „ iussit fieri, eamque igniri; qua manu sua vestita, nec laesa, lineoque panno cera infuso ad carnem indutus, fornacem „ candentem intravit, indeque panno combusto illaesus exiens, „ Christum esse Deum hoc indicio declaravit. Hoc usque hodie apud Danos celebri fama vulgatur, a quibus & Anscharius vocatur, quo nomine eius memoria ab eis v. Idus Septemb. celebratur. sepulchrumque eius Treveri a Danis frequentatur. „ Constitutum vero Episcopum Trevirensem idem auctor refert anno 1017. Atque si idem sit, cuius *Catalogus*, Io. Vito-Durani Chronico subiectus, in Leibnitii *Access. Histor.* meminit, mortuus est anno 1045. adeoque sedecim tantum annis post illum, ad quem Popponis Slesvicensis obitum refert Adamus Brem. *lib.* 2. *cap* 44. & ex eo Crantzius, Wastovius &c, quamquam Saxo nostrum Popponem ante obitum Svenonis Regis decessisse scribit. Reliqui supra nobis laudati, Sigebertus, Westmonasteriensis, Rad. de Diceto, ne Alberto quidem Stadensi excepto, certae nullius Cathedrae mentionem faciunt, finientes narrationem his tantum: *Clericus autem in Episcopum est promotus*, non addentes vel locum, vel promotorem, Caesarne ille fuerit, an Haraldus. Poterat quidem prioris commendatione fieri, ut Episcopatum in Cimbria obtineret; atque ita nihil a vero alienum vel Ditmarus dixerit, quod Imperator eum *Sacerdotali honore sublimarit*, vel ceteri, qui inter Slesvicenses Episcopos numerant, Ceterum recte Torfaeus *Trifol. p.* 57. *Plures*, inquit, *eiusdem nominis consortes fuisse constat, ex quibus nunc uni, nunc alteri idem miraculum posteritas tribuit, nominis communione decepta.* Addere poterat, *etiam Poppones eodem temporis tractu plures*, (siquidem, ut testatur Adamus, noster Ille haud ante annum 1029. obierit, ut adeo confusio tanto fuerit proclivior.) Ita praeter Trevirensem, cuius nuper meminimus, duo Episcopi occurrunt similiter nominati, alter anno 990. alter vero anno 1047. mortui, in *Excerptis Necrologii Fuldensis*, Leibnit. *Scriptor. Brunsv. Tomo* 3. *Poppo* Episcopus Brixiensis ad Pontificis Rom. fastigium evectus anno 1048. Damasi II. nomine, sed intra 23. dies mortuus. Eodemque anno defunctus *S. Poppo* Abbas Stabulensis, de quo Baronius ad d. an. & Acta *SS. Iunii Tomo* 1. Denique *Poppo* Episcopus Wurtzburgensis, qui Cathedram adscendit anno 941. Synodo Ingelheimensi adstitit ann. 948. mortuus ann. 961. quem ipsum Cancellarii munus obiisse sub Henrico I. & Ottone M. eius filio, observat Bern. a Mallinckrot *de Cancellariis I. R. G. pag* 49. atque a Slesvicensi nostro Episcopo, miraculorum gloria claro, diserte, (secus ac de ipso scribit Io. Mollerus *l. c. pag.* 70.) distinguit.

(a) *Altero se miraculo.*) Istud non ex Saxone, sed ex Adamo Bremensi *loc. sup. cit.* accepit. De eodem attestantem habemus quoque *Meinvverci Vitae* auctorem, verbis iam adlatis.

[b] *Olaus, magicae artis,*) Nempe hoc vitio laborasse scribit Saxo, ut *augurum monitus consectaretur, & futura per pullarios disceret.* Et ante eum Adamus, quem forte hic sequutus Saxo, *Hist. Eccl. lib.* 2. *cap.* 29. „ Narrant eum „ (Olafum) fuisse Christianum; quidam Christianitatis desertorem, omnes autem adfirmant peritum auguriorum, servatorem sortium, & in avium prognosticis omnem suam spem „ potuisse. Quare etiam cognomen accepit, ut *Olaph* diceretur. Nam & artis magicae, ut aiunt, studio deditus, „ omnes, quibus illa redundat patria, maleficos habuit domesticos. „ Verum haec Torfaeus in *Historia Norvegica*, ubi Regis huius, Olavi Tryggvini (a patris nomine, quod *Tryggvi* erat, sic dicti,) vitam, & res gestas *Parte* 2. *libris* 8. & 9. fuse enarrat, pro meris calumniis, & conviciis habet. *Male*, inquit, *Adamus, & eum sequutus Saxo, eorumque adseclae, traducunt optimum & Regem, & virum, quorum convitia, haec nostra legenti, vanitatis satis convicta quin adpareant, non est, quod dubitem. Hist. Norv. Tom.* 2. *lib.* 9. *cap.* 50. Quid? quod in eiusdem *libri* fine *pag.* 460. non dubitat *Principum sui saeculi, ut piissimum, ita celeberrimum, atque etiam post fata gloriosissimum*, adpellare. Verumtamen, ut virtutes eius, inque istis eminens propagandae religionis studium, digno prosequatur elogio, tamen neque inficiatur, admixtam virtutibus fuisse iracundiam, saevitiam, nimiumque in poenis, & suppliciis irrogandis rigorem. Quod autem ad sortium illud, & auguriorum studium attinet, de quo & Saxo, & Adamus Bremensis meminere, tantum abest, ut Torfaeus, vel minimum eius generis vitium in Heroe suo adgnoscat, ut potius tamquam fabulam, putidumque commentum reiiciat levem quamdam narratiunculam de Finno, fatorum praescio, per Olavum consulto; quae quidem narratio etiamsi ex vero esset a Monachis Islandis tradita, nihil tamen tantopere incommodum famae, & existimationi Olavi in se contineret, quemadmodum illic legitur. Vnum est in Adami loco iam citato, quod Torfaeus neutiquam expedire potuit, quodque, ni fallor, plures auctoris istius lectores sollicitos habuit; scilicet, quod Regem illum dicat, a sortium, & avium observatione *cognomen accepisse, ut Olaph diceretur.* Ad haec enim ita exclamantem habemus Torfaeum *lib.* 8. *pag.* 348. *seq.* „ Quid, quaeso, nomen ei „ proprium fuit, si *Olaph* cognomen erat? Vnde haec etymologica nominis impositio originem trahat, qua per vocem „ *Olaph* haec plane intelligantur, plane ignoro. Divus itaque „ *Olavus*, ut & alter *Olavus* Sveciae Rex, quem Adamus „ Bremensis a pietate valde commendat, etiam a superstitione, „ & sortilegiis sua nomina pari ratione consequuti sunt, id quod „ nec ipse Magister Bremensis concesserit. „ Haec Torfaeus. Interim primus Adami editor, Andreas Velleius nostras, sine dubio visus sibi est in mentem auctoris sui penetrasse, quando ad oram editionis Hafniensis hoc scholion adposuit: *Olaus dictus a Bubone, ob auguriorum usum.* Nempe *Bubonis*, & *Vlulae* vocabulum Danicum est *Vgla*, quod solet vulgari apud nos pronunciatione efferri *Vle*, Germanice *Eule*, quasi igitur Rex *Olai* nomen, quia *Vlulas*, & bubones observaret, consequutus sit *Vlaph*, aut *Vglaph*. Quod profecto, ut nimis putidum, ita miror tam absurdum potuisse a Velleio fingi Bremensem, ut *Olaph* inde derivandum censuerit, is, qui non solum *Olaphos* alios, post eum. de quo nunc agitur, sed & ei aequalem unum, *Christianissimum*, quem vocat, Sveciae imperantem, nec non duos, aliquot ante eum aetatibus, Sveciae, Daniaeque Reges *lib.* 1. *capp.* 26. & 40. historiae suae inseruerat. Ego vero in longe alia sum sententia, neque mihi persuaderi patiar, Adamum istud *Olaph* pro *cognomine* habuisse, quamvis ita hodie indicent eius verba. Equidem puto, imo adfirmare non vereor, locum illum esse mutilum, & verum, quod Bremensis posuerat, cognomen e textu excidisse, facile ex alio eiusdem loco supplendum, quod Torfaeo, & aliis haud suboluisse demiror. Extat posterior locus *lib.* 2. *cap.* 36. ubi verba iacent: *Svein Rex Danorum, atque Nordmannorum veteres iniurias, tam occisi fratris, quam suae repulsionis ulturus, classe magna transfretavit in Angliam, ducens filium suum secum, & Olaph filium Craccaben, de quo supra dictum est.* Vbi omnino manifestum est, alium Adamo intelligi *Olavum*, quam Tryggvini (sive, ut is vocare solet, *Thrucconis*, vel *Thrucci*) filium, quippe quem *in mare se praecipitasse, vitaeque finem invenisse* iam ante *cap.* 29. dixerat. Deinde & posteriorem hunc, Svenonis, & Cnuti in Anglica expeditione comitem, ipsum Olavum sanctum, & martyrem esse, sequentia Scriptoris usque ad *capitis* 43. *finem*, palam loquuntur. Atque hunc *Sanctum Olavum* filium fuisse prioris *Olavi* Regis *Thruccii*, seu *Tryggvinii*, putavit, aut coniectavit potius Adamus, quamvis fallissima coniectura. Hoc nempe ista sibi volunt: *Olaph filius Craccaben, de quo supra dictum est.* Nam ubi, quaeso te, alias dixerat de ullo istius nominis *Craccaben* in superioribus? Nusquam sane in toto eius opere invenies. Albertus Stadensis, in exscribendo Bremensi per quam diligens, potuisset quidem loco illi, cui aliquid deesse dicimus, mederi, si, quod in aliis innumeris fecit, hunc integrum inserere, libro suo curasset, quod tamen neglexit. Interim nonnihil praestitit. haec adnotando ad annum Domini 1000. *In Nordmannia a Rege eorum Cracaben Christianitas per edictum subspici iussa.* Id quod non poteris non de *Olavo Thrucconis fil.* interpretari, per ipsum hunc annum Christi millesimum adhuc superstite usque ad mensem Septembrem, quo in pugna Svoldrensi periit. Nam Reineri Reineccii adnotatio, qua Stadensis istud ad *Thrucconem* Adami Brem. vel alium illum *cap.* eius 36. indicatum trahit, plane

quam nuntiatum esset, is praevertit: Syrithamque per legatos in coniugium (a) suum trahit; quo deinde impetrato, cum Erico, eius filio (b), init foedus, ad tuendam, & propagandam, quantum possent, religionem; quo Olaus intellecto, ira ardens, & Svenonem, antea devictum toties, ac nunc quoque, uti sibi persuadebat, vici facilem, nimis temere contemnens, bellum indicit (c), & in freto, quod est inter Scaniam, ac Sialandiam, locum praelii praescribit; ubi postquam ambae classes inter sese concurrissent, ac pugnassent summo animorum impetu, plurimis suorum captis, aut occisis, Norvagi succubuere: tanta clade, ut Olaus cum paucissimis vix effugeret; qui in ipsa tamen fuga, quum videret acriter insequentes Danos, neque se evadere posse, ne in hostium potestatem vivus ipse perveniret, praeces desilit in mare, mergiturque; quod quum uxor postea intellexisset, neque ferret infortunium; mox inedia vitam finit. Sveno, post victoriam istam, & exitium domus regiae, rerum in Norvagia potens, palam toto regno edicit (d), ut, relicto vetere idolorum cultu, nomen omnes Christo darent (e), & re-

plane aberrans nihilque aestimanda. Porro Albertus *pag.* 116.*a.* ad annum Christi 1027. de duobus *Olavis*, Sveciae, & Norvegiae Regibus haec adfert: *Herico Regi Sveonum Olaph filius eius successit, & alter Olaph in Nordmannia regnum post patrem suum Craccaben obtinuit, qui Christianismi simili religionis amore floruerunt.* Errat scilicet & ille, cum Adamo, in S. Olavi patre, quem Haraldum Graenskium fuisse constat, non vero aliquem *Craccaben*. Nobis autem nunc sufficit ad quaestionem nostram, eumdem Alberto Stadensi *Craccaben* intellectum, qui religionem Christianam per edictum anno 1000. introduxit, eumdemque etiam, de quo Adamus Bremensis sibi supra dictum indicavit. Ideoque pro certissimo habere potes, Adamum, quando *Olavum Thrucconis fil.* dicebat *cap* 29. servatorem sortium, *in avium praenosticis omnem spem suam posuisse*, sequentia sic e arasse: *Quare etiam cognomen accepit, ut Olaph Craccaben diceretur.* Ita totum id intellectu perfacile. Denotat scilicet hoc cognominis *Cornicis pedem*, scribendum, si velis, *Kraka-bein*. Cornix priscis Septentrionalibus, adhuc superstitioni immersis, praecipua ad augurationem avis semper habita, vernacule *Kraka*, quemadmodum Danis etiamnum *Krage*, dicta. *Bein*, pes, vel tibia. Aptumque satis adgnomen invidi, & obtrectatores finxere, ut scilicet Regem dicerent, in hoc maximo suo studio, utri cornix pedi insisteret, quemve priorem in evolando adlevaret, occupatum. Ceterum ad Adami tam sinistra de Olavo iudicia quodammodo excusanda sufficit, eum nequaquam fuisse talium inventorem, verum haec ipsa, ut credo, didicisse, ex sermonibus Regis Svenonis Estrithii, qui infensissimum semper animum in Norvegos gessit, a quibus toties victus, regnoque expulsus olim fuerat

(a) *Syritham per legatos in coniugium*] Quam Saxo perperam *Syritham* adpellat, hanc Norvegi, & omnes meliores historici *Sygridem* vocant. Fuerat *Erici* olim Sveciae Regis coniux, & sicut is *Victoriosi*, ita ipsa *Facinorosae*, aut (quod Torfaeus mavult) *Imperiosae* cognomen, vernacule *Storrade*, sed non aeque laudabilibus factis, ad posteros promerita. Vidua enim, quum a pluribus expeteretur, interque alios ab Haraldo Graenskio, & Visevaldo, illo Norvegiae, hoc Russiae Regulo, utrumque uno tempore splendido excepit convivio, ac una nocte somno, vinoque sepultos, iniectis domui ignibus concremavit. Alter Codex Islandicus refert, praeter Haraldum Graenskium, sex alios Regulos, aedibus Reginae exceptos, omnes eiusdem procos, flammis exustos, ipsa triumphantis in modum gloriante: *tali se exemplo Regulos peregrinarum gentium ab ambientis nuptiis suis territuram.* Hinc cognomen, quod diximus, sortita est, quippe quum esset opulentissima, omnes qui haud pari opum, & potentiae magnitudine auderent ad nuptias suas adspirare, dedignata, ad maius aliquod seque dignum imperium vota sua protendebat. Tamdem Olavo Tryggvino universae Norvegiae Rege proclamato, inter eum, & Sigridem de nuptiis convenit. Istas autem brevi discidit Regis ardens religionis studium. Qui cum nulla Sigridem persuasione ab abiurandum paganismum adducere poterat, nimia demum ira praeceps, & blasphema insuper voce Reginae ore effusa percitus, chirothecam, quam manu tenuit, genae eius impegit, & *caniculam ethnicam* sese ducturum negavit. Vnde Sigridis, ut par erat, offensa: *Et hanc*, inquit, *tu contumeliam impendio vitae, quandoque pensabis*. Neque longum tempus intercessit, cum Sigridis Daniae Regi Svenoni nupsit; qui, repudiata priore, quam habuerat, uxore, Principis Vandalorum filia, novam ita adfinitatem, amicitiamque cum Regia Svecorum domo stabilivit. Haec, Saxonianis, & Meursianis, ut rectiora omnino praeferenda, cognosci fusius possunt ex Torfaei *Hist. Norv. Tom.* 2. *lib.* 8. *cap.* 17. & *lib.* 9. *cap.* 14.

(b) *Cum Erico, eius filio*) Idem error, qui paulo superius, ubi Syritham (vel Sigridem) *matrem Erici* dixit. At ille Sveciae Regum, qui tunc vixit, *Olavus* vocabatur, matre Sigride, patre vero Erico, iamdudum defuncto, genitus.

(c *Bellum indicit*] Belli causae, & eventus, non solum in ipsius *Olavi Tryggvini Vita*, sed & a pluribus Norvegiae Historicis hoc modo referuntur: Sveno sororem suam Thyram Vandaliae Regi Burisleifo invitam, & reluctantem elocarat. Quae deserto marito, brevi post in Falstriam, Daniae insulam se recepit; unde per certos homines in Norvegiam missos opem Regis Olavi imploravit, quo tuta adversus inimicorum vim, etiam ab iniuriis fratris Svenonis, qui iterum ablegare illam in Vandaliam destinarat, liberaretur. Quid multa? Olafus in Falstriam navigat, Thyramque sibi despondet. Haec quum in Norvegiam venisset, Olafum non destitit precibus, & querelis suis, & quotidiano fere convicio instigare ad repetendas, quas ex paterna hereditate in Dania, & Vandalia possessiones habebat, quasque restituere Sveno frater recusabat. Tamdem maritum ad expeditionem in Vandaliam subscipiendam crebra exprobratione victum compulit. Neque hoc ignotum fuit Adamo Bremensi, cuius verba *lib.* 2. *c.* 27. *Olaph Thrucconis filius - - - - duxit in Dania uxorem superbissimam Thoren, cuius instinctu Danis etiam bellum intulit.* Eius expeditionis fama in Daniam delata, Sveno Rex, coniugis suae Sigridis opera, Olavo Sveciae Rege privigno suo, & Erico Comite Norvego, (filio Haconis Sigvrdii quondam Comitis,) qui in Svecia Sigridis filiam duxerat, sibi conciliatis, statuit, adiunctis eorum copiis, Vandaliae Regi succurrere; Sigride maritum, filium, & generum eo acrius incendente, quo impatientius opportunitatem aliquam ultioni, quam in Olavum meditabatur, praestolata fuerat. Igitur Dani pariter ac Sveci, classibus sociatis, quarum Sveno, & Olavus Reges, Comesque Ericus duces erant, Olavum Tryggvinium prope insulam *Svoldurem* adsequuntur, (haud procul Grypswoldo, Pomeraniae urbe, ut creditur,) pugnaque navali acerrima cum eo congressi, qua Danis, & Svecis fugatis, tamdem ab Erico Comite Rex Norvegiae devictus, ne in potestatem hostis veniret, in undas prosiliuit, clypeoque, ne urinandi opportunitatem impediret, supra corpus levato, aquis subito immersus disparuit. Praelium illud, quod *Svoldrense* in Annalibus vocatum, inter celeberrima Septentrionis nostri numeratur, habitum fuit anno Christi millesimo, die 9. Septembris. Erici Pomer. *Chronicon* Regem Norvegiae occisum in *Mesund*, dicit.

(d) *Toto Regno edicit*] Haud vero toto potitus erat regno, sed tertia tantum eius parte. *Quemadmodum enim inter Principes foederatos convenerat ante conflictum Svoldrensem* (verba sunt Torfaei *Histor. Norv. P.* 3. *lib.* 1. *cap.* 1.) *sic devicti Regis ditio inter eos divisa est. Vikam, quae prius Daniae Regibus paruit, Sveno iam velut postliminio receptam, sibi reservavit. Raumarikiam autem, & Heidmarchiam genero suo Comiti Erico clientelari iure concessit; qui istis suae portioni adiunctis, potentissimus toto regno evasit.* Olavus, Sveciae Rex, partem, quae ipse sortitus erat, concessit Comiti Svenoni, Erici fratri, adfini suo; nam iste Comes Sveno alteram Olavi Sveciae R. sororem, Holmfridem, in matrimonio habebat. Sic vero *regnum*, dicente Torfaeo, *in triumviratum redactum, redituum suorum magna parte non Danos tantum. pristinos Dominos, sed etiam Svecos, novos hostes, locupletavit*, Stetit ita res Norvegiae per sedecim fere annos, Erico Comite interea, postquam anno 1012. in Angliam a Svenone Rege, (vel aliquot annis serius a Canuto M.) evocatus, egregiam ibi operam praestiterat, mortuo; donec Olavus ille, quem *Sanctum* nominat, Haraldi Graenskii, olim Regis, filius avitum regnum sibi vindicaret. Soletque intervallum istud in historiis Norvegicis *Tempus Comitum* adpellari.

(e) *Nomen omnes Christo darent*) Quid horum in Vika factum sit, tacent Historici Norvegi. Verisimile autem est, quum in ista Danorum parte Ericus Comes Vicarium Regis Svenonis ageret, non meliorem istic religionis statum fuisse, quam in ceteris. Qualis vero hic fuerit, discimus ex Torfaei verbis, nuper adlata proxime insequentibus: „ Omnia damna „ superavit puriorum sacrorum, religionisque noviter magno „ successu institutae, non laxata, sed penitus remissa disciplina. „ Nam licet ipsi Comites Christiana sacra adprobassent, salutiferoque regenerationis fonte se abluendos praebuissent, nihil „ tamen ad ea promovenda contulerunt; verum arbitrio cuiusque „ reliquerunt, sive ritum ethnicum Christiano, sive hunc pagano praeferre liberet. Hinc interior Thrandia tantum non „ universa, & Vplandae ad paganismum relapsae sunt. Eodem „ intervallo circa annum 1013. Folquardum, qui deinde Alden- „ bur-

& religionem veram amplecterentur; inde in Anglos (a), qui, a patre olim victi, nunc obsequium denegabant, arma movet: & instructam classem ducit, una cum Canuto filio; quumque exposuisset militem, praesidio relicto ad portum, cum exercitu ad interiora tendit. Inter viam, quum acciperet ex captivo, classem Anglicam, sub Alfrico (b), ad eumdem portum stare, reputat secum, *an reducere potius copias, & navali quoque praelio cum Alfrico experiri, an praesidium, quod reliquerat suis navibus, missis aliquot cohortibus, confirmare, & in hostem cum exercitu porro ire, expediret*; quae dum animum cura agitat, en Alfricus ultro adest, atque, pace constituta, classem tradit: &, exemplo eius moti, incolae se passim dedunt. Praeerat regno Ethalredus, iuvenis valde (c), &, ut fere in illa aetate, ac potentia, luxu perditus; qui, accepta rei fama, primo statim impetu in arma ferri; verum quum is resedisset, etiam sibi postulandam pacem ratus, eam per legatos petit; & obsequium pollicetur, *si a praeda Sveno abstineat, subditosque legibus suis uti sinat*. Grata haec legatio Svenoni erat, qui imponere bello finem gestiebat; itaque praescribit diem, quo se sisteret Ethalredus, ac conditionem audiret: isque quum mox advenisset, infit Sveno: *non se temere arma in insulam intulisse; verum eam, quae tot annos, saepius victa, ac subacta, a maioribus, regno Daniae paruisset, rebellantem ad obsequium revocare voluisse; quod si sine armis queat, nihil ultra postulare; permissurum Ethalredo insulae totius regimen, regiamque dignitatem, quoad vivat, dum quotannis solitum tributum pendat; ac defunctus, regnum denuo, prisco iure* (d), *in Danorum potestatem pervenire patiatur; nisi velit, ideo se advenisse, ut ius suum persequatur*. Ethalredus, qui iam classem nullam haberet, deditamque magnam insulae partem sciret, & idcirco pacem quoque necessariam sibi esse, accipit conditionem. Post quae, dum religioni Christianae etiam illic propagandae animum intendit Sveno, ea in Dania confirmatur; nam Popponi, praesuli Arhusiensi, tunc defuncto, substituitur Rimbrandus; Hartvico Slesvicensi (e), Marcus, Lesdago vero Ripensi, Fulbertus. Quae dum fiunt, Sveno porro, studio religionis propagandae stimulatus, multa in Anglia pie instituit (f), quamquam alii suggillent. Diem obiit mense tertio post victo-

„ burgensis Episcopus factus est, durante persequutione Slavica, „ Slavia pulsum in Norvegiam profectum, multos Domino lu„ cratum, Helmoldus, & Slavici Chronici incertus auctor te„ stantur. „ Haec Torfaeus.

(a) *Inde in Anglos*] Prima Svenonis in Angliam expeditio, (loquor de prima earum, quas ipse per se obivit,) in omnibus Anglorum historiis, & annalibus refertur rectissime ad annum 994. Vides ergo, quanto errore Meursius, Saxoni, & Adamo Bremensi intentus, Svenonis contra Anglos gesta post interitum Olavi Regis, qui anno 1000. contigit, reiecerit: Praesertim, si cogitaveris, hunc ipsum Olavum Trygguinum Regem, socium, & comitem Svenonis in illa expeditione fuisse, consentientibus in eo, cum historicis Angliae, Norvegorum, & Islandorum monumentis. Ceterum si causam habuerint aliquam Saxo, & Meursius, Norvegicum illud Anglicis bellis praemittendi, dixero hanc fuisse, quod de alio quodam cum Norvegis bello inaudiverant, a Iomsvikensibus, seu piratis Danicis Iomsburgi in Vandalia sedentibus, gesto. Eius dux fuerat Sigvaldius ille, Palnatokii successor, qui Iomsvikensium pariter, & Danorum viribus succinctus, Norvegiam classe adgreditur, sed horribili pugna ab Hacone Comite, tunc maximae Norvegiae parti imperante, vincitur anno 994. Dum vero haec aguntur, Rex Sveno, qui, (ut videre licet ex narrationibus Torfaei *Histor. Norv. P. 2. lib. 8. cap. 4 & 5.*) auctor Iomsvikensibus expeditionis fuerat, scopum, quem consilio isti habebat, adsequutus, qui erat, ut simul dolum Sigvaldii, a quo captus fuerat, & defectionem Comitis Haconis ab obsequio patris, suoque ulcisceretur, ac utriusque viribus mutua clade attritis, securitatem sibi stabiliret, quum non esset quem domi formidaret, in Angliam vela vertit. Olafum Trygguinum, quod attinet, is regia Haraldi Pulchricomi, (seu Haarfagrii,) stirpe editus, a teneris usque annis exsulaverat, variisque fatis iactatus, Sveciam, Russiam, Vandaliam, Graeciam, Angliam, atque Galliam pervagatus erat, ac multis ingentis animi, & praeclarae virtutis bellicae speciminibus illustris, in matrimonium acceperat Vandalici Regis filiam, cuius soror iam Svenoni, Daniae Regi nupserat. Hinc Svenoni, Angliam invadenti, ut adfini suo, sese adiunxit. Quod autem Regem eum vocent Scriptores Anglici, nondum avito regno potitum, non tantum per anticipationem, ut ait Henschenius *Act. SS. Februar. T. 2. pag.* 847. factum, sed & ex iure, receptoque saeculi more, quo omnes Regibus nati, quando classibus praeerant, Reges dicebantur. Verum prima illa expeditione peracta, postquam Angli infinitis a Svenone cladibus, & calamitatibus adfecti, pacem ingenti summa argenti redemissent, Olavus Ethelredo reconciliatur, magnoque cum honore ab eo exceptus, & confirmationis Sacramento, (nam baptismum antea in insulis Sillinis acceperat,) consecratus, in filium ab eo adoptatur. Proxima inde aestate in Norvegiam regressus, (Svenone pariter Daniam repetente,) datam Ethelredo fidem servavit, atque a Norvegis Rex proclamatus, Haconem Comitem, civibus iam exosum, interfecit. A quo tempore ipse in quintum usque annum Norvegiam Regis titulo gubernavit, donec Svoldrensi pugna victus, in undis interiit.

(b) *Classem Anglicam sub Alfrico*) Patet, non de priore, sed de altera Svenonis expeditione loqui nostrum, ea nempe, qua lanienam anno 1002. Ethelredi iussu perpetratam, trucidatamque in magno illo Danorum numero Svenonis ipsius sororem, insequuta est. Istud autem Ethelredi facinus, quo novam, & longe atrociorem Angliae, domuique suae calamitatem adtraxit, sicut & plura alia, Meursius, nimius interdum brevitatis sectator, omisit. Brevitatem autem eius heic deductiore narratione compensavit Pontanus. Cuius opere, qui destituuntur, in Anglorum tamen *Annalibus*, totque ex iisdem, quae concinnatae prodierunt, historiis, nec non Normannorum illis, Walsinghami, & Gemmeticensis, adfatim invenient.

(c) *Ethelredus iuvenis valde*) Hoc minus convenit tempori, de quo nunc agitur. Regnum enim quum susciperet Ethelredus, duodecennis erat. Natus ergo anno 967. annos viginti septem, quum primum Sveno Angliam ingrederetur, habuit. Sub alteram vero eiusdem expeditionem, cuius hoc loco quaedam adtinguntur, hoc est, post annum 1002. triginta quinque, & amplius numerabat. Verum constat, & ex Anglicis monumentis liquet, saepius Svenonem inter ann. 1002. & ann. 1013. ex Dania in Angliam, exque hac domum regrediendo, mare traiecisse.

(d) *Ac defunctus regnum, prisco iure*] Nihil huius apud Anglicos. Neque verum est, tale quid Ethelredo propositum a Svenone. Meursius, (aut Svaningius senior,) vel Canuti M. cum Edmundo pactionem, de qua infra agetur, ad Svenonem patrem Canuti retulit, vel sequutus forte est Saxonem, qui Adelstenum pro Ethelredo imperite nominans, omnes Svenonis in Anglia res gestas his includit: *Nec Norvagiam sibi subiecisse contentus, petita Anglia, partum cum Adelsteno habuit, ut eo decedente, Regis bonis ac nomine frueretur*. Ex quibus Saxonianis nemini concludere licebit aliud, quam pacatum in Angliam venisse, & amica hac transactione firmata, domum cum magna tranquillitate, & absque ullis Anglorum querimoniis revertisse.

(e) *Hartvico Slesvicensi*) Episcoporum Daniae primorum seculis x. & xi. series, & chronologia nondum certo constituta, & confirmata est, etsi in ea quidam ex nostratibus laborarunt. Hic tantum obiter adnotabo, circa annum 1003. occurrere Eckehardum Episcopum Slesvicensem, inter patres diplomati Ioannis PP. XVII. quo Episcopatum Bambergensem confirmavit, subscribentes, in *Conciliis Labbei, & Cossart. Tom.* IX. *pag.* 787. En duo insuper loca ex Bucelini *Menologio Benedict. a d.* 4. *&* 28. *Aug. pagg.* 579. *&* 597. Illinc: *Egovardus, Monachus Hirsaugiensis, Slesvicensis est ordinatus Episcopus, & in Episcopatu gravissimis meritis, & Apostolico labore excelluit*. Hinc: *Egovardus, Episcopus Slesvicensis Gotman adpellatus, non uno signo sanctitatis viguit, cum, inter alia, mortuum ad vitam revocasset. Vnde inter Confessores numeratus*.

(f) *Multa in Anglia pie instituit,*) Mirum foret, si aliquis in mo-

ctoriam: ac sepultus Eboraci, hinc in Daniam transfertur; & Roschildiae tumulatur, in exstructo ab Haraldo patre templo, sacrosanctae Trinitati consecrato: ubi & conspicitur imago eius, iuxta patrem, quum inscriptione patris. Princeps erat, uti varius virtutis, vitiive, sic fortunae; quum idola sectaretur, impium adflixit Deus, atque regno deturbavit, quum amplecteretur fidem Christianam, pium iterum restituit, & ad altiora evexit, aliis duobus additis, Angliae, Norvagiaeque; tribus praeliis patri infestus, atque eum regno exuens, totidem victus, ac vicissim quoque exutus, Deum impietatis omnis in parentes manifestum vindicem expertus fuit. Vxorem habuit Syritham, Erici, Sveciae regis, filiam: ex qua auctus est Haraldo [a], ac Canuto, utroque rege; illo plane effoeminato, & imbelli, altero forti: ut in istis quoque Deus poenam vitii, ac virtutis praemium, reposuisse videatur. Filiam quoque unam habuit, Margaretham, cognomento Estritham dictam [b]; & Richardo, ut mox dicam, Normannorum ducis fratri, primis nuptiis elocatam; alteris, uxorem Vlvonis, summi inter Svecos loci, quamquam natione Angli, patre Dano, & e regia prosapia: tertiis denique Godvini [c], Angliae satrapae; & ex eo matrem Haraldi, Biornononis, ac Tostonis. Quidam volunt, non Estritham Godvino nuptam esse, sed Canuti alteram sororem, Thyram: liberosque quos iam dixi, ex eodem peperisse.

HARALDVS VII.

Hujus Saxo, & Anonymus in Compendiosa Historia, item Crantzius, nullam mentionem faciunt: sed Ericus Pomeranus eum suc-

in monumentis Anglorum paulo versatior, fidem his adiungeret. Vellem etiam, noster, quo auctore didicerit ista, indicasset. Etenim de Svenone ne quidem ipse *Emmae Encomiastes*, talia praedicavit, dicens saltem, quod morti vicinus Cnuthonem filium ad Christianitatis studium adhortatus sit, Hector Boethius *Histor. Scot. lib.* 2. qualem religionis curam habuerit, his indicat: *Tunc Sveno Danos ad honores, deiectis Anglis, effert, imo ad Sacerdotia promovet.* Anglorum, plerorumque relationes eo spectant, ut vastatorem potius Ecclesiae, saltem in Anglia, quam tutorem adgnoscas. Secus multo in Dania se gessit. Henr. Harpsfeldius *Hist. Eccl. Angl. Sec.* x. *cap.* 4. „ Sveno Rex Danorum a nonnuilis scribitur „ ipsam religionem in Anglia delere cogitasse, & ab S. Edmun- „ do coelitus peremtus; ab aliis placida morte defunctus, Chri- „ stianis sacris Daciam imbui curasse, moriens salutaria de „ Christiana religione praecepta Canuto filio dedisse. „ Anton. „ Wood *Hist univ. Oxon. l.* 1. *p.* 43. „ Svenus Oxoniae aliquan- „ tisper commoratus, quum ad Christianismi perinde ac bona- „ rum litterarum perniciem excubaret, procul dubio etiam Musis „ infestus, earum cultores penitus exturbavit. „ De morte, & sepultura Svenonis, & translatione defuncti corporis in Daniam omitto dicere; cum ista cuncta, tam, quae fabulosa sunt, quam quae vera habenda, ab Anglicis historicis occupata, nec non nostris, Pontano *Hist. Dan. pag.* 145. Stephanio *not. in Saxon. pag.* 209. Vid. interim Emmae Encom. *lib.* 2. *pag.* 167.

(a) *Ex qua auctus est Haraldo* &c.] Syritham (aut rectius Sigridem) non filiam Erici Regis, sed coniugem fuisse, & matrem Olavi itidem Sveciae Regis, antequam Svenoni nuberet, supra diximus. Hanc nempe, priore sua uxore repudiata, viduam Rex noster duxit circa annum 995. aut 996. certe non ante 995. Sed prolem virilis sexus nullam ex illa habuit. Canutus, & Haraldus erant ex priore matrimonio cum coniuge Vandalica. Hanc Ditmarus Merseb. *lib.* 7. *p.* 409. (ed. Leibn.) *Misecone* genitam facit, & *Boleslai*, (quem nostrates *Burislafum*, vel *Burisleifum* vocant,) non filiam, sed neptem; deque repudio eius testatur, his verbis: *Hos peperit ei Miseconis filia Ducis, soror Boleslavi, successoris eius, & nati. Quae a viro suimet diu depulsa, non minimam cum ceteris perpessa est controversiam.* Hinc in *Emmae Encomio lib.* 2. *pag* 167. de Cnuto, & Haraldo dicitur: *Pariter Slavoniam adierunt, & matrem suam, quae illic morabatur, reduxerunt.* De Slavica itidem, seu Vandalica matre plures exteri, omnesque Islandi referunt; resque profecto extra omne dubium constituta, etsi Ditmaro credam, Boleslavum, (vel Burisleifum) Reginae, non patrem fuisse, sed avum. Quae quum ita sint, non possum comprehendere, cur alteri relationi, solis Islandorum scriptis innixae, fidem aliquis tribuerit, Canutum, quum Sveno pater moreretur, decennem tantum fuisse. Sic enim in *Knytlingorum Historia*, aliisque legitur. Nam quemcumque demum annum Svenoni emortualem, sive 1014. aut 1012. ex Anglorum, sive 1009. ex Islandorum auctoritate facias, Canutus non Vandalicae amplius faeminae, utpote ad Slavos iamdudum remissae, sed Sigridis Svecicae erit filius, posito semel vel anno 999. vel serius natum esse. Mirarique satis non possum, Thormodum Torfaeum, dum haec omnia perquam habebat cognita, ut patet ex *Trifol. pag. penult.* & ex *Hist. Norv. Tom.* 3. *lib.* 1 *cap.* 11. adeo tamen pertinaciter Islandis suis adhaesisse, ut tollendae isti difficultati ne verbum quidem impenderit. Quid? quod, cum minime omnium ignoraret, Anglicis aeque, atque aliis monumentis traditum, expeditionis paternae Canutum in Angliam fuisse Comitem, atque, quum pater e vita excederet, in Lindeseia cum classe, & obsidibus stetisse, attamen hunc non prius in Angliam vult devenisse, quam patre primum Svenone, & deinde Ethelredo Rege, in tertium inde annum superstite, extinctis. Neque alia de causa haec tam paradoxa, quam quia in ea omnes membranae Islandorum, & relationes consentiunt. Itane vero, ut Islandis sua stet fides, reliqui omnes falsi fuerint? Emmae Encomiastes, qui *pag.* 166. *seq. Cnutum primogenitum comitatui suo adiunxisse?* Simeon Dunelmensis, Flor. Wigorniensis, Matth. Westmonast., Ran. Higdenus, Rad. de Diceto, Io Bromton? quorum singuli ad annos 1013. & 1014. Svenonem sub filii Canuti imperio classem suam in *Lindeseia* reliquisse, & quae de regressu eius in Daniam leguntur, scripsere; ut Adamum Brem. *lib.* 2 *cap* 36. taceam. Sane illud, quod Vir doctissimus, ex *Codice Flateyensi* de Thingmannis mortuo Svenone sublatis, (quos tamen in magna celebritate vixisse sub Haraldo II. Godwini filio, ex Snorrone Sturlaeo discimus,) deque Eylifi, & Thorkelis Proceri sermonibus, nobis exposuit *Hist. Norv. Tom.* 3. *lib.* 1. *cap.* 10. pro fabula habemus pura. Nec possumus melius iudicare de computatione annorum Cnuti ex calculo Islandorum. Denique de Svenonis, & Canuti in Anglia gestis quando agitur, atque annis, quibus uterque illic aut vixerit, aut vitam finiverit, quidni Anglos potius sequemur auctores, quibus ad manus, & ante oculos fuerunt infinitae rerum memoriae, eisdem ipsis temporibus scripto consignatae, quam Islandos incertas auditiones, & ea, quae patres, avique sui haud explorate de peregrinis rebus narrabant, veris saepenumero admiscentes?

(b) *Cognomento Estritham dictam.*) Verum nomen fuit *Estritha*, quod Islandi scribitur *Astridis*, usitatum adhuc in Norvegia, & Islandia. Si alterum Margaretae adiunctum habuerit, eadem ratione fuerit, qua Canutus Lamberti illud, nempe per Sacramentum confirmationis additum.

(c) *Tertiis denique Godvini*] Haec, & quae sequuntur, de *Estritha*, *Godvino* & Canuti sorore *Thyra*, infida Saxonis auctoritate innixa, si cum aliis, in hac parte multo rectioribus, memoriis conferas, fere nihil, quod tueri se possit, habere deprehendes, adeoque una litura inducenda sunt. Astridem, (vel *Estritham*) primis nuptiis coniugem habuisse Richardum Normannum, alteris Vlfonem Comitem, res vera est; quemadmodum &, ex Vlfone matrem factam Svenonis, & Biorni, quorum ille insequutis temporibus avitum Danorum regnum obtinuit. Tertias vero nuptias numquam iniit Estritha. *Godvinus* Comes, stirpe, & natione Anglus, neque Estritham, neque Thyram in matrimonio habuit, sed, testantibus Wilh. Malmesbur. & Henr. Knyghtono,) aliam Canuti sororem, cuius nomen nusquam proditum, ex qua filium genuit, qui ephebus in Tamesi suffocatus est; postea Godwinus duxit *Gytham*, (seu Gydam, quae soror erat Vlfonis Comiti, mariti Estrithae, Gythae huius, & Godwini liberi fuere, *Haraldus*, ille post Hardecnutum Rex Angliae nominis eius *secundus*, *Tosto* Comes, pluresque filii, & filia quoque *Gyda*, S. Edwardi Confessoris uxor. Recte satis ea explorata habuit Adamus Brem. *lib.* 2. *cap.* 37. scribens: *Sororem suam repudiatam a Comite* (Normannorum) *Knuth Rex dedit Vulf Duci Angliae, eiusque Vulf sororem copulavit. Duci Gudvino, callide ratus Anglos per connubia Danis fideliores.* Quod ad Thyram attinet, quam tamen, & alii *Gydam* nominant, Svenonis Regis ex priore coniuge filiam, Canutique Magni, & Haraldi Germanam, ea iam ante elocata fuerat Erico Norvegiae Comiti, qui Hacone celebri illo Comite

successorem statuit; meminitque, tamquam regis [(a)], is qui Emmae Encomium scripsit; itaque hic locum quoque suum habebit, quamquam indignus inter reges nominari: siquidem effoeminatus adeo fuit, & effusus in libidinem, ut, invisus inde cunctis, regno mox depelleretur: ac Canutus, eius frater, solio imponeretur; quo & ipso tamen postea, quod abesset fere regno, bellis exteris implicatus, quamquam in honorem regni, deturbato, eum demum receperunt; ita Dani eo tempore nec ignaviam regi sui, nec virtutem, ferre poterant: & Haraldus, sic receptus, solium haud diu tenuit; moriensque, iterum Canuto cessit.

CANUTUS II. cognomento MAGNUS.

Eo regnum consequuto, Angli statim, Norvagique [(b)], desciscentes, hi Olaum, illi sibi Eduardum praefecere [(c)]: cum Canutus inter ista contra Sembos, Vandalosque [(d)], arma ferret; qui, ne contra plures hostes uno tempore bellum habere cogeretur, missis paulum, qui defecerant, quod iam pridem inchoaverat, porro urget: quumque ex animi id sententia confecisset, Anglos petit; &, ne illis Norvagi auxilium ferrent, neve Daniam se absente infestarent, Olaum, cum Haraldo fratre [(e)] regnum illic obtinentem, callide in partes

inite natus, Daniae, & Sveciae Reges in debellando pugna Svoldrensi Olavo Tryggvino adiuverat, & postea maximam Norvegiae partem rexerat, deinceps in Anglia extinctus. Haec ex diligenti Angliae, & Norvegiae, Islandiaeque historicorum comparatione ita confirmantur, ut omne dubium excludant. Itaque schema genealogiae tale erit:

Sveno Rex *furcata-barba*, *Haraldi Caerulidentis* filius

Ex *prima* uxore *Gunhilde* Vandalica
1. Canutus M. — Haraldus — Thyra (seu *Gyda*,) nupta Erico Com. Norv.

Ex *altera* ux. *Sigride Imperiosa*, Sveca.
2. *Astridis* (*Estritha*) nupta *Ulfoni* ——— *Gyda*, soror Ulfonis, nupta *Godrino*, Angl. Comiti. Ex iis nati.
Sveno Rex Daniae — Biorno
Tosto Comes, *Haraldus II.* R. Angl. eorumque fratres — item *Gyda*, S. Edvvardi Regis uxor.

(a) *Meminit tamquam Regis*] Recte. Sed non meminit, tamquam indigni inter Reges nominari; ut quem potius magnis laudibus prosequitur, cunctaque inter ipsum, & fratrem placide, amiceque acta commemorat. Attamen non dubito, quin aliquid veri insit Pseudo-Erici narrationi, quam Meursius adoptavit, & hanc causam Canutus habuerit repentini sui ex Anglia post parentis mortem discessus; nempe, ut ius suum in Daniae regnum contra minorem fratrem vindicaret; quemadmodum, & recte iudicavit Thoyras Rapinus in sua *Historia Anglica Tomo* 1. *pag.* 398. Saxo, Haraldum e numero Regum excludens, attamen mentionem eius facit, de iis loquens, quos Canutus socios sibi contra Angliae Regem adiungebat, *pag.* 192. *Quod*, inquit, *ut promtius exsequeretur, Olavum Norvegiae potitorem, cum fratre Haraldo, tectis dissimulatione odiis, adversum defectionis suae consortem animavit*. Neque alium heic debuit Saxo, quam fratrem Canuti intelligere, cum S. Olavus nullum germanum habuerit, unicus quippe Haraldi Graenskii filius, & quidem posthumus, uterino eius fratre Haraldo Sigvrdi filio, adhuc dum puerulo. Ergo mentem Saxonis sic concipio, aliquid simultatis inter Canutum, & Haraldum, germanos, apertius vero dissidium inter Canutum, & Olavum, ob adfectatum Norvegiae regnum intercessisse; quod omne tamen sopitum prior tantisper voluerit, donec utriusque usus opera recuperasset Angliam. Confirmatur hoc ipsum ex colloquio fratrum apud Encomiasten Emmae: „ *Haraldus* Rex, audito quod noluit, „ (scil. *postulatum Canuti de regno Daniae dividendo*) his fra„ trem verbis excepit: Gaudeo, frater, de tuo adventu, ha„ beoque gratias tibi, quod me visitasti, sed est grave audi„ tu, quod loqueris de divisione regni. Hereditatem, quam „ mihi pater, te laudante, tradidit, guberno; tu vero hac „ maiorem (scil. *Angliam*) si amisisti, doleo, *teque iuvare* „ *paratus*, regnum meum partiri non substineo. Hoc Cnuto „ audiens, fratremque recte loquutum tacite perpendens: *Hoc* „ *tempore de hoc sileamus*, inquit. Deus enim rectius fortasse „ hoc solus ordinabit. „ Ceterum puto haud diuturnam Haraldo vitam extitisse, ac brevitatem temporis effecisse, ut a plerisque omnibus in serie Regum sit omissus. Islandi etiam mortuum scribunt, antequam Cnutus poterat patri succedere. Sic enim *Knytlingorum Historia cap* 8.

(b) *Angli statim, Norvegique*) De Anglis, quorum magna pars defecit, legantur eius gentis historici Norvegi Comites ex pacto obsequium sine dubio praestiterunt; & Ericus quidem, maximae regni istius parti imperans, a Canuto arcessitus, fidelem in Anglia operam repraesentavit; quod & *Emmae Encom. pagg.* 169. *&* 171. docet, & Torfaeus ex aliis probavit *Hist. Norv. T.* 3. *lib.* 1. *cap.* 12. Verum, defuncto Erico, aut verius antequam decederet, Olavus ille, cuius hic meminit Meursius (idem, qui Sanctis post fata adscriptus, filius Haraldi Graenskii) Norvegiam invaserat. Vid. amplius Adami Bremensis locus, mox infra adlegandus.

[c] *Eduardum praefecere*] Quis crederet, nostrum, tanta eruditione Virum, in gentium, quibuscum Danis res fuit, toto orbe celeberrimarum, historiis tam negligentem fuisse, ut etiam ubi de nominibus Regum agitur, caecam Saxoni addicere fidem, & credulitatem voluerit? Quidni vero, qui in Svenonis vita recte viderat nominandum Ethelredum esse, istic ubi Saxo Adelstanum habet, hic pariter eum deseruit, vel Ethelredum reponendo, utpote qui mortuo Svenone, Canutoque digresso, in regnum redierat, vel Edmundum.

(d) *Contra Sembos, Vandalosque*] Vandalorum inquieta gens, & ex rapto vivere adsueta, ne Daniae oras infestaret, quod haud dubie per absentiam Svenonis, & Canuti fecerat, reprimenda erat, & obsequium, quo Danorum Regi obstrictos, tum Vandalos, praesertim Iomswikingos, tum Sembos, in superioribus diximus, vi armorum exigendum. Interim persuasum habeo, Saxonem hoc loco, ut alibi, male tempora ordinantem, debuisse Anglica Canuti bella Vandalico huic praemittere. Idque ex Anglorum Annalibus discimus. Henr. Huntindon. *pag.* 364. *Cnut tertio anno regni sui* (h. e. anno 1019.) *ivit in Daciam, ducens exercitum Anglorum, & Dacorum in Vandalos*; commemorans deinceps de insigni victoria, quam Angli, Godvino duce, de Vandalis retulerunt, cum magna Canuti admiratione. Quae ipsa Io. Bromton repetit *col.* 908.

[e] *Cum Haraldo fratre*] Videantur, quae nuper ad Haraldum adnotavimus, de Saxonis loco. Pontanus hic Sveciae Regem Olavum adiungit, quem Canuti fratrem uterinum vocat; minus adcurate. Nam uterinos fratres non dicimus, nisi quos eadem mater peperit ex diversis patribus. Canutus autem neque patrem, neque matrem cum Olavo communem habuit; Sigrida, huius mater, illius erat noverca. Sed Adamum Bremensem hic sequutus Pontanus, cuius verba sunt *lib.* 2. *cap.* 36. „ Knuth filius Svein Regis cum exercitu reversus „ in patriam, denuo bellum molitur in Anglos. *Olaph* a Nord„ mannis electus in Principem, separatus est a regno Dano„ rum

tes trahit; Angliaeque ditionem, si conatus voto suo responderet, pollicetur; quo pellecto, postquam Anglos, magna classe comparata, petiisset, obvium eorum regem, Edvardum[a], atque diu Marte dubio repugnantem, tamdem fundit; primo quidem, acies nutabat Danica, & iam fugam capessebat; cum, Thymone Sialando[b], viro acri, revocante, praelium mox instauratur; fugiuntque, qui vicisse se putabant; multi caesi, plures capti: qui dimissi, praemio libertatis suae persoluto. Hic Canuto primae adversus Anglos pugnae eventus fuit; plures alias memorant Scriptores gentis, & victores semper illos; victum tamen tamdem etiam Edvardum, concessisse in Normanniam[c], reducemque inde postea, novas copias in Canutum adduxisse. Aliter Annales nostri, imparemque Edvardum, icto cum Canuto foedere, in societatem ipsum regni sui admisisse; totum istud possessorum, postquam fato functus foret. Per quae quum biennium exactum esset, mox Canutus annos septem Angliam[d] quiete tenet. Post haec quum occisus esset Edvardus, sive scelere suorum, seu insidiis Canuti[e], ut ex pacto Angliam solus possideret, quamquam actis mox in crucem percussoribus, non evadere tamen potuit, quin suspectus cunctis caedis imperatae haberetur. Morte eius Anglia potitus tota, ut imperium in hac insula confirmaret, Immam[f], filiam Roberti, Neustriae ducis, caesi Edvardi viduam, matrimonio sibi iungit; ac Richardo, eius fratri, dat sororem Margaretam, quam Estritham cognomento appellabant; certiorem duplici adfinitate amicitiam arbitratus. Hinc simultas cum Olao, Norvagiae rege, intercedit, sive quod Alvinam[g] amatam intervertisset, sive etiam, quod promissum auxilii praemium, aliquam Angliae, uti dixi, ditionem, minime repraesentaret; isque cum Norvagiam repetisset, vires statim cum Haraldo fratre iungit, Daniamque varie depopulatur; quod Canuto ut relatum, is accurrit; & exutum regno utrumque in Russiam agit, ubi tunc Olai socer, Gerithaslavus, principatum obtinebat; nec contentus sic fugasse, filium Canutum mittit[h], qui & illic persequatur; isque bonam eius regionis partem quum vastasset, etiam Esthoniam in ordinem cogit; & tributum, pridem denegatum, imperat. Hinc Canutus, altero Olao, Sveciae rege, ad colloquium evocato, & tranquillitate publica borealium regnorum constituta, pacem firmat; tum in Angliam reversus, cum sororem[i] Margaretam a Richardo male habitam intelligeret, eum terra sua eiicit[k]; illam recipit, praeficitque Sialandiae[l].

„ rum. Tunc vero Knut ancipiti casu turbatus, pacem iniit „ cum fratre, *filio Herici*, qui regnavit in Svedia, eiusque „ fultus auxilio, deliberavit primo quidem Angliam subiugare, „ deinde Norvegiam.

[a] *Edvardum*] Corrig. *Edmundum*.

(b) *Cum Thymone Sialando*,) Saxo *Tymmonem* scribit. Isque tot alia belli, in Anglia a Canuto gesti, memorabilia praetermittens, (in quibus laudandam prorsus operam, ita ut vix aliquid ultra desideretur doctissimus Pontanus posuit,) hac videtur historiola demereri voluisse nobilem *Bannerorum* in Dania familiam. Legi potest in ipso Saxone locus, & cum Stephanii adnotatione *pag.* 209. conferri Nimis enim taediosum, ea hic exscribere. Verum cogitandum, annon potuerit haec, sive vera narratio, sive fabula, ex altera illa defluxisse, quae in *Emmae Encomio* habetur *pag.* 169. „ Erat „ Danis vexillum miri portenti - - - quod dum esset simplicis„ simo, candidissimoque intextum serico, nullius figurae in eo „ inserta erat imago, sed tempore belli semper in eo videba„ tur Corvus, ac si intextus in victoria suorum quasi hians „ ore, excutiensque alas, instabilisque pedibus, & suis devictis „ quietissimus, totoque corpore demissus. Quod requirens „ *Thurkill* auctor primi praelii: *Pugnemus*, inquit, *viriliter* „ *socii, nihil enim nobis erit periculi. Hoc denique praesagit* „ *instabilis corvus praesagientis vexilli. Quo audito, equites au*„ *dentiores effecti*, ferratisque induviis idurati, occurrunt An„ glis. „ &c.

[c] *Edvardum concessisse in Normanniam*) Immanis error, nec Saxoni quidem imputandus. De Edmundo hic nostrum loqui, quem Saxonis exemplo perperam Edvardum vocat, nunc non moneo. Sed quod Regem eumdem, quocum Canutum foedus percussisse mox scribit, in Normanniam concedere faciat, ad Scriptores gentis provocans, nullo modo ferendum. Nullus enim Angliae Scriptorum de Edmundo hoc prodidit; uti neque de Ethelredo ab illo tempore, quo Canutus denuo, h. e. post Svenonis fatum, Angliam ingressus est. Sed a Svenone debellatum Edmundi patrem, Ethelredum, in Normanniam se recepisse, indeque Svenone mortuo rediisse, res notissima.

(d) *Annos septem Angliam*] Ab ingressu Canuti in Angliam usque ad mortem Edmundi non integrum fluxit biennium. Hoc memoriae Anglorum paene omnes adtestantur, nec non aliae, excepto, ut puto, solo Olderico Vitali, qui *lib.* 1. *pag.* 371. Edmundum *post septem annos* fraude Erici Streonae interemtum, scribit. Sed iste auctor exiguae prae ceteris fidei; adeo saepe falsus deprehenditur.

(e) *Seu insidiis Canuti*) Saxo ex eorum est numero, qui huius sceleris invidia Canutum onerant, scribens *quosdam ita memorare*; neque admodum factum excusans, quod potius in laude videtur ponere. Verum Anglici melioris notae historici Canutum ne quidem subspectum eius vel habent, vel reddunt, uti neque veteres Islandi, uno excepto *Knytlingorum Historiae* auctore, cuius haec sunt *cap.* 16. „ Erat tem„ poris inter Anglos vir potens, Heidricus Striona nomine: „ *Is a rege Cnuto pecunia corruptus est, ut Edmundum clam* „ *interficeret*. Hoc modo Edmundus periit. „

[f] *Immam*) Sic & Saxo scribit, & Adamus Brem. paucique alii. Plerique vero *Emmam*. Meursius adpellat *caesi Edvardi viduam*, crasso errore, quum non ultimo Regi Edmundo, qui caesus interiit, sed patri eius Ethelredo II. aegritudine absumto, iuncta fuerat.

[g] *Sive quod Alvinam amatam*) Fabula est, quam Saxo, & ex eo Crantzius, habet, a Torfaeo explosa. Faeminae vero nomen, quae indicatur, & quae Canuto filios illos peperit, *Alfgiva*, vel *Elgiva* fuit, Althelmi Comitis Northamtunensis filia. Norvegi, & Islandi *Alfifam* nominarunt. Vid. Torfaeus *Hist. Norv. Tom.* 3. *pag.* 208.

(h) *Filium Canutum mittit*) Quam haec male cohaereant, si tempora spectemus, queis contigerunt, mox infra ostendetur.

(i) *Tum in Angliam reversus, sororem*] Bellum Canuti Norvegicum ante annum Christi 1026 locum habere nequit. Eo vero usque remittere illa, quae Margaretae, (seu Estrithae) acciderunt, variae rationes vetant. *Primo* enim Anglici Scriptores aiunt, eodem tempore, quo Emma Canuto, Richardo Normannico Estritham desponsatam fuisse, sed mox remissam. Quod enim Pontanus in *Tabula Geneal. pag.* 119. filios ex eadem natos Richardo dicit adserens *Popiam*, Wilhelmo Gemmeti. *lib.* 7 *cap.* 7. nominatam, eamdem cum Estritha esse, nimis sane audax coniectura. *Secundo* Estritham eodem, quem indicavimus, anno Vlfoni nuptui datam esse, etiam Septentrionales nostri adtestantur. *Tertio* Harde-Cnutum, Canuti M. & Emmae filium, atque Svenonem, Vlfone, & Estritha natum, aequales fuisse, tum temporis, cum anno 1029. Canutus M. in Dania versaretur, ex certis, & indubiis constat memoriis. *Quarto*, de Svenone Estrithae filio certum est, eum anno 1042. Magno Bono a summis virtutibus commendatum, Daniaeque gubernando praepositum fuisse; quod in puerum quatuordecim annorum minus cadit. *Quinto* denique, eumdem Svenonem Regem, quum moreretur, (mortuus est anno 1076. *ultima paene* fuisse *senectute confectum*, non tantum alii, verum & ipse Saxo *pag.* 212. scribit. Qui sane loquendi modus, etiamsi de viro, quintum & quinquagesimum aetatis annum vix egresso vix commode adhibetur, multo tamen minus potuisset usurpari, si post bellum Canuti M cum S. Olavo Estritha demum Vlfoni nupsisset, ita ut aetas Svenoni ex eo coniugio nati, infra annum 1027. vel 1028. deprimenda foret. Cetera, quae huc pertinent, mox explicabimus.

(k) *Eum terra sua eiicit*) Intelligatur Normannia. Prodidere Scriptores, illum ob hoc repudium, metu Canuti expeditionem Hierosolymitanam subscepisse Adam. Brem. *lib.* 2 *c.* 36. „ Richardus Comes, *iram Cnut declinans*, Hierosolymam profe„ ctus, ibid. obiit.„ Vbi Schol. MS. *Dimissa sorore Cnuti, propter metum Danorum, exsulans a patria Hierosolymam profectus est*.

(l) *Sororem praefecit Sialandiae*) De marito eius verum est.

Inter ista, cum Omundus (a), mortuo patre, Sveciae regnum nactus esset, rex Norvagiae Olaus, quem depulsum, & in Rusham profugum, commemoravi, animum ad repetendum regnum erigit, & Omundi opem implorat, atque rogat: *meminisset amicitiae, quam parentes coluissent; operamque rebus suis, tam adflictis, nunc praestaret, quam vicissim, si quandoque itidem ipse laboraret, sibi esse promtam vellet*. Nec difficilis Omundus reditum per Sveciam suam in Norvagiam indulgebat, quo concesso, quum in regnum rediisset, illud munit, & praesidia in Canutum sibi parat. Huic tunc insidias struebat Vlfo (b), homo Anglus loco sat illustri natus; ac militiae, contra Anglos pridem actae, uti clarus, ita carus; gratiaque, qua valebat, plurimum fretus, petit ad Estritham literas, quibus illa morem gerere, quicquid petiturus esset, sine exceptione ulla; iuberetur; ac praetexit, ut facilius obtineret, quando Sveci Scaniam tunc incursarent, quasi illa reprimendis impar esset, sibi certum, vim eorum coercere; itaque quum impetrasset; & Estrithae ostendisset, illa mox interrogante, quidnam peteret, matrimonium se eius postulare (c) indicavit; quod quum ipsa, tacite fratrem iunxisse arbitrata, concessisset: non contentus ita regi se Olao, & Omundo, iam in regem coniuratis, socium addit, incitatque, uti vires suas iungant; Daniamque, per absentiam Canuti tunc invadi opportunam, suam in potestatem cogant, atque bellum sic partitur; ut Olaus navibus in Sialandiam impetum faceret, Scaniam Omundus terra, ipse autem mari peteret. Eam rem Haquinus quidam cum Canuto nuntiasset, agri Scanici duo iugera praemium capit; magnum, ut tunc erant tempora, & Canutus arma statim adversa parat. Olaus interim, classe ad insularum unam stare iussa, Sialandiam nave expedita petit, ac vocatum in concionem statim populum blandis verbis ad deditionem hortatur; quem dum quidam e proceribus astu differt, & favore pollicetur, mox Canutum absuturum arbitratus, quidam accurrit, qui adpropinquare terrae multas naves nuntiaret; quod Olaum, quum turbaret, alter, qui Canuti, ut erant, copias has esse crederet, animum firmare iubet; quippe mercatores quosdam, ut solebant, advenire; alioque idem iterum paulo post denuntiante, consternatum rursum Olaum alter itidem erexit, sed Olaus, hostem esse suspicatus, mittit, qui exploret statim, bellum, an merces, veherentur; atque is, recurrens ocyus, postquam classem adesse magnam nuntiasset, non moratus ultra Olaus fraude alteri exprobrata, suos repetit, & in Scaniam exscendit; ac Canutus, quum in portum adpulisset, fessum militem capere quietem iubet; &, ab incolis edoctus, occupatam ab Omundo copiis terrestribus Scaniam, ac teneri ab Vlvone Helga flumen, ipse Omundum apud Stangam montem caedit, caeteros in Vlvonem mittit; qui adversam postquam insulam occupassent, Helgam, qui interluebat; ponte sternunt (d), mox in hostem irrupturi; ac permittit opus Vlvo, & in traiecturos tantum mittere tela suos iu-

(a) *Omundus*) Islandi, & Svecorum nonnulli *Aunundum* vocant, in baptismo *Iacobi* adpellatione donatum. Quam non ferentes Sveci, alteram paganismo propiorem praetulerunt.

(b) *Vlfo, homo Anglus*) Alii e Cimbrica Chersoneso oriundum ferunt, queis Pontanus *pag.* 162. accedit. Alii in Anglia natum, sed Danicae originis. Adamus Brem. Angliae Ducem scribit. Erici Pomer. *Chronicon* Comitem Anglum. Saxo, (cuius de *Vrso* fabulosa, indigna sunt, quae referantur,) genus eius ex Svecia arcessit. Torkilli *Sprakalegi*, (h. e. *agilis*) filium Islandi vocant.

(c) *Matrimonium se eius postulare*) Vlfonis fraudem, & malitiam, qua falsarium egit, Saxo, cui Meursius haec debet, fando perceperat. Num vero Saxonis ipsius culpa factum, quod historiam fraudis eius longe diversam ab ea, quae in Islandorum scriptis extat, nobis repraesentet, haud equidem dixero. Dicam saltem, nihil inesse Islandorum illi, quod non temporum congruat rationi, ceteraque historicae veritatis signa praeferat, cum Saxoniana contra narrationem prima specie fabulosum quid prodat. Itaque hac omissa, illam ex Torfaei *Hist. Norv. Tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 37. producam, qua & simul historiam belli Canuti M. cum S. Olavo, quam brevissime complectar. Anno 1025. Canutus, per legatos ex Anglia in Norvegiam missos, regnum, quod Olavus invaserat, tamquam hereditatem a patre, avoque sibi relictam, repetiit, offerens tamen Regium Olavo titulum, cum possessione regni clientelari, modo sese adiret, ac tributa, quae Comites antea, ipse quoque in posterum penderet. Haec cum Olavus abnueret, Canutus eiusdem anni autumno in Daniam venit, & cum iamdudum multos sibi Norvegorum, qui eminentiores erant, conciliasset, pluresque in dies humanitate sua, & profusa inprimis liberalitate ad se alliceret, id operam quoque dedit, ut Olavum Sveciae Regem a Norvegiae Regis foedere abstraheret. Sed in hoc irritus eius fuit labor. Regressus in Angliam Canutus vere anni 1026. filium in Dania reliquit, tunc decennem, *Canutum iuniorem*, alias *Harde-Cnutum* dictum, sub tutela adfinis sui, Comitis Vlfonis, credens ita avitum regnum per absentiam suam melius in obsequio, & fide retinendum. Verum Vlfo, digresso Rege, alia consilia instruere, quae, ut creditur, cum Regina Emma secreto communicata, eo tendebant, ut filius *Hardecanutus* per hanc ipsam occasionem Rex Daniae declararetur, eiusque sub umbra nominis summam Vlfo potestatem ad se traheret. Quin monstrare palam litteras quasi a Rege scriptas, certe eius annulo, clam per artificium. Emmae subducto, confirmatas, quarum sensus erat: *Filium a Rege ob hanc caussam in Dania relictum sub Vlfonis cura, ut civium desideriis satisfieret, qui saepius questi sint, permolestum sibi esse sine Rege vivere, quum etiam superiora tempora plures simul imperantes vidissent Reges, regno gubernando quale Danorum esset, viribus unius hominis vix sufficientibus. Nunc vero multo maiorem necessitatem ingruere, terrorem belli duobus vicinis Regibus, hinc Norvegiae, illinc Norvegiae intentantibus*. His in conventu publico recitatis, ex proceribus multi ab Vlfone subornati, pariterque ita esse sententiam ac voluntatem Regis adserentes, populum universum ad dicendum Harde-Cnuto Sacramentum perpulerunt. Interim Rex Norvegiae Olavus, ne imparatus opprimeretur a Canuto, ingentes copias collegerat, quas ne otiosas haberet ac inutiles, dum Canutus moraretur, in Daniam transportavit, sumptibus inimicae gentis alendas. Quod dum is facit, Saelandiamque populatur, Aunundus Sveciae Rex, qui Olavo Erici Victoriosi filio nuper successerat, Scaniae maximam cladem infert. Vlfo, & Harde-Cnutus, tanta tempestate territi, copias, classemque comparant, & consilia sua ad Iutiam defendendam conferunt. Quumque facile possent credere, ad nuntium tantarum rerum Canutum Regem haud diu absuturum fore, miserunt ad Reginam Emmam, oratum ut maritum placaret. Illa, filii deditione deprecationem pollicita, facile patrem ad clementiam flexit, adeo ut ipse teneram aetatem, imprudentiamque, simul ac necessitatem imminentis a tam potentibus hostibus periculi, excusaret. Iussit itaque, ut deposito vano titulo, quem instinctu aliorum adsumserat, se protinus supplex adcederet. Venit puer Regius, patrisque pedibus advolutus, annulum signatorium, cui Regium nomen impressum, in gremium eius deposuit. Quo facto veniam impetravit. Vlfo deinde, misso ad Regem filio Svenone, quem ex sorore eius subsceperat, Harde-Cnuto aetate pari, qui se Regi obsidem offerebat, veniam exposcebat. Rex Vlfoni, ut copias, classemque prius instrueret, postea se accederet, mandavit; tum enim de reconciliatione acturum, veritus forte, ne vir bello egregius, desperata venia, ad hostes deficeret, qui etiam mandatis impigre paruit.

(d) *Helgam ponte sternunt*) Prope Helgam amnem, ubi in Mare influit, haud procul urbe, cui hodiernum nomen est Christianstada (ex quo ante saeculum, & amplius a Christiano IV. Rege Dan. aedificata fuit,) pugna illa, non terrestris, quemadmodum noster, Saxonem sequutus, describit, sed navalis commissa. Neque ex ponte dirupto clades exstitit. Sed

Rex

iubet; certus, suum sibi exitium Danos struere, neque aliter evenit; nam, quum longius processissent, ceu prohibiturus transitu, copias omnes in obiecta ripa exponit; quo conspecto, cum incenderentur Dani, & alacrius irruerent, non ferente onus ponte, ac dirupto, misere omnes, animis in pugnam ardentibus, aquis mersi, periere. Ita profligato hoste victor Vlvo, tamen ultionem metuens, neque animi satis firmus, ad ulteriorem belli alam experiendam, ut evaderet periculum, copias imponit scaphis, & in Sveciam adducit (a); Olaus, repetit Norvagiam. Rex postridie, aufugisse hostem doctus, extrahi fluento mersos, & ad Asum, in propinquo sitam urbem, sepeliri omnes iubet; inde, ut conficeret bellum, auro Olaum debellandum (b) potius, quam ferro ratus, mittit, qui largitione Norvagos corruptum irent, & in regis sui caedem clam impellerent; qua patrata per seditionem (c) quamdam Stichlestadii, Haraldus frater, neque se sat tutum deinceps illic fore arbitratus, mox Byzantium concedit (d), & Canuto vacuam Norvagiam tradit. Verum de Olai nece, varia Scriptores ferunt, Norvagique adeo ipsi, non proditione eum a suis caesum, sed a fratre Haraldo, volunt, cum quo de limitibus regni controversia illi esset; alii, depulsum regno, & occisum a magnatibus, quorum uxores, ob commissa quaedam scelera (e), pridem e medio sustulisset; denique nonnulli etiam, arma Danis inferentem, in ipsa acie cecidisse sunt auctores. Hunc Olaum, ob virtutis, ac iustitiae summum studium, & armorum item gloriam, inter sanctos retulerunt. Tot iam regna cum Canutus possideret, motus eius gloria Cunradus Caesar, filiam Gunildam petit (f) filio Henrico coniugem; & Holsatiam, ante ab Henrico Aucupe Daniae

Rex Norvegiae multis diebus ante Danicae classis adventum, alveo fluvii Helgae lignis, & cespitibus obstructo, aquas, immanibus fossis exceptas, pluribus quoque stagnis commisit, quae intersectis intervallis concurrentia immensi Maris speciem praebebant; siccatum deinde alveum excissis magnarum arborum molibus stravit. Hinc de propero Canuti adventu certiores facti Norvegiae, Sveciaeque Reges, classem suam portu moliti, ad orientale latus funibus, anchorisque ligant. Deinde obicibus ruptis cum flumen veteri alveo reddidissent, ad naves descenderunt. Canutus ad portum delatus, sub vesperam cum classis parte eum intrat, postridie pugnam exorsurus, maxima navium parte, quarum capax non erat portus, propter littus excubante. Postridie vero improvisa aquarum eluvies immani strepitu, impetuque claustris effusa, magna simul trabium moles vehens, universamque planitiem inundans, quidquid hominum offendit, (multi etiam Danorum tum in terram exscenderant) derepente oppressit, actaque in naves vi fluctuum ingens trabium moles, multas, mersis vectoribus conlidebat. Ita Canutus haud levi multatus damno, satis habuit, ut fuga sese eriperet. Haecque sufficiunt ad intelligendum discrimen narrationis Saxonianae, a vera illa, quam ex fide dignis memoriis protulit Torfaeus *Hist. Norv. Tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 38. Memoraturque ibidem, Vlfonem tunc egregiam in partibus Canuti, (secus ac Noster cum Saxone scribit,) operam praestitisse, laborantique classi Danicae succurrisse. Insuper nec praetermittendum dicere, quod & supra indicavimus, gesta haec omnia, peractaque fuisse prius, quam Norvegiae Rex Olavus, relicto regno suo, ubi Canuti factio indies praevalebat, coactus est, quo seditionem effugeret, in Russiam se recipere.

(a) *In Sveciam abducit*) Vlfonis hanc defectionem, aut potius proditionem, meliora ignorant monumenta. Neque verisimile, tunc eum in Sveciam aufugisse.

(b) *Auro Olavum debellandum*) Nihil hic a vero alienum, si tantummodo caedem Olavi excipias, quae peracta quidem non potest dici per *sicarios*, Canuti auro corruptos, etiamsi is multos eorum, qui plurimum in regno pollebant, ad excitandam, fovendamque rebellionem auro suo incitaverat. Praeterea aliquod oportet intervallum temporis heic statuere. Siquidem conflictus Helgensis, & Olavi in Russiam fuga anno 1027. contigere. Inde vero ad reditum Olavi, ac interitum biennium, & aliquot menses effluxere. Iter in Sveciam, atque inde in Russiam capessivit infelix Rex sub finem anni; postquam ab Helgensi pugna Svecis domum digressis, in Canuti vero partes, plerisque Norvegiae procerum, & insignium Virorum, auri & honorum illecebra pertractis, ipse frustra in novo conligendo exercitu laborarat. Etenim vix tuta ei fides usquam apud suos erat, maxime in partibus regni occidentem, & septentrionem versus. Vnde coactus est in Vika, Vplandisque ingruente hieme subsistere, quamquam & ibi multos ad sese vel tollendum, vel regno deiiciendum conductos reperiebat. Canutus, qui interea classem suam in sinum Iutiae, quem *Limicum* vocant, deduxerat, cum eadem brevi post in Norvegiam properat, ubi ab expetentibus adventum eius proceribus exceptus, per maritimas omnes provincias Nidarosiam usque triumphantis in morem devehitur, inque solennibus comitiis Rex totius Norvegiae mira omnium gratulatione salutatur. Haconem Comitem (patre Erico olim Comite, qui Norvegiae ab obitu Olavi Tryggvini praefuerat, genitum, & Haconis eius, qui sub Haraldo Caeruldente vixerat, nepotem,) Proregem ibi constituit; isque haud diu post, in Angliam ad sponsam inde domum transferendam navigans, in mari periit. Atque ita Canutus Norvegiae regno sine caede, & sanguine potitus, Daniam sub finem autumni anni 1028. repetiit, ubi Harde-Cnutum filium, in solio apud se collocatum, regio titulo decoravit. Confirmantur illa, quae de corruptis auro Norvegis, ac recepto in regnum nunc dicta sunt, non solum a nostris, & Islandicis, sed etiam ab Anglicis Scriptoribus, Flor. Wigormiensi, Sim. Dunelmensi, R. de Diceto, aliisque, quorum verba ad ann. 1027. sic habent: „ Cum Regi Anglorum, & Danorum Canuto intimatum esset, quod Norvegani Regem suum Olavum, propter eius simplicitatem, & mansuetudinem, nimis vilipenderet, multum auri, & argenti quibusdam illorum misit, multis rogans petitionibus, ut illo spreto, & abiecto, deditionem illi facerent, ac illum super se regnare permitterent. Qui cum ea, quae miserat, magna aviditate suscepissent ei remandari iusserunt, ad illum suscipiendum se paratos fore, quandocumque vellet venire. „ Ac deinde ad annum 1028. „ Cnutus Rex Anglorum, & Danorum quinquaginta navibus magnis Norvegiam devectus, Olavum Regem de illa expulit, sibique illam subiugavit. „

(c) *Qua patrata per seditionem*) Meursius, Saxonis vestigiis inhaerens, nescivit, ut dixi, Olavi Regis caedem cum reditu ex Russia eius connectere. Rediit autem Rex sanctus, invitatus a nonnullis procerum, qui Danicae dominationis pertaesi, aut non plane, ut ceteri, corrupti, tempus adesse confirmarant recuperandi regni, Hacone Comite iam in itinere Anglico extincto. Per Sveciam iter faciens, aliquantum militum numerum collegit, quem maiores copiae auxerunt, ab Haraldo uterino fratre, nec non aliis optimatibus Norvegis per viam abductae. Cum istis in Thrandensem regionem, (hodie regionem vocant Nidrosiensem) penetranti, opposuit se statim rebellium manus multo numerosior, quacum confligendum fuit. Atque in isto conflictu Rex plurium manibus confossus periit. Quae omnia fuse narrantur a Snorrone Sturlaeo, aliisque Islandis, Latine vero a Thorm. Torfaeo *Histor. Norv. Tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 8. adcurateque ex eius, pluriumque aliorum comparatione a P. Boschio S. I. in *Actis SS. ad d.* 29. *Iul a pag* 105. *ad pag* 108. caedem vero Regis laudatissimi recte referri ad ann. 1030. IV. Cal. Aug. iidem solide confirmarunt.

(d) *Mox Byzantium concedit*) Habebat Haraldus, cum frater uterinus S. Olavus occumberet, annos aetatis octodecim, teste Snorrone Sturlaeo, qui & de peregrinatione eius orientali, rebusque quas Constantinopoli, ac in Thracia, nec non in Africa memoratu dignas perpetravit, multa narrat. Legi omnia possunt in Torfaei *Hist Norv. P.* 3. *lib.* 4. *capp.* 10. 11. &c.

(e) *Vxores ob commissa scelera*] Sic Adam. Brem. *lib.* 2. *c.* 43. „ Tamdem seditione Principum suorum, quorum uxores propter maleficia a regno substulit, Nordvegia depulsus est. - - - Rex Christianissimus, fortitudine in hostes, & iustitia in suos celebris, ad hoc se in regnum a Deo credidit restitutum, ut iam ex tunc nemini parcere debuisset, qui vel Magus permanere vellet, vel Christianus fieri detrectaret. Et cum magna ex parte votum suum implesset, pauci, qui ex Magis remanserant, in ultionem eorum, quos Rex damnavit, ipsum etiam obtruncare non dubitarunt. Alii vero dicunt, eum in bello peremtum, quidam autem in medio populi circo ad ludibrium Magis expositum Sed & alii sciunt, illum ob gratiam Regis Knut latenter occisum, quod & verum esse non diffidimus, eo quod regnum eius invaserit. „

(f) *Filiam Gunildam petit*) De connubio inter filiam Canuti M. & Imperatoris Conradi II. filium, Henricum III. itidem Imperatorem, res omnibus nota. Notum quoque est, famam de eorum divortio, in multorum, satis antiquorum, innumerorumque recentium scriptis sparsam, ita praevaluisse, ut illustris Reginae historiam falsitate obruerit; insigni documento iis,

niae iniuste ereptam [a], in maioris amicitiae vinculum, redit; insuper testatum facit: *nullum sibi neque ius in eam esse, neque ante se Caesaribus ullum itidem fuisse, nec futurum sequuturis*. Quibus actis, quum Cunradum Itali tumultuantes eiecissent, suo auxilio Canutus eum vindicat [b], & restituit. Hinc in Angliam reversus, & tot regnis gubernandis,

to iis, qui in historico versantur studio, quam parum saepenumero fidendum sit narrationibus, etiam silva testium tum veterum, tum recentium, confirmatis. Ipsum eruditissimum Pontanum non tam priores illi hic seduxerunt, Wilh. Malmesburiensis, (qui uno tantum saeculo post Conradum II. & Canutum M. vixit,) Io. Bromton, Matth. Westmonasteriensis, Cuspinianus, Polydorus, plures, quam Belgae sui, Ant. Schoonhovius, & qui in plerisque adcuratus merito dicitur, Io. Meierus, clarus rerum Flandicarum scriptor. „ Hi „ nempe duo posteriores Brugis extare viderant sepulchrum Gun„ nhildis Augustae, (ut scribunt,) filiae Regis Daniae, & An„ gliae ex Emma Normannica, quae facto a marito divortio, „ ad Balduinum Pium, Flandriae Comitem, quum secesserat, „ Brugis anno 1043. mortua ac sepulta sit, servato ibidem „ ex cimeliis, quae testamento Canonicis reliquerat, unico „ Psalterio lingua Danica. „ His addatur ipsum Augustae elogium, quod in templo Brugensi S. Donatiano dicato publice adfixum legitur his verbis, teste Auberto Miraeo *Notitiae Eccles. Belg. cap.* 37. (nov. edit. *pag.* 661.) *Nobilissimae Augustae Dominae Cunildae, Canuti, Angliae, Danemarciae, Norvegiae, & Sveciae Regis filiae, Imperatoris Henrici Nigri laudatissimae coniugi, post acceptam gravissimam ab marito iniuriam, hoc in castello religiose viventi, & anno Domini MXLII.* XII. *Kalendas Septembris defunctae, hoc monumentum Ecclesia, cui perquam erat munifica, erexit*. Torfaeum quoque, inter recentiores, haud magis ea de re dubitavisse, sed prorsus, ut notissimam adfirmasse, videbis in *Histor.* eius *Norv. Tom.* 3. *pag.* 248. Verum quantum mihi iudicare licet, aut coniicere, optimis viris imposuit error Canonicorum Brugensium, qui seriore aevo sepulchrum forte cernentes *Gunildae* nomine inscriptum in templo suo, crediderunt Augustae illius esse, de cuius divortio historiam, ipsis indubitatam, legerant, adeoque officii sui esse existimaverunt aliquo monumento memoriam eius prosequi, maxime cum in tabulariis suis reperissent, a principe illa faemina, istic sepulta, (quamque Danici, Anglicique sanguinis fuisse verum erat,) magna in Ecclesiam suam beneficia profluxisse. Fuerat autem ista, quae Brugis commorata, istic diem supremum obierat, sepulchrumque nacta erat, non profecto Henrici III. Imper. uxor, sed alia Gunilda Anglo-Danica; ea scilicet, de qua Anglorum Chronographi, Wigorniensis, Dunelmensis, Rog. de Hoveden, meminerunt ad annum 1044. his verbis; *Eodem anno nobilis matrona Gunhilda, Regis VVirthgeorni (all. VVortgerni,) & sororis Canuti Regis filia, & Comitum Hacuni, & post Haroldi morte viduata cum duobus filiis Hemmungo, & Turkillo, expellitur Anglia. Quae Flandriam devecta, in loco qui Brige dicitur aliquamdiu resedit, & sic Danemarchiam adiit*. Etenim tam illustris faeminae memoria, & quidem eius, quae patrem Regis nomine fulgentem, avunculum autem Canutum M. habuerat, magnamque thesaurorum suorum partem Ecclesia largita erat, quamque iniurias, & adversitates perpessam, antequam Brugas se reciperet, vera fama narraverat, facile ad errorem inducere Brugenses Canonicos, qui seculo uno, alteroque post vixerunt, ut filiam ipsius Canuti M. crederent, hanc vero cum alterius Henrici Imperatoris coniuge, Cunigunde dicta, quae haud multis ante annis vixerat (mortua certe post ann. 1030.) confunderent. Ceterum Gunhilda, quae Brugis sepulta, Anglo-Danica, Canuti M. sororis filia, coniuges habuerat, quos Wigorniensis recte nominat, primum Haconem. Norvegiae Comitem, qui circa ann. 1029. Norvegiae Pro rex a Canuto M. constitutus, cum in Angliam ad hanc sponsam suam domum deducendam transfretare vellet, in mari periit, alterum vero, cui Canutus deinceps eam iunxit, Haraldum, itidem Comitem, patre Turkillo Procero, copiarum Canuti in subiuganda Anglia summa cum potestate Duce, (cuius crebra in Anglicis memoriis mentio,) editum. At quod in Daniam eadem [Gunhilda] pervenerit, haud opus est, ut Wigorniensi credamus; qui etiam in anno exitus eius ex Anglia falli potuit; si modo verum sit mortis Gunildae tempus, illud quod in adfixa a Canonicis Brugensibus tabula legitur: mea tamen sententia potius hi falsi fuerint, quam Wigorniensis. Et quod ad Psalterium attinet, Antonio ipsi Schoonhovio, ibidem olim Canonico, lustratum, persuasum mihi est, illud nequaquam Danica lingua scriptum, [quam neque ipsa Canuti M. filia, utpote apud Anglos nata, educataque usurpabat,] sed Anglo-Saxonica. His positis, missisque tot fabulatoribus, quorum haud parvus sane numerus, qui Gunhildem Augustam de impudicitia accusatam, & per Mimecanum quemdam nanum mirabili contra gigantem duello defensam, narrant; provocabimus ad incorruptos Germanorum Annales, qui illam ipsam Canuti M. filiam Henrico III. anno 1036. matrimonio iunctam, & quidem, quod in uxoribus Regum Germaniae, nondum Imperatorum, rarum erat, coronatam, anno vero 1038. e vivis ereptam, testantur. In his agmen ducit Wippo *de Vita Conr. Salici* (Pistor. *Tom.* 3. *pag.* 440.) *Anno Domini* 1036. *Henricus Rex filius Imperatoris, Cnittonis Regis Anglorum filiam Chunelindem pro Regina consecratam, regalibus nuptiis in coniugium duxit*. Idem *pag.* 442. *Ibi* [in Italia] *Regina Chunelindis, coniux Henrici Regis*, XV. *Cal. Aug. quasi in limine vitae ingressu mortis occubuit, relinquens solam filiolam de Rege, quam postea pater Christo desponsans in Abbatissam consecrari fecit*. Annales Hildesheim. ad annum 1036 *pag.* 728. *Imperator Pentecosten, Nativitatemque S. Ioannis Niumago peregit, & ibi filio Imperatoris Henrico Regi venit Regina, Cunihild nomine, quae ibidem in Natali Apostolorum regalem coronam accepit*. Iidem Annal. postea: *Anno* 1038. *nobilis nostra Regina Gunihild - - - - - ex hoc mundo migravit*. Chronicon Fontanellense, in *Dacherii Spicileg.* novae edit. *Tom.* 2. *pag.* 286. (nomina propria nimis saepe mendosissima exhibens,) *Canutus Rex - - - filiam quoque Grumith nomine genuit, quae posteaquam ad nubiles annos pervenit, Romanorum, atque Saxonum Imperatori, ut sobolem Regiam decuit, in magna seculi gloria nupsit, cui filiam solummodo, quia in brevi defuncta est, edidit, quae ut adolevit, carnale commercium sponsi caelestis amore respuit, sumtoque sacro velamine virginitatem suam Regi omnium Deo dicavit*. Vis etiam locum sepulturae scire, ne amplius de Brugis haesites, en Wippo loc. cit. *Corpus Reginae tenerum, & delicatum, aromatibus conditum, cum Rege, & Imperatrice ductum ad Germaniam, in Praepositura Lutburg sepultum est*. Hermannus vero contractus, postquam de nuptiis anno 1036. apud *Noviomagum* factis, meminerat, de morte ad ann. 1038. sic: *Imperator quum ultra Romanas partes peragrasset, indeque per Adriatici Maris oras remearet, mense Iulio ingens exercitum pestilentia invasit, & plurimos passim extinxit, inter quos Chunihildis Regina, Heinrici Regis uxor*, 17. *Cal. Aug. defuncta, & ad castrum Linaburg translata, ibique sepulta est*. Rectissime igitur, inter recentiores, Alfordius in *Hist. Eccles. Angl.* fabulam reiicit, ortam, ut cuivis liquidissimum, ex confusione nominis Gunhilde cum Cunigunde Henrici sancti coniuge, quippe quae de pudicitia postulata, calumniam, ignitos vomeres sine laesione calcando, diluisse fertur. Potuit sane magnam confusioni ansam dare, si verum est, ut omnino videtur, quod *Gunhildae* nostrae nomen, cum Henrico III. in manum conveniret, in *Cunigundae* illud mutatum sit. Sic enim Hildesheimenses illi Annales loc. cit. *Regalem coronam accepit, & mutato nomine in Benedictione Cunigund dicta est*. Ideoque numquam reprehendendi Annalistae, & Chronographi, qui *Kunigundam, filiam Knut Danorum Regis*, adpellarunt; maxime postquam ipse Imperator eamdem, iam tum defunctam, haud aliter nuncupavit, in Diplomate anno 1040. edito, quod Maderus in *Antiquitt Brunsv. pag.* 49. exhibet: *Nos*, inquit, *pro remedio animae nostrae, genitorisque nostri Chuonradi, sive etiam beatissimae memoriae coniugis nostrae Cunigundae - - - donamus* &c. Saxo Grammat filium ex ea Henrico subsceptum scribit: *fortuna ac vocabulo Magnum, a quo illustrium Teutonicorum imagines, splendidaque Germaniae lumina successionis serie pullulasse produntur, pag.* 196. Quod sane omni veritate destituitur; & revera Saxo huc traxit, quod de Magni Norvegiae Regis filia locum habet, nupta Duci Brunsvicensi, de qua suo loco dicetur.

(a) *Et Holsatiam iniuste ereptam*) Adam. Brem. *lib.* 2. *c.* 39. „ (Caesar Conradus) cum Rege etiam Danorum, sive Anglo„ rum, mediante Archiepiscopo [Vnwano] pacem fecit, cu„ ius & filiam filio suo deposcens uxorem, dedit ei civitatem „ Sliasvig cum Marchia, quae trans Eydoram est, in foedus „ amicitiae. Et ex eo tempore fuit Regum Daniae. „ Ista ex Adamo descripsit Chronographus Saxo ad an. 1026, inis: „ Rex natalem Domini Leodii celebravit, & Henricum filium „ suum Regem fecit; cui etiam filiam Cnud, mediante Vn„ wano Bremensi Archiepiscopo, deposcens uxorem, dedit ei „ Sleswig civitatem, cum Marchia, quae trans Eydoram est, „ &c. „ Verum Adami, solius inter tot rerum Germanicarum Scriptores, qui hoc tradidit, ac Helmoldum in eumdem errorem impulit, Adami, inquam, fides, nimis sane subrepta, quippe quam ipse tot falso dictis apud nos infirmavit, quam ut nobis persuadeat, Slesvicum in potestate mansisse Caesarum, aut hos Marchiam suam ultra Eidoram Slesvicum usque extendisse. Credimus ergo, si quod eiusmodi pactum Conradus, & Canutus inter se fecerint, fuisse de Mrchia Imperii ab illa Eidorae parte, quam cis fluvium (uat Germanis dicebatur, hoc est in Holsatia) usque a Caroli M tempore Caesares habuere. Hanc enim tunc abolitam fuisse, vel inde manifestum, quod nullius *Marcae ad flumen Eidoram*, aut *Custodis limitum inter Germaniam, & Daniam*, quales a praecedentibus Imperatoribus ordinatos fuisse supra vidimus, postea occurrit mentio. Recte ergo hic Meursius *Holsatiam* pro Cimbria nominavit.

(b) *Suo auxilio Canutus eum vindicat*] Hoc a nostratibus, forte solis, proditum, neutiquam propugnabo, multoque minus, de Ca-

de Canuti itinere, populis, qua transibat, molestissimo, quae refert Sveno Aggonis *cap.* 5. *pag.* 82. his: „ Quem (Conradi Imp. filium Henricum) cum Romani tumultuaria seditione a Regio pepulissent solio, socerum adiens, eius auxilium imploravit. Vnde nactus occasionem illustris ille, praeclarusque Canutus, adsumto exercitu suo, primo Galliam populando invasit; deinde ulterius progrediendo Longobardiam cum Italia devastavit, ac postmodum multimoda virtute Romanos civitatem sibi resignare, tamdemque Imperatorem, & generum throno restituit. „ Nugae merae. Modestior haud paulo Saxo, quamquam eamdem occentans fabulam: „ Imperii Romani Principi Henrico filiam Gunildam nuptum tradidit, eumdemque paulo post Italica consternatione perculsum auxilio prosequutus, pristinae fortunae, pressa rebellione, & conspiratione, restituit. „ Quae & Crantzii adsensum meruere, dicentis, videri *probabilius, quod Canutus in expeditione militari cum Conrado transierit in Italiam, quam devotione ductus*, in *Saxoniae lib.* 4. *c.* 38. Ceterum vix dubito, quin Saxo, & Crantzius pro sententia illa sua multum ponderis crediderint inesse in his Adami Brem. *lib.* 2. *cap.* 47. *Et regio statim fastu Italiam ingressus* (Conradus Imp.) *Knut Regem itineris sui habens Comitem, potentia trium regnorum* barbaris gentibus (sic Italos Adamus vocat) *valde terribilem, regno fecit iustitiam*. Occurrit praeterea narratio apud Matthaeum Paris. *Vit.* XXIII. *S. Albani Abb. pag.* 61 *ed. Lond.* de luculenta quadam victoria, quam Canutus de Saracenis reportarit, tunc cum in itinere suo Romam versus, classem ad Hispaniae littora adpulisset. Sed & hanc suo relinquemus loco; quum non desint, quae opponere id genus commentis possumus, plane contraria, licet paris fortassis auctoritatis. Ecce enim Gotselinum de *Miraculis S. Augustini*, *capit.* 5. „ *Canutus Rex*, *S. Augustino attentius deditus*, *Romam proficiscens*, *eum sibi patronum requisivit*, quo fretus foeliciter ivit, ac Imperatori, omnibusque acceptus fuit. Erat pro miraculo, quod Rex quatuor regnorum *iret inermis*, *fide tutus* &c. „ Vid. & Acta SS. Ord S. Benedicti *Sec.* 1 *p.* 539 *seqq.* Torfaeus *Hist. Norv. Tom.* 3. *pag.* 223. ex Chr. Norv. haec istis paria: „ Ex Anglia trans Mare profectus, *cum omni suo comitatu*, *baculum & peram gestans*, Romam petivit; cui Imperator obviam procedens, Romam eum deduxit. „ Maiorem vero hac omni consideratione difficultatem offendimus in tempore, nimirum anno, quo Canutus Romam iverit, definiendo. Hunc Card Baronius, Mich. Alfordius, ac praeter eos, quidquid est Historicorum recentium, praesertim Germanicorum, [Angli enim hinc excipiendi,] statuunt fuisse 1027. his unice rationibus permoti, quod Vippo in *Vita Conradi Salici*, Otto Frisingensis, nec non eorum fide alii, scribant, Imperatorem illo anno Romae in *duorum Regum praesentia*, *Cnutonis Anglorum*, *& Rudolphi Burgundiae Regis*, coronam suscepisse, *ac duorum Regum medium ad cubiculum suum deductum fuisse*. Ac deinde, quod Canutus in celebratissima illa epistola, quam ad Episcopos Anglicanos misit, verbis clarissimis indicet, sese *cum Domino Papa Ioanne*, *& Imperatore Conrado*, & aliis, qui *Romae* aderant Principibus, ex quibus & *Rudolphum Regem* nominant, *in ipsa solemnitate Paschali loquutum esse*. Vnde concludit Cardinalis, plane redargui erroris omnes, qui Canuti Regis Romam adventum ponunt *anno Domini millesimo trigesimo secundo*. *Nam*, inquit, *cum constet tunc contigisse*, *cum illic esset Conradus Imperator*, *& Rudolphus Burgundiae Rex*, *utique hoc anno id oportuit factum esse*. Haec Baronius. Qui & in partes easdem perduxit contra populares suos M. Alfordium *H. E. Tom III. ad an.* 1027. Germanici Historici, quasi nullum hic nodum animadvertentes, neglectis Anglorum annalibus, in Vipponis, Adami Bremensis, & litterarum Canuti Regis auctoritatibus adquiescunt.

Ego, ut verum fatear, etiamsi haud unam difficultatem video mox aperiendam, haud tamen scio, quomodo discessionem in diversam sententiam queam facere. Nihilominus quando in alteram partem oculos conicio, universamque illam turbam perlustro Chronicorum, & Annalium Anglicorum, ex quibus ne unus quidem reperitur, qui peregrinationem Regis nostri Romanam non ad an. 1031. vel sequentem refert, nominato etiam a praestatioribus *anno regni Canuti*, videlicet *decimo quarto*, vel *decimo quinto*, quid mirum, si implicatus aliquantum haeream, donec aliunde mihi ista adeo sibi adversa conciliandi suppeditetur ratio? Quod si enim unus alterque foret, atque ex iis, qui non semper in factorum, & temporum notatione sese accurate gessisse observantur, haud cunctanter negligendos pronunciarem esse. Verum quid fiet de Ingulpho, a cuius memoria res istae tam prope abfuere, ut si non ipsum Canutum M. tamen eos saepe viderit, familiarique usu cognoverit, qui in aula Regis istius vixerant, rebusque ab eo gestis, itineribus, & expeditionibus interfuerant? Et his haud dubie primus omnium, qui clarissime annum profectionis indicant fuisse regni Canuti quartum & decimum. Neque istud solum, sed inserto litterarum Regis, de quibus diximus, exemplo, (hoc etiam primus omnium is produxit,) continuo sermone subiungit: *Anno Domini* 1032. *Rex Cnutus rediens de Roma per Daciam*, *apud Sandvvicum Angliam adplicuit*. *Cui occurrens Abbas Brithmerus* (Abbas scil. Monasterii Croylandiae, in quo Ingulphus vixit,) *duos optimos Regi obtulit palfridos - - - Abbas autem Brithmerus roboratus in omnibus Regio favore*, *impetrata prius Monasterii sui Regia confirmatione praemissa*, *aedificavit multa maneria Croyland* &c. Et hanc ipsam *Confirmationem Monasterii*, quam sese dicit *praemisisse*, legimus integram *pag.* praecedenti 892. *seq.* cui his verbis subscriptum: *Ego Cnutus Rex anno Dominicae incarnationis millesimo tricesimo secundo Londiniis istud meum chirographum signo sanctae Crucis confirmavi*. Post Ingulphum habemus in proximo seculo XII. Flor. Wigorniensem, Willh. Malmesburiensem, Sim. Dunelmensem, Henr. Huntindonensem, Rad. de Diceto, Io Bromton, & Roger. Hoveden, a quibus cunctis, & singulis idem annus 1031. Romanae illi profectioni adsignatur, reditui vero in Angliam, per Danemarchiam annus 1032. serior multo istis Io. Fordun, in *Scoti-Chronico* etiam anni adponit notam, *Anno Corradi VIII. Cnuto Rex Romam peregrinatione proficiscens* &c. Contra, quod ad annum 1027. attinet, eo haud aliis rebus, aut negotiis, quam Norvegica expeditione, occupatum Regem faciunt. Et confirmare utique haud leviter istorum Chronologiam ipse videtur titulus, quem in laudata epistola Rex usurpat, Regem se nominans non solum totius Angliae, & Danamarchiae, sed & *Norvegiae*, & *partis Svavorum*. Cuius nisi quis mihi exemplum simile ex aliis Canuti litteris, ante annum 1028. scriptis, iisque veris, proferre queat, numquam adducar, ut credam, Regem, uti tunc mores erant, inserere voluisse titulis suis aut *Norvegiam*, aut, quod magis repugnat, *partem Sveciae*, nisi iam tum earum victor extitisset. Nam, qui *Statutis Concilii Vintoniensis*, anno 1021. habiti, praefixus est titulus, cum *Norvvegarum* mentione, novus omnino est; quemadmodum, & totum illud monumentum Spelmannus ad ultimos Henrici III. Angliae Regis annos reiicit, imo ab indocto, & historiae imperito artifice confictum esse non uno argumento evincit, *Concill. Britann. Tomo* 1. *pag.* 534. Nec minorem reprehensionem meretur Alfordius, qui *Annal. Eccl. Angl. Tom.* 3. *Leges Canuti*, ubi etiam *Norvvegiensium* vocabulum in titulis adparet, in annis 1021. & 1022. collocavit, contra omnium vetustiorum auctoritatem, inter ultima Canuti opera recensentium, ea nempe, ad quorum exsequutionem sese Romae, atque in praedicatissima epistola obligarat. Sufficit vel solum audire Malmesburiensem, epistolae continuo subiicientem haec: *Nec dicto deterius fuit factum*. *Omnes enim leges ab antiquis Regibus*, *& maxime ab antecessore suo Ethelredo latas - - - observari praecepit* &c, Nam quod anno 1022. Florilegus narrat factum, ab Alfordio ad *Leges Canuti* perperam trahitur, cum isto tempore nihil *Legum* a Canuto prodierit, sed tantummodo sancitum, ut *Edvvardi I.* Leges tantisper tuerentur. Ceterum ut eo, unde digressi sumus, revertamur, licebat utique Canuto M. anno 1032. Regem se Norvegiae dicere. Convenit enim hoc perfecte cum Annalibus nostris Norvegicis, & Islandicis, regnum illud non ante in potestatem eius, quam anno 1028. esse redactum. Flor. Wigorn. ad annum 1028. *Canutus Rex Anglorum*, *& Danorum* 50. *navibus magnis in Norvegiam devectus*, *Olavum Regem de illa expulit*, *sibique eam subiugavit*. Sic que etiam omnes reliqui. Huntindonensis addit: *Remansitque Cnuto regnum illud dum vixit*. De Svecis itidem W. Malmesburiensis *pag.* 74. *Nescia virtus eius stare loco*, *nec contenta Danamarchia*, *quam avito*, *& Anglia*, *quam bellico iure obtinebat*, *Martem in Svevos transtulit*. *Sunt illi Danis contermini*, *pertinacioribus studiis iram Cnutonis promeriti*; *sed primo exceptus insidiis*, *multo ex suis amisit*, (recte, & clarum est, his respici ad cladem illam Helgensem, de qua superius egimus,) *postremo reparatis viribus resistentes in fugam egit*; *Reges gentis Vlf*, *& Eiglaf ad deditiones pacis adduxit* &c. - - - - - *Rediens inde domum*, *totum regnum Noricorum subegit*, *effugato Rege Olavo*, *qui posteriore anno*, *ut animos provincialium suorum tentaret*, *cum parva manu in regnum regressus*, *insidiis sibi sensit*, *cum suis caesus*. Habemus hic caussam, & fundamentum, ut ita loquar, mentionis in Epistola *Norvegiae*, *& partis Svevorum*, sive ditionis alicuius in Svecia; quorum neutrum sane substinuisset inter titulos suos ponere, nondum aliqua eorum parte potitus, Neque enim consueto etiamdum obtinuerat, ad titulorum exaggerationem iura quaedam, & postulata, re inania, ceteris quae vere possidebantur, adnectere. Potius autem, ut ulterius repetam, vel Norvegia, vel parte Sveonum ante annum 1028. numquam probaveris. Quid? quod de *Scotiae* titulo simile huic nostro iudicium tulit Mich. Alfordius *Annal. Tom.* 3. *pag.* 506. *num.* 3. *Crevit*, ait, *Cnuto ex hac victoria* (Scotica an. 1033,) *honorum ac titulorum numerus*, *nam qui prius se scripsit Anglorum*, *Danmarchiae*, *Norvvegiae*, *& partis Svavorum*, *in posterum audit etiam Scotiae Rex . . . . . unde ita loquitur Huntindonius . . . . . Erat enim Dominus totius Daciae*, *totius Angliae*, *totius Norvagiae*, *simul*, *& Scotiae*. Quid ergo? An Canutum bis Romam profectum, semel anno 1027. cum Conradus Imp. coronaretur, atque iterum anno 1032. [vel ex Anglorum calculo annum a vere incipientium 1031.] credemus? Neque hoc succedit. Imperatorem enim Romae fuisse, aut Rudolphum Regem anno 1032. nusquam legitur, uti nec tantam nobilium, & Principum variarum gentium congregationem, quantam ad solennia coronationis convenire par est, ipsaque nobis epistola Regis depingit. Itaque restat invenire caussam, ob quam Angli constanter adeo iter illud ad posterius tempus referant; & quid demum de titulo *Norvegiae*, *& partis Sva-*

dis, quasi modum excedente iam potentia, imparem se animadvertens, inter filios ea dividit, & Haraldo, natu maximo, Angliam tradit, Canuto Daniam, & Norvagiam Svenoni; ita tamen, ut in omnes summam sibi potestatem retineret, ac Norvagiam modo viseret, modo Daniam, maximam vero vitae partem apud Anglos moraretur. Inter haec Estritha soror, quae Vlfoni, uti dictum, inscio Canuto nupserat, filium Svenonem [(a)] enixa, viro gratiam apud fratrem reparavit, quamquam ea minus diuturna fuit; nam Roschildiae postquam ille in convivio temulentus cladem Danis, quam in ponte excepissent, carmine a se composito nisi temere exprobaret, irritatus mox Canutus, pariter ebrius, neque contumeliam ferens, hominem occidi iubet [(b)], cuius tamen facti poenitens, post id tempus, ut sorori satisfaceret, viduamque solaretur, Godvinum, Angliae satrapam, virum dedit [(c)], atque duas ditiones: quarum decimas illa [(d)] postea S. Trinitatis aedi, quae Roschildiae veneratione summa colebatur, consecravit. Vt potentiam vero suam, in tot regnis, atque iis longe dissitis, ac propterea minus firmam, facilemque pertur-

vis Svavorum sentiendum. Ego vero, ut a posteriore hoc incipiam, titulum istum esse epistola recentiorem iudico, ab Ingulpho forte, antiquissimo hodie eorum, qui meminerunt, ex litteris *Confirmationis Croylandensis*, quas praemiserat, repetitum, hucque tranlsatum. Nisi idem ipse Ingulphus transscripserit ex libro quodam, sive, ut vocabant, *Regesto*, litteras ac diplomata de rebus Ecclesiasticis comprehendente, ubi in illorum classe, quae a Cnuto data essent, aliquod, primo loco positum, habuerit praescriptum hunc titulum, in sequentibus vero diplomatibus non plene repetitum, quippe quae solum Regis nomen, nulla addita mentione regnorum, praeferrent, *ex. gr. Cnuto, &c. Ailnotho Metropolitano, & Alfrico*. Inspiciantur modo omnia, quae habemus a Rege illo, ad scriptum ipsius nomen habentia, qualia non ultra decem mihi se obtulerunt, videlicet: I. Diploma Ecclesiae Salvatoris in Dorobernia, datum anno 1018. apud Spelmann. *Concill. Tom.* 1. *pag.* 533. II. Diploma pro Edmundi-burgo *Monastic. Angl. Tom.* 1. *pag.* 287. ab Harpesfeldio, & Alfordio ad annbm 1020. relatum. III. Charta de Porteshamme, anno 1024. in *Monastice Anglic. Tom.* 1. *pag.* 276. IV. Epistola, de qua nunc agitur, de itinere Regis Romano, ad Praesules Angliae, anno 1027. V. Charta S. Augustini Monasterio data, qua ei Corpus Mildredae concessit ab Alfordio *pag.* 501. ad annum 1030. sed in *Monast. Angl. Tom.* 1. *pag.* 84 rectius ad annum 1033. relata. VI. Charta pro G'astonia, anno 1032. apud Malmesbur. & Spelmann. *pag.* 537. VII Diploma pro Monasterio Croylandensi, eodem anno 1032. concessum, apud Ingulph. *pag.* 892. VIII. Leges Ecclesiasticae ad idem tempus referendae. IX. Charta pro Coenobio Exoniensi, sine anno. *Monast. Ang Tom.* 1. *pag.* 228. X. Charta Monasterii Hulmensis, *ibid. pag.* 283. itidem anni notatione carens. Videbimus nullum occurrere exemplum tituli Regii eodem modo, iisdemque verbis concepti, praeter duo dumtaxat illa, *num.* IV. & VII. ab Ingulpho, ut diximus, prolata. Ex reliquis enim enumeratis *primum* monumentum exhibet hoc modo: *Ego Imperator Cnuto a Christo Rege Regum regiminis Anglici in insula potitus;* atque in subscriptione: *Ego Knuto gubernator Anglici orbis*. Secundum: *Ego Knut Rex totius Albionis insulae, aliarumque nationum plurimarum in Cathedra Regali promotus*. In subscriptione vero: *Ego Cnut Rex gentis Anglorum, aliarumque*. Tertium, in textu ipso: *Ego Cnut, adnuente, ac favente Dei omnipotentis clementia, totius Anglorum* (sic) *Basileus, ceterarumque nationum in circuitu degentium regens, & gubernans*. Quintum: *Ego Cnutus per Dei misericordiam Basileus* Sextum: *Ego Cnut, Rex Anglorum, ceterarumque gentium in circuitu persistentium gubernator, & rector*. Octavum: *Canutus Anglorum, Dacorum, & Norvegiensium Rex*. Nonum: *Ego Cnhut Rex Anglorum, ceterarumque gentium persistentium in circuitu*. Inque subscriptione: *Ego Cnhut Britanniae Anglorum Monarchus*. Decimum: *Ego Cnut Rex Angligenae nationis*. Ita ut hoc totum adpareat ex Clericorum arbitrio dependisse, hosque mirifica scilicet adfectatione in titulo Regis sui diversimode lusisse. Restant ergo monumenta Quartum & Septimum, utrumque iisdem verbis incipiens: *Cnuto Rex totius Angliae, & Danamarchiae, & Norvegiae, & partis Svavorum*; de quibus valida mihi est subspicio, posterioris huius titulum, si non ab Ingulpho, tamen a librario quodam, qui post Canuti regnum vixerit, praefixum illi (puta, epistolae nostrae) fuisse. Nunc quid Anglicos Scriptores ad unum omnes induxerit, ut annum 1031. vel 1032. adsignarent, videamus. Vbi primum inquirendum arbitror in negotia, quae Canutum per quinquennium fere exercuerint, adeoque & in eius itinera, in hac nostra quaestione inchoanda ab anno 1026. Quippe quo anno necesse est, ut in Daniam iverit, ibique, antequam ulterius tenderet res varias ordinaret, inprimis autem regni securitati contra vicinas gentes prospiceret. Et in *Daniam* hoc ipso anno, *regni sui nono, transfretasse cum exercitu*, leges apud Bromton, *pag.* 911. Ex Dania deinde, ipso in litteris testante, Romam movit, ubi ad festum Paschale anni 1027. quando Imp, Conradus coronam accipiebat, omnino adfuit. Discedens Roma, quam viam tenuerit, his exponit: *Notum vobis fieri volo, quod eadem via, qua exivi, regrediens; Danamarchiam vado, pacem, & firmum pactum omnium Danorum consilio compositurus cum eis gentibus, quae nos & vita privare, si eis esset possibile, volebant*. Verum quum in Daniam pervenisset, turbata omnia offendit, regnumque gravi adeo concussum bello, ut in Angliam navigare eodem anno minime consultum rebus suis duceret. Etenim illecti longinqua eius peregrinatione Reges Sveciae, & Norvegiae, ad occasionem invadendi Daniam evigilarant, multo quidem promptius, quam si in Anglia consedisset, unde nimirum pari propemodum celeritate ipsos repressisset. Igitur ad hostes hos repellendos, pacandumque regnum videbat temporis spatium maius, quam cogitarat, requiri, neque nunc integrum esse amplius, tam cito promissa Anglis suis data implere; haec scilicet: *Composita denique pace cum gentibus, quae in circuitu nostro sunt, & pacato omni regno nostro hic in Oriente, ita ut nulla a parte bellum, aut inimicitias aliquorum timere habeamus, quam citius hac aestate adparatum navigii habere potero, Angliam venire dispono*. Iam autumnus ingruebat, Regesque Sveciae, & Norvegiae, quibus proceres Danici, ingentibus adfecti damnis, spem deditionis fecerant, audito Canuti adventu, non poterant non aegre ferre, *omne sibi tempus per aestatem inutiliter tritum*, (ita de ipsis Torfaeus *Histor. Norv P.* 3. *lib.* 2. *cap.* 38.) *per villarum saltem, oppidorumque direptiones effluxisse*, postquam Danicum iam regnum, quantum erat, spe sua devorarant. Tuncque ad illum prope Helgam conflictum res devenit; quem haud diu ante festum S. Michaelis habitum, ex Torfaei *cap. seq.* 39. concludo. Eodem historico testante insequentem hiemem in Dania Rex agit: proxima aestate anni 1028. in Norvegiam properat, regnumque illud sibi subiicit. Anno 1029. in Angliam quidem rediisse scribit Wigormiensis, exque eo ceteri; sed non longam ibi moram fecisse opinor, nec satis habuisse temporis, post trium fere annorum absentiam ad illa, quorum in litteris spem fecerat, ordinanda, atque corrigenda; praesertim post nuncios acceptos de duabus mortibus, Haconis Comitis, qui Norvegiam eius vice gubernabat, in undis extincti, & Olavi Regis, prope Stichlestadium caesi. Igitur, sive isto anno, qui 1030. fuit, sive anno 1031. ex Anglia huc reversus sit, mea utique est opinio, Anglos illud ultimum in Daniam iter confudisse cum primo, anno 1026. facto, quando per Daniam transiens, Romanam peregrinationem subscipiebat, confusionique locum dedisse laudatam saepius Epistolam Regiam; utpote quae, etiamsi iam suo tempore ad manus Metropolitani, & ceterorum procerum pervenisset, non tamen prius publicata fuerit, aut coram universo populo praelecta, quam quum anno 1032. in Angliam rediisset Cnutus, iam tranquillitate per Daniam, perque novum Norvegiae regnum constituta gloriosus, sufficiensque otium nactus ad omnia, quae epistola promittebat, rerum tam civilium, quam ecclesiasticarum commodo, exsequenda. Quod si & aliquis velit, tum temporis, cum epistola publici iuris fieret, titulum ei novum, de quo egimus, ad maiorem Regis victoriarum, & felicitatis ostentationem, praefixum, non multum refragabor.

(a) *Filium Svenonem*] Neque inscio Canuto, neque tam sero nupsisse Vlfoni, atque iam anno 1028 Svenonem duo minimum lustra implevisse, supra ostensum.

(b) *Hominem occidi iussit*) De hac caede, & qua occasione patrata fuit, duplicem narrationem exhibet Torfaeus *Hist. Norv. Tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 39.

(c) *Godvinum virum dedit*) Fallitur. Godvinus non Estritham, Vlfonis coniugem, sed Gydam, Vlfonis sororem duxit, eamque diu in matrimonio habebat ante Vlfonis caedem. Atque in eo cunctis Anglicis consentiunt Scriptores Islandi.

(d) *Quarum decimas illa*) Non decimas, & praedia Ecclesiae donavit illa, quantum cognitum. Sed Rex, qui Vlfonis caedem in ipso Divae Luciae templo Roschildiae peragi mandarat, Numinis propitiandi causa, templo indigno, quod facinore violaverat, *tantum agrorum donavit, ut integram fere provinciam constituerent, causam deinde urbis illius incrementi* &c. Sic Torfaeus loc. cit.

turbari, tueretur, militum sex millia (a) legit, & in naves sexaginta, quibus pugnaturi essent, dispertitur; utque pacem ipsi colerent, quos praesidio publicae tranquillitatis comparaverat, homines feroces animis ac natura minime amantes pacis, leges condit [b], Danis pariter & Anglis, quas servare cogerentur; quin &, gnarus maximum legum munimentum principis exemplum esse, quas in subditos sanciverat, etiam in se admisit: neque veniam sibi dedit, qui constituisset poenam. Etenim quum ebrius (c) satellitem interfecisset, convocatis postea tribunis militum, & de solio descendit, & pro concione sedens, instar rei, quod supplicii meruisse videretur, libere proferre iubet; se facturum, quidquid ipsi aequum esse statuissent; quumque illi secedentes paululum deliberassent, ac reversi, ei de se statuendi potestatem permisissent, & de terra sublevatum mox ad solium quum obsequii demonstratione summa reduxissent: *Ergo*, inquit, *mulctae*, *quam praescripsi aliis*, *quadruplum dabo*; alii dicunt, novies tantum persolvisse; erant vero homicidio expiando quadraginta selibrae argenti positae: quarum primus triens regi, alter militi, tertius occisi consanguineis tribueretur; quumque hic personam regis, atque rei, idem simul sustineret, sibi debitum trientem, tamquam regi, quia reus, antistitibus sacrorum, & egenis, est largitus: suo loco Deum coeli, summum regem, munere in hos translato, sic propitiandum ratus; insuper donavit auri selibras novem: statuitque, ut deinceps ea esset homicidiorum mulcta. Factum admodum praeclarum, & rege dignum regibusque universis imitandum! quod si facerent, multo etiam felicius quum imperiis quibuscumque ageretur, ac virtutem subditi maiore quoque studio amplecterentur, qui ad vitam principis componere suam fere amant. Inter ista Sveno filius, cui Norvagiam dederat administrandam, fato functus nuntiatur: quumque necdum eluxisset, mox in Anglia Haraldus [d], alter filius, diem obit; ac, ceu orbitas non sufficeret, ad concutiendum animum, in Normanniam Richardus, qua eiectus (e) pridem fuerat, cum exercitu magno redit; verum, magni animi princeps, inter tot adversa rerum, erigit se; & in hostem copias conscriptas ducens, sola adventus sui fama eum fugat [f]: ita quidem, ut, in Gallia nullum locum satis tutum arbitratus, in Siciliam se reciperet (g); quod quantumvis accepisset, eius fuga non contentus, & prosequitur institutum semel iter, & in media Normannia castra locat (h); ubi postquam pacem incolae per legatos petiere, eam dat, & obsides capit; neque multo post invadit morbus gravis: quumque mortem imminere

(a) *Militum sex millia*) Saxo hunc numerum habet. Sed Sveno Aggonis tria tantum millia. Igitur Stephanius in *notis ad Sven. Agg. pag.* 152. existimat Saxonem loqui de illa militum manu, qui aliquamdiu post latas Leges Castrenses, ad aulam Canuti subinde ex variis nationibus confluxerunt; Svenonem vero de iis agere, qui statim *Militiae Canutianae* adgregati; *Militiae*, inquam, *honoratiori*, & quae praesidio imperii, & publicae tranquillitatis destinata, laudato Svenoni Aggonidae sic describitur: „ Vnusquisque militum sumtibus „ haud parcens, commilitonem, & sodalem suum armorum „ splendore, artificioque praecellere conabatur. - - - Quum au„ tem, ad edicti Regii normam, numerosa phalans, novo „ quodam armorum genere resplendens, in Canuti aulam con„ fluxisset, placuit, ut universa multitudo certo calculationis „ numero supputaretur: cuius summa tria millia militum sele„ ctorum explevit. Quam catervam suo idiomate *Thinglith* nun„ cupari placuit. „ Vocabulum *Thinglith* expositurus Stephanius, infeliciter rem tentavit, coniiciens legendum esse *Thinglith*, a *thinge*, h, e. viginti, & *lith*, ordo, quasi cohors foret viginti constans ordinibus. Sed Stephanium hic, atque saepius excusat antiquitatum patriae suae, & linguae veteris imperitia, maior sane, quam credi possit in viro tam insigniter alias erudito. Melius collineavit Petrus Resenius in *notis* ad *Ius aulicum antiquum Danicum*, *pag.* 584. *Ego*, inquit, *hoc nomen ab antiquis nostris Danicis vocibus compositum esse contendo*, *nempe a* Tign, i. e. *generosa excellontia*, *maiestas*. At tigna, i. e. *celebrare*, *subspicere*, *maiestatem adorare*; & Lid, i. e. *copiae militares*, *societas*; *unde* Leding, *bellum*, *expeditio militaris* . . . . . *Haec enim militia Canuti Magni fuit excellens maiestatis Regiae comitatus*, *sive societas*. Atque etiamsi Torfaeus in *Hist. Norv. Tom.* 3. *l.* 1. *cap.* 10. ubi de *Thingmannis* loquitur, qui ante Canuti M. regnum, patris eius Svenonis tempore, in Anglia inter Danos eminebant, similem eis, de quibus nunc sermo est, societatem componentes, vocem illam ad *Thing*, i. e. forum refert, *Thingmannosque* ideo interpretatur *forenses copias*; tamen non diffiteor, ad Resenianam explicationem magis me propendere. Etenim, praeter *Tign*, & *Tigna*, de quibus con, sententia iam dictis, & quidem multo pleniora, exhibent Lexicographi Islandi, Gudmundus Andreae, & Olaus Verelius; ille insuper in elemento *Th.* verbo *at thinga* duplicem adtribuit significationem. 1. *forum celebrare*. 2. *rebus pretiosis ornare*. Et Spelmannus in veteribus chartis *Thingos* deprehendit, eodem significatu, quo *Thanos*, h. e. pro *hominibus liberis*, *baronibus*, vel *nobilibus*. Vid. eius *Glossar.* in *Thingus*. Quod si alius videatur magis adprobanda adpellatio a *Thing* foro, uon abs re mihi videtur conferre animadversionem de hac voce, quam Carolus Lundius I. C. Svecus *Lexico Vereliano* subiecit, *pag.* 10. ubi *Thing* generali notione pro *concilio*, vel *conventu*, etiam extra forum litium, & iudiciorum, docet accipi; atque sic *Thinglith* fuisse honoratiorum militum turmam, quae Regem ad concilia regni, vel publicos conventus, tutelae, & maiestatis ergo, comitaretur.

(b) *Leges condit*) Heic *Castrenses Leges* illas intelligit, in quibus condendis Canutum opera usum Oponis Sialandensis, cognomento *Sapientis*, & Eskilli eius filii, dicunt Sveno Aggonis, & Saxo Grammat. Diversae omnino istae Leges fuerunt ab iis, quas Anglici Scriptores, Bromton, Lambardus, Whelocus, Spelmannus, Dav. Wilkins, nobis repraesentant. Itaque *Castrenses* hasce cognoscere, qui avet, adeat Svenonem nostrum Aggonis, singulari id argumentum diligentia tractantem, in peculiari opusculo, *Historiae*. eius *Regum Daniae* subiecto, a *pag.* 143. ad *pag.* 194. Addatur, & Saxo *lib.* x. *pag.* 107. *seqq.* Totum vero *Ius* istud tam *Castrense*, quam *Aulicum* fusissimis illustravit notis Petrus Resenius, atque *Iuri Aulico Norvagico* subiunxit peculiari volumine, quod prodiit Hafniae 1673. in 4.

(c) *Quum ebrius*) Saxo quidem, *parum sobrium*, Sveno Aggonis *iracundiae accensum furore* Canutum scribunt, cum *quemdam militem suum exemto mucrone iugularet*. Reliqua huius narrationis ex iisdem auctoribus illustranda.

(d) *Mox in Anglia Haraldus*) Saxo, cui & hic Sveno Aggonis consentit, Historiae Anglicae ignorantissimus, Meursium hoc loco, ut & pluribus aliis seduxit; non item Pontanum, utpote qui probe perspiciebat, Historiam Danicam, seculis IX, X. & XI. scribi omnino non posse absque adminiculis Annalium Anglicorum. Et quis nescit, Haraldum biennio post parentis obitum Angliae regnum tenuisse?

(e) *Richardus*, *qua eiectus*) Et hoc quoque Saxonianum, aeque, ac praecedens illud, mendosum. Richardus dux iam nullus vivebat amplius in Normannia. Obierant enim duo isto nomine, nempe Richardus II. & III. ille, quem Saxo, & alii fingunt a Canuto eiectum fuisse, e vita migravit in patria sua anno 1026. vel, ut alii scripsere 1028. Eius filius Richardus III. mox fato rebus humanis ereptus, Robertum fratrem successorem habuit. De hoc ergo intelligendum foret, quod Meursius Saxonis fide heic commemorat.

(f) *Sola adventus sui fama fugat*] Vt his, & quae sequuntur, plane falsis, alia haud paulo meliora substituantur, evolvendi Wilh. Gemmeticensis *lib.* 6. *capp.* 10. & 12. Io. Bromton *pag.* 912. Walsingham *Hypodigm. Neustr. pag.* 23. *seqq.* atque ex recentioribus Pontanus noster *pag.* 159. Thoyras Rapinus in fine *Historiae Canuti M. pag. m.* 414. qui duo posteriores adcurata sua narratione omnem mihi priores excerpendi operam compendi fecere.

(g) *In Siciliam se reciperet*) Credo Saxonem (nam, & hoc eius est,) aliquid accepisse de peregrinatione sacra Roberti Nortmanniae Ducis, quam anno 1034. subscepit, expeditione contra Canutum in aliud tempus dilata, postquam prima, ob classem adversa tempestate repulsam, non successerat.

(h) *In media Normannia castra locat*) Id nemo, praeter Saxonem, eiusque sequaces, prodidit.

nere animadvertit, convocatis belli ducibus id continuare iubet, donec hostem debellassent; quod facturi certo essent, si impositum loculo defuncti [(a)] corpus pugnaturi in prima acie constituerent; tum victores se Rhotomagnum deportarent, atque ibi terra conderent. Haec effatus, magno adstantium moerore, exspiravit; princeps maximus; pietate, fortitudine, & iustitia, nominisque item gloria, nullo minor pluribus; victoriis illustres alii; sed aequabat fama omnes, &, complures pietate superabat: cuius unum istud specimen dignum est quod memoretur. Quum in Anglia aliquando, animi recreandi causa, magno procerum, & nobilium, comitatu, in Oceani littore deambularet, ac legatus Imperatoris [(b)], qui advenerat, regem ipsum omnium longe potentissimum appellaret, diu tacitus subsistere, neque quicquam responderе; aestu vero maris summo impetu tunc irruente, propius accedens paullo, & legatum secum trahens, illico exutam tunicam, & in globum convolutam, in extremo littore ponit, insidetque; tum, exclamans alta voce, mari imperat, ut quiescat: neve, ulterius procedendo, pedes sibi madefaciat; ac vix eloquutus erat, quum mox fluctus, vento incitante maior, maxima cum vehementia provolutus, sede ipsum evertisset ac madefecisset totum, nisi accurrentes sui ocyus in pedes eum erexissent; hinc a littore concedens, & conversus ad legatum; *illum*, inquit, *cuius iussu commovetur, ac quiescit, mare istud, regem iustius potentissimum appellabimus, & colemus; huic gratia sit, bonosque, qui me tanta dignitate exornavit;* nec multo post coronam regiam, auro atque gemmis gravem, capiti detractam suo, Christi crucifixi imagini dedicavit: publice testatum cupiens, Deum se agnoscere regem omnium regum, potentissimum; nec corona inde ulla usus fuit. Sed, ut semper hominum virtutibus se vitia miscent, neque quisquam tam beatus reperitur, qui non ullis sit obnoxius, ita quoque in Canuto non iniuria reprehendas stuprum Alvinae [(c)], & satellitis sui caedem,

(a) *Si impositum loculo defuncti*) Fabula, quam nescio ex cuius herois historia sive vera, sive ficta, acceptam, Saxo ad Canutum M. credidit pulcre adplicari posse. Neque vel in Normannia mortuus Rex noster, vel Rothomagi sepultus. Mirumque est, Polydorum Virgilium *lib.* 8. haesitasse, quibus potius crederet, Anglicae an alterius gentis Scriptoribus. Decessit Canutus ex morbo, quo diu per aestatem anni 1035. conflictatus fuerat, (auruginem, seu icterum fuisse in *Historia Knytlingorum cap.* 18. dicitur.) Locum, in quo vitam finivit, Florent. Wigorniensis, Sim. Dunelmensis, Rogerius de Hoveden &c. indicant fuisse apud Scaftesbyriam. Tempus autem 11. Id. Nov. h. e, die 12. Novembris, feria quarta anni 1035. & Wintoniae in veteri Monasterio *satis honorifice tumulatum*. Interim annus emortualis a multis scribitur 1036. quem & magni sane ponderis argumentis stabilivit Thormodus Torfaeus, apud ipsum videndis *Hist. Norv Tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 16 Sunt vero argumenta ipsius ex eo genere, ut sive annum 1035. sive sequentem statuamus, alia in Scriptoribus loca, praeter istos numeros, mendosa esse, & correctionem exposcere sit necesse.

(b) *Ac legatus Imperatoris*) Nullus alias ex iis, qui facti meminere, legatum Imperatoris adfuisse, quantum recordari possum, dixit. Ceterum dantur inter Anglos veteres, qui Regem, nimia felicitate ebrium, scribunt usque adeo intumuisse, Norvegia praesertim, & Scotia in potestatem suam redactis, ut mari etiam imperare vellet. Sic Io. Bromton *col* 912. & Henr. Cnyghton *col.* 2325 At hos refellunt alii, rem eodem interpretati modo quo hic Meursius. Vid. Huntindon *pag.* 364. Westmonast. ad an. 1035 &c. Qui tamen non exuisse tunicam, & in globum convolutae, in littore maris, insedisse scribunt; sed regium sedile in littore statui fecisse, inque eo insidentem comminando protulisse verba: *Tu meae ditionis es* &c. Cetera, quae noster habet, de Corona, numquam deinceps a Rege portata. sed Christi imagini dicata, veteribus consona.

(c) *Stuprum Alvinae*] De ista nonnihil superius adnotavimus [ad *Col.* 178. *a.*] multo plura in hunc locum reservantes. Quippe de vocabulo istius mulieris quodammodo usurpari potest iocus Seldeni de *Olavi isto, perquam incommodum esse nomen in veteri Historia Anglica*. Non quidem ideo, quod in scriptione eius auctores adeo deprehenduntur varii, *Alfgifam*, *Aelfgivam*, *Aelgivam*, *Albinam*, *Alvinam*, *Aylenam*, *Alfifam*, *Alveviam*, & nescio quot modis adpellantes. Sed quia in eisdem libris Regina ipsa, seu legitima Canuti M. uxor, saepenumero eodem *Aelfgivae* nomine nuncupatur. Hinc & concubinae isti Alfgivae nonnumquam titulus, & dignitas verae coniugis adtribuitur; istamque iam fato functam, ante illud cum Emma Normannica matrimonium, non defuere, qui dicerent. Ex his Matthaeus Westmonaster ad annum 1018. scribens: *Defuncta uxore Cnutonis Regis Algiva. idem Rex misit in Normanniam ad Ducem Richardum, propter Emmam sororem eius, Regis scil. Aethelredi relictam*. Ex nostratibus, *Series Regum Danicorum I* ab Olao Wormio edita, ubi versio Latina habet: *Tunc imperabat Gamleknut, Alvi Regina eius prima. altera Emma*. Thomas Rudborne in *Hist. VVinton.* (quae in Whartoni *Anglia Sacra Tomo I.* exstat) *pag.* 232. *Habuit Cnuto ex Elgiva Regina sua, Elfhelmi Comitis filia, duos filios Svvanumviz, & Haroldum . . . . Cnuto Rex in principio Regni exosos habuit Anglos, antequam Emmam, relictam Ethelredi Regis, duceret in uxorem*. Verum istos, & fortasse plures, decepisse videtur *Aelfgivae* vocabulum, quod & ipsi Reginae Emmae, postquam in Angliam venerat, adsumtum fuisse, plurimis ex documentis constat. Hinc est, quod in *Chronico Saxonico*, cura Reverendiss. Edmundi Gibson edito, fere constanter ita adpelletur; neque aliter a Florentio Wigorn qui ad annum 1002. haec adnotat: *Eodem anno Emmam, Saxonice Alfgivam vocatam Rex Aethelredus duxit uxorem*. Et ad ann. 1052. *Alfgiva Emma, coniux Regum Ethelredi, & Cnuti, VVintoniae obiit*. Ceteris locis *Alfgivam* solum adpellat, non addito *Emmae* vocabulo, in annis scilicet 1035. 1036. & 1037. Rich. de Hoveden *pag.* 437. *Quo tumulato, Regina Elfgiva, quae & Emma, ibidem resedit*. Et *pag.* 438. *Cuius* (Hardecnuti) *mater Elfgiva, quae & Emma, quondam Anglorum Regina*. Quodque singulare habendum puto, inter diplomata, & chartas, quibus nomen istius Reginae vel insertum, vel subscriptum cernitur, unicum dumtaxat mihi se obtulit cum Emmae nomine, nempe illud *Ecclesiae Salvatoris in Dorobernia* datum, Spelm. *Concil Tom.* 1. *pag.* 533. In ceteris *Alfgifa*, *Aelfgifis*, *Elgifa*, *Elfgive* adparent semper. Vid. *Monastic. Anglic. Tom,* 1. *pagg.* 84 261. 283. 287. *Tom.* II. *pag.* 901. *Tom.* III. *pag.* 130. Alford. *Annal. E. A. Tom.* 3. *pag.* 481. In quibus dum versor, non possum praeterire leviculam animadversionem de tempore, quo Edwardus Confessor immitius se gerere adversus matrem coepit, quippe quam non solum cunctis possessionibus, & thesauris exuit, sed etiam omni tanto fastigio conveniente auctoritate spoliavit. Id vero a Wigorniensi, & aliis ad ann. 1043. a Rapino etiam ante istum annum statuitur; quum tamen in *Monastici Angl. Vol.* 2. (in *Additam ad Tom.* 1.) *pag.* 901. Charta conspiciatur, annum 1044. praeferens, & a Rege, Reginaque matre h. m. subscripta: *Ego Edvvardus Rex . . . . . . Ego Elfgive eiusdem Regis mater assensum adcommodavi*. Restat, ut aliquis veram nobis rationem aperiat, per quam *Emma* Normannicum, & *Aelfgiva* Anglo Saxonicum, unum, idemque nomen sit: nam quum video, doctissimum ipsum Camdenum, cuius inter *Reliqua* (*Remaines concerning Britain*) Index quoque *Nominum muliebrium* habetur, nihil potuisse certi constituere, dum ex quorumdam sententia, *Emmam* idem denotare scribit, atque *Amatam*, *Elfgivam* autem, quasi *Helpegiver*, h. e. *auxiliatricem*, subspicatur dictam, *p. m.* 96. aliorum potius explicationem exspectabo. Sed a longa digressione in viam, a Regina Aelfgiva, ad concubinam ipsi cognominem, redeamus. Vidimus hanc ab uno, alteroque Scriptore Reginae titulo honoratam, vidimus & ante Reginae Emmae cum Canuto connubium defunctam perhiberi. Neutrum recte; quum prius illud amplissimo testium numero destruatur, non solum ab Anglis, sed & ab Emmae Encomiaste, a Chronici Fontanellensis continuatore, fere συγχρόνῳ, ab Adamo Bremensi, eiusque exscriptoribus. ab Historicis Norvegis, & nescio quibus non. Posterius cum plerique Anglorum taceant, & tamen, quo devenerit Haraldi, & Svenonis mater, vix ullo indicatum verbo dederint, haud quoque admodum a nobis peccatum foret, si eisdem eam tenebris relinqueremus. Verum, quum nihil id genus negligendum sit, quod ad homines tantae in fastigio felicitatis positos, quanta Canuto M. obtigit, illustrandos spectet, ostendemus eam, de qua nunc sermo est, *Alfgifam*, [vel, ut Saxo,

dem, quamquam eximie expiatam; tum e medio sublatum sua fraude Edvardum, Angliae regem, & Norvagiae, Olaum, ac quantumvis primum forte ab aetate excusari, alterum autem ab ebrietate possit, at postrema certe duo, si nonnulli vera de his prodiderunt, apud bonos nusquam veniam impetrabunt, Liberos ex Imma sustulit, regem Angliae. Haraldum, Canutum, cognomento Durum, in regno Daniae successorem, & Gunildam, Henrico II. Imperatori elocatam; tum Svenonem ex Alvina, quem Norvagiae praeposuit; quidam tradunt, etiam Haraldum esse ex Alvina procreatum. Daniam tenuisse proditur annis tribus & triginta (a), Angliam viginti quinque, alii viginti tantum regna universa annos possedisse, sunt auctores. Tria cognomenta habuit, atque *Magnus* adpellatus quidem fuit, ob res gestas; *Dives*, propter opes summas, & potentiam, quippe sex

Saxo, Meursiusque vocant, *Alvinam*] certe ad annum 1035. vitam, in summa dignitate, produxisse. Nam quod minori filio, Svenoni, in quascumque ille regiones a patre ablegaretur, individua comes haeserit, eaque auctoritate, quae Regiae matri conveniret, pueritiam eius rexerit, ex Norvegicis Historiis discitur. Ac ille quidem a patre in transmarinas partes missus, ut maiorum suorum artibus adsuesceret, primum Iomsburgum, celebrem in Vandalia Danorum coloniam devehitur, eique loco, quamvis (ut statim adducenda probant,) pueritiam nondum egressus, summa cum auctoritate praeficitur. Interim pater Norvegiam in potestatem suam redigit, eamque Haconi Comiti gubernandam tradit; quo brevi post, quum in Angliam navigaret, undis submerso, Canutus filium suum Iomsburgo evocat, Norvegiae imponit, Regia quoque adpellatione, quemadmodum & fratres eius Hardecanutum, & Haraldum, exornat Factum hoc ultimum videtur in divisione regnorum, quam pater an. 1033. inter filios suos instituit. Alfgiva filium suum in Norvegiam comitatur, utque illum, in cunctis, ut adparet, sibi obsequentem, auctoritate sua, ita regnum nova, & Norvegis adhuc inexperta severitate regit. Hinc omnium, quae onerosa civibus irrogabantur, auctor existimata, ob inclementius filii imperium male perpetuo audivit. Torfaeus, ex Snorrone Sturlaeo *pag.* 215. „ Svenonis imperium, quamdiu praefuit „ Norvegis, *invisum*, *atque ad posteros odiosum*; nam aetate, „ ingenioque puer, *materno imperio* regebatur, quae *muliebri fastu* indigenis contemptis, Danos evehebat. „ Et superius *pag.* 209 „ Sveno sermonibus traduci, sed maxime Alfifa; „ in quam omnium, quae minus probabantur, causae conie- „ ctae. „ Exitus fuit, qualem istis seculis promittere poterant Norvegorum ingenia: scilicet, ut revocata in regnum S. Olavi sobole, cui statim sese potissimae regni vires, copiaeque adiungebant, Alfifa (sic Norvegis, & Islandis dicitur,) filiusque Sveno in Daniam se reciperent. Hic ab Harde-Cnuto Rege perquam humaniter habentur; isque, ut Sturlaeus testatur, imperium haud gravate cum Svenone fratre partitus, cuncta ad recuperandam Norvegiam auxilia pollicetur. Sed eadem hieme Sveno apud Danos mortem oppetit, scilicet initio anni 1036. De matre nihil postea scitur. Vid. Torfaeus loc. cit. *pagg.* 215. & 222. Idem doctissimus vir Pontanum refellit, qui Alfgivam generis Norvegici fuisse scripsit. Equidem miror, quomodo dubitari potuerit de gente istius faeminae, cuius patriam, & parentes Angli nominant, Wigorniensis, ceterique; patrem quidem *Alfelmum Ducem* [all. *Comitem*] Northamtunensem, matrem vero nobilem matronam *VVlfrunam*. Hinc etiam idem Wigorniensis solet, *Northamtunensem* illam adpellando, ab Alfgiva Regina distinguere.

(a) *Annis tribus, & triginta*) Aliter Snorro Sturlaeus, Knytlingor Historia, ceterique Islandi, scribentes, *Daniae regnum* tenuisse *viginti septem* annis, Anglicum *viginti quatuor*, Norvegicum *septenis*. Vltimum recte, atque hoc adeurate constituere, ipsis, ut Norvegis, facillimum. In prioribus puto Anglos magis audiendos, quam nostros. Illi constanter dicunt, mortuum anno regni sui Anglici vigesimo, incipientes a 1016. quo solus, Edmundo coaeso, Rex fuit declaratus. Danici quoque regni aeram, si a morte patris Svenonis olim Regis computaveris, utique prius considerandum, constituendumque, utrumne nobiscum adhaerere mavelis universae Chronographorum Anglicorum turbae, qui Svenonem anno 1014 vitam finivisse prodiderunt, an Islandis, atque hos inter Torfaeo, citius integro quinquennio mortuum adserentibus. Conf. Torfaeus *Trifol. Hist. cap. ult.* & *Histor. Norv. Tom.* 3. *pag.* 224. *seq.*

regnorum dominus, denique *Senex*, ob aetatem (b). Quidam scribunt, fidem Christianam amplexum, posito gentili nomine, se Lambrichtum (c) pro Canuto adpellari voluisse.

CANVTVS III. cognomento DVRVS (d).

Hic a patre adolescens in Norvagiae Regem Olaum, qui in Russiam profugerat, uti dixi, cum infestis copiis missus, ut persequeretur bellum, cum permagnam eius regionis partem devastasset, & Esthoniam denuo ad tributum dandum adegisset, aliasque in Oriente (e) debellasset nationes, ob ferociam, Durus est cognominatus. In Dania post excessum patris aliquamdiu commoratus, ordinandis regni rebus serio intendit animum; quum interea Angliam gubernat Sveno [f], Vlfonis ex Estritha filius, ac praesidiis regnum munit; ut in-

(b) *Senex ob aetatem*) Hoc est, quod significatur illo *Gamele-Knut* tum in *Serie Regum I*, apud Ol. Wormium, tum in Erici Pomer. *Hist. gentis Danor.* Nam *Gamle* Danica lingua, *vetustum*, *priscum*, *senem* notat. Ob aetatem vero sic nuncupatum fuisse Canutum M. si per illam numerum annorum, quod vivendo implevit, intelligas, ratione caret, maxime si Torfaei, & Islandorum veterum sententia intelligatur, ex qua mortuus dicitur exacto vitae anno septimo & trigesimo. Ses neque eum subsistere posse computum, supra (ad *Col.* 173. *b*) exposuimus. Ego vero, cum ex priore Svenonis uxore natum, Vandalica illa, Misceonis filia, & Burislavi nepte pro certo habeo, existimo circiter quinquaginta annos habuisse, quum moreretur. *Gamle* vero, seu *vetustus*, a posteritate tunc demum nuncupatus fuit, postquam alii ipso posteriores, *Canuti* itidem Reges extiterant, ut ab his distingueretur.

(c) *Lambrichtum*]. De hoc legendus Pontanus, *pag.* 163.

(d). *Cognomento Durus*) Quia in lingua vernacula nomen adiectivum *Haard*, latinis *durus*, *severus*, *asper* est; crediderunt sequentium aetatum homines, id cognominis Regi impositum fuisse a *ferocia*, quemadmodum & Meursius mox interpretatur; sequutus, inter alios Anonymi Lindenbrogiani *Seriem*. Similiter alterius Anonymi *Series Genealogica*, quam ex *Cod. MS. Laudunensi* descriptum edidit. Henr. Erastius, *Kanutum cognomento Durum* vocat. Verum ex Danis vetustioribus rectissime hic se gerunt *Series I. VVormiana*, & Pseudo-Erici illa. Vtraque enim *Harte-Knut* nominat, eodem modo, quo omnes Angli, nec non Adamus Bremensis, eiusque sequaces. *Knytlingorum Historia*, Snorro Sturlaeus, & Islandi omnes *Haurda-Knut*. Certum enim, ab ipsa infantia non aliud nomen sortitum, quam hoc ipsum ex *Harthe* & *Knut* compositum. Verum in expositione eius variatur. Emmae Encom. *pag.* 172. Harde *velocem*, vel *fortem*: Spelmannus in *Concill. Tom. I. Audacem*, (quasi foret *Hardi* Gallicum) interpretantur. Camdenus quoque in *Britannia pag.* 102 nominat *Canutum audacem*. Thoyras Rapinus a *firmo*, & *robusto* corporis habitu dictum vult. Diversus ab his omnibus priscus ille noster Sveno Aggonis, cuius haec sunt *pag.* 83. „ Cognomine *Durum* vulgo nominabant, non quod austerus, vel „ crudelis extiterit; verum inde, quod tale provinciae nomen „ extiterit, ex qua natalem duxit originem. „ Poterit quidem fortassis hoc satis sese tueri, saltem si de primo Regum nostrorum, qui nomen *Harde-Knut* gessit, (vixit ille duobus ante hunc nostrum seculis,). intelligatur. Sed quomodo de Canuti M. filio praedicari queat, in Anglia utique, non vero, quantum ulli cognitum, in provincia Iutiae Hardensi (*Hard-Syssel*) nato, haud intelligo. Sed neque ulla mihi ratio in expedito est, quae Canutum M. induxerit ad hoc nominis, potius quam aliud, filio suo imponendum; etiamsi non ignoro, duos illud antea Reges, sed haud tantae celebritatis quin multi eis excelluerint, habuisse. Meam ego opinionem amplius, contra Torfaeum, declaravi, in superioribus (ad *Columm.* 132. *a*.

(e) *Aliasque in Oriente*] Orientem nostrates adpellabant terras, & regiones mari Balthico adiacentes, in Russiam usque.

(f) *Angliam gubernat Sveno*] Errores Saxonis, Anglicarum, ut saepe repetivimus, rerum imperitissimi, adoptat noster; secus ac Pontanus, qui ubicumque Saxonem cum Anglis veteribus, aliisque externorum conciliare potest, facit id diligentia non raro felici ac laudabili; ubi vero non potest, illum deserit. Ita & in Canuti huius *Duri* historia rem adgreditur, & exsequitur, cuius integrum contextum, (de Pontano loquor,) qui *pagg.* 173 & 174. extat, in Meursiani huius locum substituat, qui recti aliquid, & veri de Rege isto avent cognoscere, aut potius quantum ad Angliam spectat, novis-

ut indigenas, dum hic abest, in officio contineret. At Norvagia, ut Canuti mortem accepit, in rebellionem versa (a), filium Olai Magnum, ob praeclara patris merita, ac virtutem quoque eius, regem creat. Quod Canuto postquam nuntiatum esset, ne, si bellum inceptaret, Anglia occasione uteretur, ac deficeret, potius pacisci duxit (b), ut, qui alteri superesset, regnum alterius possideret; & in hanc rem a senatu regni, utriusque datae litterae, ac iusiurandum itaque firmata pax est in Norvagia, ut in Anglia servaretur. Alii tradunt, missum (c) ex Anglia Svenonem cum exercitu a Canuto, uti Daniam, quam invaserat per absentiam eius Magnus, vindicaret; atque eum a Magno victum, dum in Angliam cum reliquis mox rediret, de Canuti morte nuntium in itinere accepisse; sed annalium nostrorum in his fidem sequi malo. Canutus vero, postquam pacem in Norvegia confirmasset, mox in Angliam reversus, omnia pacata quidem opera Svenonis (d) reperit; verum fratrem uterinum, Edvardum, populi favore nixum, adfectare regnum intelligit, cuius ut ambitioni modum poneret, & discrimen amittendi principatus evitaret, in communionem regni eum admittit (e); sic ut dignitatis tamen potius consortem faceret, quam potentiae. Deferbuerat in Canuto illa animi ferocia, qua cognomen Duri pridem adolescens comparaverat, ac nunc contra tam insigni pacis studio ferebatur, uti, ei in Norvagia conservandae, spe successionis Magnum potius placandum duceret, & in Anglia Edvardum in consortium reciperet; socium habere eum, potius quam hostem, cupiens. Sed tam bonae voluntatis fructum mox, & vitam, amisit; regni per biennium dumtaxat potens; vel, ut alii novennium (f). Moriens, Svenoni Estrithae Angliam tradidit; Daniam invasit

MAGNVS,

qui cognominatus Bonus, rex Norvagiae; idque ex pacto, quod iam ante memoravi. Morte eius intellecta, cum armata manu venit, petiitque, *ut, quod pridem pacti essent, nunc praestarent, atque bellum, quod negantibus exspectandum, prohiberent; cogitarent iusiurandum, quo se ante obstrinxissent; & consultum incolarum paci vellent*. Proceresque, non difficiles, ut religione sese iuramenti liberarent, regnum tradunt, in comitiis

novissimum eius regni historicum Rapinum, qui a veteribus prodita bene hic disposuit, illustravitque. Neque enim heic Sveno Vlfonis filius producendus, tamquam gubernator Angliae, quippe quam Canutus M. ante obitum maiori natu filiorum Haraldo regendam dederat; isque, patre defuncto, ut sibi retineret, excluso Harde-Canuto, omnem operam impendebat. Verum Saxo, eumque sequutus Meursius, Haraldum ante mortem patris fato functum imperitissime statuentes, eo recurrunt, ut Svenoni Vlfonidae vicariam Angliae administrationem, contra fidem omnium monumentorum, tribuant.

(a) *In rebellionem versa*) Imo ante Canuti M. obitum. Nam Sveno eius ex Alfgiva filius, qui regio eam titulo, & imperio gubernabat, per rebellionem Norvegorum expulsus, ad fratrem Harde-Canutum in Daniam profugerat, ibique extinctus est, antequam in Anglia pater e vita excederet. Dumque Harde-Canutus Norvegiae recuperandae vires suas, cogitationesque intendit, & in paranda expeditione totus est, Haraldus maior frater in Anglia se confirmat, partemque etiam regni, quae Harde-Canutum praeoptabat Regem, intercipit.

(b) *Potius pacisci duxit*) Totam pactionis, reique, ut gesta est, historiam, ex Snorrone Sturlaeo, & aliis collectam, suppeditat Torfaeus *Hist. Norv. T.* 3. *lib.* 4. *cap.* 1. Pseudo Ericus Pomeranus (quem, ut obiter dicam, Meursius in huius Regis Historia, praeter morem suum, & immerito quidem, neglexit,) haec *num.* 93. habet. „ Sven quinque „ annis in Norvegia regnans, obiit. Cuius regnum accepit „ Magnus, filius S. Olavi. Quod audiens Hardeknut, cum „ Anglis, & Danis Norvagiam intravit; sed per amicos recon- „ ciliati sunt Magnus, & Hardiknutus tali pacto, quod qui „ diutius viveret superstes, regnum defuncti acciperet &c. „

(c) *Alii tradunt, missum*) Nempe Adamus Brem. *lib.* 2. *c.* 57. „ Interea secundus filiorum *Knut*, qui regnavit in Nordmannia, „ *Svein* obiit. Tunc Nordmanni elegerunt *Magnum* filium „ *Olaph* Martyris e concubina. *Magnus* ergo statim invadens „ Daniam, duo regna possedit *Hardeknut* Rege Danorum in „ Anglia cum exercitu morante. Qui mox adversus *Magnum* „ pugnaturus, consanguineum suum *Svein* classi praefecit. *Svein* „ ergo a *Magno* victus, quum in Angliam remearet, Hardeknut „ mortuum invenit. „ Non convenit satis inter hanc Adami relationem, recte a Meursio reiectam, & Norvegorum, Islandorumque illam, in gestorum Magni historia. Vid. Torfaei *Hist. Norv. P.* 3. *lib.* 4. *cap.* 5.

(d) *Pacata opera Svenonis*) Alibi, & quidem procul ab Anglia occupatum per haec tempora Svenonem nobis describit Bremensis *lib.* 2. *capp.* 44. & 55. scilicet, postquam duodecim annis in Svecia militasset, (atque in eo suffragatur Bremensi *Chronicon Norveg* memorans Svenonem, post caedem patris, apud Svecos vixisse. Vid. Torf. loc. cit. *pag.* 240.) quum in Angliam traiicere vellet, tempestate actum, ad Hadeloam adplicasse. Ibi proxima locorum piratico more vastans, a Bezelini Archiepiscopi Hamburg. militibus capitur, ac Bremam ducitur, sed ab eodem post dies aliquot cum honore dimittitur. Itaque priusquam in Angliam perveniret, iam Harde-Cnutus regnum illud ingressus, omnia aliorum opera pacata invenerat; aut, ut mihi persuasum, Harde-Cnutus iam tum diem suum obierat. Quomodo vero Harde-Canutus ingressus sit, nuncio Brugis Flandrorum, quoad matrem invisendam profectus erat, de Haraldi fratris morte accepto, ex *Encomio Emmae pag* 177. aliisque discitur. Florent. Vigorn. ad ann. 1040. „ Haraldo sepulto, proceres ferme to- „ tius Angliae, legatos ad Hardecanutum Bricgae, ubi cum „ matre sua morabatur, mittentes, & se bene facere putan- „ tes, rogaverunt illum, ut Angliam veniret, & sceptra regni „ subsciperet. Qui navibus sexaginta paratis, & Danicis mili- „ tibus instructis, ante mediam aestatem, Angliam advehitur, „ & gaudenter ab omnibus subscipitur, regnique solio mox so- „ blimatur. „ Pacatum aliquatenus regno statum, iam regnante Haraldo, procuraverat ipsius socer, Comes Godwinus, provinciis, quae Haraldum respuebant, & Harde-Canutum desiderabant Regem, ad obsequium illius demum pertractis. Quod & indicatum puto nummis, sub eodem Haraldo cusis, in quorum area aversa PAX legitur, quo ex genere unum exhibet Spelmannus ad *Vitam Alfredi Regis Tab. VII. num.* 5. septem autem Andreas Fountaine *Tab. VIII.*

(e) *In communionem regni admittit*) Id & Saxo habet *lib.* 10. *pag.* 202. Atque Encomium Emmae: *Regno potitus Edvardum accessit, qui secum obtineret regnum*. Sed Vigorniensis, „ & plures alii, ad an. 1041. Non multo post Eadvardus . . „ . . . de Normannia, ubi multis exsulabat annis, venit An- „ gliam, & a fratre suo Hardecanuto Rege *subsceptus* honori- „ fice, in curia sua mansit. „ Malmesbur. *pag.* 76. „ Germa- „ num Edvardum, annosae peregrinationis taedio, & spe fra- „ ternae necessitudinis, natale solum revisentem, obviis, ut „ aiunt, manibus excipiens, *indulgentissime retinuit*. „ De communione regni, eove per Edvardum adfectato nihil Angli habent, resque parum verisimilis, partim propter timidum, & simplex Edvardi ingenium, partim ob potentiam Godvini, a cuius non minus, quam matris consiliis totus pendebat Harde-Canutus, teste Bromtono *Col.* 933. Videntur sane, quae Scriptores Anglici prodidere de importunis, atque acerbis Harde-Canuti exactionibus, Godvino potius, quam ipsi imputanda. Iuvenis erat, aut adolescens potius, bonae indolis, sed voluptarius, quique isto vitae genere, si vera nobis narrarint Angli, fatum sibi acceleravit. Egregiam in fratrem, & sororem pietatem eius laudat Malmesburiensis loco citato. Ex adverso autem notum, quantam in alterius fratris, Haraldi Alfgivae filii cadaver crudelitatem exercuerit, nisi & hic dicendus sit aliquid suggestioni matris, vindictam flagitantis, indulsisse.

(f) *Vel, ut alii, novennium*) Ita *Series Anonymi* per Lindenbrogium edita, neque praeter veritatem, si a tempore computemus, quo Daniam a patre regendam accepit Anglici regni saltem biennio potens fuit, demtis decem diebus; sic enim Malmesbur. atque plures. Annum diem, locumque obitus eius designat *Chron. Saxonicum* his verbis: *Anno* 1041. *decessit Harthacnutus Rex apud Lambhyte* VI. *Iduum Iunii. Is fuit Rex super totam Anglorum terram duobus annis, demtis decem noctibus, & sepultus est in veteri Monasterio in Vinceaster cum Canuto suo patre.*

tiis viburgensibus. Quae dum fiunt, adest Sveno; qui, praesidiis tota Anglia (a), ubi opus visum foret, collocatis, propere in Daniam venit (b), atque *sibi, consanguinitate proximo, regnum, ut conferatur*, petit; sed senatus recusare, & hortari, *ut avunculi sui pactum, quod nec ultima voluntate immutasset, ratum ipse esse vellet, atque sic existimaret, si vim faceret, regnum sibi minime auspicatum fore*. Ille refert: *temerarium istud esse, ac rescindi iure posse, neque tantum ei tribuendum esse, ut, queis hactenus imperaverint, his subesse deinceps debeant; ac communem libertatem, quam fortissime hactenus tutati forent, in subiectionem quamdam inhonestam commutare*. Iam sententiae nutabant, & contentione aliqua agitari; quum postremo pars haec vicit, cui pactum sanguine potius videbatur, rectiusque stirpem regiam praeteriri, quam vim iuramento fieri. Sic repulsam passus Sveno, dum adfectat regnum Daniae, mox & Anglia eiicitur; nam Haraldus principis Godvini filius, cui regni eius curam, dum abesset, demandaverat, commodam occasionem invadendi iam se consequutum ratus, Danos, passim in praesidia distributos, astu a suis ad convivia invitatos, una nocte omnes caedit (c), Angliam in potestatem suam redigit; utque invidiam minueret, Edvardum sicut antea a Canuto constitutum, socium capit (d); quem mox tamen, uti rerum ipse solus potiretur, per insidias circumventum, e medio tollit (e). Et hoc modo amissam Angliam, quam tot annis obtinuerant, numquam Dani postea recuperare potuerunt. Inter ista, Anglia sic exutus Sveno (f), quamlibet in Dania suarum partium studio-

(a) *Praesidiis tota Anglia*] Si Anglica, & Norvegica monumenta perquiramus, nihil in eis reperitur, quod persuadere possit, quidquam Svenoni potestatis fuisse, vel auctoritatis apud Anglos. Dubito etiam, num Harde-Canutum vivum, & regnantem in Anglia Sveno conspexerit, (ut superius dixi,) tantum abest, ut huic illum morientem regnum tradidisse, licet Saxo, & Meursius hoc adserant, credam. Chron. Saxonic. *Antequam sepeliretur Hartacnutus, populus universus elegit Eadvardum in Regem apud Lundune*. Miratur Rapinus, quomodo tam subito, tamque tranquille potuerit electio peragi, neque ullam se posse rationem invenire profitetur singularis adeo mutationis in Danorum animis, tanta adhuc potentia Angliam, tantaque multitudine insidentium, praesertim Canuti M. filiorum uno, Svenone, Haraldi antea Regis germano, superstite. Quem haud magis a successione in regnum, quam Haraldum excludere natales debuerant, eadem utpote matre editos. Verum latebat optimo historieo, Svenonem illum, de quo loquitur, iamdudum apud Danos e vita excessisse, eadem hyeme, qua pater in Anglia diem supremum obiit; eoque iam ventum, ut nemo ullus sive in Anglia, sive Dania masculus superaret, in quem oculos coniicerent Dani. Etenim cum Harte-Cnuto omnis non solum Canuti M. sed & patris eius, Svenonis a *bifida barba* dicti, stirps virilis extincta. Supererat quidem ex filia Svenonis, sorore Canuti M. Sveno Vlfonis filius, sed praeterquam quod in Angliam nimis sero adpulerit, impar rei tum temporis obtinendae; ut cui, e Svecia, ubi a patris nece per duodecim annos exsulaverat, nuper reduci neque militares copiae, neque favor, neque ad colligenda Danorum studia ulli adparatus aderant. Obstabat huic insuper summa Godvini Comitis apud Anglos potentia, & apud novum Regem auctoritas; atque, ut multa alia omittam, in Danica ipsa gente, quae in insula sedes suas stabiliverat, propter necessitates cum Anglis intercedentes, dum novae in dies adfinitates contrahebantur, ferocia illa multum remiserat, haud tantopere, atque olim in res novas, vel ad turbandam; cui plerique iam adsueverant, felicitatem effervescens Interim non negabo, potuisse fieri, ut Svenoni Vlfonidae bona verba ab Edvardo, & Godvino data fuerint, spesque ostensa obtinendae post illum successionis. Hoc enim admodum disertis, clarisque verbis innuit, licet non maxime apud nos fidei scriptor Adamus Bremensis *lib.* 2. *cap.* 57. ubi, postquam retulerat, Hardeknutum iam a Svenone, quum in Angliam veniret, mortuum repertum, sic pergit: „ Mortuo igitur Hardeknut Angli in „ locum eius elegerunt fratrem eius Edvardum, quem de priori „ marito Imma genuit. Vir magnus, & timens Deum. Isque „ suspectum habens Svein, quod sceptrum Anglorum reposceret, pacem cum tyranno fecit, constituens eum proximum „ sibi post mortem regni Anglorum heredem, etiamsi filios „ susciperet. Tali itaque pacto Svein in Daniam remeavit „ &c. Conf. eiusd. *lib.* 3. *cap.* 12.

(b) *Propere in Daniam venit*] Longe aliter rem narrant Snorro Sturlaeus, Knytlingorum historia, & ex iis Torfaeus *Hist Norv. P* 3 *lib.* 4 *cap.* 5. Istos si audimus, Sveno ultro accessit Magnum Regem, penes quem Norvegiae iam simul. Daniaeque erat regimen, tunc in provincia Norvegiae Vika, prope Gauthelfam commorantem; supplexque orabat, ut sibi exuli, & extorri *praefecturam unius tantum in patria satrapiae* concederet. Permovit statim Magnum natalium splendor, hisque congruae animi, corporisque dotes, in Svenone utique admirandae. Denique aliquo interiecto tempore Magnus ipsum Comitem solenni ritu declaratum, Daniae vice sua gubernandae praefecit, ita ut quantum ibi potestatis, iurisque Vlfo pater habuerat sub Canuto, tantum nunc etiam filius consequutus sit. Sveno ad Danos veniens, propenso omnium studio excipitur, quo indies popularitate sua accenso, facile gentem, dudum obsequii insolentem, ceterisque imperare suetam, permovit, ut rescissa pactione, qua Magno sese obligarat, Svenonem, utpote priscis Regibus suis editum, Regem Daniae declararet.

(c) *Vna nocte omnes caedit*) Laniena, quam in Anglia Svenonis I. tempore, & quidem anno 1002. perpetratam omnes norunt a Saxone, & Meursio admodum inscienter huc transfertur; postquam de illa nullo verbo ad verum, quo locus ei fuerat, tempus meminere. Non quidem sum nescius Io Bromtonum, & Henr. de Knyghton scribere, postquam de intolerando Danorum fastu, atque insolentia dixerant, illum quidem *pag.* 934. „ mortuo Rege Harde-Cnuto, Anglos con„ tra Danos *insurgentes*, omnes Dacos sine Rege, & Capita„ neis tunc existentes *e regno Angliae fugavisse*; qui terram „ celeriter dimittentes numquam in posterum redierint. „ Knygh„ tonum autem *pag.* 2325. „ Angli necessitate coacti accepe„ runt audaciam resumserunt vires, & collegerunt magnum e„ xercitum, qui *Hovvne-her* adpellabatur, a quodam *Hovvne*, „ qui primus hoc consilium dederat, & ductor eorum extite„ rat, & sic *Danos occiderunt, & in magnum ruborem de par„ tibus Angliae totaliter fugaverunt*. „ Sed praeterquam quod ceteri, & antiquiores altum ista de fuga, ac caede fovent silentium, res ipsa omni veri specie destituitur, quemadmodum probe perspexit Thoyras Rapinus *pag* 4 5. edit. Batav. in eo tantum adlucinatus, quod adserat Danicarum rerum Scriptores, istam nostratium internecionem per exsequiarum Harde-Cnuti occasionem peractam, commemorare.

(d) *Edvardum socium capit*) Ingens & haec est confusio, imo temporum, factorum, occasionum denique, quibus contigerunt, perturbatio. Haraldus Godvini filius, tunc cum Edvardus regnum eveheretur, nondum ea aetate erat, diuque postea eius pater Godvinus res moderabatur Nolo ista fusius deducere, utpote nemini, in seculi eius historia non omnino hospiti, obscura Interim Adamo Bremensi, quamvis Svenoni Regi perfamiliari, atque ex eius sermonibus varia, ad historiam nostram delibata quasi frustula nobis suppeditanti, quid quantumque fidei tribuendum sit, docent haec ipsius *lib.* 3. *cap.* 12. „ Magnus eo tempore simul tenebat duo regna, Da„ norum videlicet, atque Nordmannorum. *Iacobus* adhuc in „ Sveonia sceptrum tenuit. Huius auxilio *Svein*, & *Tuph* Du„ cis effultus, *Magnum* pepulit e *Dania*, Magnus ergo denuo „ bellum instaurans obiit in navibus. *Svein* vero duo regna pos„ sedit, classemque, ut *Angliam* suo subiiceret iuri, paravit; „ verum sanctissimus Rex Edwardus, cum iustitia regnum „ gubernaret, tunc quoque pacem eligens, victori tributum ob„ tulit, statuens eum, ut supra dictum est, post se regni „ heredem. Quumque Rex iuvenis Svein tria pro lubitu suo „ regna teneret, mox succedentibus prosperis &c. „ Hic veris falsissima admixta, nonnulla quoque talia, quae summae Adami fidei, rerumque Danicarum scilicet notitiae admiratores possint in eamdem classem cum Marchionatu Slesvicensi, & cum Slesvico Canuto M. ab Imperatore reddito, compingere.

(e) *E medio tollit*] Edvardum e medio sublatum ab Haraldo, nullus praeter Saxonem, & qui caeca ipsum fide sequuntur, dixit. Nec dignum ulteriore refutatione rude commentum.

(f) *Anglia sic exutus Sveno*] Edvardus vitam finivit, incipiente anno Christi 1066. Sic enim Vigorniensis, qui Indict. IV *ipsa Vigilia Epiphaniae Domini, feria quinta* Londoniae mortuum refert, eique consentiunt Chronicon Saxonicum, Sim. Dunelm. Roger. ab Hoveden, Io. Bromton, alii. Ingulphus ait circa natalem Domini obiisse. Regnavit, secundum eosdem, annis 23. mensibus 6. diebus 27. Quam belle ergo istis congruit Chronologia Saxonis, & Meursii! siquidem hic noster *inf.* Svenonem in regno exegisse octo & viginti annos scribit, queis si annorum regni Magni, vel maxi-

diosos admodum haberet paucos, bello tamen infestare Magnum statuit; copiisque comparatis, partem navibus imponit, & in classem hostilem mittit; partem ipse in Magnum ducit, & occurrit ei in Cimbria; sed utraque pugna infelix, in Fioniam primum fugit, ubi cum auxilia nulla inveniret, & insequeretur victor, hinc in Sialandiam transit, atque ex ea mox in Scaniam, atque inde in ulteriorem Sveciam (a). Magnus, ante bello in Vandalos occupatus, ut Svenonem coerceret, hos omiserat; illum autem postquam terra, atque mari, acriter persequeretur, iterum insurgunt isti: Ratiborii, Vinnulorum principis (b) caedem, item octo filiorum, vindicare cupientes; &, effusi, in fines Cimbriae, omnia depopulantur. Quae cum Magnus accepisset, haesit primo anceps animi. Vandalisne iret obviam, an perseveraret porro hostem fugientem sequi; tandem, precibus subditorum, qui profugerant, & a Vandalis misere se spoliatos querebantur, concedendum illud ratus, potius habuit, saevientem intra fines regni hostem profligare, quam iam profligatum persequi. Itaque reducit copias, & Slesvicum, Vandalos intercepturus, regressuros in angustiis, festinatis itineribus proficiscitur, tum & eos illic occupat; &, conserta manu, fundit; caesis omnibus, aut compulsis pacem petere. Strages certe magna fuit, sed quae varie memoratur, ac nonnulli, quadraginta illic millia cecidisse; alii quindecim tantum tradunt, quae victoria ita populo carum reddidit, ut in regnum redeunti passim occurreret, operamque in Svenonem, deinceps persequendum, offerret; tum & Bonum cognomento (c) adpellaret; quod nimirum, inclinato in commoda ipsius animo, graviter grassantem hostem coercere, quam devictum, & fugientem, longius sequi maluisset. Per id tempus Alebrandus, Archiepiscopus Bremensis, secum adducens Bernardum, Saxoniae ducem, & Thitmarum, Hildeshemiensem antistitem, Magnum accedit, tunc Slesvici commorantem, postulatque, concedi sibi ius Ecclesiae per Septentrionis regna ordinandae, & imponendorum praesulum; tum sororem Magnus spondet filio Bernardi Arnulpho (d), quem Ordulphum alii dicunt. Quibus actis, cum exer-

maximum addideris numerum, octonarium scilicet (h. e. fere duplo maiorem, quam implevit,) incidet tamen mors Edvardi in illa Svenonis tempora, quibus iam multos annos solus, & absque aemulo summa imperii in Dania potiebatur? Quid ergo? dices. Svenoni, aut alii nostratium nihil cum Anglis negotii fuit? vel ab Hardecnuti obitu omnem de isto regno cogitationem abiecerunt Dani? Non profecto. Verum quid tentarunt, & quousque progressi sunt, nunc aperiam. Rex Norvegiae, S. Olavi filius, Magnus nomine, victo, profligatoque Svenone Vlfonida, iam in Daniae regno confirmatus, coepit priorum Regum exemplo vota, ac spes suas etiam ad Angliam extendere. Misit ergo anno 1045. ad Edwardum Regem legatos, qui Angliam pari iure ad se pertinere, quo Daniam, vi foederis, pactique inter Harde-Canutum, seque olim facti dicerent, rogarentque ideo, ut Angliae regno Edvardus cederet, secus totius Daniae, Norvegiaeque robur incubiturum sciret, victoremque singulorum possessione fruiturum. Edvardus his nihil territus, responsum reddidit, quale res exposcebat, cuiusque clausula erat haec, ne Magnus Angliae sese Regem diceret, aut sibi, aliisve persuaderet esse, antequam vitam illi eripuisset, qui nunc Angliam paterno, avitoque iure possideret. Id responsum quum ad Magnum esset relatum, isque illud ad animum suum retulisset, haud difficulter & aequitatem illius, & suorum consiliorum vanitatem adgnovit, inque haec eripuisse verba dicitur: *Fateor equidem, regnorum mihi abunde esse, modo usum, administrandique prudentiam Deus indulgere velit, atque tertii adquisitione plura me perditurum, quam lucraturum, si, quod absque Dei offensione fieri haud potest, Regem tam pium regno patrio deturbare, aut vita spoliare adgrediar.*" Itaque nihil Princeps optimus contra Angliam dehinc suscepit. Haecque diductiore stylo narrata, ex Snorrone Sturlaeo, invenies apud Torf. *Hist. Norv. P.* 3. *lib.* 4. *cap.* 3. Ceterum Sveno Vlfonides (quem Dani *Estrithium*, vel *Estrithae filium* vocare solent, haud diu post, anno scilicet insequenti 1046. in Angliam ad Edvardum misit, qui auxilia copiarum, & navium ad resistendum Magno, & Daniam recuperandam expeterent. Impetravisset quoque ea, maxime adnitente Godvino Comite, cui, ut supra dictum, amita Svenonis erat nupta, nisi contrarium suasisset alter insignis auctoritatis Comes Leofricus, cui & totus populus adsensit, ita ut nihil Svenoni fuerit praestitum. Ad Anglicos quoque Scriptores, quos habemus, haud dubia de his omnibus pervenit fama, quemadmodum ex sequentibus patebit. Flor. Vigorn. ad ann. 1045. "Hoc anno Rex Eadvardus ad "Sandicum portum congregavit classem praevalidam, *contra* "*Magnum Norreganorum Regem, Angliam adire disponentem*; "sed bellum a *Svano* Danorum Rege illi illatum, *iter* (all. "*adventum eius*) impedivit." Eadem accurate exscribunt Dunelmensis, R. ab Hodeven, Westmonasteriensis. Ceteri vero Io. Bromton, & Henr. Cnyghton, pessime pro *Magno* substituunt *Haraldum Harefax*, vel *Harfag*. Scilicet existimarunt isti, vocabulum *Magni* haud proprium, sed adpellativum esse, adeoque eumdem hic intelligi Norvegorum Regem, qui aliquot multis post annis Haraldum II. impugnavit, vulgo *Harfager* ab Anglis adpellatus, quamvis perperam, siquidem cognomen is habebat *Hardraade*; *Harfagerus* autem, seu *Pulchricomus* duobus seculis est antiquior. Absurdior multo *Polychronici* auctor Ranulphus Higdenus, cui *Haraldus Harefot* scribitur, qualiter adpellatum fuisse Haraldum I. Regem Angliae omnes norunt. Porro Flor. Vigorniensis ad ann. 1046. "Magnus Norreganorum Rex, Sancti Olavi Regis "filius, fugato Rege Danorum *Svano*, sibi Danemarciam su- "biugat." Et ad ann. 1047. "*Svanus* Rex Danorum suos "legatos misit ad Eadvardum Regem Anglorum, & rogavit, "ut sibi classem mitteret contra *Magnum* Regem Norregano- "rum. Tunc Comes *Godvinus* consilium Regi dedit, ut sal- "tem 50. naves militibus instructas ei mitteret; sed quia "*Leofrico* Comiti, & omni populo id non videbatur consul- "tum, nullam ei mittere voluit." Paria habent Dunelmensis, Bromton, Howedenus, Higdenus. Nunc, si cum istis recentiores, interque eos quidem eminentem Rapinum conferre velis, animadvertes, haud sine admiratione, *Svenonem Canuti M. filium*, quem certum est omnino anno 1036. mortem oppetiisse, ex inferis quasi resuscitari, (Vid. Rapin. *pag.* 428 edit. Hag.) eoque ipso tempore Norvegiae imperantem, (quamvis rectissime Vigorniensis, & ceteri heic *Magnum Norreganorum Regem*, *S. Olavi filium* nominent,) bellum adversus Angliam meditari. Animadvertes deinceps ibidem duos eodem ipso tempore *Svenones*, alterum Canuti M. filium iam dictum, quem post annum 1045. *Norvegia* a *Magno* exutum Rapinus scribit, alterum vero *Regem Daniae*, qui, ne eamdem experiretur sortem, auxilia Edvardum rogarit. Qui quidem duplex error potuisset evitari, si modo egregius Scriptor animum ad ea veterum Islandorum loca attendisset, a Torfaeo *Tomo* 3. *pag.* 223. adlegata, queis proditum, Svenonem Canuti M. filium, etiam ante patris obitum e Norvegia eiectum, paucis inde mensibus in Dania fato fuisse interceptum.

(a) *In ulteriorem Sveciam*] Haec, & praecedentia, ex vero; nisi quod saepius, quam heic legitur, victum, fugatumque Svenonem Snorro Sturlaeus, Knytlingorumque historia memorat. Conf. Torfaeus *Hist. Norv. Tom.* 3. *lib.* 4. *cap.* 7.

(b) *Ratibor, Vinnulorum Princeps*] De hoc Principe Vandalorum, vel Slavorum, eiusque octo filiis, quos *Magnus* Danico & Norvegico suo exercitu delevit, admirabili potitus victoria, paria leguntur apud Adamum Brem. *lib.* 2. *cap.* 59. eaque ex Islandorum monumentis confirmat Torf. *lib. cit. cap.* 6.

(c) *Tum & Bonum cognom.*) Torfaeus *lib. cit. cap.* 4. *Civium effusum in Magnum studium* (humanitate, indulgentia, legum emendatione, tributorum remissione adquisitum,) *amorque, quantus in patrem patriae, qui certe maximus, cadere potest, cognomen ei BONI, non, ut Saxo tradit, a vindicta finium regni Danici adversus Slavos, sed a morum suavitate, ingenii bonitate, & propenso in cives adfectu, communi consensu indidit, posteris sub hac notione in aeternum colendum.*

[d] *Filio Bernardi Arnulpho*) Vbi Arnulphus adpellatus sit, nescio. *Ordulphum* vocavit Adamus Bremensis *lib.* 2. *cap.* 58. ubi, & de his nuptiis agit; sic & *Chronicon Rhytmicum* Principum Brunsvic. in Leibnitii *Tom* 3. *pag.* 23. Helmoldus, & plures. Sunt vero etiam, qui *Ottonem* nominant. De quo legendus Torfaeus noster *lib. cit. cap.* 6. *pag.* 246. clarissime ibidem ostendens, per illud Saxoniae Principis connubium, *pleraque per Germaniam celeberrima Principum stemmata a Sancto Olavo derivari.*

exercitum in Svenonem mox educeret, ad Halmstadium, perturbato leporis occursu equo, ac sessorem in acutos trunci forte adiacentis stipites eiiciente, misere confixus periit. Alii tradunt, stante in freto Balthico classe, quum de nave transgredi in navem vellet, lapsum in subiectum mare, & submersum; quidam, morbo impetitum, morte vitam naturali [(a)] finiisse, sunt auctores. Regnum Daniae annos octo, a nonnullis tres dumtaxat [(b)], tenuisse memoratur. Princeps bonus, pace, ac bello; felix quoque, qui, exclusa regum stirpe, Daniam ex pacto accepit, ut virtutem patris quoque, Olai, cognomento Sancti, honorare in ipso Deus voluisse videatur.

SVENO III, Estrithius.

Exemto ex humanis rebus rege Magno, regnum est adeptus Sveno, Canuti Magni ex sorore Margareta Estritha nepos; unde & Estrithius fuit cognomento adpellatus. Eum Dani, non amore aliquo ducti, sed necessitate acti, quia e prosapia regia, nemo alius superesset, regem sibi elegerunt; etenim, qui in petitione regni adversati ipsi fuerant, ac propenderant in Magnum, metuebant, ne, potitus rerum summa, ultionem agitaret; sed hunc metum gravior vincebat alius; nam, cum Vandalis, quos tam magna clade adfecerant, hostibus longe infestissimis, ac vindictam cogitantibus, uterentur, ne iidem, capta hac occasione, orbum rege regnum invaderent, qui prudentia inter ceteros excellebant, & periculum exadgerant, & hortantur, *ut, deposita simultate, animum omnes ad commune bonum adverterent, ac Svenonem regem admitterent*; qua oratione abducti, mox suffragium coniungunt. In principio ipso regni, quum Anachus, Roschildensium Episcopus [(c)] excessisset, a Svenone Gulielmus substituitur, Canuto olim Magno a sacris, & epistolis; gente Anglus, & virtute sua clarus; quique summum apud Roschildenses templum, quod nunc exstat, suae ad posteritatem pietatis monumentum, inchoavit. Ad hoc tempus quum in sacris Scaniae quoque iura Roschildensis daret, separavit iurisdictionem Sveno, Scaniamque est partitus in Episcopatus duos: Dalbiensem, & Lundensem; & Ecclesiam Dalbiensem, rex Henrico, Lundensem, Egino dedit; qui quum diu de primatu inter sese contendissent, tamdem Henricus, nimio vino subfocatus, malo exemplo, & in primis in antistite detestando, vita excedit, & Egino locum tradit [(d)]. Inter ista, frater S. Olai Haraldus, quem post illum interfectum, in exsilium concessisse memoravimus, Magno rege vita functo, in Norvagiam revocatur [(e)]; qui reversus, quum Svenonem etiam Norvagiae regnum obtinere cognovisset, nec se vindicando parem, regnum avitum nomine clientis primo accipere [(f)] contentus fuit, postea in libertatem vindicare semet certus, quod mox fecit, agitante inter Vandalos Svenone, & Riaduros, qui auxilium [(g)] imploraverant, adiuvante; etenim,

(a) *Morte naturali*] Histor. Knytlingor. *cap.* 22. *Eiusdem anni autumno Rex Magnus in Iutia ex morbo decessit*. Et hoc demum veritati congruit. Priora, quae memorat Meursius, ad fabulas relegantur ab Historicis Norvegicis. Primum commentum, de perturbato leporis occursu equo, apud Saxonem extat, & Crantzium. Sveno Aggonis tantum habet: „ Casu „ inopinato in Sialandia equi sternacis praecipitio arbori illisus „ interiit. „ Alterum legitur in Erici Pomerani libro: „ Tunc „ iterum Magnus Rex Norvegiae ad bellandum contra Sve- „ nonem venit, cum exercitu innumerabili, quasi arena maris, „ navigio in Oresund; sed dum incaute de navi in navem „ transiret, cecidit in mare, & submersus est. „ Adam. Bremens. *lib.* 3. *cap.* 12. „ Magnus denuo bellum, instaurans obiit „ in navibus. „ Atque eo referendum credo, quod in Anglicis Scriptoribus deprehendimus, Ailredo de *Vita S. Edvardi Confess. pag.* 378. *seq.* Bromton *pag* 949. Matth Paris. *Vit. S. Alb. pag.* 27. & pluribus, „ Edvardum Regem die Pente- „ costes Daniae Regem, cum classe accinctus ad invadendam „ Angliam traiecturus esset, ac forte de scapha in scapham ad- „ scenderet, labi e prora, & submergi undis, per miraculum „ in spiritu vidisse, ac risisse. „ Verum, ut dixi, Norvegorum hic memoriis potior fides habenda. Porro non omittendum, quod eaedem memoriae de ultima Magni voluntate, atque successione in regnum aemuli eius Svenonis habent. Nempe Sveno, quum toties victus, fugatusque, insulas tamen Danicas pergeret classibus suis infestare, iamque simul Haraldum Sigurdi filium, Magni patruum (erat enim Haraldus S. Olavi frater uterinus, nuper ex Oriente in patriam redux) sibi infensum reddidisset, audito utrumque, Haraldum, & Magnum, novam contra se expeditionem parare, desperatis prorsus rebus, denuo in Sveciam se recipere, regnumque, ac Regis titulum decrevit abdicare. Interim Magnus in morbum incidens, quem sibi fatalem fore sensit, fratri suo Thoreri in mandatis dat, Svenonem adeat, haecque nunciet, se iam e vita egressurum, *Daniam ei, & quantumcumque ad illam iuris haberet, legare, quod eum prae aliis omnibus successorem optasset*. Haec Torfaeus latius narratione sua exponit, atque etiam de iure Magni ad regnum Danicum, testamentique vigore quaestionem instituit, *lib. cit. pag.* 284.

(b) *A nonnullis tres dumtaxat*) Harthecnutus obiit ineunte anno 1042. Magnus anno 1047. die 25. Octobr. Hinc vera demum exsurgit.

(c) *Anachus, Roschild. Episcopus*] Mendum est typothetae. Rescribatur *Avachus*. Quamvis enim in prima editione Parisiensi eodem modo *Anachus* legatur, vix tamen dubitant nostrates, quin Adamus Brem. *lib* 2. *cap.* 46. nec non in libello de *Situ Dan. pag.* 142. *edit Mader* nomen illud recte expresseris. Vtrobique autem *Avoconem* legimus.

(d) *Egino locum tradit*] Plura de Episcopis, Henrico, & Egino, seu Eginone, quae heic dicta confirment, suppeditant Adam. Bremensis, Crantzius in *Metropoli*, Vastovius in *Vitae Aquil.* Hvitfeld. in *Chronico Episcopor.* Magnus Matthias in *Catalogo*, seu *Historia Episcopor. Lund.* a Thom. Bartholino Th. fil. Th. nepote, Hafniae 1710. edita.

(e) *Magno vita functo, revocatur*] Imo, ante Magni obitum in Norvegiam reversus erat, auro adfluens, multisque Constantinopoli, ac aliunde conquisitis divitiis onustus. Legantur de Principis istius peregrinatione, rebusque gestis Snorronis Sturlaei, aliorumque narrata apud Torf. *Hist. Norv. Tom.* 3. *lib.* 4. *capp.* 10. 11. *& seqq.* Vbi etiam, quomodo in patriam remeans, perque Sveciam transiens, in Svenonem Estrithium inciderit, foedus cum eo, contra Magnum fratris sui filium, contraxerit, hoc deinceps, Magno conciliatus resciderit, ac denique, post novas exortas lites, quas Magni subinde obitus diremit, Norvegiae ipse regnum consequutus sit, fuse enarratur. Ceterum iam antea eumdem cum Saxone, & nostro errorem erraverat Adamus Bremensis *lib.* 3. *cap.* 13, *Is* (Haroldus) *defuncto fratre* (rectius, fratris fil.) *quum in patriam revocatus esset, Svvein consanguineum suum regnantem* reperit. Chronicon item, quod Erico Pomerano adscribitur, *num.* 94. *Quo audito*, (scil. Magnum mortem oppetiisse) *Svven regnum eius obtinuit. Item dum idem Sven in Norvegia moram faceret, Slavi vastaverunt Iutiam usque Ripis*.

(f) *Nomine clientis accipere*] Hoc Saxo plane silentio pressit, sive ignorarit id a quoquam proditum, sive litandum duxerit veritati. Totum autem debetur Bremensi Monacho, tot commentorum, falsarumque narrationum fonti, in cuius *Histor. Eccles. lib.* 3. *cap.* 13. haec legas: *Is* (Haraldus) *quum, defuncto fratre, in patriam revocatus esset, Svein consanguineum suum regnantem reperit. Cuius se tradens manibus, sacramentum fidelitatis exhibuit victori, & patrium regnum pro ducatu accepit in beneficium*. Sed fabulatorem merito hic castigavit Torfaeus *Hist. Norv. Tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 1.

(g) *Riaduros, qui auxilium*) Slavi in varios erant populos divisi, Wagiros, Polabingos, Obotritos, Wilzos, seu Lutitios, &c. Lutitii, seu Wilzi rursus quatuor generum, quorum

nim, qui Panim flumen accolebant, de primatu idolorum cum his ipsis concertabant; quumque res in bellum tamdem erupisset, advocatus in auxilium Sveno accurrit; ac, dum abest, in occasionem intentus rex Haraldus, quod is aliis propulsabat, bellum infert. Id quum Sveno accepisset, illico in regnum redit; ac, maioribus apud Cimbros propere coactis copiis, mox Haraldum, ad Dyursam flumen obvius, multo viribus inferior, uti temere adgreditur, ita pugnat infeliciter, vinciturque; classis magna pars amissa; Cimbri, metu consternati, ne in hostis potestatem devenirent, in Dyursam se praecipites deiecere; mortem certam, & ingloriam, vitae dubiae, sed honestae, praeferentes; illud minime reputantes, in acie cadere, militi gloriosum esse, in fuga turpe, qui in hostium manus venit, & honeste hic fortunae belli adversae se permittit; &, mox libertati redditus, iterum pugnat, ac victoriam, quam concessit pridem, refert. Sveno, in hunc modum victus, reliqua classe vix evadens in interiores insulas, denuo in Scania, & Sialandia, ac Fionia, copias, quas potest, cogit; iterumque in hostem ducens, & ad Vissam eum flumen (a) consequutus, simili eventu pugnat. In principio, classem ordinat, vinculisque naves iungit, ne deserere se possent; ita, praelio inchoato, pugnam usque in noctem trahit; magis animo par, quam viribus, ac victoria erat dubia; verum Scani, nulla usquam spe auxilii, & Haraldo, antea superiore, novis quoque copiis aucto, ut periculo se subducerent, clanculum solutis vinculis, noctu abeunt; quod quantumvis evenisset, neque parum diminutae vires essent, tamen, animi infractus, denuo pugnare Sveno, quam in fugam se coniicere, & victoriam, de qua necdum desperabat, hosti dare, potius ducit; verum frustra, & successit, uti pridem, infelici. In hoc praelio magna Scialmonis Candidi (b), Sialandiae praefecti, virtus fuit; qui, post magnam hostium stragem, pluribus vulneribus saucius, quum prostratis sanguinis effluxu viribus concidisset, illud sua fortitudine meruisse visus fuit, ut, quum ceteros hostis caederet, abstinendas a prostratu manus ratus, ipsi parceret, atque vitam largiretur; tantum virum in potestatem redegisse, satis habens. Porro etiam Aslacus, duce suo Scialmone dignus miles, merito commemorandus; quippe ille, non contentus, intra suam fortiter pugnasse navem, omnibus abiectis armis, solum laeva scutum tenens, baculumque dextra quernum, etiam in hostilem insilit; hostibusque, qui in ea, internecione caesis, victoriam unus de tam multis admodum illustrem refert. Rex Haraldus, parum ducens, bis iam Danos profligasse, ultra pergit; &, Svenone nusquam mari occurrente, copias in terram exponens, passim adiacentes agros, ac maritimas quasque urbes, inter quas Arhusiam maxime, & Slesvicum, igne, & ferro, populatur. Sveno, etsi hostem aditu prohibere quovis modo conaretur, impar tamen, nec fortunae item belli, quam adversam iterum expertus erat, fidere ausus, passim carpit pabulantem, quem haud tutum impugnare existimabat; sed mox eum, praeter exspectationem, liberat Deus; nam in Anglia principis Godvini filii, in Haraldum (c) regem fratrem coniurati, quum a Norvago, quem dixi, supplices auxilium peterent, se, suosque submittentes, ille, ambitione ductus, proferendi imperii occasionem minime negligendam ratus, accipit legationem, & suppetias pollicetur, quas dum parat, & mox adfert infeliciter, Sveno regnum, cuius partem iam amiserat, totum recipit; & Haraldus rex Norvagiae, apud Anglos inter pugnam interfectus, morte sua id tranquillum illi facit, ac retinuit; quum Olaus, atque Magnus, duo filii ipsius, pacem ineunt; & Olaus, ei magis confirmandae, matrimonio filiam Ingertham capit. Caeso Haraldo, Angliae rege, cum Wilhelmus, cognomento Nothus dictus, dux Normanniae, regnum illud occupasset, semper, acriterque (d) Sveno de eodem concertavit;

rum Kycini, atque Circipani cis Panim, Riaduri, seu Redari, & Tolenzi trans Panim (fluvium) habitabant. De singulis agit Helmold. *Chron. Slavor. lib* 1. *cap.* 2. & Bangertus ad eum *pag.* 11. *seqq.* De intestinis autem certaminibus, & bellis, quae per haec tempora inter eos flagrabant, ac Riaduros, Tolenzosque ad quaerenda apud Danorum Regem, Saxoniae Ducem, aliosque auxilia cogebant, legendus idem Helmoldus *lib.* 1. *cap.* 21. Vid. & Adam *lib.* 3. *cap.* 24

(a) *Ad Vissam flumen*) Corrig. *Nissam*, vel *Nizam*. Mendum est typothetae. Knytlingorum Historia *cap.* 22. memorat pugnam hanc factam, postquam Haraldus sedecim annos in Norvegia regnarat.

(b) *Scialmonis Candidi*) Hoc de Scialmone, atque alterum illud mox infra narratum, de Aslaco, milite eius, seu remige, noster ex Saxone desumsit. Saxo autem, utrumque copiose, & magnificis verbis exornatum, suae historiae, in honorem patroni Archiepiscopi Absalonis, quippe qui Scialmonis Candidi nepos fuit, inseruit.

(c) *Godvini filii, in Haraldum*) Ad Adamum Bremensem respicitur, cuius *lib.* 3. *cap.* 14. haec: Eo etiam tempore separabant se Angli a regno Danorum, filiis Godvini rebellionis auctoribus, quos amitae Regis Danorum filios esse diximus, & quorum sororem Edvard Rex duxit uxorem; hi namque facta conspiratione fratre Svein Regis, qui in Anglia duces erant . . . . eiecerunt, & tenuerunt Angliam in ditione sua." Sed male haec Meursius, ad Edvardi regnum, quae pertinent, ad Haraldum II. trahit; quo scil. haud nisi unius fratris rebellio locum habuit, ipso etiam Adamo adgnoscente *lib.* 4. *cap* 14. Neque enim ceteri fratres contra Haraldum, sed pro eo stetere; solus Tosto Comes in perniciem eius incumbebat. Is, quum in Dania operam perdidisset, Svenone nullis se persuasionibus ad invadendam Angliam induci passo, tamdem eo Haraldum Norvegorum Regem permovit. De quo, praeter Vigorniensem, Radulphum de Diceto, ceterosque conferatur, fusius totam rei seriem exponens Torfaeus *Hist. Norv. Tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 16. *seq.* Istaque occasione haud inconveniens duco, adtingere errorem, quem omnes fere Angli committere solent in Haraldi Norvegi cognomine, *Harvagram*, *Harfagre*, vel *Harvagrum* adpellitantes; unde & illud *Arvegre*, *Rex Noricorum*, in Chronico brevi Thuaneo apud Du-Chesne *Tom.* 3. *pag.* 361., & Haraldus *coma pulcher* in Aelnothi *Vita S. Canuti*, *cap.* 2. *pag.* 12. cum qui isto cognomine inter Haraldos distinguitur, *Haarfagre*, vel *Pulchricomus* dictus, plusquam duobus, ut supra indicatum, saeculis fuerit antiquior. Is vero, qui in acie contra Haraldum II. Anglum, Godvini filium, occubuit, communiter in Norvegicis historiis *Haraldus*, *Sigurdi filius*, dicitur, nonnumquam etiam cum cognomento *Haardraade*, h. e. *dure*, vel *adspere* imperans. Torfaeus *Strenuum* interpretatur. Saxo *Malum*. Adamus Brem. *lib.* 3. *cap.* 18. & Chronicon Sialandiae ab Arna Magnaeo editum *pag.* 4. & 5. *propter avaritiam, crudelitatem, & superbiam omnibus invisum* depingunt. Sed vindicias eius subscepit Torf. *lib.* 5. *cap.* 19. *Tom.* 3.

(d) *Semper, acriterque bellum*) Quantum ex Anglorum memoriis constat, haud ultra unam, & alteram expeditionem res ivit; quibus non exitum, qualem sperabant nostri, sortitis, nihil exinde tentatum. Sed ex Adamo noster habet, ubi haec exstant *lib.* 4. *cap.* 15. *Inter Svvein, & Bastardum perpetua contentio de Anglia fuit*.

vit; dum recuperandum ipſe ſibi iſtud, ille vindicandum ſtatuit, animoſque Archiepiſcopus Bremenſis, Adelbertus, aliique item principes in Wilhelmum propendentes, vehementer incendebant, & Haraldi duo filii, filiaque, ut victoris ſe Wilhelmi inſolentiae eriperent, ad Svenonem inde avunculum conceſſere, iſque exceptos perbenigne diu aluit, filiamque Valdemaro Ruſſiae principi, cui Iariſlavo nomen (a), dat uxorem. Sveno vero, etſi pacem cum Normanno ſtatuiſſet, maxime allaborante Roſchildenſium Epiſcopo (b), qui muneribus Adalbertum ſuas quoque in partes traxerat, tamen eam minime diuturnam habuit; itaque, cum rebus ipſe aliis diſtraheretur, Haraldum, ac Canutum filios (c), contra eum quum inſtructa claſſe mittit ducentarum navium, & quadraginta, comiteſque expeditionis addit, fratrem Esbernum, & Torchillum, qui in oſtium ingreſſi Humbri fluminis, quum in terram exſcendiſſent, late ſparſa adventus fama, obvios ſibi habuere, cum ingenti militum manu, Eadgarum, Ethelingum, & Walthofium, quos Normannus, paſſim in quoſcumque ſaeviens, Anglia extorres egerat; itaque, occaſione claſſis Danicae, vires iungunt; &, inter ſe icto foedere, Eboracum, obvia quaeque populantes, recta tendunt, ac praeſidiarii cum ignem in ſuburbia ſua, ne his illi potirentur, inieciſſent, verſa in ipſam urbem flamma, quum excedere denique & illi ipſi cogerentur, eos caedunt, iſtam capiunt, ac diripiunt, inde in Northumbros ducunt, atque eos ad deditionem cogunt, iamque totam fere Angliam, qua Septentrioni obiacet, ſua in poteſtate habebant, quum Londinum oppugnare cupientes, a Normanno occurrente prope Trentam, eius regionis flumen, quod in Humbrum ſe exonerat, profligantur, atque pace conſtituta, reducere in Daniam claſſem, corrupto Esberno compelluntur, quod indigne ferens Sveno, Esbernum, ſimul revertiſſet, in exſilium ire iubet (d), & a bello perſequendo conquieſcit. Hactenus Sveno animo a matrimonio alieno vitam egerat; ac, libidine varia gaudens, liberos quindecim, verum omnes illegitimos, iam ſubſtulerat; itaque, hortante Epiſcopo Roſchildenſi, cui plurimum tribuebat, ut uxorem certam caperet, filiam Svecorum regis conſobrinam ſibi iungit (e); a qua tamen, accuſata ab Epiſcopis nimia propinquitate, quamquam admodum invitus, & reluctans, mox divertit. In hac re, dum gravius urget, maxime offenderat eum Adalbertus (f), iſque veritus, ne Epi-

(a) *Cui Iariſlavo nomen*) Alii, haud dubie rectius, Voldemarum, (aut Vlodomirum) hunc Ruſſiae Principem, filium Iariſlavi dicunt.

(b) *Adlaborante Roſchildenſium Epiſcopo*] Mirum profecto, & nimium quantum inſolens, Praeſulem Roſchildenſem pro pace Angliae Regi a noſtratibus obtinenda, apud Archiepiſcopum Bremenſem laboraſſe, huncque, ut partes conciliatoris ſecum ſubſciperet, muneribus expugnaſſe. Quomodo, quaeſo, haec concipies, aut fidem eis conciliabis? A Saxone utique, vel aliis nihil hic auxilii. Viſne igitur, ut quid Meurſium in errorem induxerit, breviter & ſine circumloquutione dicam? Nomen ſcilicet *VVilhelmi*, quod commune habebant Rex Angliae, & Epiſcopus eodem tempore Roſchildenſis. Illum Saxone ſemel quidem nomine proprio adpellavit, contentus obiter dixiſſe, eodem tempore, quo Haraldus Norvegiae Rex claſſem ſuam ad Angliae littora adpelleret, *Normannorum ducem pari impetu diverſum inſulae latus adgreſſum eſſe*. Contra in alterius Wilhelmi memoria ſupra modum copioſus fuit, ac diffuſus, ita ut hiſtoriae Svenonis ſuae integras aliquot paginas praedicandis Epiſcopi Wilhelmi factis impenderit. Iam ergo Meurſius a Saxonis ſui lectione recens, tamque crebris, & prolixis Epiſcopi Roſchildenſis laudibus animum plane imbutum habens, quando in Adami Bremenſis verba haec incidebat *lib. 4. cap. 15. Inter Svein, & Baſtardum perpetua contentio de Anglia fuit, licet noſter Pontifex, muneribus VVilhelmi perſuaſus, inter Reges pacem formare voluerit*; quum nullum, ut dixi, alium in mente, & cogitatione haberet Wilhelmum, praeter illum Roſchildenſem, credidit de ipſo intelligenda; quaſi bonus iſte Praeſul curas ſuas in iſto pacificationis negotio tanto poſuiſſet ardore, ut etiam Bremenſem Pontificem Adalbertum (quem noſter paulo ante, ſed itidem falſiſſima opinione finxit bellum incendiſſe,) ad easdem partes muneribus pertraxiſſet. Sed nihil utique tam clarum, tamque in aperto eſt, quam Adamum de Wilhelmo Angliae Rege, eodem quem nuperrime Baſtardum vocabat, loqui. Is erat nempe, qui ad pacem Svenoni Regi perſuadendam, operam Archiepiſcopi Bremenſis magno ſibi uſui fore exiſtimavit, gnarus ſcilicet, quanta Archiepiſcopus auctoritate apud Svenonem polleret, adeoque ut eo alacrius rem conficeret, muneribus devinciendum credidit.

(c) *Haraldum, & Canutum filios*) Haec, & quae ſequuntur, ſatis diligenter ex Anglorum annalibus exſcripta. Inſpiciantur Wigornienſis, & Dunelmenſis ad ann. 1069. Roger de Hoveden, Wilh. Malmesburienſis, M. Weſtmonaſterienſis, Hemmingford, Annales Waverleienſes, alii. Ceterum ex eiſdem Scriptoribus patet, teſtante inſuper Order. Vitali *lib.* 4. *p* 513. a nonnullis Anglorum, periniquo Guilielmi imperio haud contentis, & in eius exitium coniuratis, Danos arceſſitos fuiſſe, neque una legatione invitatos, expeditionem iſtam ſuccepiſſe.

(d) *In exilium ire iubet*) Wigorn. ad ann. 1070. „Imminente „feſtivitate S. Ioannis Baptiſtae Comes *Esbernus* cum claſſe, „quae in Humbro hiemaverat, Danemarciam adiit. Sed frater „ſuus, Rex Danorum Svanus, illum propter, pecuniam quam „contra voluntatem Danorum a Rege Gulielmo acceperat, ex„legavit.„ Wil. Malmbesbur. *pag.* 1063. „Svanus in Angliam „bis *Cnutonem* filium miſit, primo cum 300 ſecundo cum „200. navibus. Prioribus claſſis ſocius fuit *Osbernus* Comes, „frater Svani ſequentis *Bacco*. Vtrique accepta pecunia conatus „adoleſcentis fregere, domum ſine effectu repatriantes.„ Ceterum de infortunato Danorum regreſſu haec refert Order. Vitalis: „Periclitabantur Dani, ut vagi piratae, fluctibus, & „ventis iactati, pars naufragio periit, reſidui vitam viliſſima „pulte ſubſtentabant. Nec ſolum milites gregarii, verum ipſi „quoque Principes . . . . . . Tamdem magnae claſſis „exiguae reliquiae Daniam repetierunt, & Sveno Regi diſcri„mina, quae perpeſſi ſunt, nimiamque ferocitatem hoſtium, „ſuorumque ruinam ſodalium flebiliter retulerunt.„ Ita ille, *lib.* 4. *cap.* 515. Facile adparet, haec noſtris calamitoſa in reditu accidiſſe, poſtquam tempeſtas eos in medio mari oppreſſos, multis amiſſis navibus ad littora Angliae deieciſſet. De quo & Chronicon Saxonicum *pag.* 177. edit. Gibſon. „Tunc duo Reges Wilhelmus, & Svanus in gratiam rediere. „Vnde diſceſſerunt Danici viri de Elig cum omnibus ſupra di„ctis theſauris, & ſecum una deportarunt. Quum ad medium „mare eſſet perventum, cohorta eſt magna tempeſtas, quae „diſiecit omnes eas naves, in quibus erant theſauri, adeo ut „aliquae adpellarentur in Norvegiam, aliquae in Hiberniam, a„liquae etiam in Danemarciam &c.„

(e) *Conſobrinam ſibi iungit*) De hac legendus Adamus Bremenſ. *lib.* 3. *cap.* 12. & *cap.* 16., & Vaſtovius in Vit. Aquilon. *pag.* 38. *ſeq.* edit. Benzel. Addantur, quae obſervavit Pontanus *pag.* 181. *ſeq.* etiamſi neque Dani, neque Sveci ſuperioris aetatis ſcriptores in exponenda conſanguinitate illa hucuſque ſatisfecerunt. Illi Vlfonem Svenonis patrem Anglum Comitem vocant, quum tamen revera Svecus fuerit. Hi (Io. Magnus *lib.* 18. *cap.* 10. & Loccenius,) coniugem Svenonis *Gydam*, ſeu *Gudam* Ingonis III. Regis, ſive ſororem, ſive filiam fuiſſe adſerunt. Verum temporis ratio obſtat, quemadmodum recte obſervavit D. Ericus Benzelius in *adnotat. ad Vaſtov. Col.* 32. Atque hic praeclarus vir aliud ſuppeditavit ſchema genealogicum, quo Guda Anundi Iacobi Regis Sveciae filia, Erici Victorioſi proneptis ſtatuitur. Quumque Erici Victorioſi coniux, Gudae proavia, Sigridis *Imperioſa*, poſtea Svenoni *a furcata barba* dicto nupſerit, eique Eſtritham pepererit, Svenonis Eſtrithii noſtri matrem (unde eadem faemina, Syridis *Imperioſa*, quae Gudae proavia, Svenonis, Gudae mariti, avia fuerit) propinquitas cognationis manifeſta. Quid? quod *Gudae Regis Iacobi filiae*, nomen tuetur *Genealogia Regum Danicorum MS.* a laudatiſſimo Benzelio publicata in eodem libro *pag.* 72. Diverſa ab his omnibus *Knytlingorum Hiſtoria cap.* 23. *Gunhildem* adpellat, docetque natam fuiſſe patre Svenone Comite Norvego, Haconis Comitis filio, qui coniugem habebat Olavi Regis Sveciae filiam, Erici Victorioſi neptem, unde Gunhildis iſta a patris obitu in Svecia educata fuerit, donec Svenoni nuberet.

(f) *Offenderat eum Adalbertus*] Adamus loc. cit. *cap.* 12. *Archiepi-*

Epiſcopos, quod Haraldus in Norvagia pridem fecerat, aliunde ipſe caperet, ut placaret, ad Sleſvicum urbem accedens [(a)], poſt colloquium, aliis intercedentibus conciliatur, gratiamque iſtam refert [(b)], ut Henricus IV. Caeſar, cum quo illi de ducatu Nordalbingiae, ac dominio Vandaliae, magna erat controverſia, mox Hamburgum invitaret [(c)], atque interruptam nuper amicitiam reſarciret. Hinc reverſus, animo ad pietatem adplicato, templa toto paſſim regno, multa condit, redditusque ſacerdotibus amplos donat; quumque tres Epiſcopatus hactenus haberet Cimbria, Sleſvicenſem, Ripenſem, Arhuſienſem, duos addit, Viburgenſem, ac Borlumenſem, tum vacanti in Fionia dioeceſi Othonienſi dat Epiſcopum Edbertum [(d)]. Quibus ita ordinatis, cum religionem in regno ſatis bene conſtitutam animadverteret, ne deinceps ſumma iuris in divinis rebus dictio penes peregrinos eſſet, etiam primatum ſibi in Eccleſia a Leone IX. petit; ac cum eum, quamquam valde obnitente Adalberto impetraſſet, in Epiſcopum Lundienſem [(e)] ſtatim confert. Etenim per iſtud tempus Brema in Septentrione quaſi Roma quaedam erat, atque urbis huius praeſul a Pontifice Romano obtinuerat, ut ipſius in his regnis veluti legatus eſſet, ac ſuprema in Eccleſias poteſtate uteretur; idque initio quum non grave Regibus eſſet, ob penuriam domeſticam, & virtutem Epiſcoporum, qui religionem illic Chriſtianam ſumma fide, & induſtria, ac nonnumquam cum periculo quoque vitae, propagabant; mox, peioribus ſucceſſoribus, negligentioribuſque muneris ſui, & in rem privatam intentis, quin & ipſis etiam Regibus, nimium praepoſtera ambitione dominari cupientibus, aegre admodum tulere, ac denique rem plane indignatus Sveno, iugum peregrini excutiens, iurisdictionem illam ſuo regno vindicavit. Inter iſta Van-

chiepiſcopus Regem, miſſis ad eum legatis de ſcelere tanto, (ſcilicet, quod conſobrinam, vel conſanguineam ſuam legitimo matrimonio ſibi adiunxerat,) *terribiliter increpavit. Poſtremo, niſi reſipiſceret, excommunicationis gladio feriendum eſſe minatus eſt. Tunc ille in furorem converſus, omnem Hammaburgenſem Parochiam vaſtare, & exſcindere minabatur. Ad quas minas imperterritus Archiepiſcopus*, arguens, & obſecrans perſtitit immobilis, donec tamdem per litteras Papae Danorum tyrannus flexus, libellum repudii dedit conſobrinae. Vellem edoceri, uter magis furere hic dicendus, Rex an Archiepiſcopus, qui legitimam Regi coniugem eripiendo, ad pellices, & concubinas repulit? Quantum autem illud de conſanguinitate exadgeratum apud exteros fuerit, & mendaciis Monachorum, in gratiam forte Archiepiſcopi, in maius auctum, diſcere licet ex Henr. Woltheri Canonici Bremenſis *Chronico*, apud Meibom. *Tom.* 2. *pag.* 39. „ In illo tempore Danorum Rex Sven - - - oblitus eſt Domini Dei creatoris ſui, & accepit *matrem ſuam, de Svecia Reginam in uxorem* &c.„ Ac poſtea: „ Et ſic Rex *matrem ſuam* dimiſit a ſe, *cum qua antea concubuit*, & poenitentiam vovit, quam ex timore, non amore fecit. „ Quae ipſa, & alter repetit, Schiphowerus dictus, in Chron. Oldenburg. Meibom. *pag.* 152. addens, „ *Svenonem*, correctum a Papa Clemente, & a Caeſare Henrico, qui & illuc litteras miſerunt, tamdem a *concubitu cum matre* deſtitiſſe. „ Sed uterque falſiſſima chartis illevit.

(a) *Ad Sleſvicum urbem accedens*] De hoc conventu Regis, & Archiepiſcopi agit Adamus loc. cit. *cap.* 20.

(b) *Gratiamque iſtam refert*) Facile perſpicitur, Meurſio ſufficientem huius rei notitiam defuiſſe, ex aliis petendam fontibus, quam quos ille adire fuit ſolitus. Bremenſis tantummodo haec ei ſuppeditavit *lib.* 3. *cap.* 20. „ Ita Pontifex cum gaudio domum reverſus, perſuaſit Caeſari, ut evocatus Rex Danorum in Saxoniam, alteri perpetua confoederaretur amicitia. „ Et *lib.* 4. *cap.* 25. „ Acceſſit hoc ad gloriam Praeſulis, quod in anno Conſulatus ſui famoſum illud colloquium Caeſaris cum Rege Danorum ad contumeliam habitum eſt in Hamburg (edit Mader. habet *Luneburg*,) ubi ſub obtentu foederis contra Saxones arma parata (all. *laudata*) ſunt. „ Itaque non fuit Svenonis Regis commodum, quod quaeſivit hoc colloquio Adalbertus, ſed ſuum proprium, atque, ut videri voluit, Caeſaris. Notum eſt, ac nemini, cui Germanicae res iſto ſeculo exploratae, obſcurum. quam perſonam Bremenſis ille Praeſul egerit, tum in aula Henrici IV. tum ratione vicinorum, atque in ditionibus ſua, Ducumque Saxonicorum, quae etiam ſibi incommoda adtraxerit. Atque ad aliam nullam rem ſpectabat invitatio, qua Svenonem Regem in Germaniam pellexit ad percutiendum illud foedus cum Henrico. Perſuaſit nimirum Caeſari, ut legatos in Daniam mitteret, ac Svenonem rogaret ſibi ad Bardevicum occurrere, teſte Brunone in *Hiſtoria Belli Saxonici pag.* 180. (Freher. Tom. 1. ult. edit.) Addit Bruno, „ Regem eo cum paucis perrexiſſe, quum nulla fama teſtetur, quod ante eum ullus Rex in illas partes pervenerit. Regem illum (Svenonem) ibi obvium habuit (Henricus IV.) cum eo ſecretum colloquium fecit, cui colloquio praeter Epiſcopum Adelbertum, & unum de Regis conſiliatoribus, nullus interfuit. Ipſum tamen colloquium diu non latuit, quia ille, qui cum Epiſcopo ſolus aderat, cum conſilium, quod ibi fecerunt prohibere non poſſet, illud quod poterat effecit, quod Principes Saxoniae, quorum intererat, ipſum conſilium non lateret. „ Pergit deinde, breviter indicare, quae acta, concluſaque inter Reges fuerint. ;„ Rex Danorum Regi Henrico iuravit, ut ei contra omnes hoſtes ſuos, & nominatim contra Saxones, quantum poſſet, terra, marique auxilium ferret, & Rex (Henricus) etiam illi promiſit, ut ei cunctas regiones ſuo regno contiguas in proprium daret. „ Conf. & ibid. *pag.* 187. Confirmat eadem Lambertus Schafnaburgenſis *pag.* 191. [edit. Piſtor. vet.] „ Henricus ſecreto cum Rege Danorum colloquium facit, & cum eo magna quadam parte Saxoniae, quae Vtoni Marchioni pertinebat, paciſcitur, ut in conficiendis rebus, quas animo agitabat, auxilio ſibi foret, & ſe Saxonibus ex uno latere bellum inferente, ipſe eos ex alio latere adoriretur. „ Putavit Meibomius in *Hiſtor. Bardevici Tom.* 3. *rerum Germ. pag.* 61. mortem Svenonis proximo anno inſequutam, totum hoc negotium irritum feciſſe. Sed non animadvertit Vir doctiſſimus errorem Schafnaburgenſis in anno, qui certe non potuit eſſe 1073. ad quem iſte auctor, quemvis ſatis, plerumque adcuratus, colloquium retulit, ſed omnino aliquis praecedentium. Adelbertus ſane, qui colloquio interfuit, mortuus eſt anno 1072. Sveno Rex vero non ante ann. 1076. Mihi videtur, aptius ad annum 1067. quo bellum in Saxonia exarſit, retuliſſe Nicolaum Staphorſt in *Hiſtor. Eccleſ. Hamburg. Tom. I. pag.* 436. Neque etiam recte adfirmavit Meibomius, foedus illud fuiſſe irritum, omnique plane effectu deſtitutum, modo vera nobis narraverit idem Lamb. Schafnab. *pag.* 198. haec memorans: „ Rex quoque Danorum, memor firmatae iampridem cum Rege pactionis, cum exercitu navali adplicuit ad Saxoniam, & tractis per longa terrarum ſpatia navibus in fluvium, qui adminiſtrando negotio opportunus videbatur, igne, & ferro regionem infeſtare parabat, Sed miles eius vehementer detrectabat militiam, obiiciens, quod ſibi quotiens externorum hoſtium incurſionibus quaterentur, Saxones pro muro fuerint &c. Quum haec privatim, & publice iactitarent, Rex veritus, ne in eo diſcrimine a milite deſertus, ludibrio fieret hoſtibus, naves retrahi iuſſit, & nulla regioni clade illata, Saxonia exceſſit. Ita tantus ille bellici adparatus fervor, impune deflagravit. „ Habemus hic effectum foederis, & ſubſceptae ex eo expeditionis ſucceſſum, haud utique foederatorum ſpei reſpondentem. Et Meibomio iſtum Lamberti locum plane inobſervatum fuiſſe, manifeſtum eſt.

(c) *Hamburgum invitaret*] Sic quidem Codex ille Adami, ad quem ſuam editionem expreſſit Andreas Velleius noſtras. Maderiana *Luneburgum* nominat. Sed neque hoc locum habere poſſe demonſtravit Sagittarius in *Hiſtoria Bardevici*, *pag.* 170. adſerens colloquio *Bardevicum* recte a Brunone adſignari. Obiter de eodem Rege noſtro animadvertimus, quod alium iam olim anno 1054. conventum cum Imp. Henrico III. celebraverit Martisburgi, de quo nihil autem plus nobis conſtat, quam quod Herm. Contractus his verbis indicavit: *Imperatore in Saxonia apud Merſeburg commorante, cum Rege Danorum Paſcha egit.*

(d) *Edbertum*] Sic & nomen viri Velleiana Adami editio repraeſentat *lib.* 4. *cap.* 44. Maderiana vero *Eilbertum*, ſicut & Crantzius legerat *Metropol. lib.* 5. *cap.* 18. & eum ſequutus Hvitfeld. in *Chron. Epiſcopor.* Hamsfortius vero in *Annalibus MSS.* nec non in *Serie Epiſcopor. Fion. MS. Edbertum.*

(e) *Impetraſſet, in Epiſcop. Lund.*] Neque impetravit, neque contulit. Verum diu deſideraverat, & quidem uſque a Leonis Papae tempore. De quo teſtem habemus Adam. *lib.* 3. *cap.* 34. Vid. & Baron. ad ann. 1053. *num.* 45. & 46. Quod vero neque etiam ab Alexandro II. ad annum uſque 1073. ſedente acceperit, vel eo demonſtratur, quod Gregorii Pa-

Vandali deficientes, ad idola, duce Plusco (a), relabuntur; principemque Godescalcum, & Episcopum Ioannem, aliosque e Christianis, multos admodum interficiunt; adsperati, ut aiebant, a iudicibus Christianis, qui in ipsos nimis graviter animadverterent; nec contenti ista caede, irrumpunt in Stormariae fines, & Holsatiae, ferro, & flamma, late omnia devastantes; aedibus religiosis passim eversis, in ludibrium Christianorum, cruces, quas inveniunt, frangunt; urbem denique Slesvicum, eo tempore florentissimam, invadentes improviso, populantur; tum uxorem Godescalci, Syritham, Svenonis filiam, postquam diu contumeliose admodum habuere, demum spoliatam vestibus, nudam in Daniam remittunt. Et haec quidem tanta cum celeritate ab his gesta, ut eversum prius iam Slesvicum esset, quam Svenoni haec irruptio Vandalorum innotesceret; quibus ocyus regressis, etsi armis fugientes persequendos statuisset, nullum tamen, dignum tantis latrociniis, bellum movet, sed Roschildiae fere agens, se sacrorum cultu oblectat; ubi quum in feriis Christi natalitiis regni proceres regina more veteri ad convivium advocasset, & ex illis quosdam ipse sat contemtim verba de se habuisse accepisset, sic exarsit, ut in proximo Circumcisionis festo percussores his immitteret, qui in ipsa Trinitatis templo omnes inter sacra obtruncarent, quam rem adeo indignanter tulit Gulielmus praesul, ut intrare post id tempus cupientem, in vestibulo ipso templi, intentato in pectus pedo pastorali prohiberet, ac carnificem adpellaret; tum & sacris dum ostenderet caedis iussae poenitentiam, interdiceret. Ea res Svenonis animum sic percussit, ut irruere cupientes milites in Gulielmum coerceret; &, in aulam mox regressus, sumta statim veste pulla, illico reverteretur; ac prostratus ante valvas, veniam delicti peteret; quam quum etiam impetrasset, mox in templum introductus, caedis a se imperatae poenitentiam publice testatam facit; tum triduo post, in veste regia templum repetit; &, conscenso altiore eius loco, dum peragerentur sacra, populo silentium mandans, iterum fatetur crimen, & antistitis indulgentiam in se praedicat, ac pronuntiat, ad imperium tam cruentum expiandum, se provinciae Stephanicae (b) mediam partem aris dare. Post haec, quum rebellionem (c) Sembi, & Esthones, incoeptarent, Canutum in eos filium mittit, gloria rei militaris tunc florentem; ipse in Cimbria, valida correptus febri, diem obit; senio gravis, quum in regno annos octo, & viginti exegisset. Mortem imminere sentiens, regni proceres, quotquot aderant, ad se vocat, adigitque, ut promitterent, quemque sibi filiorum, iuxta ordinem nascendi (d), successorem habituros; & in illud iuramento se obstringerent; tum sepulcro se maiorum, in Roschildiensi templo, amplissimis donariis a se ornato, illaturos; quae consensu postquam omnes promisissent, exspiravit. Erat princeps, inter ceteras virtutes, summa animi moderatione praeditus, & fortunam utramque expertus, nec deiiciebat eum in adversa, nec in prospera efferebat; tum amore eruditos maximo prosequebatur; adeo ipse eruditus (e), ut Latina oratione, quidquid vellet, eleganter explicaret; verum tamen, in sacrorum administris eligendis, pluris vitae sanctimoniam, quam doctrinam faciebat; quosque virtus commendabat, in his facile tolerabat imperitiam, ut adparuit in Svenone, e Norvagia oriundo, quem cum sacris, etsi indoctum admovisset, aemulique vitiata codicis sui lectione, ut ludibrio exponerent, effecissent, ut vir simplex, & Latinae linguae rudis, *mulum* regem, postquam *famulum* (f) debuisset, inter preces adpellaret; nihil motus, nec ab eo, quod sperarant, alienior pere-

rii PP. VII. Epistolam habemus, ad Regem 1074. VIII. Kalend. Februar. scriptam, qua inter alia significat, se Legatos missurum de Sede Metropolitana in regno ipsius erigenda, quemadmodum ab Alexandro petierat, exspectans vicissim a Svenone legatos, si se ac regnum suum Apostolorum Principi committere vellet. Ac porro alteram XV. Kalend. Maii, ubi Pontifex itidem paratum se dicit ad gratificandum Regi, petens ut Rex per Legatos sibi significet, an nunc eadem velit, quae a praedecessore suo Alexandro postulaverat. Vid. Gregorii PP. VII. *Epist. lib.* 2. *Epp.* 51. & 75. Et quod hunc Papam aequiorem desiderio Regis reddidit, haud aliud fuit, quam Liemari Archiep. Bremensis odium. Is enim, invito maxime Pontifice Romano, Adalberto successerat, & Schismaticus declaratus fuit, h. e. Henrici IV. Imp. partibus adhaerebat. Illi igitur ut aegre faceret, & favorem sibi Regis Daniae contra Henricum conciliaret Pontifex, litteras istas scripsit

(a) *Duce Plusco*] Forte rectius Plussone. Nam sic Adam. Bremensis (ex quo Helmoldus, & plures id exscribunt, *lib* 4. *cap.* 13 *Huius auctor cladis Plusso fuisse dicitur, qui sororem Godescalci habuit*. Tota ibidem historia legi potest, & uberius exposita in Helmoldi *Chron. Slav. lib.* 1. *cap.* 22. *seq.* Sed haec tristia evenerunt circa ann. 1066. quemadmodum & diserte *Chronic. Anonymi Slavica cap.* 14. *pag.* 209. edit. Lindenbrog. Vnde, ut ex innumeris aliis adparet locis, quanta in prima hac parte Historiae Meursianae, vix alios, quam Saxonem, & Io. Svaningium Sen. duces sequente, confusio regnet temporum.

(b) *Stephanicae provinciae*] Ita nostro adpellare placuit tractum in Saelandia, cui etiamnum nomen est *Stefvens-Herred*. Saxo *Steffnicam* vocavit, rectius. Nihil enim habet, vel umquam habuit cum nomine *Stephani* commune.

(c) *Posthaec cum rebellionem*) Vnde vero noverat Meursius, aut unde nobis constabit, Canuti has expeditiones posteriores tempore iis, quarum narrationem finiverat, fuisse? Neque enim eo nos ducunt Saxonis verba, nec sequitur, quia huic in mentem venerat, aliquid hoc loco de Canuto inserere, temporis quoque ordinem observasse.

(d) *Quemque sibi filiorum, iuxta ordinem nascendi*] Wilg. Malmesbur. *pag.* 106. „ Svanus ad mortem veniens, omnes iu„ramento provinciales constrinxit, ut quia quatuordecim filios „ habebat, omnibus per ordinem regnum delegarent, quantum „ ipsa soboles durare posset. „ Verum de ista re ulterius, nec non e peculiari legis exceptione, plura inferius dicentur, ad *Haraldum*.

(e) *Vir ipse eruditus*] Vigorniensis, & qui eum exscribunt ad annum 1074. *Rex Danorum, bene litteris excultus, obiit*. Adamus Brem. *lib.* 4. *cap.* 15. *Erat scientia litterarum eruditus, & liberalissimus in extraneos*. Aelnothus *cap.* 1. §. 13. *Liberalium non expers erat studiorum, & divinarum non inscius lectionum*.

(f) *Mulum Regem, postquam famulum*] Idem scilicet ipsum, quod Meinwerco, Paderbornensi Episcopo, evenisse in ipsius vita legitur, *cap.* 82. *pag.* 555. edit. Leibn. En locum: „ Sciens Imperator, (is Henricus Sanctus erat,) Episcopum „ secularibus negotiis multipliciter occupatum, tam in latinitatis „ loquutione, quam in lectione, barbarismi vitia non semel „ incurrere, de missali in quadam collecta pro defunctis, *fa* „ de *famulis*, & *famulabus*, cum Capellano suo delevit, & „ Episcopum pro requie animarum patris, & matris Missam „ celebrare rogavit. Episcopus igitur ex improviso Missam ce„ lebrare accelerans, ut scriptum reperit, *mulis*, & *mulabus* di„ xit. „ Num ergo *Meinvverci vita*, (quae quidem eodem scripta seculo, quo Saxo floruit, existimatur.) etiam ad Saxonis manus pervenerit? an fortassis ex auditione habuerit, ut solent faceta huiusmodi multorum statim sermonibus celebrari, ac latissime permanare? Nisi opineris, vere eumdem ludum lusisse in Dania Episcopi Svenonis aemulos, atque ille fuit, cuius historicus Meinvverci meminit.

peregre Bononiam [a] illum porro erudiendum mittit; ubi quum uberiorem literarum sibi copiam comparasset, domum postea reversum, Gulielmo Roschildensium Episcopo, si is vita aliquando fungeretur, successorem esse iubet: Comis erat, & munificus, ac potissimum in extraneos, pius adeo, ut in Sveciam, & Norvagiam, Orcadasque [b], ac circumiacentes insulas ablegaret, qui ignaris Christi populis verbum eius praedicarent. Sed virtutes tam egregias caede procerum, ac libidine varia contaminavit; ita ut, multiplici insignis prole, nullam tamen e legitimo matrimonio [c] procreaverit. Fuere autem illi liberi numero quindecim, filii tredecim [d], filiae duae: Gormo, Haraldus, Sveno, Omundus, quem Edmundum aliis adpellari puto, Vbbo, Biorno, Benedictus, Canutus, Olaus, Ericus, Nicolaus, Magnus, Hardingus, Syritha, Ingertha. Ex his quinque, Haraldus, Canutus, Olaus, Ericus, Nicolaus, regnum ordine post parentis sui mortem, sicut ille postulaverat a proceribus, tenuere Benedictus, cum Canuto est Othoniae interfectus; Magnus in itinere periit, Romam a parente missus [e]; Hardingus in Anglia sedem fixit, & Barclaiam illic gentem [f] nobilissimam propagavit. Sveno dum praeripere regnum fratri Nicolao cupit, & Viburgum ob hoc ipsum proficiscitur, in itinere, febri interceptus, moritur. Apud Historicos belli Hierosolymit. [g] Sveno quidam, princeps Danus, filius Svenonis regis, per Thraciam in terram sanctam mille, ac quingentos equites adduxisse, & a Turcis fortiter pugnans, caesus esse memoratur Qui quandoquidem iste sit, de quo nunc loquimur, quare Historicis extraneis, quam nostratibus, idque in nostris maxime rebus, fidei plus adhibere debeamus, causam equidem non video, fueritque alius potius ex Svenonis nostri filiis, quorum obitus ignoratur; nam hic certe quin ex febri diem obierit, nullo modo dubitandum. Fuit etiam Svenoni Gratehedio filius incerti nominis, & de cuius quoque morte nihil constat; sed, ut hunc dicamus esse, temporum ratio non permittit. Ingertha, Olao, Norvegiae regi, elocata; Syritha, Vandalorum duci, Godescalco; cum eodem Megalopoli, ut nonnulli sunt auctores, a rebellibus est occisa, sive, sicut alii volunt, nuda in patriam remissa, illic obiit. Ceterorum uti vita est obscura, ita quoque mors incerta. Clarum certe pietatis praemium Sveno a benigno Deo tulit, quum, exemplo singulari, quinque filii, & hi quidem illegitimi, serie continuata, solium eius possedere; nec quid tale tota in Antiquitate, quantum memini, facile reperietur; quamquam sane in hoc ipso gloriosus potius, quam felix fuit; ut admixtam observare vitiorum poenam liceat; siquidem Haraldi regnum, luxu nimio pudendum, ut Canuti factiosum, & sua caede deplorandum; Olai, annonae caritate, &, quae insequuta est, continua fame, miserabile; Erici, primo vagis eius libidinibus, inde etiam adulterio, ac repudio uxoris, perquam turpe; Nicolai, in principio bello cum Henrico Vandalo, tum deinde intestino, Canuti Slesvicensis caede, coniugis abductione, solii ereptione, filii strage, ac sua tamdem nece, triste, & infame.

HI-

(a) *Peregre Bononiam*) Hoc neutiquam ex Saxone noster, sed Svaningio Seniore sumsit, qui & ipsum Regem Svenonem Bononiensi in Academia illum, quo tantopere celebratur, cultum eruditionis accepisse, nescio qua auctoritate, scripsit. Mihi verisimilius videtur, Principi istis natalibus, optimos magistros, & praeceptores ex Anglia neutiquam defuisse.

(b) *Orcadasque*) Eo misisse Regem verbi divini praecones, dubitari potest. Et credo Svenoni hic tribui parum recte, quae Adamus de Adelberto Archiepiscopo praedicat *lib.* 4. *cap.* 44. ac de *Situ Daniae cap.* 35.

(c) *Nullam e legitimo Matrimonio*) Aliter, & haud dubie rectius Historia Knytlingor. *cap.* 23. „ Vxorem Rex Sveno Vlfonis „ filius habuit *Gunhildam* filiam Comitis, Svenonis Haquini fi- „ lii. Eis filius erat, itidem *Sveno* adpellatus. Praeterea Sve- „ noni magnus numerus erat liberorum ex concubinis geni- „ torum „

(d) *Filii tredecim, filiae duae*] Rursus aliter Islandi, ac inter eos non levis sane auctoritatis *Historiae Knytlingorum* auctor. Is ita: „ Masculi sexus *quatuordecim*, aetatem puerilem egres- „ si. Maximus natu Cnutus nomine fuit, qui vivente adhuc „ patre in itinere Romam subscepto diem obiit. Secundus Ha- „ raldus; tertius Cnutus Sanctus; quartus Olavus; quintus Sve- „ no; sextus Ericus Bonus; septimus Thorgislus; octavus Si- „ gvardus; nonus Benedictus; decimus Biorno; undecimus Gu- „ thormus; duodecimus Eymundus; decimus tertius Nicolaus; „ decimus quartus Vlfo, cognomento Vbbo dictus. Filiae „ Svenonis Regis fuerunt, Ingirida, quam postea in matrimo- „ nium accepit Olavus Mansuetus, Haraldi filius, Rex Norve- „ giae, & Ragnhildis, quae nupsit Svenoni filio Askeli Erlin- „ gidae, eique peperit Cnutum de Sola. „

(e) *Romam a parente missus*] Iste ex concubinis Regiis matrem habuerat, *Thoram* nomine, a qua nonnulli prodiderunt legitimam Svenonis coniugem *Gunhildem* (alii *Gutham* vocant,) veneno peremtam. Sic enim Scholion ad Adamum *lib.* 3. *cap.* 16. cuius auctor ibidem addit Magnum hunc Svenonis, & Thorae filium, Romam missum fuisse, adhuc puerum, atque in via obiisse.

(f) *Barclaiam gentem*) Hoc amplius deductum habes a Pontano *Histor. Dan. pag* 193. Meminit & Camdenus in *Britannia*.

(g) *Historicos belli Hierosolymitani*] Apud Alb Aquensem *lib.* 3. *cap.* 54. nec non Wilh. Tyrium *lib.* 4. *cap.* 20. Sed cum a posteriore hoc *iuvenis* adpellatur, resque in annum Christi 1097. incidit, h. e. vigesimum primum a Regis Svenonis obitu, existimo, si non filium, patri iam seni subsceptum, saltem aliquem nepotum eius fuisse, quos ex tanto filiorum numero quin plures habuerit, quam quorum ad nos pervenit fama, nullo modo dubitandum. Coniectabat, cum *Historiam Hiorosolymitanam* ederet, Reinerus Reineccius, in *notis*, seu *Appendice* ad eam, fuisse hunc *Svenonem* filium *Erici Boni*, a Saxone, & Crantzio praetermissum. Postea idem Vir doctissimus mutavit sententiam in *Appendice* ad *Albertum Stadensem pag.* 3. *b.* motus auctoritate Nicolai Casae, Regis Dan. Cancellarii, cui persuasum fuerat, *Svenonem*, qui in bello sacro anno 1097. periit, filium fuisse *Svenonis* ipsius, *Estrithii*, fratrem vero Erici Boni, turpiterque adlucinatos Saxonem, & Crantzium, qui Svenonem hunc in Dania defunctum memoriae prodiderint. Me tamen nequaquam ista commovent, quin unum nepotum potius, quam filiorum Svenonis Estrithii, intelligendum censeam, & Reineccium in priore opere, scil. *notis ad Hist. Hierosol.* non male coniectasse.

HISTORIAE DANICAE

LIBER IIII.

HARALDVS VIII.

IN defuncti patris locum natu maximus Haraldus a proceribus substituitur. Gravis quidem initio dissensus erat, & non pauci in Canutum propendebant, virum acrem, ac laude militari illustrem, ideoque digniorem tanto patre successorem; quum Haraldus otio deditus, in ignavia hactenus aetatem egisset. Sed, Isoram [a] postquam omnes convenissent, & Haraldus voluntatem patris [b] ultimam proponeret, in quam sese obstrinxisset; tum Canuti quoque fratris merita verbis elevaret, ac muneribus adversantes clam in partes suas traheret; & benignum simul regem, atque mitiores leges omnibus polliceretur, tamdem in eum consensere [c]. Quo Haraldus intellecto, nuntium Canuto mittit, qui sententiam Senatus in eodem illo portu exspectabat; simul mandat: *ne deinceps, minor natu, regnum ambiat, neu ambitione sua publicam quietem turbet; nisi faciat, bello se persequuturum ipsum fore*. Ac Canutus postquam procerum alienum a se animum accepisset, illico in Scaniam tendit, in se pronam, & ex ea mox in Sveciam. Id Haraldo postquam nuntiatum esset, revocat benigne eum, & communionem regni pollicetur. Sed Canutus, semel graviter comminato minime fidendum ratus, institutum iter peragit; non ulturus fratris minas, procerumve, ob delatum illi regnum, contumeliam; sed in Sembos, Esthonesque, inchoatum vivo adhuc patre bellum perfecturus. Acto ad Isoram octiduo, quum de legibus ferendis, quae promiserat, proceres commonefacerent, unam inter ceteras Haraldus statuit; qua, candentis ferri usu [d] abrogato, si deficerent testimonia, iuramento se tueri unicuique permittebat; ac cum magno plausu [e] haec ab omnibus accepta fuit. Otio inerti deses, & earum, quas tulisset, legum negligens, populo quidvis permittebat; ita ut licentia, & luxu item maximo, corruptum regnum mox Canuto fratri traderet; quum id annos tantum duos, vel sex [f], ut nonnulli produnt, tenuisset: Ac videtur etiam Deus solio eum, ceu indignum, adeo cito demovere voluisse, ut Canutus, varia virtute clarus, illo, velut sibi debito, potiretur. Certe Deus, ut interdum bonos reges, ob peccata subditorum, regnis eripit, ita regna, ob peccata sua, malis.

CA-

[a] *Isoram*] Sveno Aggonis *pag.* 86. „ Nec est praetereundum, „ quod haec prisca veterum invaluerit consuetudo, ut ad Re„ gum inaugurationes, in *Isore*, Danorum universa turba con„ flueret, ut in eo loco, adsentientibus omnium civium suf„ fragiis, regium nomen, rerumque summam obtinerent. „ Et Saxo de huius Haraldi electione *lib.* XI. *pag.* 213. *Igitur Isoram habendi delectus gratia conventur*. Vbi & loci situs, & natura describitur. Plura suppeditat Stephanius in *notis* ad *Sven. Agg. pag.* 91. docens insuper, *Isoram* esse Sialandiae portum, quem angustissimum efficit maris sinus ad ipsum usque oppidum Roschildense procurrens, hodie *Isefiord* dictus. Ceterum Historia Knytlingorum electionem Haraldi factam in Comitiis Viburgi Iutiae urbe habitis, maiori veri specie adserit. Igitur crediderim Conventum Isorensem praeparationis loco, maiora Comitia praecessisse.

(b) *Haraldus voluntatem patris*) Inter argumenta, quibus orationem ad proceres, populumque suam Haraldus instruxit, qualem eam Saxo retulit *pag.* 213. nulla mentio voluntatis paternae, uti neque in concionibus, quas Historiae Knytlingorum auctor *cap.* 26 inserit, tamquam ab utriusque partis oratoribus habitas in Comitiis Viburgensibus. Hoc potius iidem Oratores, quemadmodum & ipse Historicus *cap.* 25. de morte Svenonis memorans, clarissime indicatum eunt, Regem patrem, cum se morti adpropinquare sentiret, proceribus auctorem fuisse, ut in novi electione Regis alterum filiorum Canutum Haraldo maiori natu praeferrent: *Haraldum quidem aetatis privilegio ceteris praeferendum, virtute Canutum, qui gestorum gloria, imperandique peritia dudum se commendasset*. Sic & apud Torfaeum *Hist. Norv. Tomo* 3. *lib.*6. *cap.* 4. ubi tamen mox refertur, consilio huic, seu decreto Svenonem aliud subiecisse; hoc sensu „ *ut sibi mortuo singuli filiorum suorum substituerentur, observata aetatis praerogativa, legereturque natu maximus*. Quod utrumque si ex vero Islandi narrent, (& posterius sane per Anglos, ex quibus supra Wilhelmi Malmesbur. locum produximus „ confirmatur,) magna Haraldo dabatur ratio iniquo ferendi animo, sese unum ignominia notatum, reliquis salva sua aetatis praerogativa permanente.

(c) *Tamdem in eum consensere*) Haud tamen facile res eventum hunc fuisset consequuta, nisi accessisset astus. Erat Haraldo socer Comes Oelandiae (*Eydana Iarl*, quod Torfaeus *Insularum Comitem* vertit.) Is Asbiornus vocabatur, magnisque in regno Daniae opibus florens, clientum trahebat turbam, multum etiam apud universum populum auctoritate sua pollebat. Attamen praevaluit Canuti factio, nihilque Asbiornus omni suo studio ad promovendum Haraldum profecisset, nisi Eymundus Bifra (procerum hic unus erat) ei calliditate sua succurrisset, qui Canutum, & quosdam potentiorum ipsi addictos, ad amicum colloquium pertractos, tantisper distinebat, donec Asbiornus cum suis pro Haraldo cuncta populi suffragia pro Haraldo intercepisset. Haec omnia fuse enarrata leguntur in *Historia Knytlingor. cap.* 26.

(d) *Candentis ferri usu*] Non loquitur de hoc Saxo, sed de *singularum certaminum usu* abrogato. Vbi vid. quae Stephanius adnotavit *pag.* 220. *a*.

(e) *Cum magno plausu*] Aelnothus in *Vita S. Canuti cap.* 4. „ Haraldus patrium nactus imperium, populi votis admodum „ favere, eisque leges, & iura - - - regali studebat auctoritate „ decernere. Vnde leges ab eo sancitas Dani usque in hodier„ num ab electis, & eligendis sibi Regibus expetunt, eumque „ veluti pacis, ac libertatis publicae provisorem, pro concessis „ ab eo legibus, laude, & favoribus extollunt. „ Quantum vero haec distant ab acerba illa reprehensione, qua Saxo innocentem Regem, forte, ut eo altius S. Canutum extolleret, insectatus est. Neque Saxoni in eo proscindendo cedere Meursius noster voluit, quemadmodum ex sequentibus adparet. Multo utique sincerius, & incorruptius videtur nobis auctor Knytlingorum Historiae mores, & ingenium Haraldi depinxisse, cuius ideo verba adponemus ex *cap.* 27. „ Erat „ Rex Haraldus, quieti Vir animi, & modesti, ad haec taci„ turnus, verborumque in comitiis parcus, adeo ut ad ea, „ quae exponenda vellet, saepius alieno ore indigeret, ad res „ gerendas parum promtus, bello segnis, mansuetus pace, atque „ erga cives mollior; unde haud multum eum extimescebant, „ ac in provinciis ferme unusquisque pro lubitu vixit. Dani „ eum *Haraldum Cotem* adpellarunt. „

(f) *Duos, vel sex*) Saxo ei *duos* tantum annos tribuit. Aelnothus *sexto* anno scribit mortuum. Knytlingorum Historia post *quatuor* annorum regnum vitam finivisse. Chron. Sialandiae, ab Arna Magnaeo olim editum, eius pariter refert ad annum 1080. quomodo & in Historia Knytling. primus regni S. Canuti annus ad marginem adscribitur.

CANVTVS IV. cognomento Sanctus.

Itaque, exstincto Haraldo, proceres e Svecia Canutum revocant, atque regem sibi capiunt, qui quum regnum nactus esset, rebus illic constitutis, bellum, quod in Sembos pridem rebellantes inchoaverat, mox instaurat; neque prius arma ponit, quam devictos ad obsequium reduxisset. Hinc, reducta in regnum classe, Ethelam uxorem ducit, Roberti, Flandriae comitis filiam. Postquam vero, antiquatis sub Haraldo regni legibus, ac maiorum honestissimis institutis abrogatis, non dumtaxat optimates, sed & ceteri quidvis sibi licitum existimarent, obviam licentiae ire [a], & antiquas revocare leges statuit. Gnarus vero, obsequium in principem, studiumque aemulandi, magis fere valida esse, quam propositam legibus poenam, ut exemplo omnes suo ad honestam deinceps vitam excitaret, ipse in iustitiam pronus, eam quoque domi, & foris diligenter exercebat; nulli delinquenti parcens [b], sive generis respectu, sive item amicitiae. Ea res licentiae adsuetos sub Haraldo animos plurimorum adsperavit, qui se denuo adstringi legibus inique ferrent; qua re tamen nihil motus, etiam perseverabat, neque quidquam de iustitia exercenda remittebat; aequum ratus, ut parerent universi iis omnibus, quae ex aequo, atque bono, semel ipse statuisset. Ac, republ. ordinata, etiam religionis ad se curam pertinere arbitratus, magnam item eius gessit; nam Ecclesiae ministris, & seorsim forum dedit, a civili separatum, & stipendia sua auxit; tum Episcopos, qui ad illud usque tempus in divinis tantum rebus, ceterae immunes curae, operam suam occupassent, ut eveheret ad maiorem dignitatem, publico edicto statuit, ut deinceps ducum instar, principumque haberentur; ac supremum quoque locum inter regni Senatores obtinerent; atque ita, antea limitibus inclusi suis, & seiuncti a civili potestate, nunc ius gladii accepere; quin, translata in alios sacrorum cura, bella etiam gesserunt, malo certe instituto, & omnino improbando; nam consilia, reipub. recte, & pie gubernandae, maxime in iis rebus, quae coniunctae cum Ecclesia, ab Ecclesiae antistitibus aliquando postulare, uti non iniquum fuerit, ita bellum illis ipsis, sanguinemque [c] effundendum, tum diripiendas urbes, populosque bonis suis exsuendos, stupra etiam, & raptus, quaeque alia comitari fere solent, demandare, plane impium, graviusque peccant ipsi, quum mandatum in se recipiunt, ac receptum exsequuntur; nec exemplum istiusmodi in Ecclesia antiqua ullum exstat. Magnum etiam honorem viris literatis habuit, suaque illis privilegia est largitus, voluitque item ipsos pariter, ut Ecclesiasticos, cum civili magistratui antea subiecti forent, sub Ecclesiae iurisdictione esse; denique nimius, & imprudens, pietatis, quam id aevum, adhuc crudum in religionis studio, necdum ferre satis poterat, cum plus sacro ordini tributum vellet, decimasque illi dari [d], ita populi in se animos concitavit, ut res ea necis ipsi causa fuerit. Inter ista, Gulielmo, Roschildensium Episcopo, vita functo, postquam Sveno, de quo supra a me dictum successisset, summum eius urbis templum, hactenus e ligno structum, ut magnificentius esset, totum e lateribus struxit. Lundiense quoque templum, ad id tempus imperfectum, ut exstrueretur porro, larga impensa multum iuvit. Fratres, nimia insolentia regno graves [e], ut compesceret, suam in clientelam [f] adscivit; unico Olao excepto, quem ducatui Slesvicensi praeponebat. Inde, ne ignavia torpesceret suorum virtus, animum recuperandae Angliae adiiciebat. Ea, saepius a maioribus subiugata, semper se in libertatem vindicaverat; & inpraesens Guliel-

(a) *Obviam licentiae ire*) Huc spectat, quod Histor. Knytling. *cap.* 28. narrat: „ Cnutus confestim potens, & severus in „ regnando exstitit. Quod & ipsum aliquando in comitiis ver„ba faciens declaravit, sic loquutus: Vos Dani, Regi Ha„raldo meo fratri benevolentiam illam, quam vobis nimium „ profecto indulgens is exhibuit, ita quidem compensavistis, ut „ Dominum, Regemque vestrum non veriti sitis Haraldum „ *Hein* (h. e. *Cotem*) nominare. Meum iam erit, opprobrium, „ quo iniuste illius benignitatem excepistis, reponere, ac futu„rus sum vobis *lapis Cote* aliquanto *durior*.

(b) *Nulli delinquenti parcens*) Ampliter illustratur in *Hist. Knytlingor.* per integra *cap.* 28. & 29. quibus conclusionis loco hoc additur: „ In puniendo nullo ipsi in discrimine divites „ erant, ac pauperes, in omnes enim eadem adsperitate ute„batur. Quod magnum ipsi odium conciliavit apud eos, in „ quorum cognatos capitali Regis iudicis exempla, nisi iustis „ de causis, edebantur. „ Torfaeus *Hist. Norv. Tom* 3. *lib.* 6. *cap.* 10. „ Liberavit maria, ac sublatis piraticis, commerciis „ secura reddidit; capitali supplicio in omnes, sive indigenas, sive „ extraneos animadvertens, qui furti, caedis, piraticae, aut ho„stilis invasionis, vel direptionis convinceretur. In eos, qui „ manu, vel pede, vel quovis membro hominem mutilassent, „ poenam talionis sancivit, evicitque ut nemo intra regnum „ eius auderet furari. - - - - Quod sine personarum discrimine „ factum, proprio tamdem exitio stetit.

(c) *Bellum ipsis, sanguinemque effund.*) Memorabilis ea de re, istisque sacerdotum occidentalium, & nostri Septentrionis moribus, locus est Annae Comnenae *Alexiados lib.* 10 *p.* 292. Οὐ γὰρ κατὰ τὰ αὐτὰ ἡμῖν τε καὶ τοῖς Λατίνοις περὶ τῶν ἱερωμένων δέδοκται. Ἀλλ' ἡμεῖς μὲν ἐντεταγμέθα παρά τε τῶν κανόνων καὶ νόμων καὶ τοῦ εὐαγγελικοῦ δόγματος. Μὴ δίξῃς, μὴ γρύξῃς, μὴ ἅψῃ, ἱερωμένος γὰρ εἶ. Ὁ δὲ τοι βάρβαρος Λατῖνος ἅμα τε τὰ θεῖα μεταχειριεῖται, καὶ τὴν ἀσπίδα ἐπὶ τοῦ λαιοῦ θέμενος, καὶ τὸ δόρυ τῇ δεξιᾷ ἐναγκαλισάμενος, ὁμοῦ τε μεταδίδωσι τοῦ θείου σώματός τε καὶ αἵματος, καὶ φόνιον ὁρᾷ, καὶ αἱμάτων ἀνὴρ κατὰ τὸν Δαυιτικὸν ψαλμὸν γίνεται. &c.

(d) *Decimasque illi dare*) Inter causas rebellionis ipsam hanc, ut praecipuam, communiter Scriptores nostri ponunt. *Populares adhuc sacrorum rudes decimis dandis adsuefacere, irrito conatu tentavit*, verba Saxonis sunt. Add. Pseudo-Ericus in *Hist. gentis Danor.* Plura hinc inde Aelnothus, aliique.

(e) *Nimia insolentia regno graves*) Confirmat Historia Knytlingor. *cap* 27. regnante iam Haraldo, vel statim a patris Svenonis obitu tumultuatos: „ Ceteri (ait iste Auctor,) filii „ Svenonis, regionibus, quibus praeessent destituti, aegre suis „ rebus adquiescebant, ideoque turbas identidem intestinas ince„ptabant, testante veteri carmine, sic latinis verbis exprimen„do: *Properemus ad Regem, Crescit bellum in Dania. Sve„nonis filii, post obitum patris discordia agitantur. Armis & „ robore Haraldus regionem contra undecim fratres defendet, sua„rum tum demum virium fecisse periculum dicendus.* „

(f) *Suam in clientelam*) Knytling. Hist. *cap.* 30. „ Rex Canu„tus fratrem suum *Ericum* Sialandiae Comitem constituit, atque „ ita regioni, quam ipse nondum Rex factus obtinuerat, prae„fecit. Inter hos vero summa non animorum minus, quam „ sanguinis coniunctio, per totam vitam inviolata fuit. Alter „ fratrum *Benedictus* in aula Regis adsiduus vivebat; hic forma, „ maiestate corporis, & robore quoscumque excelluit. *Olafus* „ itidem Cnuto fratri erat annis propemodum aequalis, sed cor„pore vir exiguo, & deformi, facie invenusta, facundia ta„men, & militari virtute multis praestabat . . . . *Thorgilsus*, „ itidem Svenonis filius, & fratrum unus, in Russia Rex fa„ctus, nullam de reditu in Daniam cogitationem suscepit.

lielmus, dux Normanniae, caeso Haraldo, uti dictum, occupaverat; ac consilium primo quidem aperit Olao fratri [a]; &, quum ille id probaret, mox Senatui, qui & ipse huc omnino propendere. Accedebat quoque socer, comes Flandriae, exsulesque item Angli, qui Normannicae dominationis taedio se in Daniam receperant; qua re animum quum firmasset, classem imperat, & in Lymicum convenire sinum iubet, unde in Angliam facilis tunc traiectus erat; nec, ut hodie, arenarum obiecta mole, impeditus. Ac, dum praeparatur classis, rex ad alia necessaria [b] animum vertit; sed Olaus regno inhians, ut consilium fratris sui palam quidem praedicabat, ita sugillabat clanculum, & in factionem suam quosdam item e proceribus, quos sciebat a Canuto alienos, pertrahebat, praemia pollicitus quaevis, si absente eo in Anglia, sibi regnum largirentur: Ac, vocatus in societatem belli, ad quam ultro se obtulerat, nullam non praetendens causam, moras nectit, atque bellum remoratur. Quae dum facit, rex Canutus, nihil mali subspicatus, diu eum, sed nequidquam in sinu Lymico [c], quo convenerat iussa classis, praestolatur. Tamdem cum fraus adpareret, dat mandatum exercitui, ut subsisteret, reditumque illic suum exspectaret; tum Slesvicum excurrit ocyus, una cum Erico fratre experturus, quid Olaus rei gereret; quem quum plane otiosum, & securum promissorum inveniret, indignatus, mox perfidiae adcusatum, nec tueri culpam suam ulla ratione validum, illico vinciri iubet; quumque miles, regii generis reverentia, id mandatum detrectaret, inicit Ericus manum, communis frater, & captivum regi sistit; isque vinctum in Flandriam mittit ad Robertum illic socerum, sub custodia habendum. Quam rem postquam conscii consiliorum accepissent, male sibi metuentes, factiosa oratione concitatos classiarios a proposita expeditione absterrent, & discedere domum suadent; utque impellerent, addunt, longa exspectatione regis iam deficere commeatum, nec itineri instituto suffecturum; itaque, mendacio dum fidem habent, inscio rege, & absente, suam quisque domum abeunt, sed ut eo revocante, redituri. Id Canutus ubi factum rescivisset, hoc propositum, adeo regno gloriosum, fratris unius perfidia interceptum, admodum inique ferre; verum, eo iam amoto, nec sinistri de proceribus quidquam animum inducens, iterum conventum indicit, & adesse in Cimbria iubet. Hic, frequenti concione, graviter disserit: *de progenitorum gloria, qui non tantum hostem semper imminentem quam fortissime depulissent, sed victricia quoque arma in Orientem, & Occidentem inferentes, superatis illic populis, fines longe protulissent, & victoriarum inter monumenta Angliam vicinam esse, quae quantumvis pridem erepta, tamen subdita fuisset regno Daniae, annis*

ani-

(a) *Consilium aperit Olao fratri*) Saxo; a quo hoc sumtum, de communicatis a Canuto consiliis cum Olavo Rege Norvegiae aliquid acceperat, quod, seductus nomine, perperam ad Canuti fratrem adplicuit. Neque enim dubitandum, quin vera prodiderint Historici, Saxone longe fideliores, sincerioresque, Snorro Sturlaeus, Historiae Knytlingorum auctor, ceterique, ex quibus luculenta excerpta legantur in Torfaei *Hist. Norv. P. III. lib. 6. a pag.* 393. *ad* 404. historiam S. Canuti multo melius illustrantia, quam ab ullo ceterorum, sive Elnotho, sive Saxone Grammatico, sive quibuscumque aliis factum. Nempe, ut Sturlaeus testatur, S. Canuto cum Olavo Norvegiae Rege, Haraldi *Haardrade*, seu *Strenui* filio, cognominato *Kyrre*, h. e. *Mansueto*, sincera, & qualis inter bonos esse solet, constans amicitia intercedebat. Itaque quum aliquando Konghellae, urbe utriusque regni finitima convenissent, inter alia magni momenti negotia Rex Daniae mentionem iniicit de expeditione in Angliam adornanda, paribus utriusque regni impensis. Promittit Olavus sexaginta ad eam naves magnas, delecta ex aula, provinciisque suis iuventute instruendas, & Canuti classi adiungendas, quas etiam proximo vere in Daniam destinat.

(b) *Rex ad alia necessaria*] Veram causam, quae Regi, iam omnibus paratis, moram iniecit, quaeque totam demum expeditionem irritam reddidit, aperit Historia Knytling. *cap.* 42. his verbis: „ Interea tempus labebatur, atque in Regis ex„ pectatione aliquot hebdomadae effluebant, indignante exercitu, „ moramque aegre admodum ferente. Neque tamen alia morae „ erat causa, quam quod ad Regem nuncii essent adlati de „ Vandalorum adparatu, quippe queis constitutum, per hanc „ ipsam aestatem terram Danorum invadere, nempe, ut quas „ ab Egillo Sanguineo fuerant passi, iniurias, & noxas ulci„ scerentur. „ Iste Egillus a Rege Borringholmiae praefectus, contra edictum Canuti piraticam exercuerat, quumque aliquoties de eo admonitus haud tamen desisteret Vandalos, aliosque praedari, supplicio adfectus est.

(c) *Diu eum in sinu Lymico*] Aliter, ac diversa a Saxonis illa; adeoque & Meursii, narratione rem exponit auctor *Knytlingorum Historiae*. Stante scilicet in sinu Limico (inter Aalburgum, & Halsam, vernacule *Limfiord*) classe, utraque Danica; & Norvegica, postquam Rex, frustra per aliquot hebdomadas exspectatus, tamdem nunciari fecisset, se intra septem dies absuturum, credens forte intra illud tempus legatos, quos in Vandaliam de pace, & amica compositione miserat, reversuros esse; neque tamen post septimum diem adesset, plebs longioris morae impatiens, persuadet Olavo, fratri Regis, Canutum ut adeat, & quorsum tanta remoratio tendat, ab ipso sciscitetur. Olavus provinciam, quamvis invitus, subscipit; veniens, adloquio Regis prohibetur; qui iam certior de tumultu plebis ab aliis redditus, fratrem comprehendi, ac vinculis constrictum, in Flandriam ad socerum deferri iubet. Hoc plerorumque animos magna consternatione implevit, adeo ut nunc palam Regis iniquitatem detestantes, amissam libertatem suam quererentur. Breviter, non exspectata missione dispersi, ad suos quisque penates summa festinatione properabant. Tamdem Rex superveniens, solam Norvegorum classem remansisse comperit, cuius ductores magnis muneribus prosequutus est, & ad Regem suum remisit. A Danis autem poenas spreti imperii quum severius exigeret, plebem, & proceres magis in se concitavit. Vid. Torf. loc. cit. *pag.* 394. *seq.*

Ceterum in Angliam perlatos fuisse rumores de expeditione ista, plerique gentis Annales memorant. Et Wilhelmus Rex, teste Ingulpho, qui hoc ipso tempore vivebat, *pag.* 909. ad resistendum eis, non solum *undique de Francia, Alemannia, atque Hispania soldarios conduxit*, quos per Monasteria regni dispersit, sed & exercitum ducens in *Northumbriam*, ubi Dani adplicare saepius antea solebant, *universam patriam abrasit, ac fere in terram desertam absumens, multis milliaribus inhabitabilem postea longo tempore reddidit, ne hostis veniens, & victualia inveniens, moram prolixaret, sed fame, & inedia fugere compulsus, pro victualium penuria citius ad propria remearet*. Florent. Vigorn. ad annum 1085. „ Eo anno Rex „ Danorum Canutus, cum classe valida, & auxilio soceri sui „ Roberti Flandrensis Comitis, in Angliam venire paratus erat. „ Vnde Rex Guilielmus de tota Gallia solidariis, pedonibus, & „ sagittariis multis millibus conductis, & nonnullis de Norman„ nia sumtis, autumnali tempore Angliam rediit. „ &c. Sed „ ubi cognovit inimicos suos impeditos fuisse, partem exerci„ tus remisit. „ &c. Eadem repetunt Dunelmensis *pag.* 213. Bromton. *pag.* 978. Roger. de Hoveden *pag.* 460. Huntindon *pag.* 374. Sed Wilh. Malmesburiensis peculiaria quaedam offert, hic minime praetereunda. En illa ex *pag.* 106. *seq.* „ Cnutus veteris repulsae memor (ut accepimus,) mille, & „ eo amplius navium in Angliam parat; auxilio ei erat socer „ *Robertus Friso*, sexcentarum navium dominus. Sed duobus „ paene annis venti adversitate coercitus, voluntatem mutavit, „ pronuncians, non sine Dei nutu esse, quod transfretare ne„ quiret. Verum postmodum quorumdam colloquiis depravatus, qui difficultatem transitus anicularum maleficiis imputa„ bant, optimatibus, quorum faeminae de hoc insimulabantur, „ pensiones importabiles indixit, *Olavum* quoque fratrem, fa„ ctionis eiusdem principem, accusatum, vinculis irretivit, & „ socero in exsilium misit Quapropter barbari libertatis suae „ iniuriam non ferentes, intra Ecclesiam quamdam altare am„ plexum, & emendationem promittentem, trucidarunt. „

amplius ducentis, sed degenerasse ipsos, ac fecisse, ut, qui antea fortitudinem gentis suae metuebant, nunc ignaviam adspernentur, & deficere quoque ausint, etiam infesta nobis arma forte aliquando illaturi, nec contenti, suam sibi vindicasse libertatem, nostram rursum petituri. Nuper sane praeter omnem expectationem sibi accidisse, ut propositum de recuperanda Anglia, se ignaro, & invito, adeo turpiter destituerent; quo facinore quum supplicium capitale meruissent, nolle se cum ipsis tamen summo iure experiri; ideoque imperare, navium praefectis quidem, selibras argenti puri quadragenas, ternas ceteris militibus. Quam pecuniam si existimarent nimiam, etiam hanc ipsam illis universam condonare, dum in decimas, pridem pro Ecclesiarum administris postulatas, consentirent. Ad quae quum deliberandi sibi tempus impetrassent, ac seorsim inter sese consultassent, mox respondent: *mulctam exhibere malle, quam exactam nuper decimam, sibi, ac maioribus inusitatam, posteris gravem.* Quibus verbis irritatus, statuit quaestores duos, unum Hortam, alterum Tostonem dictum, cognomento Peculatorem, imperatque, *ut eorum, qui a classe discessissent, facultates aestimarent, neque tamen aliquamdiu intentarent ipsis quidquam, si fortasse, damni metu a sententia recedentes, decimam pollicerentur.* Hi mandata postquam aequo gravius exsequerentur, populumque expilantes in Canutum vehementer adsperarent, aemuli, occasione utendum rati, porro etiam incitare; primo quidem in quaestores, denique in ipsum regem, ac clamare: *e medio tollendos esse, qui antiquam libertatem palam imminutum irent, & exactiones novas, neque umquam usitatas introducere, atque illis regni incolas onerare molirentur; idque ni quamprimum fiat, non quietem sibi ullam, neque regno pacem fore.* Quae quum illi clamitare non desinerent, primi in Cimbria boreali Vendili ad arma currunt (a); impetuque in quaestores ambos facto, eos caedunt. Hos sequuti mox vicini, magno agmine se coniungunt; ipsum regem, in

(a) *Vendili ad arma currunt*] Placuit Saxoni, hoc loco eos adpellare *Vandalos*, quo minus peritis occasionem dedit cogitandi de *Vandalis* illis, seu *Slavis*, qui ad Mare Balthicum in Germania sedes habebant, & ad quos nuper meminimus legatos fuisse a S. Canuto missos; quum tamen ab his nostri isti, ut origine, ita sedibus disiunctissimi, primordiis suis fortassis (etsi hoc dubium) aliquid cognationis habentes cum priscis Vandalis, Germaniae populis, qui Hispaniam, & Africam subiugarunt, nihil omnino cum *Slavis*, queis posteriora secula *Vandalorum* quoque, sed perperam, & imperite, adpellationem indiderunt, *Venedis* potius, aut *Vendis* nuncupandis. Ii, de quibus hoc loco agitur, Saxoni alias vocantur *Vendilenses* a patria *Vendilia*, Iutiae borealis provincia. Aelnotho *cap.* 17. ed. Meurs. *dicitur regio maritima, quae vvendle lingua Danica, quod convertibilis interpretatur.* Nempe Monachus Anglus audiverat *vvende* Danicum verbum *vertere* esse, aut *convertere*. Vendilorum autem, ut huc redeam, praecipue fuerunt partes in seditione contra S. Canutum, ipsaque a Vendilis orta. Quid? quod Vendili fuere duo illi rebellium ductores, Asbiornus Comes, & Eyvindus Bifra, quorum domus, in quibus lucem primum adspexerant, etiamnum suo tempore conspicuas fuisse, dicit *Hist. Knytlingor.* auctor. Verba eius *cap.* 46. „ Provinciae *Vendilskage* legati pro Rege tunc temporis praeerant *Thordus* quidam *Dorrus*, & *Tolarus Verpillus*, & quidem in isto tractu, quem „ *Hiarranda-Sysla*, hoc est, praefecturam Hiarrandensem vocant. Hunc tractum promontorium quoddam Iutiae, quod „ in Occidentem porrigitur, constituit, unde prae ceteris Daniae praefecturis sterilitate laborat. Natales dedit regio ista „ *Asbiorno* Comiti, & *Eyvindo Bifrae*, testantibus domibus, „ quae ibidem etiamnum visuntur, in quibus primitus hanc „ lucem adspexerunt. Hi quum audivissent de Canuti in Iutiam „ adventu, & quod frequentia, ubique celebraret comitia, quod „ graviores mulctas irrogaret, quod eadem in Vendilos decreta „ esset animadversio, *Thordus* quantocius multitudinem convocat, &c. „ Hortatur deinde Thordus colonos, ut Regi, Regiisque omni virium adparatu obsistant, neque tantam a tyranno iniuriam domi suae exspectent, maxime cum sedes habeant paludibus, & voraginum obstaculis satis munitas. Hac sua Thordus oratione adeo multitudinem inflammavit, ut, cum exactores Rex mitteret ad mulctam Vendilis irrogandam, hi Regios telis adorti, capessere fugam cogerent; quo ex principio tumultus exortus, statim ingenti seditione exarsit, paucisque diebus tantus rebellium confluxus factus, qui omnia Regis consilia irrita reddebat. Dicit quidem auctor (*Knytlingorum Historiae*) Regem haud in intima *Vendilskagae* penetrasse, sed, cum exactores suos mitteret, haesisse in praedio quodam *Saevarendi* dicto, in *Limafiord*, seu sinus Limici interioribus, atque inde, quum de increscente seditione audiret, in Fioniam sese recepisse. Verum hic magis habendam fidem iudico Aelnotho, adeo exacte, & designate loca istius tractus singula indicanti, ut nullum nobis reliquerit dubium. Isque non solum in interiora Vendiliae intrasse, sed etiam in villa Regia, *Burlhani* nuncupata, Regem commoratum scribit, dum exactores mandata peragerent. Nominat deinde *Pontum Cornicum*, ubi omnis *multitudo iniquitatis, animo venenato, & brachio armato adunatur, & tam nocturnis, quam & diurnis conciliabulis religioso Principi insidiatur.* Hinc ad occidentales partes, aquilonaribus relictis, Regem deducit, & ad locum, *qui nunc usque, secundum veteres, Acresbutch, idest, urbs agri dicitur*, eo Rex *obsequentium turbas transmittit*; Ipse vero *non longe cum reverendissimo Antistite Henrico, in villa episcopii eius, ibidem proxima, spatiaturus, cum numeroso exercitu resedit*. Tamdem, quum nihil Episcopus apud turbam opera, & sermonibus suis profecisset, Viburgum Canutus tendit; quumque & omnia ibi intuta offenderet, *portum fluminis* (verba adhuc Aelnothi) *qui Sleh dicitur, cum suis absque tumultu adiit, nautico itinere, cum fesso iam per terras comite, Fioniam profecturus*. Queritur Io. Bapt. Sollerius S. I. in *notis* ad *Aelnot.* (*Act. SS. Tom.* 3. *Iul pag.* 136) nomina locorum ista, eorumque situs a Meursio haud exponi, eaque reperire non adeo sibi promtum esse. Faciam ergo, quamvis alieno quodammodo loco, huic rei satis: *VVendel*, *Vendila*, *Vendilskaga*, *Vendilia*, (neque his tantum apud veteres, sed & pluribus modis scripta) est provincia Iutiae maxime borealis, quae nec hodie alio nomine, quam *Vendsyssel* dicitur; unde etiam est, quod Crantzius *VVenzulos* vocat, quos ceteri *Vendilos*, *Vandalos*, *Vendilenses*, &c. De ista Iutiae parte nonnihil loquuti sumus supra ad *Snionis* Regis Historiam, occasione argumenti de *Langobardis*. *Vendilskaga*, plerumque Islandis scribitur, composito nomine *Vendil* & *Skaga*, quod posterius proprium est promontorii eius, in oceanum procurrentis, idemque etiam urbeculae inter duo maria Occidentale, & Balthicum constitutae. Vid. Pontani *Chronograph. Dan. pag.* 662. ubi *Dioecesin Burglaviensem* describit, parum tamen diligenter, multosque errores admiscens. Singulare habendum, quod Geographus Nubiensis, ab Abrah. Ecchellensi editus, etiam *Vendilskagae*, (sive, ut legitur, *Vendil-skade*) meminit *pag.* 274. isque auctor Saxone Grammatico medio fere seculo est antiquior. *Hiaranda-sysle*, apud Historicum Knytlingorum est praefectura, quam posterorum, & nostra aetas, pro *Harrands herred*, scribere, & adpellare consuevit *Horns-herred* vocali *a* in plebeio Iutorum sermone saepe ad obscuriorem sonum declinante, ita ut tamdem in *o* degeneret. In *Harrands herred* [*S. Horns-herred*] situm est quoque promontorium, atque oppidum *Skaga* dictum; ab hoc sex milliaribus distat *Hioringa*, (veteribus *Iorunga*, & *Heringa*;) hinc in Occidentem progrediendo, *Burlanis* Aelnothi, domus tunc temporis Regia, postea Monasterium, & sedes Episcopalis, ipsa scilicet *Burglavia*, (& *Burglanum*) adhuc nostro tempore *Borglum* nuncupata. *Pontus Cornicum* vix uno, aut altero milliari a *Burlani*, seu *Borglum*, remotus, notus adhuc eodem vocabulo locus, vernacule *Kragstrand*; Cornix enim avis, Danice *en Krage*, & pontus, vel littus maris, *Strand* dicitur. Obscurus hodie locus, quia ingestis a mari occidentali arenarum molibus iamdiu defoedatus, imo fere ad solitudinem redactus, quemadmodum plura occidentali Iutiae adiacentia; illis vero seculis, de quibus sermo nunc est, imo ante 150. fere annos a nostra aetate, pagis, aedificiisque frequens. *Acresburch* (vel qualiter nunc scribitur, *Agersborg*) aliquot inde milliaribus in austrum iacet, etiam prope mare occidentale, ex cuius fundo eiectarum arenarum iniurias, haud minus, quam alia vicina loca, passus, hodie pro arce, amplisque aedificiis, tenues rusticorum casas ostendit. Villa Episcopalis, non longe, ut Aelnothus indicat, ab *Aggersborg*, erat tunc temporis *VVestervvicum*, etiamnum retinens nomen *VVestervvig*; unde quamquam postea Episcopus habi-

in propinquo tunc agentem, adgressuri. Qui, re illa intellecta, ut furorem declinaret, propere Slesvicum petit, ubi uxorem, & filio lum reliquerat; quo quum tamdem advenisset, quasi animo rei finem praesagiret, si quid triste pateretur, Flandriam repetere iubet, ac Robertum illic patrem; tum hortatur, ne permitteret, ut in hominum perduellium potestatem filius communis Carolus perveniret. Vendili, ferociores fuga regis, ad sequendum mutuo se cohortati, velut signum adserendae libertatis, pileum erectum tollunt, & Slesvicum item tendunt, ubi rex quum imminere persequentes accepisset, in Fioniam, & Othoniam illic urbem cum exiguo comitatu proficiscitur; quumque fretum ad Middelfartum traiecisset, medio inter urbem illam, & Othoniam itinere, paululum interquievit. Quo in loco lapidum nunc est congeries, & in medio saxum maius, speciem sedilis habens, ac Canuti huius sedem etiam hoc tempore indigenae vocant. Vbi quum praefectos suos, quos in Cimbria reliquerat, ad tumultum componendum, defecisse intelligeret, dubiusque haereret animi, Sialandiamne peteret, an Othoniae permaneret, Cimbri fretum ad Middelfartum transiisse nuntiantur. Quo audito, quum praesidium plane nullum praesto esset, & in Sialandiam traiicere constituisset, Blacco quidam, quem Piponem alii dicunt [a], uti genere primarius, ita gratia quoque validus, dehortatur, operamque ad sedandum populi furorem offert; ac, si videat, minime placari posse, tempestive moniturum pollicetur. Quumque insidiosa eum oratione, ne evaderet, tenuisset, contra agit; populumque ad perficiendam caedem, in quam totus ferebatur, magis etiam exstimulat; regi vero ita refert: *iam pacatum esse populum, ac paratum arma ponere, si delictum is condonet; neque poenam item exigat, quam sciebant meruisse.* Quibus verbis rex laetatus, quum laudasset eius fidem, mensae adhibet proditorem, & muneribus item donat non exiguis, ceu navata magna opera: Tum postridie iterum ad populum abire eum, & immunitatem iubet universo, quam petierat, polliceri; atque ille rursum contra, quanto potest studio, accendit omnes, iam adesse tempus dicens, quo tyrannum a cervicibus removere suis possint. Qua re magis inflammati, per vestigia Blacconis urbem invadunt, & Canutum in Albani fano [b] orantem, irruentes interficiunt [c]. Benedictus eius frater, socius periculorum, fortiter rem ferro gerens, ac propulsans irrumpentes, una cadit; at Ericus, alter frater, quem divina providentia Daniae regem aliquando esse vellet, per confertos perduelles valida erumpens manu, viam aperit, & evadit. Ab adversa parte Blacco, dum disruptis templi foribus, impetum in illud facit, sceleris sui poenas luit, & ab his, qui propugnabant, trucidatur. Ethela vero, coniugis Canuti caede nuntiata, uti pridem is mandaverat, Carolum filium secum trahens, Flandriam petit, & ad patrem sese confert [d], Filias in Dania relinquit duas: hanc Ingertham, alteram Caeciliam dictam; & Ingertha post Fulconi, viro in Svecia nobilissimo, a quo Folchungorum genus elocata, Benedictum, ac Canutum, filios enixa fuit; at Caecilia nupta Erico, Ostrogothiae praefecto, Canutum alterum peperit, & Benedictum [e]. Caedis tempus incidit in diem VI. Id. Iulii, sed de anno, varie Auctores produnt; nam mil-

habitationem suam transtulit *Burglaviam*, (ita ut, qui primitus Episcopus Vendilensis, nec non Westervicensis, dehinc *Burglaviensis* dictus sit,) crebro tamen ad veterem sedem divertebat, opulento praeterea Monasterio celebrem, *VVestervicensis* adpellatione cognito. Denique flumen *Sleh* non aliud est, quam *Slia*, Slesvici ἐπώνυμον, ipso non solum nomine indicante, sed & non uno historiae huius monumento, Canutum primo Slesvicum, inde vero in Fioniam ivisse, memorante. Ex quibus, praeter Saxonem *pag.* 219. Meursiumque nostrum, insigne illud est ab ipso Sollerio in *Actis SS.* productum, ubi *pag.* 122. §. 19. haec habemus: „ Et sic „ per partes Iutensium saeviendo, & eos ad eumdem furorem „ provocando, quotidie plura congregans arma, ad civitatem, „ quae vocatur *Slesvine*, fremens, ac frendens, Sancti Regis „ insequitur vestigia. Rex ergo tunc cernens, quod eos sedare nequisset honesta ratione, imo de Iutensibus fugere com„ pulsus ad Vionenses (pro *Fionenses*) transivit. „

(a) *Quem Piponem alii dicunt*) Sic vocat Aelnothus in editione Meursiana; sed in altera pleniore, multoque correctiore, quam Celeberrimis Actorum SS. Collectoribus debemus, *Pipero* scribitur, sicut & in Breviario Lundensi *Pipireo* clare legitur. Atque hoc propius ad nomen, quod proditor ille habet in *Historia Knytlingorum*, ea quae *Blacco* a Saxone, *Piponi* ab Aelnotho tribuuntur, ad *Eyvindum Bifram* referente, excepto, quod illic non dicatur, mensae eum a Rege adhibitum Enimvero haud dubito, quin *Pipero* idem sit cum *Bifra*

(b) *In Albani fano*] Sunt qui existimant, templum illud iam a Canuti M. tempore S. Albano dicatum fuisse, cuius Sancti reliquias Rex ille in Daniam ex Anglia una cum Episcopis uno, alteroque, & Monachis Benedictinis anno 1019. adtulerit. Peculiarem quoque cultum S. Albano redditum a Canuto M. Anglici Scriptores tradunt. Matthaeus Parisiensis fabulatur (in *Vitis Abbatum S. Alban. pag.* 38.) diu ante Canuti M. tempora sub Rege Ethelstano: *debacchantes in Anglia Danos ad S. Albanum hostiliter venientes, quum audissent, quod Angliae Protomartyr exstitit famosissimus, ossa eius fracta capside rapuisse, & in suam regionem detulisse. Sed quia non placuit Sancto in Dania commorari, suam procurasse repatriationem.* Verum, si Aelnotho fides, ipse noster S. Canutus fuit, qui paulo ante obitum suum cultum S. Albani ex Anglia huc curavit transferendum. Vid. ipſ. *capit.* 29. *pag.* 61. *edit. Meurs.* Alias de celebri istius Sancti apud Danos veneratione testatur Thomas Walsingham in *Histor. Angl. pag.* 79. & *pag.* 417. & *Hypodigm. Neustr. pag.* 169.

(c) *Irruentes interficiunt*) Ipsius Eyvindi Bifrae manu confossum *Historia Knytlingorum* dicit: „ Ille vero (pergit ibidem au„ ctor) perpetrato facinore protinus saltu altare adscendit, cui „ imminebat fenestra magna, effracto vitro, facile effugium „ praebitura. Per quam etiam se proripere satagebat, vindi„ ctaeque subtrahere. Conspecto autem, quod agebatur Bene„ dictus Regis frater cum suis adcurrit, quos inter Palmarus „ citatiore gressu reliquos praevertit; isque Eyfindum elabi co„ nantem, fenestraeque inhaerentem, tametsi loricatum, gra„ vissimo ictu medium diffinit, ac diffecuit, ita ut superior „ corporis pars per fenestram foras provolveretur, inferior vero „ in aedem sacram recideret. „ Exterorum de Regicidio isto narrata parco adducere. Praetermittere tamen non possum mirificum illud Olderici Vitalis *lib* 7. *pag.* 650. „ Dum mul„ tae naves paratae in littore starent, idoneoque vento iam flan„ te, in Angliam nautae per naves armatum exercitum collo„ carent, Rex Chanutus velle Dei exploraturus Ecclesiam intra„ vit, ante altare humiliter procubuit, Deumque ut iter suum „ secundum beneplacitam voluntatem suam dirigeret, cum la„ crymis oravit. Deinde frater eius templum ingressus est, qui „ dum Regem solum ante aram prostratum prospexit, cogitare „ coepit, quam magnus labor, & quam grave periculum tot „ millibus per unum hominem immineret; & si idem auferretur, cita vehemensque mutatio fieret. Nec mora, gladium „ abstraxit, & orantis Regis caput abscidit, statimque in exsi„ lium aufugit. Porro tam tristi nuncio mox exercitus disper„ sus est, & ad proprium unusquisque negotium reversus est. „ Denique Seniores Calomanoth fratrem Regis, parricida exsu„ lante, Regem constituerunt, &c. „

(d) *Ad patrem se confert*] Nupsit deinceps Ethela Rogerio Apuliae Duci, cui filium Gulielmum peperit. Moritura Honorio Papae bona sua omnia legavit. Gualterus in *Vita S. Caroli cap.* 2. in *Actis SS. Martii Tom. I. pag.* 164.

(e) *Canutum alterum peperit, & Bened.*) Error est, corrigendus ex Saxone, qui ex Caecilia *Ericum Gothorum praefectum* scribit *Canutum cum Carolo procreasse*, *pag.* 221.

milleſimum nonnulli octogeſimum, & ſeptimum; quidam octavum; alii nonageſimum ſtatuunt; ſed Aelnothus, qui aetate eius vixit, omni exceptione maior, octogeſimum ſextum refert; idque etiam confirmat tabula inventa Othoniae (a), in eius tumulo, dum ſacellum reparatur, anno CIƆIƆCLXXXII. Ac Canutus, tam nefarie interemtus, in ſanctorum numerum relatus fuit, & dicata ei aedes ſumma Othoniae, quae Canuti etiam hodie nuncupatur. Princeps laude armorum clarus, quique rebellantes Sembos, Eſthoneſque, & Curolandos, ad obſequium reduxit. Etiam recuperare regnum Angliae apud animum conſtituerat, ni propoſitum Olaus frater perfide impediiſſet; iuſti, & aequi, ac virtutis denique omnis, rigidus cuſtos; cum offenſa ſubditorum, qui licentiae, luxuique ſub Haraldo rege fratre nimium adſueti erant: adeo nempe multum refert, quae cuiuſque virtus tempora ſortiatur. Itaque imprudenter pius, dum Eccleſiae adminiſtris optime proſpectum cupit, ſibi necis cauſam parat. Certe princeps, qui obſequium conſervare ſubditorum ſibi volet, provide curabit ſemper, ne id umquam nimis oneret, neve imperet, quod non poſſit ſine motu impetrare; nam, ſi ſemel univerſos ad ſeditionem egerit, maieſtatem non tuebitur; ſaepe neque principatum; imo, quod Canuto huic, aliiſque uſuvenit, neque vitam. Et illuſtre hic exemplum eſt regibus, principibuſque iram populi, vel iniuſtam, minime contemnendam eſſe. Certe hic Canuti caſus, uti ſuo loco dicam, poſtea docuit Valdemarum Iſapere, & voluntati modum ponere; tum cavere, ne, quid nimium cupiendo, populum eadem in ſe ratione concitaret. Regni tempus, uti mortis, varie tradunt, ac ſeptennium a quibusdam, aut octennium memoratur; alii decennium tribuunt.

OLAVS V. cognomento FAMELICVS (b).

Caeſo itaque Canuto, Cimbri, qui auctores caedis, Olaum fratrem, coniurationis principem, quem inſignem relaturum gratiam exiſtimabant, regem creant. Tenebatur is in Flandria apud comitem Robertum, ſocerum Canuti regis; illuc miſſus ſub cuſtodia, ut iam paulo ante dixi. Quam ob rem comitia quum indixiſſent, viſum cunctis, Nicolaum fratrem mittere (c), qui & liberaret illum, & pro ipſo obſidem ſe exhiberet; iſque, in Flandriam profectus, liberat captum; &, exemplo caritatis, vel in fratribus, plane raro, carcerem pro eo ſubit; & Olaus, quum in Daniam rediiſſet, ſolium infelix capit, aerumnoſum, & infame, ſumma annonae caritate, regnum totum habiturus. Quo Ericus intellecto, qui in vincula pridem eum coniecisset, quum metueret ultionem, illico in Sveciam ſe cum Botilda uxore confert (d). Olaus regno iam potitus, ut initia fere principes, famae ſuae commendandae, bona amant, nihil ſibi prius duxit, quam ut fratrem Nicolaum, pro ſe apud Flandros captum, liberaret; idque fecit, miſſo ingenti liberationis pretio, quod pollicitus pridem fuerat, ac ſecurus iam agebat, rebus proſpere fluentibus, populuſque ex ſententia animi ſui regem nactus, valde ſibi gratulari (e); ſed non diu gaudium ſtetit, & infeſtus parricidis iuſtus Deus, univerſos maxima adflixit fame, neque deſtitit, dum e ſolio fraterno ſceleratum inſeſſorem removeret. Tanta vero caritas annonae fuit, ut de herbis, ac radicibus (f), paſſim adeo concertarent, mutuiſque ſe vulneribus, velut bello inteſtino, interficerent; quin inedia etiam milleni aliquot miſere intercidebant. Sveno, praeſul Roſchildenſis, quod futurum auguratus, & ad poenitentiam omnes ſeria oratione adhortatus, ut ſupplicio ſe eriperet, qui flagitium improbabat, regno excedit; &, itinere in terram ſanctam inſtituto, Rhodi moritur. Olaus, toto regni tempore nihil memorandum facit; ſumma rerum caritate, ac fame miſer, & invalidus; neque ſortem miſerantibus ipſis hoſtibus, etiam patitur. Tamdem aerumnarum plenus, neque ultra manum Dei, quam graviſſimam ſentiebat, ferre potens, deprecatus, ſubita morte li-

(a) *Tabula inventa Othoniae*) Huius tabulae inſcriptionem exhibent integram Olaus Wormius in *Faſtis Danicis pag* 20. Pontanus in *Hiſtor. Dan pag*. 199. Sollerius in *Actis SS. a d*. x. *Iul. pagg*. 119. & 142. Et quod ad caedis annum attinet, in eadem cum Meurſio ſum ſententia, Aelnotho, & vetuſtae tabulae plus fidei habendum, quam ceteris.

(b) *Famelicus*] Pontano ſubnatum videtur dubium de hoc cognomine, quia Saxo eius nihil meminit, ſed tantum in vernaculis quibusdam rhythmis *Olaus* cognomento *Hunger* (quae vox *famem* ſignificat,) adpellatur: Alii vero ab aetate, non fame, cognomen mutuantes, *Olaum Vnge*, ideſt, *iuvenem* vocant. Sed non inſpexerat vir doctus, Svenonem Aggonis auctorem, cum Pontanus ea ſcriberet, nondum editum. Hic ita *pag*. 97. *Cuius* (Olavi) *temporibus fames extitit validiſſima, adeo etiam, ut vulgaris adſertio Famelicum nuncuparet*. Vetus Chronicon Sialand. *pag*. 4. *Anno MXC. Rex Canutus martyrizatus eſt in Othinsho, cui ſucceſſit Olef frater eius, cognomine Fames*. In Pſeudo-Erici Chronico etiam vocatur *Olavus Hunger*.

(c) *Nicolaum fratrem mittere*] Ita Saxo. Sed a quo plane hic diſſentiunt *Hiſtoriae Knytlingor*. auctor, & Arnoldus Hvitfeldius Daniae olim Cancellarius. Apud hos altum de Nicolao ſilentium. Memorant autem, duos ex primariis regni viris, quorum alter Sveno Thrundſon nomine (Islandis Sveno *Thorgunnae* filius,) Aſcheri, primi Lundenſium Archiepiſcopi pater, nec non Svenonis Epiſcopi Viburgenſis, pluriumque inſignium virorum, fuit, in Flandriam profectos, Olavum, certa auri ſumma promiſſa, inque eam fide ſua interpoſita, carcere inſuper, & catenis in ſe receptis, liberaviſſe. Adiiciunt deinde, Olavum tanti beneficii immemorem, poſtquam Rex factus eſſet, tantum abfuiſſe, ut numerata pecunia ſuam, eorumque fidem liberaret, ut iniquis etiam auribus audiret mentionem lytri a propinquis eorum fieri. Plura legantur apud Torfaeum *Hiſtor. Norv P* 3. *lib*. 6. *pag*. 405. *ſeq*.

(d) *In Sveciam ſe confert*) Dubium quoque hoc reddit nobis Auctor *Hiſtoriae Knytlingor*. qui *cap*. 70. adſerit, Ericum, Saelandiae Comitis titulo inſignem, conceſſam ſibi a S. Canuto fratre ditionem, adhuc ſub Olavo adminiſtraſſe, omnibus iam charum, magnoque aulicorum numero ſtipatum, ac interea frequentibus excurſionibus paganorum naves infeſtaſſe. In Ruſſiam quoque profectum ad multos Principes, ac proceres divertiſſe. Qua de re idem auctor nonnulla Marci Skeggonidae, inſignis iſto aevo Poetae, carmina adduxit.

(e) *Valde ſibi gratulari*] Sed Hiſtor. Knytlingor. *cap*. 69. „ Valebat Olavus Rex opibus, ſed dominatus erat impotens, civibus odioſus, imperioſus, avarus. Ipſo regnante, ingens annonae caritas Daniam vexabat, legum contra vileſcebat auctoritas, corrupta iuſtitiae adminiſtratione. „ Wilhelmus Malmesbur. *pag*. 107. „ Homicidae Olavum a vinculis decem mille marcis argenti redemerunt, qui octo annis ignave imperitavit. „

(f) *De herbis ac radicibus*) Quamvis famem hanc totum regnum divexantem ſatis videantur exaggerare Aelnothus, & Saxo, non tamen uſque adeo diritatem eius extollunt, atque hic noſter, nihil tamen fingens, ſed Io. Svaningium Sen. ſequutus auctorem, qui, ut puto, in annalibus quibusdam ſic invenerit.

te liberatur; etenim, quum festum Christi natalitium celebraret, proceresque, usitato regibus more, ad convivium advocasset, neque panis, quem adponeret, satis esset, ad erubescendam adeo egestatem se redactum animadvertens, in praesentia optimatum, lacrymas ubertim fundens, orat Deum, ut, misertus populi sui, publicam calamitatem sua morte terminaret; audiitque manifesto preces numen; quippe nocte insequuta, postquam lectum, firma admodum valetudine petiisset, graviter adflictam animam exspiravit [(a)]. Regnum scelere adquisitum, in miseria, iusto numinis iudicio consequuta, parvo tempore possedit. Eum Deus, quamquam indignum propter interfectum fratrem voluit regnare tamen, ut puniret evidentius, & ostenderet, se flagitia tam nefaria, etiam in illis ipsis, quos ceu deos in hac terra collocavit, quam gravissime detestari, tum sacrata sibi esse regum capita; &, eorum si quis maiestatem laedat, severissime vindicare. Nullum autem regni fructum ipse tulit, quam quod illud per aerumnas summas triste, suo fine laetum fecerit, eo uno praedicandus, quod delicti sui poenitens, pro salute subditorum mortem optaverit, & obierit. Regnavisse annos septem tradunt quidam; alii decem; at Aelnothus, auctor illi coaetaneus, cuique maior ideo habenda fides, octo, ac menses fere novem.

ERICUS III. cognomento BONUS.

Subito defuncto Olao, Ericus frater, quem in Sveciam profugisse, rege hoc pronuntiato, memoravi. a proceribus revoca ur, & in regno constituitur. Sub initia principatus, postquam Albi, atque Herri [(b)], ambo e Scania oriundi, ac proscripti ob flagitia, mare Balthicum infestantes, tutum apud Vandalos receptum haberent, bello ipsos petere visum. Itaque, instructa classe, in Iulinum, maximam ipsorum urbem, arma vertens, eam obsidet, capitque; inde in transfugas, ac piratas, ut supplicii gravitate metum aliis iniiceret, ac deinceps a piratica exercenda [(c)] absterreret, quamlibet natura mitis, severissime animadvertit; urbem ipsam, quae non raro Danos bello lacessiverat, sic evertit, ut recuperare postea dignitatem pristinam, potentiamque non potuerit. Etenim rex prudentissimus, quum videret, ideo feroces Vandalos saepe regno insultare, ut, erepta illa urbe, etiam animos deiiceret, ac piraticam prohiberet, funditus delendam censuit [(d)]. Quibus gestis, postquam domum rediisset, Vandali, ut urbis suae excidium ulciscerentur, tempore aliquo interiecto, minime exspectantem invadunt; Daniamque, obviis quibusque caesis, populantur; inde, qua advenerant celeritate, se recipiunt. Ea re commotus graviter, cum instructa militum manu in Vandaliam bis traiicit, atque ita eam domat, ut deinceps, ipso vivo, nihil tale moliretur. Inter ista, pietate in Canutum fratrem motus, mittit Romam [(e)], qui exponerent Pontifici, quam indigne, & ob causam adeo piam, a tumultuante populo caesus esset; peterentque, ut in sanctos referretur. Nec legatio frustra fuit, nam petitioni Pontifex admodum benigne adnuit, ac constituit, ut, qui Cnutus hactenus adpellatus esset, iam Canutus, ceu augustiore nomine, sicut olim Abrahamus [(f)] pro Abramo nuncupatus, diceretur. Inde iusta Othoniae facit [(g)], coram antistitibus regni universis, & proceribus, loculoque saxeo exemtum corpus, aeneo inaurato condit. Orta lite cum Bremensi Archiepiscopo Liemaro, quum is sacris prohibere ipsum vellet, ut praeverteret, Romam abit ad Paschalem, tunc Pontificem [(h)], eius nominis II.; &, negotio explicato, causam obtinet; admirantibus universis cum facundiam singularem, tum pro-

(a) *Animam exspiravit*] Auctor Knytlingor. Histor. nihil eorum, quae de fato Olavi noster, ex Saxone, heic consignavit, noverat. Scribit enim tantummodo *cap.* 69 *Ille postquam octo annos Daniae praefuisset, ex morbo obiit, ipsiusque mors civibus minime luctuosa accidit.*

(b) *Albi, atque Herri*) Mendum est, pro *Alli* in omnibus Saxonis editionib. *Alli, atque Herri*.

(c) *A piratica exercenda*] *Hist. Knytlingor.* de eo Rege *cap.* 73. „ Erat Ericus acerrimus scelerum vindex, piratarum, furum, „ & praedonum exterminator, in quos supplicio capitis, ma„ nuumque, & pedum amputatione, ac aliis id genus crucia„ tuum exemplis severe animadvertebat. „

(d) *Funditus delendam censuit*) In *Chronicis* Slavorum nihil memini occurrere, quod hoc confirmet; ne apud Saxonem quidem, qui *pag.* 225. obsessam. & expugnatam Iulinum, non vero deletam scribit, Alb. Crantzius *Vandal. lib.* 3. *cap.* 10 sic de Erici expeditione loquitur: „ Bellum intulit suis tem„ poribus Iulino clarissimo Vandalorum oppido ad mare, quod „ Daniae regno proscriptos foveret, & inde piraticam in Danos „ cum proscriptis exercerent. Arcta cinxit Rex obsidione oppi„ dum, adegitque habitatores dedere profugos, & Dania pro„ scriptos. - - - - Vandali obsidionem suam ulturi, quum Rex „ aliis bellis implicaretur, Daniam vastant, obvios obtruncant, „ & hostilia cuncta saevientes exercent. In quos secundo, ac „ tertio Rex ducens, ad aequas conditiones rem tamdem finit „ pervenire. „ Attamen persuasum mihi, Svaningium Seniorem, a quo Meursius sua sumsit, in bonae fidei monumentis reperisse, quae nihil nimium, aut veritatem, quod excedat, dixere. Eadem certe eiusdem aevi, quo res gestae sunt, poetarum carminibus celebrata deprehendimus. Illaque Erici victorias de Vandalis haud levius videntur extollere, quam heic Meursius. Inseruit integras eorum, ut vocant, strophas operi suo *Historiae Knytlingorum* auctor *cap.* 76. In quibus, post exposita praelia, & certamina, Marcus poeta haec canit: *Profana virorum corda per Vandaliae pagos moestitia implebantur. Ignis infinitam hominum turbam involvebat, Ericus atria eorum cremabat. Scintillis incensa domorum fastigia ardebant. Palatia late corruebant. Fluxit prima diei pars: Et sursum cernebatur flamma in caelum adscendere.* Hic sensus carminis, quod dixi, Islandici. Cui, & id genus pluribus, haec subiungit Historicus: „ Itaque Ericus „ Vandaliae regnum, quod a tempore Svenonis, de *furcata* „ *barba* cognominati, vera & indubitata possessio Regum Da„ niae erat, sibi, suaeque ditioni vindicavit. Moxque disposi„ tis per totam Vandaliam praesidiis, quae regnum istud in „ fide, & obedientia continerent, in Daniam victoria illustri „ clarus rediit. „ Ex isto etiam tempore Ericus Bonus titulum adsumsit *Regis Slavorum*; quemadmodum ex Bulla Paschalis PP. II. qua Archiepiscopum Lundensem confirmavit, liquet, ubi adpellatur: *Illustrissimus Rex Danorum, Slavorumque, Ericus Egoth, Dux Esioniae, & Dominus Nordalbingiae.*

(e) *Mittit Romam*] Conferatur Aelnothus *capp.* 33. *&* 34. edit. Meurs. & in *Actis SS.* x. *Iul. pag.* 141. *& seq.*

(f) *Sicut olim Abrahamus*) Hoc itidem ex Aelnotho.

(g) *Iusta Othoniae facit*] Non distinxit Meursius elevationem, ut vocant, corporis S. Canuti, a translatione eius. Illa certe facta est anno 1098. die 10. Ianuarii. Quod & ipsis Anglis, Vigorniensi, Dunelmensi, &c. constabat. Erici vero anno sexto, hoc est, anno Christi 1101. Translatio Sancti peragebatur, & quidem XIII. Kal. Maii. De priori, scilicet Elevatione, & quomodo, quibusque ceremoniis instituta fuerit, nec non quibus experimentis reliquiae probatae, commemorat Auctor *Historiae Knytlingor cap.* 77. Sed & iste utrumque actum videtur confudisse, quum neque ullam mentionem auctoritatis, quae a Pontifice Romano accesserit, aut legationis Romam ea de re missae faciat.

(h) *Ad Paschalem tunc Pontificem*) Auctor *Historiae Knytlingorum*, inter prima Erici acta collocat istud eius iter Romanum, cuius si-

ceritatem corporis excellentem. Neque illud satis habens, quum indignum existimaret, in religionis caussis se eidem subiacere, Romam repetito itinere, a Pontifice [a] impetravit, ut Ecclesiis suis deinceps summus praesul ex indigenis legeretur: *etenim, commodius doceri ab iisdem populum, quam ab illis, qui nec linguam, neque mores eius, nossent; tum interprete extraneos, longe dissitos, literisque internuntiis, quae interdum longiore temporis mora detrimentum ingens ferrent, indigere*. Neque diu Pontifex cunctatus [b] mittit, qui & locum caperet, idoneum sedi, & primatem constitueret; isque, regno perlustrato, Scaniae primariam urbem, tum Episcopatu insignem, Lundiam capit; & Ascerum, virum pietate [c] clarum, & illustri inter Cimbros loco natum, summum praesulem Ecclesiae, ac primatem esse iubet; adiicitque alia septentrionis duo regna, Sveciam, Norvagiamque. Sed Historia hic confusa est; ac primatum a Leone IX. pridem, a quo anni fere elapsi quinquaginta, petere Svenonem III. uti praesuli Adelberto, Liemari, quem iam dixi, decessori, aegre faceret, atque etiam obtinere, supra, in illius rebus, memoravi. Nisi forte, quod videtur, Adelbertus, qua valebat Romae gratia, id effecerit, ut Pontificum successorum alius quidam hoc decretum revocaret. Verum neque in Erici isto facto satis sibi constat Saxo; ac, quum illud in hoc tempus reiecisset, atque Romam iterato abiisse memorasset, mox id dicit, quum in terram sanctam iret, dum abesset, per legatos a Pontifice impetrasse; quod dissidium qua conciliari queat ratione, plane ignoro, & Ericus Pomeranus [d], dicit ipsum in itinere isto sacro, postquam Romam advenisset, ac Pontificem ea de re compellasset, postulatum tenuisse. Quum Ericus, magna sui nominis existimatione clarus, urbe Roma rediisset, foris pace fortunatus, domi sibi infortunium non exiguum comparavit. Etenim, quum citharoedum, artem suam praedicantem, ac dicentem, homines redigere se in furorem quolvis posse, dare specimen compulisset, e vestigio amens factus [e], quatuor e satellitibus ipse suis interfecit; quod deinde, menti denuo restitutus, quum doleret vehementer,

non

ius satis longam nobis descriptionem exhibet, *cap.* 74. in eo tamen certissime errans, quod Paschalem II. Sedem Romanam isto tempore occupasse dicat. Itaque tam iste auctor, quam alii nostratium, qui & Meursium seduxerunt, corrigendi, & Paschalis loco Vrbanus II. reponendus, cuius Pontificatus desiit anno 1099. Caussam errori dedit sine dubio, quod non satis distinxerint Scriptores duas Erici Regis peregrinationes; quum aeque certum credam, Ericum in posteriore itinere, quo Hierosolymam tendebat, iterum Romae fuisse, atque tunc Paschalem II. convenisse. Recte igitur Card. Baronius prius Erici iter refert ad tempora Vrbani II. etiamsi annus, quem eidem adsignat 1092. non omnino sit extra controversiam. Verum, quod ad caussam itineris Romani attinet, non dubitandum, quin ex lite cum Archiepiscopo Bremensi recte derivetur, quamvis, quae iniuriae fuerint, quibus Rex provocatus excutere illud Bremensium iugum destinarit, ignoretur. Nam quae Cypraeus, *pag.* 116. Messenius *Scond. Tom. I.* ad ann. 1097. & alii adferunt, merae sunt coniecturae. Sequutus interim Cypraeum Pontanus *pag.* 201. credidit, crudeli illa animadversione in Slavos Praesulem Bremensem concitatum, Regem anathematis fulmine ferire constituisse, illumque ut praecurreret sententiam, Papam accessisse. Sed quis ista optimos viros docuit? Nobis potior habetur testis *Histor. Knytlingor.* auctor, qui disertis declarat verbis *cap.* 76. expeditionem contra Vandalos ab Erico, demum ex itinere Romano reduce, susceptam esse. Itaque adquiescamus, donec meliora se obferant, in his Saxonis *lib.* 12. *pag.* 226. *Hamburgensis Antistes Ericum ob inanes, & falsas subspiciones exsecratione mulctandum censuerat*. In Conciliorum Collectionibus (Binii *Tom.* 3. *P. II. pag.* 1293. Labbei, & Cossart. *Tom.* 10. *pag* 421.) de Vrbano II. hoc inter alia adnotatur. „ Ericum Regem Danorum, a Liemaro Archiepiscopo Hamburgensi Schismaticorum principe iniuriis lacessitum, ad Sedem „ Apostolicam bis adpellantem, humanissime excepit., eumque „ Metropolitani Hamburgensis subiectioni exemit, Lundiaeque „ Metropolin in Dania instituit. „

(a) *Repetito itinere a Pontif.*) Quod si heic intelligatur alterum iter, quo ulterius in Orientem perrexit, numquam reversurus, recte dicitur. Nusquam enim proditum, quantum novi, tres peregrinationes subscepisse. Neque opus, ut ex binis ad Papam adpellationibus, duo quoque itinera statuamus.

(b) *Neque diu Pontifex cunctatus*] Misit Albericum Cardinalem, de quo testantem habemus B. Anselmi Cantuariensis epistolam ad Ascerum, primum omnium Lundensium Archiepiscopum, *lib.* 4. *epist.* 90. *pag.* 448. edit. Gerberon. Sed & nomen Legati eius habemus in fragmento Saxonis Grammatici, allegato a *Chronici Sialandici* auctore, *pag* 10. quod (de nomine Albrici loquor,) hodie ab editionibus Saxonis exsulat.

(c) *Ascerum, virum pietate*) Quo id anno factum sit, indicat *Chronicon Archiepiscopor. Lundens.* ab eiusdem Sedis Archiepiscopo Nicolao (qui obiit ann. 1379.) compilatum. Incipit enim sic: „ Anno Domini MCIIII. missum fuit pallium „ Lundis a Paschali Papa, cuius tenor est talis: „ Paschalis E„ piscopus, Servus Servorum Dei, &c. „ Hic autem intercedunt tum Card. Baronius, qui, ut supra vidimus, de anno 1092. loquitur, tum Steph. Baluzius, qui in *Notis ad Capitularia Regum Franc. Tom.* 2. *col.* 1116. nescio qua auctoritate annum 1094. statuit, ac denique *Historia Knytlingor.* nullum quidem annum nominans, sed *Ascerum*, Erico Rege vivente, ac regnante, ac nondum Orientale iter ingresso, Archiepiscopum factum dicens *cap.* 80. remque confirmans, ut solet, Marci, poetae coaevi, carmine. Ceterum bene habet, quod hic ipse Historicus optimam nobis solutionem quaestionis, satis agitatae, suppeditet, adpositis ad finem *capitis*, his verbis: *Quamquam vero hoc* (loquitur de electione Asceri per Regem, regnique proceres facta) *ante Regis profectionem coeptum fuerat, tamen aliquot anni effluxere, antequam Asserus munus Archiepiscopi obiret*. Nempe *obire* non licebat, nisi accepto prius a Pontifice pallio Atque in hac re difficilem, ut videbatur, experiebatur Romanam Curiam, ita ut ad B. Anselmi, aliorumque suffragationem confugere necessum habuerit, quemadmodum ex laudata Anselmi epistola (cui, ut & ceteris eius, nullus adscriptus annus) manifestum. Interim quod, antequam pallium mitteretur, iam Archiepiscopi titulum gesserit, sicut in epistola conspicitur, nihil novi habet. Dolendum tantummodo nusquam hodie reperiri litteras Vrbani PP. II. quibus Erico Regi facultatem Archiepiscopatum erigendi concessit.

(d) *Ericus Pomeranus dicit*] Quid Ericus iste, quem falso Pomeranum, & Regem vocant, dixerit, parum interest; & quod auctor iste de quaestione agitata dicit, parum ad rem facit. Verba haec sunt: *Imo iter adripuit* cum magna militia, & *veniens Romam Ecclesiae Lundensi Archiepiscopatum, & Primatum super tria regna obtinuit. Inde Constantinopolim veniens, ab Imperatore Graecorum honorifice est exceptus*. Ex quibus, quantum ego video, nemo certior reddetur, utrum unum iter, Roma Constantinopolin usque continuatum, an duo diversis temporibus subscepta, ab auctore intelligantur.

(e) *E vestigio amens factus*) Haud sane difficile ad fidem erit, Regem mero incalescentem unum, alterumque satellitum occidisse; uti neque incredibile, excellentem aliquem in arte sua citharoedum in aula eius vixisse. Attamen valida nobis est subspicio, in hac sua narratione Saxonem Grammaticum morem suum obtinere, & veterem sibi forte lectam, vel auditam historiam intexere hoc loco, ornamenti gratia, voluisse. Ita ut admodum propendeam ad sententiam Isauci Vossii, in libro de *Poematum Cantu, & viribus Rhythmi pag.* 59. his verbis expositam. „ Scio quidem ea, quae Saxo Gram„ maticus de quodam Daniae prodidit Rege, quomodo scili„ cet ille citharoedi cantu ad furorem, & insaniam usque re„ dactus fuerit; sed profecto mera haec fabella. Iste Gram„ maticus, ut multa alia aliunde petita ad suos transtulit usus, „ sic quoque historiolam, quae de Alexandro, & Timotheo „ narratur Musico, alicui gentis suae Principi adscribere non „ dubitavit. Tantum abest, ut barbaro isto seculo usquam „ terrarum, nedum in Dania reperiri potuerit Musicus aliquis, „ qui solo citharae tactu vehementes adeo concitarit adfectus, „ ut ne nunc quidem longe florentiore Musica ullus in tota „ reperiatur Europa, qui tale quid vel possit, vel audeat. „ Nihil verius, quam quod eruditissimus vir de Saxone Grammatico observavit, historiolas aliunde petitas, & quasi mutuum sumtas ad suos usus transferente. Hic autem obiter notamus, Isaacum Vossium, tanta doctrina virum, decipi se passum esse a recenti Scriptore Antonio Sabellico, aut alio *Locorum Communium* scriptore, ut Timotheo Musico adtribueret, quod Plutarchus adscribit Antigenidae *lib.* 2. *de Fortuna Alexandri*.

non contentus iuſta occiſis feciſſe, quum liceret porro impunito agere, & amentia ſatis quoque excuſaret, ac maieſtas tueretur, ſibi ipſe poenam indixit, & in terram proficiſci ſanctam ſtatuit, ut ſic caedem perpetratam expiaret; ac propoſitum quamquam diu clam ſenatum habuiſſet, & aperuiſſet tamdem, in conventu Viburgenſi, is omnino obteſtari, *ut omitteret, neque regnum deſtitueret; tum orare patriae ſe patrem eſſe, atque ipſos liberos ſuos cogitaret; quos ſi ſic deſertum iret, in impietatis notam non exiguam incurſurum*. Quumque nihil moveretur, genibus eius advolutus, fundit lacrymas, obſecratque; *ne privato ſuo voto bonum publicum poſthaberet, atque ſic exiſtimaret, magis Deo, regno laudabiliter adminiſtrato, quam profectione iſta, etſi pietatis ergo inſtituta, placiturum, utque voti anxium religione liberaret ſe, & populum, mox egenis tertiam bonorum partem largiturum*. Sed Ericus in ſententia perſiſtebat, & negabat; *ita redimi culpam poſſe, aut ſe voto liberari; nam periurio nihilominus ſe teneri, & inopiae involutum regnum iri; malle ſuo ſumtu ire, quam cum damno ſubditorum pietatem exercere*. Ante tamen, quam propoſitum ſibi iter inchoaret, rebus omnibus ordinatis, filium Haraldum natu maximum, regno praeficit; Scialmoni vero Candido, cui provinciam Sialandiam, Rugiamque, per id tempus vectigalem a ſe factam, demandaverat, educandum dat Canutum; tertium Ericum vero, aliis tutoribus tradit (a); inde, ut ſtatura erat ipſe maximus, prout quiſque longitudine eminebat, ita viae comitem legit; addit ſociam ſe Bothilda (b); quamvis thoro ſeparata, tamen fidi in maritum adfectus conſtans. In iti-

(a) *Ericum aliis tutoribus tradit*] Sed *Knytlingor. Hiſtoriae* auctor *cap.* 79. dicit, Ericum a patre itineris ſocium, in comitatu aliorum Magnatum adſumtum fuiſſe.

(b) *Addit ſociam ſe Bothilda*) Etiam hoc ex Saxone, ſic habente *pag.* 227. „ Nec piger Botildae ad coniectanda mariti „ ſtudia animus fuit. Quem quidem eodem voto, ſed dividuo „ toro ſequuta, profectionis meritum pudicitia cumulavit. „ Sed in *Hiſtoria Knytlingorum*, *cap.* 78. dicitur, eamdem Reginam, ante profectionem in Orientem, fuiſſe ab Erico ſeparatam; adque propinquos remiſſam. Cui tamen auctori in iſta re non magis credendum iudico, quam in ceteris de Botilda narratis, de proſapia ipſius ſcilicet. Narrat enim *cap.* 75. *& ſeqq.* Henricum IV. Caeſarem, occaſione uſum abſentiae Erici Boni, qui tunc Romam abierat, conſcripto numeroſo exercitu in Vandaliam moviſſe, totamque ſibi ſubieciſſe, incolis in ſacramentum adactis. Digredientem vero, regnum illud cuſtodiendum multis proceribus reliquiſſe, ex quibus uni, Biornoni adpellato, ſororem ſuam Botildam nuptum dederit. Poſtea Ericum in Daniam reverſum, Vandaliam armis recuperaſſe, atque interemto affine Imperatoris Biornone, Botildam ſecum abduxiſſe, ex qua ei deinceps filius Canutus ſubſceptus. Hoc nondum pubere, Botildae ſignificaſſe, ſibi in animo eſſe, facto divortio, eam ad cognatos remittere. Quod & factum. Ceterum quis non videt, fabulam heic narrari, & quidem, ut ſolet, dici craſſiſſimam? Henrico IV. Caeſari longe alia incumbebant negotia, quam ut de Vandalia cogitaret occupanda. Ego, ſi quid in rebus, ob defectum monumentorum obſcuratis, coniicere licet, (ut profecto par eſt, ac licebit, ſalvo eorum, qui poſtea examinaturi ſint, iudicio,) nullus dubito, fabulam ex vero originem traxiſſe, verique indiciorum nonnihil adhuc praeferre. Etenim mihi perſuaſum, Botildae ad genus pertinuiſſe, atque avunculum fuiſſe Henricum, non certe Germaniae illum Regem, ſed Slaviae, atque Godeſcalchi filium in Hiſtoriis Slavicae gentis percelebrem. Hunc Henricum plane, ac penitus ignoratum fuiſſe auctori *Hiſtoriae Knytlingorum* res certa eſt, & multiſque indiciis deprehenſa. Quid? quod neſciverat idem auctor, Svenoni Vlfonidae, Regi Daniae, (quem Eſtrithium vulgo vocamus,) filiam extitiſſe Syritham, quae Godeſcalcho elocata, mater extitit Henrici, de quo loquimur. Patet hoc ex *cap.* eius 23. quo de progenie Regis Svenonis agit, nec non ex toto eius opere, ſi quis perluſtrare velit. Nam Syritham illam Regem Svenonem habuiſſe parentem, quis dubitaverit, poſt Adami Bremenſis, Saxonis Grammatici, Helmoldi, Crantzii, Nicolai Mareſc. Thurii &c. diſerta, ſibique conſtantia teſtimonia? Noſter vero *Knytlingor.* Hiſtoricus, cui in Dania ſeculo XIV. verſanti, aliquid lectum, auditumque fuerat de adfinitate, ſanguiniſque coniunctione inter Ericum Bonum, & Henricum quemdam Regem, cuius magna apud Slavos olim fuiſſet auctoritas, & potentia, intelligendum eſſe de Henrico Rege Germaniae S. Imperatore, quippe qui eiſdem temporibus regnabat, credidit, imperitus ſcilicet rerum Slavicarum, regemque Slavis imperitaſſe eo nomine adpellatum, neſciens. Hinc omne illud quodcumque de Henrico Slavo ſive a Danis, ſive aliunde perceperat, ineptus, audaciſſimuſque ſimul hiſtoriarum corruptor, ad Henricos Imp. traxit. Fecitque illud non tantum locis modo adlegatis, verum & poſtea aliquoties *cap.* 78. *cap.* 84. & *cap.* 90. Quid ergo? Fabularum in cenſum cuncta iſta referemus? ita profecto par eſt, nihilque propemodum datur, quo Scriptori ſuccurrere, tantamque ignorantiae nec non temeritatis labem poſſimus abſtergere. *Propemodum* dixi. Namque haud ſingula prorſus condemnanda eſſe, quae narravit, poſtquam illa de Imperatore demſeris, licebit innoxie opinari. Sane, quae *cap.* 75. idem noſter de ortu Botildae, paterno ſcilicet eius genere prodidit, uſque adeo vero habentur conſentanea, ut Thormodo Torfaeo prorſus ſint adprobata (*Hiſtor. Norv. P.* 3. *pag.* 183.) Saxoniſque Grammatici narrationem (*lib.* XII. *circa init.*) mirifice illuſtrent. Itaque non male iudicaturum puto, qui ad eumdem Scriptorem etiam veri aliquid perveniſſe de Henrici Regis Slaviae, & Botildae, Erico Bono nuptae, ſanguinis propinquitate opinabitur; hoc autem illum corrupiſſe, non tantum, quod Henricum ſtatuerit Imperatorem, ſed & quod Botildam ſororem eius uterinam dixerit. Soror certe haberi nequaquam poteſt, ex eadem matre procreata; niſi velis, Syritham, poſt necem Godeſcalchi, alteras in Dania cum Thurgoto nuptias iniviſſe, poſteaque ab Erico Bono inductam in thalamum fuiſſe puellam ex propria ſorore Erici genitam. At utrumque veriſimilitudini repugnat; neque enim Erico, quamquam intemperantiae maculis cooperto, hiſtorici inceſtus crimen impegerunt, quod neque Saxo Grammaticus tacuiſſet, nec Syritha in Daniam reverſa eſt; quippe quam Mecklenburgi in viduitate conſenuiſſe Wandalici Scriptores memorant. Ergo ſororum Enrici aliquam, & quidem Godeſcalcho ex priore coniugio genitam, matrem coniugi Erici adſignabo, illam enim ducere Thurgotus potuit, atque iſto ex coniugio orta apud Danos Botilda Erico Bono in manum convenire, ſive Biornoni Slavo prius fuiſſet deſponſata, ſive non; nam & hoc commentis potius adnumerandum puto Hiſtorici *Knytlingorum*. Botildae patrem Saxo noſter diſerte Thrugotum nominat, avum Vlfonem Gallicianum. Addit *Knytlingor.* Hiſtoricus, Vlfonis Galliciani uxorem filiam fuiſſe Haconis Ericii, Comitis Norvegi, eius qui Norvegiam pro Rege Cnuto M. gubernarat, atque poſtea in mari periit, Botildam adpellatam. Quae omnia ut clarius pateſcant, ſubiiciam lectorum oculis genealogiam utriuſque, tum Henrici Slavorum Regis, tum Botildae, quae Erico Bono nupſit, ſorore eiuſdem Henrici, ex hypotheſi noſtra, editae:

1. *Codeſcalchus*, Slavor. Rex, ex *priore coniuge*, quam Nicol Mareſc. Thurius *Symbullam*, Sarmatarum Regis filiam, nominat, genuit *Butuen*, teſtib. Adamo Brem. & Helmoldo, atque ut puto, filiam, Thrugoto Dano, Vlfonis Galliciani filio, elocatam; ex *altera coniuge*, quae Regis Dan. Svenonis Eſtrithii filia fuit, *Syritha*, *Henricum*, qui inter annum 1050. & 1060. natus, poſt necem patris *Godeſcalchi*, circa ann. 1066. in Daniam pervenit, atque circa ann. 1105. paternum regnum recuperavit, mortuus demum circa an. 1126.
2. *Hacon*, Erici Comitis Norvegiae filius, natus ann. 995. (teſte Torfaeo P. 3. *lib.* 1. *cap.* 12.) ſubmerſus in mari an. 1029. Eius filia *Botilda*, nata ſupponitur circa ann. 1020, & nubere potuit Vlfoni Galliciano ann. 1036. *Thrugotus*, Comes, Vlfonis Gallic. & Botildae fil. natus 1037. duxerit Godeſcalchi Regis Slaviae ex priore matrimonio filiam circa ann. 1060. Ex his nata *Botilda*, Erici Boni, Daniae Regis, coniux.

Atque hoc modo haud male omnia cohaerebunt. Neque ulterius nunc quidquam addam, niſi & hoc minus praetermittendum, eſſe inter recentiores, qui Botildae genus ex Svecis derivent, paternum ſcilicet. At nihil eiuſmodi habet Saxo. Et *Knytlingorum Hiſtoriae* auctor diligenter *cap.* 75. adnotat, Thrugotum Botildae patrem fuiſſe Svenonis Regis, Daniae palatio praefectum (*Hird-Iarl*, quod Comitem aulae S. Palatii ſignificat,) huiuſque patrem Vlfonem, poſtquam per Oceanum Occidentalem piraticam feciſſet, Galliciaeque oras vaſtaſſet, unde *Galliciani* nomen reportavit, in Dania evectum fuiſſe ad Comitis dignitatem. Denique S. Wilhelmus Abbas, in epiſtola illa (*lib.* 2. *epiſt.* 23.) qua Ingeburgis Reginae Francicae genus enarravit, Botildam S. Canuti Lavardi matrem adſeruit *ex nobiliſſima Danorum proſapia* ortam.

ſtinere, quod inſtituit anno regni ſui octavo, ab Alexio, qui Conſtantinopoli imperium tunc Orientis obtinebat, permagnifice eſt exceptus (a); ſed dum redit ipſe, & Bothilda uxor, quum in Cyprum perveniſſent, vita functi, in hac inſula tumulum ſuum invenere. Mortis tempus non eodem modo fertur, & Ericus Pomeranus tradit in milleſimum centeſimum, ac primum annum incidiſſe; at Anonymus quartum annum poſt id tempus nobis memorat, milleſimum centeſimum quintum (b). Fuit Bonus cognomento (c) adpellatus; quod, ut regnum accepiſſet, illico ubertas tanta rerum omnium fit ſequuta, quanta caritas ſub Olao pridem fratre exſtitiſſet. Ac profecto alias habebat dotes, quibus etiam hoc cognomine dignus eſſe merito cenſeri poterat; etenim benevolentia in ſubiectos tanta erat, ut comitia quum dimitteret, blande proceres rogaret, domum poſtea reverſi, vellent coniuges, liberoſque ſuo nomine ſalutare; tum promitteret, ſedulo ſe curaturum, ne iniuria cuiquam ulla, aut vis fieret: neque verba illi dabat; adeo obſervans aequi, ut, ſi quiſquam contra ius, & fas opprimere quemquam vellet, maxime pauperem, quem tenuitas fortunae opportunum iniuriae potentiorum faciebat, ſeveriſſime vindicaret. Itaque & malis erat metuendus, & amandus bonis omnibus; pius etiam, animoque in Deum grato, Slangendorpii, ubi natus, eo ipſo in loco templum, monaſteriumque ſtruxit; quorum etiamnum illic rudera conſpiciuntur. Eloquentia ſic valebat, ut, quae vellet, in comitiis ſemper cunctis perſuaderet; voce adeo ſonora, ut impleret concionem, & a remotiſſimis quibuſque etiam facile intelligeretur. Accedebant dotes corporis, ac ſtatura excellebat, uti inter circumſtantes quoslibet, vel proceriſſimos, humero tenus emineret; membris ita ordinatis, ut compages maxime decora eſſet; facies, imperio digna, maieſtatem praeſeferre; denique robur tam inſigne, uti ſedens longius, quam ſtantium quiſquam, haſtam, lapidemve iaceret. Sed tam bonas animi, corporiſque dotes, ceteramque omnem gloriam, unica libidinis nube obſcuravit; nam addictus concubinis ante initum matrimonium, illud ipſum, poſt contractum, adulterio turpiter contaminavit; nec contentus, etiam repudium uxoris addidit, ſumma caſtitate feminae, quam & mores honeſtiſſimi, & decora principi matronae forma, commendabant. Liberos ex concubinis genuit, Haraldum filium, natu ceteris maiorem, cui regnum per abſentiam gubernandum demandaverat: ex Bothilda vero coniuge, Petrum, ac Canutum (d) ſuſtulit, ducem inde Sleſvicenſem, qui Roſchildiae interfectus (e); tum cognominem Ericum ex adulterio poſtea Regem, filias praeterea duas, Caeciliam, Erico nuptam, Falſtriae praeſidi; tum ignotam quoque alteram, Haquino cuidam, inter Cimbros (f) nobiliſſimo, elocatam. Regnum tenuit, uti quidam prodidere per ſexennium; alii decennium tradunt (g).

NI-

(a) *Permagnifice eſt exceptus*] Non parce verſatur in magnificentia iſta praedicanda *Hiſtoriae Knytlingor.* auctor, ex quo nonnulla quoque excerpſit Torfaeus *Hiſtor. Norv. Tom.* 3. *lib.* 8. *cap.* 1. Facit inter alia mentionem ſpectaculorum, quae Alexius Imperator in honorem Erici exhiberi fecit; dicitque auctor adpellatos Graecis ludos illos *Padreims-Leik* (hoc eſt ludos Padreimi, nam *Leik* veteri noſtra lingua eſt *Ludus*, hodie *Leeg*,) nempe a *Padreimi* urbe, in qua tales edere Regibus moris fuerat. Neque ab iſta interpretatione diſcedendum ſibi credidit Torfaeus. Ego vero indicari arbitror *Hippodromia*, & urbis *Padreimi* loco *circum*, *hippodromum* nominatum, intelligendum, ipſa vocum ſimilitudine huc ducente.

(b) *Milleſ. centeſ. quintum.*] Hunc quoque Pontanus annum praefert, & Bollandus in *Actis SS. Ianuar. T. I. pag.* 392. adprobat. Neque ego aptius ullum tempus video ad annos Olavi, & Erici Boni recte computandos; ſiquidem S. Canuti caedes incidit in annum 1086. Inde Olavus praefuit octo annos, menſeſque novem; mortuus ergo 1095. Ericus octonos integros annos regnavit, quos arbitror numeratos eſſe a fine anni 1095 (ſiquidem Olavus in vigilia Natalitiorum Chriſti obierit,) uſque ad ann. 1104. quo e regno Ericus diſceſſerit, ſequenti anno apud exteros fato intercipiendus. *Knytlingor. Hiſtor.* annum 1103. indicat. Dicit enim, Erico fratri ſucceſsiſſe Nicolaum, ceteris fratribus iam fato functis; inauguratum autem Nicolaum anno mortem Erici Regis inſequuto, quo & ipſo Paſchalis Pontifex pallium miſit Archiepiſcopo Aſſero, *cap.* 83.

(c) *Bonus cognomento*) Peculiari vocabulo *Eygode*, quod non ſimpliciter bonum, ſed *ſemper-bonum* denotat, particula *ey* praepoſitiva hanc emphaſin inferente. Sveno tamen Aggonis latine *Ericum Bonum* ſimpliciter adpellat, ſicut etiam pleriſque conſuetum. Vernaculum illud ſcriptum occurrit varie, *Eygothe*, *Egothe*, *Egoth*, *Eygotha*. Sed maior eſt differentia, quae in duabus ab Olao Wormio editis *Seriebus* adparet, quarum prior exhibet *Erik Argaſta*, plane contrario ſenſu, cum hoc *peſſimum* ſignificet, ab *arg* malus, in ſuperlativo *argaſta*; altera vero *Argothe*. Vtrumque cenſemus corruptum eſſe, forte deſcribentis culpa. Ceterum dicat mihi aliquis, qui fiat, quod Pontifex Romanus in litteris, quibus pallium confert Archiepiſcopo Lundenſi, eodem cognomine *Egoth* noſtrum mactet, viventem, ut credimus, ac Romae quidem tum, quum litterae iſtae ſcriberentur, (anno 1104.) praeſentem? Sic enim in Nicolai Archiepiſcopi *Chronico* ſupra citato, legimus: „ *Anno Domini MCIIII.* miſſum fuit pallium Lundis a Paſchali Papa, cuius tenor eſt talis: *Paſchalis Epiſcopus, Servus Servorum Dei*, &c. *Procurante Illuſtriſsimo Rege Danorum, Slavorumque Erico Egoth, Duce Eſthoniae, & Domino Nortalbingie, Reverendo in Chriſto Patri, ac Domino, Domino Aſcero Lundenſi Archiepiſcopo, Sveciae Primati.* An forte, in exemplo, cuius haec prima tantum verba in *Chronico* ſuo repraeſentavit Nicolaus Archiepiſcopus, ab ipſo vocabulum *Egoth* inſertum? Vel, ſi idem illud authentica Bulla adgnoverit, an tale ſibi Ericus cognomentum vivus adpropriavit? Denique, an non pro parte nominis proprii habendum, quod ita geminatum Regi fuerit, quemadmodum *Harde-Knuti* illud, ita ut in infantia impoſitum uſque, & ſemper geſſerit? Credam, hanc ultimam opinionem (cui & nos facile accedemus) fuiſſe Cornelii Hamsfortii, inſignis olim apud nos Medici, & Hiſtorici, in cuius *Annal. MSS.* legitur: *Anno* 1096. *Ericus Eigota, nomine, & virtute Bonus, regnat.*

(d) *Petrum, ac Canutum*] *Petrum* hunc ignorant univerſi ceteri, Saxo, Sveno Aggonis, Hiſtoricus Knytlingorum, Anonimus Lindenbrogii, Pſeudo-Ericus, recentiores item, Crantzius, Pontanus, alii. Vnde ergo habuit Meurſius? Dicam poſtea ad *pag.* 76. *a med.* ubi commodior erit locus fontem erroris Meurſiani ad oculum commonſtrandi.

(e) *Qui Roſchildiae interfectus*) Adlucinatur noſter, confundens Canutum, Magni filium, Nicolai Regis nepotem, cum Canuto Erici Boni filio. Ille Roſchildiae interfectus; hic prope Ringſtadium.

(f) *Haquino cuidam inter Cimbros*] Knytlingorum Hiſt. *cap.* 78. non Cimbrum, ſed Norvegum dicit, *ex Regio Norvegorum ſanguine ortum. Is Sunnifae* (verba eiusdem ſunt,) *vulgo filius vocatus. Nam matrem habebat Sunnifam, cui pater Haquinus Ivarides, mater Ragnhildis, filia Magni Boni erat, neptiſque adeo S. Olavi Regis. Haquino illi Norvego, Sunnifae filio, Erici Regis filia peperit Ericum, Agnum cognomine, poſtea Regem Danorum factum.* Quin etiam ipſe Saxo *pag.* 240. Haquinum eumdem *Sunniva ortum* dicit. Vxorem eius, Erici Boni filiam, Meurſius *ignotam* ſcribit, quia nimirum nomen eius tacetur. Pontanus illud in *Tabula Genealogica*, quam *pag.* 231. inſeruit, *Annam* expreſſit. Rectius Torfaeus vocat *Ragnhildem*, *Hiſt. Norv. Tom.* 3. *pag.* 522.

(g) *Decennium tradunt*) Et recte; ſi ab anno emortuali Olavi adfinem Erici putemus, anno, ut mihi perſuaſum, demum 1105. extincti.

NICOLAVS.

Certiores de Erici morte proceres, eius filium Haraldum [a], cui ille regni curam, quum abiret, demandaverat, ob asperitatem morum, in ordinem cogunt, & Svenonis filiis successionem rursum liberam, sicut ipse constituerat, esse volunt. Inter istos adeo cupide regnum adfectabat Sveno, ut, senatu praeterhabito, sat praesidii sibi esse in conventu Viburgensi positum existimaret; sed, dum iter huc festinat, neque cogitat, frustra regnis, quae a Deo conferuntur, inhiari, inter viam febri interceptus moritur. Cui Vbbo, ordine aetatis proximus, quum succedere deberet, & offerrent quoque proceres, is contraria modestia, & omnino singulari, veluti onerosum sibi deprecatus, in minorem natu fratrem Nicolaum, sceptrum transfert; in quem, quum & senatores consensissent, ille nil cunctatus accipit, & acceptum in principio maxima cum laude gerit [b]; Sed, virtutis parum constans, quum in vitia declinaret, se, regnumque plurimis involvit malis. Et Henricus Godescalci Vandalorum principis filius, ex sorore Syritha nepos, qui a suis post parentem interfectum, in exsilium compulsus, diu in Dania vitam egerat [c], ac devictis tamdem illis, principatum patrium recuperaverat, quum maternam hereditatem saepe frustra ab avunculo postulasset, armis extorquere nisus, bellum infert, initoque foedere cum Nordalbingis, terras inter Albim flumen, & Slesvicum populatur; tum ulterius progressus, agrum quoque Slesvicensem universum plurimis incursionibus adeo infestum reddit, ut praesidio se tueri Nicolaus cogeretur; quum Elivus, qui ducatui Slesvicensi tunc praefectus, bellum suadet; isque, obsequens consilio, classem in Vandaliam ducit; equitatum, per Holsatiam ducendum illi mandat. Sed Elivus, qui consilia cum Henrico clam miscuerat, ut facilius pedites is profligaret, moras nectit, equitesque varie interquiescens, circumducit; ac subinde, ne proditio adpareret, nuntios mittit, qui cunctationis causas, magno studio confictas, indicarent; simul etiam promitterent, se, quamprimum fieri posset, adfuturum. Nicolaus, nihil fraudis subspicatus, copias in terram exponit; ac, tentata infeliciter belli alea, quamvis fortia quaeque faciens, & Canuto insuper nepote saucio, mox in Daniam revertitur; tum Elivum, iam perfidiae manifestum, ad se vocat, exuitque praefectura, & bonis omnibus, quae in Dania, velut eius regni cliens, possidebat; plus supplicii in inopia, & infamia, quam in morte situm ratus. Quibus in Vandalia gestis, dux Henricus, insolentior victoria, gravius incumbit Danis; &, maritima quaeque loca atrocissime populatus, etiam Slesvicum urbem oppugnare tamdem audet: sed repulsus maxima virtute civium, cum suorum clade redit. His Henrici incursionibus quum Canutus, filius Erici Boni, Nicolai patrui militiam sectans, devastatum misere ducatum Slesvicensem cerneret, ac deesse illi ducem, qui iniuriam Henrici, & vim armis propulsaret, adit regem, & praefecturam, quam oblatam gratis plures motu Henrici recusassent, sibi demandari petit [d], atque eo, nisi pretio persoluto, concessurum se negante, venum data facultatum parte, redimit. Hinc, reducere in antiquum statum cupiens, per legatos nuntiat Henrico pacem; ea lege, *ut, quae dederat, damna sarciat, & abductam praedam reddat*; interim, ceu iam tum certus de responso, arma parat, in negantem proferenda, acciditque, quod futurum existimaverat, nam Henricus sat промociter respondere; *nec cum Danis amicitiam ullam velle, nec hereditatem petere, donec eam accepisset, destiturum*. Itaque Canutus mox redire eosdem, & indicere bellum iubet, quo Henricus intellecto, dictitare sat contemtim; *similem Canutum equo, qui lasciviat, neque fraenum, aut sessorem patiatur; verum mox se iniecturum, & facturum, ut deinceps illum quoque ferre discat*. Quo responso irritatus magis etiam Canutus, arma comparata movet; &, vigilia noctis prima tacite ingressus iter, nec per viam quemquam laedens, nuntiumque adventus sui antevertens, prius quam sol oriretur, Henricum in arce sua occupat; isque, se oppressum videns, quum nil minus exspectaret, nec praesidium advocare, nec resistere oppugnanti satis validus, quod restabat, illico conscenso equo, per subiectum amnem evadit; ac Canutus, eum in fugam compulisse satis habens, arcem expugnat, diripitque; &, opima ferens spolia, domum redit. Hinc continuatum bellum est, levibusque interdum pugnis mutuo se divexarunt,

(a) *Filium Haraldum*) Is cognomine *Kesia*, quod vocabulum *Hastam* notat, communiter vocabatur, forte a procero, & gracili simul corpore.

(b) *Maxima cum laude gerit*] Praeter bonitatis, & mansuetudinis dotes, quae in eo insignes laudantur, eminuit quoque propagandae religionis studium; nam multos religiosorum ordinum viros in patriam arcessivit. Praeterea, inito cum Norvegiae Rege Sigvrdo foedere, Smalandas Sveciae provincias, ad paganismum relapsas, Christianam fidem recipere coegit. De qua expeditione commemorans inspiciatur Torfaeus *Histor. Norv. Tom. 3. pag.* 478. Quid? quod adversus Slavos, & Saxoniam infestantes paganos minime segnem fuisse loquitur Epistola Adelgorii Archiepisc. Magdeb. in Martene *Vett. Monum. ampl. Collect. pag.* 626. ubi ad bellum contra barbaros inceptandum Rex Danicus (quem *Nicolaum* fuisse annus 1110. indicat) exempli instar proponitur: *Ad hoc bellum devotas obfert manus cum populo suo Rex Dacorum, & alii Principes per circuitum*.

(c) *Diu in Dania vitam egerat*) Testis quoque Helmoldus *Chronic. Slav. lib. 1. cap.* 34. „Henricus filius Godescalchi egressus est Dacia, & reversus est in terram patrum suorum. „Cui cum Cruco introitum praecluderet omnem, ille collecto „de Danis simul, atque Slavis navium numero, percussit. Al„denburg &c.„ Deinde idem Scriptor exponit, quomodo, Crucone per insidias obtruncato, Henricus coniugem eius Slavinam in uxorem, totamque Slavorum terram in ditionem suam acceperit.

(d) *Sibi demandari fecit*) Alii hanc provinciam a patre sibi hereditatis loco adsignatam adiisse scribunt. In his etiam Knytlingorum Historia. Helmoldus in *Chron. Slav. lib. 1. c.* 49. a prima usque adolescentia, ut insidias patrui, Nicolai Regis, evitaret, apud Lotharium Saxonem, postea Imperatorem, magno in honore vixisse memorat, (quo Bangertus supputat eum concessisse circa annum 1110.) postea in Daniam reducem benigne a patruo exsceptum, *Ducatum totius Daniae* obtinuisse. Erici Pomerani *Chronicon* refert ad annum 1115. *S. Canutus fit Dux Daciae*. Qui posterior annus mihi videtur magis ad veritatem accedere, eoque Canutum fere vicenarium exstitisse.

runt, donec tamdem in Vandaliam impetum Canutus faciens, iusto praelio superatum fugere Lubecam cogit, alias quoque [a] commorari illic solitum; atque, dum hic delitescit, porro in Vandaliam tendens, totam pene eius ditionem vastat, qui quum fractas plane vires suas cerneret, ac timeret, queis terrori pridem fuerat, animum ad pacem vertit, & per literas eam petit: quas Canutus, simulatque accepisset, vir magnanimus, ac contentus semel hostem debellasse, maluit servare fractum, ac iacentem iam erigere, quam omnino pessum dare. Itaque, viginti equitibus comitatus, maiore audacia, quam prudentia, pace necdum constituta, in Vandaliam ad Henricum proficiscitur; quumque ad arcem, in qua erat, pervenisset, nuntium mittit, qui adventum indicaret, & educeret ad colloquium. Ille vero, ut ad mensam adsidebat exilire, & ad arma ocyus vocare suos; sed, periculi nihil esse, nuntio pronuntiante, & adesse pacis causa, ubi esset, ac quam prope, percunctari; inter quae adhuc loquentem cum Canutus occuparet, alter in alterius amplexum ruere, neque lacrymas continere: ubi Henricus, maximam humanitatem, animique magnitudinem, ac virtutem admiratus, in hanc vocem erupisse memoratur: *infelicem certe Daniam, cum hunc talem, ac tantum virum olim amissura erit!* inde, una discumbentes, ac benigne de illatis utrobique damnis questi, ita demum convenere: *ut Canutus, qui Henricum, ad conciliandum sibi avunculi Nicolai gratiam sedulo adhortatus erat, bona omnia, quae deberi ille sibi ex hereditate diceret, pretio soluto emeret, ac teneret, dum redimeret Nicolaus*. In hoc foedere, hunc in modum constituto, ambo deinceps constantissime permansere; & Canutus postea haec ipsa bona eodem pretio, Nicolao venum dedit; isque Henrico, quam hereditatem ante iniuste admodum, maximo suorum damno denegaverat, nunc conditione ea, qua tot mala, tam ingentia prohibere potuisset, tamdem tradit, & cum eo pacem init. Post quae, quum Henricus senio se gravari persentisceret, ac socordes esse filios, nec capaces principatus, tum vicinos sibi Saxones, inimicos, cogitaret, factu optimum putavit, ut Canuti eos fidei magno studio commendaret [b]; inde, morti suae proximus, iterum orat vehementer: *ut tutelam filiorum, regimenque principatus, cupere velit; quippe illos, minime pares, ac se alium, in quo adquiescere possit, ignorare*. Quumque ipse subterfugeret, & invidiam praetenderet, qua se flagraturum sciret, porro instat, & adiungit, *facile Lotharium Caesarem, quatenus eius interesset, ratum item habiturum*. Itaque permotus tamdem curam admittit, regimenque pollicetur, & Henricus, ut Canuto aditum faciliorem strueret ad principatum, illico ad Caesarem legat, qui & acta indicarent, & rogarent, ut habere rata vellet, atque ut negotio minore impetrare queat, mittit munera, maiestati Caesaris convenientia, ac Canutus a se addit aequum insignem, fraeno, sella, phalerisque auratis stratum; tum & soleis ornatum, ex auro puro fabricatis. Cognita legatione, Caesar, cupidus promovendi in septentrionem Imperii, blande admodum, & probare acta ducum se respondet, & Canuto principatum terrae Megapolitanae suo tempore haud gravate firmaturum. Hoc legati quum Henrico retulissent, is Canutum, iam in fata concessurus, advocata optimatum concione. Vandalorum, qui imperio eius suberant, ducem adpellat, ac Canutus, eo mortuo, mox ad Caesarem profectus, quum promissum postularet, non dumtaxat illud obtinet, sed donatur etiam Vandaliae regno, & corona [c], quamlibet obnitens maxime, decoratur. Etenim Caesar, qui Canutum regia stirpe natum sciret, ac duobus tunc ducatibus, qui a limite Slesvicensi longe in ortum se porrigerent, praepotentem; insuper virtute clarum, animique, & gestarum a se rerum magnitudine excellentem, commodam occasionem exercendi in septentrione imperii, quod nequidquam ante se tentassent alii, consequutum sese ratus, ultro neque exspectantem, & renuentem, Vandalorum, quatenus ad se pertinebant, regem creat.

(a) *Lubecam cogit, alias quoque*) Helmoldus loc. cit. *pag.* 88. „ In universa Slavia necdum erat Ecclesia, vel Sacerdos, nisi in „ urbe tantum, quae nunc *vetus Lubika* dicitur, eo quod „ *Henricus* cum familia sua saepius illic moraretur. „ & *cap.* 41. *pag.* 107. „ In diebus illis non erat Ecclesia in universa gen- „ te Lubiciorum, Obotritorum, vel Wagirorum, nisi tantum „ in urbe Lubeke, eo quod illic fuerit Henrici familiare con- „ tubernium. „ Priorem locum scripsit Albertus Stadensis ad ann. 1106.

(b) *Vt Canuti eos fidei commend.*] Haec, & quae sequuntur, de tutela filiorum Henrici, quantum novi, unius Saxonis auctoritate nituntur. Ex hoc Crantzius in *Vandal. lib.* 3. *cap.* 28. *seq.* aliique exscripsere. Helmoldus, & Alb. Stadensis filios Henrici, circa annum 1126. defuncti, [sic Bangertus, Crantzius vero ann. 1122.] Zuentepolchum, & Canutum, intestinis bellis sese, & ditiones suas divexasse scribunt; unde multa quoque ad vicinos incommoda fluxerunt. Canuto, altero fratrum, non longe post interfecto, Zuentepolchus solus dominio potitus, Obotritos adgreditur, urbemque *Verlo* occupat. Sed neque diu supervixit, dolo Dasonis cuiusdam Holsati peremtus. Idem fatum subiit filius eius Zuinike. Atque sic Henrici stirpe tota deficiente, Canutus, Erici Boni Daniae Regis filius, cognomento Lavardus, qui, ut Helmoldus prodidit, ex aula Lotharii Saxonis, ubi aliquamdiu vixerat, reversus, ducatui Iutiae, seu Slesvicensi praeerat, Lotharium, tunc Imperatorem factum, adiit, *emitque* (verba sunt Helmoldi) *multa pecunia regnum Obotritorum, omnem scilicet potestatem, qua praeditus fuerat Henricus*. Haec ex Helmoldo Stadensis *foll* 157. 158. tum Anonym. *Chron. Slavor. cap.* 17. Mihi quidem ex hoc ipso videtur coniectura mea confirmari, qua Botildem, Canuti matrem, filiam fuisse Godescalchi, & sororem Henrici Principis Slavorum dixi; ut ita Canutus potuerit aliquali iure innixus in successionem illam admitti postulare. Non vero, quod Messenio credam, *Scondiae Tom. I. pag.* 95. dicenti, Canutum *ab Henrico, Vandalorum Rege ultimo, throni heredem Slavonici* fuisse *deputatum*; quum Henricus duos reliquerit heredes filios, praeter patruelem Pribislaum. Neque cognatio illa cum Henrico per matrem huius Syritham, Principem Danicam, Canutive Lawardi amitam, aliquid in Slaviam iuris dabat. Knytlingorum Historicus nihil nobis hoc loco repraesentat, nisi meras nugas, & frivola quaedam commenta, de Henrici V. Imperatoris, quem Canuti Lavardi avunculum facit, summa in ipsum benevolentia, pretiosisque, quibus eum donavit vestibus, [*capp.* 84. 85. & 90] nullum de Lothario Caesare, nullum de Slavorum, seu Obotritorum regno vel verbum faciens, ita ut Scriptorem istum in magna fuisse ignoratione Historiae Canuti Lavardi adpareat, atque ad tegendam inscitiam suam insipidas illas fabulas confinxisse.

(c) *Vandaliae regno, & corona*] Helmoldus, & Albertus, locis cit. *Et posuit Imperator coronam in caput eius; ut esset Rex Obotritorum, recepitque eum in dominium*. (Alb. *in hominem*.) Confer. Crantz. *Vandal. lib. cit. cap.* 3.

creat. Quo honore praeter sui animi sententiam auctus, postquam domum rediisset, quam provinciam nactus erat, summa cura, & prudentia exornare mox adgreditur, tanta laude, nominisque sui fama, ut, quemadmodum subditi amabant plurimum, sic vicini, exterique formidarent. Sed, dum pacem suis curat, & constituit, Haraldus, & Ericus fratres, inter sese diffidere (a); & Haraldus, quam virtute se nacturum desperabat, scelere famam aucupatur; nam, coactum se in ordinem post parentis mortem dolens, ut per fas, ac nefas, sibi gradum ad potentiam strueret, latrociniis, & piratica, reddere infestum regnum conabatur; tum Roschildiae imminebat, structa iuxta urbem arce, quae aequata solo hodie, vix vestigiis exstantibus, eius adhuc nomen servat (b). Hinc non tantum agros civium populari, sed & urbem ipsam ausus, vi nonnumquam irrumpebat, nec redibat, nisi cum ingenti praeda: quod quum faceret idemtidem, adeo exhausit eam, ut, paullatim civibus diffugientibus, ex splendore longe maximo, quem id temporis obtinebat sedi regum Daniae convenientem, in hanc, quae nunc cernitur, tenuitatem sit deducta; ac, quantumvis plurimi mutarent locum, tamen illi, qui manebant, Sialandiam universam ad suppetias concitare, & confestim, arma undique rapientes, impetum in eum facere, qui cum fuga evasisset, arcem invadunt, & diripiunt; ac inventa illic bona inter sese partiuntur, quaeque certo sua esse quis probasset, ea reddunt. Et Ericus, minor annis, qui ex adulterio natus, ideoque ab hereditate exclusus, fratris odio, & iniuria provocatus, ipse quoque se miscere, ac bonorum partem aliquam vindicare; qua de re quum inter eos postea contentiones promanarent, ambos advocat Canutus, & in gratiam reductos, adtributa hereditate, quae a matris ipsis parte deberetur, animo fraterno deinceps esse inter sese iubet; tum hortatur, ne dissidiis privatis gloriam patris obscurarent. Inter quae quum Sveciae Rex, Ragualdus, diem suum obiisset, regem Ostrogothi legunt. Id quum Sveci, qui ad se hoc pertinere dictitabant, aegre ferrent, eo caeso, Magno, Nicolai filio, regnum tradunt (c); qui quum nuptias post id tempus circumspiceret, filiam ducis Polonorum, Boguslai (d), uxorem petit, impetratque. Neque ita multo post Rex Nicolaus in Sclavoniam, qua ad Orientem versa, contra Vratislaum ducem, dudum Danis, ac Polonis inimicum, & infestum pietati Christianae, classem ducit; cui adest, eius iussu, Magnus filius, ac Canutus Slesvicensis sua arma terrae infert; tum accedit belli socius e Polonia Boguslaus; qua de causa Vratislaus, quum se undique, & ab hostibus potentissimis premi cerneret, ac res suas inclinare, colloquium de pace petit: quo concesso, multa, quae necessitas iniqua temporis flagitabat, pollicetur. Verum Rex, fortuna utens, quamvis plurima offerentem, differt tamen, dum Sclavoniam pene totam potestati subiecisset. Quo peracto, Boguslaus, tradita Nicolao filia, quam non ita pridem Magno, per legatos, uti dixi, postulanti spopondisset, in Poloniam se recipit; denique, quum Nicolaus etiam Iulinum urbem expugnasset, nullam sibi Vratislaus spem in armis superesse animadvertens, iterum colloquium petit, & ad Strelam ventum exspectantem adit; quumque rex, iam placabilior, expugnatis oppidis munitioribus, intra navem advocasset, & in eam ille paucis comitatus regia fide descendisset, quidam in aurem insusurrant: *retinendum sibi hostem, quem in nassam*

(a) *Haraldus, & Ericus inter se diffidere*) Recte quidem. Ita ut cuncta, quae de illorum dissidio, dum adhuc viveret Canutus, commemorat Saxo, *pag.* 234. *seq.* vera esse existimem. Sed iis haud contentus Meursius, adiungit Roskildiae vastationem, atque plura, quae demum a Canuti obitu, per intestinum illud bellum inter Nicolaum, & Magnum Reges, fratresque Canuti Haraldum, & Ericum contigere. Tunc enim destructa Haraldi arx fuit anno 1133 & Roschildia sequenti anno depopulata ab Haraldo, omne ibi crudelitatis genus exercente.

(b) *Cuius adhuc nomen servat*] Dicta scil. *Haraldsburg*.

(c) *Magno Nic. filio regnum tradunt*] Quippe nato ex Ingii, Sveciae olim Regis, filia Margareta, quam prius Norvegiae Regi, Magno Nudipedi (vernacule *Barfod*) cognominato, nuptam ab eius obitu Nicolaus Rex Daniae duxerat. Verum, quae hic se obferunt in Historia Svecica, circa tempora, & annos (nam de ipsa re magna consensio) difficultates insigni, ut solet, dexteritate solvit Torfaeus *Histor. Norv. Tom.* 3. *lib.* 8. *cap.* 9.

(d) *Boguslai filiam*) Saxo *Bogislavi Polonorum praesidis filiam* vocat, *pag.* 235. Crantzius in *Vandalia* natam *Boleslao* Poloniae Regi adserit. Sveci, inque his Messenius, *Sventoslavam* nominant, Boleslai Polonorum Regis filiam, quae anno 1106. nata, nupserit primum Vlodemiro Russorum Principi, hinc anno 1128. Magno, Nicolai nostri Regis filio, atque ab eius obitu Sverchero, Gothorum Monarchae, *Chronol. Scond. Tom.* 1. *pagg.* 93. & 95. Nomen istud *Sventoslavae* Messenius didicit, ac desumsit ex Cromeri *Histor. Polon.* hic vero e Dlugosso, quippe qui ad finem anni 1106. meminit, Boleslao III. *Crivousto* cognominato, filiam fuisse natam, Sventoslavam, postea vero, quo devenerit, aut cui nupta fuerit, nusquam indicavit. *Historiae Knytlingorum* Auctor Islandus *cap.* 90. coniugem Magni adserit fuisse filiam *Burislavi*, Principis (non Poloniae, sed) Vandaliae, seu Slaviae, & quidem Rickizam nomine. Huic adstipulatur Thormodus Torfaeus, usque eo, ut Saxonem non dubitet erroris adcusare, quod Polonam gente fecerit, & quod Canutum Magni filium, a Svenone Rege aemulo fugatum, scripserit ad avunculos suos in Poloniam sese recepisse; quum Rostockium perfugii locus, ubi avunculi habitarint, ex Auctoribus Islandis credendus sit. Ita Torfaeus *Histor. Norveg. Tom.* 3. *pag.* 549. Ego vero, quidquid Islandi hic dixerint, omnino Polonam fuisse credo, idque mihi persuasissimum; & Saxonem quidem nonnisi unius heic erroris adcusandum, eiusque leviculi, quod *Bogislavum* scripserit, pro *Boleslao*. Neque enim credibile est, Regem Canutum Valdemari I. filium, unde mater sua genus duceret, queisve procreata esset parentibus, ignorasse. At, quomodo illud prodiderit, commemoratumque publico scripto dederit, invenitur in *Epistola* quadam *MS.* S. Wilhelmi Abbatis, quam is ad Pontificem ipsum Romanum Caelestinum nomine Archiepiscopi Absalonis exaravit, quum scilicet de probando agebatur nullam inter Philippum Regem Franciae, & Ingeburgem Valdemari I. filiam cognationem esse, quae coniugium impediret. In illa Epistola diserte haec leguntur: *VValdemarus autem hanc dominam nostram Franciae Reginam genuit ex Sophia, cuius pater fuit Valadar, qui & ipse Ruthenorum Rex fuit; plures enim ibi Reges sunt; mater autem eius, filia fuit Ducis Poloniae nomine Boleslavi*. Recte igitur Io. Bollandus S. I. in *Actis SS. ad d.* VII. *Ianuar.* Saxonis, & Crantzii relationem tuetur, quod uxor Magni, filii Regis Nicolai, Boleslaum patrem habuerit. Haec vero ipsa femina Magno filium peperit Canutum V. Roschildiae anno 1156. a Svenone interfectum, & ex altero coniugio cum Valadare, (seu Volodomiro,) Russorum Rege, Sophiam, anno 1154. Valdemaro I. desponsatam. At, inquies, ubi illam in historiis, & monumentis Polonicis, vel ubi inter liberos Boleslai III. inveniemus? Hoc vero fateor me nescire. Novi equidem Dlugossum longe diversum aliquid narrare *lib.* 4. *col.* 429. scilicet Boleslaum cum missis ex regno Daniae nunciis anno 1128. ad Wiclum magnificum egisse conventum, ibique filiam Regis Danorum adductam filio suo per Barones Daniae cum

sam pellexisset, & in Daniam advehendum, ut imponere finem bello certum posset; ac, consilium admittens, quum abrumperet colloquium, & exire Vratislaus navi cuperet, a nonnullis stipatorum, qui adstabant, prohibetur. Quod Canutus Slesvicensis postquam factum accepisset, princeps aequi, & honesti amantissimus, e vestigio regem adit, obsecratque: *ne se, gentem, patriamque universam, ignominia tanta adficeret, neu captivum Vratislaum cum dedecore sempiterno detineret; quin dimitteret, redderetque libertatem, quam consilio perfidorum hominum eripuisset; tum maiorum integritatem cogitaret, qui cum hostibus bella semper sic gessissent, ut nil fide prius ducerent. Insuper reputaret secum, nihil in obscuro geri, ac videre cuncta Deum, qui virtutem uti praemiis decoraret, ita poenis male facta quam gravissimis castigaret, nec severius tamen quidquam vindicaret, quam perfidiam*. Ac permotus hac Canuti oratione Nicolaus, Vratislaum mox dimittit, & Canuto collaudato, *quod non suae tantum famae, sed & gentis, ac posteritatis adeo universae rationem habuisset*, gratias ingentes agit, plurimum ringentibus illis, qui consilii tam pudendi auctores fuerant. Sed Canuto sua virtus deinde in exitium vertit; nam hi ipsi, adiuvante cum Vbbone, tum Haquino eius filio, & Henrico, Scadelario cognomento [a] adpellato, patrueli, homine nato in perniciem aliorum, mox consilia sua iungunt, & in necem eius iurant, neque desinunt quotidie apud Nicolaum regem per calumniam traducere, & adserere: *eum, vivo etiam rege, regnum Daniae adfectare, neque aliam ob causam a Lothario Imperatore Vandalorum regem dictum, quam ut sensim, viribus auctis, impetum in illud faceret, & imperio subiiceret: ac ne dubium quidem esse, quin eripere Magno filio aliquando regnum velit, nisi caveatur sedulo, ac conatibus quoque eius in principio occurratur*. Quibus verbis ita animum Nicolai alienum reddidere, ut offensa quamquam in praesens occultata, tempus tamen revelandae opportunum, exspectaret. Inter quae, quum nuptias Magni celebrare statuisset, magno admodum comitatu Ripam abit, & eodem sponsam ducit, quam a patre Boguslao in Vandalia ipsi traditam paulo ante memoravi. Aderant regni optimates, & in his Canutus quoque, velut sponsi patruelis, qui quum splendide vestitus, & Saxonico more esset, minime virum, hac occasione usi adversarii, & in illis princeps facile Scadelarius, apud regem criminari destiterunt. At Canutus, seu ignarus, sive etiam, quae vindicta magni animi, innocentia sua freti, adspernatus, quum exactae nuptiae essent, recipit Slesvicum sese; ac, compositis, quae exortae per absentiam, controversiis in Vandaliam, ubi cuncta perturbata, porro tendit. Etenim, quum liberi Henrici ducis, quibus tutor ab eodem datus erat, fato suo functi essent, & Vandaliae principatum Primislaus, ac Niclotus [b] patrueles, iure ad se pertinere contendentes, etiam bellum incoeptarent, comparatis statim copiis, contra eos proficiscitur, praelioque superatos, & capti-

cum magnifica dote accepisse in uxorem, nuptiasque *sumtibus profusis* celebrasse; Barones inde, & nuncios Daniae, qui virginem adtulerant, donis plurimis muneratos in Daniam remisisse. Sed qui factum, quod posthaec in tota Dlugossi Historia nusquam mentio, vel indicium saltem occurrat faeminae istius Danicae, uti neque eius ex Boleslai progenie Principis, cui nupserit? In filiis tamen Boleslai enumerandis, imo eorum & natalibus, & fatis adnotandis admodum diligentem se praebet Dlugossus, per quem neque ignorare licet, maximum filiorum Vladislavum, iam anno 1121. cum filia Imperatoris Henrici nuptias celebrasse, hancque marito suo, anno 1159. defuncto, supervixisse. Cazimirum, proximum natu anno 1131. ex continua aegritudine extinctum, nondum decennem; tertium, Boleslaum Crispum, an. 1127. natum; quartumque Miecislaum anno 1131. in lucem editum, ambos uno anno, qui fuit 1151. uxores e Russia accepisse. Filiam auctor ille nullam Boleslao III. adsignat, praeter Sventoslavam, de coniugio eius, atque fato plane tacens. Interim mihi persuasum, alteram quoque habuisse, *Richizam* (cuius nomen conservarunt nobis Islandi, etsi in gente, & parentibus errantes) coniugem Regis Magni, & postea Volodomiri, matrem Canuti V. & Sophiae Valdemari I. coniugis. Ab illa, Richizae nomen alteri filiarum Valdemari inditum, quemadmodum prima Ingeburgis paternae aviae illud gessit. Inter sex vero Regis istius filias nulla extitit Sventoslava dicta. Dlugossum, de Daniae Regis filia in matrimonium filio Boleslai adducta fabulam nobis narrantem, refellere supervacuum; quum is ipse postea coniuges filiorum Boleslai luculenter enarrans se refutet. Atque, quum alias pernotum, veteres Polonorum memorias multa incertissima, neque pauca a veritate prorsus remota continere, ostensumque etiam a nostri aevi sit Scriptoribus, qui Polonicas, & Silesiacas Historias illustravere, Dlugossum commentis satis alias indulgentem, (utpote cui anilia quoque illa, de Dania a Boleslao subacta, & de Petro Comite Dano recocta) nihil recti de matrimoniis sive Boleslai ipsius, sive filii eius Vladislai II. novisse; haud sane prudentis hominis fuerit, in quaestione, de contracta Danos inter, & Polonos hoc tempore adfinitate quidquam illius testimonio superstruere. Plane igitur eo misso, Saxonis, & eum sequuti Meursii, (modo in utroque *Boleslai* nomen reponatur,) sententiae adhaeremus, quam certissimus epistolae S. Wilhelmi locus confirmat. *Rikizae* vero nomen, postquam nullum nobis vel Saxo, vel S. Wilhelmus, vel alii suppeditarunt, ab *Historiae Knytlingor.* Scriptore, magna similitudine veri proditum arbitramur. Et profecto falsus est Messenius, non tantum in Sventoslavae nomine, sed etiam quod Magni coniugem illam, de qua loquimur, commemoret a fato Magni in Sveciam venisse, & Sverkero ibi Regi nupsisse. Eumdem errorem scio apud nostratium multos occurrere; sed & illum quid pepererit, haud minus scio; nempe, quod eodem fere tempore, (intra unum mensem) duo in Dania Reges interfecti duas Reginas reliquerint viduas, quarum utraque extra Daniam deinde nupsit. Harum fata, & secundas nuptias sequentium aetatum Scriptores confudere. Sic ergo de duabus illis statuendum. Eam, quae in Sveciam ivit, & Sverkero postea coniuncta vixit, Nicolai Regis uxorem fuisse, & novercam Magni, *Vlvildam Norvegicam* adpellatam; cui & alium maritum, inter Nicolaum, & Sverkerum, Ingium Halsteini filium Islandi adscribunt. Vid. Torf. *Histor. Norveg. Tom.* 3. *pag.* 480. Verum, quae Magnum Nicolai filium in matrimonio habuerat, *Riokizam Polonicam*, nupsisse, a Magni interitu, Russorum Regi Valadari (seu Volodimiro,) quod iam aliquoties dictum, nunc repetimus; idque, ut Messenium tertii erroris convincamus, qui Vlodomirum in coniugio Polonae Magno priorem facit, contra omnem etiam verisimilitudinem. Sophia enim iunior fratre Canuto multis annis erat, tunc cum Valdemaro anno 1154. desponsaretur; nisi velis paene quadragenariam (hoc enim ex Messenii calculo sequeretur) primum filiorum Canutum VI. in lucem edidisse, & postea magnum insuper liberorum numerum, atque propemodum sexaginta annos natam in alteras cum Ludovico Thuringo nuptias consensisse, de quibus infra suo loco agetur.

[a] *Scadelarius cognom.*] Is Svenone, patruo S. Canuti, fratreque Erici Boni, & Nicolai Regum, erat genitus. *Scatelar* ei cognomentum imposuerunt Dani, ab Islandis exceptum, quibus solebat *Skokul* cognominari, hoc est, *claudicans*. Quum vero id vocabulum in secundo casu habet *Skokular*, Dani huius flexionis ignari, (utpote quorum lingua adcuratissimas flexiones illas, quas Islandica habet, non admittit, Henricum vocarunt *Skatelarum*. Docuit id nos Torf. *Histor. Norv. Tom.* 3. *pag.* 503.

(b) *Primisl. & Niclotus patrueles*) Prioris nomen non cum *m*, sed *b* scribendum, *Pribislaus*. Deinde, quod Meursius hos duos statuit patrueles, facit quidem recentiorum quorumdam exem-

captivos, etiam Slesvicum abducit, nec dimittit, nisi pretio libertatis persoluto. Post haec in piratas versus, eos domat, ac pacatum mare reddit. Hinc in Orientem tendit, & subiectas Sveciae provincias [a] quasdam pridem rebellare ausas subigit, & in ordinem cogit. Quibus gestis, postquam domum rediisset, & a Nicolao rege pro laboribus exantlatis magnam gratiam exspectaret, indignationem sensit; nam ab aemulis, queis exosa eius virtus, rex persuasus, redeuntem torve admodum intuitus, non ut domitorem ipsum populorum rebellantium, verum ut praedonem excipere, atque ita palam quoque adpellare; velut si non pacis studio, verum Magni, Sveciae regis, filii sui lacessendi, expeditionem illam susscepisset. Ac Canutus, quamquam multis se purgaret, tamen animo Nicolai ita validae haec calumnia inhaerebat, ut omnino excusationem nullam admittere vellet. Sed regina Margareta, prudens femina, quae virtutem in Canuto magni faceret, & amaret quoque eum, ceu sororis suae virum [b], ideoque neque perditum improborum suggillatione vellet, quoad vixit, adversarios repressit. Postquam vero in hydropem incidisset, ac vicina morti esset, accersiri ad se iubet, ac compellans, gratulatur tot victorias, & successum tam felicem in gerendis deinceps rebus adprecatur; tum hortatur, *uti patriae suae pacem, & concordiam consanguineis, firmam paret, ac conservet, quod si faciat, nil ab ulla vi externa Daniae metuendum esse; quippe plus concordiam domesticam posse ad conservationem regni, quam vel foedera, vel auxilia; &, hac ipsa dissoluta, necessario regni vires etiam labefactari, atque frangi; itaque prudentia sua, ac virtute publicae tranquillitatis coercere hostes vellet; quippe esse, qui committere inter sese stirpem regiam plurimum conati essent, sed eorum se consilia diu valde, quantum posset, repressisse; nunc e vita excessuram, fidem eius implorare, & obtestari, uti pacem porro certam inter consanguineos servare velit, quam rem si polliceatur, laeto animo, & securo morituram.* Ac Canutus, his reginae Margaretae verbis motus, per auctorem veritatis Deum iurat: *nulli se dissidii causam ullam umquam praebiturum, & concordiam, quo ab ineunte aetate studio servasset hactenus, porro servaturum esse, tum iniuriam pati magis, quam inferre promtum fore.* Quo responso laeta admodum regina, mox exspirat. Ea mortua, aemuli, maiorem iam licentiam nacti, ac sublata, quam vereri ad id tempus debuissent, de Canuto apud regem sine intermissione conqueruntur, neque aures onerare eius cessant, & impellunt, ut vocatum, in frequenti concione, palam velut nimium ambitionis accusaret. *Regium honorem sibi, a senatu exspectandum, ante tempus usurpare, ac munificentia simplicitatem populi circumvenire, & captare eius gratiam; se Svenonis filiorum ultimum nunc superesse, neque rapuisse regnum, sed successionis iure, ac consensu optimatum, ad id ipsum pervenisse, atque porro tuiturum, donec vitam concessurus Deus foret; facile se providere, quo in filium, proceresque regni alios, animo futurus esset, si humanitus quid accidat, qui se vivo nomen regium usurpare nil omnino vereretur, ac senatum, a quo ipse dudum illam dignitatem accepisset, nihili faceret;* denique monere officii; &, *facturum esse rectius, si inducere animum velit, potius legitimam electionem exspectare, quam invadere ante tempus.* Quum dicendi finem faceret, magno animo Canutus, & constanti respondere: *se indignum, cui ista, in consessu senatorum, dicerentur; regem semper, usque ab aetate prima ut parentem coluisse, ac nunc quoque vitam illi longam optare, cuius regno proferendo, quanta, ac quam difficilia bella gesserit, si fortasse ceteri omnes ignorarent, at nescire ipsum haud posse;* tum, ut fidem verbis faciat, pectus aperit, & ostendit, quae pro eo in Sclavonia vulnera olim accepisset, magna, & periculosa: Addit: *quanta in ducatu Slesvicensi vindicando tolerasset, quam Henricus dux Vandaliae, gravis hostis Daniae incubuisset; quo devicto, post adsperrimum longe bellum, non dumtaxat Daniam hostilibus incursionibus liberasse, sed & eius fines vitae cum periculo non exiguo protulisse, & piratas subegisse, tum infestum ante mare, adsitaque illi loca, in securitatem summam, atque pacem, reduxisse; ac fecisse, ut, quo ante, nisi cum praesidio, procedere fuisset ausus, hic impraesens, nullo etiam custode, tuto commorari posset. Haec pericula, hos labores, non ambitione sua, aut privati quaestus causa, adiisse; verum regis, atque regni, publicaeque omnium salutis studio; pro his cunctis, si non aliud praemium ferat, praeter publicam invidiam, atque malam regis gratiam, esse certe cur fortunam suam adcuset, & se inter homines infelicissimum conqueratur. Iam, quod Vandali regem dicerent, in offensam isthoc rapi non debere; imo potius inter laeta reputandum, quod in clientela sua reges essent; id in Svecia dudum hactenus* [c] *usitatum*

exemplo, nullo autem veterum testimonio. Contra ab Helmoldo, eiusque sequace Alberto Stadensi, manifeste distinguuntur, gente, stirpe, dignitate. Verba Helmoldi: „ Canutus sociavit sibi in terra Holsatiensium omnem virum fortem, fecitque cum eis incursationes in terram Slavorum, occidens, & sternens omnes sibi adversantes. Sed & *fratruelem* Heorici Pribizlaum, & *maiorem terrae Obotritorum* Niclotum duxit in captivitatem, posuitque Sleswich in custodiam, adstringens manicis ferreis quousque pecunia, & vadibus redemti, ea quae subiecta sunt sentirent. „ Vltima verba Stadensis sic variat: *posuit eos Slesvvich in custodiam, quousque se pecunia redimentes subiectionem promitterent, fol.* 158.*b.* In istis Pribizlaus ex veterum Principum familia, Nicolotus autem ex gentis Obotritorum optimatibus insignior aliquis dignoscitur. Ille haud levi, sed optima quoque, ut videtur, iuris specie poterat ditionem, quam Canutus Imperatoris favore invasit, repetere; hic saltem Obotritos suos adserere in libertat.m conabatur. Vtriusque vero conatus Canutus, dum vivebat, destruxit.

(a) *Subiectas Sveciae provincias*) Haec plane conficta. Neque aliquid Saxo, eo quod tendat, protulit. Dicit saltem *pag.* 236. Canutum a piratica expeditione reducem, culpatum a Rege, quod in re Svetica praedam egisset.

(b) *Ceu sororis suae filium*) Error est. Margareta patre Rege Sveciae erat genita, Canuti vero uxor Princeps Russiae, ut postea suo loco dicetur.

(c) *Id in Svecia dudum hactenus*) Hinc eum Saxo inducit sic loquentem, *pag.* 237. „ Esto vocari me Regem, en filium „ tuum

tatum, cur nunc in Vandalia nolit? illic quidem nomine se regis uti; verum tamen in ducatu Slesvicensi, aliisque regni Daniae ditionibus, numquam ipsud adrogasse. Itaque persuasum habere, non haec regis, quae iratus protulisset, verba esse, sed eorum, qui virtutem suam exosi, uti eius quoque odium concitare sibi possent, aures prius, inde animum, per calumniam occupassent; nam, quae vitio darentur, falsa esse, & conficta per iniuriam aemulorum, sat convinci vita sua, quae cum istis nullo modo conveniret. Eapropter maxime demisse orare, ne testatum cunctis fidem nunc vocare in dubium velit, nec permittere, uti innocentia sua, hominum malevolorum astu turpiter circumventa, opprimatur. Quibus verbis rex placatus, & pronuntiat innocentem, & promittit, non deinceps aurem aemulis praebiturum; tum dimittit concionem. Sed non diu constitit conciliatio, aemulique iterum eam dirupere. Inter istos primus erat, de quo dixi, Scadelarius, & Vlvilda (a) accedebat, regis uxor, quam defuncta Margareta, nuptiis secundis duxerat. Ea, uti prona in privignum Magnum videretur, obiicit periculum eius, & excipere Scadelarius: *illum, post excessum patris, numquam regno potiturum, nisi ipse, donec viveret, magna cura, provideret, in Canutum omnium coniectos oculos, animosque propendere; ac, si forte, quod exoptant, vita aliquando excedat, eum regem destinare.* Ac, calumniam quum excluderet Nicolaus, Magnum Vlvilda in Canutum concitasse memoratur. Rex, Canuto iam in gratiam restituto, mox Slesvicum cum uxore, filioque, proficiscitur, & excipitur a Canuto honorifice; quumque in aulam die solemni, ornatus diademate, ingressus esset, soliumque conscendisset, mox Canutus, regio & ipse habitu subsequutus, in eadem quoque aula, minime salutato rege (b), locum ex adverso capit: quo conspecto, se contemtum, aut neglectum, arbitratus Nicolaus, solio desurgens suo, ultro obviam procedit; quod Canutus quum videret, salutationis tunc officium a se neglectum recordatus, ocyus & sua ipse sede desilit, & procedit in amplexum, atque sic salute dicta, locum quisque suum repetit. Hoc Vlvilda conspicata, quae Canuti omnia in peius raperet, illico privignum monet: *sedulo consideraret patruelis adrogantiam, quae quo evasura esset, satis nunc adparuisse; regiis insignibus Canutum usum, neque tempori, neque patruo, quidquam sane detulisse; quin in solio considentem, patruo se plane aequasse; nulla regis, filii ve; aut senatus reverentia; itaque, ni aemulum e medio mature tollat, sortem eius, post parentem vita functum, multo iniquissimam fore.* Magnus, his novercae verbis in Canutum concitatus, Scadelarium, & Vbbonem, ceterosque, quos flagrare odio illius sciret, convocatos ad facinoris, quod conceperat, silentium capto sacramento obstringit; tum exponit quam ob causam odium in Canutum gerat: *nimium fortuna elatum, ad maiora semper tendere; adeoque regno etiam vivo patre inhiare; itaque rogatos velle, uti in commune consulant, operamque in tollendo eo navent.* Illi, optata dudum occasione usi, & consilium eius probant, & ipsius in perniciem omnes iurant, praeter unicum Haquinum, maxime in Cimbria illustrem virum, & sororium Canuti; qui, ut in adfinis caput coniurari intellexit, se subduxit. Illi vero, si fortasse coniuratio emanaret, ut iurare vere possent, neque stantes, nec sedentes, in Canutum coniurasse, humi omnes procumbentes, in illius necem iurant. Post quae Magnus, ut consilium occultaret, imminente iam natali festo Christi, quo praebere epulum proceribus solebant reges, evocat Roschildiam Canutum, ac proceres, & invitat ad convivium. Postquam tempus advenisset, adsunt illi; adest etiam Canutus, nil a patruele mali, ac potissimum illo tempore, quod subspicionem omnem prohiberet, imminere sibi ratus. Magnus, animo conceptum facinus celare callidus, primis quatuor diebus perquam honorifice Canutum excipit; tum, illius probitatem, quo circumveniret magis, inter pocula novam sancit amicitiam, ac praeterita deprecatur; etiam testatur palam, *iam calumnias constare, & auctores exsecrari, se deinceps loco patris eum habiturum esse.* Ac, quo magis sceleris subspicionem omnem tollat, indicat, *propositum in terram sanctam sibi iter, & in id teneri voto; itaque, quum neminem amicum habeat, cuius fidem, ac virtutem pluris faceret, coniugem nunc, liberosque, dum abesset, ei commendatos velle.* Haec Canuto, qui e suo Magnum animo, ut sunt promti in credulitatem boni, aestimaret, vehementer placuere; quippe, qui persuasum haberet, uti candide ipse ageret, ita quoque nullum in illo fucum esse. Inter ista Ingeburga eius uxor, quae marito dolum strui intellexerat, nuntium Slesvico mittit, qui, quae Magnus moliretur, clanculum significaret; sed, ut fata nemo vitat, obstinato in perniciem suam animo, admonitionem coniugis fidem in se, & amorem, & ex eo metum putans, adspernatur; palam apud suos dicens: *tantum Magni amicitiae, quantum fidei uxoris se tribuere;* nec propterea imminenti se periculo subducit. Quum elapsi essent festi dies quatuor, avocat Canutum Magnus; &, ut nihil

a se

„ tuum Magnum, nuper apud Gothiam Regii cultus, & no„ minis insignibus potitum comperimus. „ Nempe Sveci, praeter illum, qui summa cum potestate praeerat, Vpsalensem priscis seculis vocatum, alios in Gothia Reges, etiam serius quam Dania uni tantum Regi subiecta fuit, adgnovere.

(a) *Vlvilda*) Haec e Norvegia oriunda. Vide de illa Torf. *Hist. Norveg. Tom.* 3. *pag.* 480. nupsit illa, post Nicolai caedem Sverkero, Regi Sveciae, ut supra adnotavimus.

(b) *Minime salutato Rege*) Ex Helmoldo haec, qui *cap.* 50. *pag.* 121. habet: „ Circa tempus dierum illorum accidit, ut „ Canutus Rex Obotritorum veniret Sleswich, habiturus cum „ patruo suo Nicolao colloquium. Quum autem populus ve„ nisset in concionem, & Rex senior sedisset in throno, in„ dutus cultu Regio, Canutus adsedit ex opposito, gestans & „ ipse coronam regni Obotritorum, stipatusque satellitum ag„ mine. Sed quum Rex patruus videret nepotem suum in fa„ stu Regio, sibique nec adsurgere, nec osculum ex more „ dare, dissimulata iniuria, transiit ad eum, oblaturus saluta„ tionem cum osculo. Cui ille occursans ex medio, sese per „ omnia patruo & loco, & dignitate, adaequavit. Quod factum „ Canuto lethale odium conscivit. „

a se agi simulato persuaderet, exhibet seorsim plura adfectus sui testimonia. Mox dimissis, qui convenerant, quum Canutus domum peteret, & diverteret in via Haralstadii, quod nunc Harrestadium dicunt, prope oppidum Ringstadium, ad sororium Ericum, Falstriae praesidem, caedi tempus cogitatae Magnus opportunum ratus, cum satellitum armatorum lecta manu, in vicinam Haralstadio silvam tendit, ubi occultatis suis, & ad signum erumpere iussis, mittit, qui Canutum vocet, atque roget, uti sine comitatu obviam prodire velit; quippe esse, quae communicata cuperet. Ac Canutus, nihil mali subspicatus, ocyus adscendit equum, & procedit, solis quatuor comitatus, sine armis; adeo quidem festinanter, uti neque gladium cincturus fuerit, nisi quidam e ministris monuisset. Caecilia soror, quae eventum praesagiret, moesta admodum, eiulansque retinere, verum frustra, abeuntem conabatur; qui vocabat, arte cantor, gente Saxo, quam amare illum sciret, ideoque ipse redamans, facinusque iam patrandum detestatus, ni religio iuramenti tenuisset, indicare cupiebat; itaque, quod proximum se posse crederet, cantilenam, de perfidia Grimaldae (a), qua in fratres usa erat, per id tempus pervulgatam, inter equitandum canit; ac, quum neque sic Canutum capere, quod monitum vellet, animadverteret, ante eum mox obequitat, & loricam, qua armatus, tunica sublata ostendit, uti saltem de periculo imminente coniecturam inde faceret. Sed, exitio propinquo, laeva fere mens est homini, & in illud laeta ruit, animique magnitudine, quae innata viris fortibus, nimia, & infelici, aut contemnit monitorem, aut prudentia hebetata, neque capit. Ille itaque, frustra monuisse videns, fideique, & innocentiae satis se fecisse ratus, porro eum in silvam ducit, in quam vix ingressus erat, quum in trunco sedens Magnus, venientem conspicatus, surgit, & procedit obviam; ac desilientem equo, vultu ad humanitatem, & blanditias comparato, admodum benigne amplectitur; in amplexu pectoris duritiem Canutus sentiens, & coniiciens, quod res erat, arma illum subter vestem occultare, *cur amicum ad colloquium nunc armatus accessisset*, percunctatur, atque ille, *rusticum se castigare quemdam velle, ac diripere eius domum*. Hic Canutus quum pro eo intercederet, ac rogaret, *parceret viro, atque irae spatium sedandae daret, tum diei, qui dicatus tribus regibus, aliquid religioni indulgeret*; iterumque pernegante istud Magno, vadem se pro illo obfert, & offensam luiturum pollicetur. Post quae Magnus, brachio Canutum prendens, *age, frater, hic consideamus*, inquit; quumque ambo consedissent, infit Magnus, *cuius ipse regnum censeat?* atque illo, *patris sui*, respondente, & rogante, *quid hac quaestione vellet?* non iam ultra iram celans, *tu invadis meum locum, & adfectum populi in te derivas; at nunc regnum inter nos distribuamus*. Et Canuto, *nulla distributione opus esse*, respondente; *vivere patrem, qui id teneat; & optare, uti vivat diutissime, ac quam felicissime regnet*; ferox Magnus, iam insidiis circumvento insultare; tum, prehenso eius vertice, *non sic*, inquit, *non sic dies haec abibit, hodie nobis dividendum regnum erit*. Ad quae verba quum erumperent coniurati, & Canutus eos irruentes cerneret: *quid peccavi*, inquit, *frater? iudicet inter nos Deus, qui delicta quaeque videt, vindicatque*. Simul surgit, gladioque manum iniicit, quem iam medium eduxerat, quum praevertens eum Magnus, caput secat; inde porro Scadelarius, ceterique, impetum in prolapsum faciunt, & vulneribus conficiunt. Eo loco, ubi perpetrata caedes, fons emanat, qui & hodie conspicitur; tum adstructa est aedicula, etiamnum huius sceleris monumentum. Idque quum patratum esset, Petrus frater (b), & Haquinus, de quo dixi,

(a) *Cantilenam de perfidia Grimaldae*) Rescrib. *Grimildae*. Saxo: *Speciosissimi carminis contextu notissimam Grimildae erga fratres perfidiam de industria memorare adorsus, famosae fraudis exemplo similium ei metum ingenerare tentabat*. Atque hic doctissimus Stephanius perlongam adnotationem contexit ex fabulis popularibus, atque ex Cantilenis Danicis, quas olim (vergente seculo XVI.) collegit, atque edidit Andreas Velleius, cetera vir praeclarus, & eruditissimus, sed in istis, quae hic laudat Stephanius, futili sane labore perfunctus. Etenim ista de Hvenilda, de quatuor insulae Hvenae arcibus, de Grimilda, Sigefrido Hornio, &c. pugilumque in Hvena certaminibus, putidae sunt nugae, & (secus ac Velleio persuasum fuit,) commenta otiosorum apud nos hominum seculis XIV. & XV. adeoque nullius antiquitatis. Imo, ne quidem domi nata, aut fabricata, sed ad imitationem fabularum Teutonicarum composita, idque etiam tam crasse, ut ipsa nomina *Grimildae*, *Sigefridi Horn*, *Hildebrandi*, *Comitis Guncelini*, *Folquardi citharoedi*, *Monachi fratris Alsingi*, quae imperitum apud nos vulgus tamquam domestica admiratur, in Teutonicis multo vetustioris aevi carminibus legantur. Evolvatur, si tanti est, libri Germanici, *Velden-buch* dicti, *Pars* 3. quae *Rosarium VVormatiense* inscribitur, ubi omnia haec se offerunt. Verum, quam iste cantor, (quem e Saxonia fuisse heic dicitur,) inter equitandum Canuti occinebat auribus, non Danica erat, sed Saxonica, vel Germanica cantilena, ex qua nonnulla in illis conspicua, quae in Velleiana sylloge habentur, desumta esse non negavero.

(b) *Petrus frater*) Nempe ille, quem noster supra *Col.* 232.c.) inter filios numeravit Erici Boni, dicens Regem istum *ex Botilda Petrum, ac Canutum subsluilisse*. In quo vero insigniter fuit deceptus. Nullus enim Erico filius, aut Canuto Lawardo frater exstitit, nomine *Petri* adpellatus. Meursium, ut conspicuum satis, pertraxit in hunc errorem Saxonis locus, quem ante oculos habuit, *pag.* 240. „ Tunc Haquinus, „ quem superius Sunniva ortum significavi, cumque eo *Pe-* „ *trus matre Botilda natus*, & filii Skialmonis, facinoris atro- „ citatem gravi querelarum contextu prosequuti. „ Ex quo tamen aliud nihil discimus, quam Botildam Petri istius matrem, cognominem fuisse Reginae, matri Canuti Lawardi. Numquam sane, & nusquam legitur, Petrum, (Episcopum sub haec tempora Roskildensem factum,) ex genere fuisse Regio. Ex praecipua vero regni nobilitate ortum, matris, nominatissimae suo aevo matronae, indicat mentio. Etenim apud maiores nostros tanta attributa sequiori sexui erat dignitas; praesertim vero matribus, ut quaecumque antecellere alias singularibus animi, ingeniique dotibus aestimata, quamdam in populo venerationem haberet, ab ea filii denominari sibi honorificentius, quam a patre, nisi is aeque commendabilis foret, ducerent. Forte etiam eiusmodi denominatio locum non obtinebat, nisi post patris mortem, matre vero diu inde superstite. Ita Sveno Rex, quem Islandi in suis historiis numquam non Vlfonidem a patre nominant, Danis semper Estrithae filius, tam vivus, quam post fata, adpellatus. Ita Haquinus in Saxonis verbis iam adductis, Sunnivae filius. Ita in eiusdem Saxonis *lib.* 14. *pag.* 266. Toko, *matre Sygne ortus, vir natu, & facundia iuxta nobilis*. Neque se aliter res habet cum Petro Botildae filio, cuius quidem pater genere, & natalibus perquam insignis fuit; attamen ipse Petrus numquam illius nomen, uti tunc moris erat, usurpavit, neque aliter vocari voluit, quam Botildae filius, etiam in publicis monumentis. Ex isto genere duo oppido luculenta protulit Steph. Stephanius in *Notis ad Saxon. loc cit. pag.* 231. quae & insuper hoc declarant, Virum non solum ex aliqua primarum regni familiarum natales suos habuisse, verum etiam peramplas divitias possedisse, earumque luculentam copiam in templa, & monasteria elargitum esse. Plura de eo dicendi in sequentibus locus dabitur.

dixi, adfinis eius, filiique Scialmonis item Candidi, qui cum ipso a parente una educati erant, pietatis ultimum officium exhibituri, Nicolaum regem adeunt, postulantque, ut in aede maxima Roschildiensi sepelire caesum liceat: verum ille motum aliquem ea tum in urbe metuens, si Canuti tam indigne interfecti populus videret funus, quum negaret, vili feretro impositum, sine ullo adparatu, id Ringstadium devehentes, in coenobio sepeliunt. Quum in vulgus sparsa esset caedis fama, adeo hanc inique tulit, ut, convivia, quibus eo anni tempore indulgere consuevisset, praetermittens, gaudium in luctum verteret. Magnus vero, quum Roschildiam revertisset, veluti sublato aemulo iam securus, caeso etiam insultare, & *id iure factum* dicere; *quippe illum libertati publicae insidiatum, atque regnum adfectasse, ac fuisse invasurum, nisi ipse occurrisset; & e medio tam indigna cogitantem forti manu substulisset*. Ita vano gaudio dum se oblectat, ac persuasum plane habet, post parentis sui mortem regem se suffragiis consentientibus optimatum lectum iri, spe frustratur, & contrarium experitur; nam Canuti viri boni, atque innocentis sanguis vindicem in caelo Deum implorabat; quem & preces adiuvabant plurimorum, qui virtutem eius pridem venerati, summo scelere interemtum admodum indignabantur; qua de causa, numinis accensa ira, Magnus, & rex Nicolaus, sociique coniurationis omnes, quod meruerant exitium, etiam mox invenerunt. Magnus quidem, velut posthac nemine prohibituro, regnum sibi, post defunctum vita patrem, promittebat; verum miser, neque Deum scelera ulcisci rigide, aut in eius manu esse regum sceptra, cogitabat; itaque, qui solio illum prohibere, facinusque vindicare cupiebat, patrem deiicit, ipsum arcet, & mox simili nece tollit: Regnum vero, primo in occisi fratrem, inde filium quoque, confert; nam, octavo post commissam caedem die, filium Canuti uxor Ingeburga est enixa, Valdemarum, Posthumum cognomine dictum, & mox regem; cui, ut tutores essent, qui crescentem educarent, ac paternam quoque necem vindicarent, excitat Haraldum Deus, & Ericum, caesi fratres, & sororium Haquinum, etiam filios Scialmonis, ut prosapia illustres, sic virtute, & auctoritate, magnos; qui Ringstadii, in frequenti optimatum, populique concione, de Canuto, per insidias scelerate interfecto, graviter questi, tunicamque sanguine respersam viri, ac madentem etiam tum, insuper & locis pluribus perforatam ostentantes, opem, ac vindictam petunt. Et Haraldus, sua ambitione motus, ac recuperationem regni sperans, quo exciderat, Ericus vero, iusta indignatione, studioque ulciscendi, Magnum illic accusantes: *fratris sui innocentiam, ac virtutem, meritaque in populum, & regem*, laudant; *tum & fidem in percussorem, a quo ille, quum vicissim mutuam benevolentiam, ac laborum praemium sibi exspectaret, summo scelere sit occisus, quam ob rem, quum neque pater, neque filius, ullam sibi meritorum rationem habendam esse existimassent, neque sanguinis coniunctio Magnum etiam retinere potuisset, uti parceret isti viro, qui pro publica salute toties externo hosti caput suum obiecisset, orare omnes, ut indignam fratris necem armis secum persequantur, atque ita certo statuant, qui nec sanguinem tam propinquum, neque merita tam praeclara, respexissent, nulla eos, post immanitatem tantam, in aliquem clementia usuros esse*. Quibus verbis iusta ira accensi omnes, & vindictam pollicentur, & in Magnum statim arma capientes, ducem sibi Ericum petunt. Cuius rei certior mox Nicolaus, Ascerum, primatem regni, cui plurimum tribuebat, ad se vocat, & consilium rebus perturbatis quaerit, atque ille auctor esse, *uti Magnum e conspectu removeret, ac Roschildiae relinqueret; ne is praesens populum, iratum satis, magis etiam asperaret, ipse autem e vestigio concionem ad Ringstadium indiceret, & eodem, publica accepta fide, se conferret, facinusque excusaret*. Ille paret, populumque istuc vocat; &, accepta fide, accedit una cum Ascero praesule; ita tamen, ut adire, si consultum videretur, constitueret; aut, si id non tutum esset, remanere, ac responsum exspectare. Inter ista, quum Ericus advenisset, ut a Nicolao animos magis alienos redderet, multis verbis de peremto tam indigne fratre questus, ut adfectus commoveret in perfidiam, ac crudelitatem, Magni Deum ultorem aliquoties invocabat; neque parum hac oratione eius plebs accensa, statim fremere in maiorem modum coepit. Sed mox tamen, ab Ascero blandis verbis delenita, regem in concionem admittit; ubi denuo Ericus, de crudeli fratris nece gravem exorsus querimoniam, adeo omnes concitavit, uti Magnum caedis reum condemnarent, & ad eum relegandum in hac ipsa concione patrem Nicolaum cogerent, sacramento quoque obstrictum, ab exsilio, sine publico consensu, numquam revocatum iri. Quod quum rex futurum esse promisisset, mox, dimissa concione, singuli se domum suam recepere. Quibus rebus hunc in modum constitutis, mox in Ostrogothiam Magnus, ubi rex creatus esset, iussu patris, velut in exsilium tendit; Nicolaus Cimbriam petit, ubi dum quietus agit, suadent illi, qui cum Magno pridem in Canuti caedem conspirarant, ut, contemto iuramento, eum in regnum revocaret. Quibus quum se permisisset, ac mox etiam revocasset, statim populus, qui exsilio illius conquieverat, denuo in Nicolaum concitatus, regnum universum turbat: & Haraldus, ac Ericus, quem insontem, atque caedis inscium pronuntiaverant, revocata ad Ringstadium concione, ceu periurum, solioque regio indignum damnant, & eamdem in utrumque poenam statuunt. Post quae omnes, quum concurrerent ad arma, ne incerto bellum duce inchoare viderentur, neglecto Haraldo, quamlibet maiore natu, quem, ob vitia explorata, semel dedignati essent, regem sibi Ericum legunt. Verum ille, summa animi continentia, antequam

quam fortunam belli expertus esset, atque rege dignum quiddam effecisset, regni honorem, maximo oblatum studio, recusare; cui acclamante populo, ocyus exercitum cogit, & in Cimbriam contra Nicolaum ducit. Cui Turo, Episcopus Ripensis obvius, parvo admodum comitatu, veniaque accedendi postulata, ut a Nicolao edoctus, fictis verbis, & quae tempori convenirent, orat, *impetum reprimeret, ac prudentiae potius, quam irae suae, morem gereret, tum inducias concederet ad exiguum quoddam tempus, quippe promtum ad mandata quaeque regem*. Et Ericus, verbis praesulis, quem a fuco alienum valde esse oportere existimabat, fidem habens, positis ad Icelingam castris, *quare filium Nicolaus, contra quam decretum esset, populoque ignorante revocasset*, audiendum sibi statuit. Itaque recedens praesul, quid effecerit, viderit, audieritve, statim Nicolao refert, isque iam ab aliis edoctus erat, remisisse impetum Erici copias; &, euntes pabulatum, palabundas divagari, opprimique ob id faciles. Quam ob causam, qui periurio se iam semel polluisset, parum ratus, nisi pergeret, etiam nil pensi habet rumpere inducias, quas pepigisset; itaque incautum occupat; &, colloquium exspectantem, subito invadit armis, dissipatque. Quod Ericus summo iure indignatus, quum reliquias copiarum collegisset, mox in Sialandiam redit; &, quem nuper regni honorem detrectaverat, revocata ad Ringstadium concione, nunc conferri sibi petit. Vbi populi suffragiis rex creatus, quum in Scaniam transiisset, rex ibidem ab indigenis itidem pronuntiatur; ideo vero regiam sibi dignitatem postulandam statuebat, ut obstrictus iuramento suo populus, meliore inde fide secum ageret, ac maiores, ceu communi iam periculo, vires contra Nicolaum etiam suppeditaret. Insuper, auxiliis externis quoque opus putans, a Lothario Imperatore per legatos ea petit, obsecratque: *ut Canuti, quem amore maximo complexus fuerat, ac Vandaliae item regem constituerat, nunc a Magno scelere summo interfecti, caedem secum vindicaret, ac suppetias submitteret*. Atque ille, speciem Canuti quidem ulciscendi praeseferre; sed revera cogitare, laborantem bello intestino, Daniam facile Imperii sub potestatem cogi posse; itaque coactum statim militem in Holsatiam ducit, ubi quum ad Danevvircam illic vallum processisset, obviumque Nicolaum cum maioribus, quam existimasset, copiis inveniret, haud consultum oppugnare eum ratus, castra eo loco ponit: & Ericus Caesarem advenisse gnarus, classem e Sialandia Slesvicum mittit, urbem intra vallum sitam, tum ablegat, qui exponerent: *illud quidem expugnatu perdifficile; verum militem, quem abduxerat, facile navigio in oppidum transferri posse, ac circumveniri hostem, omni tunc munitione destitutum*. Qua re nuntiata, Caesar, neque petere urbem volens, neque tutum impugnare vallum ratus, castra movet, & Saxoniam suam repetit; ac, ne fugere, neve tantam expeditionem frustra subscepisse, videretur, cum Nicolao foedus init (a), filiumque eius

(a) *Cum Nicolao foedus init* &c.] Atque ex hoc foedere, quod turpissime cum Nicoho, & Magno inivit, nec non ex inani, & frivolo quodam ritu, de quo deinceps dicetur, magnam Imperator iste sibi, & Imperio Germanico gloriam esse partam voluit, quum potius infamiam apud eos, qui honestius sentiunt, adquisiverit. Itaque dum Lotharius, cetera laudandus, ab adulatoribus Germanis, tamquam Daniae victor, (a quo, vel exercitu eius, ne unicum quidem esse Danum occisum possunt ostendere,) in caelum extollitur, a Saxone Grammatico rectissime, atque omni iure perstringitur, ut quem Ericus, S. Canuti frater, *per summam Teutonicae perfidiae exsecrationem, exprobratione levitatis insequutus sit, lib.* 13. *pag.* 243. Conferant Germani, quidquid habent Historicorum, videantque quid illud sit, quod Lothario in hoc negotio gloriosum demum exstiterit. Sunt illi, quantum memini, Otto Frisingensis, Annales Hildesheimenses, Chronica Engelhusii, Montis Sereni, Bigaugiense, Slavorum, Alberici, Pantaleonis, Chronographus Saxo, Annalista Saxo, Herm. Cornerus, &, qui omnibus heic praecellunt, Helmoldus, & Annalium Bosoviensium auctor, quem Eccardus in *Tomo I.* edidit. Reliquos, Trithemium, Aventinum, Gobelinum Personam, Nauclerum, Alb. Crantzium, nullo numero putamus, utpote multo recentiores, merosque & manifestos exscriptores iam nominatorum. Ex primis illis Frisingensem, Engelhusium, & Chronica Bisaugiense, & S. Pantaleonis, ad posthac dicenda reservabimus, quia nihil omnino memorant de Danica expeditione. De hac autem ita loquuntur ceteri: Annales Hildesheim ad ann. 1133. *Rex Danorum plurimis advenis Teutonicis terram suam incolentibus truncationes membrorum facit. Hac de causa Imperator super eum expeditionem movere intendit*. Eadem fero habet Chron. Slavor. ad ann. 1137. Verum quo ista pertineant, ex Meursio posthac videbimus. Certe enim nihil ad quaestionem faciunt; quum illa non fuerit causa, quae Lotharium ad copias Slesvicum versus ducendas impulit. Chronicon Montis Sereni, & Chronographus Saxo ad ann. 1131. haec exhibent dumtaxat: Hic, *Rex Saxoniam egressus, exercitum duxit contra Danos, eosque datis obsidibus, potenter devicit*. Illud vero: *Rex collecto exercitu Danos devicit*. At hoc falsum; nisi *terrere*, ac *devincere* pro eiusdem significatus verbis habeas. Timorem Nicolao, & Magno Regibus iniecisse concedimus, intra Daniam satis hostium, quibuscum bello certarent, habentibus, prudenterque adeo rebus suis nihil consultius arbitratis, quam pecuniae cupidum Imperatorem a finibus suis amovere citra ullum certaminis periculum. Et hoc ipsis ex voto quoque successit. Audiamus Helmoldum, scriptorem fidei, & integritatis nomine multis praeferendum: „ Audito *sinistro hoc nuntio* (scil. caedis Canuti Regis Obotri„ torum) Lotharius Imperator, cum coniuge sua Rikenza, „ *non modice contristati sunt*, eo quod corruerit vir imperio, „ & *amicitia coniunctissimus*; venitque cum grandi exercitu „ prope civitatem Sleswich, ad vallum illud notissimum Dine„ werck, *ulturus mortem funestam optimi Viri Canuti*. Con„ federat e regione Magnus cum immenso Danorum exerci„ tu, defensurus terram suam. Sed *territus* virtute Teutonic. „ militis, *apud Caesarem immenso auro, & hominio, impuni„ tatem indemtus est*. „ Huic comitem addimus auctorem Annalium Bosoviensium (*pag.* 1009 *Tom. I.* Eccardi *Corp. rerum Germ.*) Is, quamvis omnia in laudem Lotharii interpretatus, quasi ad hoc conductus Scriptor fuerit, nihilominus tamen rei, ut gesta est, veritatem satis perspectam reddit. En verba: „ Rex Lotharius, congregato exercitu in Da„ ciam, idest, Daniam, proficiscitur propter intestina bella, „ quae gerebantur in ea; filius quippe Daniae Regis filium „ patrui sui occiderat, timens ne fe depulso regnaret, quia „ eiusdem occisi pater Rex fuerat. *Cuius fratre apud Regem* „ (Lotharium) *conquerente mortem fratris*, Lotharius contra „ partes easdem exercitum movit. Cuius timore omnes illius „ gentis velut arena maris ad rebellandum in unum coacti, „ *quum ex adverso exercitum Regis, multo licet minorem, lo„ ricatum conspiciunt*, divinitus perterriti, „) imo vero *humanitus*, quum, ne a tergo ipsos adorirentur Ericus, & Haraldus Kesia, pertimescerent) *se, suaque dedentes, dextras petunt, ut Rex ipsorum proprium regnum ab ipso, & ab omnibus ceteris Imperatoribus subscipere debeat, constituunt, & ut eidem suo Regi idem beneficium impendere dignetur humiliter obsecrant*; (quis vero tam stultus, ut credat, Danos Lotharium, id ut faceret, obsecrasse? & quis dubitet, longe minimum Danorum numerum cognovisse, aut intellexisse, quid inter Lotharium, & Nicolaum ageretur? Verum ille fortassis postea hoc commento apud Germanos turpitudinem facti sui obvelavit.) *Quod & fecisset, ni pius Lotharius ei, cuius frater occisus erat, in hoc pepercisset*, (alterum absurdum.) *Subsceptis tamen obsidibus, pro ingenti pecunia sibi promissa, ad propria remeavit, cum* VI. *tantum armatorum millibus immensum triumphum referens*. „ *Triumphum* scilicet,

Magnum, equitem Imperii [a] facit. Quibus gestis, postquam Eidoram traiecisset, pone sequitur Ericus, exprobratque levitatem, quod deserto, cui suppetias advenisset, hostem in foedus recepisset, ac praedicit, nullam aliam a Magno gratiam relaturum esse, quam Canutus vir sincerus, & Imperio addictissimus retulisset. Neque aliter evenit; quippe, recedente eo, neque dum Holsatiae transgresso fines, Magnus opportunum insidiis tempus se adeptum censens, magna manu, & expedita subsequutus, in Adolphum, qui extremum agmen duceret [b], iuxta flumen Eidoram consistere iussum, impetum facit, plurimisque profligatis, fugam capere ipsum cogit, & abiectis turpiter armis, nando evadere. Quo ad Caesarem perlato, ille arces in Holsatia obiacentes passim in potestatem [c] redigit; & praesidio, ne ulterius sequi Magnus posset, munit; inter quas & Segeburgum in excelso colle situm, conditumque a Canuto, ad Henrici Vandali irruptiones coercendas. Hinc Ericus, quum spes sua frustra ipsum habuisset, & in Sialandiam regressus esset, a Norvagiae rege magno mox legati accessere, qui Canuti filiam maiorem natu, etiamsi necdum per aetatem nubilem, dari in uxorem illi postularent. Et Ericus ab adfinitate hac auxilia maiora sperans, perbenigne id concedit. Tum, ut vinculo duplicato firmior amicitia esset, eius invicem novercam sibi matrimonio iungit. Post haec, quum in Cimbria delectum haberet Nicolaus, idque Ericus accepisset, ipse quoque se instruere, & auxilia undecumque, quanta posset, comparare. Sequebantur Nicolaum omnes Cimbriae Episcopi, & Henricus Scadelarius, Vbbo, aliique plures e primatibus regionis, qui cum Magno in Canutum conspirarant. In Erici castris erant, cum Haraldus, tum & filii eius duo, non adfecti quidem in fratrem, patruumve, sed coacti honestate. Nam Haraldus, aegre se posthabitum ferens a proceribus in translatione regni, odio interiore clam Ericum prosequutus, filios in partem traxerat. Erat & Episcopus Roschildiensis [d], animo in Nicolaum item pronus; tum e Cimbria Christiernus, vir militiae insignis [e], & illustri apud suos loco natus, qui patratam a Magno caedem exsecratus, Nicolaum deseruerat, & Erico, cuius causam meliorem existimabat, se adiunxerat; isque illi ob prudentiam singularem, & peritiam rei bellicae, copias mandat, terra in Cimbriam ducendas, classe ipse Nicolaum invasurus. Nicolaus, ne Erico terra pariter, marique inferior esset, Magno filio naves tradit, cum terrestribus ipse copiis Christiernum excepturus. Magnus vero dum se parat, & Arhusiam convenire ex omni Cimbria naves iubet, iam Ericus Syram insulam occupaverat, ac collegerat dissipatam magna tempestate classem; quem ignarus adeo prope esse Magnus, ventum opportunum nactus, oram solvit; adoriri hostem certus, ubicumque nactus foret. Atque vix progressus erat, quum incumbit gravis ventus, naviumque partem disiicit: quam Ericus venientem conspicatus, sca-

cet, de neglecto amicitiae erga iniuste trucidatum officio, de honestate, ac probitate, quas virtutes promissae sibi pecuniae posthabuit, nequaquam de Danis, quorum nullus ab armatorum istis sex millibus peremtus. Tertius nobis erit Albericus Trium Fontium Monachus, qui in *Chronico pag.* 265. sic habet. „ Rex Daciae Nicolaus cum filio suo Magno, „ filium fratris sui Henrici cognomento *Semper-boni* in Cypro „ defuncti, Kanutum videlicet, cuius tutor ad regnum esse „ debuerat, interfecit. Quod audiens Rex Lotharius, qui Ka- „ nutum exaltaverat, contra Daciam tendit. Sed *Nicolaus cum* „ *filio suo Magno ipsum pecunia placaverunt*, & pacem cum „ eo fecerunt. „ Vnde & rectissime iudicavit, factumque Lotharii detestatus est Herm. Cornerus *pag.* 681. postquam de Canuti caede loquutus erat: *Lotharius* (ait) *dolens de nefanda interfectione viri tam nobilis, intravit Daciam cum magno exercitu contra dictum Magnum; sed proh pudor! corruptus pecunia regressus est, nihil ad rem faciens.* Et sic etiam quicumque non animo est corrupto sentiet, & iudicabit. Dices forte, satis tamen grandem dedisse poenam atrocis parricidii Nicolaum, & filium eius, quatuor millibus marcarum auri Caesari persolutis. Ego vero, quo iure sumere illud aurum Lotharius, sibique retinere potuit, interrogato? An aliquid eius pervenire ad occisi fratrem fecit? Non legitur. Fratri luctum, & indignationem reliquit, sibi lucrum ex innocentis amici nece quaesivit. At incomparabilis tamen Imperator fuit idem ille Lotharius? Fuerit, quantum velint, (neque umquam id negabimus,) in rebus, & actionibus aliis; in hac sane improbus, & nullo colore excusandus.

(a) *Magnum, equitem Imperii*) Ita exponit Meursius illud veterum: *in hominem Imperii subscepit*. Verum falluntur nostrates, nec non alii, qui uno, eodemque tempore, & pacem, quippe cuius sola fuit conciliatrix pecunia, & subiectionem factam statuunt. Haec enim posterior, & altero inde anno consequuta, Lothario ex Italica expeditione domum reverso, uti pluribus docebimus infra.

(b) *In Adolphum, qui extremum agmen duceret*] Rectius Adolphi expeditionem a Caesaris illa distinguit, ac separat Helmoldus *cap.* 51. *pag.* 153. ubi Magni de Adolpho victoriam, huius fugam, & Nordalbingorum ex isto bello attritionem maximam describit.

(c) *Arces in Holsatia in potestat.*] Male haec, in Holsatia gesta, cum rebus Danicis confunduntur. Nihil enim commune habuerunt. Segebergam, & ceteras ibi arces Lotharius ad Slavos reprimendos munivit, post Canuti caedem liberius grassantes. Vid. Helmoldus, & qui eum exscribunt.

(d) *Erat & Episcopus Roskild.*] Is ipse *Petrus* ille *Botildae filius*, de quo supra egimus, occasione erroris Meursii, qui illum pro fratre habuit S. Canuti Lawardi. Varium & inconstantem fuisse, tum ex hoc loco dignoscitur, tum ex praelii Fotvicensis narratione, quippe quo cum ceteris sui ordinis, pro Nicolao, & Magno pugnans, interfectus est.

(e) *Christiernus vir militia insignis*] Avus ille erat Historici Danici *Svenonis Aggonis*, uti ipse nepos testatur *pag.* 110. ubi & de pluribus per intestinum istud bellum certaminibus inter partes Regum, & Erici habitis loquitur. Dignus est locus, qui & hic legatur: „ Hi (Nicolaus Rex, & Ericus „ S. Canuti Lawardi frater,) licet crebro conflixerint, haec „ tamen certaminum loca extiterunt famosiora. Primum etenim „ in Rynebierg praelio decernentibus illis, Nicolaus obtinuit, „ *avumque meum Christiarnum* captivavit, ferreisque vinctum „ compedibus, ad castrum quoddam prope Slesvicum, custodiae „ mancipandum delegavit. Successu temporum ad pontem Othens- „ hylle decertantium facta est congressio; ubi dum acrius con- „ fligerent, pars itidem Nicolai praevaluit. Dum ergo Erici „ exercitus terga verteret, captus illico fuisset, nisi Biorno, qui „ ob eximiae strenuitatis claritatem *Ferreo* cognominatus est *la-* „ *tere*, adiuncto sibi *patre meo Aggone*, pontis in medio viri- „ liter restitisset. Hi namque duo tanta audacia iaculorum im- „ brem repulerunt, ut quasi columnae aestimarentur immobi- „ les. Nam incursantium furorem mirifica strenuitate propulsa- „ bant, pontis transitum egregie defensantes, adeo ut hinc inde „ peremtorum cadaveribus amnis gurgitem sicco pede utrimque „ pertransirent. Nec prius a pontis tuitione desistebant, licet „ plagis quamplurimis lacessiti, quam Rex fugiendo naves conscendisset. „ Si de genere *Christierni* quaeras, fuit illud in Dania isto tempore longe nobilissimum, idemque ex quo *Ascerus* primus Danorum Archiepiscopus, aliique magni viri ortum duxere. Quod & ipsum haud ignorare nos sivit nepos eius in opusculo de *Kanuti Magni legibus Castrensib. seu Curialib. pag.* 181. ubi *Christierni*, avi sui *fratres* nominat *famosissimos tunc temporis Episcopos, Ascerum videlicet primum Lundensium Archiepiscopum, & Svenonem Episcopum Viburgensem, aliosque duos germanos Eskillum, & Aggonem, & reverendum eorum genitorem Svenonem filium Trugotti, qui suis temporibus inter primarios regni proceres habebantur*: Atque *Sveno* ille *Trugotti filius*, (vel, ut Knytlingorum Histor. adpellat, *Thorgunnae filius*) idem ipse est, qui una cum fratre suo obsidem se tradidit pro redemtione Olavi Regis, post caedem S. Canuti Othoniensis, quo Olavus e custodia Flandrensi liberatus, Daniae restitueretur, de quo supra dictum. Nomen vernaculum *Svenonis Trugotti fil.* in scriptis Danicis est *Sven Trundsen*.

ſcapha ſuos circumvehitur, atque omnes, ut pugnarent quam fortiſſime adhortatur; maxime Epiſcopum Roſchildienſem, & Haraldum item fratrem, quos in Nicolaum pronos exploratum ſat haberet, prolixiſſime obteſtatur, *ut exemplo ipſi ſuo militum virtutem iuvent; quippe una ea pugna bellum, alias diuturnum, ac cruentum, confici poſſe; tum averti mala plurima, quae, ſi id protraheretur, patriae impendere ſcirent. Magnum in primis operam darent uti vivum, mortuumve in poteſtatem ſuam cogerent, quo peracto, facile conditiones pacis quaſvis Nicolaum accepturum*. Conſilium Erici erat, quamlibet averſos a ſe illos ſciret, tamen, quia temporis neceſſitas ſic poſtulabat, id diſſimulando efficere, ut puderet deſtituere, quem viderent maximam in ſe fiduciam collocare; utque ſuae ipſemet virtutis ſpecimen exhiberet, naves Magni, quae a claſſe longius provectae erant, primus cum paucis adgreſſus, ſine ſuorum ulla clade, in conſpectu omnium capit. Quod quum Magnus, inter ultimas conſtitutus, eminus intueretur; & hinc infortunium obiectum eſſe, quod maiore inter ſeſe intervallo commearent, protinus demiſſo velo, ac ſigno dato, naves ſeparatas cogit; &, dum facit, anchoris in mare iactis, claſſem ſiſtit. Quod Ericus conſpicatus, & navalis belli gnarus, ſupra hoſtem, uno in loco fixum, cingit; ac, coniectis undequaque telis, urget. Quare Cimbri, rebus prope deſperatis, ut periculo Magnum eriperent, parvo impoſitum navigio, remis in terram educunt. Quo elapſo, naves ceterae captae, aut merſae, paucae fuga evaſere. Haec ad Syram dum geruntur, Chriſtiernus, inito in Cimbria cum Nicolao rege praelio, quum pugnaſſet infeliciter, capitur, & Sleſvicum abducitur: Ita pater, filiuſque, uno tempore exitu diverſo certant; & Ericus, ſuae cladis, quam in victo Chriſtierno accepiſſet, necdum gnarus, ob victoriam, quam in mari, Magno illic profligato reportaſſet, animum maiorem ſumens, quem ſucceſſum in filio expertus eſſet, hunc in patre etiam ſperans, Lymicum ingreſſus ſinum, ut hinc eum impugnaret, nuntium inexſpectatum de ſuorum clade accipit. Quo turbatus, dum conſilium a ſuis petit, ac deliberat, quidnam faciendum eſſet, militeſque in loca proxima praedae cauſa palarentur, improviſo ſuperveniens Nicolaus, plurimos eorum caedit, reliquos in naves agit. Hac ſecunda clade Ericus magis etiam conſternatus, quod reſtabat copiarum, in Sialandiam reducit. Anno proximo (a), gravior percuſſit caſus; etenim Haraldus frater, eius vires gemina ſtrage plurimum detritas ratus, in perfidiam ad id tempus occultatam, iam erumpens, palam deſerit, & cum Nicolao rege ſe coniungit, ſuo etiam exemplo omnibus teſtatum faciens, ſanguinis propinquitatem, & adfectum a natura inſitum cuique hominum, ſtudiumque honeſtatis, apud pravos per ambitionem animos, facile regnis poſthaberi. Vti vero aditum in Sialandiam Nicolao praepararet, arcem prius, quam exſtruxerat ad Roſchildiam commeatu, ac praeſidio valide munit; hinc, ad eum datis literis, ocyus auxilium ſubmitti petit. Quam rem gnarus mox Ericus, arcem obſidet; ac, petitis machinis ab oppidanis, putida cadavera quaeque in illam iacit, ut foetorem peſtilentem, nec obſeſſis tolerandum, excitaret; hinc munitionem quatiens (b), magnam

(a) *Anno proximo*] Hoc eſt MCXXXIII. Canuti enim caedes facta anno MCXXXI. quod, ut teſtimonia aliorum taceam, invictis probavit argumentis illuſtris Cancellarius Arnoldus Hvitfeldius in *Hiſtor. Regis Nicolai*. Pontanus vero, dum numeros annorum ſequitur, ad quos Albertus Abbas Stadenſis multa confuſe, quemadmodum ſaepe ſolent Chronicorum compilatores, retulit, hic, ut crebro alias, male computat.

(b) *Munitionem quatiens*] Tormentis, & catapultis, ut Saxo ait. Haſque machinas Erico Saxones, qui Roskildiae degebant, ſuppeditarunt, Danis nondum earum uſum ſatis edoctis. Iidem homines Germanici Haraldum noctu arcem ſuam fuga praecipiti deſerentem inſequuti, gloriabantur ſe eum iaculis ſuis confeciſſe. Is tamen ſalvus aegre Nicolaum Regem evaſit. Ceterum Nicolaus aliquanto poſt tempore Roskildiam adventans, permiſit Haraldo de Germanis iſtis ſumere vindictam. Hic, *tum quia tormentorum opifices, tum quia de falſa nece ſua gloriantes audierat, narium parte praeciſa deformes reddidit*. Sic Saxo, *pag.* 245. Chronicon Sialandiae, *pag.* 20. MCXXXIIII. *Roskildis depraedata eſt, Haraldo Keſia caedem, & mutilationem faciente*. Atque hic illud habemus, quod hinc inde in citatis ſupra Germanorum monumentis occurrit, *de truncatione membrorum in Teutonibus, Daniam incolentibus*, a Nicolao Rege perpetrata. Nempe Lotharius Imperator, ad quem ex Italia tum reducem, miſerorum querelae indigna haec paſſorum deferebantur, iam perfidia Nicolai, cui nuper parricidium condonaverat, irritatior, ſerio bellum minabatur. Tunc vero, ut procellam ſibi imminentem Nicolaus, & Magnus averterent, conſilium adripiunt alia via Caeſarem adgrediendi, & quem antea pecunia expugnarant, nunc turpi ſubiectione, & honoris regni Daniae impenſa mitigandi. Itaque profectus Halberſtadium Magnus, exſequitur illud, de quo hucuſque [licet non admodum prudenter] ſunt gloriati *Finium Imperii Germanici* deſcriptores. Tempus facti recte indicavit Otto Friſingenſis, memorans poſt reditum ex Italia accidiſſe, & quum novam rurſus Caeſar in Italiam expeditionem indixiſſet, *lib.* 7. *cap.* 19 *Inde*, inquit, *in Saxoniam divertens - - - Regem Daciae in ſignum ſubiectionis, ad decorem Imperialis reverentiae gladium ſibi ſub corona deferri fecit*. Idem fere repetit Chronicon Engelhuſii. Annales vero Hildesheim. ad annum 1134. „ Imperator Paſcha Halverſtad peragit. Ibi Rex Danorum veniens ſeſe in „ poteſtatem Imperatoris tradit, obſideſque dat, iuramentum fa„cit, ſe, ſucceſſoreſque ſuos nonniſi permiſſu Imperatoris, „ ſucceſſorumque ſuorum regnum adepturum, & *pulchro ſpe„ctaculo, nullis retro temporibus audito*, ipſo ſecundo die Pa„ſchae idem Rex Danorum regio more coronatus, coram co„ronato de more Imperatore gladium ipſius portat. Et ſic in „ gratiam Imperatoris repatriavit. „ Dignus ſane Imperator, amicitiam, & innocentem ſanguinem venalem habens, cui ab illo, quem ſceleſtum parricidam ipſe adgnoſcebat, inani iureiurando, & frivolo ſpectaculo illuderetur. Annaliſta Saxo, *Col.* 667. & Chronica Regia S. Pantaleonis, *Col.* 929. paria fere habent cum Hildesheimenſibus iam adlatis, ſed non aeque extenſa. Biſaugenſe Chronicon tantummodo, *pag.* 258. *Magnus filius Nicolaî Regis Danorum, gratiam invenit poenitens, & coronam regni ſubſcepit ab Imperatore*. Chronographus Saxo *pag.* 290. „ Imperator celebrat Paſcha Halverſtad. „ Vbi quidam de primoribus Danorum, Magnus nomine, ad„venit, & in die ſancto manibus adplicatis miles Imperatoris „ efficitur, & regnum ipſius patriae ab ipſo percepit, & poſt „ ſacramenta Caeſari ad Eccleſiam procedenti circulo illius (*co„rona*) decoratus, enſem Imperatoris honorifice portavit. „ Chron. Montis Sereni. „ Imperator celebrat Paſcha Halver„ſtad, ubi quidam de Principibus Danorum, Magnus nomi„ne, hominium ei faciens, regnum Daniae ab ipſo ſubſcepit, „ & poſtquam praeſtitit iuramentum, Imperatori ad Eccleſiam „ procedenti, circulo decoratus aureo, gladium praeportavit „ Hermannus Cornerus *pag.* 676. ad annum, quem auctor ille, in temporibus confuſiſſimus, falſo hic adponit, 1135. „ Nicolaus Rex Danorum detruncavit omnes Teutonicos in „ terra ſua inventos. Vnde commotus Lotharius Imperator con„tra ipſum, regnum Danorum cum valida manu intravit. „ Quumque videret Nicolaus Rex, quod ſe defendere non va„leret contra Imperatorem, gratiam ipſius quaeſivit. Impera„tor autem ex tunc ſtatuit curiam celebrari in Halberſtad tem„pore Paſchali, *ubi Nicolaus Danorum Rex veniens cum fratre „ ſuo Erico*, (hoc autem falſo dici, omnes vident; nullus „ enim ſive Ericus, ſive Nicolaus, ſed ſolus Magnus advenit,)

„ *Impe-*

gnam partem labefactat, & evertit. Quam ob rem perculsus plane, nec tueri sese ultra satis potens, postquam noctu equos vallo demisisset, ac se quoque cum perpaucis, & excubiis Erici undique septus teneretur, nec effugium pateret, dolo usus, vix evadit; quippe, socios sequi iubens, ac clamare alta voce, & ingeminare identidem, *Fugientem Haraldum prendite*, quum excubitores crederent esse suos, qui Haraldum fugientem persequi instituissent, ac per hostes medios, obscurae noctis beneficio, ad vicinum illic littus erupisset, forte obvio navigio, traiicit in Cimbriam ad Nicolaum; isque elapsum maxima humanitate laetus excipit. Inter quae, quum Danos Sveci intestino conflictari bello cernerent, atque Magnum illic regem distineri, rebellandi capiunt occasionem; & Sverconem, nobili prosapia virum, sed pertenui fortuna, regem creant; qui, iam regnum consequutus, mox Vlvildam, regis Nicolai coniugem, clam pellectam, in amorem, inde quoque in thorum abducit, filiumque ex ea tollit, Carolum nomine, postea & Sveciae regem. Inter haec Canuti filia, Magno, regi Norvagorum desponsata in Norvagiam deducitur, nuptiaeque destinatae peraguntur. Vere proximo Nicolaus, bello imponere finem certus, iam elato per Haraldi adventum animo, traiicit in Sialandiam, & Ericum ad Verae pontem cum minoribus multo copiis occurrentem, praelioque magno victum, in Norvagiam cum uxore, ac Svenone item filio, genito ex concubina, fugam capere ad adfinem Magnum cogit; a quo primo admodum benigne exceptus, mox insidias experitur. Etenim rex Nicolaus Dania eum expulisse non contentus, & hic quoque persequendum sibi ratus, Magno vim pecuniae ingentem obfert, ut e medio virum tollat; atque hic, promisso inductus, more hominum avarorum, qui proposita spe lucri, nil habere sanctum solent, contra ius adfinitatis, & hospitii illico insidias parat. Facinus pudendum certe, & bonis omnibus detestandum! hinc occidi Nicolaus postulat nepotem patruus, inde patruum uxoris, & novercae suae virum, hospitemque interficere animum inducit Magnus. Verum Deus, qui & scelera semper quaevis exsecratur, & Ericum Danis regem constituere propofuerat, eum eripit periculo, & conservat ad id tempus, quamvis postea morti tamen violentae permissurus; & ostendit hoc exemplum, frustra hominum consilia summi numinis providentiae adversari, ac noceri posse nulli, quem tuendum idem sibi constituerit. Sic Ericum cupiens occidere Magnus, fato hic validiore prohibetur; nam in arcem quum munitam, ceu securitatis causa seclusisset, etiam custodes addit, velut in tutelae speciem; sed revera, uti clam occideretur, ne qua caedis emanare fama posset; ac patrasset certe facinus, nisi patruum miserata, Magni uxor prodidisset. Et Ericus, iam ex nepte sua certus, quae a Magno pararentur, ad amicos in Lalandiam literas mittit, indicatque, quo in statu versaretur; tum navigium, quod subveniat, unum statim mitti petit, si se salvum esse velint. Atque illi in periculo tam praesenti minime deserendum regem arbitrati, illico expediunt navem cum militibus selectis, quidlibet pro rege suo facere, ac pati certis, Qui quum in Norvagiam mox adpulissent, indicato clam adventu, noctu eum, vino obrutis custodibus, cum uxore, filioque eripientes in Lalandiam reducunt. Quum ad littus pervenissent, ne, si forte Magnus vellet, insequi fugientes posset, naves regias, quas custode vacuas inveniebant, partim multis locis perforant, partim illis laterum compagem solvunt, atque sic inutiles ad navigandum omnes reddunt; ac postridie, quum Ericum effugisse innotesceret, & retrahere eum Magnus e vestigio imperaret, dum reficere naves parant, atque ita moras nectunt, ille evadit, & ad suos sospes redit; ubi, ut firmaret suam in ea insula potestatem, illico Vbbonem adgreditur, quem praefecerat Nicolaus, ac prehensum in crucem agit: dignum morte ignominiosa ratus, quod Canuto occidendo socium se coniuratis addidisset. Post haec Scaniam cum exigua classe petit, diripitque inter viam, quae praemiserat Lundiam rex Nicolaus, ad convivium festo Christi natalitio celebrandum, Scaniamque in potestatem suam redigit. Quo comperto Nicolaus, nihil ultra in Ericum ea hieme molitus, militem in hiberna mittit; sed aestate insequuta, undique collectis copiis, Cimbriae Episcopos quatuor, atque Roschildensem Petrum, & Henricum Scadelarium ad se vocat; quumque classem in sinum Fotam (a) adpulisset, missis in diversa loca, qui exercitum Erici, & consilia explorarent, ipse in littore suos ordinat, necdum quidem hoste viso, sed ut supervenientem expeditus iam exciperet. Inter quae, qui speculatum missi erant, quum redirent, & non longe excitari pulverem renuntiarent,

rati

„ *Imperatori homagium fecit*, iurans sibi cum suis Principibus, „ quod ipse & omnes sui successores regnum Daniae ab Imperatore subscepturi essent!" *Hanc quidem dignitatem adquisivit* „ *Lotharius Imperio Romano*. „ Bellam scilicet dignitatem, si ex modo adquisitionis, sique iure tam conferentis, quam accipientis aestimetur! Sed in hac parte Iuris vere imaginaria, valet fortassis illud: *Vnde habeas quaerit nemo, sed oportet habere*. Quam vero non parcus fuerim, aut invidus in corradendis auctorum locis, quibus tanta, tamque pulcre, & honeste adquisita dignitas nitatur, fulciaturque, (etiam supra Pfeffingeri, & doctissimi Hahnii diligentiam,) liquere arbitror. Adiiciam insuper Annalium Bosoviensium verba, breviter ac distincte tum causam rei, tum rem ipsam complectentia: „ Anno 1134. Imperator *Pentecosten* (ita illi) *Halberstati celebravit*, ubi Magnus filius Nicolai Regis Danorum, „ ob gratiam eius immensum pondus auri, & argenti eidem „ obtulit, *eo quod suas iniurias, a Rege sibi illatas, vindicando, multos Teutonicorum in suis partibus comprehensos, occiderat*, truncaverat, aliisque mortibus adfectos Dania expulerat, *Rege interim in Italia agente*. Quem tamen Imperator „ pius super hoc poenitentem, & satisfacientem recepit, diademate coronatum Regem esse decrevit, suumque spatharium „ in ipso sacro die constituit. *Qui remeans ad sua, Imperatoris tantum abusus est clementia*, ut Erico filio patrui sui, „ cuius fratrem occiderat, bellum inferret &c. „ Quidni vero abuteretur? & quis hebetem adeo crediderit Imperatorem, ut alia exspectaverit? Huic vero sufficiebat, in festi solennitate, & Principum Germaniae frequentia *pulcrum illud*, ut loquuntur, *nullis retro temporibus auditum spectaculum dedisse*,

(a) *In sinum Fotam*] Vernacule *Fot-vig*. Sinus enim maris Danis est *Vig*. Hinc praelium istud *Fotvicense* dicitur, & inter maxime memorabilia totius Septentrionis censetur, habitum secunda feria Pentecostes, die 4. Iunii anno 1135.

rati milites, id quod erat, adventare Erici copias, ac iam ipsi in sublime ferri eum, instar nubis, conspicati, retro cedere paulatim, & ad naves se recipere; ac fugissent ante pugnam, ni oratione blanda Nicolaus tenuisset. Gradum itaque figentes, hostem exspectant, substinentque invadentem. Acre praelium committitur ipso die Pentecostes, ut nonnulli sunt auctores, sed non longum; nam Ericus, etsi viribus inferior, equitatu in adversam aciem misso, eam turbat, disiicitque; caesi plurimi, pauci fuga evasere. Inter illos Nicolaus, & Haraldus, qui, victoria desperata, statim naves petiere. Interfectus quoque Magnus [a], unum illud viro forti dignum faciens, quod in praelio morte gloriosa occumbere, quam evadere turpi fuga, potius existimaret. Cecidere & Episcopi [b], qui, patratum tam indigne parricidium adprobantes, ac sequuti parricidam, una cum eodem poena involuti, debitas Ecclesiae, & paci animas, ac cum laude in utraque occupandas, bello turpiter impenderunt. Quae in Dania postquam ita gesta essent, Nicolai clade audita in Norvagia rex Magnus, coniugi iratus suae, quod Erico avunculo insidias aperuisset, metuensque, ne deinceps etiam consilia communicaret, eam removet, & in Daniam remittit. Nicolaus,

quum in Cimbriam, uti dixi, effugisset, convocata concione, itidem elapsum Haraldum, filio iam interfecto, regem creat. Neque id benevolentia, aut propinquitate motus, verum, ut acerbiore contra fratrem odio exstimularet, aemulumque, postquam vita functus foret, graviorem illi obiiceret. Postea, ut Slesvicenses, graviter Canuti caede asperatos, denuo conciliaret, eo proficisci statuit; frustra amicis dehortantibus, & eventum infelicem praedicentibus. Agitabant hi convivium [c] annis singulis; adeoque legem tulerant, ut, qui uni convivarum vim inferret, eum iunctis universi viribus persequerentur. Huius praeses dum vivebat, diu fuerat Canutus, saepiusque interfuerat; & humanitate summa civibus se carum fecerat. Quod, quum gnarum ipsis esset, serio dissuadent iter, exitumque ominantur; siquidem cavendos cives, lege in vindictam obstrictos; sed fatalis hora aderat, qua in ipso quoque ulcisci sanguinem Canuti Deus innocentem constituerat: Itaque, corrupta mente, ut in istis fieri solet, nec consilium, quamvis rectum, admittebat; quin contemtim respondebat monitoribus: *nihil sibi pelliones, aut sutores metuendos*. Quum ad urbem accessisset, obvius it sacer ordo; &, adventum fausto cantu gratulatus, porro ducit; sed

(a) *Interfectus quoque Magnus*] De illo Saxo, *pag.* 246. „ Magnus cum aliquanta fortium manu cedere veritus, adverso „ hostem corpore repellebat. - - - Postremo, ut insigni pugna, „ ita multa adversariorum strage edita, super prostratorum a se „ cadaverum struem una cum Petro, Pontifice Roschildensi, „ consumtus, occubuit. „ Herm. Cornerus in *Chron. pag.* 681. „ Quum Magnus in sacro die Pentecostes aciem urgeret, nec „ solennitati parcere vellet, licet ab Episcopis moneretur, cecidit „ Magnus cum omnibus Danis die illo iuxta Fothswik, & cum „ eo sex Episcopi, omnes victi a solis Scaniensibus &c. „ Illa de Episcoporum dehortatione habuit ab Helmoldo, qui eadem fusius memorat, *cap.* 52. Ceterum non possum hic omittere illud, quod neque Saxoni, neque alii nostratium animadversum, legitur in *Annalibus Bosoviensibus pag.* 1010. de hoc ipso praelio, quod prope Lundinam civitatem, confectum fuisse auctor ille, ut & plures exterorum, memorant. Ait nempe magnum ab initio pugnae horrorem invasisse exercitum Nicolai, & Magni, quem dum Magnus dissipare adloquutione sua laborabat „ *Davidem, adolescentem egregium, Erici* „ *sororis filium*, civitatem cum ccc. armatis erupisse, & ad- „ versariorum turbasse exercitum, illisque fugientibus Magnum „ relictum fuisse solum in terram prostratum. Quem superad- „ stans David adolescens: O, inquit, *latro, & parricida sce-* „ *leratissime, qui avunculum meum, patrui tui filium, oscu-* „ *lans interfecisti, ut Iudas Dominum tradidit. Nunc te pre-* „ *munt peccata tua; nempe te Dei persequuntur iudicia. Hodie* „ *recipies, quod mereris, ut impio capite tuo cum manibus* „ *scelestis abscisso, omni seculo fabula fias*. „ Ergo *David* ille, nusquam alias mihi observatus, fuerit Erici Agni, postea Regis, frater, matre Ragnhilde, filia Erici Boni Regis, patre vero Hacone (vel Haquino) Sunnivae filio, genitus.

(b) *Cecidere & Episcopi*] Communiter memorant Annales nostri, in *pugna Fotvicensi* quinque Daniae Episcopos, & sexaginta Presbyteros cecidisse. Eumdem numerum & Chronographus Saxo habet, *pag.* 290. & Annalista Saxo *pag.* 667. & Hermannus Cornerus *pag.* 681. & Pseudo-Erici *Historia gentis Danor.* & alii. Distinctius Chronicon Sialandiae, *pag.* 20. MCXXXV. *Bellum fuit Fotaevig Scaniae, inter Nicolaum Regem, & Ericum Emune, & facta est plaga magna in exercitu Nicolai, & Magnus filius eius, & quatuor Episcopi de Iutia, & Petrus Episcopus Syalandiae, & Henricus Sveciae peremti sunt. Et Nicolaus Rex fugit, & interfectus est.* Vbi ultimum hoc de Nicolao haud connectendum cum superioribus; non enim is in pugna Fotvicensi, sed Slesvici, intra eiusdem mensis finem, interficitur. *Histor. Knytlingorum cap.* 95. „ In iisdem castris sex Episcopi militabant, quorum „ primus ex Svecia fuit, secundus ex Sialandia, quatuor reli- „ qui ex Iutia. „ Eorum nomina V. Cl. Arnas Magnaeus nobis ad hunc locum Historiae Knytlingorum suppeditavit ex Codice membranaceo Bibliothecae olim Academiae Hafniensis, his verbis: *In pugna Fotvicensi obiere Petrus Roskildensis, Thorerus Ripensis, Ketillus VVestervicensis, Henricus expulsus de Svethia, Adalbertus Slesvicensis, sesquianno post pugnam vulnere ibi accepto obiit, Eskillus Episcopus biennio ante pugnam occisus est*. Atque huius adnotationis auctor videtur ceteris exactius rem referre. Ceterum, quae Pontificum, & Sacerdotum fuerint partes isto, aliisque similibus temporibus, & locis, exponentem habemus laudatum Knytlingorum Historicum, *cap.* 96. verba eius sunt: *Cum Archiepiscopo* (Lundensi illo, Ascero, qui in Erici partibus, contra Nicolaum, & Magnum erat) *ingens numerus erat Sacerdotum, quibus ille in mandatis dat, ut praelium inituros milites per piam scelerum confessionem, atque absolutionem ad bene moriendum praepararent*. „ Etenim in pugna, quae instaret, haud aliter „ fieri posse, quam ut plurima sint eventura, de quibus refe- „ rendi nullam postea occasionem magna eorum pars sit habi- „ tura. Ideoque consultum esse, ut unusquisque sibi provideat, „ quum incertum plane sit, num confitendi facultas deinde „ suppetat. Sese Dei nomine, atque sub conditione absolutio- „ nis certo impetrandae, omnibus ac singulis iniungere, uti „ strenue arma capessant, & viriliter, magnoque animo dimi- „ cent. Errare enim, qui putent, timidos ac imbelles viros „ animosis, & fortibus Deo acceptiores esse. Leti tamdem „ viam omnibus calcandam, semelque fatalem illam horam nulli „ non mortalium expectandam. *Hanc Archiepiscopi orationem* „ *excepit Erici adhortatio*. „ Hucusque ex Knytl. Hist.

(c) *Agitabant hi convivium*) Ex eo conviviorum genere, quae *Gildae* dicebantur, qualia in plerisque Daniae civitatibus, & oppidis, per ea secula instituta, nonnumquam a fundatorum, plerumque vero a Sanctorum, quorum honori dicata, interdum tantum ab urbium, ubi habebantur, nominibus adpellata. Vocabulum *Gildi* convivium denotans, ab antiquissimis usque seculis in Septentrione, usque in hunc diem, usitatum. In Britanniam per Iutos, & Anglos nostros quinto seculo eadem vox cum re ipsa allata, in Germaniam vero & Italiam cum Gothis transiit. Postquam vero in prisco idolorum cultu, & conventibus sacrorum causa habitis, semper eiusmodi *Gildae*, seu Convivia partem religionis constituerant; abrogata idololatria convivandi mos tamen retinebatur, ita vero, ur emendatus aliquantum, alias & castiores leges acciperet. Hinc *Gilda*, tum convivium, tum Sodalitium, seu Fraternitatem notat; *Gildones, Congildae*, vel *Congildones, Convictores*, vel eiusdem Gildae socii, Danice *Gildis-Brosdre*, h. e. fratres Convivii. De quibus omnibus vid. Du-Cange *Glossar. pagg.* 889. & 890. *nov. edit.* Tale Convivium S. Canutus Othiniensis suo tempore Othiniae, in ipsa urbe, ubi postea trucidatus fuit, instituerat. Cuius *Gildae*, seu Convivii, ab ipso nomen habentis, leges, & instituta hodienum supersunt, & in manibus multorum versantur, licet mos ipse ante duo fere secula abolitus. Exstant insuper non paucae aliorum oppidorum Leges, & Statuta, ut sic loquar, *Gildalia*, quae peculiari vocabulo *Gilde-Skraa* nuncupabant, forte eodem cum isto *Gildscyra* in Concil. Londoniensi anno 928. apud Du-Cange. Habet de his pauca etiam Loccenius in *Antiquitt. Sveco-Gothicis*, *cap.* 22.

non eadem apud cives regis ſui reverentia; quippe ad ingreſſum eius nolam pulſant, qua ſolebant ad convivium, de quo dixi, convocari, & ad arma mox conveniunt. Quos miniſtri regii coire paſſim, aciemque ordinare, atque ex ſuperiore urbis parte ſigna oſtendere conſpicati, anxiique adhortantur, ut in aedem S. Petri ſe recipiat. Verum ille, *minime ſe ſuo iſtam ſanguine polluturum*, dicere: *ac, ſi moriendum foret, potius in aula patris, quam in templo mortem exſpectare velle*. Itaque in arcem properat, atque vix ingreſſus erat, quum ſequuti eum cives primo milites propugnantes, adituque prohibere cupientes, inde ipſum, in interiorem arcem irrumpentes contrucidant [a], poſtquam regnum annos quinque, & triginta [b] tenuiſſet. Quidam tradunt, quod indignius a ſutoribus, quos contemſerat paulo ante, interfectum. Poſtquam caedem peregiſſent, mox dimittunt Chriſtiernum, quem is iam a tribus annis, praelio, ut dixi, victum, cuſtodiri illic iuſſerat. Ita periit Nicolaus filius Svenonis quintus, ultimuſque inter iſtos, quos, parentis voluntati obſequuti, proceres in ſolio conſtituerunt. Vbi regnum nactus eſſet, ut initia principatus fere bona, & ad famam componuntur, laudabiliter illud geſſit, ſed in fine vehementer inclinavit. Vt ſe populo probaret, imminuere ſumtum volens, quidquid erat nimium in miniſterio dimittebat; neque comitatu ullo, niſi equitum paucorum, quos interdum, ſi id forte uſus ferret, latrociniis diſturbandis adhibebat, utebatur. Atque ipſe, ut animo acer, ita quoque manu promtus, nihil ſibi inter ſuos, & dum recte munere ſuo fungeretur, metuendum ſtatuebat. Hinc, ad pietatem verſus, Othoniae Canuto fratri, pridem ibi interfecto, ac relato inter divos, Monaſterium amplum condit [c], opibuſque multis donat. Tum promiſcue, adiutante quoque coniuge Margareta, aedium ſacrarum reditus in maiorem modum auget, ac ſplendorem omnibus divinis rebus multo ampliorem parat. Moderatione animi aliquamdiu ita magna utebatur, ut nil prorſus ob acceſſionem tantae dignitatis immutatus videretur; quoſque mores in privata ante vita habuiſſet, etiam rex retinebat. Sed paulatim exſuit virtutes iſtas, & in vitia mox prolapſus, ſive ſua, diu callide celata, ſive etiam aliena, a magiſtris pravis doctus, ac corruptus, ut interdum reges ſolent, indulgentia fortunae exercere ea coepit. Hinc iniuria in Henricum, ex ſorore Syritha nepotem ſuum, Vandaliae ducem, cui dum hereditatem debitam ſuperbe negat, multa populo mala infert. Inde ipſum perfide captivum tenet, atque porro tenuiſſet, ni Canutus Sleſvicenſis intercedens, libertatem impetraſſet; ac quum vim, perfidiamque, foeda vitia, & principibus ante omnes ſummo ſtudio fugienda coniunxiſſet, mox Canutum patruelem, optime de regno meritum, Magnus filius interfecit. Quod ſi ſine eius conſcientia patratum fuit, ut videri forte poſſit, tamen, quod eſt proximum, non improbatum. Quamquam enim vi coactus relegaſſet, nihilominus datum de non revocando iuſiurandum violat mox, revocatque. Verum ſceleris cuiuſcumque vindex Deus, quique regibus, ut ſublimius hos evexit, ita gravius iraſcitur, caede caedem vindicavit; &, uxorem poſtquam abduci in amplexum alienum adſpexiſſet, mox & regnum ſibi eripi, & in pugna parricidam filium cadentem videt; denique ſeipſum quoque, velut victimam ſuccidaneam, trucidari. Coniugem habuit Margaretam, Ingonis Sveciae regis filiam, & ex illa duos filios: unum Ingonem, de materni avi nomine, alterum Magnum, quem Malignum [d] cognomento, ob flagitia, adpellarunt. Ingo quidem, in prima aetate, aequitate intempeſtive nimis iuſſus praeceptoris imprudentia, equo effuſus, mortem immaturam obit. Magnus, bello cum Erico patruele, uti dixi, vitam perdit. Habuit

(a) *Irrumpentes contrucidant*) Helmoldus *cap.* 51. „ Nicolaus Rex „ ſenior navi elapſus, venit Sleſwich, percuſſuſque eſt a viris „ civitatis in gratiam victoris. „ Ericus Pomer. „ Nicolaus fugiens venit Sleſwic, ibique occiderunt eum ſutores Sleſvicenſes. „ Eadem Hermannus Cornerus, tum *pag.* 486. tum & 681. Verum *Annalium Boſovienſium* auctor non in arce, ſicut Saxo, & noſter, aliique, ſed ante fores templi ſcribit occiſum: „ Rex Nicolaus, pater Magni, timore correptus „ immenſo, iamque ſe, & a coeſſentibus ſibi cominus moriturum ſubſpicatus, fugiendo cum multitudine armatorum, „ iuxta Sleſwich eſt caſtrametatus. Cives autem eiuſdem civitatis in dolo ei pacifice loquentes, Epiſcopum ſuum cum ceteris primatibus ad eum quaſi pacis obſides emiſerunt, & introductum ad ſe ſtatim pro foribus Eccleſiae poſitum, in oratione peremerunt. „ Cui conſentiens Annaliſta Saxo *pag.* 667. „ *Nicolaus*, inquit, in civitate Sleſvic ante Eccleſiam cum ſuis „ occubuit, inſidioſe invitatus, & infideliter interemtus. „ Knytlinga-Saga *cap.* 98. „ Vix urbem ingreſſus eſt, quum ſubito „ eum adoriuntur, comprehenduntque, atque poſt paululum „ temporis ad colloquendum cum ſacerdotibus conceſſum, neci „ tradunt. „

(b) *Poſtquam regnum annos* 35.) Haec aera dependet ab anno emortuali Erici Boni, in Cypro defuncti. Nam de illo, quo Nicolaus interfectus, dubitari non poteſt, quum is fuerit 1135. die 7. Cal. Iulii. Pontanus, qui regnum Nicolai inchoat ab anno 1107 tribuit ei *octo & viginti annos*. Knytlingorum Hiſtoria *triginta*, ut credo, rectius. Nihil enim, quod & ſupra dixi, veriſimilius, quam morti Erici Boni ann. 1105. adſignare; quomodo & fecit I. B. Solerius in *Actis SS.* x. *Iulii pag.* 123.

(c) *Monaſterium amplum condit*) Scio plures ad Nicolaum hoc referre, in quibus & Pontanus noſter, & Thomas Broderus Bircherodius, ipſe Othonienſis, in libro MS. *De Epiſcopis, & Monaſteriis, &c. Fioniae*, qui anno 1107. erectum a Nicolao Rege Monaſterium illud ſtatuit. Sed falluntur, neſcio qua auctoritate *Indicum*, aut *Annalium*, ſed non ſatis vetuſtorum, decepti. Fuit enim revera opus Erici Boni Regis, qui primam Monachorum coloniam ex Anglia ad Monaſterium illud arceſſivit. Docent hoc duo inſignia apographa litterarum, quae in *Monaſtici Anglicani Tom. I.* exſtant *pag.* 150. Priores iſtic litterae Waldemarum I. auctorem habent, datae anno 1114. ubi haec verba legas: *Notum ſatis eſt, & verum eſt, quod quum avus meus, piae memoriae Ericus, apud Otheneſei Monachos habere diſponeret, ſuggerente, & conſtituente Hubaldo tunc ibidem Epiſcopo, aedificatores primos de Eccleſia Eveshamenſi, & Monaſticae Religionis inſtitutores accepit. Dignum itaque iudicamus, ut conferreationem Eccleſiae de Otheneſia, quam habet ad matrem ſuam Eccleſiam, & Eveſham, & dignitatem, quam habet Eccleſia Eveshamenſis in filiam Eccleſiam de Otheneſei, a praefato avo meo Erico confirmatam, auctoritate noſtra firmemus &c.* Alterum monumentum eſt epiſtola Riculphi Epiſcopi Fionenſis, ſeu Othenienſis, ad Abbatem Eveshamenſem, qua teſtatur, *Sanctam Othenienſem Eccleſiam ab Eveshamenſi Eccleſia a Dei Genitrice electa, Monachica inſtitutione regulariter inſignitam, temporibus VVilhelmi Iunioris Regis Anglorum, & Erici ſapientiſſimi Regis Danorum.* Atque ſuperius in eodem volumine *Monaſtici*, *pag.* 146. *b.* haec occurrunt: *Sexaginta ſeptem Monachi fuerunt in Eveſham, & iis fuerunt* XII. *in Denemarcia, quos Rex VVillielmus invenis illuc tranſmiſit.*

(d) *Magnum, quem Malignum*) Sed alias cognominatus fuit *Robuſtus*. Knytlingorum Hiſtor. *cap.* 89. „ Erat Magnus ille „ fortis manu, robuſtus corpore, ingenioque ſupra aetatem „ maturo. Vnde cognomen ipſi inditum fuit *Sterki*, ideſt, „ *Robuſti*. „

buit & ex pellice Ingritham filiam, quae Vbboni elocata in Historia memoratur.

ERICVS IV. cognomento EMVNDVS.

Admiranda certe Dei sunt iudicia. Detestatur illegitimas libidines, detestatur adulteria, vindicatque severissime. Natos tamen illegitime, etiam ex adulterio, reges facit, & circumdat maiestate, in opprobrium populorum, quorum sic peccata sibi punienda arbitratur. Tum exercet ipsos reges, ac parentes se ulcisci in progenie omnibus testatum facit. Ita Daniae, ut peccata incolarum castigaret, & libidinem Svenonis in prosapia, quinque ordine reges dedit, omnes nothos, atque eos, ut in illis etiam delicta patris persequi se palam faceret, cum adversa quosque forte, quam gravissime conflictatos, ac nunc sextum hunc Ericum, genitum ex adulterio, regno imponit; ipsum quoque infelicem, & paternae ignominiae poenas dantem; eo quoque evidentiore ira, quod Canutum, ex legitimo toro natum, ac virtute varia insignem etiam, praeterire constituerit; &, calumnia circumventum, summo scelere innocentem trucidari passus fuerit; tum evexerit hunc, quem dixi, perduellem; ac nulla patrui reverentia, per vim regnum invadentem; & id ipsum a nefaria fratris, ac nepotum caede inceptutum. In hunc modum itaque Ericus noster, filius Erici Boni, genitus ex adulterio, atque tam pudendo natu etiam pudendus regno, antea a Sialandis, atque Scanis, rex creatus, nunc, peremto in pugna Magno, & occiso Nicolao, etiam a Cimbris, & Fioniis rex declaratur. Qui, ignarus interfectum Nicolaum, ut imponeret bello finem, classe in Cimbriam transgreditur. Inter viam, quum ad Syram usque insulam, ad quam Magnum paulo ante profligatum memoravi, pervenisset, caesum Nicolaum accipit. Verum tamen nec sic tutus, nec pacatum habiturus regnum erat, vivo etiam Haraldo; qui, volente, ac suadente Nicolao, nomen regium usurpaverat. Isque, quum adventum fratris cognovisset, valde animo trepidare; dubius, an opponeret arma, an mature fugam caperet. Filii duo natu maximi, Ericus, & Bero (a), hactenus, relicto patre, castra patrui sequebantur. Quos, dum haeret, consulendos arbitratus, mittit, qui sententiam percunctarentur in occulto; atque illi, patruo clam respondere: *tutius videri sibi, uti fugam tempestive in Norvagiam caperet ad regem Magnum, nam validiorem Ericum, quam ut repugnare posset*. Ac, consilio obsequutus, statim fugit. Quod Erico ubi gnarum, & consuluisse filios, mox utrumque comprehensum duci in custodiam Slesvicum iubet; ac, pollicitus libertatem supplicantibus, summa animi inconstantia, de consilio Christierni (b), Slia quoque amne mergi, ne evaderent, & cum patre se coniungerent. Post quae, ordinata Cimbria, quum in Sialandiam reversus esset, iterum Haraldus adest, cum auxiliis, quae suppeditarat Magnus, & a populo in Vrnensi concione (c) denuo rex Daniae pronuntiatur. Quo comperto, ocyus in Cimbriam Ericus transiens, fratrem, filiosque eius noctu opprimit; ac postridie, nihil charitate motus, aut coniunctione sanguinis, omnes obtruncari mandat. Erant filii Haraldo, praeter duos, quos iam interfectos dixi, numero novem (d): Sivardus, Ericus, Sveno, Nicolaus, Haraldus, Benedictus, Mistevetus, Canutus, & Olaus. Quorum primis octo caesis, ultimus Olaus, fugit ad Sverconem, Sveciae regem, veste commutata elapsus. Inter ista, intestinis Daniae dissidiis exciti Vandali, per Holsatiam irrumpunt; quaeque obvia populantur. Quos Ericus ut reprimeret, comparata navium mille, ac centum classe, & in singulas earum equis quatuor impositis, praeter pedites, in Vandaliam transmittit (e), & eamdem in potestatem suam cogit. Hinc in Rugianos versus, qui idolo Vito addicti (f), cultum Chri-

(a) *Ericus, & Bero*] Bero ille Danico vocabulo *Biorn*, quod Meursius alias ex more communi, *Biornonis* illo exprimit. Sveno Aggonis *pag.* 111. & Knytlingorum Historia *cap.* 82. hunc Biornonem a *ferreo latere* cognomentum gessisse, ad imitationem longe vetustioris, eodem noti, & celebrati, testantur.

(b) *De consilio Christierni*] Dubitari potest, hunc Christiernum fuisse eumdem, cuius supra mentionem habuimus. Quum enim Sveno Aggonis summopere hoc Erici factum detestetur, & *inauditam crudelitatem* vocat, existimaverim consilium ab alio Christierno, non vero Svenonis Historici avo, datum. Sed quomodo ad illud Rex impulsus, veniam, iam ante miseris datam, revocaverit, legatur apud Saxonem *pag.* 248. *v.* 3.

(c) *In Vrnensi concione*) Celebre quondam fuit in Iutia australi Forum, & Dicasterium, *Vrnense* a loco dictum, *Vrne-Ting*, vel *Vrnehofvets-Ting*. Locum designat Caspar Danckwerthus in *Descriptione Ducatuum Slesv. & Holsat. pag.* 97.

(d) *Numero novem*) Imo undecim numerant Saxo, & Sveno Aggonis. Knytlingorum Historia nonnisi quinque Haraldo tribuit, *cap.* 82. „ Haraldus Kesia, Erici filius, in matrimonio „ habuerat filiam Magni Nudipedis Norvegorum Regis, nomine „ *Ragnhildem*, ex qua subscepit filios, *Magnum*, *Olaum* infra „ nobis memorandum, *Haraldum*, atque *Cnutum*. „ His quatuor ex superius eidem auctori dictis adiiciendus quintus, *Biorn Iarn-Side*, idest, *ferreo latere*. Itaque sex reliquos, vel hic Scriptor ignoravit, vel, quod verisimile, alia ex matre subscepti. Nam quin vera de numero retulerint Saxo, & Sveno Aggonis, non ambiguum. Saltem illum ex hoc corrigendum putem, de loco, atque tempore, quo & pater, & filii perierint; siquidem Sveno Aggonis exactius haec omnia percipere potuit a patre suo, qui rebus omnibus interfuerat. Neque is meminit profectionis Haraldi in Norvegiam, aut proclamationis in Regem in concione Vrnensi factae; sed evocatum a fratre, quem inermis adiit, nihil mali subspicatus, interemtum. Adducam totum locum, ut quid discriminis sit inter Svenonis Aggonidae, & Saxonis narrationem a Meursio adoptatam, cernatur. „ Ericus (ait ille,) „ paullo post in consanguineos suos inaudita crudelitate desaevire „ coepit; quippe germanum suum *Haraldum Kaesie* in curia „ sua *Ialing* pernoctantem, intempestae noctis silentio, ad col„ loquium fecit evocari. Qui de lecto subito se proripiens, „ plene inermis, nihilque sinistri subspicatus, ad Regem, & „ fratrem suum concitus properavit. Quem illico Catholiciani „ corripientes, caput eius amputarunt. Modico deinde temporis „ intervallo, nepotem suum Biornonem, iniqua compensatione „ talionem reddens, captivavit, adnexumque molari in profun„ dum abyssi demersit. Fratres quoque eius impuberes, unde„ cim numero, ferro iussit, aut patrissando necari. „

(e) *In Vandaliam transmittit*) Confirmat idem Historiae Knytlingor. auctor, *cap.* 101. his verbis: „ Altero regni sui anno „ Ericus Rex Vandaliam magno cum exercitu ingressus est, „ eamque ingenti illata clade passim vastavit. Ibidem urbem, „ *Arcunam* dictam, cepit, cuius incolae pagana superstitione „ imbuti, quotquot necem effugerant, Christianis initiati sacris „ fuere. Quo peracto Daniam Rex repetiit. „

(f) *Qui Idolo Vito addicti*) Debuerat dicere, *Idolo Svantevito*. Nam profecto *Vitus* haud erat Idoli nomen, sed Sancti illius Viri, cuius postquam reliquiae Parisiorum ex urbe transportatae essent Corbeiam Saxoniae, temploque nomini Sancti dicato, a Monachis Corbeiensibus illatae, qui ipsi Pomeranis, Rugianisque, Christum Redemtorem adnunciabant, id Sancti istius,

Christi abdicaverant, ac piraticam exercebant, armis universos vincit, & Archona, urbe maxima expugnata, leges superatis ponit: *ut, remoto Vito suo, Christum colerent, & Episcopum acciperent, qui in fide Christiana imperitos institueret*. Sed non diu in obsequio permansere; & Ericus vix in Daniam redierat, quum excusso statim metu, in antiquum idoli cultum relabuntur, & Episcopum expellunt. Qua de causa, quum adgrediendos bello altero constituisset, subito Norvagiae motu a proposito revocatur. Quippe Norvagi armis cogere Magnum regem conabantur, ut Haraldum, ex Hibernia venientem, & ad priscos Norvagorum reges [a] genus referentem, in consortium regni admitteret. Quod quum Magnus recusaret, ac tumultuantes suos coerceret, profugus in Daniam Haraldus abit, & Erici opem petit. Isque exceptum, & auditum, perbenigne secum habet; adiuturus, postquam bellum, quod in Rugiam, & Vandaliam agitabat, perfecisset; plurimum gratulatus sibi, quod occasio offerretur, qua insidias pridem structas, & repudium neptis suae vindicare armis posset. Itaque iterum subiugatis Rugianis, ac compositis in Vandalia rebus cunctis, classem in Norvagiam ducit, & Asloum, oppidum in primis finibus, mari adsitum, veterem Episcopi sedem, primo statim adventu capit, diripitque, & incensum solo aequat. Quo peracto, aliquamdiu eo in loco commoratus nusquam prodeunte Magno, neque pugnae copiam ullam faciente, Daniam cum suis repetit. Anno vero insequente, Haraldum in Norvagiam mittit, maximis instructum viribus; isque prospere praeliatus, post certamina quaedam levia, mox redactum in potestatem suam Magnum, ne deinceps regnum peteret, nimia crudelitate, oculis ambobus privat [b]; insuper & genitalibus, ne ultorem gignere posset; tum ex rege monachum facit, & in monasterium abdit. Atque sic peracto in Norvagia bello, ad rempubl. ordinandam animum Ericus vertit, & iudicia, multis bellis interrupta, ad antiquam revocare formam satagit. Quod dum facit, & per omnes regni sui ditiones proficiscitur, mortuo tum forte Ascero, Lundiensi Archiepiscopo, cum Eschillo Roschildensi de primatu [c] lis exorta est, quae in bellum mox erupit; & initio cum ex voto res Eschillo successisset, isque Ericum, Sialandis convocatis, in Cimbriam recipere se compulisset, ille postea reversus, magnis comparatis copiis, & Eschillum ipsum capit, & abduci in custodiam certam iubet, nec dimittit, nisi amicorum precibus, pretioque libertatis persoluto; ac dissidium tamen manet; quum Eschillum Scani peterent, sanguine Ascero iunctum, ob egregia eius merita, & Ericus, se expulsum Sialandia, ac per vim primatum peti, aegre ferens, in Riconem Slesvicensem, cuius opera in adipiscendo regno plurimum adiutus erat, propenderet. Sed Erici dum potentiam timent Scani, & tumultum ille novum evitandum arbitratur, res differtur, & utrimque conquiescunt. Inter quae, ad cognoscendas subditorum controversias, quod inceperat paulo ante, animum refert; & in nobiles pariter, ignobilesque, nullo generis respectu, severissime animadvertit. Qua re uti populi obstrinxit gratiam, sic nobilitatem offendit, odiumque in se eius adeo ingens concitavit, ut mox etiam succumberet. Nam in Cimbria, prope Ripam, in conventu Huedingensi [d] ius dicentem, Plocus quidam, cognomento Niger dictus, clara apud Cimbros stirpe, a quibusdam, qui in necem coniurarant, subornatus [e], lancea percussum occidit. Ille enim, ut insidias simulatione officii occultaret, confidenter regem accedens, inter

istius, optimique suo aevo Christi confessoris nimia, & inconsulta apud Paganos praedicatione, (dum omne quod vel minimam habebat miraculi speciem, ipsi adscribebatur) effectum, ut barbari, neglecto Christo, ad S. Viti cultum converterentur, inque eo unice persistentes, *Vitum* in supremi Numinis locum eveherent, vocabulo *Sancti* in *Suante*, vel *Zuente* suum detorto; quod dudum antea Slavis in usu, & perfamiliare fuisse, ex nominibus propriis *Zuantibori*, *Suentoslavi*, *Zuentepolchi*, aliisque cognoscitur. Helmoldus *lib.* 1. *cap.* 6. „ Temporibus Ludovici II. egressi de Corveia Monachi „ sanctitate insignes, qui Slavorum salutem sitientes impende„ runt se ipsos ad subeunda pericula, & mortes pro legatione „ verbi Dei, peragratisque multis Slavorum provinciis, perve„ nerunt ad eos, qui dicuntur Rani, seu Rugiani, & habitant „ in corde maris. - - - - Vbi etiam Oratorium fundaverunt in „ honorem Domini, ac Salvatoris nostri Iesu Christi, & in „ *commemorationem Sancti Viti*, qui est Patronus Corveiae. „ Postquam autem, permittente Deo, mutatis rebus, Rani a „ fide defecerunt, statim pulsis sacerdotibus, atque Christicolis, „ *religionem verterunt in superstitionem*. Nam *Sanctum Vitum*, „ quem nos martyrem, ac servum Christi confitemur, *ipsi pro* „ *Deo venerantur*, creaturam anteponentes creatori. Nec est „ barbaries aliqua sub caelo, quae Christicolas ac Sacerdotes ma„ gis exhorreat. *Solo nomine Sancti Viti gloriantur, cui etiam* „ *templum ac simulacrum amplissimo cultu dedicaverunt, illi* „ *primatum Deitatis specialiter attribuentes. De omnibus quoque* „ *provinciis Slavorum illic responsa petuntur, & sacrificiorum* „ *exhibentur annuae solutiones.* „ Idem auctor *lib.* 1. *cap* 52. „ Inter multiformia Slavorum numina praepollet *Svantevith* „ Deus terrae Rugianorum, utpote *efficacior in responsis*, cuius „ intuitu ceteros quasi *semideos* aestimabant &c. „ Plura idem postea *lib.* 2. *cap.* 12. nec non Saxo noster Grammat. *lib.* 14 *pag.* 249.

(a) *Ad priscos Norvegorum Reges*] Haraldus iste, *Gille* cognominatus, filius erat nothus Regis Magni, Nudipedis, frater Regis Sigvardi Hierosolymipetae, adeoque patruus Regis Magni Sigvardi filii, tunc regnantis. Venerat ex Hibernia in Norvegiam, iam fratre Sigvardo regnante, qui eum satis honorifice habuit. Post huius vero mortem noluit ei Magnus regni aliquam partem impertire; unde acre bellum conflatum. De quo Snorro Sturlaeus, auctorque Knytlingorum Historiae latius commemorant, atque ex eis Torfaeus *Hist. Norveg. Tom.* 3. *lib.* 9. *cap.* 3. & *cap.* 7. qui Saxonis Grammat. confusam, neque satis alias correctam narrationem castigat, *pag.* 574. *seq.*

(b) *Oculis ambobus privat*] Hinc factum, ut Rex iste in Historiis Septentrionalibus vocatus sit communiter *Magnus Blinde*, h. e. coecus.

[c] *De primatu*) Iam ante Asceri Archiepiscopi mortem coeperant odia illa, & dissidia inter Regem, & Eskillum, qui statim a pugna Fotvicensi, factus Petri Botildae fil. in Episcopatu Roskildensi successor, tantum sibi potentiae, auctoritatisque sumebat, ut Regi publice se opponeret. Vid. Saxo *pag.* 249. & *seq.* Inter haec moritur Ascerus, Eskilli patruus, dumque hunc Canonici Scanienses Archiepiscopum sibi optant, Rex autem in Riconem propendet, lis brevi post Regis interitu finitur.

[d] *In Conventu Hvedingensi*) Sic Hvitfeldius, veteres Annales sequutus, Saxone locum minus indicante. Pontanus *Haddingam* scribit, perperam. Pagus enim *Hvedingae* nomen habet, ubi *forum* erat *Hvedingense*. Sveno Aggonis in *Vrnensi placito* factum dicit. Pseudo-Ericus Pomeranus: „ Anno Domini „ MCXXXIX. *Ericus Emun* occisus est quodam die in *placito*, „ a quodam *Plog Svvorthe*. „ Sic enim istic legendum, pro *palatio*, & *Svvothe*, quod utrumque mendose, quemadmodum plurima in libro illo, Etpoldus Lindenbrogius (aut ille, cuius oculis, & manu usus) expressit.

(e) *A quibusdam subornatus*) Knytlingorum Historia, *cap.* 103. dicit, Plogum suopte motu facinus subscepisse, ut patris mortem ulcisceretur, quem Ericus interfici iusserat, nullam aliam ob cau-

inter milites quoque eius accenseri postulaverat; & admissus, quam debebat operam saluti eius defendendae, postea in caedem vertit. Nam vocatus in iudicium, quum ad regem accessisset, & audiri postulasset, manu una lanceam praelongam tenens, ac silentium circumstanti populo rex imperasset, torvo eum vultu intuitus, & inermem conspicatus, latus ferit. Tum, peremtum a se tyrannum alta voce gloriatus, etiam adstantes incitat, ut invaderent stipatores; quibus mox diffugientibus, unus restitit Ericus, regis ex sorore nepos, atque interfecti corpus, ne id raperent coniurati, ac discerperent, forti manu est tutatus (a). Ita periit Ericus, quum vix regnum quadriennio tenuisset; princeps certe animi praeclaris dotibus exornatus, bello acer; &, quum toties fuga hostem evasisset, Harevoetii (b), quasi Leporipedis dicas, cognomentum consequutus, mox Emundus, velut plane admirandus (c), postquam Magnum profligasset, est vocatus. Pace bonus, & severus iuris custos, rigide illud subditis administrabat; uti odium propterea, sicuti fieri fere solet, apud improbos contraheret. Sed initium principatus quum immani parricidio bonis omnibus exsecrandum reddidisset, regnum, male a nece fratris, ac nepotum inchoatum, post exiguum adeo tempus, sua misere terminavit. Impii profecto reges, & omnino illaudati, qui a caede propinquorum regnum suum inchoandum sibi putant, neque aliter constare rationem principatus arbitrantur, quam si eum, abominando bonis omnibus consilio, sanguine suorum firment. Corpus Ripae tumulatum, in suprema urbis aede. Liberos reliquit nullos, praeter unicum Svenonem, e Tunna concubina natum, quam nonnulli Chunnam vocant, postea, ut dicemus, regem.

ERICVS V. cognomento AGNVS.

Interfecto sic Emundo, proceres incerti haesere, cui regnum demandarent; siquidem prosapia regia, partim morbis, partim bellis, caedibusque, intercepta, pene tota extincta erat, parsque in Svenonem Erici iam occisi propendebat, pars Canutum, Magni filium; pars Canuti Slesvicensis, turpiter a Magno caesi, Valdemarum, regem esse eligendum statuebat. Quod quum cerneret Christiernus, vir auctoritate summa, cuius aliquoties iam facta mentio, Ingeburgam, coniugem Canuti ducis, quem a Magno interemtum memoravi, clam accedit, & ab ea Val-

ob causam, quam quod ipsi in Conventu quodam obloquutus esset. Ceterum homines Ecclesiastici in magnam subspicionem veniebant huius Regicidii, inque iis ante alios Episcopus Ripensis, cui *Notelio* nomen erat. Vnde de ipso Ioannes Laurentius Amerinus (qui vergente seculo XVI. Episcopus eiusdem Dioecesis fuit,) in *Serie Episcopor. Ripen. Metrica*:

„ Fama fidem sparsit tamen, hunc, (si nuda meretur
„ Fama fidem,) saevis constuduisse dolis,
„ Instinctuque suo *Nigrum* exstimulasse *Plogonem*,
„ Vt ferro Regis rumperet exta sui.

Nescio, an huc aliquo modo pertinere queat narratio, vera an fabulosa, in *Histor. Knytlingor. cap.* 103. Plogum Nigrum, antequam facinus adgrederetur, accepto, quasi ad mortis praeparationem, corpore Servatoris Christi sese munivisse, quod ipsi Sacerdos quidam, minis eius compulsus, ignarus tamen quid animo Plogus volveret, impertiverit.

(a) *Forti manu est tutatus*) Auctor *Histor. Knytlingor* refert, insidiose a Plogo peractum facinus, ita ut, quum in turba Rex concideret, a nemine sciretur, cuius manu, aut telo transfixus esset; nam Plogus, quum Regem accederet, hoc egerat, ut cuspidem, haud latam, sed praeacutam admodum, ligno excavato, quod hastili adplicuerat, insertam, continuo teneret terrae obversam, ita ut inermis, nec nisi longo Scipione munitus conspiceretur. Vbi vero propior Regi constitit, excusso, (quod pede impresso olam peregit,) ligno cavo, cuspidem nudavit, atque ita letalem Regi plagam inflixit, tanto cum impetu, ut Rex illa traiectus, atque ad ictum pronus, in terram procumberet. Hinc ingens tumultus ortus, dumque omnes in necis auctore perquirendo occupantur, solus Regi avunculo adstabat Ericus Agnus, filius Haconis Norvegi, Sunniva nati. Is gladium e vestigio in conventu strinxit. Plogus autem eum intuens, dixit: *Noli, Erice Agne, ita furere, gladiumque potius tuum recónde; nam sane pinguissimae carnis frustum in cacabum tuum incidit, modo sapere velis, fruique recte noveris.* Quod ideo ab illo pronunciatum, quoniam Ericus iste proximus Regiae dignitati videbatur, charus praeterea omnibus, acceptusque.

(b) *Harevoetii*) Meursius sua dialecto; hoc est, Belgica alteram vocabuli partem scribit. Quod enim Belgae dicunt *Hasevoet*, Danis est *Hare-fod*, i. e. *pes leporis*.

(c) *Emundus, velut plane admirandus*) Notabilis inter Scriptores dissensus est de cognomenti huius causa, & significatu. Knytlingorum Historicus, *cap.* 99. ceterique Islandi *Virum perpetuo-memorabilem*, vel *semper-memorem* interpretantur, nempe quia memoria rigoris, & severitatis eius diu animis inhaesura putabatur, aut quia, perpetuo memor offensarum, vehementer omnes, qui Nicolao quondam studuerant, premebat: ab *Ey*, semper, perpetuo, & *Munne*, meminisse. Torfaeus, *pag.* 498. a nonnullis *Eymi* scriptum adtestatur, quod *odorem diuturnum* significat. Alii *perpetuo memorabilem* demum a Fotvicensi pugna adpellatum volunt, ex qua admirandum decus reportarit. Sic Helmoldus, loc. cit. *pag.* 124.

„ Et factus est Ericus ea victoria insignis, & creatum est ei „ nomen novum, ut *Ericus Emun*, hoc est, *memorabilis* ad„ pellaretur. „ Quod & repetit Alb. Stadensis, *pag.* 159 *b*. & ex utroque alii, Pontanus quoque *pag.* 212. „ Datum tum „ ei, abolito priore *Harefoed*, quod notam timiditatis adsper„ gere videbatur, novum cognomen, ut *Ericus Emundt*, hoc „ est, *illustris, clarusque* adpellaretur. „ Veteris *Chronici* auctor, in Appendice *Chronici Sialand. pag.* 69. ad severas tributorum exactiones rem refert, his verbis: „ An. MCXXXVI. „ Ericus primo imposuit terrae denarios *aratriales*, idcirco a „ rusticis adpellatus est *Emun*, quasi *semper memorabilis*. „ Verum hunc Annalistam non dubito in *causa* reddenda falli; nemo enim alius de *Erico Emundo* scriptum prodidit, quod *denarios aratriales* terrae imposuerit, sed constanter eius tributi impositio adscribitur Erico Regi, Valdemari II. filio, anno 1250. peremto, qui & inde cognomentum retulit *Plogpenning*, (h. e. *denarius aratri*) Annalistae memoriam videtur decepisse vocabulum *Plog*, quod adpellative *aratrum* significat, sed proprium fuit viri eius, qui *Ericum Emundum* interfecit. Sed quidquid de hoc auctore fuerit, certum est non defuisse alios, qui cognominis illud haud minus ad invidiam traxere; Canonicos videlicet Lundenses, quibus, & Ecclesiae eorum Ericus opimam fuerat praebendam pollicitus, scriptisque litteris promissum confirmarat, nihil tamen eius in manus eorum tradidit. Hinc Magnus Matthiae, & ipse Canonicus, in *Lundensium Episcoporum Catalogo*, *pag.* 29. „ Non abs re *Emundo* huic factum videtur cognomentum, „ quod *ore, & verbis* promiserit plurima, quorum nihil re ipsa, „ aut opere praestiterit, aut praestare in animo habuerit. „ Vbi in alio exemplari Scholion subiicitur. „ Emundus idem sona„ re videtur, quod *in ore*, Danice *i Munden*. „ Occasionem huic cavillationi Saxo ipse (nam Saxone omnino haec recentior,) videtur dedisse his verbis, *pag.* 249. „ Idem [Eri„ cus] rerum a se gestarum virtutem tantis laudibus prosequi „ consueverat, ut veri interdum fidem excederet. „ Ad quae Stephanius: „ Hinc *Emundi* cognomentum sortitus est, quasi „ diceres Iactatorem, qui inanes flaret glorias, cuiusque vir„ tus in lingua unice sita erat. „

Non possum hoc loco tacere, (etiamsi praeter morem meum, qui nihil constitui, quamvis ad res Danicas spectare queat, extra datam a Meursio occasionem adtexere) non possum, inquam praetermittere singularem quamdam adnotationem, quae occurrit in *Auctariis ad Chronicon* Anselmi Abbatis Gemblacensis, (quod cum aliis Aubertus Miraeus edidit Antuerpiae ann. 1608. in 4.) ad annum 1138 eum scilicet annum, qui Erici Emundi Regis mortem praecessit. Sic autem ibi legitur: „ Rex Danorum, audita morte Regis Anglorum, „ cum multo navium adparatu, cum militari, & pedestri exer„ citu, fines Angliae devastabat, omni crudelitatis genere, di„ cens antecessorum suorum hereditario iure, & collimitanei ma„ ris vicinitate, sibi magis deberi regnum Angliae, quam Ste„ phano Regi, & Northmannis, ex Wilhelmi Bastardi persua„ sione. Rex Anglorum, reputans periculosum, primo impetu

„ cum

Valdemarum filium novennem (a) petit; bonae indolis, maximaeque spei puerum, ac promittit, producturum in concionem, & facturum, ut suffragiis optimatum rex creetur. Etenim vir prudentissimus apud animum reputabat, quanto regnum, rege orbatum, in discrimine versaretur, dum civiles domi motus, foris vero hostium irruptiones semper metuendae essent. Verum anxia de salute filii sui prudens femina, quae conditionem regum miseram tot caedibus iam didicisset, eum se daturam negat, ni polliceretur prius ab administrando regno, cui imparem etiam per aetatem sciret, plane immunem praestiturum. Quod quum ille, ut a matre vel hoc modo impetraret, promisisset, impetratum mox in concionem ducit, meritaque in regnum patris cum oratione longa praedicasset, ita animos cunctorum in sententiam suam traxit, ut decernerent, committendum puero regnum simul ad maturam aetatem pervenisset: ac, dum porro adolesceret, hunc Ericum in societatem addunt, caesi ex sorore nepotem, fortitudinis pridem clarum. Isque postquam dignitatem regiam adeptus esset, illico seditio in regno nova, atque gravis est exorta. Nam Eschillus, Roschildensium Episcopus, cognita Erici caede, qui impedimento fuerat, ne primatum Lundiensem antea consequeretur, & in Scaniam transmittit, &, consensu indigenarum, qui nolebant summam eam dignitatem ad familiam alienam pervenire, novo rege inconsulto, primas regni constituitur. Quod Erico postquam nuntiatum fuit, is Riconem, pridem Slesvicensem praesulem, quem avunculus destinaverat, constituere armis statuit, & Eschillum in ordinem cogere. Verum, Scanis pertinaciter repugnantibus, quum non sine magno bello perfici id posse cerneret, ut quietem regno suo conservaret, in Eschillum nil ulterius molitus, ipse quoque conquievit; & Riconem Slesvicensem ante tempus id Episcopum, Daniaeque Cancellarium, Praesulem Roschildiensem, loco Eschilli, esse iussit. Vix haec acta; quum Olaus, Haraldi filius, qui, occiso pridem patre, fratribusque, clam in Sveciam evaserat (b), & in Daniam regreditur, & ereptum ab Emundo patrimonium reddi petit. Quumque rex Frothonis Magni legem (c) obiiceret, qua statutum, ut, qui civibus arma suis intulisset, animoque regnum hostili invasisset, bonis ille universis privaretur; spe frustratus, ad insidias se convertit. Quae quum parum successissent, & opprimere noctu regem cupientem, qui excubias agitabant, repulissent, mox in Sveciam se recipit; unde in Scaniam reversus, quum in Sialandiam rex recessisset, mox, promissa populo immunitate, regium adeptus nomen, regnum invadit. Inter quae Eschillus primas, convocatis ex vicinis oppidis, agrisque auxiliis, quum Olao se obiiceret, superatus, ac repetere Lundiam per vim coactus, neque repugnare potens, summa annonae egestate, tamdem se, urbemque dedit. Sed, neglecto iuramento, quum Olaus in ulteriorem Scaniam se conferret, traiicit in Sialandiam; &, Ericum regem accedens, multis verbis palam facit, quantum intersit, ut is Scania quam celerrime depellatur; tum promittit quoque operam; ac, si rex exercitum daret, se ductorem illi obfert. Atque impetratis copiis, quum in Scaniam revertisset, ab Olao praelio secundo vincitur, & ad regem iterum tunc sese recipit. Quibus rebus quum Olao, bis victori, multum animus augeretur, bona ille, quae per Scaniam rex, & primas possidebant, diripit passim, & militibus elargitur; tum rescindit acta regis universa, & substituit primati alium eiusdem nominis. Hinc securus, mittit in hiberna copias, arma Lundiae relinquit, & per Scaniam sine exercitu veluti confecto bello, nec timendo usquam hoste, iter facit; parum gnarus, in his talibus laeta fere esse initia, neque finem respondere. Verum, ut securitas periculum coniunctum habet, sic Olao haec exitium pene extremum adtulisset, ni fortuna eum sua, potius quam industria, eripuisset. Nam Ericus, postquam hostis negligentiam cognovisset, ocyus coactam manum noctu in Scaniam transmittit; &, Olai improviso castra invadens, ipsum statim in fugam agit, quatuor e ducibus capit, ac confestim aquis mergit; inde, Lundiam copias ducens, urbem capit; & Episcopum Eschillum, ab Olao constitutum, laqueo punit; arma hostium, & manubias inter suos dispertitur. Tum e Svecia cum exercitu revertentem ad Glimstorpium (d), alii Distlingam dicunt, gravi praelio fundit, & in fugam agit. Quidam memorant, Olaum duodecies eo anno cum Erico dimicasse, & inferiorem semper discessisse, ut in illo, invictum animum, in hoc etiam fortunam praedicare habeamus. His in Scania ita gestis, quum puderet, toties in ea signa infeliciter contulisse, ceu prosperiore alibi belli alea futura, arma in Sialandiam transfert; sed vix hanc ingressus erat, quum repulsus a Ricone praesule Roschildiensi, Scaniam repetere coactus fuit; qua de causa odio in eum accensus, & ulturus ignominiam, cum militibus nonnullis, quidlibet audere promtis, noctu mox in Sialandiam, ubi regem, & Riconem, modico tantum intervallo separatos, agere didicisset, redit. Ac Riconem cum Ramlosae pernoctare accepisset, eo tendit; &, impugnans eius aedes, cum domesticis resi-

„ cum tam efferato hoste non ex aequo confligere, habita dilatione, & inspecta opportunitate dispersos longe, lateque, & „ inhiantes praedae, facili superavit congressione, multisque „ eorum aut interfectis, aut captis, reliquos compulit cum „ dedecore ad propria redire „ Ita istud *Auctarium*, quod *Gemblacense* Miraeus vocat. Sed quum ne unicus quidem, non dicam nostratium, sed Anglicorum Annalistarum, & Chronographorum illius rei meminerint, ad fabulas totam ablegandam esse nullus dubito; credoque auctorem memoriae vitio Danis adscripsisse, quod Scotis, & eorum Regi, Angliam hoc ipso anno invadenti, magnaque accepta clade repulso, accidit.

(a) *Filium novennem*) At vix quinquennis tum erat; natus quippe octavo die a patris caede, facta anno 1031. omnino.

(b) *Clam in Sveciam evaserat*) Saxo eum nunc e *Norvagia reversum* dicit, *pag.* 251.

(c) *Frothonis Magni legem*) Saxo tantummodo, illam *antiquitatis legem opposuit* &c. Inspiciatur tamen Stephanii adnotatio, *pag.* 234. *a*.

(d) *Glimstorpium*) Legatur *Glumstorp*, ex Saxone.

resistentibus, minime effringi a suis fores possent, ignem poscit, ut incendat. Ad quam vocem Rico territus, & honestius arbitratus ferro cadere, quam exuri, pacem petit, & colloquium cum Olao. Quo concesso, quum egrederetur domo, nihil sibi dubitandum de illius fide ratus, ipso in limine trucidatur. Hoc patrato, Scaniam Olaus repetit, antequam Riconis caedes ad Ericum perferretur; isque mox, maioribus collectis copiis, quum in Scaniam traiecisset, in Hallandiae fines ducit; & Olaum, ad Aristadium nova auxilia comparantem, pene oppresserat, nisi is, traiecto amne, & abrupto, per quem transeundum, ponte, effugisset. Sed quam tunc evasit necem, postea tulit, gravi praelio ad Thiutham amnem victus, & occisus. Sublato hoste, & pacatis regni rebus, coniugem ducit Luidgardam, sororem Hartvici [a], Archiepiscopi Bremensis; cui, dum indulget ni mis optimatibus, qui in bello intestino, & in primis contra Olaum strenuam navarant operam, bona regni dilargitur. Tum, ut aliquod suae quoque pietatis apud posteros monumentum haberetur, in Scania, Hervadiense [b] Monasterium amplum, locuplesque condit; ac mox, in ignaviam versus, sui similis esse definit; quique antea ob virtutem hostibus metuendus erat, tunc contemni etiam a suis coepit. In Vandaliam profectus [c], ut piraticam exercentes eius populos coerceret, turpiter repulsus fugit; neque quidquam, praeter ignominiam, refert. Vandalique, quibus animus per id crescere, se per mare Balticum effundunt statim, obsidentque universum, obviumque regem inter Sialandiam, & Fioniam consequuti, pene ceperant; nisi ille, acta in propinquum littus navi sua, cum perpaucis effugisset. Non in eo ulla virtus, aut prudentia, ac consilium fortiter gerendae rei, post contractum matrimonium, reliquum erat; & effeminasse certe virum uxor videbatur; nec valere ipse quidquam, nec, quod proximum sapientiae, aliorum bene monitis se permittere, bella inchoare suasu hominum stultissimorum, moxque rursum intermittere; famae suae, ac salutis subditorum, quos vexare Vandali non desinebant, pariter prodigus. Postea in Sialandia quum corriperetur febri, ac transferri in Fioniam, e qua oriundus erat, voluisset, in Othoniensi urbe diem obit. Desperata valetudine, quum instare mortem sibi intelligeret, plus in Monasterio esse sanctitatis, quam palatio, arbitratus, vestem induit monasticam, & proceribus, paullo ante convocatis, sceptrum tradit; vitam aliquamdiu ingloriam pia morte finiturus. Verum quamvis regni insignia reddidisset, animum regnandi tamen minime deposuisse visus fuit. Nam Elivus Vesingensis, quem Eilerum, comitem Vestorpiensem [d] quidam vocant, alii Olaum dicunt, lecto adsidens, quum moneret optimates, *ut mature de creando novo rege inter se deliberarent, nec iniuriae Vandalorum porro regnum expositum esse paterentur*; adeo certe, mentionem successoris etiam se vivo fieri, animo inique tulit, ut indignabundus plane spiritum, adhuc haerentem, exhalaret: inter magnos principes commemorandus, ni priorum annorum gloriam infamia posteriorum obscurasset. Decessit vero sine liberis, postquam regnum tenuisset annis novem. Cognomentum Agni [e] habuit; at Helmoldus Spaci tribuit.

(a) *Luitgardem*; *sororem Hartvici*) De hoc matrimonio, & feminae istius fatis legendus Alb. Stadensis, *pag* 165. a. Meibomius *Chronic. Marienthal. pag.* 350. & fusius Pontanus, *pag.* 216.

(b) *Hervadiense*) All. *Herivadense*. Sed rectius erit *Herritsvadense*.

(c) *In Vandaliam profectus*] Helmoldus de illo, *lib.* 1. *cap.* 67. „ Fuit vir ille pacificus, cum tranquillitate creditum sibi gu„ bernans regnum, nisi quod Slavorum furiis minus obstitit; „ nam latrocinia Slavorum eo tempore solito plus invalue„ runt. „

(d) *Quem Eilerum, Comitem Vestorp.*) Cancellarius Arnoldus Hvitfeldius testatur de tabulis, quas inspexerat, cum *Eyleri Comitis de Vestorp*, aut *Bistorp* mentione, nec non Regis huius *Erici*, qui *Tertius* in litteris vocatus, praesens editioni earum adstiterat. Nec dubitat eumdem adserere, qui Saxoni vocatur *Elivus*, *a vico Visingo*, hoc est, Danice expositum, *Visingstorp*, & contracte *Vistorp*, aut *Bistorp*. Ita scilicet vicus quoque Saxoni, eodem *libro*, *pag.* 255. adpellatus *Thorsta vicus*, in Chronico Sialandiae, *pag.* 26. est *Thorstentborp*, hodie omnibus notus adpellatione *Thorstorp*, per contractionem. Danica enim lingua syncopas, & contractiones in vocabulis amat, ut quae maxime. Attamen per *vicum Visingum* Andreas Velleius, in Danica Saxonis versione, subspicatur eum intellexisse pagum Fioniae *Visingberg* dictum; sed praeter rationem, quum sic potius scripsisset *Visingum montem*.

(e) *Cognomento Agni*] Saxo id cognomen *ex patientia obvenisse* scribit: Sveno Aggonis, *ob suavissimos mores*. Nonnulli, ut Hamsfortius, *Oviculam*, exemplo Romani illius Fabii Maximi, dixere. Agnus Danice est *Lamb*; unde saepius in Annalibus, & Chronicis etiam Latine scriptis occurrit *Ericus Lamb* Islandis, & Helmoldo (*lib.* 1. *cap.* 67.) Ericus *Spake* audit, h. e. *Mansuetus*. Knytlingorum Histor *cap.* 104. „ Hic Ericus vir sapiens erat, & gratiosus, tantaque morum „ lenitate, ut Ericus *Spaki* diceretur. „ *Vetus Chron. Lat.* „ „ Ann. D. 1140. Olaus Haraldi filius rebellavit contra Ericum „ *Spaka* Regem. Ceterum Knytlingorum Historiae testimonio haud admodum consentit Saxonis istud *pag.* 250. *seq.* „ Hic „ praeter solam animi fortitudinem nihil a natura dotis acce„ perat, sicut prudentia vacuus, ita parum amoenus eloquio. „

HISTORIAE DANICAE

LIBER V.

SVENO IV. cognomento GRATHENEDIVS. CANVTVS V. VALDEMARVS I.

Post Erici Agni mortem regnum inter tres divisum [a] est. Sialandi, maxime Stenonis suasu [b], cuius summa tunc existimatio erat, in Svenonem inclinantes, filium Erici Emundi, eum sibi regem capiunt, & Scanorum etiam consensum impetrant. Cimbri vero, a Stenone alieni [c], in Canutum, Magni filium, eius qui Canutum pridem Slesvicensem interfecerat, regnum conferunt. Ac iam ante, ut narravi, Valdemarum constituerant, Canuto Slesvicensi natum, non maturum quidem regno, sed tantisper sub tutore educandum, dum ad illud capessendum per aetatem aptus foret. Qui dum crescit, duo illi armis inter se contendunt, & Canutus, postquam prior Sialandiam invasisset, per absentiam Svenonis, qui exercitum apud Scanos conscribebat, eam in potestatem redigit; & Eschillum Archiepiscopum Lundensem, clam in partes suas trahit. Verum ille, dum in Sialandiam transire [d] parat, comprehensus, subter fornicem summi templi aliquamdiu in ludibrium corbi impositus subspenditur [e]; hinc in carcerem compingitur, moxque libertati redditur; quum Pontificis Romani diras pertimescens Sveno, & dimittit perbenigne, & dimidiam insulae Boringholmiae [f] partem Ecclesiae Lundensi donat. Inde in Sialandiam traducit copias, hostem insula pulsurus; tum, commisso ad Slangendorpium [g] magno praelio, editaque ingenti strage, victoriam cruentam admodum consequutus, regredi in Cimbriam Canutum cogit. Quae dum fiunt, Eugenius Romanus Pontifex, nominis illius tertius, missis per Europam literis, reges omnes, principesque Christianos exhortatur, ut in Turcas, fidei Christianae hostes, arma capiant. Itaque Sveno, & Canutus, positis privatis odiis, & induciis constitutis, arma iungunt, & in Vandalos, etiam tum cultui idolorum deditos, a Saxonibus adiuti, classem ducunt. Vix ad littus adplicuerant, quum se Saxones coniungunt. Varie divisa classis, ad diversa loca adpellit, parsque alia Svenonem, alia Canutum sequitur. Cimbri cum Canuto erant, cum Svenone Slesvicenses, Scani, atque Sialandi, qui postremi accessere, ceteros cingunt, ac Dobinum primum oppugnant [h], oppidum

(a) *Regnum inter tres divisum*) Non sane illa tam subito tripartita divisio locum habuit. Tres minimum anni elabebantur, priusquam Valdemarus accessit, & aliquam summae rerum partem consequutus est, ut ex Saxone manifestum. Atque de ultima *Erici Agni* voluntate testantem habemus Helmoldum *lib.* 1. *cap.* 67. his verbis: „ Sentiens Ericus ad„ propinquare diem mortis suae, convocavit tres adolescentes „ regios, adhibitoque Magnatum consilio, *Svein* destinavit ad „ regnum, *VValdemarum*, & *Kanutum* hereditate paterna iussit „ esse contentos, ordinatisque taliter rebus, defunctus est. „ Itaque Torfaeus, *Histor. Norveg. Tom.* 3. *pag.* 548. „ Valde„ marus, licet antea omnium suffragiis lectus, proximique Re„ gis tutelae commissus, hoc tamen tempore praeteritus. „

(b) *Stenonis suasu*) Fuit, sine dubio, unus Senatorum regni. Saxo dumtaxat *Stenonem quemdam* vocat.

(c) *A Stenone alieni*) Hic, *a Svenone*, rescribendum.

(d) *Verum ille, dum in Sialandiam transire*] Errat. Haud enim in mentem veniebat Eskillo in Sialandiam transire, sed Canuti adventum ex Sialandia, quem ut Scaniam classe peteret clam invitarat, exspectabat, certus sese ac copias suas, quas in illud habebat paratas, eidem statim ac exscendisset, adiungendi. Cognito autem Canutum adventare, *praecipiti* (utor verbis Saxonis) *in littus equitatu contendit*. Quod Canutus videns, subspicatur se prodi, neque consultum ducit, milites suos in littus exponere, sed versis subito velis Sialandiam repetit. Interim Sveno, qui properantem ex urbe Lundensi Pontificem observarat, subsequutus, revertentem adgreditur, & superat.

(e) *Corbi impositus subspenditur*] Saxo tantummodo: „ Captum, „ quia publica custodia non suppetebat, in excelsam Laurentia„ nae aedis partem attollit, eique templum ergastulum fecit. „ Sed Nicolaus Archiepiscopus Lundensis in *Chronico* a Thoma Bartholino Th. f. Th. n. edito *pag.* 5. docet, *captum a Svenone Rege, subspensum fuisse in sporta, sub testudine*. Idemque habet Hvitfeldius, factum referens ad ann. 1149. Attamen Magnus Matthiae in *Catal. Episcopor. Lund. pag.* 36. credit, non sub testudine, sed super illa collocatum Archiepiscopum, *quod* (inquit) *alius tum carcer ad manum non esset*. Hanc autem particulam historiae magni Praesulis Eskilli nescio cur praeterierit Angelus Manrique in *Annalibus Cisterciensibus*, ubi tam multa alias de eo consignata.

(f) *Dimidiam insulae Boringholm*] Pluraque insuper alia, quae recensent laudati modo Scriptores.

(g) *Ad Slangendorp*] Quam pugnam, secundum nonnullos brevi post insequuta illa ad *Thorstentorp*, Saxoni, & nostro multo posterius memorata. Vtrumque praelium, si vett. Annalibus fides, habitum fuitanno 1150. ac utroque Canutus victus, & fugatus.

(h) *Dobinum primum oppugnant*] Meminit quoque Helmoldus *lib.* 1. *cap.* 65. qui auctor breviter, & accurate docet initium expeditionis, eiusque progressum, haud omnino votis respondentem. Dicit, circa ann. 1148. Principes iam ante ad *Cruciatas* illas (uti postea vocatae) S. Bernardi hortatibus excitatos, tres simul expeditiones decrevisse, unam in Orientem, alteram in Hispaniam, tertiam in Slaviam. De tertia ergo haec prodit, *lib.* 1. *cap.* 62. „ Tertius signatorum „ exercitus devotaverunt se ad gentem Slavorum, Obotritos sci„ licet, & Luticios, nobis confines, ulturi mortes, & exter„ minia, quae intulerunt Christicolis, praecipue vero Danis &c. „ Et *cap.* 65. „ Venit quoque Danorum exercitus, & additus est „ his, qui obsederant Dubin, & crevit obsidio. Vna ergo die„ rum, considerantes ii, qui tenebantur inclusi, quia Danorum „ exercitus segnius ageret, (ii enim domi pugnaces, foris im„ belles sunt,) facta subita eruptione, percusserunt ex eis mul„ tos, & posuerunt eos crassitudinem terrae. Quibus etiam „ subveniri non poterat propter interiacens stagnum - - - - Ad „ ultimum nostris iam pertaesis conventio talis facta est, ut „ Slavi fidem Christianam reciperent, & laxarent Danos, quos „ in captivitate habebant. Multi ergo eorum falso baptizati sunt, „ & de captione hominum relaxaverunt omnes senes, & inu„ tiles, ceteris retentis, quos servitio robustior aptaverat aetas. „ Taliter illa grandis expeditio cum modico emolumento soluta „ est. Statim enim postmodum in deterius coaluerunt; nam „ neque baptisma servaverunt, nec cohibuerunt manus a deprae„ datione Danorum. „ Historia Knytlingorum *cap.* 108. de ista expeditione agens, Saxonis narrationi haud dissimilia prodit. Sed *Auctarium Gemblacense*, ab Auberto Miraeo editum, quod superius adlegavimus, notabile quoddam obfert, *pag.* 207. ad

pidum piratica infestum maxime. Quod dum faciunt, Rugiani, qui & ipsi idolis dediti, opem Vandalis ferebant, in Svenonis classem invadunt, & incendunt magnam partem, capiuntque. Qua accepta clade Dani consternati, naves, quae restabant, repetunt, & in Daniam, re infecta retrocedunt, aemulique reges ambo, postquam domum rediissent, bellum intermissum instaurant. Hinc, amissis ad Dubinum navibus, inferior Sveno, mox Roschildiam, ab Haraldo pridem rege devastatam, ut haberet, quo tueri sese posset, vallo, atque fossa munit; ac praesidium imponit, & Ebbonem, Scialmonis Candidi filium. Cuius rei certior in Cimbria Canutus factus, ut munitionem urbis impediret, & Vandalico bello fractum, hostem opprimeret, antequam reciperet vires, cum exercitu traiicit in Sialandiam, ac Svenone, e ductoribus suis [a] uno, ad munitionem urbis explorandam amandato, postquam captum eum accepit, oculosque item ereptos, statim in Cimbriam regressus, colligit maiores copias, & Roschildiam, mox in Sialandiam reversus, capit. Sed ad Thorstam [b] a Svenone postea conserta manu superatus, cum reliquiis exercitus Cimbriam repetere coactus fuit. Destituerant Canutum duo e nobilitate Cimbrica primates viri, bello clari; quorum magnus tunc Svenoni usus fuit, & momentum ad victoriam reportatam. Inter ista Valdemarus, iam idoneus regno factus, odioque in Canutum, cuius pater suum e medio tam nefarie substulisset, stimulatus, in Svenonis partes transit, accipitque praefecturam Slesvicensem, quae parentis pridem fuerat, & impellit, ut in Cimbria ipsum invaderet. Moxque obsequutus Sveno quum in Cimbriam traieciisset, Viburgenses spe immunitatis summae ad se trahit; & Canutum ante urbem cum exercitu occurrentem, gravi praelio superatum fundit, & in fugam agit; qui quum profugus Oleburgum [c] advenisset, velut rebus desperatis, atque debellatum putans, navem scandit, & in Sveciam se recipit, ad Sverconem illic vitricum. Quibus actis, aemulo liberatus Sveno, quum Viburgum muniisset, iterum infestis armis Vandalos petit; Daniae iam, ob dissidium intestinum, insultantes. Sed, successu aliquoties infelici, quum plus impetus haberet, quam constantiae, nulla re praeclare gesta, domum redit. At Canutus, quem in Sveciam profugisse memoravi, a vitrico benigne acceptus, & Ioanne eius filio, mox contemtui esse coepit. Quo perspecto, postquam bona vendidisset, emta navi, in Poloniam [d] ad avunculum, & maternos necessarios sese confert. Sed & illic in subspicionem regni adfectati quum venisset, ea etiam relicta, in Saxoniam ad Henricum ducem abit; cuius fidem, ut in rebus fere adversis fieri solet, fluxam expertus ad Hartvicum [e] Archiepiscopum Bremensem, & infensum regno Daniae, quod dicendi ibi iuris potestatem in Ecclesiis amisisset, tamdem venit. Atque iste, nullo quidem in illum studio, sed vindictam contumeliae animo agitans, dat auxilium. Quo Canutus comparato, mittit statim, qui explorent, quo res loco sitae essent, & an Cimbri veterem in se adfectum retinerent. Quibus laeta nuntiantibus, studiaque Cimbros sua, si veniret, polliceri, in eorum fines ducit, neque longius progreditur, quum illorum magna statim multitudo sese dedit. Qua re nuntiata, Sveno, quum imminui vires suas persentisceret, se Viburgo, quod iam pridem communierat, continere, & obsidionem illic exspectare apud animum constituit. Tum Canutus, postquam eo advenisset, non prodire hostem videns, castra ante urbem ponit; quam quum aliquanto tempore obsedisset, ac deficeret commeatus oppidanis, Sveno nihil non tentandum pro salu-

ad ann. 1148. hoc scilicet: „ Daci, & Westphali, ac Saxo-„ num Duces consenserunt in hoc, ut aliis euntibus Hieroso-„ lymam contra Saracenos, ipsi vicinam sibi Slavorum gen-„ tem aut omnino delerent, aut cogerent Christianam fieri. Et „ quum iam ad arma ex utraque parte ventum fuisset, Teu-„ tonici, accepta pecunia vendiderunt Dacos, coeptoque prae-„ lio se subtrahentes., multa millia Dacorum occidit Sclavorum „ gladius. „

(a) *Ac Svenone, e ductoribus suis*) Mendum est, cuius loco rescribatur *Sunone*. Sic enim virum illum Saxo, nec non alii, nemine excepto, vocant *Suno*, proprium viri nomen, a *Svenonis* illo diversum. Sed & aliquando vidimus inter hodiernos Scriptores, qui eumdem errorem in nomine errarent *Andreae Sunonis* Archiepiscopi, a quo *Legum Scanicarum* Latinam expositionem habuimus, aliaque opera, & cui Saxo Historiam suam inscripsit adpellando eum *Andream Svenonis*.

(b) *Ad Thorstam*) Saxo: *ad Thorstam vicum*; hoc est, ut Annales, & Histor. Knytlingor. *cap.* 108. exponunt *Thorstenstorp*, hodie contracte *Thorstrup*.

(c) *Oleburgum*] Saxo *Alaburgum* scribit, haud parum rectius. Oppidum est ad sinum Limicum, Iutiae borealis praestantissimum vernacule *Aalburg*.

(d) *In Poloniam*) Scilicet *avunculos, & maternos necessarios* habebat in Polonia. Plures autem in Russiam fugisse scribunt; Sic Ericus Pomeranus. Sic & *Chronicon Sialand pag.* 27. *Anno* 1152. *exulavit Kanutus in Sveciam, & Rusciam*. Annales in Sylloge Ludewigiana, *num.* XII. *pag.* 213. pariter: *ann.* 1152. *fugit in Russiam*. Nihilque verisimilius, quum in Russia vitricum habebat Vlodomirum Regem, cui mater Rikiza, post caedem Magni, nupserat. Quid? quod ipsa *Historia Knytlingor.* fugae primum in Sveciam, hinc in Russiam, ac denique Rostochium meminit. Locus est *cap* 108. indignus propemodum, qui enotetur. Exscribam tamen: „ In „ Gothiam ad Sverkerum Caroli filium, affinem suum, se re-„ cipit, ipsius auxilium imploraturus. Affinitatis haec erat ra-„ tio, quod Sverkerus in matrimonio haberet Rikizam, quae „ primo coniugio Canutum pepererat. Sverkerus ei commuta-„ tionem proponit, qua nempe Canutus ditionem in Svecia, „ unde dignitatem regiam substineret, habiturus esset, eiusque „ vice Sverkerus partem regni, quam Canutus in Dania possi-„ debat, reciperet. Verum haec conditio repudiata a Canuto, „ qui deinde iter Orientem versus in Russiam prosequutus est. „ Hinc in austrum Rostockium versus ivit ad avunculos suos, „ qui haud longam penes se moram concesserunt, subspicantes „ ab illo insidias regno ipsorum strui. Itaque Bremam ad Har-„ devicum Archiepiscopum contendit, a quo ad Henricum Du-„ cem, Caesaris Conradi filium, Brunsvicum deductus, ab eo-„ que exceptus fuit. „ Haec illius auctoris verba, multa utique Lectorem, quae offendant, continent; primum, quod Sverkeri coniugem faciat Rikizam Magni olim coniugem, omnino in hoc errans, quum Sverkerus Vlvildam, Magni novercam, coniugem olim Nicolai in matrimonio habuerit. Quae Historicus deinde pro more suo, omnium consiliorum, secretoque, ac publice actorum singularem notitiam praeseferens, excogitavit, & adtexuit, de brevioris in Svecia, & Rostokii apud avunculos morae caussis, deque oblata a Sverkero permutatione, eorum fides penes ipsum sit. Vt cetera omittamus de avunculis, quos Rostochii commorantes finxit, quum in Polonia, & Silesia regnaverint, Boleslai utpote Crivousti filii. Videantur quae supra adnotavimus ad *Col.* 238. *b.*

(e) *Ad Hartvicum*] Omnino hic a Saxone praeterita esse, aut ipsi latuisse dicamus ea, quae antequam in Saxoniam Canutus, vel ad Archiepiscopum Bremensem iret, in Holsatia, & Wagria acerrimis certaminibus fuere gesta inter Canutum, & Svenonem, Adolpho Comite Holsatiae partes Canuti amplexo, Ethelero autem de Thietmarsia Svenoni auxiliante. Haec fuse occurrunt enarrata Helmoldi, *lib.* 1. *cap.* 67. cuius totum istud in Historiam suam transtulit Pontanus, *pag.* 219. *seqq.*

salute sua, & suorum ratus, statuit erumpere mane, & invadere improviso castra hostium: sed impediebat rivus, quem transire nisi cum periculo posset; quo transmisso nihilominus ingens oritur certamen. Ac Canutus, dissipato equitatu, quo superior multo erat, tamdem victus, & fugatus, cum perpancis vix elapsus, in Saxoniam recedit; clara admodum Valdemari in conflictu illo opera. Inter haec Fioniam invadunt Vandali, & diripiunt; sed, coactis statim copiis, contra eos tendit Sveno, praelioque superatos, rursum insula expellit. Quibus gestis, ut deinceps Vandalorum irruptiones arcerentur, publico consensu procerum, ius piraticae exercendae, ac potestas omnibus, qui vellent, datur, quumque pauci in principio instituerent, adeo mox crevit numerus, ut omnino multi essent sub ductore Vithemaro [a]. Quin praescriptae illis leges [b], & concessum, ut quas naves ad conflictum aptas esse existimarent, emere possent, & vel ab invitis dominis, pretio soluto, auferre. Qua re aliquantulum repressa quidem audacia Vandalorum fuit; sed turbato per triumvirorum bella intestina regni statu, dum rem quisque suam agit, publicamque parvi ducit, saepe vires resumsere; adeoque invaluere, ut maritima fere loca universa desolarent. Sveno vero dum in mari bellum his auspiciis cum Vandalis gerit, e Saxonia, in quam confugisse dixi, in minorem Frisiam [c] Canutus redit, incolasque spe maioris libertatis, pellicit in suas partes. Quod quum ille accepisset, equitatum ocyus in Cimbria cogit, Scanis, atque Sialandis, naves, peditemque imperat, & Slesvici adesse iubet; ipse quoque cum equitibus paullo post huc adventurus. Vbi postquam copiae omnes convenissent, neque naves ad traiiciendum Eidoram, quo ab agro Slesvicensi Frisia disterminatur, praesto essent, aliquot Slesvico abducit; parvas quidem, sed labore tamen maximo; quem & militum singulare plane studium, ducis sui diligentia incitatum, superabat. Itaque in Frisiam quum traiecisset, incolae tam repentina hostium incursione consternati, & ad pugnam imparati, ad Canutum e vestigio, qui ad Mildae amnis ripam castra sua communierat, se recipiunt. Sed in pugnam mox pellecti, longiusque inde abducti, simulata a Svenonianis fuga, pene universi cadunt [d]; & Canutus, post suorum tantam stragem, quum auxilii nihil ultra superesset, profugus cum paucis admodum, quam reliquerat Saxoniam, rursum petit. Sveno victor, in auctores animadvertit; ceteris imponit mulctam, & in Daniam revertitur. Hinc Canutus Fridericum Barbarossam, pridem Caesarem creatum, supplex adit, opem in Svenonem petens, quam ut impetrare posset, se clientem Imperii futurum spondet, si superior evaderet. Quae petitio quum placeret Friderico, & Imperii proferendi magna occasio videretur, ea usurus per legatos evocat ad se Svenonem; &, *Marsburgum, ut excurrere ne gravetur*, blande rogat. Addit causam, *veteris se amicitiae, quam Cunradi olim in aula contraxissent, renovandae cupidum esse, propiusque accedere ipsum voluisse, ni negotia, in recenti principatu plurima, retinuisset*. Grata haec legatio Svenoni erat, comiteque Valdemaro iter init, quamquam dissuadentibus [e] valde senatoribus; &, *ne prudens se, sciensque, atque adeo regnum totum, in discrimen tantum daret*, obstentantibus. Quum Marsburgum advenisset, honorifice in congressu primo excipitur; verum post conloquium, benignum satis, in familiaritatis priscae gratiam accusatur: *quod legitimo pulso herede, Daniam per vim teneret, & Imperio, quem maiores sui honorem habuissent, exhibere detrectaret*. Hinc conditio proponitur, ut iniqua, ita dura: *ut deinceps regnum illud Caesaris se beneficio possidere fateatur, aut experiatur iram. Si adgnoscat beneficium, operam daturum eum, ut Canutus arma ponat, atque regno ultro cedat; una Sialandia contentus porro, donec vivat; & hanc ipsam sub clientis tantum nomine habiturus. Si recuset, erepturum esse regnum, & Canuto, qui obsequium non refugiat, cculaturum*. Quibus Sveno intellectis, quod aequissimum esset, petit: *uti causa utriusque in Imperii tribunali, ab ipso Caesare, & Septemviris* [f] *cognoscatur, ubi palam sit futurum, neque regem Daniae superiorem ullum adgnoscere, neque se aut in maiorum consuetudinem, aut in iura regni Danici, adeoque ipsum Caesarem, aut Canutum admisisse*. Ius & aequum postulanti, ut id fieret, est concessum. Itaque conciliant utrimque sibi amicorum patrocinium, & commendant causam suam. Ac Svenonem, Henricus Leo, dux Saxoniae, maximopere tuebatur; Canutum, Hartvicus, Archiepiscopus Bremensis, summis viribus defendebat. Acta diu

(a) *Sub ductore Vithemaro*) Corrige, *Vethemanno*. Sic enim Saxoni vocatur, *pag.* 259. *circa fin.*

(b) *Praescriptae illis leges*] Dignae, quarum noster pluribus meminisset. Sed legi, atque cognosci poterunt ex Saxone, *pag.* 260.

(c) *In Frisiam minorem*) Eam, quae Danicae adhuc ditionis erat, sicut & hodie est; cuius & elegantem plane descriptionem Saxo noster Grammaticus dedit, *pag. cit.* De hac tertia, ut Pontanus observat, Canuti expeditione Frisica, agit quoque Helmoldus *lib.* 1. *cap.* 70. *pag.* 164. fusius autem Histor. Knytlingor. *cap.* 110.

(d) *Paene universi cadunt*] Nescio quid auctorem libri, qui Erico Pomerano adscribitur, induxerit ad contrarium his adferendum, nempe quod *Svenoni occurrens Canutus cum Fresonibus, superaverit eum in bello, in quo plurimi Scanienses corruerint cum aliis nobilibus*. Veritatem ipsam haec impugnare nihil manifestius docet, quam Canuti fuga in Saxoniam. Helmoldus loc. cit. *Venit Svein, & pugnavit cum eo, debellatumque ad Saxones fugere compulit*. Historia Knytlingor *cap.* 108. „ Ad *Hylingstadam* Frisiae oppidum acerrime certatum, & *Mildeburgum* expugnatum, tantaque hominum „ strages edita, ut *Mildae* alveus caesorum cadaveribus obstructus, homines siccis pedibus transmitteret. Victoria & hic „ penes Svenonem stetit. Rex autem Canutus consueto usus „ perfugio, Saxoniam revisit, cum Henrico Duce Brunsvicensi „ aliquantum temporis moraturus. „

(e) *Quamquam dissuadentibus*) Hoc de suo addidit Meursius, aut ille, cuius vestigiis insistit, Io. Svaningius; nam neque in Saxonis narratione exstat, neque verum esse potest; sed ex Valdemari I. Historia desumtum, hucque translatum est. Ne in mentem quidem venire potuit Senatoribus, dissuadere Svenoni iter ad Caesarem, veteri amicitia, & commilitio sibi coniunctum, & quem multo sibi aequiorem sperare Sveno, quam aemulus Canutus debuit. Quod vero per eiusmodi invitationem, aliquid iuris sibi Caesar in regnum Daniae quaesiturus foret, nemo iam tum praevidebat.

(f) *Et septemviris*] Ineptum, & *ἄτοπον*, de *Septem viris* mentionem facere sub Friderico I. Imperatore. Nam quis adeo imperitus, ut nesciat, illorum numerum, & constitutionem ad longe serius aevum spectare?

diu res, multumque(a); & sententiae variorum pro Svenone ferebantur; verum Caesar, qui Imperii maiestatem ampliare cupiebat, his posthabitis, pronuntiat: *velle se, ut regnum suum Sveno Caesaris beneficium fateatur, ac Canutum in societatem admittat; si detrectet, bellum exspectandum sciat*. Quid hic faceret inter sacrum, & saxum positus? quod necesse plane erat, accipit conditionem, ita tamen: *si senatui, qui abesset, adprobaret*. Sic dimissus(b), quum in Daniam rediisset, & senatui, quae Marspurgi acta essent, memorasset, is confestim Caesari scribendum censet: *non se fidem ei ullam, neque operam, praestiturum, a quo praeter ius, & aequum, in iniquas adeo conditiones, in quas nemo hactenus Danorum regum descendisset, temere compulsus esset*. Inde, ut adfinitate principes finitimos conciliaret, Adelheidam, filiam Saxoniae ducis, Cunradi, antea desponsam sibi, uxo-

(a) *Acta res diu, multumque*] Perplacet simplex Saxonis, & qui eum hic presse sequitur, Pontani narratio. Illius enim verba, citra tot ambages, hic ita expressit: *Quum ad urbem pervenisset* (Sveno) *a Caesare primo peramanter habitus, mox Canuti altercationibus involutus, haud per omnia facta promissis respondentia deprehendit. Caesar enim pacis conditiones, quibus parere utrumque sub poena laesae maiestatis cupiebat, eiusmodi proposuit, ut Sveno Imperatorem recognosceret, Canutus vero, seposita regni spe, Svenonis militem agens beneficii loco Saelandiam acciperet*. Putavit Conringius, nullum alium in Septentrione historicum antiquum dari, qui rem actam eo modo, quo ille commemoravit, confirmet. Attamen habemus *Historiae Knytlingorum* auctorem, Saxone quidem aliquanto (non tamen integro seculo) iuniorem, sed qui ab eo in infinitis aliis diversus, in hoc loco mirifice ei consentit. En verba eius ex *cap*. 109. „ Sub idem tempus „ Caesar Fridericus, missis legatis, Svenonem Regem ad col„ loquium invitat, studio ei, & favore suo ostentato. Hic vero „ quum ad Caesarem venisset, disparem promissis fidem expe„ ritur, usque adeo, ut coactus sit, Caesari obnoxium se „ reddere. Eodem temporis vestigio Imperatorem accessit Ca„ nutus Rex, Henrico Duce comitatus. Qua usi occasione Cae„ sar, atque Henricus, inter Reges Svenonem, Canutumque „ pacem conciliarunt, his conditionibus, ut Canutus Saelandiam „ a Svenone beneficii loco acciperet. Adstipulatur pactis Sveno. „ Ceterum quod neuter Regum nostrorum, tunc cum Fridericum adirent, quidquam eiusmodi exspectaverint, quale postea experti sunt, & quod numquam eis in cogitationem venerit, aliquid iuris in Daniam competere Imperatori, vel Imperio Germanico, clarissime ostendunt utriusque Regum epistolae ad Friderici patrem Conradum Imp. praecedente anno scriptae, quas, uti illas in praeclarorum virorum D. Edm. Martene, & D. Vrsini Durand *Amplis. Veterum Scriptorum Collect. Tom*. 2. invenimus, non pigebit hic inserere. Sic ergo habent *Svenonis* litterae: „ *Conrado* Dei gratia Romano „ Imperatori glorioso, & semper augusto, *Sveno* eiusdem nutu „ Danorum Rex, filialem dilectionem, & debitam subiectio„ nem. Impensi beneficii haud immemor, paternitatis vestrae „ clementiae semper gratias agimus, omniumque remunerato„ rem Deum iugiter exoramus, ut ubi nostrae parvitatis vicis„ situdo defecerit, summa sua misericordia retribuere dignetur. „ Serenitatis autem vestrae experta dulcedo accipiat, quoniam „ in vestra maiestate manutentionis nostrae anchoram a primae„ vae iuventutis flore fiximus, & immutabiliter esse fixam post „ Deum semper exoptamus, eique vita comite decenter . . . „ usque desideramus. Convenit igitur paternitati vestrae filii ho„ nori providere, & si qui ad nostri destructionem emerse„ rint, eorum temeritatem compescere. Curiae autem deco„ rem, & desiderabilem celsitudinis vestrae vultum videre cu„ pientes, intime precamur, quatenus & locum adeundi com„ modum, & tempus adparatus idoneum designetis, & secu„ rum ducatum nobis procuretis. His vero amicis nostris fide„ libus, videlicet Domino Bremensi Archiepiscopo, & O. Mar„ chioni legationem nostram commisimus, ut Ducis insidias „ declinaremus. Valete, & Principes vestros ad Slavorum de„ pressionem excitate, & super his, quae digna videntur, re„ scribite. „ Canuti vero illae his verbis conceptae: „ *Conrado* „ Dei gratia Romanorum Imperatori augusto, *Kanutus* Rex „ Danorum salutem. Quoniam vos Rex Regum ad hoc con„ stituit, & unum ex multis elegit, nominisque sui gloria de„ coravit, ut pater iustitiae, filiusque pacis fieretis, merito de„ betis in omnibus iustitiam corroborare, & iniuste adflictis „ solatia adhibere. Privati igitur non solum regno, verum etiam „ patrimonio, Christo & vobis conquerimur, ut iustitia di„ ctante nobis exsulibus condescendatis, & compatiamini. Ad „ Imperium enim Romanum expulsi confugimus, quia ibi con„ silium, & auxilium invenire speravimus. Vestram itaque „ regiam potestatem suppliciter exoramus, quod nobis subve„ niatis, & pro vestro honore nobiscum paterne agatis, ut „ quae iniuste amisimus, gladii vestri severitate rehabeamus. Nos „ vero vestra praecepta in omnibus velut filii constanter seque„ mur. „ Ex illis ergo conspicuum, utrumque Regem Caesaris *consilium, auxilium*, atque (ut verba habent) *manutentionem* alterum, alterum vero *restitutionem* implorasse, neutrum vero *sententiam*, aut *iudicialem actum*, qualem Principes Imperii ab Imperatore solent, expetiisse. Et Svenonem quidem in illa, quam adolescens olim expertus ab ipso Conrado in aula eius fuerat, benevolentia plurimum spei habuisse. Canutum autem, iam tum exsulem, & in Germaniam delatum, non alia oratione usum, quam quae universis, etiam maximis Principum, eodem angustiarum redactis, solet, imo, sine ulla maiestatis diminutione, potest adhiberi. Neuter de iure Caesaris in regnum, de quo contendebant, de feudo neuter, aut beneficio, investitura, aliove, qualis a Conringio, aliisque supponitur, nexu, quomodocumque illum sumas, loquitur. Nam quod ad *subiectionis* vocabulum in exordio litterarum Svenonis spectat, inepte huc illud quisquam traxerit, quemadmodum & ultima verba in Canutianis, ubi *Praecepta Caesaris* se promittit, *velut filium sequuturum*. Inania certe verba, maxime illo aevo, & seculo, quo necdum mos invaluerat, singula ad honorificas compellationes spectantia severa illa trutina pensare.

(b) *Sic dimissus*] Tacuit Saxo, aut forte nescivit illud, quod Otto Frisingensis narrat de ceremoniis: *Est*, inquit, *hic consuetudo Curiae, ut regna per gladium, provinciae per vexillum a principe tradantur, vel recipiantur. Petrus vero* (id nomen Sveno adsumserat) *accepto ab ipsius manu regno, fidelitate, & hominio ei obligaretur. Ita corona regni per manum Principis sibi imposita, in die sancto Pentecostes ipse coronatus, gladium Regis sub corona incedentis portavit*. Omitto Guntherum, Frisingensis paraphrasten; omitto tot alios, nihil aliud, quam Frisingensem solum, & unicum, (& tamen ex auditione dumtaxat,) testem, exscribentes. Numquam vero omittendum ducam, Fridericum Caesarem, quantus in ceteris fuerit, haud bonae in hoc negotio fidei, imo vanitatis, frivolaeque iactantiae accusare. Saxonem quidem Grammaticum haud mihi in omnibus defendendum sumo, minime saltem in eo, quod Svenonem dicat Martisburgum, non alia de causa profectum, quam ut *sola se Germanis fama cognitum, etiam spectandum subiiceret*. Hoc enim futiliter & vane dictum adgnosco. De Frisingensi autem quaeram, quomodo haec scribere potuerit: *Quos Rex ad se venire praecipiens*; ac deinde: *Eo praefati iuvenes venientes eius se mandato humiliter supposuerunt?* quandoquidem nihil eorum scivisse, nisi ex Friderici ipsius verbis, videtur, his scilicet, in celebri ad patruum illum suum epistola: „ Post primam un„ ctionem Aquisgrani, & acceptam coronam Teutonici regni, „ generalem curiam Merseburg in Pentecoste celebravimus: *ubi* „ *Rex Danorum Petrus ad curiam nostram vocatus venit*, & ho„ minio, ac fidelitate nobis facta, coronam regni de manu „ nostra subscepit. „ Verum heic de *uno* dumtaxat *vocato* sermo est, *non de duobus*. Errat ergo Frisingensis, qui mandato, seu vocationi includit Canutum, quippe qui dudum praesens, occasionem, & causam praebuit invitandi Svenonem, etiam sine vocatione ultro accessurum, quemadmodum ex litteris supra adlatis vidimus; ita ut ne quidem opus fuisset invitatione. Causa vero accedendi non sane erat Regibus, ut *hominium*, & fidelitatem, qualem beneficiarii, (ut loquuntur) praestant, iurarent, sed ad hanc conditionem, postquam semel aderant, nullaque alia patebat via ad favorem Caesaris, & auxilium impetrandum, quid mirum, si illubenti quamvis animo descenderint? Citat deinde Conringius Helmoldum, & Albertum Stadensem; hoc est Scriptores Saxone Grammatico recentiores medio seculo; tantum abest, ut Friderico I. sint coaevi. Stadensis tamen ne verbum quidem litteris consignavit, quod Saxonis narrationem infirmet. Helmoldus in iis, de quibus potissimum quaeritur, Conringium prorsus destituit. Itaque ad unicum, & solum Frisingensem res redit. Nam paraphrasten eius metricum quis in testium numero collocabit? Et tamen audet vir doctissimus dicere: *omnes hoc tradere, evocatum ad Curiam a Caesare Svenonem, Canutumque*. Atque interiectis paucis quaerit: *Quis dubitet Caesari, & tot aliis rei gestae coaevis Scriptoribus fidendum?* Vellem edoceri, quinam sint illi *omnes?* aut quinam *tot alii coaevi?* quum ne unicum tamen Conringius excitare quiverit, praeter Caesarem ipsum, & eius patruum Ottonem Frisingensem ab eo edoctum. At quid illud, quod hi duo nobis aperiunt, & exponunt, praeterquam id ipsum, quod Saxo noster Grammaticus indicavit, nempe prolatas fuisse *conditiones, ut Imperatoris Sveno, Svenonis vero Canutus, renunciata regni adfectatione, militem ageret* &c. Ac postea: *initas cum Caesare pactiones*, quae cum *obsequio* coniunctae forent? Itaque non inficiatus est umquam Saxo factum: Ius negavit, modumque agendi Caesaris damnavit, qui Canuti petitionem, postquam is supplex, & auxilium rogitans advenerat, convertere in suam rem cupiens, ne exercitum impenderet,

uxorem ducit. Cuius suasu, ut nonnulli prodidere (a), rebus admodum secundis, quod imparibus fortunae animis fere usuvenit, in superbiam prolapsus, aliaque vitia quaedam, patriae antiquos mores, ceu incultos, & agrestes, cum Saxonicis commutavit, etiam vestem imitatus; ac, ne solus facere illud videretur, etiam ministros omnes ad exemplum suum agere, & vestitu peregrino amicire sese iubet; nec hoc satis: luxum quoque peregrinum in regnum inducit, & instituit comessationes multas, per quae quum aerarium exhaurireturr, neque ultra iam sufficeret, bonis etiam nobilium, civiumque, & pupillorum manum iniicit, & in suum ea usum, nulla iuris ratione, cuncta vertit. Insuper prudentes viros, & amantes honestatis, quorum antea comitatu spectabatur, a se removet, aliosque pro indigenis peregrinos, pro nobilitatis priscae novos, & obscuros valde, pro honesti, & aequi amantibus improbos in locum adsciscit; & hoc uno regem se censeri cupit, quod deiicere eminentes, & efferre abiectos posset. Controversias solitas decidi in foro, ad duella, dudum exoleta, revocat. Denique, qui tam proterve in humanis rebus luderet, insultare etiam divinis coepit; &, ut summum in conventibus sacris locum obtineret, concionatorum cathedras (b) solo aequari, atque infra sellam suam strui iubet. Quae dum agit, Nicolaus Breckesparrius (c), Roma a Pontifice missus, quum ex Anglia in Norvagiam advenisset, praesuli Nidrosiensi dat primatum eius regni, qui ad Lundiensem Scaniae, uti ante memoratum, pertinebat; illum vero, ut placaret, graviter hac re offensum, Sveciam pro ea reddit, ac dat pallium, quo deinceps summi in isto regno Episcopi huius beneficio induerentur. Tum Svenonem, bellum in Svecos agitantem, dehortatur; ac, quo melius persuaderet, ab arenea capere exemplum iubet; quae, quum multa opera exhausit sese, telam texuit, in qua aliud nil prehendat, praeter muscam, animalculum vilissimum. Inde, irritus consilii, in Germaniam proficiscitur, ac propositum sibi bellum Sveno urget. Causa eius, quod Ioannes, filius Sverconis regis, Caroli, Hallandiae ducis, coniugem, & sororem viduam, dum is abest, rapuisset, & in Sveciam abduxisset; ac stupratas, in maiorem contumeliam, remisisset. Circa brumam, exercitum in Finlandiam ducit, incolaeque, ut evadere bellum possent, occurrentes, obsides, & commeatum, quaeque alia iubeat, obferunt; ac precantur, ut direptione velit, & incendio abstinere. Occupata sic Finlandia, in Verendiae fines movet; sed, qui eam incolebant, subito adventu hostis consternati, ocyus, desertis vicis, cum coniugibus, liberisque, nemora vicina petunt, atque illic se occul-

deret, (quod etiam eventus fuisset dubii, & ancipitis,) statuit insidiis uti, ac sub honesta arbitri persona, Svenonem amice invitatum ad indignam pactionem adigere. Atque haec illa sunt, quibus non tantum Conringii, verum & Meibomii iudicio in *Apol. pro Ottone* IV. *pag.* 157. Saxo Grammaticus Fridericum I. contumeliose dicitur insectatus. Quasi Imperator ille, quem sane inter maximos omnis aevi Principes nemo non aestimaverit, adeo vitiorum vixisset expers, ut meram sanctitatem, & iustitiam universae eius actiones spirarent! Profecto, si tale quid doctis illis viris serio de illo persuasum fuit, magis illos miramur. Mihi contra permittatur, verba excellentis viri Lud. Ant. Muratorii, quibus in *Praefat. in Ott. Frising.* utitur, mea facere: *Equidem rectius eorum iudicium puto, qui hunc Principem, & magnis virtutibus abundasse, simulque magnis vitiis arbitrantur: quam boni, & mali commixtionem pro conditione humanae naturae in aliis quoque Heroibus deprehendere, neque novum est, neque mirandum*. Ceterum Saxonianam, de qua agitur, interpretationem, & censuram, testimoniis Islandorum veterum, saltem aetate Helmoldo, & Stadensi non multum concedentium, confirmat Torfaeus *Histor. Norveg. Part.* 3. *pag.* 549. „ His successibus celebrem Svenum Fridericus ad „ se invitat; fidem deinde in perfidiam vertit, Rege iam ho„ spite ad iuramentum fidelitatis sibi, quod hominium vocant, „ praestandum adacto. „ Ita vero fecisse Fridericum quemadmodum Saxo, & Islandi scribunt, & Septentrionis Scriptores fere cuncti prodidere, quidni credam? Principem praesertim tantae vanitatis, & adrogantiae, ut postea non erubuerit palam de *subacta Dania* gloriari? Haecne enim propria ipsius verba, ex oratione, qua Romanorum Legatis respondit (apud Frisingens. *lib.* 2. *cap.* 21. *pag.* 463.) „ Quomodo patriam, „ & praecipue Imperii mei sedem, usque *ad periculum capi„ tis* non defenderem, qui & ipsius terminos, *non sine eius„ dem periculi aestimatione*, quantum est in me restaurare co„ gitaverim? *Experta est hoc Dania nuper subacta, Romanoque „ reddita orbi*; & fortasse plures provinciae, pluraque sensissent „ regna, si praesens negotium non impendisset. „ Profecto, si hoc vocari potest regna subigere, Martisburgi in Curia sedere, Regumque lites arbitrio suo decidere, nescio quid illud sit *periculum capitis*, quod aditur. Atque si nullum aliud Friderico in Daniam ius competierit, quam quod a *Dania subacta* habuit, cuius limites ne unus quidem eius militum pede attigit, restat ut *imaginarium* porro habeatur. Nisi forsitan velis dicere, potuisse Fridericum Svenonis nostri victorias, utpote qui *vere Daniam subegit*, sibi ipsi optimo iure, postquam eum *hominem suum fecerat*, attribuere, eodem scilicet modo, quo a Licinio Gallieno factum; ad quem cum Odenatus in signum devicti a se Saporis captivos misisset Persas, is, quamquam antehac nescius bellum aliquod contra Saporem subsceptum esse, tamen quasi vicisset ipse, triumphum egit. Denique, quod attinet Diploma Corbeiense (apud Nic. Schaten *Annal. Paderborn. Tom.* 1. *pag.* 791. Martene *vett. Monum. Tom.* 2. *pag.* 613. aliosque) Conringii aevo incognitum, praebet quidem facto illi, de quo nobis sermo est, testimonium, hoc est, illud ipsum, quod Saxo dicit, & quod negavit nemo, corroborat, Svenonem *regnum de manu Caesaris subscepisse*, Knutum vicissim *regno renunciasse*. Sed qui Svenonem, & Canutum dicunt diplomati subscripsisse, falluntur. Exstant in tertia persona, ut vulgo loquimur, nominati hoc modo: *Testes vero hi adfuerunt, Sveno Rex Danorum* &c. Ergo non possumus aliter subspicari, quam a glorioso Caesare iniunctum fuisse Cancellario, ut haec duo, ceterorum testium nominibus adiungeret, in memoriam facti, ut scilicet diploma istud perpetuum foret monumentum *redditae Romano orbi Daniae*, Svenone interim, & Canuto, illa de sese in litteras relata esse, aut diplomati inscripta, ut credo, nescientibus. At quaerit, & exclamat Schatenius: *quo nunc illa recidere?* Cui respondemus: *Eo, quo male adquisita solent*. Possunt quidem alia nominari regna, quae verae olim fuerunt in Imperii Romani ditione: Vindicent ea, ac restituant, priusquam de Daniae regno, in quod nihil iuris umquam Imperium illud habuit, curam ullam subscipiant finium Germanicorum descriptores. Saniores utique sese praestiterunt iudices illi Principes Germaniae, qui a Ludovico Bavaro Imp. lecti (circa ann. 1328.) ad cognoscendum de iniuriis, Christophoro II. Regi, ipsius Caesaris affini, illatis a Gerhardo Comite Holsatiae, quippe qui, illo expulso, curaverat in Regem eligi Valdemarum Slesvicensem, responderunt: *Valdemarum electum iuxta regni Daniae consuetudinem, neque eam causam ad Imperium, aut Caesarem pertinere*. Vid. Meurs. in *Christoph. II.*

(a) *Vt nonnulli prodidere*] Saxo hoc ad *falsam plebis opinionem* retulit, *pag.* 263. nec non Crantzius, & Pontanus; idque ideo, quod iam ante Sveno non modo Teutonum ritus sibi familiares habuisset, sed & aulas Imperatorum Conradi, & Frederici frequenter adeundo, quidquid exotici moris erat, avide semper amplecti consuevisset.

(b) *Concionatorum cathedras*] Verba Saxonis minus recte cepit noster, de concionibus sacris intelligens, quae ille de profanis, & popularibus dixit, quales habere interdum ipsi Reges solebant. Ita nempe Saxo: „ Et ne quid fastui deesset, „ in communibus suggestibus concionari fastigio suo indignum „ ducebat. Quamobrem aequa vulgarium adloquia contemnen„ do, editioribus locis occupatis, suppositae plebi superne ius „ dicere consuevit. „

(c) *Nicolaus Breckesparrius*) Cardinalis scil. ille, Episcopus Albanensis ab Eugenio Papa in Daniam missus, *ad eam provinciam metropoli illustrandam*, ut loquitur Baronius ad annum

occultant. Sveno, postquam profugisse universos comperiret, obvia quaeque populatur; &, iniecto igne, exurit. Inter quae tam asperum obortum gelu, ut eorum, qui in silvas se receperant, magna pars miserrime extingueretur. Inde quaerens praelii occasionem, postquam coiisse omnes, & congesta maxima lignorum strue, aditus praemunisse intellexit, noctu adortus, munimentum mox expugnat, & devictos in deditionem accipit. Quum Verendiam hunc in modum etiam in potestatem redegisset, Sveciae iam imminebat; neque arduum fuisset, eam quoque subiugare; sed viarum difficultas, aerisque inclementia a proposito abducebant. Vix reversum, magno motu Scania exagitavit; & ad arma incolae in valle Arna proruentes, vindicare libertatem, tributorum nimio excusso onere cupiebant: quis pacandis quum in Scaniam transmisisset, iussis praestolari copiis, prope vallem, fide publica interposita, paucis admodum comitatus, ad tumultuantes adit, & audiri sese petit. Sed, lenire oratione blanda nisus, magis etiam irritat; &, incondito clamore per contemtum obstrepentes, ut audiri a nullo posset, eum armati circumsistunt; atque ille, undique se cinctum videns, ac periculum sane esse, ne a multitudine opprimeretur, iterum, extenta manu, copiam loquendi petit; seque dicit sine armis accessisse, ut offensis satisfaceret. Verum frustra, quin & magis per blanditias, ut fit in seditiosis, asperati, etiam lapidibus petunt. Ac iam summo in discrimine versabatur, quum id conspicatus Tocho, magna vir auctoritate, qui in comitatu regis, orat, *ne iniurii in regem essent; se facturum, uti onera relaxentur; &, ni fiat, contra ipsum, ac praefectos opem suam* pollicetur. Quibus verbis deliniti, missum faciunt, & ab armis domum redeunt. Rex, periculo tam praesenti liberatus, quum ad suos revertisset, ut insignem contumeliam vindicaret, Scaniam pene totam exsurit, ac militibus permittit; tam severe, ut nec sontium, nec insontium ulla ratio haberetur. Qua in re ut irae nimius, sic iniustus, & ingratus in Tochonem, cuius pridem beneficio vitam salvam reportaverat. Illum enim quasi clam seditiosos concitasset, etiam e medio tollendum iubet. Ea re quum ingens sibi odium Sveno apud omnes regni ordines provocasset, Valdemarus, illum hactenus sequutus, nunc destituit, & Canuto se adiungit; qui vicissim ut arctiore vinculo adfinitatis magis eum sibi obstringeret, mox in Sveciam abducit, efficitque, ut rex Sverco filiam ei (a) Sophiam uxorem daret. Haec Canuti soror uterina erat, ac Rutheno patre nata; neque ullam in Dania hereditatem possidebat. Quamobrem quum animo a matrimonio Valdemarus alieniore esset, ut negotium promoveret, in quo plurimum momenti positum existimabat, tertiam Canutus partem universi patrimonii pollicetur. Itaque, quum dos placeret, accipit conditionem Valdemarus; & quam antea cum eo amicitiam contraxerat, nunc adfinitate firmat. His ex voto expeditis, quum in Sialandiam ambo rediissent, relicto illic Valdemaro, Cimbriam Canutus petit. Sveno, quae egissent, gnarus, & e Svecia iam utrumque rediisse, ut retraheret Valdemarum, cuius pridem & virtutem, & prudentiam, gratiamque apud populum satis exploratam haberet, eum sequitur; &, Ringstadii commorantem ad se vocat. Tum expostulat de iniuria, & perfidiae crimen obiicit; *quod in Sveciam ad Sverconem regni hostem, cum Canuto concessisset, ac cum eo foedus quoque, contra datam a se fidem, iniisset*. Hinc confictas profert literas, veluti e Svecia scriptas, quibus quidam admonerent, *ut caveret simulatam utriusque amicitiam, & insidias sibi structas; nisi faceret, brevi circumventum iri, misereque periturum*. Valdemarus, acer animi, & apertus, indignam adeo calumniam aegre ferens, longa se oratione, atque vehementi purgat, & expostulat, *pro praeclaris adeo meritis, ac gravissimis laboribus, quos pro ipso hactenus subtinuisset, gratiam tam malam reddi*. Quibus verbis sic commotus Sveno fuit, ut inicere manum vellet, ac captivum detinere, nisi milites, qui adstabant, demandatam operam subterfugissent. Ea re commotus graviter Valdemarus, ocyus in Cimbriam transit, & Canuto

num 1153. n. 40. Vid. & idem Baron. ad an. 1154. & 1155. Papebroch. *Conat. ad Catal. Pontif. Part.* 2. *pag.* 24. *a*. Onuphr. Panvin. *Epit. Pontif. lib.* 2. *pag.* 121. &c. De Actis legationis eius in Daniae regno admodum pauca ad nos pervenere. De Norvegica legatione plura, de quibus legendus Torfaeus *Histor. Norveg. Par.* 3. *lib.* 9. *cap.* 12. Notum est, eumdem Cardinalem brevi postea ad Pontificatum fuisse evectum, ac nomine Hadriani IV. vocatum. Ad quod fastigium quibus gradibus, quaque occasione, adscenderit, narrantem habemus popularem eius Guilielmum Neubrigensem *lib.* 2. *de rebus Anglicis cap.* 6. Io. Picardus in *notis ad Neubrig.* adfert Leonii, Poetae Gallici, ad eum iam Pontificem factum, versiculos, in quibus legationis quoque Septentrionalis fit mentio, hos scilicet:

„ Nam modo, quum *gelido Legatus ab axe redires*,
„ Nec puto, quod Papam fieri te tam cito scires,
„ Es mihi pollicitus te stare per omnia mecum,
„ Quantum iura darent, quantum permitteret aequum.

(a) *Vt Rex Sverco filiam ei*,) Error certissimus; nam soror Canuti uterina, quam Valdemaro sponsam destinabat, quamque hic etiam deinceps duxit, Sophia nuncupata, non erat Svercone (alias Sverkero) Sveciae rege genita; sed, ut docuit Saxo Grammaticus, *pag.* 266. docuit Hvitfeldius ex epistolis S. Wilhelmi, docuit Genealogia Laudunensis Regum Daniae, quam Sorae an. 1646. publicavit Henr. Erastius, scripta tempore Canuti VI. docuit denique ex sinceris monumentis David Blondellus in *lib. de Formula regnante Christo*, patrem habuit Vlodomirum (all. *VValerdam*) Regem Ruthenorum, seu partis cuiusdam Russiae. Canutus vero, sibi ipsi coniugem quaesiturus, in Sveciam ivit, teste Saxone, *pag.* 267. ut filiam Sverkeri Regis postularet, cuius puellae mater, noverca, non Canuti, sed Magni patris eius fuerat, Vlvilda scilicet illa Norica (s. Norvegica) quae post matrimonium cum Nicolao Rege, nupserat Sverkero. Ipsius Canuti mater Rikiza, filia Boleslai Poloniae Ducis, ab obitu Magni Gothiae Regis, Canuto qui pater fuit, in thalamum transiverat Vlodomiri Russiae Regis, ut diximus, exque eo mater exstitit Sophiae Reginae, coniugis Valdemari I. nostri. Sed hic error Meursianus tanto in eo excusatior, quanto olim fuit communior; imputandus praesertim *Tabulae* ligneae, quae parieti aedis sacrae Ringstadiensis, plurium Regum, & Reginarum sepulchra continentis, adfixa, (ubi hodienum cernitur,) Regum Daniae Valdemari I. eiusque filiorum genealogias monstrat inscriptas. Sed recentior est illa Tabula, quam ut de rebus adeo vetustis testari queat; & in ea, de qua nunc loquimur, a monumentis maximae fidei refellitur. Castigari etiam meretur *Historiae Knytlingorum* Auctor, graviter, & quidem bis hallucinatus, primum *cap.* 109. Sophiae patrem, & Canuti Vitricum, *Valadorum Poloniae Regem* nominans, pro *Rege Russiae*; ac mox gravius *cap.* 110. dicens Sverkerum Sveciae Regem Rikizam matrem Canuti, atque Sophiae in matrimonio habuisse.

nuto acta refert; tum Viburgi in plena populi concione, qua Ringstadii contumelia a Svenone adfectus esset, gravi oratione exponit, animosque ita movet, ut decernerent confestim neque postulanti classem, qua iniuriam ultum iret. Verum ille, ut summa erat moderatione animi, armis nolens, quod efficere pace posset, cum Canuto se coniungit, traiicitque in Sialandiam; hoc consilio, ut colloquio benigno potius, quam praelio transigeretur; facilis deponere vindictae studium, si securitatem sibi ipse porro communiret. Sveno cum armata manu venientibus occurrit ad Sundebiam, vicum mari adiacentem, ut exscensu prohiberet. Verum res, quum in colloquium consensissent, post expostulationes utriusque partis acres, sine sanguine terminata est; &, Canuto operam interponente, denuo conciliata amicitia, foedere quoque repetito confirmatur. Constituta hunc in modum vix triumvirorum pace, Vandali in Sialandiam, qua obiecta Orienti, classe maxima advecti, impetum faciunt; adeo late excurrentes, ut Roschildiae imminerent, ac diripuissent etiam, nisi Sveno repressisset; qui Rudolpho obviam misso, magnam partem profligavit, & fugavit. Inde egressi ab eadem gente alii, terra ad Eidoram usque excurrunt; tum corripiunt etiam vicinas insulas, ac devecti in Fioniam, Falstriam, Lalandiamque, & minores item ceteras, redigunt in potestatem universas, & ingentem praedam abducunt: Adeoque nihil fere usquam tutum habebatur; & nec navibus intra portus, quamvis sudibus obseptos, certa statio. Itaque animi anxius Sveno, quum videret in ancipiti regnum esse, ni piratas coerceret, nec id posset, opem a Saxoniae duce, Henrico Leone petit; &, si illis perdomandis operam navare velit, puri argenti libras mille, ac quingentas, pollicetur; tum coactam illam summam, ex collatione populi, mox transmittit. Verum is, quum accepisset negligens promissi sui, fideique, quam obstrinxerat, fingit causas, cur nec opem ferre posset, nec pecuniam remittere. Quare populus intellecta, sic exarsit in Svenonem, uti armis depellendum regno esse existimarent, clamitantes: *illusisse libertati, & ingenti ipsos summa temere nunc emunxisse, qui non auro, & argento publicam mercari pacem, verum armis comparare consuevissent.* Itaque iam suos magis metuens, quam hostes, Sveno, Vandalico omisso bello, a Canuto, & Valdemaro concitatam in se plebem subspicatus, de his ipsis opprimendis clam consilium secum capit; ac prius, quam arma caperet, alterum astu capiendum, aut tollendum esse statuit; uti, uno intercepto, post minore cum periculo alterum adgrederetur. Igitur, profectionem in Saxoniam instituens, ad Cunradum, socerum [a] suum, Valdemarum, qui ducatum Slesvicensem obtinebat, maximeque metuendum, comitem adsciscit sibi; qui, quantumvis subdolum Svenonis animum nullo modo ignoraret, & ab aliis, ut caveret, etiam per literas admoneretur, tamen, vir ingentis animi, insuper periculum habet, & cum eo iter capit. Postquam Stadium pervenissent, mittit ad Cunradum Sveno, qui adventum nuntiaret, ac custodiae se eius Valdemarum aliquamdiu commendatum item velle. Verum ille, quum sequutum generi Svenonis fidem, iter longum adeo instituisse Valdemarum intelligeret, maxime honesti amans, & perfidiam detestatur, & respondet: *malle se cum generum suum, tum & filiam, ac nepotem in crucem actos conspicari, quam aut tale aliquid in Valdemarum perpetrare, aut extremam hanc aetatem, quam ab omni scelere puram ad id tempus exegisset, tam pudendo nunc facinore posteris infamem reddere. Adfuturum nihilominus; &, quod sine scelere posset, si iuvari armis velit, ac cum hoste, quem existimet, bello palam experiri, praesto fore.* Quo responso, nil tentandum ultra putans, aut progrediendum longius, & confusus domum redit. Valdemarus, sic Cunradi probitate a periculo liberatus, nec ignarus, quid molitus Sveno esset, recipit in Cimbriam se ad Canutum, tunc Viburgi commorantem. Vbi Sveno opprimere incautos volens, clam relicta Sialandia, in Fioniam transmittit. Sed, quum emanasset dolus, pergit tamen, ne fuisse videretur [b]; &, composito ad benignitatem vultu, ceu calumnia ea esset, ait: *occupare illos noluisse, sed invisere, & amice compellare.* Verum ipsi, quum deinde nihil a Svenone boni exspectandum sibi ducerent, regium in Cimbria adsumunt nomen, & exercitum conscribunt. Quod Svenoni postquam nuntiatum esset, ipse quoque, quae opponat, arma parat. Verum mox, deiectus animo, ac diffisus rebus suis, primo Falstriam insulam petit; & ex ea, praeter omnium suorum voluntatem, atque exspectationem, cum uxore, filioque in Saxoniam contendit. Ambo reges, necdum aufugisse gnari, quum in Sialandiam transgressi essent, nullo ultra resistente, ibi etiam, uti pridem apud Cimbros, nomen regium consequuntur; & ingentem belli molem, quae exitium universis, ac ruinam regno extremam minabatur, maior subito pax excepit, & tranquillitas, quam sperare quisquam ausus, partim prono populi ubique obsequio, partim principum virtute. Sveno profugus in exsilio apud socerum commoratur; & exemplo reges docet, non fastigium adeo excelsum esse, quo non eos deturbare Deus possit; si, consiliorum immodici, potius per fas, & nefas, quam virtutem illud confirmandum putent. Quum triennium exegisset, mortuo Cunrado socero, ad Henricum, de quo ante memoratum, sese recipit, ac pecuniam non exiguam [c], si recuperando regno auxilium ferat, pollicetur.

(a) *Ad Conradum socerum*) Conradum Marchionem de Within. Helmold. *lib.* 1. *cap.* 84.

(b) *Ne fuisse videretur*] Corrig. *ne fugisse*.

(c) *Ac pecuniam non exiguam*] Helmold. loc. cit. *cap.* 196. „ Ducem e curia redeuntem adierunt Principes Saxoniae, interpellantes, ut fieret Svein auxilio, & reduceret eum in regnum suum, promisitque Duci Svein pecuniam immensam.„

tur. Isque, seu cupiditate gloriae exstimulatus, ex restituendo rege iam deiecto comparanda, sive lucro, ante quoque obligatus, Vandalis mandat, ut, collecta classe maxima, Daniam invadant mari; ipse, auxiliis ab Hartvico Archiepiscopo Bremensi, qui Svenoni semper faverat, arcessitis, terra proficisci statuit; & Hartvicus, iurisdictionem veterem, quam in Dania habuerat, se recuperare posse arbitratus, non dumtaxat collaturum opem spondet, sed & ipsum accessurum, & venturum in societatem belli. Itaque, coniunctis viribus, in Holsatiam Henricus movet, ea lege, ut pecunia a Svenone, quum ad vallum Danevvircam pervenisset, solveretur. Per Holsatiam, sine ullo incolarum detrimento, copias ducit. Quum ad Danevvircam ventum, ac praesidio transitus obseptus esset, ducem evocat, & pecuniae vim promittit, si concederet transire; tum corruptum, praemiumque exspectantem, postquam copias traduxisset, illico in furcam agit (a); manifesto documento, amare quidem principes proditionem, sed odisse proditorem. Inde obsidet Slesvicum, & deditione capit; etenim adventu eius improviso consternati oppidani, quum praesidium, quo se tuerentur, nullum, neque commeatum haberent, quo obsidionem longam tolerare satis possent, redimunt direptionem, & se dedunt. Oppido potitus Sveno, naves Ruthenorum plurimas, gentiumque aliarum, quas in portu reperiret, variis onustas mercibus depraedatus, militi stipendium solvit, & Henrico, quam promiserat, pecuniam. Quae res urbi exitio fuit; & emporium, quod conventu mercatorum ex Europae nationibus universis longo tempore illic celebratum fuerat, dissipavit, & evertit; nam Svenonis violentiam detestati mercatores, numquam eo post hunc diem merces ullas advexerunt. Inter ista, apud Svecos Magnus quidam, vir illustri illic loco, regnum adfectans, quum Sverconem scelere cubicularii occidendum procurasset, & in Carolum eius filium, a quo profligatus cecidit, arma caperet; Canutus huc, regina socru advocante, proficiscitur, & commendat Valdemaro summam rei. Isque, quum in Cimbriam ulteriorem Henricus pergeret, ut victoris impetum sufflaminaret, eo propere contendit, & exercitum magnum cogit. Cuius rumor postquam in Henrici castris increbesceret, consternato statim milite, etiam ipse angi cepit; ac, vocata concione, ne ieiunium quadragesimae, in quam bellum hoc inciderat, piscibus deficientibus, quorum tamen summa illic semper copia, violare cogeretur, necessario in Saxoniam redeundum (b) sibi edicit; idque ducibus, quotquot erant, collaudantibus, castra movet, & recedit; adeo festinato itinere, ut diripienda passim Valdemari copiis impedimenta plurima in via linqueret, & ostenderet, magis hostem, quam defectum piscium se metuisse; adeoque propera illi fuga fuit, ut, quod iter in accessu quindecim dierum spatio perfecisset, in recessu biduo emetiretur. Sveno, irritus consilii, & conatus, cum Henrico in Saxoniam regressus, iterum auxilium petit; &, res quia terra parum successisset, ut tentare mari velit, Vandalosque cum infesta classe (c) mittat; neque dubium se habere, exitum feliciorem multo fore. Et Henricus, in petitionem pronus, neque deferendum ratus, novam suis classem imperat, & reducere profugum in regnum iubet; neque mora: plurimis instructis navibus, in Fioniam incurrunt, incolisque, si recipere, quem reducerent, regem vellent, omnia salva pollicentur. Sveno statim Othoniam abit, summa passim gratulatione exceptus, tanto hominum concursu, & consensu, uti pro salute eius uterque sexus arma offerret. Id quum gnarum Valdemaro, & Canuto, qui e Svecia per legatum Absalonem, Valdemaro a communi educatione carum, revocatus, iam redierat, minime cunctandum rati, mox traiiciunt, & infestas in Svenonem copias ducunt, acriter manum conserturi. Sed, instructa ab utraque parte acie, quum cruentum praelium exspectaretur, Valdemarus, uti sanguini subditorum parceretur, in colloquium rem convertit, ac constituit: *ut in praesens arma utrinque ponerentur, & cum paucis in Lalandiam proximam concederet Sveno; & subsisteret, dum, indicto regni procerum conventu, Valdemarus eo accederet, ac conditiones pacis pertractaret*. His auctore Valdemaro constitutis, quum Othoniam is lavandi gratia postridie se recepisset, excipit ingressum Sveno; &, in aedem Albani abductum, coram uno Absalone, sic compellat: *fato suo, non maligna voluntate factum esse, ut offensa intercideret; se id semper operam dedisse maxime, ut illaesam amicitiam conservaret. Primum patrem contra Magnum, qui Canutum eius patrem summo scelere occidisset, bellum grave suscepisse, ut incolumem praestaret. Hunc sequutum Ericum alterum eumdem adfectum tenuisse; illum se nunc excepisse, & ipsius pueritiam pari studio protegendam suscepisse; ideoque ad hoc bellum, contra eum, in cuius partes transiisset, devenisse. Quem deberet scire tamen, etiamnum ita animatum esse, ut consortem minime laturus foret, nisi unum se timeret; cui si humanitus quid eveniret, neque ipsum multo post superfuturum. Itaque nunc opem eius implorare, arbitrumque pacis capere, ac deinceps placituram, quam vivendi sortem daret.* In-

(a) *In furcam agit*] At hoc non dicit Saxo, sed tantummodo Hartvicum Bremensium Pontificem dixisse, *eum, qui portam* (Danewirki) *patefecerit, meruisse cum pecunia simul suspendi*.

(b) *In Saxoniam redeundum*] Helmoldus heic diversa habet, tantumque abest, ut in Cimbriam ulteriorem penetrasse Svenonem, & Henricum dicat, ut potius neget, portas eis fuisse ab aliis civitatibus apertas, quam his duabus, Slesvico, & Ripis. Praeter harum cives, *nullus*, inquit, *in tota Danorum terra fuit, qui reciperet Svein, aut occurreret illi. Sentiens ergo ille refragari sibi fortunam, & omnes refugere a se, dixit ad Ducem: Cassus est labor noster, melius est, ut redeamus ..... Acceptisque ergo obsidibus duarum civitatum, exierunt Dania*.

(c) *Vandalos, cum infesta classe*] Helmoldus: „ Praecepit Dux „ Slavis, in Aldenburg, & in terra Obotritorum, ut adiu„ varent Svein. Acceptisque navibus paucis, venit pacificus in „ Lalande. - - - Inde transiit in Fioniam, & addidit eam sibi. „ Deinde procedens in insulas minores &c. „

Inter ista, interrumpit Valdemarus: *frustra esse, quod dirimere amicitiam cum Canuto conaretur. Nihil eum admisisse, cur paternam imputare caedem debeat, quippe nec fecisse quidquam, nec scivisse. Quod benevolum in se animum praedicaret, eum sat perspectum habere, atque ostendisse ipsum, quum in carcere adservandum apud socerum, extra regnum amandare statuisset. In Canuti amicitia se omnino adquiescere, in quo fidei, & integritatis plus expertus esset, quam in ceteris inventurum se confideret. Nihilominus in constituenda pace, ea animi moderatione usurum, uti viri iam grandaevi, & propinqui, quam deberet, rationem habuisse videatur. Scire quidem, non se regni dare ipsi partem posse, sine maximo periculo; at daturum tamen esse.* Sveno iterum: *se, quae diceret, quaeque promissurus esset, bona fide servaturum. Quippe ea aetate esse, & valetudine, ut vix diu superesse deinceps queat. Insuper, nec filios habere ullos, quibus regnum postea relictum velit, ac fortunam quamvis malle, quam perfidiae a posteritate tota accusari.* Post colloquium, in Lalandiam, uti constitutum erat, sese confert, cum exiguo comitatu, quem mox tamen, minime convenientem, aut sufficientem quoque ad id, quod clam agitabat, ratus, auget; aegre ferens, quod propositum separandi a Canuto Valdemari non ex voto successisset. Et uterque, ut adessent stato die, cum senatu, ac nobilitate regni subsequuntur. Quumque eo adpulissent, illico Svenonem sibi Valdemarus ex officio salutandum arbitratus, eum accedit. Sveno, qui id exspectabat, & Canutum quoque una adfuturum existimabat, dederat mandatum suis, ut quaesita ambos lite interficerent. Verum, ea exspectatio quum Svenonem fefellisset, nec Canutus compareret, caedem imperatam differt; ac postridie Valdemarum, qui iam sponte sua venerat, ipse invitat. Sed quid agitaret gnarus, negat adfuturum esse, nisi solus, ac remotis satellitibus, sese sistat. Itaque, militibus abesse iussis, mox concilium instituitur, & arbitrium Valdemaro pacis universum datur. Isque statuit: *ut, tributo in tres partes regno toto, ipse Cimbriam teneret; at Canutus Sialandiam, & Fioniam, proximasque illi insulas; Sveno Scaniam, & Hallandiam, ac Blegingiam possideret, regioque omnes nomine dicerentur.* Ac Canuto Sialandiam, quaeque dixi, dari placuit, *ut quo modo animis coniuncti erant, ita quoque terris essent, neque eos, ad auxilium, si res ferret, concurrentes, distinere Sveno posset.* Cui, qui concessam esse Sialandiam (a) prodidere, eos plane ratio fugit. Quidam tradunt, a Svenone, qui ius quoque optionis ipse haberet, ne in medio aemulorum ceu obsessus teneretur, Scaniam (b) electam esse, non tributam a Valdemaro. In partitionem istam, a senatu comprobatam, ipsi quoque singuli se iuramento obstrinxere, diris etiam devoventes, atque sacris prohiberi cupientes, qui deinde aliquid moliri novi contra vellet. Regno ita distributo, mox Canutus, comitem Valdemarum ducens, Sialandiam suam petit, & convivio Svenonem transiturum excipere statuit. Paullo post subsequitur Sveno, & ab eo, iam Roschildiae propinquus, extra urbem honoris ergo procedente, blande admodum excipitur, & tractatur perbenigne. Primus dies inter epulas, & colloquia totus transit. Altero cum crapula languere sibi stomachum Sveno simularet, ad Torbernum, in propinquo commorantem, filiaeque suae alumnum, velle spatiari ait, & in coenam rediturum. Hic quum esset, incusasse dicitur Torberni uxor, *quod, abiecto nimis animo, in trientem regni sui, antea totius dominus, tam indigne se compingi passus esset.* Quo convitio, irritatus etiam tum Svenonis animus, magis quoque in consortes acerbari; adeo quidem, ut omnino constitueret quovis modo dignitatem pristinam recuperare. Itaque, qui aderant, exstimulantibus, uni horum, nomine Thitlevo mandat, ut coniunctis, quibus ad audendum animus, ad patrandum manus esset, inter coenam novos regni socios contrucidaret, praemiumque post peractam caedem ingens pollicetur. Hoc consilio postquam diem pene totum exegisset, mittit vesperi Canutus aulae primos, qui in oppidum reducerent. Venientibus ante aedes obviam Torbernus prodit; & rogantibus morae causam, balneo Svenonem esse usum ait, & ab eo capitis dolore aliquo laborasse. Ipse vero postea coenaculum ingressus Sveno, alia causa moram suam, nec rogantibus excusare, ac ludendo cum filiola, & iocando, citius opinione diem sibi elapsum dicere. Tam diversa excusatio poterat prudentibus suspecta esse, taciteque causam istic graviorem occultatam indicare; sed Canuti fato factum, ut stuperent illis animi, neque scelus cogitatum aliqua sagacitate coniecturae deprehenderent. Eunt itaque, & deducunt gratabundi mox futurum parricidam. Obviam Canutus venit, & cum eo Valdemarus, utque aetati honorem habere se ostenderent, medium locant. Inter coenam aderant musici, quos exsilium Svenonis modulantes quum quiescere, nec memoriam minus gratam renovare, illi vellent, pergere eos Sveno iubet, & malorum, quae interdum passus esset, perlibenter meminisse adtestatur. Hinc, qui latrocinium iam cogitaret, ut imaginem belli daret, & praeluderet ita caedi, quam parabat, postulat latrunculos sibi, illis quoque in exsilio fefellisse tempus dicens, neque alio fere lusu magis animum recreasse. Inter haec Titlevus adest, princeps coniurationis; &, coenaculum ingressus, in quo reges una erant, omnibusque exploratis, illico ad suos redit: *nunc adesse tempus*, dicens, *quo Svenonem, herum & pri-*

(a) *Cui qui concessam Sialandiam*] Nescio an alius hoc prodiderit, praeter Ericum in *Hist. Gentis Danor.*

(b) *A Svenone Scaniam*] Saxo est, qui disertis hoc ait verbis, *pag.* 274. Helmoldus tantummodo: „ Data est Valdemaro „ *Iutlande*, Kanuto *Seland*, Swein *Scone*, quae viris, & ar„ mis praestantior esse probatur. Ceteras insulas minores par„ titi sunt quilibet pro sua opportunitate.„

ſuum, dignitati reſtituerent, aemuloſque, qui & primo in exilium, & nunc tamdem ad indignam adeo ſortem compuliſſent, trucidarent: itaque auderent facinus, & invaderent ex inſidiis, quibus eſſent viribus inferiores: quod ſi viri eſſe vellent, & exemplum omnes ſuum ſequerentur, mox Svenonem poſt recuperatum regnum, ſummos quemque ad honores evecturum. Quibus verbis, qui iam ante animum in caedem regum obſirmaverant, etiam magis incitati, poſtquam operam promiſiſſent, ad coenaculum, ceu excubias habituri, collocantur. Quod Thitlevus denuo intrans, quum innueret Svenoni, omnia ad facinus parata eſſe, neque animum is adverteret, a Canuto admonetur, eum adeſſe, & habere, quae ſignificata vellet. Poſt quae quum erigeret ſe Sveno paullum, & ad aurem illum admitteret, clanculum effatus quaedam, rurſum abit; inde exit quoque Sveno, & conclavi proximo ſe ſtatim abdit. Quo peracto, inruunt mox percuſſores in Canutum, & Valdemarum. Valdemarus animo, & manu acer, facientem in ſe impetum Thitlevum cubito impellens ſternit, tanta vi, ut ipſe etiam una in terram provolutus, dum procideret, femur enſe inimici ſauciaret. Sed, in pedes ſtatim ſurgens [a], neque vulnus in periculo tam praeſenti ullum ſentiens, eripit ſe, & ſicarios evadit. Ac Thitlevus, quum ſe rurſum erexiſset, acriter Canutum adgreſsus, eum ſternit, & obtruncat. Cadunt & conſiliarii eius duo, Conſtantinus, & Dobieus [b], viri fide, ac conſtantia excellentes. Inter medios percuſsores Abſalon ſtabat, ac Canutum vix ſpirantem amplexatus, quem putaret Valdemarum, olim ſecum educatum, quum Canutum eſse cerneret, quamquam triſtis, ob indignam principis illius necem, tamen, cognito errore, evaſiſse Valdemarum laetabatur. Ita cecidit Canutus, poſtquam regnum in Cimbria quidem, varia ſpe, ac fortuna, novem, ſive decem annis, in Sialandia, ac Fionia, nupera tranſactione, breve tempus tenuiſset. Dies caedis Auguſti menſis nonus traditur; annus varie memoratur; & Ericus Pomeranus, milleſimum centeſimum, ac quinquageſimum ſextum [c], refert; Albertus vero Abbas Stadenſis eiusdem ſeculi inſequentem, quinquageſimum, & ſeptimum. Virtus illi, digna rege, animuſque a parentis Magni moribus alienus, nec indignus toti Daniae imperare, ſi ſic Deo placuiſset. Sed premebat, ut videtur, patris ſcelus, qui Canuto Sleſvicenſi, principe optimo, uti ſupra memoratum, interfecto, ita numen irritavit, ut in filio quoque illud perſequendum conſtitueret; ac, minuto prius regno, inde etiam turbato, tamdem vitam fine eodem terminaret; tum progeniem in hoc ipſo univerſam extinctam [d] vellet. Valdemarus, ſic elapſus, adiutante Esberno Snario, magno cum periculo tranſvectus ſcapha, vix in Cimbriam pervenit, ubi accedens ad conventum Viburgenſem, coram populo univerſo, quae Roſchildiae acta eſsent, longa oratione exponit. Vtque magis commoveret, vulnus a Thitlevo inflictum, femore nudato, oſtendit. Quo conſpecto, graviter indignati omnes, maximum clamorem tollunt; & ſe, ac fortunas ſuas ad Svenonem perſequendum ultro obferunt; atque ille, actis gratiis, non tam pro ſalute ſua, quam cunctorum incolarum, arma in communem

(a) *In pedes ſtatim ſurgens*) Helmoldus: „ At ubi percuſſor le- „ vavit ictum in caput Valdemari, ille fortius exſiliens, lumen „ excuſſit, & ſalvante Deo in tenebris elapſus eſt, uno tantum „ vulnere ſaucius.

(b) *Dobieus*) reſcribendum, *Dobieus*. De *Conſtantino* dicit Saxo, quod primo inter Canuti neceſſarios loco fuerit. *Chronicon Sialandiae pag.* 53. vocat *Conſtantinum quemdam nobilem de Teutonia*. Alii *Annales vett.* faciunt Canuti fratrem. Vterinum autem illos fratrem intellexiſſe nullum dubium. Ego filium fuiſſe opinor vitrici eius, Vlodomiri, ex priore coniuge, antequam matrem Canuti duceret, ſubſceptum. Nam *Conſtantini* nomen apud Graecos, & Ruthenos frequens, apud Danos, & Svecos iſto aevo haud uſitatum. Idem quoque indicat *Dobici* nomen, nequaquam Danicum, ſed Ruſſicum. Et probabile admodum, hos duos in Daniam a Vlodomiro miſſos, auxilia quaedam Canuto abduxiſſe.

(c) *Quinquageſ. ſextum*) Omnes fere *Annales* conſentiunt de hoc anno. Totius autem Hiſtoriae, ſeu rerum in Triumvirato geſtarum, uſque ad Canuti, & Svenonis interitum, compendium nobis dedit ex monumentis Islandicis Thorm. Torf. *Hiſt. Norv. Part.* 3. *Append. a pag.* 548. *ad pag.* 554.

(d) *Progeniem univerſam extinctam*) Credo mentem noſtri hanc fuiſſe, Divinum Numen deſtinaſſe, ut nullus porro ex progenie Regis Nicolai regnum adipiſceretur. Totam enim in Canuto extinctam, qui potuit dicere, quum ipſe poſtmodum in *Hiſtoria Canuti VI. pag.* 6. filium ei tribuat Valdemarum illum ſcilicet, qui Epiſcopus Sleſvicenſis factus, tantum deinceps negotiorum cum Regibus noſtris tum Pontificibus Romanis faceſſivit? Atque hunc ſolum quidem filiorum Canuti V. (Roſchildiae trucidati,) cognitum habuere multi noſtratium, inque eis Pontanus, ut patet ex *Tabula Geneal. pag.* 231. ad fin. *libri V.* inſerta, ubi eum ex filia Sverconis Svec. Regis ſubſceptum dicit. Neque melius Pontano edoctus fuit Claud. Lyſchander *Oper. Geneal. pag.* 214. Vtrumque vero falſum eſſe mox oſtendam. Non quidem negabo Canutum liberos reliquiſſe ex coniugio illo, inque his duos invenio, Lyſchandro, & Pontano, ut alios taceam, ignoratos. Primus eorum Nicolaus fuit, Princeps religioſus, vitaeque a teneris annis ſeverae & emendatiſſimae, & qui, poſtquam anno 1180. adhuc iuvenis fato conceſſit, miraculis illuſtratus, magnaque apud Danos veneratione cultus fuit, dictus popularibus vernacule *Sancte Claus i Aarhuus*. Exſtant de eo litterae Innocentii PP. IV. anno 1254. quibus Pontifex precibus Danorum ſolicitatus, ut Sanctorum illum Catalogo adgregaret, Sleſvicenſi, & Viburgenſi Epiſcopis, atque Abbati e Cara Inſula cognitionem miraculorum eius detulit. Vid. Odor. Rainald. ad d. ann. §. 30. Alter Canuti filius putatur fuiſſe Haraldus ille cognomento *Skreng*, qui anno 1182. a Scanis rebellantibus dux, & princeps electus, ſequenti anno mortem obiit. Hunc Hvitfeldius in *Chronico Canuti VI.* & Stephanius in *notis ad Saxonem pag.* 251. *a*. proſapiae Canuti V. Roskildiae interfecti adſcribunt; filium vero Canuti diſerte vocat, neſcio qua auctoritate Meſſenius *Chronol. Scond. Tom.* 2. *p.* 11. Quod vero ad Valdemarum attinet, Epiſcopum poſtea Sleſvicenſem, editus ille quidem eodem Canuto patre fuit, ſed natalibus minus honeſtis; natus ſcilicet ex pellice, quae Regis iam interemti familiam poſthuma hac prole auxit. Diſcimus illud ex litteris Valdemari II. Regis ad Innocentium PP. III. quas Odor. Ragnaldus ad ann. 1206. §§. 19, & 20. legendas obfert. Vbi, inter alia, de Valdemari ortu haec habentur: „ Quum Rex Canutus avunculus noſter fuiſſet ab inimicis ſuis „ innocenter, & immerito interemtus, quaedam, de qua adhuc „ ſub iudice lis eſt, utrum eam habuerit concubinam, iſtum, „ de quo nobis eſt mentio, procreavit. Sed quum de genera- „ tione iſtius tanta eſſet ambiguitas, quippe poſt mortem eius, „ cuius filium ſe adfirmat, & de matrimonio illegitimo pro- „ creatum, utrum eum filium praelibati vellet adſerere, ſive „ non, patris noſtri arbitrio linqueretur, ipſo tamen divinae re- „ tributionis intuitu in ſaniorem partem dubia exponendo, ipſum „ in genus regale, & ſuam progeniem dignanter ſubſcepit, & „ non ſolum in cognatum, & conſanguineum, ſed quaſi in „ proprium filium adoptavit &c. „ His adde, quae in nonnullis Innocentii PP. III. *Epiſtolis* de eodem Valdemaro repetuntur, a legato Regis Valdemari Pontificis ſuggeſta: „ quod „ irregularis exſiſteret, utpote de duplici adulterio procreatus; „ eiuſque diſpenſatio fuiſſet olim ab Apoſtolica Sede per ſub- „ reptionem obtenta, ſuppreſſo quod eſſet ſpurius, & expreſſo „ quod exſiſteret naturalis, quum & paternae incontinentiae imi- „ tator filios haberet poſt ſacros ordines generatos. Vid. *Epiſt.* „ *Innocent. III. lib.* x. *Epiſt.* 209. *lib.* XI. *Epiſt.* 10. *lib.* XII. „ *Epiſt.* 63. *&c.*

hoſtem ſe ſumturum pollicetur. Hinc dimiſſa concione, mox de belli adparatu conſultare; plane certus, haud Svenonem ceſſaturum, ſimul ſe in Cimbriam elapſum eſſe intelligeret: neque res evenit ſecus; quippe, poſtquam evaſiſset Valdemarus, eum aliqua inſulae latere parte arbitratus, illico traiectus omnes arcte obſideri mandat, prohibetque, ne quis uſquam in vicinas regiones evehatur. Quin, & ne id fieri poſset, perforari deſtinatas tranſvehendis naves curat. Tum paludes quaſque abditas, & receſsus nemorum inveſtigari ſedulo iubet, & inventum ad ſe abduci. Inſuper proclamat *ambos homicidas, & foedifragos, ius hoſpitii violaſſe; &, inſidiatos vitae, ſua morte alterum luiſſe facinus*. Sed calumniae manifeſto, quamlibet adſeveranti, nemo fidem ullam habuit. Poſtquam autem in Cimbriam elapſum ſciret, illico conſcriptum militem in Fioniam tranſmittit, inde in hoſtem tranſiturus. Quo accepto, Valdemarus, qui tum copias perexiguas coegiſſet, obviam illi proficiſcitur; non tam illum invaſurus, quam in littore excepturus venientem, & prohibiturus aditu. Atque Sveno, gnarus, iam teneri littus, copias maiores eſſe Valdemaro, quam revera eae forent, arbitratus, pedem refert, mox inſtructior rediturus. Valdemarus, qui futurum id proſpiceret, munit littora; ac, praeſidiis ordinatis, mittit quoque, qui, quae Sveno agitaret, diligenter explorarent; hinc, firmandis rebus ſuis, populoque obſtringendo, quum Viburgum receſſiſſet, Sophiam uxorem ducit, Canuti ſororem, quam in Svecia deſponſatam antea commemoravi. Poſtquam nuptias celebraſſet, ne gerendis rebus tempus opportunum praetermitteret, copias Randerhuſium mittit, unde in Sialandiam commodius tranſire poſſet; ubi dum ſubſiſtit paullum, multi, qui Svenonis ſcelus deteſtati, in eius partes conceſſere; atque hic, laceſſere hoſtem melius, quam exſpectare arbitratus, claſſe inſtructa, curſu in Diurſam, Cimbriae flumen, inſtituto, eam ingreditur; & expoſitum ſine mora equitem Viburgum ducit; ſi fortaſſe, incerta habitantium fide, cogere id in poteſtatem ſuam poſſet. Sed, adventu nuntiato, Valdemarus mittit vario itinere mixtum pediti equitatum, qui Svenonis, dum is abeſt, claſſem expugnat; ipſe oppidum communit, ne ab hoſte opprimatur. Sialandi, ſimul copias Valdemari imminere cognoviſſent, illico Svenonem deſerunt, atque domum ſine pugna ſe recipiunt. At Fionii, meliore in illum fide, & conſerere manum auſi, caeſi, & in fugam acti, poſt ſuorum magnam ſtragem, tandem quoque naves petunt, & recedunt. Quibus ita proſpere geſtis, Valdemarus, ut principia fere laeta animum in futura firmant, ſpem victoriae magnam capit, copiaſque omnes cogit; numero quidem, quam virtute, aut peritia militari meliores; ſed quas ducis fortitudo, ac felicitas in gerendis rebus ſumma, ad alacriter capeſſendum praelium exſtimulabat. Sveno contra, poſt defectionem tantam numero minor, ſed ſuperior virtute, ſuos quoque in pugnam inſtruit, & hortatur, *ut ex intervallo hoſtem carpant potius, ac fatigent, quam, conſerta tota manu, nimium incertam belli aleam experiantur*. Et conſilium prudens erat, verum id evertens Ago, *aut pugnandum*, inquiebat, *aut futurum, ut a ſuis illico deſereretur; cogitaret, quot victorias minima ſuorum manu reportaſſet; militem ſe veteranum, & peritum belli habere, at in Valdemari caſtris turbam eſſe maxime armorum rudem*. Stabant ad Viburgum acies, eo in campo, cui Gratenhedae (a) nomen ineunt certamen acriter, militeſque Valdemari, impetu in hoſtem facto, dextrum cornu ſic impellunt, uti alii conſternati fugam caperent; nam, validius his inſtantibus, illis e certamine ſe ſubducentibus, poſtquam ordines ſolverentur, tamdem etiam funduntur. Sveno, fugere ſuos videns, ipſe quoque pugnam deſerit, & citato equo, fugit. Erat in propinquo palus, cui Gratemoſae nomen, in quam ubi profugiſſet, & haereret luto equus, ocyus in pedes deſilit. Sed, armorum pondere gravis, illis quoque mox exſutis, in interiora tendit. Verum ibi quoque obhaerens, dum eripere ſe conatur, laſſitudine ſuperatus, ceteros conſulere ſibi quemque iubet. Ipſe, famulo uno comite, truncum, qui ſe forte obſerret, occupat, ut vires colligat. Et vix ſederat, quum inveniunt quidam Valdemariani, qui inveſtigabant praedam. Hi, occiſo prius comite, ipſum quoque, ſe Svenonis eſſe ſcribam adſerentem, & abduci ad Valdemarum poſtulantem, adgnitum mox interficiunt, ac cadaver, nullo habito honore, illo ipſo loco condunt; ubi poſtea ſacellum in memoriam exſtruxere. Capti multi, & in illis, ex illuſtribus, Vlvo quoque, ac Thitlevus, quorum ille, a militibus Canuti velut unus percuſſorum accuſatus, capite luit. At Thitlevus, qui Canutum, uti dixi, interfecerat, excuſare crimen cupiens, & reiectam excuſationem videns, adeo coepit muliebriter eiulari, ut, a tam effeminato, & ignavo, virum fortem, ac praeſtantem interemtum, multo magis etiam indignarentur, & e medio ignominioſe tollerent (b). Sveno, in memoriam ſtragis, Gratenhedius cognomento adpellatus. Commiſſum autem iſtud praelium anno milleſimo centeſimo quinquageſimo & ſeptimo, die S. Severino dedicato, qui in decimum Kalend. Novembris incidit.

Alii

(a) *Cui Gratenhedae*] Ex Pſeudo-Erici libro, ubi eſt: „ Anno „ Domini 1157. convenerunt Sveno, & Valdemarus Reges in „ campo, qui *Gratehede* dicitur; in quo praelio Sveno occiſus „ eſt, & ſepultus in capella *Grathae*. „ Saxo loci huius non meminit. Sed Sveno Aggonis habet: „ Sveno Rex Scanienſis, Waldemaro Regi Iutiae occurrens, ſecus *Gratham* praelium cum eo commiſit. „ In Knytling. Hiſt. *Gradarheider*, ubi additur, *cap.* 117. *Is campus non procul Viberga, meridiem verſus, diſtat*. Ab eo campo poſteri huic Regi Svenoni cognomentum impoſuere. Aliud in Islandorum Hiſtoriis invenitur, quod vivus ſibi adtraxit rigore, & exactionum ſeveritate, videlicet *Suidandi*, quod *Vrentem* ſignificat.

(b) *E medio ignominioſe tollerent*) Saxo *pag.* 280. *ad equuleum abſtractum*, ac poſtea ignominioſa morte adfectum, *interfecti a ſe Principis manibus mulctam perſolviſſe*, ſcribit Knytlingorum Hiſtoria *cap.* 118. de eo: „ Thetleifum Edlari filium Valdemarus comprehendi iuſſit; in quem, rota fractis „ brachiis, cruribuſque, exquiſitiſſimum exemplum edi iuſſit. „ Iſtius ſupplicii oculatum ſe teſtem fuiſſe narravit Atlo Stenonides, qui tunc temporis in Dania erat. „

Alii anticipant mensem, memorantque evenisse x. Kalend. Octobris; memoriae, ut puto, lapsu. Itaque sic periit Sveno; quum de regno cum Canuto, & Valdemaro annos decem concertasset; Daniamque per continua illa bella intestina quam gravissime adflixisset. Varia fortuna usus, in principio fortiter satis, ac feliciter cum Canuto dimicavit; sed ab eo mox eiectus, ad petendum a Cunrado socero auxilium coactus fuit; inde, hoc vicissim pulso, fraude Caesaris Barbarossae, cui nimis imprudenter se permiserat, circumventus, regnum eius beneficio ceu precarium retinere, & Canuto partem tradere. Post haec, luxu, & superbia, populo intolerandus, pro libidine quidvis agere. Valdemarum, antea addictum valde, postquam a se suo scelere reddidisset alienum, & transire ad Canutum compulisset, qui vix unum substinuerat, iam duobus impar factus, renovata summa simulatione amicitia, inter ipsa mensae hospitalis sacra tollere utrumque statuit. Sed, quum minime ingens facinus successisset; &, Canuto solo caeso, evasisset Valdemarus, mox in pugna superatus, a rustico quodam[a], manifesta numinis vindicta, occiditur. Tanto quidem nominis relicto odio, ut deinceps neque illo quemquam Dani regem legerint, nec id reges filiis suis imposuerint. Ex uxore Adelheida, filia Cunradi Misnici, filium subscepit[b] unicum, sicut ex Saxone constat; cuius tamen uti nomen, ita fatum ignoratur.

VALDEMARUS I. cognomento MAGNUS.

Caeso, scelere Svenonis, uti dictum est, Canuto, ac Svenone, inde ipso post conflictum interfecto, Valdemarus, iam totius regni potens, quum Vlvonem, ac Thitlevum, milites supplicio iusto adfecissent, in principio statim ipso boni regis, ac clementis specimen dedit. Quippe Magno, Erici Agni ex pellice filio, & Svenonis castra sequuto, quum iam poenam exspectaret, vitam, & honores dedit; plus cognationi tribuens, quam iniuriae. Quumque milites Canuti, hostium strage non contenti, omnes eos, qui consilia ad Canutum occidendum coniunxissent, & Thorbernum inter primos, etiam exsilio puniri vellent, ne Canutum, & Burisium[c], quorum ambigua fides esset, armis damnatorum instrueret, maluit veniam dare sontibus, quam supplicio aemulos exstimulare, aut firmare. Quum instarent nihilominus, ne Canutum interfectum vilipendere videretur, poenam illis, & exsilium pollicetur; ita tamen, ut liceret revocare, quum sententiae poeniteret. Ceterorum, quos captivos belli sors iniqua fecerat, ei culpae non obnoxios, maluit militia uti. Post clementiam tam insignem, ad virtutem bellicam versus, uti Daniam a piratis, tot iam annos infestantibus, liberaret, classem parat. Sed, senatu dissuadente, mox omissa expeditio, nam deesse commeatus, Vandalique, in quos arma cogitabat, cuncta ante intellexerant, & excipere invadentem certi erant; ideoque nec consultum videbatur, robur Daniae, quod in classem hanc convenerat, & nobilitatis florem temere periclitari. Vnde Absalon, quum roganti dissolutae expeditionis caussam responderet Valdemarus, *minime periculo tot viros fortes, nobilesque obiectare voluisse*; *ergo ignavis*, inquit, *utere, & plebeiis, quorum vilis est iactura, aut victurus maximo cum regni fructu, aut vincendus parvo damno*. Per id tempus, quum Ascerus, Roschildensium Episcopus, diem suum obiisset, de creando successore populus, & sacer ordo, ita graviter

(a) *A rustico quodam*] Sveno Aggonis: *manu rustica perimitur*. Pariter Saxo. Sed ab insigniore viro peractam hanc caedem indicat Historiae Knytlingorum Auctor, *cap.* 118. „ In virgulto latebras quaerens (Rex Sveno) tamdem capitur, atque „ a *Petro Thenia* agnitus, rogatusque ecquid praeter morem, „ tam plebeia veste utatur, (namque habitum cum clerico quodam permutaverat,) antequam quid respondeat, a superveniente *Guenmaro Chetilli filio* obtruncatur. „ Huius *Guenmari* postea ab eodem auctore fit mentio inter duces Waldemari in bellis Vandalicis.

(b) *Filium subscepit*] Negat Pontanus, forte Saxonis loco non observato, adseritque *pag.* 228. nullos Svenonem liberos substulisse ex Adelheida, Conradi Pii Marchionis Misniae filia. Idem etiam Pontanus in Tabula Genealogica *pag.* 231. nomini *Svenonis Gratenhedae Daniae Regis* haec subiungit: *Vxor ei Adelheida - - - - ex hac an filia ei nata, cuius etiam Saxo meminit, incertum*. Sed filiam istam potius fuisse arbitror ex concubina natam, quandoquidem alii feminae educanda, Thorberni scilicet uxori, erat tradita, ut legitur apud Saxonem *pag.* 275. De filio recte scribit Meursius, eius itidem Saxonem meminisse. Nempe *pag.* 269. ubi Svenonis socerum Conradum sic loquentem inducit: *Malle igitur se generum, filiamque, cum nepote ex ea subscepto, cruci subfixos videre, quam fidei, & sinceritatis opinionem tot annis servatam, extremae aetatis infamia corrumpere*.

(c) *Burisium*] Nomen viri huius modo *Burisium*, modo *Burisium* scriptum invenies in Saxonis editionibus, tam Parisiensi, quam ceteris. Rectius illud Meursius, & Pontanus constanti more exprimunt *Burisium*. Ille noster infra *Col.* 304. Burisium e *propinquis Valdemari* vocat, & *Col.* 316. *propinquum Regi, qui ipse regni aliquando obtinendi spem conceperat*. Recte omnia; sed *propinquitas* quaenam, & qualis fuerit, ac unde derivata, postquam Saxo oblitus videtur id nobis aperire, nemini postea nostratium Historicorum proditum. Hvitfeldius, in talibus diligens, satis indicat, sibi ignorari. Pontanus in nulla tabularum, quas hinc inde inseruit, genealogicarum, nomen eius ausus ponere. Fuit vero Valdemari cognatus in altero gradu, ut loquuntur, hoc est, eumdem habebat uterque proavum, Regem Svenonem Estrithium. Pater Burisii, si Islandis fides, fuit Henricus ille Scatelar, (de quo supra ad *Col.* 239. *c*.) avus Sveno, Svenonis Estrithii filiorum unus, atque frater Regis Erici Boni, quem avum Valdemarus I. habuit. Maternum genus ex Svecia; nam Henricus Scatelarius coniugem habuit Ingertham, (vel Ingiridem,) filiam Rognvaldi, qui frater erat Margaretae Nicolai Regis uxoris, filius Ingonis, nepos Steinkilli Regis Sveciae. Ingeridis ista nupsit postea Haraldo Gillio Regi Norvegiae, mulier, quod satis ex Saxonis, & Norvegorum Historiis constat, luxuriosa, & insignite impudens. Testem cognationis huius produco Torfaeum *Histor. Norv. Tom.* 3. *pag.* 502. sic loquentem: „ Haraldus coniugio sibi iungit Ingiridem, Rognvaldi filiam, Ingii Steinkilis filii Sveciae Re- „ gis neptem, quae prius nupserat Henrico Skokuli, Sveni „ filio, Sveni Daniae Regis Vlfi filii nepoti, ex quo subsce- „ perat filios, Magnum, qui postea Sveciae Rex factus est, & „ *Burissem*, de quo Saxo in Valdemaro I. varia, veraque scri- „ bit. „ Haec Torfaeus. Interim dissimulare non debeo, exstare veterem cantilenam Danicam in *Sylloge* Petri Septimii, eamdemque satis longam (a *pag.* 591. *ad* 601.) de amoribus Burisii, & sororis Valdemari I. Christinae, exituque eos insequuto pertristi. In illa Burisius frater Reginae Sophiae, Valdemari I. uxoris, dicitur; ubi fratrem intelligamus oportet uterinum, adeoque Germanum Canuti V. Roskildiae occisi, filium Magni, nepotem vero Nicolai Regis. Fateor tantum abesse, ut condemnare hanc generis expositionem audeam, ut potius in hanc propendeam magis, quam in alteram ab Islandis proditam, ac a Torfaeo adsertam. Non ignoro, parum admodum fidei cantilenas id genus, etiam vetustas, mereri. At saepe etiam vera immiscent. Et quoties non Islandos in genealogicis falsos deprehendimus? Exempla iam dedimus in hisce adnotatis; sed & plura observavimus, alibi proferenda. Ceterum de fatis Burisii posthac ad *Col.* 316. dicetur. Paene omiseram, non raro geminum ei nomen, in Annalibus, & ab Arn. Hvitfeldio, dari, *Magni Burisii*.

viter dissedere, ut in caedem res erumperet; denique, contemto rege, etiam procuratorem eius invaderent; ac, direptis item bonis, aedes tamdem solo aequarent; quam rex insolentiam ut coerceret, & auctores castigaret, illico coacta manu, ad exitium urbanorum properare videbatur. Ac profecto intulisset, nisi culpam deprecati, maximam pecuniae summam promisissent; itaque ingressus urbem, ac professus, ius se sacri ordinis tueri velle, iussit quatuor eligere notae probitatis viros, & in istis Absalonem, tunc in ceteris eminentem; tum in charta nomen eius, quem Ascero successorem esse vellent, consignare. Qua in re, quum morem gererent, uno omnium consensu Absalon pronuntiatur, cuius clara, etiam in multis bellis, postea pro Valdemaro, ac Canuto eius filio, opera commemorabitur, maxime laudanda quidem; magis tamen, nisi pridem Deo, & Ecclesiae eius consecratus, sagum postea vesti sacrae praetulisset, atque bella, quamvis iusta, tamen plena saepius impietatis, gerere duxisset prius, quam commisso sibi populo verbum Dei explicare, & exemplo quoque suo pietatem erudire. Quum Roschildiensem Ecclesiam hunc in modum tranquillasset, ut ostenderet suum in pietatem studium, Monasterium apud Cimbros quoddam condit, atque Vitae-scholam dicit; causa, ob quam condidisset, ipso nomine indicata. Inde in Vandalos bellum movet, quod, initio decretum, uti dixi, & omissum, nunc repetere illi visum, ac Borlundam invasisse nuntiatos, mox repressit. Inde quum in Cimbriae maritima se, Falstriaeque effudissent, & munitionem quoque Falstrii constituisent, regio pincerna imposito; isque vocem aliquam liberiorem male ad regem detulisset, hic ulturus, arma etiam intulisset, nisi mala improviso valetudo tenuisset. Qua recuperata postea, quum errorem percepisset, morbum obiectum, ceu a prohibente Deo, gratulatus sibi fuit; quin hortatus quoque Absalon, ut omisso hoc consilio, potius in hostes iret, quique sacris Christianis toties renuntiasent, ad obsequium reductis, pietatem exercendam imperaret. Itaque, consilio cum Absalone, Petro, Esberno, & Sunone, quibus plurimum tribuebat, illico communicato, placuit decerni classem modicam, & expeditam; ac quamprimum in incautum hostem duci: neque mora, comparatis navibus e Sialandia, Scaniaque iussi Falstrii, ac Lalandi, illis proximi, imparatos occupare. Convenere ad Landoram; sed, is locus, quia regibus parum fortunatus (a) esset, ideoque caveretur, recensere proximo in portu visum, ac compertum, sexaginta, & ducentas naves esse. Inde egressi, quum praemitteretur Absalon, velut aditum tentaturus, atque in conspectu pene iam hostile littus esset, retro cedere regem videt, & cum eo quoque ceteros, quam ob causam etiam ipse proram vertit, & ad Monam adsequutus, libera oratione adcusat eum, quod tranquillitatem aeris, & alacritatem militum, tum occasionem rei per utramque sat feliciter gerendae temere destituisset. Aegre quidem ille libertatem ferre, quamquam recte admonentis, sed dissimulare offensam; &, composito ad benignitatem vultu, eius studium praedicare, ac repetere navem suam. Verum, quae exorta nocte proxima tempestas fuit, totos dies quatuor continuata, ita classem dissipavit, ut nec portus, neque anchorae tuerentur. Ea res dissimulatam regis iram porro etiam lenivit; ac, vocata concione, corrigi praeterita haud posse dicens, tempori consilium adcommodandum inquiebat; & se quidem mori malle, quam inglorium redire. Qua de causa dat mandatum Absaloni, ut intentus in occasionem esset. Nocte proxima, postquam siluisset ventus, statim signum navigationi datum; &, conscensis inde navibus, vix egressi portum erant, quum oborta iterum tempestas gravis in discrimen universos summum adduxit. Absalon, qui regem ante reprehenderat, ne maiore animo dixise aliquid, quam fecisse videretur, & obnititur fortissime, & instare Valdemarus suos iubet, donec navem, quae vehebat, fatiscentem, permutare cogeretur. Proximusque illi Eschillus, cui idem eveniret, indicat periculum regi, & recedit; moxque alii sequuntur; studio, an errore incertum; adeoque vix e tota classe naves sexaginta remanebant. Memorandus autem hic intrepidus Valdemari animus; quippe navi, uti dixi, iam compage dissoluta, ut periculum vitaret, & perficeret institutae navigationis cursum, iusso suam admovere Ingimaro, viro Scano, dextra ensem, laeva autem signum tenens, in hanc transilit, ut audacia, sic felicitate summa. Quum ad littus adpulisent, iussi duces in commune consultare, placuitque invadere Barcam, a Rugia exiguo freto separatam; ac peractum tanta id celeritate, ut, audito strepitu equorum, incolae Cazimarum, aut Bugislaum, regionis suae principes advenise existimarent. Sed, coniectis undique telis, ac direptis passim vicis, & incensis, statim hostem adgnovere. Interim praefectus classi, & custodiendo mari quam fortissime incursantes Rugianos propulsabat, & a praeda revertentes mox cohortes, etiam validius cum his pugnabant. Sed quum illi in momenta quaeque crescerent, placuit abnavigare, maxime quum pars exigua tantum classis praesto esset; & ex illa, quae ad littus adpulisset, aliqua deseruisset. Itaque, ferente vento, Daniam repetiere. Sub auctumnum, in eosdem iterum educit classem, & subiectum Archonae agrum populatus, quum recedere spoliis onustus vellet, obvium sibi hostem habet. Nebula erat, & impediebat visum, quae quum mox discussa esset, equo adacto advolat ad Valdemarum Perislavus (b), Vandalorum principis

(a) *Locus, quia parum fortunatus*] Hanc vero opinionem tamquam superstitiosam, ac futilem ipse Saxo damnavit, semel *pag.* 251. in Erici Agni Historia, atque iterum hoc loco *pag.* 283. dicens: *Danorum Reges locum istum vanissimo deliramento subspectum perinde ac fatalem cavere consuevisse*. Videantur, quae huc spectantia observavit Stephanius in *notis pag.* 234. *a. b.*

(b) *Perislavus*] Sic illum & noster, & Pontanus, exemplo Saxonis

cipis Nicloti filius, admonetque, *in propinquo hostem esse, & pugnandum statim fore*. Tum conversus ad exercitum, *pristinae virtutis suae meminisse omnes* iubet. *Quippe obvios iam dari, quos nequidquam studio pridem singulari quaesivissent, quique Daniam omni iniuriarum genere adfecissent, praeter praedam, abductis liberis, & uxoribus in durissimam servitutem, nunc occasionem sui ulciscendi certam esse*. Perislavus hic, exosus impium idolorum cultum, ac saevitiam patris quoque in Christianos detestatus, patrio relicto solo, profugus ad Danos (a) venerat; &, militiam amplexus, aliquot a Valdemaro insulis praefectus erat; ac nunc castra item eius sequebatur. Hinc adfectus, & de hoste imminente admonitio. Itaque gnarus Vandalos adpropinquare Valdemarus, classicum canere suos iubet, praeliumque inchoare. Quod vix factum, quum in fugam hostis vertitur, rexque, acrius persequutus, equo effunditur, & a suis sublevatus, nihilominus fugientes porro urget. Multi caesi, multi etiam, dum traiectum suum repetunt, per quem venerant, & incautius properantes, vado aberrant, subfocati. Post victoriam, totam Rugiam populatur, & cum spoliis quam amplissimis domum redit. Vere proximo, tertium coacta classe, postquam denuo bello petere Vandalos constituisset, gnari illud Rugiani, ocyus Domborum mittunt, virum inter suos clarum dignitate, ac prudentia, qui & pacem precaretur, & obsequium promitteret. Is quum sciret, Absalonem plurimum apud regem posse, eum adit, & ad regem mox admittitur. Vbi videns, omnia parata esse, neque quidquam, praeter ventum, exspectari, pacem orat tam demisse, ut conditiones quasvis accepturus videretur. Sed, diutius dum subsistunt, vento adverso, ac deficeret commeatus, & dissidium uti fit, exoriretur, animosior, quam suppliciter ante pacem postulaverat, mox se accepturum negat, nisi sub aequissima conditione. Quumque primo de tractationis modo ageretur, obsidesque exhiberi Absalon vellet pollicetur, si vicissim ille daret. Quod quum is indigne ferret, & haud consuevisse Danos responderet, regerit Domborum statim: *rationem temporum habendam esse, olim potiores illos, nunc se pares, aut fortuna, viribusque, etiam superiores*. Refert haec ad regem Absalon, atque is, superbia Dombori offensus, abire eum sine responso ullo iubet. Verum, quando etiam tum adversari ventum cerneret, & incerta quoque belli apud animum reputaret, insuper, conatus quamquam primus satis successisset, nihilominus haud tam facile debellari eos posse, ducem etiam Saxoniae, Henricum Leonem, uti arma sociare vellet, rogat (b). Et is facilis, antea infestus Vandalis, in societatem venit; partim praemio pellectus (c), partim fines proferendi commoda occasione, atque ulciscendi studio. Itaque consilia, & arma iungit; &, navalibus eos copiis adgressuro Valdemaro, ipse terra impetum facit. Valdemarus, postquam classem traiecisset, militem ad Polam exponit; ac vicinum tractum omnem ipse pariter, & Henricus, viribus consociatis, populantur. Vandali saepe ex insidiis militem Henrici occupant, pabulandi gratia progressum longius; quosdam etiam intra castra retro agunt; & Henricus, ut reprimeret, mittit rursum pabulum conquisituros, quibus equites selectos, peditesque levis armaturae miscet, manu promtos, qui quum paullum processissent, veniunt ad eum locum, quem Niclotus, dux Vandaliae, insidebat; isque erumpens, irruit in venientes, acre praelium committitur, & utrimque fortiter pugnatur diu. Tamdem Vandali, maxima suorum parte profligata, & amissa spe victoriae, principem destituentes, fugam capiunt. At Niclotus, pugna excedere turpe ducens, nihil motus, diu etiam praeliatur, donec tamdem telis obrutus, & vulneribus confectus, viribus prostratis caderet. Caput eius, conto fixum, quum circumtulisset (d) miles, id Henricus Valdemaro regi mittit: quod quum forte Perislavus eius

filius

xonis, nominant. Crantzius *Prislaum*; sed Helmoldus hunc Nicloti Principis filium videtur ignoravisse, tantummodo de duobus loquens *Pribislavo*, & *VVertislavo*; quorum priori neutiquam ea conveniunt, quae in Historiis nostratium de *Perislavo* commemorantur, Helmoldo praeterita; quod ideo monemus, ne quis *Pribislavum*, & *Perislavum* pro eodem viro habeat. Auctor Historiae Knytlingorum *cap.* 119: hunc nostrum adpellat *Fridleifum*, (quemadmodum Islandis satis frequens est, nomina peregrina mirifice deformare, aut ad genium Septentrionalem inflectere) & *Nicolotum*, patrem eiusdem *Miuklat*. Verba eius: „ Huic *Miuklato* filius nomine „ *Fridleifus* erat, in priori bello a Danis captus, qui sacris „ Christianorum initiatus, sub sacramento Valdemari militabat. „

(a) *Profugus ad Danos*) Ita & Saxo. Sed iam vidimus aliter de adventu eius in Daniam prodidisse Historicum Islandum. Helmoldus hic longe diversa habet, ut mox dicetur.

(b) *Henricum Leonem rogat*] Agit de eorum societate, ad bellum contra Slavos gerendum inita, Helmoldus *lib.* 1. *cap.* 86. & *lib.* 2. *cap.* 4. §. 2. ac praecipue eiusdem *cap.* §. 13. ubi dicit: „ *Henricum cum exercitu ivisse in occursum Valdemari* „ *Regis*. Et abiisse eos sociata manu, ut depopularentur latitudinem Pomeranae ditionis. „

(c) *Partim praemio pellectus*] Neque hic destituimur testimonio Helmoldi, *lib.* 2. *cap.* 6. hoc suppeditantis: „ Et habuit Dux „ pacem cum Valdemaro Rege Danorum, & celebraverunt colloquia ad Egdoram, sive Lubike, pro commodis utriusque „ terrae. Et dedit Rex Duci pecuniam magnam, eo quod pacarentur termini eius per ipsum a vastatione Slavorum; Et „ coeperunt inhabitari omnes insulae maris, quae ad regnum „ pertinent Danorum, eo quod pirata defecisset, & confractae „ sunt naves praedonum. Et inierunt pactum Rex, & Dux, „ ut quascumque gentes terra, marique subiugassent, tributa „ socialiter partirentur. Et increvit Ducis potentia &c. „

(d) *Conto fixum quum circumtul.*) Eadem fere, sed levi cum differentia habet Auctor *Historiae Knytlingorum*. Dicit nempe *Miuklati* (sic illi *Niclotus* vocatur) in fuga occisi caput amputatum, atque in hastili praefixum propter urbem Danos exposuisse. Postea, quum filius eius *Fridleifus* (h. e. *Priszlavus*) Absaloni, ad Henricum Leonem ablegato, comes additus, in itinere urbem praeteriret, ad quam hasta caput patris eius substinebat, illum funesto spectaculo perculsum lacrimas effudisse; memorem tamen nominis, quod ipsemet Christo dederat, hanc forti animo emisisse vocem, aliud exspectari fatum iis non posse, qui verum Deum colere recusarent. Et haec quidem apud laudatum Historicum legimus, *cap.* 119. Itaque quum ista de Priszlavi Christianismo, nec non militia eius sub Waldemaro, duorum antiqui aevi Historicorum fide, Saxonis, & Islandi istius, (quorum hic illum minime cognitum habuit, aut legit,) nitantur, Saxo etiam de rebus sua aetate, quae contigerunt, heic commemoret, adiiciens insuper (*pag.* 293.) sororem Valdemari *Priszlavo* in matrimonium datam, necesse est, ut diversus fuerit hic Nicoloti filius a *Pribislavo*, utpote de quo Helmoldus talia litteris consignavit, quae minime in nostrum conveniant. Narrat enim Helmoldus *lib.* 1. *cap.* 87. Niclotum emisisse filios suos *Pribiszlavum*, & *VVertizlaum* ad intercipiendos milites Saxonicos, illos vero, amissis equis, & viris melio-

filius, inter coenam accepisset, primo tristis, quum dedisset, quod debebat pietati, animo mox obfirmato: *verum Deum, qui contemneret, & in piis etiam persequeretur, merito sic periisse, neque eum pro parente se habere*, inquiebat. Inter ista Valdemarus, Absalonque, quum Henricum accessissent, & consilia contulissent, epulum magnificum Henricus praebet; unde quum digressi essent, & Henrico compellandi iterum necessitas oboriretur, mittit eo Valdemarus Absalonem, & Perislavum, quem sororis matrimonio arcte sibi tunc obstrinxerat. Qui quum iussa nuntiassent, & Henricus redituros paululum subsistere vellet, ut maiore comitatu, viis, undique obsessis, tutius reducerentur, moram tamen, iam eductis extra portum navibus suis, & obnoxiis tempestati non ferentes, ocyus per medios hostes mox in castra rediere. Hinc in Varnum, tunc Gudacram adpellatum, classem movent. Sed vadosum quum id flumen nimis esset, neque naves grandiores pateretur, vix minores introductae; & id metuentes hostes, aditum prohibituri, eum navibus circumsepserant. Quod quum ignorarent Dani, ubi vado obhaererent, impigre exsilientes, inter aquas hostem adcurrentem caedunt; & inprimis, postquam intrepide Perislavi naves duae subiissent, ceterae sequutae exemplum, acriterque in hostem invectae, eo mox in fugam acto, suam in potestatem naves fugientium redegerunt, ac navigio minore rex provectus in interiorem sinum, illico Sunonem mittit, qui obiectam praedam abduceret. Isque in Rostochium propinquum invadens, consternatos oppidanos ad deditionem cogit, oppidumque populatur, & incendit; inter alia, simulacrum, summa diu apud cives veneratione habitum. Quibus actis, adit Valdemarum Henricus, ut consilium conferret; inter quae adfertur rumor, illud agere Rugianos, uti regem interciperent, redituque ad classem suam prohiberent. Quod ne fieret, interrupto mox conloquio, quum ad littus rediisset, comperit, latere hostem intra occultos maris sinus; ut, dum sui longius digrederentur, praedae conquirendae causa, ipsi naves interverterent, & eriperent redeundi potestatem. Verum rex, quem hoc consilium non lateret, ut decipere cupientes ipse falleret, mittit ex praefectis navium Magnum quemdam, qui praedatione ficta, & iniecto in vicinos agros igne, hostem ad classem invadendam invitaret. Qui quum statim morem imperatis gereret, & confestim Rugiani, vacuam praesidio classem arbitrati, impetum in illam facerent, pene omnes cecidissent, ni insidias nonnulli, nimium praecipites congrediendi, detexissent. Hinc, exacto populatione biduo, fugientes persequutus, classem ad Vabugiam [a] sistit. Vbi belli iam pertaesi, neque spem in armis ullam superesse reputantes, iterum Dumboro misso, pacem Rugiani petunt; &, quantumvis reluctante in principio Absalone, tamen, eo delenito, tamdem etiam consequuntur, atque victor Valdemarus mox in Daniam revertitur. Vbi, pio animo, ceu gratias acturus Deo ob victoriam adiutante, ac praefecto pio operi Absalone, duo in Sialandia coenobia condit, Soram, atque Anderscoviam, ac proventum magnum donat; tum Ringstadium in maiorem modum auget, condit, & in Cimbria, quod Tutam-vallem adpellabat. Quae dum agit, bellum domi quasi intestinum surgit cum Eschillo, Archiepiscopo Lundiensi. Causa prima, postquam Romae vita functo Hadriano, nominis illius IV. duo Papae per dissidium constituti, Alexander, atque Victor, & in Alexandrum Galli, Italique; in Victorem, Fridericus Imperator propenderet, & Eschillus, a Victore alienus, Alexandrum tueretur, etiam pendente lite, usuvenit, ut Occonem victor [b] quemdam, adprobante Valdemaro Slesvicensem praesulem renuntiaret. Quem Eschillus, Alexandri, uti dixi, partes sequens, quasi vitio creatum, quum admittere detrectaret, contra voluntatem regis, diris insuper devotum, arcet sacris. Accedebat, quod thesaurum, quem e Gallia advehendum procuraverat, eius, quem huc ablegaverat, imprudentia detectum [c] quidam, conscio, ut volebat Valdemaro, inter viam rapuissent. Hinc, qui antea illum offenderant, nunc & iram ipse capit, & per Absalonem

melioribus, fuga ad patrem rediisse. Hinc ipsum Niclotum, quum pariter ad certamen exiisset, circumventum subito, ac trucidatum, caput vero eius in Ducis Henrici castra fuisse perlatum. Deinde *cap.* 92. *Privizlavum*, & *VVertislavum*, quum non contenti terris, quas possidebant, Obotritos invaderent, repressos fuisse a Duce, qui *VVertizlavum* quidem in urbe Wrle obsessum ad deditionem coegerit, secumque abduxerit captivum, seniorem vero fratrem *Pribiszlavum* ad pacem petendam compulerit. Postea *lib.* 2. *capp.* 2. 3. & 4. quomodo *Pribizlavus* bellum reparando, Ducem Henricum Leonem usque adeo irritaverit, ut *VVertizlavum*, quem in custodia habebat, in crucem egerit prope urbem Malacowe. Eiectum deinde *Pribiszlavum* apud Duces Pomeranorum aliquamdiu se continuisse, donec tamdem ab Henrico delictorum veniam, cum paterna hereditate, reciperet. A quo tempore abiecto omni rebellionis studio, Duci amicissimum evasisse, Rostorckium, & alias urbes condidisse, nec non Monasteria erexisse, Christianae religionis studiosissimum, mortuum, ut quidem testatur Nic. Marescalcus Thurius, anno 1178. Vbi ergo, quaeram, locus captivitati *Pribiszlavi* apud Danos? ubi militiae sub Waldemaro, contra populares suos? praesertim, si eodem illo tempore, quo pater eius occisus, nec non insequentibus, minimum quatuor, annis contra Waldemarum, & Henricum Leonem steterit? Et ubi vel minimum susceptae Christianae fidei indicium, antequam, longo tempore a patris sui fato, cum duobus istis in gratiam redierit? Denique, annon Saxo ipse Grammaticus *pag.* 295. meminit conviciorum, quibus *Pribiszlavus* adhuc paganus germanum suum *Pribiszlavum* lacessivit, quando hunc adspiciebat communis parentis interfectoribus communione sociatum? Quid ergo est (nisi forte illud de *Pribiszlavo* silentium Helmoldi, atque Arnoldi,) quod Mecklenburgicos recentis aevi Scriptores inducere potuit, ut numquam plures, quam duos Nicloto II. filios tribuant, nostrum illum plane omittentes? usque adeo, ut Valdemari I. Regis sororem, Canuti Ducis Slesvicensis, & Regis Obotritor. filiam, Pernillam nomine, uxorem statuant *Pribiszlavi II.* fuisse, qui manifestus error est. Conspicitur tamen idem in Io. Frider. Chemnitii *Arbore Genealog. Principum Megapolitanorum*, Germanice edito, ut alios plures taceam.

(*a*) *Vabugiam*) Mendum est, sic corrigendum, *Valungiam*. In Knytlingorum Historia, ubi huius expeditionis memorabilia exponuntur, *cap.* 120. vocatur *Valunga Vandaliae Provincia*. Eodem capite *Falongia* occurrit; forte eadem.

(*b*) *Occonem victor*) Scribatur posterius vocabulum litera maiori, sic, *Occonem Victor*. De Papa enim Victore loquitur.

(*c*) *Imprudentia detectum*] Inspiciatur Saxo, qui copiose hoc, ut cetera in Waldemari vita, cuncta exponit, *pag.* 297. Subit dumtaxat heic adnotare, quod Archiepiscopo illi minus benignus genius natale temperavisse astrum videatur, quoniam toties

lonem primo, hinc Gerardum, Esromaeum tunc Abbatem, cui amplius confideret, nuntiatum ei cupit, *petere se, ut aut reddi praedam curet, aut, si nolit, bellum exspectet*. Quod quum Absalon, qui exasperatum iri regem sciret, quamquam verbis pro prudentia, qua pollebat, lenioribus retulisset, rex, superbiam indignatus, *antea priorum regum sanguinem bibisse*, inquit, *nunc sitire etiam suum, sed a Deo gladium se accepisse, quo in ordinem rebellantes cogere possit, & hoc ipsum scire velle*. Quae Eschillo postquam nuntiata essent, is deiicere plane animum, &, quem pridem lacessiverat, graviter nunc formidare. Itaque periculo ut se subduceret, in longinquam Vermleandiam (a), dum offensa Valdemari leniretur, proficiscitur. Valdemarus, qui ulcisci contumeliam statuisset, mox nonnullas copias conscribi iubet, obsidetque, quam ad Lethram in palude (b) urbem struxerat; quae munita quamquam esset, loci pariter natura, & invecto commeatu, tamen dedituros se praesidiarii promisere, ni Eschillus brevi tempore ad conciliandam sibi Valdemari gratiam reverteretur. Tum in eius rei fidem, obsidem nepotem tradunt, qui Esrumi (c) alebatur. Hoc accepto, rex parumper, dum responsum ab Eschillo referretur, ab obsidione abit. Illo vero respondente: *pluris sibi urbem esse, quam nepotem, & omnino strenue defensam cupere;* mox regressus, ut obsessos magis premeret, ante eam munimentum ingens condit. Adiuvabat etiam hiems, & adstricta gelu palus facilem accessum dabat. Addit dolum, literasque velut ab Eschillo mittit, quis deditionem mandat: *nam nepotem plane liberatum velle, ac mandatum, quod dedisset ipsis pridem nimium commoto animo, nunc sedato revocare*. Inter ista crucem in conspectu ponit, & nepotem, ni deditionem faciant, in hanc ipsam sublaturum se minatur. Quo accepto, illico Gerhardus prodit; &, cum aliis aliquot ex sacro ordine regem accedens, uti parcat adolescenti supplex rogat, ac promittit, se facturum, ut obsessi sese dedant. Hinc regressus, serio cum oppidanis de deditione agit; & quandoquidem hanc Eschillus ipse mandet, minime differendam esse, ut periculo tam praesenti obsidem suum liberarent. Quibus verbis postquam illis persuasisset, incolumitatem pacti, urbem tradunt. Hinc in Scaniam transgressus Valdemarus, arces omnes, quae in Dioecesi essent Lundiensi capit, & praesidio munit. Quibus gestis, sero Eschillus poenitens temeritatis, per legatos veniam delicti petit, ac concedit Valdemarus; sed hac lege, *quae superiores reges bona Ecclesiae Lundiensi tribuissent, ea uti universa restitueret*. Ita ille, stolide irritato rege, atque, quod minatus erat, bellum passus, maximae calamitatis sibi, & Ecclesiae suae, quae privata bonis omnibus, auctor fuit; manifesto sat exemplo, Deum, qui superbiam odit, in quocumque hominum genere, eam in Ecclesiae suae administris, etiam summis, quos humilitate pia, humilique pietate praelucere universis aequum erat, maximopere detestari, & punire severissime, atque eo quoque gravius, quo sublimius quem evexerit. Sub id temporis legatus a Victore Papa venit, Christianus, postea praesul Moguntinus, qui quum regi, ac proceribus varie persuasum vellet, ut in eius partes irent, rexque etiam in hoc ipsum propenderet, adversantem Eschillum habuit. Isque itinere Hierosolyma instituto, inter viam Alexandrum, quem Pontificem supremum cum Victore constitutum antea commemoravi, Romae invisit; & de iis, quae gessisset, certum reddit; consulitque, quid deinceps faciendum sibi putet. Inter quae, quum illud unum maxime Victoriani molirentur, ut in partes Danos traherent, rex, qui nihil temere agendum hic existimaret, ut negotium cognosceret, mittit in Germaniam Radulphum quemdam, sibi a sacris (d), e Britannia oriundum, & facundia, quam prudentia, meliorem. Hic a Caesare quoque ipso, & Victore, qui tunc Caesarem sequebatur, summa simulatione admodum benigne exceptus, quum legationis causam explicasset: *Maxime dolere sibi hoc dissidium*, inquit Caesar, *quod exortum inter Cardinales esset, longius etiam duraturum, quod Concilio se submittere Alexander, nimium superbus, nollet. At Victorem, virum bonum, & modestum, pridem huic causam suam permisisse. Itaque placere sibi, ut certamen tam periculosum Ecclesiae, atque orbi Christiano tolli posset, & Concilium indicendum, & ad illud convocandos reges universos esse. Iam Italiae primates fere omnes in hoc ipsum consensisse, sed id unum valde se habere anxium, quanam reges ratione commode in unum locum convocari se permitterent. Multum ipsum apud Valdemarum*

toties expilatus, uncasque latronum expertus manus, insuper in captivitatem abductus legitur. Sicut enim recte observavit Vir eruditissimus Iac. Sirmondus in *Adnotat.* ad Petri Cellensis *lib.* 1. *epist.* 23. fuit omnino idem noster Eschillus, qui dum a Sede Apostolica remearet, in Germania spoliatus, captus, & custodia detentus, causam, & semen praebuit discordiae inter Fridericum I. Imper. & Hadrianum PP. IV. ob famosam praesertim epistolam illam, quam Papa ad Fridericum ea de re misit, de qua legatur Radevicus *lib.* 1. *capp* 8. 9. & 10. Conferantur etiam Manrique *Annal. Cisterc. ad ann.* 1157. *num* 1. & Alford. *Annal. Eccles Angl. ann.* 1557. *a num.* 1. *ad num.* 5. ubi Baronium, de Episcopo Londinensi in Anglia interpretantem, refellit. Sed graviorem, quam Baronius, meruerat censuram Guntherus, ille ubivis fere ineptior Historicus, quam Poeta. Ita enim is, *lib.* 5. *v.* 266.

-- -- -- „ Famoso nomine quidam
„ Anglus, Apostolica multum dilectus in aula
„ Praesul, Teutonicis foede tractatus in oris.
„ Et spoliatus erat.

Alter Eschilli casus, cuius hoc loco fit mentio, propemodum fuit similis, nisi quod Eschillus ipse tunc in Dania securus captivitatis, considebat, dum Germani ministros eius sarcinis exsuebant.

(a) *Vermelandiam*) In *longinquas Verendiae partes* habet Saxo, *pag.* 298.

(b) *Ad Lethram in palude*) Saxo: *in solido Lethricae paludis*. Stephanius ad h. l. *Hanc Sioburgum fuisse autumant nonnulli*. Etenim hodie nulla eius urbis vestigia cernuntur.

(c) *Esrumi*] Corrig. *Esromi*. De hoc Monasterio, (hodie villa est Regia,) legi multa possunt in Manriq. *Annal. Ord. Cisterc.* ad ann. 1151. *cap.* 13. & ann. 1158. *cap.* 5. *&c.* qui auctor illud perpetuo *Esron* scribit; commemorans, praeterea ad ann. 1153. *cap.* 17 *pag.* 250. simile eiusdem Ordinis Monasterium *Esron* adpellatum in Bohemia. Sed & *Eron* communiter nostrum hoc Saelandicum scribitur, in *Statutis Conventum Ordinis Cisterciensis*, D. Edm. Martene *Nov. Anecdotor. Thes. Tom. IV.*

(d) *Radulphum sibi a sacris*] Saxo vero: *scribam suum Radulphum*.

rum poſſe, qui ſi ſibi perſuaderi pateretur, etiam exemplum eius apud ceteros valiturum. Ac, laborem tam praeclarum, ſi ſubſcipere non gravetur, ſe, ob ſingularem eius ſapientiam, & virtutem tam illuſtrem, quum daturum in Concilio primas ipſi partes eſſe, tum provinciae in Italia alicuius, & Vandaliae praefecturam. Haec Radulpho quum dixiſſet, verbis ad benevolentiam magno ſtudio comparatis, in ſententiam eamdem mox ad Valdemarum ſcribit; &, accedere ne detrectet, orat, atque obteſtatur: *pium ſanctum, & Eccleſiae univerſae gratum id officium futurum eſſe, ſi praeſentia ipſe ſua, & conſilio publicam adiutet pacem, ac diſſidium, in maiores poſtea turbas deſiturum, tollere velit.* Quae verborum lenocinia eo maxime pertinebant, uti dolo circumventum, quem in Dania iam potiri rerum ſumma, aemulis duobus caeſis intellexerat, & e regno evocaret, ſicut antea Svenonem (a); &, erepta item priſca libertate, iuſiurandum in verba ſua dare cogeret. Itaque perlectis literis, & auditis, quae Radulphus de inſigni Friderici, ac Pontificis Victoris, benevolentia ſat prolixe retuliſſet, adeo ad ſubſcipiendum iter incitatus (b) fuit, uti nec conſilio ſenatus ullo, neque etiam Svenonis admodum recenti exemplo, retrahi ſe a propoſito pateretur. Abſalon, quum omnia tentaſſet prius, neque dimovere eum a ſententia ſua poſſet, comitem itineris ſe poſtulanti tamdem addit. Tum adſcitus & Radulphus, de quo dictum, & Esbernus item Snarius, aliique in nobilitate clari, tum Buriſius, e propinquis; & ſubſpectus, ne quid novi per abſentiam moliretur. Poſtquam Eidoram adtigiſſet, poſtulato ab Adolpho Holſatiae comite, commeatu, alios ibidem viae ſibi ſocios adiungit, & Adolphum quoque ipſum, magno ubique plauſu exceptus; adeo creſcente numero, ut exercitus potius, quam comitatus videretur. Quin, nonnullis alibi diffugientibus, opus habuit praemittere, qui & confirmarent timidos, & ſubſiſtere iuberent; etenim non bellum ſe, ſed pacem ferre, pretioque commeatum neceſſarium poſtulare. Vix ingreſſo Mediomatricum urbem, Henricus Leo, dux Saxoniae, veteris amicitiae memor, maximum honorem habuit. Poſtero die, Abſalonem, & Radulphum, quum ad Caeſarem ſalutandum amandaſſet, is ſuperbe accuſare, *quod*

(a) *E regno evocaret, ſicut antea Svenonem*) Liceat dicere, ſi Pontifex Alexander III. Fridericum aliquantum exercuit, Fridericum viciſſim egregie ſtuduiſſe molimina Romanae Sedis ſuam in rem vertere, ut auctoritati ſuae velificaretur, eoque praetextu Reges exteros in caſſes ſuos pelliceret. Idque ex ex nulla melius hiſtoria, quam ex hac praeſenti liquet. Audiamus Helmoldum, ſi fidem, & candorem ſpectes illius aevi hiſtoricorum nulli ſecundum. Is *lib.* 1. *cap.* 91. haec habet: „ In circulo dierum iſtorum, defuncto Hadriano Papa, ortum eſt ſchiſma in Eccleſia Dei, inter Alexandrum, qui & Rolandus, & Victorem, qui eſt Octavianus. - - - Porro Alexandrum recepit Ieroſolymitana Eccleſia, & Antiochena, praeterea omnis Francia, Anglia, Hiſpania, Dania &c. - - - Caeſar obtinuit Mediolanum - - - Tunc elevatum eſt cor eius nimis, & timuerunt omnia regna terrarum ad famam nominis eius. Et miſit ad Regem Franciae Ludovicum, ut occurreret ſibi ad colloquium apud Laonam - - - - - *ad reintegrandum unitatem Eccleſiae*. Et adnuit Rex Franciae. Praeterea miſit nuncios ad Regem Daniae, & ad Regem Vngariae, & ad Regem Boemiae, ut venirent ad conſtitutum diem - - - Grandis ergo exſpectatio erat univerſorum ad tam celebrem curiam, quo uterque Papa, & tanti terrarum Reges conventuri ferebantur. Tunc abierunt ſimul Valdemarus *cum Epiſcopis Daniae*, Hartvicus Archiepiſcopus, Geroldus Epiſcopus, & Comes Adolphus, cum multis Saxoniae nobilibus, ad praefixum colloquii locum. Dux vero poſitus in Bavaria, alia via venerat. Ludovicus ergo Rex Franciae, cuius praecipue exſpectabatur adventus, ubi intellexit Caeſarem adpropinquare cum exercitu, & armis multis, dubitavit occurrere illi. Sed propter fidem ſacramentorum, venit ad locum placiti conſtituto die, hoc eſt, in decollatione Ioannis Baptiſtae, & exhibuit ſe in pontis medio, ab hora tertia uſque ad horam nonam. Porro Caeſar necdum venerat. Quod Rex Francia accipiens pro omine, lavit manus ſuas in flumine ob teſtimonium, quaſi qui fidem pollicitam reddiderit, & digrediens inde abiit ipſo veſpere Divionem. Veniens ergo noctu Caeſar, intellexit Regem Franciae diſceſſiſſe, & miſit honorabiles perſonas denuo accerſere eum. Sed ille nulla ratione vacare potuit, gratulans ſe fidem ſolviſſe, & ſubſpectam Caeſaris manum evaſiſſe. Ferebatur enim a multis, quod Caeſar eum circumvenire voluerit, & propter hoc contra pactionum tenorem armatus advenerit. Sed ars arte deluſa eſt. „ Hanc ex Conventu iſto fugam Regis Franciae pluribus explicat in *Fragmento Hiſtor. Monaſterii Vizeliac.* Hugo Pictavinus (apud Du Cheſne *Tom.* 4. *pag.* 426) ubi poſt alia, inter Regem Ludovicum, & Imperatoris Cancellarium, Rainaldum Archiepiſc. Colon. diſputata, haec leguntur: „ Et Rex, Ecce, ait, quod Imperator, qui iuxta verbum tuum adeſſe debuit, abeſt. Ecce etiam, quod miſſi illius formam pacti, te praeſente, te teſte, commutant. Verum eſt, inquit Comes Henricus. Et ait Rex: Nonne ego abſolutus ſum ab omni pacto? Abſolutus, ait Henricus. Et dixit Rex Ludovicus cunctis optimatibus ſuis, & Epiſcopis, atque Abbatibus, qui praeſentes aderant: Audiſtis, & vidiſtis, qualiter ego ipſe gratis perfecerim omnia, quae ad me pertinent. Edicite utrum liber ab his pactionibus videar. Dicunt omnes: Liberaſti verbum tuum. Statimque Rex velociſſimum equum, cui inſidebat, reducens, protinus ire perrexit. Teutonici autem valde confuſi, inſequuti ſunt eum, rogantes, ut rediret ad Imperatorem paratum exſequi omnia, quae Henricus Comes propoſuerat. At ille parvi pendens, quae dicebantur, decipulam, quam evaſerat, exhorruit, dicens: Feci quod meum fuit. Sic ſoluto Conventu Rex in regnum ſuum rediit. „ Ceterum inter Imperatorem, & Ludovicum de Papali negotio diſputabatur, ac de ſchiſmate illo Romanae Eccleſiae, quod diiudicare proprie ſui iuris eſſe ille adſertum volebat. Alia erat decipula, eodem ipſo tempore, eademque occaſione Regi Valdemaro inſtructa, quem etiam brevi poſt, ſed nimis ſero, poenituit, parum audientem ſalubribus Abſalonis, & Esberni monitionibus fuiſſe.

(b) *Adeo ad iter iſtud incitatus*] Conringius, & quidquid eſt in Germania Iuris Publ. & Hiſtoriae Scriptorum, grandem Saxoni noſtro dicam impingunt, quod non erubuerit Fridericum Caeſarem doli, & perfidiae accuſare, quaſi Valdemarum pellexerit, *tantum ſchiſmatis Pontificii ſedandi praetextum* illum, vindicem habemus paratum, & σύγχρονον, & Saxone ipſo paullo vetuſtiorem, Helmoldum, cuius locum iam produximus, auctorem Germanum, & cuius auctoritatem magni alias facere illi conſueverunt. Is illud, quod Saxo dicit, teſtimonio ſuo confirmat; nempe *ad redintegrandam unitatem Eccleſiae* Caeſarem eodem tempore, & Franciae, & Daniae, & Vngariae, & Boemiae Reges invitaſſe, ipſoſque eius rei cauſa ad Caeſarem profectos; cui Godefridum Monachum S. Pantaleonis ad ann. 1162. alioſque adiungemus. „ At vero, pergit idem Conringius, iam pridem ultro id ſe facturum Valdemarus promiſerat, & iam tenebatur inveſtiturae capiendae ergo Curiae reducis ex Italia Friderici ſe ſiſtere, ceu modo audivimus. „ Quid illud autem, quaeſo, quod audivimus? & quando Valdemarus promiſit, ita ut teneretur ſe ſiſtere? Nimirum recitavit nobis praecedente pagina Conringius capu illud Radevici, quo iſte nunciorum Regis Daniae apud Caeſarem acta expoſuit. Ego quidem legatos hos Danicos eoſdem fuiſſe non dubito, quorum idem Radevicus *cap.* 8. meminerat, ideoque anno 1158. adveniſſe, ut duorum Regum, Svenonis, & Canuti interitum nunciarent, Valdemaroque iam ſoli regnanti amicitiam Caeſaris expeterent. Sed *ut inveſtituram de regno Daniae mitteret Caeſar*, ſimul eos *poſtulaſſe*, numquam ego Radevico, aut alii crediderim. Iam enim ante illud tempus, quo adfuiſſe iſtos nuncios memoratur, non ſolum electus Rex erat Valdemarus, poſtquam, vivis adhuc Svenone, & Canuto, ſibi inſignem adeo, atque eſt Iutia, regni partem, ingratiis Caeſaris, eoque inconſulto vindicaverat, ſed etiam illis caeſis, anno 1157. in Monarcham unctus, & in publica regni ſui populique omnium provinciarum panegyri coronatus erat, ita ut nova *corona*, demum anno 1163. *in Curia Biſuntina* impoſita, (ſicut ſcribunt Otto de S. Blaſio, & Albertus Stadenſis,) ut nihil profecto Valdemaro decoris, multoque minus firmamenti, ita neque Friderico Barbaroſſae aliquid veri honoris adtulerit. Verus enim honor nonniſi ex rebus cum iure, & iuſtitia coniunctis adquiri-

quod venisset iusto tardius (a), *quam clientem, & obnoxium imperio decuisset*. Quibus verbis motus Absalon, vir ut animi erectus, ita linguae in tam bona causa liber, *prius id oportuisse factum*, dicit, *quam verborum blandimentis, & promissis eo regem impulisset, ut, relicto regno suo, contra procerum consilium, solo pacis in Ecclesia instaurandae studio ductus, iter adeo longinquum, & molestum inire vellet*. Ac, quum ille se negaret, quidquam regi promisisse, *atqui*, inquit, *en Radulphum tibi testem, cui si fidem derogabis, at non literis, quas scripsisti, derogare umquam poteris*. Et perstanti, ac Radulphi, & literarum, pariter fidem elevanti, *ergo*, ait, *liberum concede abitum, quem in literis promisisti*. Cui postquam iracunde responderet: *non maioris se discessum eius, quam adventum facere*; recipit se ad Valdemarum, & exponit, quae loquutus Caesar esset. Quibus ille intellectis, poenitere, quamvis sero, se testatur, quod senatus monita non admisisset. Inde, animo confirmato, de discessu in vicinam Galliam consilium capit; quippe illic foedere coniunctum regem, liberumque commeatum, ac tutum fore, reditumque ad suos certum. Quae dum serio deliberat, mittit Caesar, qui ab eo ius urandum imperii nomine postularet. Cui graviter Valdemarus: *a senatu, populoque, qui excepto rege suo, neminem adgnoscerent superiorem, regnum pridem accepisse, libera electione, ac maiorum item more. Eos semper, cui vellent, id dedisse, ante ipsam imperii sedem Romam conditam, & continuata id successione etiam sibi contulisse. Populo se quam liberrimo imperare, quique reges ex se capere, non a Caesare accipere consuevisset. Neque liberum sibi esse, priscam eius libertatem, ipso invito, quovis modo imminuere. Itaque facturum rectius Imperatorem, si nil contra Daniae antiqua iura, populique libertatem conaretur; se venisse, non ad dandum illi obsequii iusiurandum, quod nec regum ante se dedisset quisquam, sed ad litem, de primatu in Ecclesia inter Cardinales ortam, sua opera componendam; quod ut facere summo sit paratus studio, ita potius cervicem feriendam praebiturum, quam in libertatem suam, populique, a quo regnum accepisset, rem vel minimam admissurum*. Hoc responsum postquam Caesar accepisset, animum eius inconcussum, & virtutem admiratus, ut obstringeret beneficio, quem non posset metu impellere, convocat Germaniae principes, adigitque iuramento: *ut Vandaliam universam armis ei suis parent, simul domum rediisent; quod praestare si non posent, reducem se ex Italia, in quam iter cogitaret, ad constituendam pacem vires suas coniuncturum*. Ac, quum neque sic iurari Valdemarus a se posse sine procerum consensu adfirmaret, id petitum: *ut obsequium verbis tantum polliceri ne defugeret, cetera immunem fore, nec cogendum, ut accederet ad conventum, quem pro more, ac iure suo imperare Caesar soleat, aut eiusdem quoque bella suis copiis adiuvaret; nec teneri denique in ista filium, aliquando successurum, nisi sua sponte velit*. Sic obsequium (b) circumvento Valdemaro, quod non ullo iure posset, fraude extorsit. Post quae Victor, convocata concione, quum legitimum se Pontificem, Ale-

quiritur. Dolo, & circumventione quamdam imaginarii iuris, & splendoris speciem comparare, non est Augustum agere. Et credemus scilicet, Absalonem, Sunonem, & Esbernum, aliosque *Danicae nobilitatis proceres, consilio illustres*, (ut *pag.* 302. Saxo ait,) & quorum ex consiliis novus Rex dependebat, in hoc consensisse, ut anno 1158. legati ad Fridericum mitterentur, investituram de regno Daniae postulaturi? ii ipsi, qui postea anno 1163. tam acriter, tam severe, tantaque contentione, ad convitia usque, Valdemarum, & ante iter, & in ipso itinere increpabant, & tamquam ad deditionem sui, & servitutem procurrentem, cohibere studebant, atque revocare? Istos vero omnes Viros, regni Daniae Senatores, quorum sub oculis, quorumque ab ore, & sermonibus, adde quoque ipsius Absalonis mandato, Saxo historiam suam componebat, nos putabimus eam demum sapientiam intra quadriennii tempus collegisse, ut, quod anno 1158. placuerat, Caesarem scilicet *investituram de regno Daniae* rogare, nunc an. 1162. ut *temerarium, stultum, deforme*, & cum *honestatis periculo*, foedaque, *& ignobili servitute*, (haec enim omnia apud Saxonem habes *pag.* 302.) coniunctum existimarent? Atque, si Valdemarum legatos misisse de tanto negotio opineris, suopte motu, & inconsultis, vel insciis proceribus, nae insigniter ignorantem te prodis status Daniae, & quale regimen eius fuerit istis seculis. Fuerit legatio illa missa; fuerit ad amicitiae, studii, societatis, & obsequii oblationem instructa; nempe, ut Radevicus ait in conclusione operis sui (quod in anno 1160. terminatur, adeoque *triennio* ante coronationem Bisuntinam,) „ Reges Hispaniae, Angliae, Franciae, Daciae, Boemiae, atque Vngariae, „ quamvis subspectam semper Friderici haberent potentiam, sibi „ adeo per amicitiam, & societatem devinxit, & ad suam vo„ luntatem sic inclinatos habuit, ut quoties ad eum litteras, vel „ legatos miserint, sibi cedere auctoritatem imperandi, illis non „ deesse voluntatem obsequendi denunciarent. „ Sed quod *investitura de Dania* in negotiis istis fuerit, omni caret ratione. De Slavia, seu Obotritorum regno, Caesaris beneficio obtinendo, solicitus esse poterat Valdemarus, utpote quod pater eius ab Imperatore Lothario consequutus erat, & ad hoc solum spectare, quam petierit, investitura; quo ita Niclotum eiusque filios meliore innixus iure oppugnaret, exturbaretque. Hoc ergo, ut vero & rationi consentaneum, & cum Saxonis narratione conveniens, certe ut verisimillimum admittimus. Cetera, & quaecumque huic non congruentia occurrunt in hoc negotio, sive Radevicus dixerit, sive alius, erratis gravibus adscribemus; aut eo modo accipimus, quo ista in Oratione Friderici ad Romanos de *Dania a se subacta*, de quibus supra ad *Col.* 276. *e*. egimus; obliti tunc addere, quid laudatissimum cetera, imo maximum, Imperatorem ad illam inanem gloriationem, ex opinione nostra permoverit. Nempe hoc puto, quod Hadrianus Papa in epistola quadam ad Archiepiscopos Trevirensem, Mogunt. & Coloniensem scripta, inter alia Caesari perquam ingrata, etiam *Germanos imbelles* vocasset, *qui Rogerium Italia pellere, Danos, & Frisios perdomitare numquam valuissent*. Quae quum in conventu celebri praelegerentur, Otto de Wittelspach stricto ense legatos Papae territabat, & forsitan confodisset, nisi Imperator intercessisset, referente Aventino *Annal. Boiorum lib.* 6.

(a) *Quod venisset iusto tardius*) Multo emisset haud dubie Fridericus, Regem Franciae non maiore in veniendo celeritate usum, quam Valdemarum. Vid. Helmold. *loc. supra citat.* Lubet de hac superba adcusatione Conringium audire ratiocinantem: *Haec indigne quidem tulisse Regem, scribit Saxo. Ast satis aequo animo accepta indicat illa mox subsequuta infeudatio*. Quid diceret Conringius, si aliquis, eodem colligendi modo, argumentaretur de Henrico IV. Imperatore: *Henricum comminationes, & fulmina Gregorii PP. VII. anno* 1076. *inique tulisse Historici scribunt: ast satis aequo animo accepisse indicat illa sequenti anno facta compositio?*

(b) *Sic obsequium*) Atque tunc illud factum, de quo testimonium exstat Alberti Stadensis ad ann. 1163. & quod, inter palmaria sibi repertum, profert Conringius: *Ibi Valdemarus duo regna, Daciae, & Sveciae, ab Imperatore subscepit*. Valdemarum ad subsceptionem illam regni descendisse, aut Caesarem potius *ad obsequia sibi paciscenda ambas Regis manus pertraxisse*, etiam ex Saxone nobis constat; neque ad hoc opus erat ulla ex Stadensi (cui facile plures addere licebit) probatione; maxime quum coactum se viderit Conringius, hunc testem suum insignis ignorantiae (vid. ad fin. *cap.* XIV. §. 18.) accusare, ob regni *Sveciae* mentionem. Nos quidem adlucinatum adgnoscimus Stadensem, verum non in eo, quod scripserit *duo regna*, sed quod *Sveciae* exaraverit, pro *Slaviae*. Hoc posterius, si in textum eius reposueris, pro optimo teste accipiemus, ad confirmandum scilicet illud, quod Saxo, quamquam hic etiam Conringio acriter reclamante, dixit, de Slavia Valdemaro Regi a Friderico promissa.

Alexandrum illegitimum multis verbis ostendisset; & orationem eius ipse Caesar, ac Rainaldus, praesul tum Coloniensis adiutassent, ac iam aemulum devovere diris vellet, Valdemarus, ne in schisma, quod damnabat, consentire videretur, caetu exit [a]. Inde Daniam suam repetit, ac reversus, inter plausus, & laetitiam gratulantium, quod feliciter rediisset, filio Canuto augetur. Quem quum sacro statim fonte Absalon tingeret, praeter alios primates, etiam Guthormus suscipit, Sveciae dux, & legatus regis Caroli; per id forte tempus missus, uti neptem Valdemari, ante regi desponsatam, secum abduceret. Valdemarus, postquam manus Imperatoris hunc in modum evasisset, ut se contra Germanorum irruptiones magis etiam tueretur, Danevvircam, antea obseptam lignis, muro cingit [b]. Inter ista, e Norvagia etiam legati adsunt, atque regnum illi obferunt [c], si Erlingum, qui invaserat, propulsaret. Isque, ne externo bello temere se permisceret, animis prius popularium diligenter exploratis, quum consensum intelligeret, mox suppetias decernit. Quod Erlingus simulatque accepisset, ultimos Norvagiae fines fuga petit [d]. Qua de causa Valdemarus, nullo se obiiciente, imo summa gratulatione passim ab omnibus exceptus, peragrata magna regionis parte, quum ad Sarpam tamdem urbem accessisset, a Vicensibus rex creatur: ac Norvagiam sibi totam subdere facile potuisset, nisi populi concionibus interesse, quam in hostem porro ire, maluisset. Inde, postquam ad Ionsbergum classem suam adpulisset, ex Episcopis, atque toto sacro ordine, cuius summa per Norvagiam tunc auctoritas, nemo obviam processit, seu Erlingi illud studio, sive patriae, factum fuerit. Solus Ormus, qui germanus Magni regis frater erat, illibata, quam dedisset ei, fide adit, & obsequium obfert. Verum rex, deficiente commeatu, mox exercitum reducit, sine iniuria alicuius, ac non pauci Norvagorum comitati, qui Erlingum, velut postea reversurum, metuentes, tuto in Dania exsulare, quam in patria vivere periculose maluere. At Erlingus, discessisse Valdemarum certior factus, mox recurrit; &, in Cimbriam irrumpens, classe regia in Diursa amne fusa, ac fugata, spoliis onustus multis, in Norvagiam revertitur; at Christina eius uxor, filia Sivardi regis, supra sexum prudens femina, postquam trahi bellum videt, impetrato commeatu, Valdemarum regem adit. Valdemarus, ut qui consobrinus esset, cetera humanus quoque, excipit advenientem perbenigne; &, admissam ad colloquium, saepe perlibenter audit. Vere primo, nuntium marito mittit, qui in Daniam evocaret, ac suaderet, ut quamprimum, qualibet conditione, Valdemari gratiam recuperare conaretur. Neque is mora-

(a) *Valdemarus coetu exit*) Haud vero dissimulandum esse in exteris Scriptoribus, qui Valdemarum aperte Victorem adgnovisse produnt. Sic Godefridus Monachus S. Pantaleonis ad ann. 1162. „ Adfuit huic Synodo Rex Danorum Valdimarus; „ qui ibidem coronam de manibus Imperatoris suscipiens, ho- „ mo eius factus est. Igitur Imperator, & *Rex Danorum*, „ cum tota illa frequentia Pontificum, & Principum, sicut in „ prima, & secunda Synodo, *Victorem universalem Papam ad-* „ *gnoverunt*, & Alexandrum cum suis sequacibus schismaticos „ designaverunt. Addatur Trithem. *Annal. Hirsaug. pag.* 192. *vet. edit.*

(b) *Danevvircam muro cingit*) Etenim ostendere Germanis Rex voluit, nihil sibi voluntatis esse, ad obsequii illam fidem servandam, quae fuerat dolo, & vi expressa. Igitur statim ac reversus domum erat, ipsoque anno 1163. ad excipiendos eos, si propius auderent accedere, cuncta adparabat. *Historia gentis Danorum*, quae nomen Erici Pomerani praefert: „ An- „ no Domini 1163. Rex Waldemarus ivit ad consilium Impe- „ ratoris Metis, ubi multos dolos Imperatoris expertus est, sed suis „ strenuissime, & cautissime in omnibus se gerentibus, nutu „ Divino, & directione Henrici Ducis Brunsvicensis fretus, in „ Daniam sanus rediit. Tunc Rex malitias Teutonicorum prae- „ venire volens, munitione Danewirki muro circumcinxit; ante „ enim lignis tantum munitus erat locus ille. „

(c) *Atque regnum illi obferunt*) Ii scilicet, quos Valdemarus sibi in isto regno conciliaverat, quique fracta, quam Magno Regi puero, patrique eius Erlingo obligarant, fide, ut supplicia effugerent, Valdemarum incitabant ad repetendam eam Norvegiae partem, quae ipsi ex pactione cum Erlingo erat debita. Quod omne ut intelligatur, res paullo altius repetenda: Caeso anno 1136. Rege Haraldo Gillio, tres filii successerant: Sigurdus, Ingo, & Eysteinus; ex quibus demum Ingone, qui longius superfuit, anno 1161. in pugna interfecto, Sigurdi, fratrum maximi, filius ex ancilla genitus, Haco *Humerosus* dictus, a civium magna parte Rex designatur. Sed huic statim se opposuit Vir ingentis in regno auctoritatis, Erlingus Schackius, qui Christinam, Sigurdi Ierosolymipetae, olim Regis, filiam habebat in matrimonio, exque ea genuerat filium, Magnum nomine. Is, cognito Haconem, & praecipuos, qui ei studebant, sibi esse infensissimos, occurrendum consiliis eorum ratus, filium suum Magnum, Rege avo materno, haud parum, dum viveret, glorioso, natum, tunc quinquennem producit, multisque e proceribus, nec non ceteris ordinibus commendatum reddit. Qui non solum suffragia sua ad regnum Magno puero deferunt, sed & patri tutelam eius, regnique, donec adolesceret, summam administrationem imponunt. Erlingus itaque, ut novae filii dignitati sufficiens robur contra adversae partis potentiam adquireret, Valdemarum Daniae Regem accedit, eiusque auxilium implorat, atque impetrat. Ad quod obtinendum non parum valuit propinquitas sanguinis, quo novus Rex, & Valdemarus coniuncti. Valdemari enim mater Ingeburga, & Sigurdi Ierosolymipetae uxor Malmfrida, sorores fuerant. Maius tamen momentum haud dubie habuit conditio, quae oblata fuit, ut, si Valdemarus Magnum auxiliis, quantis ad Norvegiam in potestatem redigendam, retinendamque opus esset, instrueret, tutumque in Daniam receptum praestaret, ille vicissim acciperet possessionem partis, quam maiores eius, Haraldus Gormonis fil. & Sveno *bifidae barbae* in Norvegia tenuerant, totam scilicet provinciam Vikensam. In haec fides iureiurando data, acceptaque. Tamdem sublatis aemulis, anno 1163. Magnus totius Norvegiae principatum sibi vindicat. Igitur Valdemarus, missis ad eum oratoribus, partem, quae Vika adpellatur, quaeque in auxiliorum compensationem erat debita, exposcit. Tum Erlingus, Magni pater, tutorque, tergiversatione utitur, reque cum optimatibus, & populo communicata, respondet, se quidem omnem operam daturum, ut Valdemari amicitiam donis coleret, in potestate vero sua non esse, invito populo partem regni alienare, Valdemarus, ut par erat, hac fraude offensus, consilia sua protinus dirigit ad invadendam Norvegiam; statuit tamen prius, exemplo Canuti M. in animos eorum, qui plus ibi pollebant, irrependo, viam praeparare. Igitur, per annos 1164. & 1165. id egit, ut missitatis litteris, & muneribus, procerum fidem erga Magnum, patremque eius Erlingum labefactaret. Atque illorum multos facile fuit disiungere ab iis partibus, quibus nonnisi inviti manus dederant, ab Erlingo multis de causis alienati. Quorum vero ille nonnullos comprehensos, perfidiaeque convictos, meritis poenis adfecit. Quod quum Valdemarus comperisset, nihil amplius cunctatus, expeditionem adgreditur. Huius autem successum Meursius, Saxonis ductu, in iis, quae sequuntur, describit.

(d) *Norvagiae fines fuga petit*] Differt nonnihil ab hac Saxonis narratione *Chronicon Norvegicum*, de quo vid. Torfaeus *Hist. Norv. Tom.* 3. *lib.* 10. *capp.* 7. & 8. ubi Saxonis tota descriptio expeditionis huius confertur, & examinatur; ita tamen, ut pleraque eorum, quae hic leguntur usque ad *seq. Col.* 310. *a.* plane confirmentur. De anno, quo res terminata fuit, compositioque inter Valdemarum, & Erlingum facta, quae ad huius mortem perduravit, vetus Chronicon testatur his verbis: *Anno* 1166. *Valdemar Rex Erlingo Schake Comitis titulum dedit*. Alii ad annum 1168. referunt, & quidem multo rectius. Ceterum, quae insequentibus paginis Historiae huius Valdemariariae a Meursio commemorata recurrunt de Regis, & Erlingi certaminibus (scil. *Col.* 313. *a.* & *Col.* 314. *b.*) contigerunt, pleraque durante inter eos adhuc inimicitia. Ideoque, quando Meursius hoc loco de conciliatione loquitur, facit per πρόληψιν. Conferatur Torf. *Histor. Norv. Tom.* 3. *pag.* 576.

moratus quidquam, iter init; unicaque vectus nave, quum in Cimbriam adpulisset, Valdemaro, nihil tale exspectanti, Randershusii sese sistit; & compellans: *ecce*, inquit, *Valdemare, tua fide, nec petito commeatu, huc accedo: tanta est fiducia virtutis tuae, ut hostile nihil hostis abs te metuendum putem*. Cui blande is respondet: *tuto id, Erlinge, potes; neque enim moris mei est, inhumaniter excipere sponte ad me venientem*. Inde Erlingus, propius accedens regem, eius manum osculatur, & regreditur; tamdem pacem sibi parat, ea lege, *ut in Dania ipse obses remaneret, & vicissim iret in Norvagiam Eshernus Snarius*. Denique Vicensium item comitem facit; territorium universum, reddituque, donec vivat, regis nomine possessurum. Ita rebus in Norvagia tranquillatis, Vandali mox defecere; quos ut denuo cogere ad obsequium posset, cum Saxoniae duce, Henrico, foedus icit (a); ac firmandae amicitiae, eius filiam Gertrudem (b), tum in cunis vagientem, Canuto filio, vixdum annum unum nato, uxorem capit. Qua adfinitate Henricus, promtior feren-

(a) *Cum Henrico foedus icit*] De foederibus eorum, nec non intervenientibus querelis, & (ut hodie moris est adpellare gravaminibus,) agit Helmoldus *lib.* 2. *cap.* 6. *&* *cap.* 13. ac demum *cap.* 14. quo & foedus, cuius heic Meursius meminit, exponitur.

(b) *Eius filiam Gertrudem*] Duas Henrici Leonis filias, unam post alteram, Canuto Valdemari I. filio desponsatas fuisse, certum est. Diserta de iis loca sunt Saxonis, qui *pag.* 308. „ Rex, inquit, Orientalium Slavorum sibi virium fiducia rebellantium defectionem expertus, cum Henrico Saxoniae Satrapa belli societate condicta, quo firmius amicitiae necterentur, filiam eius, ex coniuge postmodum repudiata subsceptam, adhuc incunabulis utentem, filio Canuto primum aetatis annum agenti, sponsam adscivit. „ Et postea *pag.* 317. „ Henricus ut repudiatam Regis amicitiam recuperaret, sine qua Slavos arcere non posset, Henricum Ratzeburgensem Episcopum, & Antistitem Lubecensem legatione ornat, filiam suam minorem filio eius in matrimonium obferens. Nam maior natu, quae prius ei desponsa fuerat, morbo occiderat. „ Iam vero apud Helmoldum ea leguntur, quae cum Saxone nonnisi difficulter conciliari possunt. Dicit Helmoldus *lib.* 2. *cap.* 14. „ Et rogavit Rex Danorum Ducem, ut filiam suam, viduam Fretherici nobilissimi Principis de Radenburg daret filio suo, qui iam designatus erat Rex, in uxorem. „ Vt ergo hunc locum examinemus, dicendum, istam viduam non potuisse primam Henrici filiarum esse, quam Valdemarus filio suo sponsam, teste Saxone, adscivit; nam 1. Canutus „ ut Saxo ait, *annum aetatis* adhuc *primum* agebat, 2. Sponsa *incunabulis adhuc utebatur*, ergo non vidua. 3. Fridericus Princeps de *Rotenburg* (Helmold. *Radenburg*) anno demum 1167. peste extinctus est in expeditione Italica. Liquet igitur, & clarissime patet, inter Canutum, & viduam Friderici de Rotenburg nullas tum temporis contrahi nuptias potuisse; quum tempus, de quo Saxo loquitur, sit annus 1164. Canutus enim natus anno 1163. consentientibus de hoc anno *Chronico Sialandiae*, Erico Pomerano, *Annalibus MSS.* duobus, a Dn. de Ludevig editis, *num.* I. & *num.* VI. Hamsfortio, Hvitfeldio, Magno Matthia, imo omnibus. Annus, quo Henricus uxorem suam priorem, sponsae matrem, Clementiam nomine repudiavit, nihil ad quaestionem facit. Saxo enim non factam filiae desponsationem dicit ante matris repudium, sed filiam ex matre illa subsceptam, quam Henricus postea repudiavit, hoc est, subsceptam omnino ante annum 1162. Hoc enim anno cum Clementia divortium fecisse constat ex *Annalibus Guelphorum* in Leibnitii *Tomo I.* *pag.* 793. *Chron.* Conr. Vspergens. *pag.* 224. Georg. Fabric. *Rerum memorabil. Sax. lib.* 2. *pag.* 193. Crusii *Amal. Suev.* P. 2. *lib.* 7. *cap.* 3. &c. Ceterum & aliud est, quod contra Helmoldum obverti poterit ex Saxone. Dicit ille, coniugem, quam Friderigus de Rotenburg accepit, *unicam* fuisse Henrici *filiam* ex Clementia. Verba sunt *lib.* 2. *cap.* 10. ubi de pestilentia Romana loquitur: *Mortui sunt ea pestilentia Reinholdus Coloniensis - - praeterea nobilissimus adolescens filius Conradi Regis, qui duxerat unicam filiam Henrici Ducis nostri*. Ac deinde: *Separatus fuerat* (Dux Henricus) *a priore coniuge Domina Clementia propter cognationis titulum. Habuit autem ex ea filiam, quam filio Conradi Regis dedit in matrimonium, qui etiam modico supervixit tempore, praeventus immatura morte in expeditione Italica, ut supra dictum*. Falli potuisse Helmoldum in numero filiarum Clementiae, non sane est improbabile. Verum si cogitemus illam Clementiae filiam, quae paulo ante divortium nata, & anno 1164. Canuto desponsata fuerat, brevissimo post tempore morbo occidisse, ut Saxo innuit, nihil falsi iste auctor dixit. Vnica enim fuit tantum Henrico filia, tunc cum generum acciperet Fridericum Rotenburgium; siquidem in intervallo isto inter mortem sponsae Canuti, & expeditionem Italicam, quae Fridericum absumsit, celebrare is nuptias potuerat cum unica filia, quam superstitem tunc Henricus habuit. Nunc, quae illa fuerit, quam posterius sibi desponsatam, tamdem coniugem Canutus accepit, videndum. Dicit eam Saxo fuisse minorem natu altera, quae morbo occiderat. Itaque sic tres filias Henrici habebimus ex Clementia; nisi opinari velis, istam minorem ex Mathilde Anglica natam, siquidem de matre posterioris illius Saxo tacet. Sed Mathildi unicam modo adsignat filiam Arnoldus Lubecensis *lib.* 3. *cap.* 2. eamque nomine *Rikezem*, natam anno 1172. Duae tamen praeterea alibi nominantur, *Alienor* a Gervasio Tilber. in *Otiis Imperialib. pag.* 947. (Leibnit. *Serr. Brunsv. Tom. I.*) & *Mathildis*, nupta Gaufrido Comiti de Pertico in Anglia, teste Rog. de Hoveden ad ann. 1189. *pag.* 654. limo quarta, Waldemaro II. Dano, *Primi* filio, anno 1202. in matrimonium data, (ut infra in *Canuti Historia* ostendetur.) Canuti vero coniux omnino fuit *Gertrudis* adpellata, quod contra communem plurium opinionem mox invictis argumentis probabimus. Restat ergo, erravisse Saxonem, quod *minorem natu* credidit *Gertrudem* priore Canuti sponsa, dudum mortua. Dudum, inquam; nam posteriora sponsalia pertinent ad colloquium illud apud Egdoram inter Valdemarum, & Ducem habitum, non ut Bangertus in *lemmatibus lib.* 2. *cap.* 4. posuit, anno 1169, sed anno 1171. Et, quum fierent sponsalia, Canutum iam fuisse *designatum Regem* Daniae, adfirmat Helmoldus: Ergo sponsalia post annum 1170. quo scilicet Rex designabatur, facta. His positis, nullam amplius superesse difficultatem video in conciliando Saxone cum Helmoldo. Ille tantummodo nominans *minorem filiam*, erravit, errore haud adeo gravi. Hunc nihil praeter veritatem dixisse hoc loco existimamus; scribit nuptam Canuto fuisse Friderici Radenburgici viduam, quod concedimus. Neque obstat discrimen inter aetatem Canuti, & viduae; quum illud vix novem, aut decem annorum fuerit. Fridericus, quum moreretur, *adolescens* vocatur Helmoldo, & quum pater eius Conradus anno 1152. die 15. Februarii fato concederet, erat *parvulus*, teste Ottone Frisingensi *lib.* I. *cap.* 63 Duxerit Henrici Leonis filiam anno ante mortem, hoc est, anno 1166. & quidem duodecim, vel tredecim annos natam. Ita nativitas viduae incidet in annum 1153. vel sequentem, patre iam 24. vel 25. aetatis annum agente, (quippe quem anno 1195. mortuum, aetatis, non 59. ut multi prodidere, sed 66. credam potius Auctori *Chronici Stederburgensis*, quam aliis;) Canutus vero natus est anno 1163. ut supra dictum. Superest, ut de nomine eiusdem Reginae nostrae videamus. Tacet illud Helmoldus; nam quod in *lemmate cap.* 14. *libri* 2. legitur, *Rixa*, a Bangerto est, vel recenti alio auctore. Scio nonnullos quoque alios *Rixam* adpellare, inque iis Geo. Fabricium in *Saxoniae Memorabilibus*. Bothonis *Chronicon picturatum* nullius plane est momenti, auctoris non modo recentis, sed inepti, turpissimeque etiam heic errantis, dum Rixam, quam primum Friderico nupsisse, inde Canuto scribit, ex Mathilde Anglica statuit subsceptam. Quid? quod ipse Henr. Meibomius in *Relectione Apol. pro Othone IV. pag.* 165. viduam Friderici, & Canuti uxorem, *Richenzam* nuncupatam vult, veteris *Chronici Saxonici* auctoritate, credens insuper sententiam confirmari istam ex Erici Pomerani *Histor. Gentis Danorum*, in qua legitur: *Anno* 1221. *obiit Rikese Regina*. Pontanus noster pariter, Hvitfeldii, suique ipsius oblitus, & Claud. Lyschandrum exscribens, in duplici *Tabula Geneal. pagg.* 323. *&* 324. *Canuti*, inquit, *uxor Rigissa, Henrici Leonis filia, vidua Palatini Principis, Friderici Conradi filii*. Adeoque minus mirandum, idem nomen in tot opera Genealogica, cum ante, tum post Pontani aetatem derivatum, ibique constanter in hunc diem retineri. Sed errarunt, atque errant omnino cuncti; namque, ut supra diximus, habuit quidem filiam Henricus, *Rikesam*, vel *Rixam* nomine, sed ex Mathilde, testante, qui scire illud optime potuit, Arnoldo Lubecensi. Sed quae in Daniam venit, Canuti Regis uxor facta, vere *Gertrudis* adpellabatur. Saxo Grammaticus, qui eam noverat, atque viderat; historiamque suam, ea ipsa apud Danos vivente, ac regnante, conscripserat, non solum *pag.* 350. sed & pluribus locis *Gertrudem* vocat. Auctor *Historiae Knytlingorum* similiter, *cap.* 120. nec non *cap.* 125. ubi indicat illam in Daniam venisse, quum pater itineri Ierosolymitano se accingeret, & a patre Slesvicum usque deductam, ibique a nobilibus Viris Danis perhonorifice fuisse exceptam. Mansit postea sponsa Regia in aedibus, ac familia Valdemari, usque ad maturam sponsi aetatem. Vnde etiam Saxo Historicus, *pag.* 350. in narratione rerum, quae certe haud serius anno 1178. contigerunt, Gertrudem nostram adhuc Canuti *sponsam* nominat. Consentit Saxoni, & ceteris nostratibus, in nomine *Genealogia Regum Daniae*, a Reverendiss. D. Erico Benzelio

ferendo auxilio, ocyus equitatum cogit, praeficitque Adolphum Holsatum, Henricum Razeburgensem, & praefectum Sverini Guncelinum, aliosque; ac praemittit in Vandaliam, ipse mox cum peditatu sequuturus. Inter ista Valdemarus, classe instructa, quum in Rugiam adpulisset, dat mandatum Absaloni, ut auxilia illic paret. Ipse Henrico, ut promissum exhiberet, se ad Penum flumen sistit. Absalon, benigne exceptus, cum legationem regi Torislao (a) explicasset, isque classis supplementum promisisset, Valdemarum mox subsequitur. Vandali vero, quum praemissum ab Henrico equitatum accepisent, antequam coirent vires, impetum faciendum rati, acriter invadunt hostem, & profligant. Inter alios caedunt quoque Reginaldum, & Adolphum, Holsatiae comitem; sed Cadmeam hanc victoriam effecere Guncelinus, & Henricus Razeburgensis; qui, collecto milite iam fugiente, & ad signa revocato, mox victores, praedae intentos, cecidere. Et Henricus, aegre Adolphi cladem ferens, adeo exarsit ira, & cupidine ultionis, ut, quocumque impetus ferret, universa devastaret; etiam Deminam urbem, & Coscoviam, postquam cives excessisse comperisset, solo aequavit. Rex in terram quum exposuisset copias, Valogastum vacuum civibus, qui trans Penum flumen fugerant cum uxoribus, liberisque, intrat, & praesidio munit; ubi, re deliberata cum Henrico, postquam Penum traiecisset, Vandali, direptiones oppidorum, & incendia metuentes, per legatos pacem petunt, & in potestate eius se futuros pollicentur, si incendio abstineret. Quumque rex, ignaro Henrico, veluti militiae socio, nihil constituere vellet, per Torbernum, clarum inter Sialandos nuntiat, quid hostes agerent; qui negotium cum arbitrio Valdemari se permittere responderet, pax concessa, ea lege: *uti obsides, & tributum exhiberent, ostiumque Peni obstruerent, e quo tot excursionibus regnum Daniae infestassent, oppidumque Valogastum in tres partes distributum: Tetislavo, Cazimaro, & Prislao subiaceret; tum Henricus, quas munitiones pridem in Vandalia possedisset, etiam porro possideret*. Postquam, constituta pace, Valdemarus discessisset, qui cum Cazimaro erant, non ferentes exterorum hominum societatem, neque vim tentare ausi, clam, palamve, Rugianos divexantes, & piraticam exercentes, foedus ictum varie transgrediuntur; &, Henrico confirmante, Rugiani palam hostes Valdemaro se ostendunt. Isque accensus tam perfidia amici, quam temeritate hostis, quem iam nuper subiugasset, Rugiam invadit denuo, & in portum, quem dicebant Porum ducens, ne cum Rugianis cunctis dimicare cogeretur, noctu iubet Absalonem navibus Ziudram petere, ipse mox subsequuturus. Ac vigilibus postquam discedendi tempus observari praecepisset, atque illi, somno graves, quod mandarat, neglexissent, Absalon, digressus solus, & Zindram (b), & vicinos item agros ferro, ac flamma populatur; tum & hostem occurrentem levibus quibusdam praeliis fundit, & in fugam agit. Rex, quum postea experrectus iter porro institueret, Absalonque venienti rem patratam nuntiaret, gratulatus sibi fuit, quod exigua adeo manus, se absente, rem feliciter perfecisset. Hinc, cum aliis insulae tentatis locis, domum copias reduxisset, sub auctumnum mox regressus, agros vastat; &, abductis inde frugibus, obsidet Arconam urbem, & oppugnat. Sed, obsessis quam fortissime repugnantibus, desinens obsidionem, in interiora pergit, & incendio quaeque vastat. Qua re territi Rugiani, quum auxilium a Saxoniae duce, Henrico, cuius fidei se commiserant, frustra hactenus exspectassent, supplices ad Strelam flumen regem adeunt, & obsidibus, ac pecunia pacem redimunt: tum, reiecto impio idolorum cultu, solum Christum se deinceps verum Deum adgnituros pollicentur. Per id tempus Valdemarus, Sobislaum, principem tunc Pomeraniae, bello adgressus, urbem struxit Danisvicum, ceu Danorum vicum (c) dicas,

zelio ex MS. publicata, ad calcem *notar. in Vastovium pag.* 78. ubi est: *Gertruda filia Henrici Leonis Ducis Sax. & Bavar.* Quodque plenius rem confirmat, est quod in *Annal.* nostris mortua ipsa memoretur *Regina Gertrudis* anno 1197. atque Vchae in Scania sepulta, postquam ibi Capellam S. Gertrudis in sui nominis memoriam aedificarat. Videatur de hoc Pontanus, Hvitfeldii verba latine interpretatus, *pag.* 290. Ericus Pomeranus mortem eius ad annum praecedentem 1196. refert, his tantummodo: *Obiit Gertrud Regina*. Sed quod ad eiusdem Erici alterum locum attinet, qui Meibomio *loc. supra citat.* nec non aliis, ut videtur, fucum fecit, agit ille de *Rikesa* Regina Sveciae, Valdemari I. filia, & Canuti sorore, quae in Daniam post mariti fatum reversa, heic ultimum diem clausit, ac Ringstadii iacet tumulata. Vnum denique restat inquirendum de coniugio Gertrudis, & Canuti, sterilene illud fuerit, an, uti Pontano creditum, duae ex eo filiae prodierint. Hvitfeldius sane, haud propria, sed vetustiorum auctoritate nixus, Canutum adfirmat ἄπαιδα decessisse, cui & prorsus fidem habeo. Sed Pontanus sibi imponi passus est a Claudio Lyschandro, ita ut, quod hic in *Synopsi*, quam vocat, *Historiar. Danicar.* (rectius *Opere Genealog.*) *pag.* 225. adseruit, ille caeca fide, *pag.* 324. exscripserit, de duabus Canuti filiabus, quarum altera, *Ida* nominata nupserit Wratislao I. Pomeranorum Duci, altera *Hylleborga*, Principi Rugiae Iarimaro elocata sit. Verum Lyschander more suo ineptivit. Nimirum animadverterat apud Pomeranicos Scriptores haec duo filiarum Daniae Regum nomina; sed erravit in adplicatione. *Ida* omnino non potuit Canutum VI. de quo nunc sermo est, habere patrem, si modo, ut Pomeranici dicunt, coniugem acceperit Wratislaum, utpote integris XXVII. annis, antequam nasceretur Canutus VI. fato functum. Ergo, si verum dicant Pomeranici de Canuto aliquo Rege, parente *Idae*, fuerit ille S. Canutus Othenis olim occisus. *Hylleborgae* adpellationem formavit ad lubitum suum Lyschander (sicut in multis fecit,) ex *Hildegardis* illa, quae legitur in Pomeranicis. Et hanc quidem Micraelius, in praefixa *libro* 3. *Tabula Geneal* statuit Canuto Rege Dan. natam; sed neque hunc Regem commode accipies pro Canuto VI. propter ea, quae Micraelius ipse prodidit, *lib.* 2. *pag.* 255, ex quibus potius sororem fuisse Canuti, & filiam Valdemari I. concludetur. Fortassis autem pater ei fuerit Canutus V. is qui Roschildiae anno 1156. trucidatus, & cuius, utpote adfinis sui, liberis Valdemarus I. non secus atque suis prospexit.

(a) *Torislao*) Sic etiam Pontanus vocat, sed typothetae, ut credo, vitio: Nemo certe alius sic nominavit. Saxo & Crantzius *Tetislaum* scribunt, quemadmodum & Meursius, & Pontanus paullo inferius; atque alibi Saxo (*pag.* 339.) *Tetyszlavum, Iarimari fratrem*. Histor. Knytlingorum *cap.* 122. *Tetislafr*. Micraelius, & alii Pomeranici, *Tetzlavum*. Crantzius denique *Vandal. lib.* 5. *cap.* 32. *Ticislaum*

(b) *Zindram*] Sic & in prima Saxonis editione, Ascensiana illa. Sed in Sorana *Zindram*. Apud Pontanum mendose *Eindram*. Crantzius, locorum, ut opinor, magis gnarus, indicat regionem fuisse ad *Zvvinam* fluvium, cuius accolae vocabantur *Zvvingiani*. Vid. eius Dan. *lib.* 6. *cap.* 22. Hos eosdem Saxo postea adpellat *Zvvinenses*. Annon ergo oppidum habuit adpellationem *Zuindrae*?

(c) *Danorum vicum*] Potius dixisset *Danorum sinum*. Nam *Vik* est angulus, nec non *sinus maris*. Nisi fallimur, desumsit noster ex Pontano, cuius *pag.* 246. verba sunt: *Reperio apud Pome-*

dicas, iuxta Vistulam, ubi in mare se infundit. Haec in eam, quam videmus, magnitudinem tractu temporis excrevit; & nunc etiam Dansvicum prisco nomine adpellatur. Post haec regni optimates, quum distractum bellis regem continentibus cogitarent, & incerta item rerum secum expenderent, ne si dubia pugnae alea, aut quicumque alius casus, eum eriperet, vacuum rectore regnum hostis quisquam infestaret, eum accedunt, postulantque, *ut communicari honorem regium Canuto filio, bimulo tum, vel, ut alii, quadrimulo, aequo animo pateretur; ac, si ipso aliquid humanitus fieret, esset, in quo spes cunctorum adquiescerent. Etenim obnoxia fere multis malis sine certo successore regna esse, atque id praeterito triumviratu didicisse; itaque concederet, quod postularent, sibi honestum, regno utile*. Nec ingrata Valdemaro haec petitio, ac prudentiam senatorum, animumque in se benignum quum laudasset, perlibenter obsequutus, socium sibi filium Roschildiae legit pleno omnium consensu; nisi quod Burisius solus neque suffragatus fuerit, neque adclamatione solita electionem prosequutus. Siquidem propinquis regi, ipse regni aliquando obtinendi, uti tunc existimatum, spem conceperat. Ac subspicionem auxit, quum non multo post adsciscì in militiam Canuti, ceteris id haud gravate permittentibus, detrectaret. Cuius utriusque facti postquam se composita oratione excusasset, rex offensam maluit dissimulare, quam deponere; mox ulturus novi criminis manifestum, ut dicemus suo loco. Et haec gesta anno millesimo centesimo sexagesimo & quinto, a quibusdam memorantur; alii, biennio serius, nempe sexagesimo septimo, scriptis produnt. At Ericus Pomeranus omnium dissentit maxime; nec Canutum universim Daniae totius regem factum tradit, sed Hallandiae, Scaniaeque; idque toto post decennio; scilicet millesimo anno, & centesimo septimoque, & septuagesimo; quum tunc annos quatuordecim natus esset; & illius maior mihi est auctoritas (a), ac si-

milius item vero, & prudentiae magis quoque consentaneum; exspectasse senatores, dum adultiore aetate, indolem Canutus suam regno ostenderet. Vere proximo, denuo infesta arma in Vandaliam movent Scani, Sialandi, & Fionii; ducibus Absalone, & Magno, filio Erici Agni; additusque his Christophorus, naturalis regis filius; uti medius inter illos, velut latera munituros, militaret. Ac provinciam Tribusanam mox adgressi, ita ferro universam, atque flamma devastarunt, uti diu post id tempus desolata permaneret. Vnde quum reversi essent, rex Christophorum Petro tradit, & Selgrethio, qui praeceptis honestatis, ac virtutis adolescentem erudirent. Hinc, aestate redeunte, expeditionem repetit; nam haud semel Volgastani foedus ictum violaverant; quum & urbe Rugianos eiecissent, & piratas intra Peni amnis ostium recepissent. Itaque Lentitios dum proficiscitur, a Saxoniae duce Henrico admonetur, ut Burisium caveret, qui cum Ormo fratre suo, & Erlingo, qui Norvagiae regnum invaserat, de adgredienda Cimbria, atque ipso opprimendo, simul ac ab expeditione hac reverteretur, conspirasset; & indicium hoc, epistola Norvagorum intercepta, confirmabat. Ad haec Tocco accedebat, Vendilae praesul, qui in sua eum verba iusiurandum dare militem coegisse memorabat, quaeque de insidiis eius accepisset, exponebat. Valdemarus, qui adversus consanguineum, crimen sibi intentatum pernegantem, nil agendum temere exsistimaret, secum illum remanere, & iudicium exspectare aequum, iubet; & adfirmat, nil passurum, si, detecta veritate, innocentem inveniret. Interim abducit latrum, & custodiae liberae, sed certae mandat. Inter ista, quum Erlingus, tum Burisii frater, Ormus, e Norvagia egressi, facto in Cimbrorum classem in Diursa amne impetu, eam, dum praefecti absunt, redigunt in potestatem. Hinc, Burisii nave capta, vicum Sialandiae petunt, *Portum mercatorum* (b) dictum, quem nunc Hafniam adpellamus, celeberrimum regni em-

Pomeranorum Chronographos, silentibus licet domesticis Annalibus hoc circiter tempore Valdemarum quoque Sobislao Pomeraniae Principi bellum intulisse, & arcem, seu propugnaculum ad Vistulae ostium excitasse, quod, Rege mox discedente, Sobislaus vicissim occupavit, atque inde annis sequentibus oppidum ad hanc paulatim exscrevisse magnitudinem. Pomeranos veteres etiam sequutus Micraelius, *lib.* 2. *pag.* 252. primum eadem ipsa Germanicis, quae Pontanus Latinis verbis, refert, deinde subiicit Monasterium Olivense, & alia circa Gedanum a Danorum Rege condita. Ceterum, ut res certa est de *Dansvico*, haud magno Pomeraniae oppido prope Gryphiswaldiam a Danis scilicet circa haec tempora fundato, (vid Schwartz. *de Finibus Rugiae*, *pagg.* 76. & 138.) ita haud aeque est de *Dantisco*, seu Gedano, utpote de cuius origine, & adpellatione vulgarem famam, in exterorum illis quidem, haud vero in nostris monumentis sparsam, idoneis argumentis refellit Christoph. Hartknochius in *Prussiae Descriptione*, Germanice ann. 1674. *in fol.* edita *pag.* 429.

(a) *Illius maior mihi est auctoritas*] Puto in re tam memorabili, tantaque celebritate peracta, qualis est Regis alicuius electio, vel coronatio, pluris aestimandam esse auctoritatem Historici, qui vivus, vidensque testis celebritati illi adfuit, vel saltem interesse potuit, innumerosque omnium ordinum homines, qui illam viderant, suo tempore viventes adlegare. Hoc vero omnino Saxo potuit, qui & *pag.* 312. memorat, sub finem expeditionis Slavicae, quam Valdemarus anno 1166. obivit, *placuisse Principibus* (hoc est, proceribus regni,) *graves periculorum motus, & difficilia rei Danicae tempora, adtendentibus, filio Valdemari Canuto regios honores decernere, qui non solum paternae maiestatis futurus possessor, sed etiam praesens dignitatis socius nosceretur, ut haberent proceres, ad cuius nomen, titulumque decurrerent, si quid de Regis capite fortuna variaret. Quorum prudentia Rex, ac benevolentia delectatus &c.* Postea anno 1170. (vel, ut alii habent 1171.) in solennissimo illo festo, quo Valdemarus divo patri suo coelestes honores in oppido Ringstadio, filio suo Regios instituit. De utrisque verba Saxonis sunt *pag.* 331. *Et patris eius ossa arae traduntur, & filius septem annos natus Canutus, Rex consecratur, regia in sella purpura venustatus*. Quid ergo est, quod Meursium haesitare facit, atque Saxoni Pseudo-Pomeranum praeferre? Verba scilicet posterioris huius: *Anno* 1177. *Kanutus filius Valdemari I. factus est Rex Scaniae, & Hallandiae, patre vivente, & consentiente*. At ista facillimam admittunt expositionem, hanc scilicet, quod Canutus quamvis Rex electus, & consecratus, nullam tamen in regni administratione partem, utpote puer, habuerit, ante annum 1177. quo quatuordecim annos natus, ut praegustum imperii caperet, duas ipsas provincias a patre accepit regendas.

(b) *Portum mercatorum*) Hic primus in Historiis nostris locus, (de Saxonis Grammatici isto loquor, unde noster, & ceteri omnes sua derivarunt,) quo *Hafniae* occurrit mentio. Ex eodem etiam cognoscitur significatio nominis Hafniae vernaculi, *Kiobenhafn*, quasi *Kiobmaends-hafn*, h. e. *mercatorum portus*; ita ut hoc ipsum aetate Valdemari I. Regis, & Absalonis Archiepiscopi gesserit. Germani *Copmannehaven* dixere, ex quo corruptum illud *Copenhagen* effectum.

porium; & exſcendere cupientes Abſalon, ac Sialandi arcuere; &, poſt laevia quaedam praelia, quum conatum fruſtra eſſe Erlingus cerneret, ac conſilia emanaſſe, in Norvagiam recedit. Rex, inſidiis manifeſtis, in Buriſium, velut maieſtatis reum, animadvertit; ſed ſupplicium varie auctores tradunt. Nam in carcerem coniectum Saxo prodit; oculis privatum Ericus; ſubfocatum Albertus Abbas Stadienſis, Boriumque, non Buriſium eum dicit, inter acta anni milleſimi centeſimi ſeptuageſimi & tertii (a). Inter reditum Erlingus a Sialandis, & Hallandis divexatur; Abſalonque, ut piratas Sialandia prohiberet, arcem Stegelburgum condit, quae deinde Axelhuſia (b), ac poſtremum Hafnia eſt nuncupata. Valdemarus quum Erlingum caſtigare, claſſe in id comparata, ſtatuiſſet, tenuit Henricus Leo, qui, neglecta amicitia, atque foedere, Bugiſlaum, Vandaliae principem, vim Danorum metuentem, ideoque ad ſe profugum, & in clientelam admiſerat, & ſubſceperat defendendum. Atque mox, ad Crempam flumen conloquutus etiam expoſtulare: *cur clientem ſuum invaderet, necdum culpae accuſatum*. Ad quae breviter Valdemarus reſpondere: *non ſe ullis prohiberi minis poſſe, aut potentia, quin in regni ſui hoſtem arma ferat*. Poſt colloquium, permanente controverſia, diſſolutum quoque foedus. Erat Daniae tempeſtate ea ſtatus perdifficilis; quum hinc Vandali, Saxoneſque, illinc Norvagi impugnarent; adeoque metuendum Valdemaro, ne, dum illos impugnaret, hi a tergo impetum in regnum facerent. Itaque in Sialandia ad piratas propulſandos, mare communire viſum, & Esbernus Snarius Callundeburgum, dante id negotium rege, illic condit. Etiam arcem, & excelſam una turrim, validamque, Folam a ſe nominatam, e qua, ceu inſigni ſpecula, late mari venientem conſpicari hoſtem poſſet. Inter iſta Godeſcalchus ſummi inter Danos loci, qui, familiaris multis e primatibus Vandalorum, longo uſu etiam peritiam ſibi linguae gentis comparaverat, de ſolvenda Vandalorum, Saxonumque amicitia, tacite conſilium capit, indi-

(a) *Anni milleſ. ſeptuag. & tertii*) Non certe in iſto anno, ſed in 1163 ubi verba ſunt (*fol.* 191. *b.*) „Venit Imperator, venit Rex Daciae Valdemarus, in cuius comitatu Dux „Borius erat, quem ipſe poſtea *ſubmerſit*, quia regnum adfectavit.„ Idem tamen Stadenſis ſuperius (*fol.* 165 *a.*) ad finem anni 1144. ſcribit *Magnum Burtzium* (ſic enim ibi nominat,) *Ducem Daniae a Valdemaro Rege caecatum, & caſtratum*. Animadvertimus ſupra ad *Col.* 294. *a.* exſtare apud nos a priſco aevo cantilenam vernaculam, in qua Buriſius frater dicitur Sophiae, coniugis Valdemari I. Regis, atque Valdemari ſororem Chriſtinam illecebris ſuis inductam ſtupraſſe. Quo ſcelere per Reginam, ut ibi dicitur, patefacto, Rex (quem & Saxo *in ira pertinacem*, & Sveno Aggonis *in ſuos plus iuſto crudeliorem* deſcribit,) adeo excanduit, ut ſororem ſuam loris ad mortem uſque caedi, Buriſio autem oculos effodi, dextramque manum, & ſiniſtrum pedem amputari iuſſerit, qui deinceps catena ferrea oneratus, & ad coenobium Weſtervici miſſus, per undecim annos ibi vixerit, ac quotidie tumulum Chriſtinae, ibidem ſepultae, viſitarit, donec duodecimo anno mortuus penes ipſam ſepulchrum ſortitus ſit. Haec ſumma cantilenae, quam dixi, veteris. Neque diffiteor, caſtrationis ſupplicium, (de quo nihil quidem cantilena, attamen tot bonae fidei Annales teſtantur,) delicto iam indicato melius convenire, quam alii. Ceterum, quod Buriſius ante ſtuprum Chriſtinam in coniugem expetierit, (nam hoc etiam in cantilena,) omnino falſum. Refert enim Alb. Stadenſis *fol.* 165. *a.* habuiſſe Buriſium, tunc cum ſupplicium ſubiret, in matrimonio filiam Hermanni de Winceburg, ex Luitgarde, olim Erico Agno Daniae Regi nupta, ſubſceptam; atque hanc, *marito caecato, & caſtrato, in Saxoniam rediiſſe, ubi miſerabili ſorte truncato naſo a ſervo mutilata eſt*. Sic Stadenſis, idoneus iſtorum teſtis, quia Luitgardis illa, ſocrus Buriſii, ſoror erat Hartvici Archiepiſcopi Bremenſis. Sed ad Buriſii ſupplicium revertamur. Certe quodcumque illud fuerit, quo adfectus eſt, haud ante annum 1166. locum habuit. Atque, ut recte obſervat Meurſius, varie illud Auctores tradiderunt. Vetus Chronicon, quod *Sylloges* Ludewigianae eſt *duodecimum*, *pag.* 213. *Anno Domini* 1166 *Buriſius captus eſt, & oculis effoſſis caſtratus*. Eadem Ericus Pomeranus habet ad ann 1167. Hamsfortius in *Annalibus* addidit: *Et mox mari ſubmergitur*. Nempe ut Alberti Stadenſis, utramque relationem coniungeret. At Io. Svaningius ſenior in Valdemari I. *Vita MS.* neſcio quo Auctore (quem tamen habuiſſe nullus dubito,) haec prodidit: „Buriſius, „oculis effoſſis, in paterna ſua Sede *Tvviſs* in vinculis ſervabatur, „ut tamen in templum ire poſſet, ubi precibus delicta „iuventutis emendabat. Demum ſenio gravatus, *Tvvis* in „*Monachorum Clauſtrum* cum omnibus bonis ſuis convertit.„ At vero *Clauſtrum Tvvis* diverſum a Weſterwicenſi eſt, & aliquot milliaribus ab eo diſſitum. Sed diſquiſitione hac defeſſus, plura non addam, niſi hoc dumtaxat, ex diverſis de *Burio*, vel *Buriſio* relationibus videri mihi, duos ſub Valdemaro I. vixiſſe iſto nomine; quorum alter, Saxoni memoratur, (filius, ut Torfaeus Iſlandorum fide adfirmat, Henrici Scatelarii, *vid. ſup. adnotat. noſt. ad Col.* 294. *a.*) qui ob regnum adfectatum captus, atque, Stadenſi teſte, mari ſit ſubmerſus. Alter autem, eiusdem nominis Vir, Canuti V & Sophiae frater, qui ob aliud, & forte illud, de quo cantilena agit, crimen oculos, & virilitatem perdidit. Huius quod fatum Saxo, totamque Hiſtoriam in domus Regiae honorem tacuerit, non mirandum.

(b) *Axelhuſia*) De *Stegelburgi*, & *Axelhuſiae* nominibus merito ambigere poſſumus, an ea umquam *Hafnia* noſtra geſſerit; quum nimis recentes ſint auctores, qui hanc famam in vulgus ſparſere, in nullo ſatis veteri monumento repertam. Scio, Hvitfeldium communem fovere opinionem, ubi de Abſalonis obitu loquitur, ſed nullo tamen auctore firmare. Novi quoque, eruditiſſimum Ottonem Sperlingium in *notis ad Teſtam. Abſalonis*, & *pag.* 25. & *pag.* 150. eidem inhaerere, ſed Hvitfeldium dumtaxat, & Io. Svaningium iuniorem potuiſſe excitare. Ego vix dubito ad commenta referre ſeculorum XV. & XVI. quibus plura id genus excogitata in hiſtoriam gentis noſtrae irrepſere. Videntur autem utrique adpellationi confingendae anſam praebuiſſe loca Saxonis, quae hinc inde urbis, & caſtri Hafnienſis, quod Abſalon exſtruxit, meminerunt; ut *pag.* 345. „Abſalon ſecus Steffnenſe promontorium „- - - levibus ſaxis, & ad aciendum habilibus in eius littore „lectitatis navigium onerat, uſurus eis ad *caſtelli* tuitionem, „quod in *publico negotiatorum portu* condiderat.„ (En nomen *Kiobmands-hafn* ipſius conditoris tempore.) *Pagina deinde* 346. de piratarum ſuppliciis loquens: „Quorum *capita* „*corporibus avulſa*, propter *Abſalonicae urbis* moenia iisdem „*ſtipitibus adfixa* ſunt, *qui* nuper aliorum piratarum a Sialan„denſibus captorum *cervicibus onuſti* fuerant. Habemus hic locum, quo nituntur, aut niti probabiliter poterunt nominis *Stegelburgi* adſertores. *Stegle* enim eſt ſtipes, vel palus infamis cum rota impoſita, ille quidem ad capita, haec ad corpora, & membra confracta piratarum, & aliorum maleficorum in ſpectaculum ſubſtinenda. Aliter tamen id vocabuli cepit, ac interpretatus eſt Otto Sperlingius *lib. cit. pag.* 150. *Civitas*, inquit, *Stegelborg adpellata, ideo, quod tam alte, & praerupte ſita eſſet, ut nonniſi gradibus ex mari in eam adſcendere poſſent*. Verum quidem eſt, & negabit nemo, nomen adiectivum *Stegl*, (quod *Steil* hodie ſcribitur, & pronunciatur,) *praeruptum* ſignificare. Sed Sperlingio, qui Hafniam noſtram tam bene, quam ego aut ullus noſtratium cognitam habebat, miror unde illud de alto, praeruptoque ſive urbis, ſive arcis eius ſitu in mentem venerit. Denique ſcribit Saxo *pag.* 358. *Ab Abſalone Eskillum Archiepiſcopum, Scania excedentem, caſtelli ſui hoſpitio exceptum*. Equidem verum eſt, *caſtrum Abſalonicum*, ſi Danice interpreteris, reddendum eſſe, *Axelhuus* Abſalon enim Danice eſt *Axel*, & domus, vel caſtellum, *Huus*. Inde etiam caſtella plura, *Bergenhuus*, *Bahuus*, *VVardehuus*. Sed non ſufficit ſumma etiam probabilitas ad rem, minus aliunde teſtatam, comprobandam. Hoc ſcimus, praeter Saxonem, ipſum Archiepiſcopum Abſalonem in *Teſtamento* ſuo non aliter, quam *caſtrum de Haffn* vocaſſe *pag.* 15. Sic & idem ei eſt nomen in Vrbani PP. III. Bulla confirmatoria, data Viterbii XII. Kal. Novemb. ann. 1186. Abſaloni Archiepiſc. ſuper *caſtro Hafn*, cum aliis bonis adiacentibus, quae Valdemarus Rex conceſſerat Abſaloni, is vero Eccleſiae Roſchildenſi legarat, poſt ſuum obitum poſſidenda. Denique *caſtrum Hafn* in Bulla Innocentii PP. III. ann. 1198. Vid. eius *Epiſtol. Tom. I. pag.* 221. Attamen Hvitfeldius in *Hiſtoria Regis Chriſtophori I. pag.* 243. (ed. in 4.) incertae inſiſtit famae de *Axelhuſa*, quod nomen mutatum perhibet ſub Regibus in *Stackeburg* (ſic enim ibi exprimit.) Vellem autem unicum ſaltem probandae rei documentum adtuliſſet.

indicatque Absaloni. Quo laudante, quum ad Pomeranos sese contulisset, *suo se in gentem adfectu motum* ait, *uti illam de pernicie imminente admoneret, ac mirari, cur his pareant, qui exsutos patria velint; lubricam Henrici fidem, vel ex Danis sat constare. Quippe cum his toties percussum foedus maxima semper levitate violasse. Id futurum praevidere, ut, erepta libertate in servitutem universi redigantur. Quod si neque ipsi videant, neque sibi persuaderi patiantur, at intuerentur loca, oppidaque, quae in finibus occupata Saxones sic muniissent, ut ex illis facile Vandaliam sibi subiugare totam possint; itaque Illogam urbem cogitarent, Razeburgum, & Sverinum; ac de cetero fortem suam aestimarent. Insuper ob oculos proponerent Niclotum sibi, & Prislavum, quorum istum, patria, bonisque omnibus evertissent; illum, vita spoliassent. Alia Danorum studia, alium longe finem esse in foederibus contrahendis; neque bella, neve terras aliorum invadendas, verum pacem, & commercia animis suis agitare. Itaque hortari eos, ut, praesidiis deturbatis, ad Danorum amicitiam, tot foederibus obligati, revertantur; & deinceps sine dolo illam colant. Ita fore, ut feliciter porro agant, patriaeque libertatem priscam reddant, ac confirment*. Quibus verbis excitati Pomerani, quum praesidia tota pene regione deiecissent, motus fama perturbatus (a) dux Henricus, veritusque, ne ex altera quoque parte Valdemarus, hac occasione usus, in Saxoniam arma caperet, per legatos, Henricum Razeburgensem, & Cunradum, Lubecensium antistitem, culpam rupti pridem foederis deprecatur; quamque nimis temere deseruisset amicitiam, reddi orat. Tum, quandoquidem maior filia, quae Canuto, eius filio desponsata, nuper diem obiisset, alteram minorem obfert, postulatque, ut excurrere, foederi restituendo, Bremam velit; ac se illic absuturum pollicetur. Quumque, motus legatorum oratione, Valdemarus iter eo institueret, obvium Guncelinum habet, qui Henrici minus bona valetudine moram iniectam excusaret, ac promitteret, mox ad Eidoram accessurum. Quo quum postea advenisset, foedere redintegrato, arma in Vandalos coniungenda decernuntur, ac Deminum Henricus petere, Valogastum Valdemarus; &, finitimos urbi agros populatus, Osmum incendit; vix a clade, quam acceperat impetu superiore, instauratum. Eadem Henricus agere; &, quaecumque obiecta essent, devastare. Qua re Vandali consternati, neque gemino hosti pares tam potenti, aere utrumque, & obsidibus placavere. Valdemarus, ita pace cum Saxonibus, Vandalisque constituta, iterum in Erlingum movet; sed & denuo illo rursum in interiora se recipiente, re infecta, domum redit. Nam quum bellum, eo procul fugiente traheretur, moram milites conquesti, & defectum commeatus impulere, ut exercitum deduceret, & in Daniam reverteret; ita tamen, ut Erlingi naves omnes, quae in promtu ad frangendas eius vires, inde abduceret. Quae dum fiunt Rugiani, sumta ex absentia occasione, defecisse nuntiantur. Quos reducere ad obsequium postquam animum Valdemarus induxisset, in societatem belli Bugislaum, & Cazimarum Pomeranos sibi iungit; variasque Rugiae adortus partes, ad Arconam castra locat. Ea in excelso sita promontorio, quamquam hodie ne vestigia quidem exstent, gentis per id tempus caput, situ suo sic munita, ut ad ortum, aquilonem, & meridiem, praecipitium quam altissimum, muri instar validissimi tueretur; ad occasum vallum erat quinquaginta cubitorum altitudine. Fons in parte boreali, quo Ericus, qui Emundus cognomento adpellatus, intercepto, siti obsessos fatigabat. Mediam, planities quaedam occupabat, in qua templum e ligno structum, & in illo Svanteviti simulacrum, summa veneratione diu ab urbanis cultum, id trecentis ante annis, sub Erico Puero rege, ab Ansgario dedicatum, tractu temporis, pietate, uti solet, quum excedere modum coepit, in superstitionem versa, ceu idolum habebatur. Valdemarus, nihil situ loci territus, aut munitione urbis, magno animo in obsidionem incumbit, neque cessat, antequam in potestatem suam cogeret. Postquam vero expugnasset, libertatem illis dedit, ea lege, *ut simulacrum Svanteviti, & pecuniam omnem sacram ipsi traderent; ac religionem quoque Christianam amplecterentur; quaeque olim bona cultui idolorum consecrassent, verbi Dei administris nunc concederent. Tum captivos sine pretio restituerent, & venire in militiam evocati tenerentur. Denique in singula item boum iuga argenteos quadraginta annuos, obsidesque totidem darent*. Ita dedita Arcona, in Carentiam castra movet. Quae, exemplo hoc persuasa, tum hortatu quoque Granzae, viri inter oppidanos primi loci, quum colloquium Absalonis petiisset, prodiere; insulae rex Tetislaus eius frater Iarimarus, & qui gene-

(a) *Motus fama, & perturbatus*] Saxonis narrationem de violata ab Henrico, non vero a Valdemaro societate, confirmat *Historia Knytlingerum*; cuius locum, etsi prolixiorem, non dubitamus adscribere, ut cum contraria narratione Helmoldi, optimi quidem, & candidi Scriptoris, sed talia ubique ex Saxonum suorum relatu commemorantis, conferatur. Ita vero Historicus ille Islandus, *cap.* 120. „ Aliquanto post classe armata Valdemarus ad fretum Gronesundam navigavit, ut perfidiam Rugianorum castigaret, qui initum secum foedus frangere non erant veriti. Ad hoc faciendum solicitati illi fuerant a Duce Brunsvicensium, cuius fidei sese, traditis obsidibus, permiserant, exsuto, quod Valdemarus prius addixerant, obsequio. Namque Henricus in totum tractum Volgastensem dominium adfectabat, unde & Rugianos erat aliquando bello adgressus. At quum adventus Valdemari ad fretum Gronesundanum audiretur, facti supplices Rugiani, foedus & obsequium erga Regem renovarunt. Quorum summa submissione placatus Valdemarus domum redit. At Henricus, eo intellecto, cum Rege expostulavit, questusque Rugianos, utpote suae ditionis, confoederatis fuisse armis vexatos, Volgastensibusque obsides extortos, misit insuper legatos, qui de damno, ac vastitate praestanda, quam Danos dicebat in ditione sua fecisse, Regem solicitaret, quod nisi impetrasset, minatus est, se bello Daniam invasurum. Dum vero legati Ducis in itinere essent, Vandali Orientales, immenso congregato exercitu, provinciam, quae Duci parebat, ingressi sunt, ferroque, & flammis ad internecionem usque desolarunt. Haec Absalonis consiliis patrata fuisse, ab Henrico creditum, vulgatumque; qui deinde se falsa subspicione deceptum animadvertens, iterum ad Regem legatos destinavit, pacem oraturos, societatemque armorum ad Vandalos coercendos. Et Valdemarus eo lubentius annuebat, quod sublestam Volgastensium fidem esset ipse quoque expertus. „

genere inter Rugianos omnes eminebant; quumque pacem pacti essent, ac conditiones quoque Valdemarus esse ratas voluisset, urbem dedunt. Erat ea undique paludibus septa, adituque uno tantum ingressuros admittebat. Excellebant tria templa: Poremuti (a), Rugiaviti, Proreviti, & in his idola eorum, quibus fractis, cultus Christi introductus. Rex, quum obsides accepisset, & exercitum inde abduceret, duces quidam Pomerani, Tetislaum regno exuendum rati, insulaeque praefecturam, ceu navatae in militia ea operae praemium sibi concedendam, frustra spem a se conceptam indignati, ab amicitia Valdemari discessere; idque novi post haec belli ansam dedit. Quum in Daniam Valdemarus rediisset, mittit Absalon sacerdotes Rugianis, qui sinceram pietatem illis traderent. Mittit etiam Valdemarus ad Pontificem Romanum Alexandrum, nominis istius tertium, qui Canuto patri locum inter divos postularent, & arbitrium in Ecclesias Rugianas Absaloni, & eidem in dioecesi Roschildensi successuris. Hinc recenset totam classem; statuitque, uti quarta quaeque navis, dum per anni tempus id concederetur, in piratas excubaret, caelibesque iuvenes eligerentur, ne uxorum, sobolisque caritate ad militiam segniores redderentur. Ac praepositus his Christophorus regis filius, Absalonque. Anno proximo, quum legati, urbe Roma redeuntes, impetrasse postulata nuntiarent, rex Ringstadium convenire ad vigesimum quartum diem mensis Iunii proceres iubet. Quibus quum exposuisset de colendo post hac patre (b) placitum Pontificis Summi, regno quoque inaugurandum filium Canutum duxit, paulo ante, uti dixi, successorem designatum, pietatem in parentem, & in filium caritatem uno die expleturus. Tum ad duplex illud gaudium regni incrementum accessit; quum per Rugiam universam iuris dictio, quae ad sacra pertineret Absaloni qui in ea insula fidem Christianam magno studio propagasset, omnibusque ei postea in Ecclesia Roschildensi successuris, a Pontifice eodem, aliis in hanc rem literis (c), donaretur. Valdemarus, quum emitteret memoratam ante classem, in mandatis illi dederat: *uti circumspecte ageret, nam piratas saepe fugam simulare, & in terram se recipere, ut incautius insequentes littori impingerentur, moxque subito recurrentibus praeda, & ludibrium fierent. Itaque nec temere nimis sectaretur fugientes, & adversus invadentes ordinata acie progrederetur.* Istis monitis, quum in mare processisset, in Olandiam, insulam Svecorum, adpellit. Quamquam vero Dania tunc, Sveciaque inter sese diffiderent, minime laedendos tamen insulanos duces sibi statuerunt; ne, in infideles missi, Christianos impugnare maluisse viderentur. At edocti, Esthones, & Curolandos (d), in piraticam intentos, in propinquo agitare, parum memores, quae rex pridem monuisset, & incaute fugientes persequuntur, & periculo non exiguo se involvunt. Etenim, in littus, quum exsiliissent, atque diu, acriterque concertassent, quamquam equites Absalonis laborantibus subvenirent, pene omnes cecidissent; ac Christophorus, stragem videns, postquam terra, quantum posset, navem suam avertisset, atque ea, littori obverso latere fluctuaret, insuper infestis saxis hostium obrueretur, ut vix satis remiges se tuerentur, animi egregius Esbernus Snarius, uti regis filium periculo praesenti eriperet, sua navi medium immittit sese, atque ita eum liberat: ipse quoque, postquam diu quam fortissime dimicasset, semianimis, aegre a Christophori remigibus ereptus fuit. Ea re cum cautiores ceteri effecti essent, fundis eminus, ac sagittis gerere rem maluerunt. Quumque pugnam nox dirimeret, portum obsident, ne educere naves suas tenebrarum beneficio hostes possent. Qui, inclusos se videntes, propere munitione excitata, intra eam se recipiunt, summis viribus defensuri. Dani vero, acta per quietem nocte constitutis, qui ad portum excubarent, paulo longius digressi, mox exscendunt, acieque ordinata, hostem invadentem caedunt; &, munitione capta, internecione delent. Inde, praeda distributa, ac navigiis reparatis, domum redeunt. Valdemarus, post parentem inter divos collocatum, & inauguratum filium, sociumque regni factum, & mox certum successorem, altero augetur filio, post Canutum fratrem rege, quem de suo ipse nomine Valdemarum adpellavit; posteri Victoriosi cognomentum, ob res gestas, addidere. Varie nativitatis tempus proditur; & nonnulli, millesimo centesimo ac sexagesimo nono anno; alii demum septuagesimo insequente natum volunt. Neque de solemnibus illis celebratis idem est Auctorum sensus; aliique sexagesimum nonum annum illis tribuunt; alii septuagesimum primum. Inter ea, Helgo, praesul

(a) *Poremuti &c.*] Corrigenda haec nomina ex Saxone, sic: *Porenutii*, *Rugiaevithi*, *Porevithi*. Nam ita scribuntur in utraque praestantiore editione, prima, ultimaque Parisiensi *fol.* 170. *b*. Sorana *pag.* 327. In Historia Knytlingorum *cap.* 122. nonnulli Codices exhibent: *Rinvit*, *Turupid*, & *Puruvit*; alii vero, sed minus alias exacti: *Rutvit*, *Turtupit*, & *Prunvit*.

(b) *De colendo posthac patre*] Knytlingor. Historia *cap.* 124. „ Aestate media corpus S. Canuti Lavardi - - Ringstadii e „ tumulo sublatum fuit, ac denuo luculentis miraculis defuncti „ sanctitatem manifestavit. „ Annales vett. membr. qui exstant transcripti in *Sylloge* Dn. de Ludewig *num.* 1. *pag.* 26. „ Translatum est corpus *S. Canuti Ducis*, Ringstadii filii *Erici* „ *Eygothe*. Die illo Danis omnibus gaudium duplicatur, ex parte „ una, quod pater Regis canonizatur, ex parte alia, quod „ Regis filius *Canutus* in Regem inungitur Interfuerunt diei „ illius solennitati Rex ipse *Valdemarus*, Archiepiscopus Eskillus „ de Lundis; Archiepiscopus simul de Svecia Stephanus, lator „ litterarum Martyrem sanctum autorizantium auctoritate Domini „ Papae Alexandri: Et quum is *Absalon* Roskildensis, *Simon* „ Otheniensis, *Sveno* Aruriensis, *Rolff* Ripensis, *Tucho* Burglamensis, *Nicolaus* Vibergensis, *Fridericus* Ethebyenses Episcopi, *Helli* electus de Norvegia, qui die eadem pronunciavit pacem inter Daniam, & Norvegiam. Aderat etiam cum „ primis, & primatibus terrae, tam cleri, quam plebis populus innumerabilis. „ Sic totus iste locus legendus, quem in illis de Archiepiscopo Sveciae, sive Vpsalensi, Stephano perquam corruptum exhibet exemplar Dn. de Ludewig.

(c) *Aliis in hanc rem litteris*] Alexandri Pontificis litteras, id conferentes, atque in perpetuum confirmantes, integras Pontanus inseruit *Histor. Dan. lib.* 6. Datae vero sunt Beneventi 11. Non. Novemb. 1168.

(d) *Esthones, & Curlandos*] De his etiam, & expeditione contra eos, Blekingiam, & Olandiam versus, ducta, paria commemorat Histor. Knytlingor. *cap.* 123.

sul Asloensis, & Vpsaliensis Stephanus, qui legati ab Erlingo rege venerant, eius nomine pacem petunt, & efficiunt, ut Erlingo liberam in Daniam se conferendi, atque secum colloquendi potestatem rex concederet; & Esbernus, postulante id Helgone, in Norvagiam mitteretur, obsidesque contra duo Norvagorum remanerent. Quum Esbernus in Norvagiam ad Erlingum accessisset, multa verba acriter utrimque habita; ac, relicto ibi Esberno, tamdem Erlingus, Stephano Vpsaliensi comitatus, traiicit in Sialandiam, regem illic Valdemarum conventurus. Primo die, quum ab illo gravibus exceptus verbis, de recuperanda pace, gratiave desperaret, illico ad Absalonem mittit Stephanum, postulatque, ut liceret tuto inde se recipere. Verum, eo adhortante, ut repeteret colloquium, neque quidquam trepidaret, mox in gratiam receptus, pacem impetrat, ea lege: *uti filium Valdemarum, pridem natum educaret, ac Norvagiae ducem diceret: regem etiam futurum, si & ipsum, filiumque item Magnum, sine liberis legitimis vita fungi eveniret. Ipse quoque in militiam Valdemari, quoad viveret, teneretur; navibusque sexaginta, si quandoque usus foret, bellaturum adiuvaret. In haec iusiurandum daret, & eodem etiam Norvagiae magnates cuncti se obstringerent.* Pace ita constituta, abeuntem Tobo Langius [(a)] sua navi, mox Esbernum e Norvagia reducturus, comitatur; & in Vandalos rebellantes arma capit. Adiuvabant sua classe Rugiani, ac cum illis fluvium ingressus Zuinam, Pomeraniae eam partem, quae Iulino adiacebat, cunctam vastat. Tum ulterius hinc procedens, qua Iulino, ac Camino, ponte iungitur, quum impacti in profundo pali transitu prohiberent, una ibi nocte exacta, postquam dies illuxisset, Sialandi, iis summa vi extractis, ac disiecto item ponte, viam classi universae liberam aperuerunt. Inde ad Cristoam ventum. Vbi tamen, ut suppeteret commeatus, & inprimis equitatui, rex incendio, ac rapina abstinere omnes iubet. Tum hinc motis ad Caminum urbem castris, ipsam non oppugnat quidem, sed finitima quaeque loca diripit passim, & exurit. Mox repetere insulam Cristoam visum, & consilium, quanam parte commode reduci in mare classis posset, illic capere. Inter quae, dum anxie deliberatur, Cazimarus, arbitratus opportune invadi Danos, intra fretum clausos, posse, naves quinquaginta obiicit, quibus suas etiam Henricus Leo, suas Bugislaus addit, & equestres item copias terra ducit. Quae res Cimbros [(b)] adeo commovit graviter, adeoque perturbavit, ut convitiis plurimis in Absalonem palam iactis, proditorem eum dicerent, studioque id fecisse, ut in manus Cazimari devenirent. Ac, tacente ad haec omnia Absalone, & ferente moderate, conscientiae fiducia, res ulterius progressura videbatur; nisi Scorro, primi inter illos loci, minime ferendum ratus, ut vir tantus impudenti hac calumnia temere opprimeretur, meritis gravissima oratione memoratis, innocentiaque eius praedicata, impetum coercuisset, quin & ipse Valdemarus, ad concordiam cohortatus, alienum a privatis rixis esse tempus illud admonebat. Inter ista Cazimarus, hostem se in potestatem redacturum arbitratus, castra sua iuxta ripam collocaverat. Quumque rex vocatos classis principes percunctaretur, quidnam facto opus ipsi existimarent, ac tacerent universi, mox seorsim Absalon interrogatus, respondere: *facilem disiectu hostem, exitumque illic promtum, ubi introgressi essent. Equites in continentem rex exponeret, hique classem tuerentur, & ad fauces usque ducerent. Ante classem naves etiam quaedam irent, cum remigibus loricatis, qui in naves hostium inveherentur, si quae exitu prohiberent.* Ac consilio rex laudato, quamquam aemulis irridentibus, expediri naves iubet; &, munita equitibus ripa, ad ostium amnis classem ducit. Septem naves cum remigibus loricatis praecedebant; harum binis solus Absalon binis Suno, & Esbernus duces erant; tribus aliis, Petrus, Olaus, & Thorbernus: illas classis cetera subsequebatur. Cazimarus eminus adventantes videns, proripit se e tentorio, in quo, velut potiundi hostis certus, per convivia tempus egerat, ocyusque se ad naves suas recipit, atque illas, magno metu consternatus, retro ducit, exitumque, quem obsepserat, liberum Valdemaro praebet. Laeta Danis ea fuga, quique pridem Absalonem graviter criminati erant, nunc laudabant. Duas Vandalorum naves, metu remigum desertas, ad Cristoam acceperunt; tertiam, quae vado obhaeserat, socii eripuere. Hinc Iulinum Valdemarus equis incitatis petens, Bugislaum ibi offendit, in reficiendo ponte, quem disiecerat, occupatum; qui, comperto adesse hostem, quum fugisset, opus inchoatum perficit, equitesque in securitatem classis per hunc ipsum in australem ripam transfert. Regem Absalon sequutus, ut balistas Iulinensium propulsaret, navem ingressus, sagittariis instructam, medium se inter urbem, & classem locat. Quo conspecto oppidani, nil in classem ultra ausi, moenibus se tenuere. Tum reductus intra naves equitatus, remigesque portum nacti quievere. Inter quae ex urbe prodit quidam magno comitatu, isque Godescalco obvius, fractos esse Vandalos dicit, obsidesque mox missuros, si a praeda abstinentes, parcere reliquiis velint; & hoc eum nuntiare suis iubet. Quumque rumor tunc ferretur, Zuinae exitum ab iisdem multis navibus obsideri, falsum arguit. Nam concisas penitus illorum vires, nec quid tale, etiam si velint, posse; & eventus sic se rem habere docuit. Alacresque

(a) *Tobo Langius*] Apud Saxonem *Tovo* scribitur, non semel, sed saepius.

(b) *Quae res Cimbros*] Knytlingorum Historia *cap.* 124. „ Evenit, ut classis regia fretum quoddam intraret, adeo angustum, ut transitus navigiis plane praeclusus videretur. Tum „ Dani conqueruntur, Absalonis consilio factum esse, ut loci „ angustiis arctati, sacco quasi includerentur, unde nemini exitus incolumi pateat; utrimque enim se urgeri, hinc terrestri, inde navali hostium exercitu circumdatos &c. „ Plura exscribere, neutiquam opus. Sufficiat ostendisse, Saxonis narrata haud raro aliorum testimoniis stabiliri.

que inde Dani, & illaesi, patriam repetierunt; tanto Vandalorum metu, ut nec ultimos vellicarent. Adeo quidem, uti Petrus quoque Tottus (a), qui illisam palis navem, ut reficeret, sistere coactus fuerat, quamquam solus, atque sero subsequutus, nullo usquam hoste viso, domum tuto reveniret. Cazimarus, atque Bugislaus frater, post discessum Valdemari, ut defendere deinceps contra illum sese possent, denuo Henricum adeunt, Saxoniae ducem, recipique in tutelam eius petunt, tam abiecte, ut se, omniaque sua, ipsi subderent, traderentque, nimium auxilii pretium, libertatem, quam hucusque illibatam habuissent. Eius rei certior factus Valdemarus, iterum Pomeranos petit, ac Stetinum ibi oppugnans, oppidum tunc regionis eius longe munitissimum, ad Viadrum flumen situm, eo adigit Vratislaum, illic praesidem Cazimari, & Bugislai consanguineum, uti se, & istud dederet. Quo potitus, separat a reliqua id Pomerania, atque Vratislao donat, suo illud beneficio, tituloque clientelae possessuro. Hinc in Lyubinum versus, quum & hoc in potestatem redegisset, classe ad Rugianos tendens, iuxta insulam consedit. Quumque iam piscandi tempus advenisset, ut piscatum insulani exercere tuto possent, & incursu Pomerani arcerentur, visum illic tertiam relinquere partem, quae excubias agitaret. Eo facto, & cohibitis Pomeranis, quorum impetus antea metuendus erat, domum repetit, & ad Thynnam insulam dimittit Cimbros. Quorum pars, piratis obvia, ad australe insulae Fioniae latus, apud urbem, a Canuto (b) filio Prislai conditam, navibus relictis fugere, & in terram se recipere, est coacta. Cuius rei gnarus Absalon, denuo contracta classe, sedulo agit, ut protrahere e latibulis, quibus sese continebant, omnes posset, pelagusque universum, quod infestum faciebant, liberaret. Verum diu persequutus, quum haud potiretur tamen, orta subito tempestas, pene universos mersit. Duas naves, quae evaserant, Iarimarus, Rugiae princeps, consequutus, Absaloni, qui virtute illud sua meruisset, donum misit. Insequuta mox aestate, Valdemarus, & Saxoniae dux Henricus apud Eidoram convenere; &, negotio pertractato, recessere. Ac Christophorus Slesvicensis, solas praefecturae suae copias ducens, Brammenesios cecidit. Inde iterum in illos ire a Valdemaro iussus, comitemque Absalonem sibi iungere, quum Mansuetam (c) pervenisset, atque regem exspectaret, magna classe apud Scanos comparata, etiam Eschillus venit, pridem Ierosolymis redux. Cui quum consilia sua Absalon communicasset, in eorum partem admitti per Esbernum serio petit. Itaque, promtissimis quibusque lectis, Absalonem comitatus, in Lalandiam adpellit, ubi septem Rugianorum sese naves coniunxere. Quumque tota inde classis oram solveret, & mox ex hac naves quaedam in Brammenesios incidissent, duas harum invadentes Sialandi, quum abducere nequirent, perforant, & salo mergunt. Vnicum provinciae oppidulum erat, sed invalidum ad tutelam; itaque, exportatis rebus, aedem incolae, extra vallum eius sitam, veluti salutis suae asylum quoddam, occupaverant. Inter haec Hurnaeus quidam, & Marquardus, quem Adolphus, Holsatiae comes, quum decederet, filio tutorem dederat, copiis Danorum spretis, magnam manum a Saxonibus, Vandalisque comparaverant. Quibus Dani quidam obvii, & inferiores numero cum maioribus dimicare haud consultum arbitrati, ac capessere fugam turpe, inter probrum, & temeritatem, medii subscitendum, & auxilium sociorum exspectandum censuerunt. Moxque Absalon adveniens, rivum, uno vado pervium, quo submovebatur hostis, equo transit, & initium pugnae facit. Neque Vandali detrectant, animos a paucitate capientes; sed accedere etiam plures conspicati, terga vertunt. Victor Absalon, undique coacta praeda, militem in littore tenet; dum navigia, graviter a Brammenesiis lacerata, Rugiani repararent. Saxonum represso impetu, quum Henricus apud Bavaros moraretur, bellum satrapae universi (d) renovare cupientes, copias ingentes cogunt, & victoriam sibi facilem pollicentur. Sed contrarium mox edocti a commilitonibus suis, qui superiore pugna vix evaserant, illico inceptum omittunt. Ac, relictis Brammenesiis, Valdemarus, quum ad Rugiam excurrisset, arma in Cispenanos (e) vertit. Aditum impediebat magna palus, admodum voraginosa, transituque difficillima, quam labore summo emensus, proximamque inde silvam, obviam sibi urbem habuit, lacu cinctam, navibus ferendis pari, ut natura muniisse videretur. Vallum ea parte erat, qua se pons in continentem porrigebat, per quem aditus patebat. Eum princeps Otimarus, copiis Danorum visis, statim rumpi imperavit; ac re-

(a) *Petrus Thottus*] In utraque meliore editione Saxonis Parisiensi, & Sorana est *Petrus Toddo*.

(b) *Apud urbem, a Canuto*] Ea est Neoburgum, Fioniae urbs notissima, per quam omnes ab exteris oris in Saelandiam, ubi Hafnia Metropolis sita, si iter faciunt per Fioniam, transeunt. Eius urbis conditor fuit Canutus Prislavi (de quo supra egimus) & Valdemari sororis filius, Lalandiae Regulus, circa annum 1170. teste Hamsfortio, cui illud in vetustis Annalibus repertum. Hvitfeldius tamen in *Vita Valdemari I.* & Pontanus in *Chorographia Daniae pag.* 722. ad annum 1175. referunt. Verum quod eam ad *Australe* Fioniae latus Saxo, atque ex ipso Meursius ponit, quum ad *Orientale* sita est, non dubito imputandum esse τῇ ὁμοφωνίᾳ nominum *Austri*, & vernaculi *Oster*. Quae duo [*Auster*, & *Oster*] idem fere auribus nostris sonant, ideoque Saxo per incogitantiam homonyma fecit, hoc & forte aliis locis. Obiter addo, haud procul urbe Neoburgo conspici in mare porrectum promontorium *Knuds-hoved* adpellatum itidem ab illo *Canuti* Lalandiae Ducis nomine.

(c) *Mansuetam*] Mendum est. Rescribatur: *Masnetam*, ut in Saxone *pag.* 341. In Knytlingorum Histor. *cap.* 120. *Promontorium Masnes*. Recte; nam *Nes* est promontorium. Sic *Lindesnes* in Norvegia, *Refsnes* in Saelandia &c.

(d) *Bellum Satrapae universi*) Saxoni adamatam vocem *Satrapae*, pro Principe, aut Duce, hic retinuit noster. Verum inter eos, qui de bello in Valdemari ditionem inferendo consultabant, Saxo *pag.* 343. tantum hos nominat, *Guncelinum*, Sverini Comitem, *Bernardum* Comitem Radeburgensem, & *Henricum*, qui *Saxoniae primatum Vicario nomine administrabat*.

(e) *Cispenanos*) Saxo eos *p. c.* vocat *Circipenenses*; quemadmodum & Helmoldo *Circipani* sunt, & *Circipana regio*, *lib.* 2. *cap.* 13. ubi haec leguntur - *Tamdem veluti somno excitus Rex Daniae congregavit exercitum, & percussit modicam partem Circipanae regionis*, nempe circa *Panim*, vel *Penam* fluvium.

ac relicti tantum pali, supra aquam eminentes. Quibus novum quum instruere Valdemarus moliretur, ac progrederetur opus, oppidani iuxta vallum excitant e lignis turrim; & ex ea fundis pariter, arcubusque obsessores suos turbant; dum postremum Otimarus capi veritus, regem adit, & ab eo pacem petit. Neque ille, diuturnam oppugnationem videns, metuensque, ne exsurerent inchoatum pridem pontem oppidani, abnuebat; nisi Absalon, inter ista cum ingenti praeda rediens, in contrarium impulisset. Qui mox acriter adgressus, militesque adhortatus, urbem expugnant, & diripiendam tradit. Viri omnes, qui in armis deprehensi, interfecti; mulieribus, puerisque, & imbelli senum aetati, parcitum fuit. Anni proximi aestate, quum Saxoniae dux Henricus, e Saxonia rediisset [(a)], institutum apud Eidoram colloquium. Quippe ille, quum saepissime apud Caesarem Fridericum versaretur, ne absentia uteretur Valdemarus, atque ditiones suas infestaret, componendam pacem statuit. Sed, Bavaria iam donatus, ea adrogantia fuit, uti pontem, adloquendi regis causa, sicut antea solitus erat, transgredi omnino nollet, ne maiorem dignitate, quem adiret, fateretur. Verum contra Valdemarus tanta hic modestia egit, ut ad medium usque pontem, spatio utrimque equo, velut par, procedere non detrectaret, uti dignitate maior, sic humanitate melior. Constituta post colloquium istud pace, Absalon, munita pridem Hafnia, piratas fundit, & nonnullos ex his captos gladio ferit. Idem ab Esberno factum, & Vethemanno, qui reliquias sustulerunt. Per id tempus Volgastenses, quo se melius tuerentur, non contenti urbem extendere, moenia etiam palis muniunt; &, iniectis saxis grandibus, flumen obstruunt. Per quae quum excluderetur Valdemarus, Zuinae ostium ingressus, vacuum praesidio Iulinum invadit, & exsurit, ac subiectos agros vastat. Idem Caminensibus facit, & Ornanis [(b)], quamquam oppidis illaesis. Etenim hoc satius exsistimabat, quam obsidione longa, & incerti saepe finis tempus temere prodigere. Iuxta Ornum flumen labitur, cuius ostium, olim navibus idoneum, tunc obstructum arenis erat. Id nonnulli quum aperiendum ducerent, ac difficile, operaeque nimis longae videretur, Valdemarus omittendum existimavit. Itaque Orno repetito, quum tormenta urbi, tamquam obsessurus admoveret, neque serio rem gereret, oppidanis, qui id ipsum animadverterent, contemnentibus, simulatam nullo fructu obsidionem solvit, & in Daniam redit. Vere proximo Valdemarus iterum se bello parat, cuius fama quum finitimos impleret, ac percelleret Vandali, qui nec pares sibi vires esse, nec auxilia usquam promta intelligerent, debitam pecuniam postremis pactis regi per Prislavum mittunt, & biennii pacem redimunt. Votum erat Valdemaro, per occasionem istam, pietatem per Vandaliam constituere, maxime cum Christum gentis principes plerique tunc profiterentur; verum populus ita cultu idolorum fascinatus tenebatur, ut vix ulla eius rei spes daretur. Adeoque ipsi principes, quamlibet amplexi fidem Christianam videbantur, vita tamen, moribusque; ab eadem dissidebant. Illud quoque deprehensum, quam Henricus dux Saxoniae amicitiam, proximo ad flumen Eidoram colloquio impetraverat, quum iuvare Vandalos prohiberetur, fide minus bona niti. Quod quantumvis eo modo se haberet, tamen a virtute sua, & constantia Valdemarus non recessit. Per id tempus etiam Magnum, Erlingi, de quo dixi, filium, & Norvagiam post decessum patris sui possidentem, contra Svecum, tunc turbantem [(c)], classe iuvat. Sed, successu infelici, victus Magnus, quum metueret victorem, ut evaderet ludibrium, desilit de puppe praeceps, & in mari vitam finit. Sed oppresso dum opitulatur foris, alter Magnus, filius Erici Agni [(d)], domi turbat. Hic, Svenonis IV partes male antea sequutus, ultimaque pugna captus, quum extrema quaeque metuens, Valdemarum perbenignum expertus esset, non contentus beneficio, & ingratus, cum Canuto, Caroloque [(e)], Eschilli ex filia nepotibus, occidendi consilium capit. Sed detecta mi-

(a) *E Saxonia rediisset*] Est lapsus calami, ut vocamus. Corrigatur: *e Bavaria rediisset*. Vid. *Col. praeced.*

(b) *Ornanis*] Corrig. *Oznanis*. Ita Saxo semper; & urbem eorum *Oznam* vocat, vel *Osnam*. Andreas Veileius in versione Saxonis Grammatici Danica *Vsedom* interpretatur. In *Canuti VI. Vita*, *pag.* 4. Meursius *Osnenses* melius scripsit, ubi & Saxo *Oznenses*. In Knytlingor. Histor. *cap.* 126. urbs illa *Vsna* est. Apud Pontanum fere semper ille error conspicuus, *Ornus*, & *Orna*, pro *Ozna*, typothetae imputandus ex confusione elementorum *r*, & *z*.

(c) *Contra Svecum tunc turbantem*) Immanis error, quamvis in unica tantum litterula. Nam crederet inde aliquis, bellum tunc temporis Norvegis contra Sveciae Regem exortum, contra omnem veritatem. Corrigatur ergo, & scribatur *Sverum*. Heic enim contrahit, & admodum succincte Meursius ea narrat, quae paulo fusius in Saxone leguntur, *pag.* 347. *seq.* ab hisce usque: „ Iisdem fere temporibus *Sverus* quidam, „ fabro patre genitus, sacerdotii, quod in Ferogia aliquando „ gesserat, partibus abdicatis, Norvegiam petens, religionis mu„ nus militia mutavit &c. „ Atque is ille *Sverus*, qui proprio, & vernaculo nomine *Sverrir* vocatus, (Danis, etiamnum, communiter *Sverre*,) se ipsum, Rex factus, in latinis monumentis, nec non in nummis, qui & hodie exstant, nuncupavit *Sverrum*, quamquam Thormodus Torfaeus, (qui Historiam laudatissimi Regum sui seculi, magna diligentia, Carolum Ionis filium fere σύγχρονον sequutus, composuit a *Partis III. lib.* 10. *cap.* 11. usque ad *Partis IV. libri* 1. *fin.*) vernaculum nomen *Sverreris* retinuit. Multa de eodem *Svero* leguntur in Guilielmi Neubrigensis, eius Regis (pariter ac Saxo fuit) συγχρόνου, *Histor. Anglic. lib.* 3. *cap.* 6. sed tot calumniis, falsoque narratis referta, ut perpetuam inde infamiam ad Neubrigensem redundare par fuerit. In eo autem refutando egregiam Operam posuit Thomas Bartholinus Th. f. in Opere *De contemtu mortis apud Danos veteres*, antiquitatum Septentrionalium thesauro, *lib.* 2. *cap.* 1. *a pag.* 235. *ad pag.* 258. cui iungatur Torfaeus *Histor. Norveg. Part. IV. lib.* 1. *cap.* 10. Etiam iniquus in eum fuit Saxo, quemadmodum & omnes ista aetate Dani, propter illud foedus inter Valdemarum I. & Regem Norvegiae Magnum, cuius regnum, eiusque illam quoque partem, in quam Valdemarus summum ius sibi vindicabat, Sverrus invadebat. Denique conferatur, quod de ipso Pontanus adnotavit *Histor. Dan. lib.* 6. *p.* 260. *seq. & pag.* 287.

(d) *Magnus, filius Erici Agni*) Oblitus ergo noster, quod dixerat supra *Col.* 170. Ericum *Agnum* sine liberis decessisse. Sed vid. *not. seq.*

(e) *Canuto, Caroloque*] Horum patrem *Ducem Ericum* vocat Magnus Matthiae in *Chronico Episcopor. Lundensium*. Sed adeo & ille, & antiquiores Annalistae negligentes fuere, ut ignorare nos siverint, unde Ericus ille genus duxerit. Interim dubitari nequit, quin pater ei fuerit unus patruorum Canuti Lavardi, parentis Waldemari. Itaque paterna *Canuti*, & *Caroli cum Valdemaro necessitudo*, de qua Saxo loquitur *pag.* 348. eodem gradu fuerit, quo illa cum *Burisio*. Huius autem fra-

cta mirabiliter coniuratio. Quidam e clientibus eius in Holsatia, quo negotiorum causa se contulerant, postquam forte convenissent, & in eremitae hospitio noctem agerent, libero, ut fit sermone, admirari sese aiunt, etiamnum vivere illaesum regem inter Magnum, Carolumque, & Canutum, aliosque, qui in necem eius omnes in occulto coniurassent. Tum recensent, quoties nequidquam id conati essent. Haec audita, qui in proximo cubiculo, ligneo pariete tantum separatus, lectum habebat Eremita, accedenti mox Abbati cuncta exponit, obsecratque, uti regi, cuius maxime interesset, rem referret. Facit ille, quaeque accepisset, narrat. Rex laetatus, se insidias cognovisse, ac tentatas aliquoties evasisse, illico Roschildiam petit; & vocato Absaloni, aliis secedere iussis, rem exponit. Tum adhibitum, qui haec indicasset, senem iterare, quae commemorasset, iubet. Atque is quum haesitaret, Absalonem, coniuratis genere propinquum veritus, animum confirmat illi, ac *pronuntiaret libere. Ea enim Absalonem ingenuitate esse, ut adfinitatem nullam ante suam incolumitatem ponat.* Quibus verbis confidentior iussa facit, explicatque, quae ab Eremita pridem indicata retulisset, ac discedit. Hinc conqueritur Absaloni Valdemarus, *neque consanguinitatem, neque beneficia sua tantum apud coniuratos valuisse, ut a scelere tam immani abstinerent. Ac videre, si conniveat, cum periculo maximo id iunctum fore, si supplicium festinet, probro minime vacaturum, se quidem insidias perferre malle, quam effuso propinquorum sanguine eas vindicare. Neque tanti vitam facere, verum providendum esse, ne calamitas subditorum inde publica oriatur, liberique, & amici sua morte involvantur.* Post quae verba, quid e re futurum putet, dicere iubet, Absalonque, *dum consilium ultra capiat, corpori custodiam* sua det, *diligentiorem solito; militesque admovere, qui excubias sine ulla intermissione agant. Ita fore, ut nonnulli coniurati, proditos se subspicantes, scelerisque poenitentes, ipsi sponte se accusent.* Quo consilio rex probato, mox in Cimbriam proficiscitur. Quumque Carolus comitantem Absalonem inter viam accedens peteret, ut a rege praefecturam sibi aliquam impetraret, Absalonque illud ageret, percunctatur Valdemarus, an pro beneficio intentaturus necem esset? memorem futurum tamen, quum in Cimbriam advenisset. Idque postea referenti Absaloni, & dissimulanti facinus, ipse quoque animo occultans illud, gratias ingentes agit. Quumque avunculus Eschillus, quem maternum ei avum alii tradunt, per id tempus forte e Gallia rediisset, Ripa, ubi morabatur ipse, ac Canutus frater, eum adeunt. Quae dum fiunt Benedictus, itidem eorum frater, sed ex contubernio natus, sive fraudis occultandae impotentia, sive sceleris, quod conceperat, furiis exstimulatus, in convivio Valdemari, quod is in Fionia tunc capiebat, inter mensam varie versabat cultrum, modo sinu eum condens, modo iterum producens, digitisque insertum tenens, oculos, minarum plenus, saepius in Valdemarum retorquebat. Qua de re Gertrudis postquam filii Canuti sponsa admoneret, Valdemarus Nicolaum, mensae regiae praefectum, observare virum iubet; ac, post epulas sublatas, prope adsistere, adiuturum, si quid ille conaretur. Tum consilium Absalonis nimis diu distulisse se conqueritur, militesque in coenaculum intromitti statim cupit. Qui quum praesto mox adessent, & adstaret inter illos Benedictus, *exploratum sibi*, inquit, *esse, qui in caput suum quamquam obstricti beneficiis coniurassent, nec eorum nomina proferre velle, quia poenitentiam, quam poenam mallet. Interim admonitos cupere, uti se maiore cura, quam ad illud usque tempus custodirent.* Ad quae verba quum indignabundi illi noxios indicari peterent, respondere: *dictum satis, ipsi tantum sedulo deinceps pro se excubarent.* Benedictus emanasse, neque falso coniurationem ratus, ocyus in Cimbriam ad Magnum tendens, quidquid evenisset, refert. Isque quum Lubecam sese sine mora recepisset, ad Saxoniae ducem Henricum festinato mox itinere proficiscitur; Carolusque, & Canutus, itidem per Benedictum clam edocti, Ripis sese subducentes, ad Birgerum Gothiae praefectum abeunt; tutam illic, ut sperabant apud virum, adfinitate sibi nexum, mansionem habituri. At Eschillus, abitu nepotum accepto, quamquam graviter doleret, adit tamen Valdemarum, tunc Viburgi commorantem, & salutat, nulla omnino coniurationis eius mentione, ne adfinis videretur. Rexque item admodum benigne exceptum, & in Scaniam abeuntem, placide a se dimittit. Magnus vero, clam exsilii causam habens, ab Henrico enixe petit, *uti pro se apud regem intercederet, gratiamque, qua exciderat, repararet.* Atque illo veniam delicti eius per epistolam postulante, mittit rex praefectum stabuli, qui perfidiam accusaret. Quumque is, quae iussa erant apud Henricum perfecisset, obfirmato contra veritatem animo, pernegat obiecta Magnus; &, *duello, uti fidem innocentiae suae faciat, cum actore experiri velle* ait. Verum ille excusare, *neque ideo venisse, uti ferro decertaret*, ac suadere, *si haberi insons vellet, lege patriae causam suam tueretur.* Qua quum ferrum adhiberi candens solitum, atque manu id portari (a), dux Henri-

fratres esse illi non possunt, utpote quorum avus maternus fuit Eskillus Lundensis Archiepiscopus, quum *Burisius* matrem haberet *Ingertham*, patrem *Henricum Scatelar*, vitricum *Haraldum Gille*, Norvegiae olim Regem. Sed *Magni Ericii*, cuius Saxo *ead. pag.* meminit, fratres fuisse, mihi extra dubium. Atque hunc Magnum, statuere filium *Erici Agni*, quemadmodum Meursius fecit, nulla prorsus ratione succedit, quum Ericus ille, quantum constat, improlis decesserit, uxorem vero habuerit sororem Hartvici Archiepiscopi Bremensis, hoc autem loco quaeratur de nepotibus Eskilli Archiepiscopi Lundensis. Quaeritur porro, quomodo nepotes Eskilli existimandi sint; ex filia, an sorore? Posterius credidit Meursius, ut videre est *Col. seqq.*

(a) *Ferrum candens portari*) Coeperat tamen lex ista apud nos circa haec tempora evilescere. De re ipsa, in Historiis Septentrionalibus admodum obvia, praesertim in Norvegicis, aliquid hic adnotare velle, prorsus supervacuum; quum ex iis, quae passim alii animadverterunt, integta possint confieri volu-

Henricus intelligeret, & rogaret, *an ab hoc experimento innocentiae testimonium polliceri sibi auderet*, regerit; *incertum sibi, atque anceps hoc videri; neque semper sontes prodere, aut absolvere innocentes. Velle tamen defendendae innocentiae, si se Absalon interponat, & promittat commeatum, regis fidei se permittere*. Quae legatus simulatque nuntiasset, mittit literas Valdemarus, liberamque veniendi, ac recedendi, potestatem pollicetur. Itaque in Daniam venit; &, accepto apud Absalonem hospitio, ceu securus, innocensque, praedia sua intervisit; Sed in Cimbriam paullo post haec, ad dicendam illic causam evocato, adcusante conscientia, animi fiducia cecidit; maxime, quum binas literas, certas initae coniurationis indices, rex ostenderet. Harum unis, Scanos ille adhortari, *ut in regem, multis gravem, arma caperent, vindicem se libertatis habituri*. Alteris, Canutum, & Carolum incitare, *uti Scaniam turbarent, idem se in Cimbria facturum esse. Ita fore, ut, duabus in provinciis occupato Valdemaro, fractis viribus, regno ipsi potirentur*. Quumque, ad excusationem, *fictas esse eas* diceret, *annulumque pridem amissum, scribae sui negligentia, a malevolis interceptum*; illico in medium proferri singulas Valdemarus, ac proponere universis Senatoribus cognoscendas. Qui cum eas inspexissent, plane consternatus Magnus conticescere. Verum Absalon, ut perculsum sublevaret, ne silentium pro confessione rei haberetur, spatium deliberandi, & consilium cum amicis capiendi, concedendum illi dicere. Facta itaque discedendi potestate, ac dimissa concione, quum seorsim Absalonem, & Tuconem, Vendilensium antistitem, olim patris sui clientem evocasset, & exponere innocentiam conaretur, ab utroque falsi arguitur. Inde anxius, quum, quod unicum restabat, confiteri crimen vellet, veniamque postulare, suadet Absalon: *reputaret prius secum, quidnam sibi faciendum existimaret. Peteret deliberando tempus aliquod, neque crimen cogitasse fateretur, nisi ante, an parata venia foret, explorasset. Etenim confessionem, absque eo, haud periculo carere*. Paret monitis, veniaeque certior factus, Valdemaro conspirationis ordinem, loca, tempora, consciosque sine involucro exponit; &, ad genua provolutus, orat supplex, ut ignoscere culpae velit. Rex contentus, quam indignam pro tot beneficiis gratiam retulisset, exprobrasse, surgere iubet, & ignoscens, serio monet, *ne deinceps coniuratis se misceret, nisi faciat, etiamsi crimen lateat Deum, a quo magistratus universi constituti suam in terris vicem gerant, sceleris ultorem fore*. Istis verbis obiurgatum, recipit in amicitiam, sed admissione arcet. Etiam Svenonis filius Christiernus, item inter coniuratos, veniam delicti impetrat, sed exsilio mulctatur. Post comitia, missi ab Eschillo Absalon, & Ascerus, regem orant, ut Canuto, Caroloque, qui nepotes ex sorore, quam fecisset Magno gratiam, simili benignitate, ac clementia indulgeret; sed, petitionis irriti revertuntur, ac repulsam, quam tulissent, statim referunt. Et Ascerum interrogatum, an favisset coniuratis, quum se conscium fuisse, verum numquam consensisse responderet, itidem vertere solum iubet. Eschillus vero, quum spe sua excidisset, acta per moerorem hieme, anno proximo abdicat primatu sese; &, nequidquam Valdemaro retinere cupiente, Galliam petens, in coenobio Clarae-vallis, in Abbatis tunc Bernardi, postea inter sanctos habiti contubernio, vitam finit (a), Absalonque, etsi obnixus maximopere (b), eius loco subrogatur. Inde in laetitiam versus Valdemarus, Daniae proceres, Sveciaeque ad se vocat, filiaeque suae nuptias magno adparatu celebrat; sed mariti, cui eam elocavit, nomen in Historia non memoratur (c). Paulo post Roschildiae quoque cum proceribus regni sui festum Paschalis diem agit. Inter quae e Svecia Torbernus quidam (d), festinatis itineribus clam perferre literas ad Magnum iussus, Scaniam transit, & per Sialandiam, Fioniamque, Cimbriam petiturus erat. Quod cum Thordo, Lundiensium praefectus, Valdemaro indicasset, isque Magnum super istis evestigio compellaret, atque ille pervicax rem pernegaret; dat negotium Valdemarus Monacho cuidam, Adolpho, fidei perspectae viro, & ad littus Balthicum tunc commoranti, uti hominem observaret, ac prehensum, satellitibus ad se deducendum traderet; tum describit, quibus notis, quove cultu nosci posset. Isque ex indiciis iisdem adgnito, postquam manum iniecisset, illicoque comprehensum transmisisset, mox adductum in conspectum Valdemarus de re tota percunctatur, ad quem missus, quidve literarum ferret. Quumque initio occultaret, & ambigue responderet, quaestionem comminatur. Qua perterritus, confitetur, lignum se compactile (e) habere quoddam, Magno dandum, atque id Canutum sibi, Carolumque tradidisse, qui dimidiam eius partem apud se retinuissent. Ista fassum, Absaloni rex custodiendum mandat, & praefectum stabuli sui comprehendere Magnum iubet, quem mox captum, ac convictum, ad Thorbernum in urbem Laterensem mittit, arcto carcere adservandum. His peractis, novum in Vandaliam orditur bellum, quod gens illa, interceptis pridem

(a) *Vitam finit*] Mortuus est Clarevallis anno 1182. (all. 1181.) die 6, Septemb. postquam anno 1178. e Dania illuc abierat. Vid. Magn. Matthiae in *Catal. Episc. Lundens.* Manrique *Annal. Ord. Cisterc. Tom.* 3. Arnoldi *Chron. Slavor. lib.* 3. *cap.* 5. & plures.

(b) *Etsi obnixus maximopere*) Vid. Baron. ad ann. 1177. *n.* 91. & 92. ubi dicit: *Alexandrum Papam, missa in Daniam legatione, Absalonem Roschildensem Episcopum, de Ecclesia optime meritum, penitus repugnantem auxisse Archiepiscopatu Lundensi, quum novi sanciendi decreti nova, & suasibilis causa praecederet. Sed sic primum tentatum, ut duo uni, coactione Pontificis', darentur Episcopatus, male postea apud plures transiisse in exemplum*.

(c) *Mariti nomen non memoratur*) Is fuit Ericus Rex Sveciae; filia autem Valdemari, quae isti Regi in manum convenit; *Rikiza*.

(d) *Torbernus quidam*] Sic & Pontanus. Sed Saxo *pag.* 358. & *seq.* vocat *Thormerum*: neque aliter est in editione principe.

(e) *Lignum compactile*) Saxo *pag.* 359. „ Lignum compactile, „ quale more Danico inter amicos sigilli vim obtinet, a se „ epistolae loco gestari confessus. „ Nempe *tesseram*, inter amicos, & saepe coniurationis socios, missitari solitam.

Saxonis legatis, filiae dotem adferentibus (a), provocaverat; quumque ablata reddi posceret, ad iniuriam addidere contumeliam, nuntiosque admodum superbe acceptos, cum ludibrio dimisere. Itaque, vocato in societatem belli Henrico, & auxilio Rugianis, qui locorum gnari essent, imperato per Zuinam amnem ingressus, desertum ab Incolis Iulinum igne exsurit: Et Henricus, qui Deminum obsidebat, quum haud facile expugnari urbem posse animadverteret, alveum praeterfluentis amnis derivare adgressus, quum nec ita plane quidquam promoveret, & aestate inclinante, ab obsidione coepta discessisset, nato forte mox incendio universa conflagravit. Dani contra, quum Coscoam ad extrema adegissent, expugnatam incenderunt. Quibus actis, quum Henricum Valdemarus convenire statuisset, per paludes, quae obiectae inter viam impeditur. Hinc, Caminum quum tentasset agrum adsitum populatus, & Henrico expeditionis fine per legatos nuntiato, Valogastum usque tendit. Quo & ipso divexato quum ingentem sibi praedam coegisset, domum redit. Sed, acceptam contumeliam magis etiam ulturus, instaurato mox exercitu, rursum Vandalos adgreditur, copias Canuto filio, tunc militiae primum duci Absaloni, & Episcopo Slesvicensi Friderico, ipse domi remanere certus, mandat. Sed infelix Fridericus, nullo fortitudinis experimento, fracta tempestate navi medio in cursu perit. Ac Canutus, Absalonque, quamlibet amisso illo, iter suum persequuti, quum Obstrosnam adpulissent, adeo inexspectati hostibus super venere, uti multos intra aedes occuparent; adeoque totam pene regionem devastassent nisi tectis temere iniecto igne, rem nonnulli prodidissent, Inde Valogastum adorti, postquam pontem disiecissent, urbem quoque oppugnare incoeperunt. Ea re coacti statim gentis principes Cazimarus, atque Bugislaus fratres, pacem petunt, redimuntque; ac dimissis, quos tenuerant, legatis, dotem quoque interceptam, & talentum binis millibus (b) aestimatam, repraesentant. Insuper Canuto centum nummum libras, totidemque Absaloni. Atque ita, re praeclare adeo gesta, se in Daniam recipiunt, maxima a Valdemaro gratulatione excepti. Qui quum mox in Cimbriam digressus esset Canutus, Carolusque frater, coniurationis pridem in Valdemarum manifesti, ideoque ad Birgerum Gothiae praefectum, profugi, postquam copias sibi aliquas contraxissent, impetum in Hallandiam faciunt. Vbi quum favorem sibi incolarum promisissent, omnia experti contra, repelluntur; &, in nemore, quod est inter Gothiam, Hallandiamque limitaneum, aciem quum instruxissent, infelici pugna victi, sceleris sui poenas luunt. Nam Canutus, plurimis vulneribus saucius, ac captivus, ut non multo ante Magnus, ad Thorbernum adservandus deportatur, ut delicti illi socius, ita carceris futurus. Carolus vero, vulnere lethali accepto, quum de via secessisset, vitam acerbam inter arbores terminavit; uno hoc felicior fratre, quod, quum ille aerumnosam in custodia animam ceu servus traheret, ipse liber exhalaret. Anno proximo Henricus Leo dux Saxoniae, ob deser um in Italia Fridericum Barbarossam Imperatorem, de se meritum praeclare, ac propinquum, iam proscriptus, profugusque, se ad Valdemarum confert, transitoque Eidorae ponte, quod postremo in colloquio per superbiam recusaverat, opem petit. Neque abnuit Valdemarus, & testatur, quamquam nullam in hanc rem dedisset fidem, qua obstrictus teneretur, tamen sponte, veterisque amicitiae ergo, velle, si quae moneat, facere non detrectaret. Ac quum bona, quae Ecclesiis pridem erepta possideret, reddi posceret, isque illud se facturum pernegaret, frustra fuit. Vnum hoc concedit tantum, ut auxilium denegatum, ne exemplo alii dilaberentur, aut deSererent, tacitus dissimularet. Itaque Germaniam Henricus suam, Valdemarus Daniam petit, moxque Scani turbavere, ad quos Absalon componendos ablegatus, quum nequidquam id tentasset, & in Sialandiam se recepisset, in Samsoam, ubi rex venationem tunc agebat, evocatur; ac post illum, ceteri quoque regni proceres, ubi quum negotia provinciarum ceterarum rex tractasset, de sedando Scaniae motu mox deliberare cepit. placuitque, ut, sublato mali initio, inveniri finis posset, removendos a muneribus publicis extraneos esse, eaque indigenis impertienda: Et effectum id fuisset, nisi adversatus Absalon, nihil regiae potestati, quae tot secula tenuisset, quamque Scani nunc convellere conarentur, detrahendum censuisset. Itaque, suffragiis tunc repetitis, visum fuit, ut per literas minis mixtas, & blanditiis, ad obsequium pristinum revocarentur. Verum eae, postquam missae, ita populum antea exasperatum, porro etiam commoverunt, uti solitis vectigalibus, & Episcoporum decimis, e vestigio abrogatis (c), vetita dudum sacerdotibus matrimonia restituerent, & sufficere horum sacra, neque praesulum ministerio opus esse dictitarent, Quibus rebus nuntiatis, Valdemarus armis cogi oportere arbitratus, ocyus coactas copias iuxta Helsenburgum exponit. Absalonem, qui extremum agmen ducit, pi-

scato-

(a) *Filiae dotem adferentibus*) Error. Saxo enim *pag. cit.* sic: „ Spoliatis Valdemari legatis, navigium, muneribus eidem a „ socero transmissis onustum, cepere, „ Ergo non *dos filiae*. sed missa tantum, ut inter amicos, fuere *munera*; neque Henrici, sed Valdemari Regis legati, qui intercepti, spoliatique.

(b) *Talentum binis millibus*) Haec, & quae sequuntur, pari modo Saxo *lib* xv. *pag.* 362. Sed Knytlingorum Histor *cap.* 126 paullo diversus: „ Tum Orientalis Vandaliae Duces „ Burizlavus, Cassamarusque Regem Canutum, & Archiepisco „ pum accedentes, pacem rogant, ac foederis quondam san„ citi, nuperque temerati, renovationem. Quam & datis ex „ singulis provinciis obsidibus, numeratisque Regi mille quin„ gentis auri marcis, Archiepiscopo autem quingentis, impe„ trant, adiuncta stipulatione, nullam regionem, quam liberam „ esse Rex iuberet, illorum incursionibus inposterum vexan„ dam fore. „

(c) *Decimis e vestigio abrogatis*] Nempe, ut docet Saxo *lib.* xv. causae rebellionis erant, *prima*, quod Scanienses coloni praefectos sibi imponi non extraneos, sed indigenas a Rege postularent; *altera*, quod decimarum pensiones abnuerent; ac *tertia*, Sacerdotum coniugium, quod restitutum cupiebant. Addebant praeterea sufficere sibi ministerium Sacerdotum, sine Episcopo, hocque minime opus esse.

ſcatores, ſparſim littus accolentes, per contemtum ſaxis petunt. Rexque impatiens contumeliae, qui amaret maximopere Abſalonem iam invadere, & ulciſci, cupiebat: Sed Arhuſienſium antiſtes, Sveno, blandis verbis retinebat, & orabat, ne in viles adeo animas quidquam durius ſtatueret. Hinc provinciae nobilitas, regem ipſum, & ſeorſim Abſalonem adloquuta, ſuadet, *ad ſedandum motum, uti Abſalon, aliique, extra Scaniam prognati, a muneribus Scanicis removerentur. In hos enim, propter avaritiam, ſuperbiamque, non in regem populum concitatum eſſe, neque alium tranquillandi reperiri modum poſſe*. Quam ſententiam quum & Cimbri ſequerentur, ſevocatum Abſalonem adhortatur Valdemarus, *ne repetere Sialandiam dedignetur, neve probrum illud putet. Scire enim, pro prudentia illa ſua, in conſiliis, quae honeſta maxime forent, non admitti ſemper poſſe, & utilia, pro neceſſitate rerum, aliquando ab invitis anteferri oportere; itaque nunc morem gereret, temporique obſequeretur*. Neque ille reluctatur, vir ut prudens, ita regis, patriaeque in maiorem modum amans. Paulo poſt, & Valdemarus, commeatu deſti tutus, ipſum ſequitur, & Scanorum optimates, amplius de pace acturus, ſecum Helſingoram ducit (a): Qui cum Abſalonem coram excuſantem ſe audirent, ſic oratione eius demulcentur, ut ad populum, ſine cuius hic conſenſu nihil poſse teſtarentur, referendam rem cenſerent. Verum, quum nec ſic omnino aliquid promoveretur, ſacra Abſalon univerſis interdicit, & templorum fores claudit. Ad quae clamitantibus illis, *ſibi vitae adminicula Sacerdotes, non Epiſcopis, debere; ideoque ſua illis exſequenda iuſſa eſſe; aut e patria excedendum, niſi vita ſpoliari, & bonis velint;* cum intrepido ad haec animo Sacerdotes reſponderent, *ſola ſe Epiſcoporum iuſſa adgnoſcere, & obſequium illis tantum ſibi exhibendum eſſe*. Victus hac conſtantia populus, in inducias conſentit, & ablegat, qui has petant. Inter quae quum neque ſic iniuria ulla, aut rapina abſtinerent, rex in Scaniam vere imminente tendens, ſolas Sialandiae copias ſecum ducit, & cum illis Abſalonem, comiteſque item paucos. Lundiaeque aliquot diebus actis, in vicinum rus concedit. Qua re Scani boreales, & Hallandi concitati, belli ſibi cauſam fingunt; ac, quod ipſis uſitatum, ceu tuendae libertati, ſtipite per pagos miſſo (b), veluti edicto aliquo, copias militares cogunt. Rex ad Dyſiae pontem occurrit, quem utrimque dum conantur occupare, diu anceps pugna fuit. Sed quum equites Abſalonis, vado invento, tranſiiſſent, victi Scani, partim ferro caeſi cadunt, partim flumine ſubfocantur. Inde Lundiam rex regreditur, & in Scaniae eam partem, quae ad Orientem ſita, ſe convertens, quum hic quoque arma populus rapuiſſet, ad Getungam pontem accedit. Quem quum Scani, uti aditu prohiberent, lapidum congerie communiiſſent, rexque ſuos itidem reperto vado tranſmiſiſset, iamque in procinctu ſtaret, territi ſuorum clade, pacem petunt, impetrantque, adiutante Abſalone. Itaque, abducens obſides, poſtquam Lundiam rediiſset, faciles ad quaevis habuit, niſi quod ad ſolam decimam perſolvendam nullo modo cogi ſeſe paterentur. Ac, quantumvis Abſalon obniteretur vehementer, nec ſacrorum quidquam iuri detrahi omnino ferret, tamen rex, momentum rei quum perpenderet, & Canutum cogitaret, olim Othoniae ob eamdem cauſam caeſum, tempori cedendum ratus, nimium urgere deſiit; certus, poſtquam animi deferbuiſsent, ſe prudenti lenitate aliquando obtenturum, quod nunc armis nequiiſset. Atque ſic compoſito inpraeſens motu diſceſsere. Inter iſta, quum Henricum Saxonem perſequeretur Fridericus Barbaroſsa, ac Lubecam perveniſset, & hoc ageret, ut amicos ei omnes interverteret, etiam ſubtrahere ipſi regem Valdemarum cupiens, per legatos filias illius binas, filiis totidem uni mox futuro Caeſari (c), alteri autem Sveciae duci, uxores petit. Regni proceres, qui hoc potius odio Henrici ducis, quam amore Valdemari fieri exiſtimarent, admonebant, ut matu-

(a) *Helſingoram ducit*) Non Helſingoram, utpote, quae in littore ſita Saelandiae; ſed *Helſingburgum*, Scaniae oppidum. Saxo *h. l. pag.* 367. vocat *Helſingum*.

(b) *Stipite per pagos miſſo*] Tali ruſticis ſolenne erat contribules ſuos ad arma, ingruente hoſte, vicatim convocare. Vernacule iſte ſtipes vocatur *Budſtikke*, a *Bud*, nuncium, & *Stikke*, ſtipitem, vel lignum acutum ſignificante. Vid. & huc Stephanii *not. in Saxon. pag.* 250.

(c) *Totidem, uni mox futuro Caeſari*) Haec ex Saxonis *lib.* XV *pag.* 369. ut notum. Neque in his ullam de fide Saxonis concipere dubitationem poſſumus, quum in rebus ſui temporis perſcribendis, prout ab hero ſuo Archiepiſcopo acceperat, heic verſetur. Nihil etiam in exteris eſt Scriptoribus, quod huic narrationi deroget. Nam quod Arnoldus Lubecenſis dicit, *lib.* 2. *cap.* 35. unam tantum filiarum Valdemari in familiam Caeſaris, ut nuberet, deſtinatam, deſponſam, ſcilicet Duci Sveviae; eſt id ipſum, quod Saxo poſtmodum diſerte *pag.* 371. indicat; videlicet Valdemarum, deterritum *triginta millium talentuum* ſumma, quae maiori filio expetebatur, minore adquieviſſe, quippe cui octo talentum ſufficiebant millia. Itaque inter alterum filiorum Caeſaris, natamque Regis *deſponſionis vinculum* (ut cum Saxone loquar,) *ſacramenti religione conſtrictum*. Ea vero quum ita ſe habeant, verſantur utique in manifeſto errore noſtrates, quotquot Caeſaris illum filium, cui Valdemarus filiam ſuam addixit, nominant Henricum, eum, qui poſtea Imperator factus. Quorum e numero ne quidem excipere licet ipſum Cancellarium Hvitfeldium, ut videre eſt ex *Tom. I. Chronicor.* eius *pag.* 235. nec non *Tom. II. pag.* 14. Atque is quidem utrobique Henricum *Ducem* adpellat *Sveviae*, qui tamen Romanorum Rex dudum erat deſignatus, neque alio titulo, quam Regio, utpote anno 1169. ſolenniter inauguratus, utebatur. Pontanus pari, imo maiore, quam Hvitfeldius, confidentia, geminae *Tabulae Genealogicae*, ad finem *libri* VI. *pag.* 323. *ſeq.* non dubitavit haec inſerere: *Chriſtina* (Valdemari I. filia,) *deſponſata Henrico eius nominis VII. Imperatori &c. qui poſtmodum duxit Conſtantiam, Rogerii Siculi filiam &c.* preſſe ſcilicet inſiſtens veſtigiis Claudii Lyſchandri, ſcriptoris ſupra modum infidelis, incurioſi, temerarii, & contra quem nulla umquam ſatis adhiberi poteſt cautio. Perſpexit, ni fallor, hallucinationem Pontani noſter Meurſius, eamque correcturus, in Canuti VI. Hiſtoria (infra *Col.* 348) ad ann. 1184. filium illum, de quo quaeritur, Caeſaris, ter nominavit *Cunradum Ducem Sveviae*. Sed neque ipſe Meurſius immunis ab hallucinatione. Ignoraſſe enim videtur, aut oblitus eſſe, Vir doctiſſimus, inter Henricum, maximum Friderici I. filiorum, & Cunradum, aliquem extitiſſe medium, qui parenti cognominis. Equidem hunc genuinum illum eſſe, qui Valdemaro gener eſt deſtinatus, ex titulo *Ducis Sveviae*, (quippe quem & Saxo Grammaticus, & Arnoldus Lubecenſis memorant,) cognoſcitur. Quinque enim Friderico I. fuerunt filii, ex quibus ſecundus, patris nomen gerens, ab eo *Ducatum Sveviae cum hereditate VVelphonis* obtinuit, teſte Ottone de S. Blaſio *cap.* 21. *pag.* 207. idemque ſemper ab Hiſtoricis *Dux Sveviae* adpellatus, patri in bello ſacro adminiſtrando ſucceſſit, brevique poſtea in obſidione Acconis extinctus eſt, teſte Conrado

mature rem perpenderet, & momenta provide consideraret; neque rex, qui facile illud intelligeret, usque adeo propendebat; sed regina impellebat, gloriosum filiabus matrimonium arbitrata. Nec multo post, magnifica instructa classe, rex Lubecam iter capit, ubi excipiunt adpellentem obvii Germanorum equites, & adventum gratulantur. Simul rogant, uti naves amne Trava provehi, quousque possent imperaret, quo a castris Caesaris abesset propius. Tum postridie, quum legatos mitteret Caesar, medioque in itinere, si sic vellet, obviam se processurum nuntiaret, respondere; se in castra Caesaris iturum esse, nec molestiam creare illi aliquam ob tantillum viae velle. Inde accedentem amplexus, & exosculatus, Caesar, dextera prehendit comiter; &, amiculo deposito, media per castra ducit. Tanta autem multitudo ad videndum eum accurrerat, ut tentorium Friderici, nimiae haud capax turbae, etiam collaberetur; ita ut sub dio ipsi, quique aderant magnates, considere cogerentur. Illic voces Germanorum exauditae, qui & formam Valdemari, & staturam admirati, eum regem, & imperio dignum dicerent; Caesarem homuncionem, regulumque adpellantes. Inde, vespera imminente, duci eum in propinquum tabernaculum Caesar iubet, & eadem comitate, qua exceperat, mox dimittens, postero die ad propinquam portui silvam, gratia colloquii uberioris, se exspectaturum dicit. Abeuntem & Germanica iuventus universa sequebatur; &, honoris etiam maioris caussa, filios ad eum accedere iuxta navem, atque ibi lusitantes commorari aliquantum, Caesar iubet. Ipso hoc testatum volens, quanti faceret, & quam gratus sibi adventus adcidisset. Post quae, quum uterque loco praestituto convenissent, nuptiarum mentionem orsus Caesar, dotem filio maiori tricies mille selibras argenti petit, octo alias minori. Id proceribus subspectum, & effecit, ut subesse fraudem crederent, siquidem idoneam aetatem nuptiis necdum filiae adtigissent. Ac rex ipse, summa illa grandiore denegata, in minorem vix consentit, & pro ea fidem Bela, rex Hungariae, nominis illius tertius, consanguineus, interponit. In quae postquam convenissent, & iurando confirmassent, Caesare castra repetente, rex in classem retrocedit. Posteroque rursum mane praeter exspectationem, cum exiguo comitatu adest Caesar, atque, evocato rege, *esse*, inquit, *quae cum eo agere seorsim velit*. Inde, *non ignarum sibi, quidnam pridem de Vandalia, in ipsius potestatem redigenda, promisisset; nunc orare, ut cum bona eius gratia ad Henricum coercendum, Bugislavo, ac Cazimaro fratribus, largiri liceat, ducum titulo possessuris; ita tamen, ut Henricum quum in ordinem coegisset, ipsi submittendum curet*. Quae non plane abnuente Valdemaro, die insequente Caesar, convocata concione, Bugislao, & Cazimaro, ritu in talibus usitato, aquilas tradit, ac Vandaliae duces nuncupat. Et ibidem Sigefrido, summi in Thuringis loci, Valdemari filiarum natu maxima, Caesare consentiente, desponsatur; moxque nuptiae Slesvici maxima celebritate peraguntur. Eodem tempore, ut Ericus Pomeranus nobis auctor [a], Nordalbingiam, quam adpellant, Valdemaro Fridericus universam est largitus; datis in id codicillis, quos Mechtildis postea, Abelis uxor, post maritum apud Frisios interfectum, odio Danorum exussit, sicut in Abelis fine a me est commemoratum. Neque recte Aven dictam eam feminam confingunt, quos corrupta Erici verba in errorem adduxerunt. Per id tempus, quum munitionem, quam ad ostium Suinae fluvii pridem Vandali exstruxerant, mare exundans disiecisset, primo vere binas alias eius loco condiderunt, satis tutos se putantes, modo Penus Valogasto, & Suina his duobus munimentis clauderetur. Quod quum rex ex Rugianis accepisset, expeditionem in illos filio Canuto mandat, comitemque Absalonem, qui consilio regat, addit. Verum, quum se Sialandos, atque Scanos, Absalon ducturum diceret, Cimbros vero, qui odisse se coepissent, & Canutum, ob aetatem adhuc teneram, parvi facerent, pernegaret, Valdemarus graviter commotus animo, se iturum, etsi infirma valetudine, inquiebat. Simul, aucto ex offensa ea morbo, lectum petit. Ac postridie, quum, ut sui rationem habere vellet, sedulo orarent duces, ac negotium, se absente, recte quoque curaturos adfirmarent, vix persuasus, Vortingburgi se mansurum pollicetur. Sed, quum classis intra portum tempestate diuturna teneretur, mox tumultuati Cimbri, & defectum commeatus incusare, & dimitti flagitare. Hos Homerus, Ripensium antistes, uti dignitate sua, sic facundia, inter primos, verbis demulcere nisus, postquam frustra haberetur, atque illi se maiore nihilominus pervicacia obfirmare viderentur, comprehendi ex his quemdam, & abducti vinctum mandat.

rado Vrspergensi *pag. m.* 313. Post huius fatum Sveviae Ducatus ad tertium Friderici I. filium, Cunradum, pervenit, beneficio fratris Henrici VI. Imper. Atque hoc demum post annum 1191. igitur, ut dicebam, ex tribus Friderici I. filiis, medius fuit, Fridericus nempe Sveviae Dux, cui filia Valdemari Regis desponsata. Qua vero anno 1188. in Daniam remissa, idem princeps, auctoritate patris coniugale inivit pactum cum Hungariae Regis filia, sed (ut ait Vsperg. *pag.* 311.) *morte praeventus eam non transduxit*.

(a) *Vt Ericus Pomeranus nobis auctor*) Neque tamen is solus, sed plures eamdem rem adtestantur. Nam veteres *Annales MSS.* haud uni, & Thomae Gheysmer *Compend. Histor. Dan. MS.* consonant Pomerano. Plenior tamen illis hic, in loco haud indigno, qui exscribatur: „ Anno Domini MCLXXXI. Valdemarus occurrit Fritherico Imp apud Traven, ubi duas filias suas maritavit, unam filio Imperatoris, aliam Comiti Sifrido. Vbi etiam obtinuit ab Imperatore dominium totius „ Nordalbingiae, hoc est, omnium terrarum ad aquilonarem „ partem Albiae, super quo habuit literas Imperiales cum bulla „ aurea, & literas Papales, videl. Domini Innocentii Papae III. „ de confirmatione dictae collationis pro iure perpetuo habendae; „ sed has literas, post mortem Regis Abel, quaedam mulier „ Teutonica, filia diaboli, destruxit in odium Danorum. „ Loquitur de Regina Mathilde, Abeli Regis coniuge, quippe quam perhibent diplomata, quotquot officere Holsatiae suae domui credebat, abolevisse. Ericus Olai in *Histor. Svec. lib.* 3. scribit Valdemarum ab Imperatore accepisse *dominium super Daniam, Sveciam, & Norvegiam*. Absurde; credo autem eum corrupto Annalistae alicuius usum Codice, cuius archetypus habuerit: *dominium super Daniam, Slaviam, & Nordalbingiam*.

dat. Quae res, summa indignatione excepta, maxime tumultum auxit, optimumque factu, ducibus visum fuit, ut remitterent militiam, & cuique discedendi potestatem indulgerent. Vnde, quum reverterentur Vortingburgum, redeuntes e fenestra conspicatus Valdemarus, animoque consternatus, morbi sui magnum incrementum cepit. Eo tamen maxime dissimulato, blande venientes excipit, ita uti sanitati restitutum pristinae existimarent. Inde tamen sevocato Absaloni, inter ceteros sermones, memorat *incerta vitae, & extremam eius horam saepe etiam nihil tale exspectantes occupare; itaque decretum sibi pie comparato animo, finem suum exspectare*. Hinc testatur, quid donatum cuperet sacratis locis, quidve aliis quibusdam, idque e suo patrimonio; nam pecuniam regni excipere, & quaecumque ad aerarium eius publicum pertinerent. Post haec, quum remedium illi Abbas quidem Scaniensis, artis medicae, quam profitebatur, rudis [a] imprudenter propinasset, ac cubiculo, eius iussu, sanitatem ad sudorem emanantem promittentis, universi excessissent, vita fungitur; quum vixisset annos quadraginta octo [b], regnum vero solus quinque & viginti tenuisset. Princeps animo, & virtutum, ac gestarum rerum gloria, iuxta magnus, & hoc ipso cognomento summo iure adpellatus. Pace quidem, pius, iustus, prudens, clemens; bello fortis, pariter ac fortunatus. Tum mansuetus utrobique; ut, offensum qui metuerent, etiam pacatum amarent. Rugiam subiecit regno, & Ecclesias eius insulae Dioecesi Roschildensi. Vratislaum, Stetini ducem vicit, & clientem fecit. Henricum Leonem, Saxoniae ducem, animo, potentiaque praeferocem, ter in ordinem coegit; bis Erlingum, Norvagosque, saepe Vandalos [c], maluitque in devictos venia, quam poena, uti. Etenim, ut est profecto statuebat, magni animi esse, ignoscere; vindicare, timidi, aut impotentis. Verum alia regum ratio; nam privatim etsi famae suae consulant, gloriamque apud posteros mansuetudinis consequantur, tamen publice delinquunt, in salutem subditorum, quorum interest, ad securitatem suam, nihil tale hosti umquam, aut perduelli, condonari. Itaque laudare illud prudens princeps potius, quam sequi, velit. Leges condidit praestantissimas, quarum illae Sialandicae, istae Scanicae nuncupantur. Filios reliquit duos: Canutum, & Valdemarum, ambos sibi suo ordine successuros. Insuper Christophorum, ex contubernio natum habuit; quem, donatum praefectura Slesvicensi, paulo ante obiisse [d] memoravi. Filiae autem quatuor erant, quarum primam, convocatis Daniae pridem, Sveciaeque optimatibus, sed incertum cui viro [e] elocavit. Duae aliae totidem [f] Caesaris Friderici Barbarossae filiis nuptae, quartam Sigefridus duxit, Thuringiae comes.

(a) *Artis medicae rudis*) Abbatis illius, in quibusdam defensionem subscripit, in aliis imperitiam adcusat Medicus olim & Polyhistor excellens Thomas Bartholinus pater, in opere de *Medicina domestica Danorum*, *Dissert.* IX. *p.* 419. *seq.*

(b) *Annos quadraginta octo*) Sed quum verum eius annum natalem ostendimus supra fuisse MCXXXI. mors vero incidat in ann. MCLXXXII. 2. Non. Maii. Habuit, quum e vita excederet, annos quinquaginta unum, menses quatuor. Magnus sane inter Annalistas nostros consensus est de anno eius emortuali; solumque illud, quod dubium queat eum facere, est Diploma Ecclesiae Otheniensi datum, anno 1184. XII. Kalend. April. qui ibidem annus *Canuti Regis* scribitur.

(c) *Saepe Vandalos*] Knytlingor. Histor *cap.* 127. *Praeliis viginti & octo contra idolorum cultores defunctus*.

(d) *Paulo ante obiisse*] Imo novem annis ante patrem. Chronicon Sialandiae: *Anno* 1173. *obiit Christophorus Dux Iutiae*. Knytlingor. Histor. *cap. cit.* „ Christophorus ex Tova concu-„ bina natus, decimo ante mortem patris anno obit. „

(e) *Incertum cui viro*) Sed hunc virum constat fuisse Regem Sveciae.

(f) *Duae aliae totidem*] De duarum quidem matrimoniis inter Caesarem, & Valdemarum actum; sed una tantummodo desponsata est, ut nuper animadversum. Alia vero filiarum eodem ipso tempore in manum convenit Sigfrido Thuringo, nuptiis deinceps Slesvici celebratis. De tribus, earumque coniugiis constitit auctori Historiae Knytlingorum, easd. *cap.* 127. sic recensenti: „ *Prima* fuit *Ingeburgis*, nupta Galliae Regi „ Philippo, filio istius Ludovici, qui Damiatam expugnavit. „ *Altera*, *Rickissa* nomine, quam Ericus, Canuti fil. Svecorum „ Rex duxit, ex quo coniugio procreati sunt, Ericus Svecorum „ itidem Rex, ac Ingelburgis Birgero Sveciae Comiti „ collocata, cui Valdemarum Sveciae Regem, & Ericum filios „ dedit, filiamque Rickissam, Haconi iuniori, Norvegiae Regi „ connubio iunctam, *Tertiam* Wilhelmus Crassus Henrici, Du-„ cis Brunsvicensis filius, Ottonis Imper. frater in matrimonio „ habuit. „ Haec Islandus ille Historicus, cui videtur ignoratum fuisse nomen tertiae, quod nostrates quidem *Adelheidem*, exteri vero omnes. & quidem ipsi, quibus magis fidendum, Brunsvicenses, *Helenam* scribunt. Ab hac vero, eiusque filio *Ottone*, vulgo *Puero* cognominato, omnes qui postea floruerunt, & in hunc diem florent, Principes ac Duces Brunsvico-Luneburgici, *recta*, ut loquuntur, *linea* descendunt. Pomeranici Scriptores, atque *Tabulae Genealogicae* in Valentini ab Eikstet, Dan. Crameri, & Io. Micraelii Historiis, unam porro filiarum Valdemari I. nominant, nostris praeteritam, (nisi quod Lyschander ex Pomeranis, ex Lyschandro eam desumsit Pontanus, *pag.* 323.) Hanc *Valburgin* dicunt, quae Buguslaum I. Pomer. Ducem habuerit coniugem. Praeterea duas, aliquot annis post patris obitum innuptas, ac Deo consecratas, vixisse in Coenobio Roskildensi, *epistolarum* S. Wilhelmi Abbatis manifestum facit. Atque has quidem virgines Hvitfeldius easdem est arbitratus, quae anno 1181. Caesaris filio, & Sigfrido Thuringo fuerant desponsatae, posteaque in Daniam remissae. Verum de Sigfridi coniuge omnino falsum, quod remissa sit, ut posthac demonstrabimus. Vtriusque, tam Sveviae Ducis sponsae, quam Sigfridi uxoris, nomina proferunt sine haesitatione nostrates, illam *Christinam* hanc *Ingeridem*, vel *Ingertham* adpellando; quam vere, ipsi viderint, quum apud nullum vetustiorem ea hucusque datum sit reperire. At neutrius istarum adpellationum vestigium cernitur in laudatis S. Wilhelmi litteris; hae vero in omnibus apographis sic incipiunt: *Virginibus sacris, regali stirpe progenitis M. & M. frater VVilhelmus* &c. excepto uno, quod penes me est, exemplo, ubi *Margaretae*, *& M.* legitur. Atque haec de filiabus Valdemari I. hactenus observata sufficiant, donec tempus fortassis, & ulterior disquisitio aliquando plura suppeditarint.

F I N I S.

HISTORIAE DANICAE

CONTINVATIO

SIVE

DE REGIBVS DANIAE

QVI FAMILIAM OLDENBVRGICAM PRAECESSERVNT

Et eorum rebus geſtis a Canuto VI. in quo Saxo deſinit, uſque ad Chriſtianum I.

LIBRI QVINQVE POSTERIORES.

SERENISS. ET CELSISS. PRINCIPI AC DOMINO.

CHRISTIANO

ELECTO DANIAE, NORVEGIAE, GOTHORVM, ET VANDALORVM PRINCIPI,

Duci Slesvici, Holsatiae, Stormariae, & Dithmarsiae, Comiti Oldenburgi, & Delmenhorsti

PRINCIPI, AC DOMINO CLEMENTISSIMO.

DE Historiae dignitate, & utilitate, SERENISSIME AC CELSISSIME PRINCEPS, *verba in praesens multa facere, non est opus; quum id hactenus abunde plurimi doctorum fecerint, & ab omni adeo aevo, apud summos quosque reges, principesque, maxima illius semper fuerit existimatio; bonos dico, qui virtutes, quas amabant, etiam in aliis legere magnae voluptati habebant. De quam plurimis, paucos dicam, & posterioris aevi, quorum nomina, & exempla, illo tuo fastigio digna, recenseri non gravaberis. Fridericus Imperator, nominis istius primus, ut Historiam Otho Frisingensis scriberet, adiumenta undecumque conquisita, sedulo suppeditabat. Sigismundus, uti in Latinam linguam Arrianus verteretur, imperabat. Maximilianus I magni Cuspinianum fecit, ac Germanicarum rerum undique collectis Chronicis; unum quoddam ex his corpus, integrumque, viris aliquot eruditis componendum demandare constituerat; ac, propositum quamvis ipsi non successerit, sive, quia aliae Imperii curae intercederent, sive, quia vix idoneos ad rem tantam inveniret, tamen aequum est, tam praeclaram voluntatem minime posteritati ignorari. Ferdinandus, itidem I. proprios Historiae scriptores habuit, Langum, & Lazium; eiusque filius, Maximilianus II. Ioannem Sambucum. Galliae rex, Henricus IV. iure Magni cognomento, ob gestarum rerum gloriam, adpellandus, libros Iulii Caesaris de bello Gallico, etiamnum adolescens, in vernaculam linguam transtulit; &, virilem iam aetatem consequutus, postquam res gessisset maximas, pace regno constituta, Iulii Caesaris exemplo, etiam scribere eas cepit. Verum, opus praeclarissimum, ut absolveret, minime negotia regni, morsque a sicario accelerata, permisere. Porro & Petro Matthaeo istud muneris iniunxit, quem haerentem in incertis, ipse instruere aliquoties neutiquam gravatus fuit. Senatus Venetus, Petro Bembo, viro genere patritio, dignitate Cardinali, Reipub. suae Historiam literarum monumentis consignandam commendavit, & Sabellicum ad hoc ipsum quoque munus, constituto trecentorum aureorum ad id stipendio, illud temporis amplissimo, invitavit. Quamquam quid externa ista attinet commemorare, postquam* SERENISSSIMAE TVAE CELSITVDINI, *& domestica sint exempla. Absalon Vidus, non is quidem inter reges, sed auctoritate regia, & duorum Daniae regum, Valdemari nempe primi, ac Canuti, nominis illius sexti, eius filii, instar quoddam, versa in caenobium Sora, suo pago, novis Monachis a se ibi constitutis, legem dixit, ut, quod anno quolibet memoria posteritatis dignum in Dania gereretur, scriptis proderent; atque illis negligentibus, mox Saxoni, praeposito Roschildiensi, id praecepit. Qui deinde munus istud, uti bona certe fide, sic cum magna nominis sui gloria est exsequutus. Posteaque inter ispos etiam reges, Ericus X. sicut regno, ita Opere historico, quod nunc exstat, nomen sibi immortale comparavit. Hunc sequutus, quamquam aliquo intervallo, Christianus II. etiam quum exul esset, Petrum Parvum Rosefontanum, equestri dignitate virum sibi adscivit, ut Latine historiam suarum rerum concinnaret. Avus tuus Fridericus II. Ioannem Svaningium, & Andream Velleium, munus id subscipere iussit. Pater tuus, atque regni universi, qui nunc summa pietate, aequitate, sapientia, Daniam regit, utque porro diutissime etiam regat, subditorum omnium votum est, Nicolaum Cragium, Ionam Venusinum, Claudium Lyschandrum, Ioannem Isacium Pontanum, viros doctos, & nonnullos item horum fama claros, scribere Historiam iussit, ac me denique, post egregia regni sui tot ingenia, ut hanc operam navarem, ex Hollandia clementissime evocavit. Est nimirum a natura comparatum, & adgnatum maximis quibusque animis, ut, quemadmodum virtutem summo sibi studio colendam putant, sic hoc ipsum a posteritate quoque sciri cu-*

cupiant. Equidem sola sibi virtus satis pretii est; verum animus, uti quidem, quatenus rectus, atque simplex, nihil quaerit, quam virtutem; ita, quatenus magnus est, & generosus, etiam gloriam. Ac praeclare sane Tacitus: Cetera principibus statim adesse; unum insatiabiliter parandum, prosperam sui memoriam; nam, contemtu famae, contemni virtutes. *Itaque sunt haec, ut dixi, optimis decora regibus, atque propria; malis contra usu venit, qui optarent, neque post se scribi quidquam; &, quae ante se sunt scripta, aboleri. Prius illud, ne posteritati vitia umquam sua innotescant, ac posterius, quia, vel in aliis adgnoscere ea, motu animi interno, erubescunt; condemnante conscientia, quos potentiae magnitudo poenae eripit. Sic Tiberius Cremutium Cordum, quia in Annalibus suis Bruti laudes praedicasset, ultimumque Romanorum adpellasset Caium Cassium, mori iubet, atque libros concremari. Caligula, infestus Livio, parum abfuit, quin ex omnibus bibliothecis scripta eius amoveret. Domitianus, Hermogenem Tarsensem, propter quaedam oblique in Historia dicta, interfecit; ac librarios, qui descripserant, cruci fixit. Iunium Rusticum, quod Paeti Thraseae, & Helvidii Prisci, laudes edidisset, ae sanctissimos item viros adpellasset, pariter e medio substulit. Neque aliter fere solent principes mali; qui, quum oderint virtutem, sublatam quoque e memoria hominum vellent, & eamdem literarum monumentis consecratam oculo iniquo legunt, metuuntque & suorum, si tradantur, vitiorum apud posteros infamiam. Itaque Domitianus, quem iam dixi, nullam Historiae operam dabat; &, praeter Tiberii acta, suis moribus consentanea, nil legebat. Sed profecto vehementer illi errant, qui grassantur in Historicos, ac potentia temporanea se extinguere memoriam aevi posse insequentis arbitrantur. Nam ingeniis punitis crescit honos, & auctoritas; quique hac saevitia usi, sibi dedecus, illis gloriam pepererunt. Hanc ob causam, & Caligula, cuius paulo ante memini, adhuc bonus, ac priusquam in faedissima quaeque vitia praeceps iret, Cremutii Cordi, atque aliorum scripta, sub Tiberio damnata, quaeri sivit, atque legi a volentibus quibuscumque, maxime sua interesse istud dicens, ut memoriae posterorum facta quaeque traderentur. Est autem praecipuum Historiae munus, ne virtutes, neve prave dicta, aut facta, taceantur; efficitque id apud principes, ut bonorum laude accensi, ipsi quoque tales se praestare studeant, aut posteritatis metu, mali esse minus ausint. Quam ob rem Historiam amarunt semper, qui virtuti, gloriaeque pretium suum posuerunt. Et haec tibi etiam* Princeps Serenissime, ac Celsissime, *est sententia; atque, ut virtutem amas, & laudati apud posteros regni gloriam, partim insita a natura bonitate, partim etiam exemplo Patris tui augustissimi, sic Historiam. Idque palam ostendisti, postquam primum huc venissem. Etenim, quum in hanc nostram Academiam excurrisses, & in auditorium venire ultro, & audire Tacitum me iuventuti nobilissimae explicantem, voluisti. Quod ut summo merito honori duxi, ita clementissime propensi in me etiam privatim animi testimonium esse credidi, ac fortunam maxime diei eius mihi gratulatus fui. In quo,* Princeps Serenissime, ac Celsissime, *finem facio, atque Deo Opt. Max. votum nuncupo, uti* Serenissimae tvae Celsitvdini *longam vitam, prosperumque, ac laudatum, quum sic illi aliquando visum fuerit, regnum donet, cui te rex Serenissimus, Pater tuus, & Senatus, a viginti octo annis destinarunt; tum in solio quoque tuo successorem, ex te natum, largiatur. Sorae Danorum, ad diem* vii. *Decembris* CIƆIƆCXXXVI.

Serenissimae Celsitudini tuae

Humillime devotus
IOANNES MEVRSIVS.

HISTORIAE DANICAE

Regum post Valdemarum I. in quo Saxo desinit, gesta complectentis

LIBER I.

In quo res Canuti VI. & Valdemari II.

CIƆ C LXXXII.

MOrtuo Valdemaro I. regnum accepit filius Canutus VI. iam ante, & publice parentis cura Ringstadii initiatus anno CIƆ C LXX. (a) quum Canutus V. avus (b) inter divos referretur. Adiit regnum anno CIƆCLXXXII. (c) ad diem IV. Idus Maii; ac principio in Cimbriam, fidem illic subditorum obstricturus, se recepit. Ea, maxima regionum Danicarum, ac potissima, saepe patri Valdemaro adversata, nunc propensior, Scania tumultuante. Itaque, ordinibus eius ad Viburgum convocatis, prono omnium favore, fidem ei, & auxilium in rebelles pollicentium, est exceptus. Apud Vrnam, in territorio Slesvicensi, aliquid turbatum fuit; verum parte meliore praevalente, facile quae postulabat impetravit. Plus negotii Scania dedit, ex accepta pridem clade ad pontem Disiam adsperata; in qua populus, intellecta regis Valdemari morte, libertatem inclamabat; ac iungebant sese illi quidam e provinciae nobilitate, qui praefectos Sialandos indignati, ea munia Scanis dari cupiebant; ideoque regem etiam recusabant. Ad tumultum ocyus adcurrit Absalon Lundiensis Archiepiscopus, si quid posset, in principio repressurus. Erat vir, quemadmodum religione ordinis sui venerandus, sic facundia excellens, ac militiae laude clarus; sed, placare perduelles blanda oratione nisus, quum conatum frustra esse animadverteret, Sialandiam repetiit. Ac, digressus postquam esset, gravius accensis animis, in addictos regi proceres impetum faciunt. Ex his Tordo, & Esbernus vix elapsi, arcibus suis direptis, & iniecto igne exustis. Alii, exemplo horum terrefacti, aut depositis apud amicos facultatibus, aut in naves deportatis, ipsi quoque fuga sibi consulendum existimarunt. Factionis vero principes, quando frustra novas res moliri sese sine duce comperissent, Haraldum Screngium, regii quidem sanguinis virum (d), verum neque animo, nec manu promtum, neque viribus pollentem, apud Svecos exsulantem, sibi regem elegerunt. Qui, subnixus armis Caroli, regis Sveciae, eiusque satrapae Birgeri (e), quum in Scaniam advenisset, auctis magno populi concursu copiis, Lundiam, Archiepiscopi sedem, ac provinciae metropolim, statim obsedit. Animo pendebant cives utram partem sequerentur; tamdem statuunt, substi-

CIƆ C LXXXIII.

(a) *Initiatus anno* CIƆCLXX.] Diximus supra (ad *Col* 310. *a*.) memorias veteres in anno isto discrepare, nonnullis quidem annum 1170. cum *Chronico Sialandiae* constituentibus, quorum auctoritatem Hvitfeldius, Pontanus, Meursiusque noster sequuntur; aliis reiicientibus ad annum 1171. in quibus duo ex *Chronicis* in *Sylloge* Dn. de Ludewig, *primum* scilicet, & *ultimum*. His Stephanium adiungemus, qui & in notis ad Saxonem *pag.* 251. testatur, se *Chronicon* habuisse MS. in quo legeretur: „ *Rex Canutus* coronatus est in Regem anno „ CIƆCLXXII. „

(b) *Quum Canutus* V. *avus*] At S. Canutus neutiquam se *quintum* numero scripsit, aut dixit, uti neque se Canutus noster, Valdemari I. filius *sextum*. Ex Historia vero Saxonis Grammatici derivatum credo, quod sequentium seculorum hominibus Canutus Valdemari filius, *sextus* adpelletur, postquam apud Saxonem animadverterant tot Canutos Reges memorari, 1. *Canutum*, quem Saxo Erico I. genitum, & Frothonis VI. patrem statuit. 2. *Canutum M.* 3. *Canutum*, quem alii Canutum *Durum*, alii rectius *Hardecnutum* vocant. 4 *Canutum* Svenonis Estrithii filium, Sanctis adscriptum; & 5. *Canutum*, Magni filium, & Nicolai nepotem, qui una cum Svenone, & Valdemaro regnavit. Aliter sane ipse Canutus Valdemarides praedecessores cognomines numeravit, quod manifestum redditur ex diplomate, Ecclesiae Otheniensi dato anno 1184. haec clarissime circa finem exhibente: *Acta sunt haec Hiulbii* XII. *Kalend. April. Anno Dominicae incarnationis* MCLXXXIV. *Indictione I. Epactis vigintiquinque, Gloriosi Regis Danorum Kanuti IV. Anno I. regnante Domino nostro Iesu Christo*. Itaque nullum dubium, quin ista aetate fuerit *primus* Canutorum habitus Canutus M: quem idcirco posteritas *Gamle Knud*, h. e. *priscum* Canutum, aut *vetustissimum* cognominavit; *secundus*, eius filius Harde-Cnutus; *tertius* vero, S. Canutus; ita ut Canutus Nicolai nepos omissus sit, quia haud regni totius imperium obtinuerat, sed tertiam tantum eius partem; atque eadem ex ratione is exclusus, qui ante Gormonem Grandaevum, Haraldi Caerulidentis patrem, nomen Canuti gesserat, in memoriis Islandorum ad Iutiae Reges reiectus; Harde-Cnutus autem ille in Islandicis scriptis pro Monarcha Daniae, & Gormonis Grandaevi parente adgnitus, videtur fuisse iam seculo XII. plane obscuratus. Conferantur ulterius ea, quae supra ad *Col.* 114. *a*. de *Ericis*, quomodo & illi eodem illo seculo XII. numerati sint, observavimus.

(c) *Anno* CIƆCLXXXII] Videatur adnotatio nostra ad *Col.* 336. *d*.

(d) *Regii quidem sanguinis virum*] Sunt ipsa verba Saxonis; sed qui, a quonam Regum nostrorum Haraldus iste sanguinem, & genus suum derivarit, divinandum posteris reliquit, quum tamen multo ei proclivius fuisset de Principe coaevo id docere, quam tot Regum, sibi, aliisque incognitorum, ex seculis remotissimis, stemmata longo ordine nobis texere. Hvitfeldius, eumque sequuti Pontanus in sua *Historia*, nec non Stephanius in *notis ad Saxonem*, non dubitant adserere, Haraldum illum *originem duxisse e prosapia Canuti Regis Roskildiae interfecti*. At unde hoc noverant? & cur amplius, filiusne esset, an alia sanguinis propinquitate iunctus non exposuere? Messenius in *Chronologia Scond.* aperte Canuti filium vocat, ac in *Epitome Chronol. Tom.* XV. Nicolai Regis pronepotem. Hoc si verum esset, tres reliquerit Canutus, Nicolai nepos, ex se genitos, S. Nicolaum de Aarhus, Waldemarum Episcopum Slesvicensem, atque hunc Haraldum Screngium. De cognomine *Skreng*, quo etiam apud Hvitfeldium insignitur, producit Stephanius testimonium *Chronici MS.* ubi legitur: *Anno Chr.* 1183. *Haraldus Skrenck a Scanis Princeps creatur*.

(e) *Eiusque Satrapae Birgeri*) Satrapa Saxoniana phrasi (de qua singulari adnotatione egit Stephanius *pag.* 31. *b*. Princeps, aut Dux indicatur. Et Birgerus ille Dux erat Ostrogothiae. Sic infra Saxo, Bogushum *Slaviae* vocat *Satrapam*.

substinere paulum obsidionem, & eventum exspectare, inde sese ad victorem recepturi. Quae dum fiunt, equites quidam, regi simul, & antistiti fidem suam adprobare cupientes, congregati, postquam castra ad amnem Lummam posuissent, nullo duce, nullo ordine, mutuo hortatu sese impellentes, magno hostem impetu adoriuntur, dissipantque; quamquam Coro adeo sane vehementer adversante, uti scuta etiam excuterentur. Idque conspicati obsessi, portis oppidi apertis erumpentes, acriterque fugientes insequuti, magna eorum strage edita, gratiam non parvam a rege, & antistite Absalone hoc specimine virtutis, fideique inierunt. Nec sic tamen factio repressa fuit, verum clade irritata, atque ultionem agitans, in commune exitium nobilitatis conspiravit, eius caede probrum suum exstinctura. Ac periculum sane erat ni consilium istud Absalon, copias e Sialandia secum auxiliares ducens, perturbasset; etenim is, in concionem advocatis, postquam signa ad terrorem quaedam circumposuisset, blanda oratione suasit, & Haraldum, qui ad Svecos iam refugerat, destituere, & rebellionem omittere. Non mutire quisquam audebat; atque adeo ipsi factionis principes, conscientia in facinoris pudorem, & metum acti, ut laterent, turbae sese immiscebant. Sic composito tumultu, in Sialandiam ablegat fratrem Esbernum, qui rem omnem regi nunciet. Is iam, arma e propinquo ostensurus, e Fionia cum exercitu traiecerat, & Esbernum obvium habens, quum rem gestam accepisset, illico in Scaniam ducit; eiusque primam partem Frostam flamma pariter, ac ferro devastare constituerat, nisi suasu Absalonis a proposito destitisset: aere mulctare contentus, quos exuere vita, & bonis potuisset; simul etiam famae interesse ratus, ne a sanguine regnum suum ordiretur. Et Haraldus, qui ad regnum alienum turpiter per factionem aspirare ausus fuerat, homo caetera ignavus, paulo post obscura morte vitam finiit, stolida ambitione ad posteritatem notus. Vix redacta in potestatem suam Scania, rex Canutus literis Caesaris, Friderici Barbarossae, evocatur, ut Vandaliae principatum (a) beneficio suo acciperet. Sed, retentus monitu prudentiorum, qui quam id damnosum patri Valdemaro exstitisset suggerebant, se modeste excusabat: *necdum regnum, quod iam nuper adiisset, bene constitutum esse, ac, si abeat, turbas multas per absentiam orituras providere*. Caesar verò, ubi se contemni videt, ad epistolam minas addit: *nisi veniat, Daniam se in alterius potestatem traditurum*: ad quae rex; *quod alteri donari velit, sibi prius vindicandum*. Caesar, hoc responso offensus, Sigefridum, Thuringiae Landgravium, sororium eius, eadem acturum mittit; arbitratus, facile se effecturum per legatum, ex necessitudine carum, quod per litteras hactenus non potuisset. Itaque is in Daniam quum advenisset, blande cum Canuto agere; & *adfinitatem primo* memorare, *qua adductus hanc molestam adeo legationem suscepisset; neque facturum fuisse, nisi illam e re sua existimasset. Reputaret vires Caesaris, & benignitatem eius experiri potius, quam arma vellet*. Tum seorsim Absalonem, & Esbernum, ac Sunonem, primi omnes apud regem suum loci, compellare; & hortari, *fidem, qua Canuto obstricti tenerentur, nunc probarent; ac suaderent, uti Caesaris amicitiam, atque pacem, quam offensum, ac bellum mallet; meminissent, se tutores filio a Valdemaro, regno curatores datos; itaque, quod in rem utriusque foret, nunc consulerent; item vires, quas irato iure Caesari, & mox arma illaturo, opponere queant, reputarent*. Ad quae Absalon; *perlibenter regi, & regno profutura consulturos: verum nondum se tenere, cur Vandaliae principatum beneficio Caesaris* (b) *acceptum ferre velle debeat: neu quid ea in re situm comprehendere. Etiamnum animis suis obversari, quem hinc fructum pater regis Valdemarus retulisset; scire Caesarem debere, quod ius ipse in Imperio vindicaret, id Canuto in Dania esse; nec quid opus, sua quae sint, nulla cum necessitate, iuris alieni facere*. Hic commoto vehementer Sigefrido, graviaque comminante; *an tu*, respondere Absalon, *Daniam, Thuringiamque pari esse iure censes? & incurrere in hanc item, ut in*

CIↃ C LXXXII. · CIↃ C LXXXIII. · CIↃ C LXXXIV. · CIↃ C LXXXIV.

(a) *Ut Vandaliae Principatum*) Vix credo in litteris Imperatoris factam fuisse mentionem Vandaliae. Neque illud Saxo indicat; sed de *Curia Caesaris adeunda, paternaeque amicitiae successione expetenda* Canutum compellatum. Nonnulli vero nostratium, in memoriam revocantes, Valdemarum penultimo regni sui anno, in conventu illo Lubecensi, arctum amicitiae foedus fecisse cum Imperarore, tumque eiusdem beneficio dominium Nordalbingiae nec non Slaviae accepisse, rem ita interpretati sunt, quasi Canutus non de alia nunc fuisset, quam Sclaviae, seu Vandaliae, hoc est, regionum intra Germaniae fines iacentium, investitura admonitus. At haec minime est interpretatio Scriptorum Germanicorum. Pontanus etiam noster, de ea dubius, Hvitfeldii subobscura verba refert, sic latine expressa: „ Caesar Barbarossa Canutum Regem per litteras, & „ legatos amice monet, ut curiam adire, paternamque amicitiam „ instaurare haud intermittat, aliaque secunda, & speciosa, quae„ que parenti olim eius super Vandalis fuisset pollicitus, in ani„ mum revocans. „ A Germanica parte unicum habemus idoneum, hoc est veterem testem, Arnoldum Lubecensem. Eius *lib.* 3. *cap.* 2. verba sunt haec tantum: *Iam inter Imperatorem, & Canutum discordia erat, quia Imperator ab ipso hominium exigebat, quod ei Rex negabat*. Et *cap.* 7. Imperatorem conquestum dicit, se a *Canuto Rege iniuriatum, quod ab eo coronari noluerit*. Et credo nemini esse dubium, quin destinatum in animo suo Imperator habuerit, plane eadem Canuto extorquere, ad quae patrem eius, nec non antea Svenonem, Germanis adpellatione *Petri* cognitum, adegerat. Idque ipsum in sequentibus aperte declarat Saxo. Audiatur & Knytlingorum Histericus *cap.* 128.. „ Quum Fridericus Imperator „ Valdemarum vita functum esse acciperet, legatis ad Canutum „ Regem missis rogat, ut in clientelam ipsius veniat, regnum„ que Daniae ab eo tamquam fiduciarium accipiat. Itaque Rex „ cum Absalone, ceterisque consiliariis suis deliberat, quid responsi „ legatis dandum. Gaudent illi, ut modeste respondeat in hanc „ sententiam, esse quidem integrum Caesari, si velit, tantum „ ex Germania ditionis Regi Daniae addere regendumque com„ mittere, ut hic sese agnoscat Caesari beneficiario nexu obli„ gatum: Ceterum quod ad Daniae regnum adtineat, se in hoc „ nullum Imperatoris dominium agnoscere. Quo accepto respon„ so, legati Caesaris domum revertuntur. „

(b) *Cur Vandaliae principatum beneficio Caesaris*) Iterum ad Vandaliam devolvitur noster, & quidem in ipsis Absalonis Archiepiscopi verbis, quae sane ego iudicem minime licere alio modo referre, quam a Saxone Grammatico factum, domestico Absalonis, & cui ille *maximus Danorum Pontifex res Danicas in historiam conferendi negotium* [ipso in Praefatione sic loquente] *iniunxit*. Saxonem autem sic referentem habemus: „ Respondet „ Absalon, de se dubium non esse, quin utiles si nosset mo„ nitus, Canuto libenter fuerit porrecturus; a quo ita Caesaris „ amicitiam expeti velit, ut propriae eius maiestatis decus in„ colume servaretur. Nam & Valdemarum Friderici partes, ami„ citiamque secutum, nihil fide eius, aut promissione fallacius „ reperisse. Proinde Sifridum nosse debere, Canuto Caesari„ que aequum regnandi ius esse, neque minore cum libertate „ hunc Danici regni, quam illum Romani Imperii gubernacu„ la continere. „ Hic vero nihil de Vandaliae principatu.

in istam Caesarem posse? Si tentaverit, viros nos experietur; quare abi, & renuntia, regem nostrum Imperatori nil debere. Ne nil tamen Friderico datum esse videretur, placuit seponi causam in conventum utriusque. Habebat quoque in mandatis, ut Christinam, Canuti sororem [a], Cunrado, Friderici filio [b], Sveciae duci, desponsatam, cum dimidia dotis dictae parte abduceret. Etenim convenerant sic inter sese anno CIↃ CLXXX. Valdemarus, & Fridericus, uti filiam Christinam, tunc septennem, dux Cunradus, Caesaris filius, quum matura viro foret, matrimonio sibi iungeret, & acciperet in dotem argenti libras octies mille; ipsa autem in Germaniam cum dimidia dotis nominatae parte mitteretur, apud Caesaris sororem, donec ad aetatem nubilem adolesceret, educanda; quam quum consequuta foret, quod ex dote reliquum esset, nuptiarum tempore exsolveretur. Itaque, quo hac in parte satisfieret, visum fuit concedendum, ut Christina, in futurum cum Cunrado matrimonium, iuxta pactum, abduceretur. Quamquam vero [c], si Canutus Imperatoris in Vandalia beneficium adgnoscere non detrectasset, quod illaesa in regno Danico maiestate certe poterat; hodieque in Holsatia, & Stormaria, ac Dithmarsia, reges nostri non recusant, sine dubio ampliorem in Vandalia dominatum successores tenuissent, & pacatius ipse regnum habuisset. Sed hoc fere regum, principumque ingenium est, ut amittere principatum, quam habere alteri obnoxium malint. Caesar, adeo non placatus ob concessam in Cunradi filii sui matrimonium Christinam, & exhibitam dotis partem, quam repulsa alia offensus graviter, odio tamen potius, quam bello eum persequendum existimabat; dum, oborto, quod sperabat, motu aliquo domestico, ulciscendi occasio esset: quippe, regno in firma pace constituto, minus facilem oppugnatu; sed negotio non tam magno factione intestina laborantem invadi posse. Nec multo post Bugislaum, mortuo fratri Casimiro in Pomerania succedentem, multiplicibus promissis ad bellum inferendum impellit [d]. Atque ille, regem quidem, cui imparem se sciret, minime tentare ausus, Iarimiro [e], Rugiae principi, avunculo suo, regni Danici clienti, quia pridem Pomeraniam infestantem adiuvisset, bellum infert. Cuius rei quum Canutum evestigio certiorem Iarimarus reddidisset, is ablegat sine mora, qui inquirant, quaenam belli in Iarimarum causa esset; tum decernit, ut uterque suos ad comitia legatos mittat, inter quos res componatur; moxque ad Samsoam insulam convenitur. Sed, quum nil proficeretur, Bugislai oratores sic discedunt, ut promitterent, ubicumque demum regi visum foret, ipsum adfuturum esse. Quae dum fiunt, viri in Daniam militares, rege pridem Valdemaro crebris expeditionibus occupati, pacem graviter ferentes, quum per otium se corrumpi, ac virtutem enervari quererentur, ne vis illa mascula ignavia detereretur, placuit piraticam in Esthones illis indulgere: nationem infidelem, quaeque mare infestum plane excursionibus suis faceret; nec iniquum videbatur, suis eam artibus petere, & reponere, quod inferret. Inter ista Bugislaus, non ignorans Friderici Imperatoris voluntatem, classe navium quingentarum comparata, mox in Rugiam, Daniae subiectam, ducit; Caesarique nuntium mittit, qui de expeditione, naviumque multitudine certiorem eum faceret. Sed consilium non successit; & exscendere cupientem Iarimarus, militum obiecta manu, suo littore prohibuit; quin & Dani, illico parata classe, sub ductore Absalone, nimia virium fiducia negligentius agentem, non longe a Strela insula invadentes, profligarunt; adeoque de tot navibus vix triginta quinque elapsae; decem & octo perierunt; quadringentae quadraginta septem captae in Absalonis potestatem pervenere. Ac profecto magna haec victoria fuit; nec post eam Vandali Daniam infestare unquam ausi. Victor Absalon ablegat ad Bugislaum, qui in speciem accusarent de perfidia, & societate rupta; sed revera quidnam animi post hanc cladem victo hosti superesset explorarent. Et ille quidem, callidus dissimulandi, quasi nihil passus esset, nullum omnino eius sensum praeseferre, gratiasque Absaloni, qui peccati admoneret, magnas agere; ac deinceps amicitiam se culturum polliceri. Verum populus, qui quamplurimos e carissimis amicorum perdidisset, summo in luctu versabatur; sic ut voces, & lamenta, suos passim requirentium, audirentur. Porro Absalon, hanc victoriam consequutus, nuntium eius regi mittit; & tentorium Bugislai, magnae praedae argumentum. Rex Viburgi tunc agebat; ac, vocata

CIↃ C LXXXIV. CIↃ C LXXXV. CIↃ C LXXXVI. CIↃ C LXXXVI. CIↃ C LXXXVII. CIↃ C LXXXVIII.

(a) *Vt Christinam, Canuti sororem*) Tacuit Saxo hoc negotium. Sed constat ex Arnoldo Lubecensi, praecipuum fuisse, cuius gratia Sigfridus Thuringus huc advenerat. Legatur totum Arnoldi caput *libri tertii*, (quod huc transcribere minus necesse,) & conferatur deinde cum eiusdem libri *cap.* 20.

(b) *Cunrado, Friderici filio*) Illum ex Friderici Imperatori Barbarossae filiis, cui Canuti soror desponsata fuerat, non Cunradum fuisse, sed Fridericum Sveviae Ducem, alterum Imperatoris filiorum, medium scilicet inter Henricum VI. & Cunradum, superius (*ad Col.* 334. *d.*) ostensum.

(c) *Quamquam vero*) Eodem modo ante Meursium sensit, ac ratiocinatus Hvitfeldius.

(d) *Ad bellum inferendum impellit*) Hic utique Saxo. Knytlingorum autem historicus Caesari hanc occasionem oblatam narrat ab ipso Bugislavo, quem ille auctor *Burislavum* nominat, En verba: „ Dum autem legati in itinere adhuc haerent, Burislavus Pridam quendam, Vandalicae gentis hominem, ad Imperatorem ablegat, cum amplissima pollicitatione, se effecturum, ut intra annum Rex Daniae in potestatem, ac fidem Imperatoris veniat. Quam operam tam liberaliter tamquam opportune condictam, sibi gratissimam esse testatus Caesar, honore, ac muneribus Pridam ornavit: quippe quem discedentem osculo dignatus, equo egregio, lorica, scuto, galea, integraque armatura donavit, obtestatusque est, ut Buristlaum Ducem, dilectissimum clientem suum, haud cesset ad promissa illa magno animo exequenda incitare. Neque defuit promissa opera Buristlaus „ Haec ex *Historiae Knytling. cap.* 128. Nempe Bugislaus ille iamdudum Caesari addictissimus, eoque Henrico Leoni eiusque affini Canuto Regi inimicus erat. Arnoldus *lib.* 2. *cap* 31. „ circa dies illos (ann. 1181.) mortuus est Cazamarus Princeps Pomeranorum, Duci (Henrico Leoni) amicissimus, & defecerunt ab eo Slavi, quia frater eius Bugislaus, Caesari coniunctus hominium, & tributa ei persolvit. „ Homines autem, & vassallos Imperatoris solenni ambos ritu factos Bugislaum, & Cazamarum in conventu illo Lubecensi an. 1181. dicit ipse Saxo *pag.* 371. „ Adnuente Rege, posteroque die concionem petente, Bogiszlavum, & Cazimarum, datis solenniter aquilis, Slaviae Duces appellat, veterem atque hereditariam patriae libertatem vanis atque fucosis dignitatum nominibus venditantes. „

(e) *Iarimiro*) Scribendum potius *Iarimaro*. Arnoldus Lubecensis *Germarum* vocat Histor. Knytlingor. *Iarizmarum*.

ta optimatum concione, rei gestae ordinem exponi iubet. Auctor quoque erat Absalon, uti nova expeditio, antequam se recolligere hostis posset, illico decerneretur: nec displicuit consilium; qua de causa alia paratur classis; qua subnixus, caetera persequeretur. Isque, accepto hoc auxilio in Valogastenses (a) ducit; qui, futurum providentes, Panim flumen, grandibus iniectis saxis, iam obstruxerant, ne id navigari posset. Verum Absalon, animi virtute invicta, ut exemplo ipse suos excitaret, aquam ingressus, magno nisu eductis saxis, viam navibus patefecit; sed ad urbem propius quum ventum esset, inter septam palis fossam, moenibusque oppugnare cupientes prohiberi deprehensum; nec hic militum ardor stetit; & qui saxa iam removerant, neque palos sibi obstare patiendum existimabant: itaque desilientes pugnam in aquis incepere. Acriter repugnabat hostis, iaculisque oppugnantes, quamquam instante animose Absalone, atque suos impellente, submovebat. Qua de causa, relicta obsidione Dani, terram populari adgressi, ponte facto, quamquam valide infestantibus oppidanis, mox traiiciunt; & ingentem, caesis civibus, in tentoria invadentibus, stragem edunt. Quorum casum ubi Osnenses (b) audivere, ignem in suburbia sua, ne ex his oppugnarentur, iniecere; inde in Iulinum versi, illud sub Esberno duce, Absalonis fratre, capiunt; &, his gestis, mox in Daniam revertuntur. Vbi hieme exacta, novam expeditionem in Vandalos orientales animo Canutus agitans, duodecim Rugianorum millia, quod locorum gnari essent, sibi adsciscit; ac, provinciam Tribusanam populatus, quum se ad Circipanenses convertisset, urbem Lubuinam (c) petit; verum, ea mox relicta, arma in Deminum vertit: tam securis hostium civibus, ut convivia, ac choreas, velut in tranquilla pace, agitarent. Itaque, fiduciam populi admiratus, & considerata item oppidi munitione, quum se parem obsidioni non putaret, maximam abducens praedam, classem repetit, recipitque se in portum, non longe a Pani amne; ubi diu tempestate divexatus, pene iam deficiente commeatu, Bugislao inducias petenti indulget, & in Daniam regreditur. Vnde rediens vere proximo, & in amnem Zuenum ducens, urbem Grotzuinam vexat, ac provinciam populatur; sed, quum praeda non sufficeret, porro in Pomeraniam tendens, cuncta vastat, diripitque, continentibus se ubique intra moenia oppidanis, & opima inde spolia domum refert. Per quod tempus quum inter se fratres duo patrueles, Burevinus, & Niclotus, de ducatu Megapolitano graviter dissiderent, rex Canutus, qui in potestate sua Burevinum iam teneret, captum pridem a Iarimaro, ac sibi traditum, arbiter factus, sic diremit contendentes, ut Rostochium Nicloto, cum ditione Kissinorum, Burevino vero Iloviam, & Megapolin adtribueret, ea lege, ut uterque ditionem adiudicatam eius beneficio se possidere (d) fateretur, & in hanc rem daret obsides, numero viginti quatuor; inter quos & Burevini ipsius filium. Atque haec secunda causa est, ob quam reges Daniae se Vandalorum quoque reges (e) inter titulos suos scribant; primam ante, ex Canuto Obotritorum rege, nacti sub Lothario II. Imperatore. Facta autem hac conciliatione, rex, qui iam Vandaliae partem satis magnam recepisset, annitendum sibi duxit, uti caeteram, quam tenebat Burevinus, item in potestatem cogeret, idque primo quoque tempore; ne, si moram longiorem interponeret, ea Vandali ad firmandas vires suas uterentur. Itaque Deminum oppidum quum obsidione cingere statuisset, dissuadentibus Rugianis, quorum duodena millia ad hoc bellum evocaverat, id consilium mutavit; atque, in Vandaliam interiorem ductis copiis, plurimos vicorum exussit, plures etiam diripuit: hostibus se in paludes metu abdentibus, nec occurrere usquam ausis. Post quae, copias in hiberna reducturus, ubi portum, Peno flumini vicinum, petiisset, ac tempestas retineret, legati a Bugislao pacem petunt: quam daturum se negavit, nisi ille sese dederet, atque imperata faceret. Inde ventum commodum nactus, quum in Daniam traiecisset, viribus mox instauratis, primo vere in Vandaliam reversus, ad Iulinum urbem adpellit; & in Pomeraniae fines quum movisset, neque progredi sine summo exercitus incommodo posset, illuc rediit: neque diu commoratus, magnis inde itineribus in Caminum, quod praesidio Bugislai tenebatur, copias ducit. Verum, dum a via aberrat, cum maiore exercitus parte, Scani, atque Sialandi, Rugianis, qui locorum gnari erant, praeeuntibus, aliquantum praevenere. Quos quum paucos conspexisset Bugislaus, maxime indignum ratus, se ab istis obsideri, statim oppido erumpit, Dani autem, de consilio Esperni, uti hostem, acriter valde incumbentem, paullo longius abducerent, sensim pedem referebant: sed, insidiis animadversis, quum receptui signum daret Bugislaus, animose in ipsum versi, magno impetu irruerunt: adeo ut, caesis multis, equo effusus, vix in urbem elaberetur. Inter haec Canutus adest; qui, perculso ista clade Bugislao,

CIƆ C LXXXVI. — CIƆ C LXXXVII. — CIƆ C LXXXVIII. — CIƆ C LXXXVIII. — CIƆ C LXXXIX.

(a) *Valogastenses*) Chron. Sial an. 1184. *Expeditio facta est a Rege Canuto ad castrum Valgust. in Slavia*. Sic & Eric. Pomer. & *Annales* in *Sylloge* Lubewig *num.* 6. & *num.* 12.

(b) *Osnenses*] De his, quinam fuerint, ac ubi siti, supra in Valdemari historia actum.

(c) *Lubuinam*] Saxo *Lubekincam* habet *pag.* 382. & similiter in principe editione. Sed Crantzius, locorum gnarus *lib.* 6. *cap.* 22. scripsit, ut noster, *Lubuinam*.

(d) *Eius beneficio se possidere*) Confirmat rem Arnoldus Lubecensis *lib.* 3 *cap.* 4. „ Cum diu in custodia servarentur (*Burevinus* „ & *Niclotus*) tandem soluti sunt ea conditione, ut a Rege Da- „ norum terram suam susciperent, & obsides, quos habere vo- „ luisset, darent. Dederunt ergo obsides 24. inter quos Borvi- „ nus filium suum dedit, & recessit a castro Rostock, tradens „ illud nepoti. Ipse vero Ilowe & Meckelenburg in possessio- „ nem sortitus est, Rege sic disponente, qui iam terram Sla- „ vorum sibi subiicere cogitabat, & adiicere regno suo. „

(e) *Vandalorum quoque Reges*) Consentit Conringius *de Finibus I. G. lib. I. cap.* 16. §. 15. „ Ex eo demum tempore ortus est „ ille in Dania regius de Venedis, sive Slavis titulus. Ita etiam „ demum liquet, & nullo Imperii Germanici beneficio illud no- „ men Danis partum, & haud inani illud fundamento innixum. „ Armis siquidem devicta Slavonia, & in provinciam redacta, „ nomen quoque Regium haud immerito ornavit, Germania „ etiam inconsulta. Sane Regii iam a Valdemaro I Rege sub- „ acti erant. Canuti vero denique auspiciis Absalon Archiepisco- „ pus Bogislaum Pomeranum adtributa & hominium, Rugio- „ rum more Dano praestandum adegit. „

gislao opportunum capiendae urbis tempus arbitratus, totis viribus oppugnare eam incipit. Qua re magis consternatus Bugislaus, Absalonem, & Iarimarum ad se evocat; ac, de pace colloquutus, quum se quoque arbitrio horum permisisset, ad Canutum mox adductus, supplex petit, ut discederet ab armis: atque, si id facere vellet, etiam pecuniam offert. Sed Canutus, postquam prius memorasset, *qui labores avo, patri, inde sibi a Vandalis obiecti essent, pacem se daturum* negat, *antequam illi Daniae se subiecissent; atque id multo iure fieri; quippe haud videri fore, ut, qui toties bello Danos lacessissent, unquam sane conquiescerent, nisi aut subiugassent Danos, aut Danorum in potestatem victi ipsi pervenissent. Itaque unum hoc restare, ut se Daniae Bugislaus nunc subiiciat; ac deinceps principatum, quique illum secuturi, Daniae beneficio teneat; tum promittat & tributum, atque naves, bello operam navaturas, quot a Rugianis dari consuevissent: alia lege numquam pacem habiturum*. Bugislaus, qui res suas eo loci adductas esse animadverteret, ut accipere quaslibet conditiones a victore cogeretur, *suis haec se relaturum* pollicetur. A quibus postridie in castra rediens, cum uxore, liberisque, ad Canuti regis pedes provolutus, veniam rebellionis, & Vandaliæ principatum beneficii [a] loco petit, obtinetque; constanti inde in regem fide usque ad supremum diem; moriensque, etiam consiliarios iureiurando obstringit, ut uxorem, liberosque, mox in Daniam avectos, in Canuti, suam cuique principatus portionem [b] divisuri, fidem traderent. Inter ista, Fridericus Imperator alia legatione Canutum invitat ad sororis suae nuptias; simul postulans, *uti reliquam dotis partem, iuxta pactum, secum ferret*. Verum ille, qui, praetextu nuptiarum, insidias sibi poni sciret, *extra regnum progressurum se* negabat; *quippe animo reputare, aliquos priorum regum, in Germaniam profectos, non exiguum libertatis detrimentum passos esse; atque id Canuto V. ac Svenoni item III. Martisburgi; tum & Valdemaro I. patri suo, in comitiis Metensibus evenisse. Quod ad nuptias attineret, nullo modo eas impeditas velle; reliquam dotem, quam exigeret Fridericus, ante celebratas nuptias exhibere, non teneri iure ullo, neque more; qua de causa, sive consumare eas, sive etiam dirimere animum inducat, nihil plane pensi habere*. Hoc responso indignatus Imperator, sponsam reiicit [c], ac redire ad Canutum fratrem iubet: & in eius quoque gratiam mox Landgravius Thuringiae, Sigefridus, alteram sororem [d], Ingardim, pridem ductam, domo expellit. Qua iniuria, am-

(a) *Vandaliae principatum beneficii*] Ita vero perfecit Rex, quod cogitasse eum Arnoldus in allegato iam dixit loco, cui alter addendus ex *cap.* 20. „ Canutus manifestas ex illa die inimici-„ tias contra Imperatorem exercere coepit, ita ut omnem ter-„ ram Wagirorum, Holsatorum, Stormariorum & Polaborum „ usque ad Albiam sui iuris esse diceret, & eam per Slavos, „ quos sibi obstrinxerat, frequenter vastaret. „ Vid. & *lib* 6. *cap.* 9. Stephanius observat, illud Canuto homagium fuisse a Bogislao praestitum anno 1186. citans *Chronici* penes se *manu exarati* verba. *Anno* CIↃ IↃ LXXXVI. *Bugislaus senex factus est homo Regis Canuti*. Sed alii *Annales* ad ann. 1185, referunt. Knytlingor. histor. *cap.* 129 „ Burizlaus ex compacto sese „ Regi, & Archiepiscopo sistit, pacem supplex orat, tradit ob-„ sides optimatum filios, Regique marcas trecentas, octingen-„ tas Archiepiscopo numerat: Hac expeditione Canutus totam „ Vandaliam armis subactam in fidem, & potestatem suam reci-„ pit, rebus bene gestis regnum repetit „, Et mox, initio *capitis* 130. „ Ineunte vere, sub Paschatos festum Burizlaus Ca-„ nutum Regem Roschildiae invisit, atque humanissime exceptus, „ festi solennibus interfuit; in quibus gladium ante Regem por-„ tavit. „

(b) *Suam cuique portionem*] Neque hoc omisit Historiae Knytlingorum auctor. Narrat enim *cap.* 130. quomodo Bugislaus (quem *Burizlaum*, ut monui, perpetuo adpellat) altero anno, qui fuerit 1187. sub tempus ieiunii quadragesimalis in morbum fatalem incidens Regem Canutum per nuncios solicitarit de cura filiorum suorum [hi Nicolaus, & Henricus erant,] subscipienda, terrisque patrimonialibus inter eos partiendis. Quod & praestitum; atque in huius commemoratione opus suum laudatus historicus Islandus, cuius nomen in hunc diem ignoratur, claudit.

(c) *Sponsam reiicit*] Ab Arnoldo Lubecensi hanc facti narrationem habemus *lib.* 3. *cap.* 20. „ Imperator misit ad Canutum „ Regem legatos honoratos, pro pecunia, quam pater illius Val-„ demarus cum sua filia, ipsius filio socianda, pollicitus fuerat, „ quam etiam idem Canutus partim persolverat. Qui propter „ occasiones supradictas, quae inter Imperatorem, & ipsum ver-„ sabantur, pecuniam persolvere timuit. Imperator vero non pro-„ pter repudii occasionem, sed propter pactionis immutationem, „ Regi sororem suam intactam, cum tali apparatu, quo eam „ acceperat, restituit. „

(d) *Landgravius Thuringiae Sigefridus alteram sororem*] Landgravium Thuringiae vocare Sigfridum, qui Valdemari I. filiam, Canuti Regis sororem duxit, audax, & temeraria coniectura est, eo minus ferenda, quod Landgraviorum isto seculo non plane obscura est historia; cui itaque novum, & omnibus Germanorum monumentis incognitum nomen intrudere velle, tantummodo ut suspiciones nostras stabiliamus, haud succedit. Adserere deinde, a Sigfrido eandem coniugem expulsam, remissamque esse, quando nullus id vetustior scriptor vel verbo indicavit, par omnino temeritas dicenda, imo maior. Vtriusque autem non tam Meursius nobis accusandus, quam Hvitfeldius, quem in utroque errore sibi praeeuntem noster habuit. At sane plures, quam hos duos Hvitfeldius in uno illo loco commisit. Nam & Arnoldum, Chronicae Helmoldi continuatorem, Abbatem Stadensem dixit; & ad Epistolas S. Vilhelmi, quasi de re illa certius dicturas testimonium provocavit: cum tamen nihil profecto aliud S. Vilhelmus docuerit, quam sorores Regis Canuti duas, easque virgines in Monasterio Roskildensi vixisse, de neutra, quod desponsata unquam fuerit, vel ad suos remissa, quicquam in ulla epistola testatus. Supersunt in apographis hodienum cunctae illae sancti viri epistolae, quae Hvitfeldio aevo extabant, earumque ego tria ipse exempla possideo, in quorum singulis illa *filiabus Regis* inscripta cernitur. Sed sive eam, sive ceteras omnes perlegeris, nihil invenies, quod Hvitfeldianam opinionem iuverit. Ceterum video, quid illud est usque adeo, quod Cancellarium turbavit; nempe connubium matris Canuti cum Ludovico Thuringiae Landgravio, qui illam repudiavit. Hoc quum Arnoldus Lubecensis Abbas memoret, nihil de sorore, aut Sigfrido Thuringo habens; cumque vice versa Saxo Grammaticus de Sigfridi, & Sororis Canuti matrimonio plus semel testatus, secundas matris nuptias alto silentio praetereat; ambiguum inter duos Scriptores, de rebus συγχρόνοις commemorantes, animum eo tandem deflexit, ut Arnoldo Lubecensi tantum dumtaxat fidei relinqueret, quantum videret se posse cum Saxonis Grammatici narratione de Sigfrido, & Canuti sorore conciliare. Itaque non dubitavit heic pro fabula, & errore habere, quod de matre Canuti prodidit Arnoldus, postquam tamen admiserat in fine *Histor. Valdemari* I. eundemque hallucinatum credere in Landgravii nomine, quippe quod Saxo Sigfridum, non Ludovicum scripsit; de reliquo nihil haesitans in adplicando filiae [Canuti sorori] quicquid Arnoldus de matre prodidit, repudiata scilicet, atque in Daniam ad Canutum remissa. At vero, quam imprudens, & inconsideratus fuerit illustris Vir hac sua opinatione, nunc monstrabimus. Arnoldi duo loca inspiciamus, disertiora utique, & clariora, quam ut in contentionem vocentur. Primus est *lib.* 3. *cap.* 15. „ Circa dies illos *Ludovicus Landgrafius de Thuringia*, „ filius sororis Imperatoris, repudiata uxore, quam prius habe-„ bat, opponens ei titulum consanguinitatis, uxorem duxit ma-„ trem Canuti, Regis Danorum. Quae quum cum multo thesauro, „ & supellectile egressa fuisset de terra sua, occurrit ei Landgrafius „ ad Egdoram fluvium, & subscipiens eam de manu Regis, & „ Episcoporum eius, ibat per viam suam gaudens. Comes autem „ Adolfus honestissime ei hospitalitatis necessaria ministravit, tum „ pro Regis honore, tum pro ipsius Landgrafii familiaritate. „ Alter locus habetur eiusdem *libri cap.* 20. ubi postquam remissam dixerat sororem Canuti eam, quae fuerat Imperatoris filio desponsata, pergit de matre loqui his verbis: „ Mater etiam „ eius a Ludovico Landgrafio repudiata, & ad terram nativita-„ tis suae sine honore reversa, conquesta est, in multis se a „ marito iniuriatam. „ Atque iste auctor nullo usquam verbo meminit vel Sigfridi Comitis Thuringi, vel alicuius filiarum Valdemari Regis, praeter illam, quae filio Imperatoris destina-

ambae, capto rerum humanarum taedio, monasterium ingressae, quod B. Virgini sacratum erat in Roschildiensi urbe, vitam porro solitariam exegere. Ac Canutus, irae plenus. odio in Fridericum, & Sigefridum, nulli Germanorum aequus (a), quálibet occasione, omnes graviter infestabat. Fratrem vero Valdemarum, equitem Roschilidiae renuntiatum, mox

ta, (confer eius *lib.* 2. *cap.* 35.) quemadmodum vice versa Saxo Grammaticus illud de iteratis Reginae viduae nuptiis alto silentio pressit. Quid ergo? Alterutrum hallucinatum dicemus? Neutiquam, Arnoldo, viro extraneo, poterat, cum mille aliis rebus ad Daniam spectantibus, etiam istud ignorari de altera filiarum Valdemari, Sigefrido nupta, alterum vero cognitissimum esse, de Regina vidua, tanta cum pompa per Holsatiam deducta, atque ad Egdoram novo sponso Ludovico per Regem ipsum, & Episcopos tradita. Saxoni autem omissum esse hoc Reginae Sophiae connubium cur mirabimur? Eum, qui tam pauca nobis de Canuto commemorata reliquit, maximam partem in Slavicis rebus occupata, nec nisi paululum ultra initium anni 1187. protensa? Quid? quod ipse Saxo de remissa ab Imperatore Canuto sorore nusquam meminit, de quo tamen facto tam parum Hvitfeldio, quam aliis dubitatum. Et sane utrumque repudium, tam matris, quam filiae referri ad annum 1187. oportere, ex Arnoldi narratione haud inevidens. Contigisse autem omnino arbitror post Bugislavi obitum, qui in tempus quadragesimae incidit eiusdem anni, teste *Knytlingorum historia*. Atque cum exitu vitae Bugislavi, finem scriptioni suae imponit Saxo. Adiiciam porro, historicos Germanorum, quotquot de Ludovico illo Thuringiae Landgravio meminere, constantissime tradere, eum priorem suam coniugem non ante annum 1186. aut 1187. dimisisse. Videantur Tentzelii *Supplem. Histor. Gothan.* §. 223. *pag.* 495. Eckardi *Geneal. Principum Saxon. Super. pag.* 331. Haecque sufficere puto ad ostendendum, Saxoni nullam hic omissionem iure imputari posse, quippe qui, antequam vel nuptiae Reginae, vel repudium tum ipsius, tum filiae contigere, historiam suam terminarat: eademque ex ratione nihil contra Arnoldum ex silentio Saxonis concludendum esse, quantum ad alteras Reginae Sophiae nuptias attinet. Verum haud parum difficilius erit, fidem narrationi Saxonis de connubio unius filiarum Valdemari I. cum Sigfrido Thuringo impetrare, quandoquidem nullum isto seculo inter Thuringiae Principes invenire licet isto nomine appellatum. Et tamen *Sigfridum* Hvitfeldius, eumque secutus noster Meursius, non dubitant Landgravium nuncupare. Quaerimus, qua auctoritate? nulla profecto; nisi quia Arnoldus Lubecensis Ludovicum, qui Reginam viduam duxit, Landgravium Thuringiae dixit. Saxo heic plane innocens, ut qui *Sigfridum* dumtaxat *splendido Thuringiae loco ortum* nominat *lib.* XV. *pag.* 371. neque in Canuti *historia lib.* XVI. *pag.* 375. *seq.* ullo insignem titulo nobis sistit. Ergo haud necesse, inter Landgravios eum quaerere. *Splendido* enim *loco orti* permulti isto aevo in Thuringia numerabantur, neque paucae florebant Comitum, Baronum, Dynastarumque familiae, quod notissimum. Vt vero Sigfridus inveniatur, commodum succurrit eius filius, Albertus, celebris ille Orlamundanus Comes, ex Valdemari II. Regis historia pernotus. Hunc enim Albertum tot ac tanti, neque levis auctoritatis scriptores, sed magnae, quia σύγχρονοι & in plerisque sua aetate gestis fideles, & accurati, ex Valdemari II. sorore natum dixerunt, ut ineptum fuerit, aliam ei matrem assignare, quam eam ipsam Sigfrido Thuringo olim collocatam. Orlamunda enim in Thuringia Sigfridum autem ei praefuisse Comitis dignitate, ac titulo, inter ann. 1180. & 1200. multa exstant hodie in publico monumenta, quae probent. Ponitur in catalogo *Comitum Orlamundensium* Beniam. Leuberi, in Menckenii *Scriptorum rer. German. Tom. III. Col.* 1860. spatio ei temporis assignato ab 1180. ad ann. 1204. Interfuit Comitiis Erfurtensibus, anno 1181. teste Meibomio in *notis ad Chron. Scavvemb. pag.* 529. Conspicitur inter eos, qui in conventu Thuringico anno 1198. Philippum in Regem elegerunt, in *Chronico Sampetrino Erfurt.* Menken *eiusd. Tomi Col.* 233. Occurrit illius nomen hinc inde diplomatibus insertum, inter alios testes, ut in *aurea* Friderici I. *Bulla*, Westphaliae, & Angariae concessa, nec non in litteris ab Henrico VI. Merseburgi ann. 1192. editis; de quibus vid. Meibom. in *notis pag.* 529. Eckardus in *originibus Anhalt pag* 511. &c. Legimusque ab eo ipso diplomata: quorum unum se mihi obtulit in *Monastico Thuringico* [Francof. anno 1737. in fol.] *pag.* 332. num. XIV. datum *Orlemunde Adsumtione Virginis Mariae* 1192. alterum in Hoëni *Histor. Coburgensi P. I pag.* 110. in quo (*Sigeridum* per errorem, ut puto, repraesentante) haec memorabilia inserta, ad genus ipsius deducentia: *acta haec sunt licentia & concessione parentum nostrorum, videlicet Marchionis Adelberti avi nostri, & Comitis Hermanni patris nostri*. Quibus perfectè consonant litterae, quarum meminit Meibomius loco iam bis laudato: „ *Vidi*, ait, *literas Hermanni Comitis Orlemundani, facientes mentionem patris sui Adelberti Marchionis, coniugis Adelheidis, filii Sifridi: datae sunt anno* 1174. Nempe *Adelbertus* ille Marchio fuit Brandemburgicus, stirpis Anhaltinorum Principum fundator, quem vulgo *Albertum Vrsum* dicunt; isque avus *Sifridi* Comitis, de quo loquimur, & cui Valdemari I. filiam in matrimonium datam Saxo perhibet. Ex ea, praeter alios liberos (de quibus nondum tamen certi aliquid nobis compertum, nisi de una filia, in *Monastico Thuring. pag.* 428. *num. CXLI*) genuit famosum, quem superius nominabamus, Albertum Comitem Orlamundanum. Novi equidem, aliter de parentibus Alberti huius statuere alios, non tantum Hubnerum in *Tab. Geneal.* 662. sed, quod mirari non possum satis, ipsum Meimobium in *notis ad Chronol. Schavvemb. pag.* 528. scilicet Albertum patre genitum esse Henrico Comite Orlemundano, matre vero Mechtilde Querfurtensi, quam Adolphus II. Comes Schawemburg. anno 1164. viduam reliquerat: Huius commenti non credo auctorem extare antiquiorem Alberto Crantzio, in cuius *Vandal. lib.* 7. *cap.* 3. hoc legas: *Hic Albertus erat, ut diximus, Henrici de Orlemunde Comitis filius, qui matrem tertii Adolphi viduam duxit coniugem: unde erat Adolphi frater uterinus. Hunc enim, pulso Adolpho, Rex Holsatiae praefecit*. Idem indicavit quoque in *Saxon. lib.* 7. *capp.* 27. & 36. Atque hoc magnum illud mysterium, quod aperturum sese, paulo ante minabatur, (*Saxon. lib.* 7. *cap.* 22.) his nimirum verbis usus: *Qui* (Albertus) *unde sit ortus, in annalibus mira taciturnitas: sed a nobis suo trmpore ostendetur, quis & unde fuerit. Mira scriptorum vel simplicitas, vel negligentia. Comitem ferunt Holsatiae: sed, uti Melchisedech, sine patre, sine matre, pueriliter introducunt. Nos originem pandemus*. Sed quam sese optimus ille Crantzius torserit, atque in omnem partem coniecturas suas verterit, antequam inveniret, quod pandendum foret, declarat alius in operibus eius locus, *Daniae lib.* 7. *cap.* 16. ubi sic loquitur: *Hunc Albertum, quis & unde fuerit, multi dissimulant. Ego aliquando Wilhelmi de Braunschvveig filium arbitrabar, natum sorore Valdemari Regis, quod nonnulli annales eum Regem avunculum testantur Alberti. Sed non patitur annorum ratio, ut anno secundo celebratis nuptiis, ut diximus, post mille ducentos iam inde natus puer annos octo, vel X. vel XII. ductaret exercitum. Vnde in illorum transeo sententiam, qui Comitem de Orlemunde adstruunt fuisse Aldelbertum filium Henrici, qui occiso apud Demin secundo Adolpho, tutor parvuli Adolphi erat, matrem eius coniugem ducens. Vnde potuit Albertus esse viventis Adolphi, & in Schovvenburg agenti frater uterinus*. „ Vides ergo, recte se habere, quod dixi, nullum potuisse Meibomium vetustiorem cognovisse fontem, unde errorem illum hauserit, quam Albertum Crantzium, quemadmodum & hunc solum citavit Reineccius in *scholio* ad Alb. Stadens. an. 1222. Atque huius praeferendam meram coniecturam, & suspicionem iudicavit Meibomius, coaevi scriptoris Godefridi Monachi, quem ibidem nominat, testimonio. Quid dico? praetulit suo, quem illustrandum sumserat, auctori Hermanno de Lerbeke, huiusque fidem, in gratiam Crantzianae fabulae destruxit. Cum enim Hermannus expresse dicat *pag.* 507. *Henricum* illum *Thuringum*, quem *propter consurgentes bellorum motus Dux posuit tutorem puero, virum scilicet impatientem otii, & totum armis deditum* fuisse *avunculum pueri*; nescio quomodo in mentem venerit Meibomio, ut eundem Henricum puero *vitricum* daret, ac statueret, priusquam illud de *avunculo* amolitus esset, quod tamen ne verbo quidem attigit. Itaque non possumus non amplecti sententiam doctissimi viri Io: Geo. Eccardi (in *Origg. Anhalt. pag.* 512.) Henricum illum Thuringum, Adolphi tutorem, non ex Orlemundanis Comitibus fuisse (quod & mere Crantzianum,) sed ex Kaefernburgensibus: cuius mater Quernfurtensi Dynastae nupserit, ita ut Henricus ille recte dici potuerit ab Hermanno de Lerbeke *pueri Adolphi avunculus*. Sed satis de Henrico actum. Ad *Albertum Orlamundanum* revertamur, quem utique non ignoravit Crantzius in nonnullis annalibus vocari *filium sororis Regis Valdemari II*. Vellem scire, cur eorum auctoritatem spreverit? Sed neque ignorare potuit Meibomius, etiam apud plures sic inveniri, quam, quos adlegavit, Godefridum Monachum, & Trithemium. Annon enim similiter in ipso scriptore, quem prae oculis, & in manibus habuit, Hermanno de Lerbeke *pag.* 599. „ Albertus Swerinum ducitur „ captivus, & apud *Regem Daciae avunculum suum* vinculatur. „ „ Annon etiam in Stadensis *chronico*, quod citat, ad ann. 1225. „ Comes *Albertus* a Comite Henrico de Zwerin in praelio ca- „ pitur, & cum *Rege Danorum avunculo suo* custodiae manci- „ patur „ ? Godefridus autem Monachus oppido hic disertus, ad ann. 1224. primo *filium sororis ipsius Regis*, mosque *Regem avunculum eius* nominat. Atque horum omnium adsertionem prorsus confirmat, Crantziique coniecturam ad nihilum redigit ipsius Alberti Orlamundani testimonium in litteris ad Pontificem Romanum, quas Io: Fr. Schaunat in *Vindemiis litterariis pag* 196. inseruit, ubi *Regem Daciae Dominum*, & *avunculum suum* appellat. Itaque valeat Crantziana fabula, & Albertus veris parentibus restituatur, Sifrido Comiti Orlamundano in Thuringia, & Valdemari I. filiae. Huic *Ingardis* nomen tribuit noster, auctorem Hvitfeldium sequutus, qui sic *Tom. II. pag.* 14. nominat, recte ne an secus, haud dixero; cum in eo facile sicut in ceteris, potuerit falli.

(a) *Sigefridum, nulli Germ. aequus*) Sigefrido Meursius applicat, quae Arnoldus de Ludovico habet, arbitratus cum plerisque nostratium, Arnoldum ex Saxone emendandum esse. Sed neuter emendationis in hoc argumento indigus, ut iam diximus.

mox Slesvici ducem creat. Erat vero tunc ducatus Slesvicensis ea ratio, ut, quum maximus filiorum regis Daniae patri suo successurus procerum suffragiis designaretur, proximus natu hunc acciperet; ac, si forte sine prole is decederet, hinc ad regnum capessendum vocaretur; postea, deficiente stirpe regia, beneficium esse coepit. [CIϽ C LXXXIX.] Vere proximo, Clemens III. Pontifex maximus, postquam animum induxisset, universos orbis Christiani principes ad sumenda contra Saracenos arma excitare, sub auspiciis Friderici, ne is sibi a Canuto, adeo graviter offenso, mali quicquam per absentiam metueret, per legatos & conciliat dissidium, & Canutum (a), ut iuvare pium bellum item vellet adhortatur; isque, licet regno exire non consultum existimaret, tamen classem suam addit (b), in hac expeditione, iuxta Flandros, Frisiosque, qui & ipsi naves dederant, claram operae. Inter haec, Dithmarsi turbant; ac, tributo graviore, quam exsolvere possent, pressi, a Bremensium episcopo, cui suberant, Hartvico II. cum negarent, etiam armis impetiti, in episcopi Slevicensis (c), Valdemari, ac per illum regis Daniae, clientelam sese tradunt; nil referre dictitantes, sive S. Petrum colerent, Slesvicensem, seu Bremensem; quum ecclesiae utriusque patrocinium is teneret; utque fidem Valdemaro approbarent, obsides e suis exhibent; ac deinde per triginta septem annos in obsequio permansere. [CIϽ CXC.] Novus quoque in Vandalia motus fuit inter Boguslai ducis consanguineos de tutela liberorum, quam Canuto ipse vita excessurus commendaverat. Ille itaque ut principia coerceret, classem in Vandaliam mittit; ac, compressis mox auctoribus, dat tutelam Iarimaro, Rugiae principi; inde copias reducit. [CIϽCXCI.] Anno proximo arma in Finlandos (d) movet; qui quum sese cum Norvagis coniunxissent regnum Daniae praedabundi infestabant: & commisso uno praelio, nullo pene sanguine suorum victor, fugiente statim hoste, nec impressionem primam sustinent, mox Finlandiam universam suam in potestatem redigit. [CIϽ C XCII.] Inde in Vandaliam tendit; atque eam, odio Caesaris, flamma, & ferro late vastat, diripitque Qua re motus Valdemarus Canuti regis amitinus, alienum in ipsum animum, callide hactenus occultatum, palam facit; ac contendit, sibi quoque in regnum ius aequale esse (e); etenim, sicut Canutus patrem Valdemarum haberet, ita se Canuto natum, qui Roschildiae interfectus. Incitare episcopi Norvagienses, & auxilia polliceri; idem factum ab Adolpho, Holsatiae comite; arbitrato, gratam hanc futuram operam Friderico Imperatori (f), qui Canuto, ob negatam obedientiam, ac Vandaliam divexatam, ad-

(a) *Canutum - - adhortatur*) Gratis, & ex sola coniectura hoc dicitur. Unde enim probabis, Fridericum auctorem fuisse Canuto, ut bellum sacrum adiuvaret? Quod tamen nec prorsus negare volumus; sed nihil eiusmodi adstruendum absque auctoritate. Rectius Huitfeldius, pactionem quamdam scribit, instar induciarum initam fuisse inter Canutum & Caesarem, ne ille, Caesare in expeditione sacra occupato, Germanicum imperium infestaret. Recte etiam Pontanus: „ Caesar, cum animadverteret, non defuturos, qui turbas fortasse, se absente, ac „ res novas molirentur, omnia, quae ad pacem retinendam vi„ derentur necessaria, ante suum discessum providere, ac consti„ tuere curae habuit. Praesertim vero quia certamina inter Ger„ maniae Principes commoverat Henrici Leonis proscriptio, & „ Daniae quoque Regem, utpote Leonis generum haud leviter „ eadem exasperarat, haec ut sopirentur, Leonem ab exilio re„ vocavit „ &c. & paullo inferius „ Caesar quoque cum Canu„ to, qui Maguntiaci comitiis non interfuerat, ita per legatos, „ & litteras transegit, ut ipso interea, dum in Asia bellum ad„ ministrat, pacato uteretur „.

(b) *Tamen classem suam addit*) Neque hoc verum est. Canutus nullam ipse classem suis regnique impensis instrui eam in rem fecit. Quicquid autem tunc temporis vel navium, vel hominum ad bellum sacrum ex his regnis profectum, totum civium nonnullis, & primariae nobilitatis viris suapte religione, vel hortatu sacerdotum, & bullarum Papalium excitatis, adscribendum. Accidit enim, cum Rex Canutus curiam solenni conventu Othenis in Fionia circa festum Nativitatis Christi anno 1188. haberet convocatam, ut istic nuncii a Sede Apostolica supervenirent, cum Pontificis, quas dixi, litteris: quarum argumentum quosdam procerum haud parum commovit; maxime postquam Esbernus, Archiepiscopi Absalonis frater, eorum animos diserta pro istis temporibus oratione accendisset. Itaque soluto concilio quindecim ex primariis regni viris, societate inter se facta iureque iurando confirmata, decreverunt, ut constructis navibus, quas *Gueckas* appellabant, profectionem aggrederentur. Ex quindecim autem istis viris non nisi quinque in proposito perstiterunt, quorum nomina: *Ago* filius *Stigh Albi*, *Alexander* ex sorore Absalonis natus, *Ako* Episcopi Tuconis nepos, *Petrus* filius *Albi Pannonis*, ac *Sveno Torkilli* filius, qui *Matthaeum* virum generosum, & literatum, militarem tamen, viae comitem, & laboris consortem elegit. Hi navibus conscensis, in Norvegiam primum appulerunt, ubi socios itineris accepere ducentos, quibus praeerat *Ulfo de Loufnes*. Norvegi, *Ulfone* duce, provecti, optato littore potiuntur. Dani eos praegressi, incautiusque *Svenonis* auspiciis navigantes, naufragium faciunt, terraeque in Frisia appulsi naves vendunt, ac terrestri per Germaniam itinere Venetias petunt. Hic paululum commorati naves denuo parant, quibus in terram sanctam devehuntur. Commodum isto tempore inter Christianos, & Saracenos pax convenerat; ideoque nostri, Hierosolyma, & sanctis locis lustratis, Acconem, ubi naves reliquerant, repetunt; Et, quia nulla sese occasio bellandi offerebat amplius, nonnulli per Apuliam, atque Romam, alii per Constantinopolim iter remetientes, patriae tandem restituuntur anno 1191. Haecque est summa expeditionis Danorum sacrae, sub Canuto Rege Valdemaride, deprompta ex *Commentario*, ut vocatur, *historico de profectione Danorum in terram sanctam*; quod insigne antiquitatis monumentum ex Cod. MS. Bibliothecae Lubecensis protractum, debemus curae doctissimi olim Viri Io: Kirmanni, ac nepotis eius Bernh. Caspari, qui imprimi illud fecit Amstelod. 1684. in 8. Ceterum complures ex gente nostra alios Fresonibus, & Flandris, qui eodem, quo Fridericus Imperator, tempore expeditionem sacram moliti, classem 53. navium in Syriam expediverunt sese adiunxisse, exterorum monumenta testantur. Vid. *Gesta Dei per Francos Tom. I. pag.* 1164. Vinisauf *Itinerar. Hierosol. lib. I. cap.* 27. qui & ipse auctor *cap.* 31. *pag.* 271. memorat, in eodem comitatu fuisse *nepotem Regis Daniae, & magnates* aliquot cum *quadringentis Danis*. Add. Rad de Diceto *pag.* 654. Matthae. Paris. *pag.* 103. *&* 111. Chronicon Nangiac. in Dacherii spicileg. &c.

(c) *In Valdemari Episc. Slesvic.*) Agit de hac Tetmarsorum defectione ad Episcopum Slesvicensem Arnoldus Lubec. *lib.* 3. *cap.* 21. Verum pluribus historiam illustrat Henric. Bangertus in *notis* ad Arnoldi *lib.* 4. *cap* 17. *pag.* 409. *& seq.*

(d) *Arma in Finlandos*] Ex Annal. vett. qui ad *h. a.* habent communiter: *Anno* 1191. *Expedictio facta est ad Finlandiam, quae devicta est a Danis*. Ita *Chronicon Sialandiae* ab Arma Magnaeo editum; Ita & duo *Chronica*, in Sylloge Ludewigii *numero* 1. & 6. imo plura. Pseudo Erici Pomerani editor pessime repraesentavit: *Expedictio facta est in Flandria*. Quaeritur autem, quaenam intelligenda hic *Finlandia?* Meursius sine dubio intellexit provinciam, hodie eo nomine cognitam, cuius se Magnum Ducem Rex Sveciae in titulis vocat. Perperam vero sic creditur. Est sane, quemadmodum rectissime animadvertit venerab. & rarae eruditionis Vir Ericus Benzelius in *notis ad Vastovium pag.* 17. vulgari ex pronunciatione litterarum *u.* & *f.* nihil aliud quam *Vinlandia*, seu *Vinedorum terra*, pars Vandaliae, sive Slaviae; quippe quam hoc anno subegit Canutus. Itaque illud de *Finlandis* recte omissum Hvitfeldio, & Pontano, de Vandalica tamen expeditione ampla loquentibus.

(e) *In regnum ius aequale esse*) Quando, & qua occasione coeperit tumultuari iste Praesul, discimus ex Valdemari II. epistola ad Innocentium PP. III. (apud Odor. Rainald ad ann. 1206. §. 19. & 20.) Nempe Canutus VI. ei Ducatum Slesvicensem regendum concesserat. Sed cum Canuti frater Valdemarus adolevisset, is Ducatui praeficitur. Hinc Episcopus exacerbatus, hostilem animum induit, omniumque beneficiorum, quae a Valdemaro, & Canuto acceperat, immemor, regnum ipsum coepit affectare. Vid *ibid.* plura.

(f) *Gratam operam Friderico Imp.*) Sed iam tum (ann. 1192.) non in vivis erat Fridericus, extinctus biennio, ante mense Maio. Ergo filius eius Henricus VI. intelligatur.

CIƆ C XCII.

admodum infestus esset. Vtque vires, alias Canuto impar, iustas sibi compararet, foedus init cum Othone Brandeburgico, & Bernardo item Saxone, eius fratre. Ad hoc & Hartvicum addit, Archiepiscopum Bremensem, & Simonem Teckemburgicum [a]; insuper Bernardum Velpium, ac Mauritium Oldenburgicum, qui & vires, & consilia sociarent. Hos stipendio ipse suo, atque commeatu aluit: universis admirantibus, unde opes tanto oneri pares essent. Nec contentus, in Norvagiam, ad Haquinum regem [b], abit: a quo, & episcopis regni quum triginta quinque naves impetrasset, ocyus in Daniam ducit, & usurpat nomen regium; ita enim foederatis visum fuerat, ut maritimum Valdemarus bellum gereret, at Adolphus, sociique terra regem in Holsatia, apud Eidoram illic flumen, ad certamen provocarent. Atque isthoc agitatum; sed rex prudens, qui, cunctando vires hostium comminuere potius existimabat, intra vallum se tenebat, neque unquam pugnae copiam faciebat: provocante interim per literas subinde Adolpho, castoremque per ludibrium appellante; quod in mari classem suam circumduceret, nec in terram usquam exscenderet. Nec multo post Valdemarus, seu consilii pertaesus, seu impensae ultra impar, militem auxiliarem, & Brandeburgicum dimittit; sed Adolphus, cui animus ex cunctatione regis, ceu is metu quodam ignavo pugnae aleam detrectaret, augebatur, ut virtutem ipse suam ostentaret, flumen Eidoram transgressus, omnia Slesvico circumiecta loca, quae ad regem pertinerent, populari, ausu mox exitioso. Etenim, dum isthoc agit, callide quidam Valdemarum adeuntes, a proposito abducunt, admonentque; *agere prudenter vellet, & temeritatem omitteret; maximas Canuti vires in concordibus pro-*

vinciis regni esse, neque facile vinci posse: nec senatum assensurum; uti, regno distributo, pars in alium, quamquam regii generis virum, transferatur; tum & istud reputaret, indecore sceptra, & sacra permisceri: itaque captaret pacem, nec incertum belli finem expectaret. Quorum verbis persuaderi sibi passus, animum ad pacem applicat; sed, dum id incaute agit, ac sine ullo commeatu regem accedit, rei componendae gratia, captus, Norburgum abducitur, Alsiae arcem; ubi postquam annos quinque exegisset, in Selandiam traductus, arci Saeburgensi includitur, & in ea annos novem detinetur: illustri exemplo alios docens, temerariae audaciae, & incepti sine iusta causa belli finem fere infaustum esse. Foederati, qui captivum Valdemarum ignorarent, eum navibus mare Balthicum occupasse arbitrati, cum exercitu in Holsatiam penetrantes, aciem Canuti adversam iuxta Eidoram exspectabant. Verum, illo pugnam subterfugiente, ac cunctando debellare hostem certo, Brandeburgicus, & Saxo, mox dilapsi, suam quisque domum repetunt. Quo comperto, in Adolphum rex conversus, non duntaxat Slesvicensi territorio eum expellit, verum etiam in Holsatiam persequitur; atque, praeda inde abducta luculenta, huc compellit, ut rebellionis culpam selibris argenti mille quadringentis, ac Dithmarsica ditione universa, luere necesse haberet; atque ita, constituta demum pace, in Daniam Canutus redit. Nec multo post Philippus Augustus, rex Gallorum, per legatos sororem eius, Ingeburgam, uxorem petit, impetratque [c]; quater mille selibrarum argenti puri dote dicta. Ac Philippus hoc coniugium petiisse ferebatur, ut se, regni Daniae ope, tutiorem contra regem Angliae [d] Richardum faceret: quippe gnarus, inter Daniam, Angliamque, ob im-

CIƆ C XCIII.

S s pe-

(a) *Teckenburg.*) corrig. Simonem. *Tecklenburgium*.

(b) *Ad Haquinum Regem*] Scio Hvitfeldium sic in Annalibus vett. reperisse. Sed certissimum, nullum Haquini nomine tunc in Norvegia regnasse. Quod animadvertens Pontanus, hoc modo correxit *pag.* 285. „ Confestim ad Norvegos profectus Episco„ pus, Sverum Regem, vel, ut alii tradunt, Haquinum eius filium aggreditur. „ Nam Sverrus regno praefuit ad annum usque 1202. eodem, quo Rex Canutus, anno mortuus. Cetera apud nostrum de Episcopo Valdemaro recte se habent, ideoque nihil ultra annotamus.

(c) *Ingeburgam uxorem petit, impetratque*] Nempe, ut Rigordus testatur *pag.* 36. misit Stephanum Noviomensem Episcopum ad Canutum, *rogans eum, & deprecans, ut unam de sororibus suis, quam ipse legitimam haberet, uxorem ei mittere dignaretur. Quo audito, Rex Danorum Canutus gratanter accepit, & Ingeburgam sororem suam, pulcherrimam puellam, sanctam, & bonis moribus ornatam, nunciis Francorum tradidit &c.* At profecto nimis promptum iste auctor nobis describit Canutum; quem nec *gratanter* adeo petitionem accepisse, neque subito ei annuisse habeo unde probem. Diceres potius, divinum fuisse Regem nostrum, & imminentis sorori suae ab impio sponso calamitatis praesagam mentem habuisse. Opus certe habuit Noviomensis ille Episcopus, ut Canuti animum dubium, atque reluctantem flecteret, ad opem confugere popularis sui, opportune apud Danos tunc degentis. Fuit ille S. Vilhelmus Abbas de Paraclito; cuius inter *Epistolas*, nondum publicae luci expositas, una perquam memorabilis extat, ex qua ad confirmandum quod dixi, nonnulla ad hoc argumentum spectantia, lectori communicare lubet Initium eius hoc est. „ Prae„ cellentissimo Domino Canuto, Dei gratia glorioso Regi Da„ norum, Frater Villelmus, pauperum fratrum S. Thomae de Pa„ raclito minister indignus, debitam tanto Domino reverentiam, „ & devotum obsequium. Ad decorem coronae regalis accedit; „ ut, sicut Principes regni laetas, & hilares reddit temporalis glo„ ria Regis, sic nihilominus eosdem deiiciat eiusdem depressio „ maiestatis. Qui igitur lateri Regis assistunt, & Regalibus prae„ sunt negotiis, necesse est ut iura, & rerum ordinem conser„ vent, ut iura videlicet integra, & illibata permaneant, & re„ bus hominum, ac usibus attributis augmenta proveniant; sed „ super haec omnia, ut honor Regis conservetur, & accrescat „ illaesus. Hoc autem, mi Domine, eo dicimus intuitu, ut si „ vobis a Rege Francorum apud Excellentiam Vestram locum „ non habet honor oblatus, valde veremur ne tale consilium „ diuturna poenitentia subsequatur, & famae Vestrae suavis opi„ nio, quae iam fere per totum redolet mundum, celebritatis „ suae sentiat detrimentum. Heu! quis tunc non ingemiscet? „ Heu! quis tunc non currat ad lacrymas? Ac, post aliqua in„ teriecta: „ Non est, mi Domine, parvus honor qui offertur „ gratiae vestrae; quod tamen vobis in aure loquamur. Qui si „ copulatum vestris amicitiis habueritis Regem Francorum, non „ erit de cetero vobis formidini cupiditas, & avaritia Romano„ rum. Sed de his hactenus „ &c.

(d) *Tutiorem contra Regem Angliae*] Mirum est, quanto consensu hoc affirmaverint scriptores Angli: non tantum Guilielmus Neubrigensis, quem praecipue sibi refellendum sumsit Blondellus, sed omnes fere, Hovedenus, Bromtonus, Gervasius, Henr. Knyghton, Walterus Hemmingford, alii. Breviter quidem, & paucis rem verbis innuunt Roger. ab Hoveden, & Gervasius. Ille *pag.* 731. „ Philippus Rex Franciae desponsa„ vit sibi *Botildam* [sic ille vocat] filiam Valdemari, quondam „ Regis Dacorum, sororem etiam Cnuti Regis Dacorum mo„ do regnantis - - - scil. ea intentione, quod praedictus Rex „ Dacorum veniret in Angliam cum navali exercitu. „ Et Gervasius in *Chronico col.* 1589. „ Rex Franciae desponsavit so„ rorem Regis Danorum, ut vel sic contra Regem Angliae „ Danorum haberet adiutorium. „ Ceteri vero fusissime narrant, & quasi consilio Regis Canuti interfuissent, cuntaque scripto excepissent inter ipsum, & proceres Daniae, nec non legatos Francicos agitata, exponunt. Ita Ioannes Bromton *col.* 1244. &, qui eum accurate hic exscribunt, Henr. Knyghton, & W. Hemmingford: ita etiam, quamvis non iisdem verbis, similibus tamen, Guil. Neubrigensis *lib.* 4. *cap.* 26. Hunc autem quomodo exceperit Blondellus, & operose castigarit, in libro *de Formula regnante Christo pag.* 355. *seq.* nimis hoc loco longum foret referre.

perium eius insulae interceptum odia antiqua quaedam agitari. Ingeburga, quum in Galliam ad Philippum pervenisset [a], uno die nupta illi, ac regina itidem renuntiata, paulo post repudiatur: & in monasterio primum [b], quo concesserat sua sponte, inde post extracta Stampis, hinc Vicenis, annis circiter viginti adservatur. Quidam hoc repudium biennio post factum [c] tradunt; sed Rigordus [d], qui Philippo coaetaneus, & ipsius, filiique Ludovici historicus fuit, iure mihi hic sequendus. Ac repudii quidem causam rex maritus praetexebat sanguinis propinquitatem, quum a rege Hungariae [e] Bela, qui sororem eius duxerat, tum ab Isabella Flandrica, prima uxore; ideoque non constare matrimonium illud posse. Alii causas tradunt alias; sed ineptas [f], neque dignas memoratu. At Canutus, minime ferens contumeliam, Romam ablegat Andream Sunonis, cancellarium, & abbatem Ebelholti, Gulielmum, qui de ea apud Papam, Caelestinum nominis illius III. quererentur; peterentque, ut Philippus ad recipiendam uxorem cogeretur; isque, aequa postulare regem censens, respondere comiter legatis eius: *operam daturum sese, ut Philippo iniuria repraesentetur, ac repudiata pridem Ingeburga revocetur*. Hoc responso, postquam Roma discessissent, in Burgundiam delati, prope urbem Divionem detinentur; literisque, quas habebant a Pontifice, spoliantur: sed, cum rege collocuti, & abbatibus, Claraevallis, ac Cistercii, fidem suam interponentibus, dimittuntur. Caelestinus, vix digressis his legatis, quod promiserat, suos ad Philippum mittit, Meliorem, tunc presbyterum cardinalem, Censiumque subdiaconum, postulatque, ut recipiat Ingeburgam, temere repudiatam. Verum frustra ille fuit: ac, post obitum ipsius, Innocentius quoque III. qui successit, episcopum Parisiensem per epistolam, quae & hodie conspicitur inter eius decretales, ut vocantur, in principio libri primi, adhortatur, ut Philippum quovis modo ad recipiendam uxorem permoveret; insuper legatos mittit, anno primo post millesimum ducentesimum, Octavianum, Ostiensem episcopum, ac cardinalem, & episcopum Velitrensem; per quos mox, concilio Suessione convocato, id effectum, ut reciperet hanc in gratiam; ita tamen, ut duodecim totis annis insecutis secubaret: nec participem lecti faceret, nisi demum, quum ex Anglia rediisset, anno millesimo ducentesimo decimotertio, qui vigesimus post repudium. Ex quo tempore, quum recepta in lectum esset,

a) *Quum in Galliam pervenisset*) *Gesta Innocentii III.* historiam exacte, & clare comprehendunt. Ibi ab initio *cap.* 48. *pag* 20 haec legas: „ Tractatum est inter ipsum (Philippum) & Canutum Regem Danorum, ut Ingeburgim sororem ipsius idem „ Rex Franciae duceret in uxorem; missoque Stephano Noviomensi Episcopo cum regio adparatu, ut illam adduceret, ipse „ Rex eam cum multo desiderio expetebat. Cumque de ipsa „ suscipienda in coniugem, & tenenda praestitae fuissent sufficientes cautiones, frater eius transmisit cum ea Petrum Roskildensem Episcopum cum idoneo comitatu. Quae cum transvecta per mare pervenisset Ambianis, ubi Rex Franciae ipsius „ praestolabatur adventum, dilationis impatiens, ipso die desponsavit eandem. Et congregatis Principibus, tam ecclesiasticis, „ quam mundanis, sequenti die per manum Willelmi Remensis, „ Archiepiscopi fecit eam secum solenniter coronari. „ Non opus, ut Francicorum scriptorum testimonia his consentientia, congeramus, quum nihil diversi usque ad nuptiarum, & coronationis tempus adferant; illas nonnulli notant celebratas in Vigilia Adsumtionis B. Mariae Virginis, & coronationem crastina die, quae fuit Dominica, adstantibus praeter Archiep. Remensem, Petro Atrebatensi, Ioanne Cameracensi, Theobaldo Ambianensi, Lamberto Morinensi, Stephano Tornacensi, & multis aliis Principib. & proceribus. Sic Chron. Andrens. in *Dacherii Spicil.*

(*b*) *In monasterio primum*) Rigordus *pag* 37. „ Regina tamen „ Ingeburgis ad Danos redire nolens, in partibus Galliarum in „ locis religiosis manere decrevit, malens continentiam coniugalem, cum orationibus toto tempore vitae suae servare, quam „ alteri iuncta, prima matrimonii foedera violare. „ Rad de Diceto *pag.* 671. „ Divortio inter eos solenniter celebrato, inter sanctimoniales maluit illa Suessionis degere, quam lares paternos in Danemarchia visitare: „ Matthae. Paris. *pag* 123. „ Rex Francorum Ingelburgam sororem Regis Daniae, mirabilis „ decoris duxit; quam repudians, inter sanctimoniales apud Suessionem collocavit, & Danos omnes, qui cum ea venerant, „ repatriare fecit. „ Steph. Tornacensis *Epist* 262. quae est ad Guilielm. Archiep Remens. „ Est apud vos pretiosa margarita, quae conculcatur ab hominibus, honoratur ab Angelis, „ digna thesauro Regio, digna palatio, digna coelo, Reginam „ dico, quae apud Cisonium quasi ergastulo clauditur, paupertate premitur, exilio relegatur.

(*c*) *Repudium biennio post factum*) Nempe, quia tunc lis, & controversia de divortio severe quam maxime, atque agitari coepit. Alii, quamvis non biennium, duos tamen tresve menses a nuptiis usque ad divortium effluxisse prodiderunt. Ita Chronicon Andrensis Monasterii in *Dacherii Spicil Tom* 2. *nov. edit. pag.* 823. „ Philippus anno 13. regni sui secundam duxit uxorem Ingelburgem Regis Daciae filiam, in Vigilia Adsumtionis B. Mariae Ambianis. Crastina autem die eadem civitate, die Dominica - - - regio Diademate coronata est. „ Octogesimo autem secundo die post has nuptias, apud Compendium Rex dimisit eam, a quibusdam Militibus, & Episcopis falsa inter eos consanguinitate iurata. „ Eadem habet *Auctarium Aquicinctinum* ad Anselm. Gembl. edit. Miraei, *pag.* 251.

(*d*) *Sed Rigordus*] Rigordus eadem die, qua coronata est, repudiatam dicit *pag.* 37. Verba eius: „ Sed mirum ea die, „ instigante diabolo, ipse Rex quibusdam, ut dicitur, maleficiis „ per sortiarias impeditus, uxorem tam longo tempore cupitam, „ exosam habere coepit. Et paucis revolutis diebus linea consanguinitatis per Karolum Comitem Flandrensem ab Episcopis, „ & Baronibus computata, per censuram ecclesiasticam huiusmodi matrimonium est separatum. „ Paria habet Guil. Aremoricus *pag.* 77. *Gesta Innocentii III.* loc. cit „ Sed inter ipsa „ coronationis solemnia, suggerente diabolo, ad aspectum ipsius „ [Rex] coepit vehementer horrescere, tremere, ac pallere, ut „ nimium perturbatus vix substinere posset finem solennitatis inceptae. Statimque motum est verbum divortii, propter affinitatis obstaculum, quod inter eos quidam existere mussitabant, dicentes quod secunda contigerat primam uxorem in „ gradu consanguinitatis quarto, vel quinto. „

(*e*) *Quum a Rege Hungariae*] Bela Rex Hungariae habuerat in matrimonio sororem Philippi Regis Franciae: Canuti autem, & Ingeburgis avia paterna, Ingeburgis Ruthena, fuerat Belae matertera. Hinc vero nulla prorsus poterat cognatio inter Philippum, & Ingeburgem Danicam existere, aut eiusmodi affinitas, quae divortium ex legibus ecclesiasticis pareret. Æque absurdum erat, causam ab Isabella Flandrica arcessere; nam Carolus, Comes Flandrensis, cuius mater ad Isabellae cognationem pertinebat, paternum genus, non ab Erico Bono Daniae Rege, Ingeburgis nostrae proavo, sed a fratre eius S. Canuto, Othenis in Fionia trucidato, deducebat. Itaque facile fuit, cum Pontano nostro, *Histor. Dan pag.* 288. *& seq.* tum praecipue Blondello *lib. de Form regn. Christo pagg.* 323. *&* 324. ostendere utriusque genealogiae, tunc temporis a Francorum Episcopis, & Militibus contextae, enormia vitia, summamque ad illud, quod quaerebant, ineptitudinem. Neque mirum, tam frivolas *probationes adfinitatis*, ut vocabant, *exhibitivas*, in Curia Romana nulli usui fuisse, sed reiectas *ut minus veras* pronunciante ipso Papa Innocentio III. Epist. *Tom. I. pag.* 684. Ceterum haud diffitemur, laudatum saepius Blondellum aliud multo aptius schema subministrasse, deductum a Iaroslavo Ruthenorum Rege. Ab hoc enim, & abavia Philippi Augusti, & abavus Ingeburgis nostrae, erant procreati: ita ut Philippus, & Ingeburgis sese in quinto cognationis gradu attingerent. Hocque sufficere potuisse ad divortium, adlatis ibidem *pagg. seq.* exemplis demonstratur.

(*f*) *Causas tradunt alias, sed ineptas*) Notantur hic Guil. Neubrigensis, Bromton, & plures Angli. Meminit quoque Pontanus *pag.* 287. *s.* Plura adnotare, vel potius excerpere de isto argumento haud necesse. Facile enim, quae a Meursio parcius hic exposita, suppleri possunt, cum ex Pontano, tum ex *Gestis Innocentii PP III. a cap.* 48 ad *cap.* 55. nec non historicis Francorum, antiquis, & recentioribus; in quibus iam olim diiudicandis David Blondellus perdiligenter suo more versatus est. Addantur Innocentii III. *Epistolae* non paucae; item Annales Baronii ad annum 1193. §. 24. &c. & Odor. Raynald. ad ann. 1198. §. 30 *&* 31. &c. ubi & obiter notandum, Baronium ab Hovedeno Anglo seductum, Reginam, de qua agitur, *Botildam*, nuncupasse.

CIↃ C XCIII. set, eum tenuit usque ad illius mortem, inconcusso hinc adfectu adamata[(a)]. Illud vero hac in re silentio non praetereundum est. Quum legati Innocentii rem Suessione agerent, rex Philippus, quamquam isthoc detrectaret, nec cognitionem causae impedire tamen posset, iuris dictionem instituens, advocationem parat. Agitur causa in praesentia ipsius, legatorum, ac totius regni praesulum, seduloque disceptatur: & accenso clara voce ter rogante, *ecquis foret, qui tueri Ingeburgae partes vellet; nam futurum, ut silentium pro* B *consensu, & confessione culpae haberetur*: prodit ex adstantium turba iuvenis, ignotus plane, & concedi causae dictionem petit; quam adeptus, universis summa cum attentione auscultantibus, peringenua libertate, ita omnem rei veritatem exponit, ut Philippi obstinatum ante animum ad recipiendam eam permoveret. Postquam autem perorasset, iterum immistus turbae, nusquam inveniri potuit[(b)], neque sciri unde domo, quis, aut a quo missus esset. Inter ista, in Livoniam arma C Dani transtulere; atque regionis eius infideles, caepto illis praedicari verbo Dei, per antistitem Meinardum[(c)], ac Bertoldum successorem, rebellantes domuere, & ad fidem Christianam universim amplectendam perpulere.

CIↃ C XCIV. Hinc, transgressi in Esthoniam, gentem admodum ferocem, bello victam subiugarunt.

CIↃ C XCV. Anno proxime insequuto, mense Martio, vehemens tempestas fuit, & cui similem neque a creato mundo exstitisse est putatum; alibi convulsae silvae pene integrae; aedium D que strages maxima, & navigiorum edita.

CIↃ C XCVI. Hinc Canutus in Esthoniam rebellantem arma vertit, regni cura Valdemaro fratri data: ac, devicta rursum gente, suam in ea potestatem, & religionem pridem constitutam confirmavit; ac, quo melius illud faceret, equites, Ensigeros dictos, foedere cum illis inito, suae ibi potestatis in consortium admisit, ut absente inde ipso providerent, ne quid novi molirentur. Eum ordinem, derivatum e Palaestina, pontificis Romani au- E spiciis, Bartholdus, Rigensis episcopus, in Livoniam invitaverat; dederatque illi pontifex possidendam omnem terram infidelium, quos virtute militari ad amplectendam in Christum fidem deinceps adducturi essent; & insigne attribuerent[(d)], enses rubros, unde nomen accepere, decussatim collocatos; addita & stella rubra in coloris albi veste. Hos Canutus, sicut dixi, uti fidem Christianam inter barbaros, iam rebelles, tueretur, foedere F coniunctos sibi, in societatem quasi quandam adscivit; atque idem, quum in regnum successisset, frater Valdemarus fecit: ac paulatim insequuti ipsum reges, sua pietate ducti, totum iis regionis principatum concessere. Hinc

A in Pomeranos quoque, denuo se commoventes, sexcentarum septuaginta navium classem, & in ea hominum circiter octoginta duo millia, expedivit; & exscensu in terram facto, Valogestum, ac Stetinum expugnavit: moenibusque reparatis, sub praesidio inde ampliore habuit.

CIↃ C XCVII. Paullo post Fidentium Romanus pontifex cardinalem ad Canutum regem mittit; de captivi Valdemari, Slesvicensium episcopi, liberatione acturum: verumille, re infecta, diem suum in Scania obit, Lundiaeque sepelitur. Mox Canuto multo gravior controversia cum Adolpho, Holsatiae comite, est exorta; quippe is Dithmarsiam, parentem Danis, post captivum Valdemarum, cum Adolpho Dasselensi, avunculo suo, manu armata ingressus, multam inde praedam abduxerat, & redigere universam in potestatem nisus erat. Tum auxere iram regis quidam Holsati, qui, proditionis pridem ab Adolpho accusati, quod, in Asia dum abesset, & adversus infideles militaret, contra Henricum Leonem, in Holsatiam incursantem, arma sua minime opposuissent; ideoque, bonis suis spoliati, & eiecti, postquam ad ipsum in exilium confugissent, animum eius, item fratris Valdemari contra illum incitare non cessabant: atque id efficiebant, uti Valdemarum mitteret cum exercitu, & rem totam restitueret. Abit ille; & cum eo profugi, quos dixi, Holsati: obviamque ipse Adolphus copias infestas ducens, magno animo ad Stilnoum pugnam init. Verum, impar Valdemaro, & in fugam mox compulsus, maxima suorum strage, se recipiens Hamburgum, vix evasit. Victor autem Valdemarus, cum exercitu progressus, capto statim Itzehoo, Segebergae, ac Travemundae obsidionem ducibus quibusdam mandat: ipse Plonae urbis arcem, quo Adolphus sese recepturus esse videbatur, magno nisu oppugnatam, capit, & praesidio munit. Quibus gestis, paullo post, maioribus collectis copiis, ad Hamburgi obsidionem se convertit, quod deditionem tamen statim fecit, nam Adolphus, urbis dominus, explorato, imminere sibi hostem, metuens obsidionem, ante adventum Valdemari, Albi flumine transmisso, Stadam fuga se receperat. Qua de causa Hamburgenses, qui se impares agnoscerent, Valdemaro obviam egressi urbe, summa cum demissione venientem excepere; seque illi, ac sua omnia regis nomine dedidere. Hinc, qui minime ignoraret, quantum in his talibus celeritas momentum haberet, nil cunctatus, iam labantem hostium fortunam porro impellendam sibi putans, motis castris, Vergedorpium[(e)] magnis itineribus tendit: ac postridie in Lauwenburgensem agrum copias ducit. Quo comperto, Dasselensis, quum praesidium Lauwenburgo

(a) *Inconcusso hinc adfectu adamata*) Modico utique adfectu; quemadmodum verisimilius ipsi Francici prodiderunt: ex quibus Rigordus Philippi duritiem, non Reginae Ingeburgis modestia victam, sed taedio expugnatam, scribit. Alii quoque receptam in qualemcumque gratiam, non vero sincere adamatam indicant.

(b) *Nusquam inveniri potuit*) Paulus Æmilius, Gallorum historicus, haud absurde coniicit, Danorum instinctu consilioque procuratum fuisse.

(c) *Meinardum*) De hoc viro, olim Canonico Segebergensi, postea Rigensis Ecclesiae Episcopo, agit Arnoldus Lubecens. *lib.* 7. *capp.* 8. *&* 9. ubi & de successore eius Bertoldo. Addatur Crantz. *Saxon. lib.* 7. *cap* 13.

(d) *Attribuerent*) Mendum est. Corrig. *attribuerat*.

(e) *Vergedorpium*) Corrig. *Bergedorp*, sicut infra *pag.* 9. *b*. Ceterum haec expeditio a plerisque Chronographis serius refertur, circiter ann. 1200. postponenda certe illi, quam deinceps memorat ad an. 1198. Pontanus, Hwitfeldium sequutus, rectius haec disposuit.

CIↃ C XCVII.

burgo imposuisset, Valdemarum minime exspectare ausus, ipse quoque fugam capiens, ultra Albim se recepit. Valdemarus, collocatis ante Lauwenburgum castris, dum maiores illic sibi copias parat, & obsidionem urget, undique praefecti arcium vicinarum, ac cum illis Razeburgii, eum accedunt, seque dedunt. Postquam autem Lauwenburgum diu frustra obsedisset, molibusque ante arcem munitissimis excitatis, ac praesidio relicto, quantum ad continuandam obsidionem satis esse videretur, mox Slesvicum magno cum triumpho redit; sparsa late nominis fama per Germaniam universam: qui, Adolpho propulsato, oppidis tot, arcibusque expugnatis, aut timore ad deditionem actis, ac Holsatia pene tota subiugata, specimen virtutis suae, & industriae militaris non vulgare edidisset.

CIↃ C XCVIII.

Otho vero Brandeburgicus, Adolphi Holsati, quem contra Canutum regem hactenus summa fide iuverat, vicem dolens, cum Adolpho Dasselensi in Vandalos movet; cuius rei fama quum in Daniam perlata esset, illico Canutus magnam multitudinem passim ex agris, oppidisque in arma cogit, & auxilia Rugiana his adiungit. Quia autem iam aetate gravis Absalon, etiam morbo impeditus, ducem sese exercitui, ut solebat, minime praebere poterat, demandatum illud munus Petro, Roschildensi episcopo, tum & regis cancellario, ac Torberno Knarderupio (a) eius fratri, qui quum copias iussu regis transmisissent, Vernoviae fluminis, quod Rostochium praeterlabens, mox in mare se exonerat, ostium ingressi, paullo post in terram exponunt, ubi Othonem prope agere acceperunt. Neque mora; coeunt infestae acies, fortiterque manum conserunt. Acriter pugnatum utrinque; & occubuere plurimi in vestigio, dum pars neutra loco semel capto cedit. Petrus, ac Torbernus (b) frater, prima in acie dimicantes, nil virtute sua dignum omittebant; neque deerat sibi Otho, qui hortando, & pugnando ducis pariter militisque munus strenue obibat. Postquam autem paribus animis diu concertatum esset, Petrus, iussis sequi suis, impetum in hostem facit, nec urgere prius cessat, quam in fugam eum vertit: Sed, incautius dum premit, nullo ordine suorum, ipse capitur, frater cadit; &, amisso utroque duce, qui e praelio supererant, naves repetunt; & in Daniam revertuntur: ac Torbernum, secum abductum, mox Ringstadii sepeliunt. Paulo post & Petrus redit; quum custodiae praefectum, ingens pretium pollicitus, corrupisset. Ac Othonis, quamlibet victoris, vires eo praelio fractae adeo fuere, ut (c) deinceps nil hostile in Canutum sit molitus.

CIↃ C XCIX.

Quibus hunc in modum gestis, Burevinus, & Niclotus, Silaviae (d) comites, iussu regis, in Adolphum Dasselensem, huius belli adiutorem, copias ducunt: initaque inde pugna, quum Niclotus cecidisset, eius mortem Burevinus ulciscendam sibi ratus, graviter incumbens hosti, universum profligavit, & Adolphum ditione sua eiecit. Inter quae, concedit fatis Sophia (e), Canuti mater, Valdemari I. vidua, & Ringstadii sepelitur.

CIↃ CCC.

Profligato Dasselensi, Valdemarus Louwemburgum, ac Bergerdorpium, quae praesidio adhuc eius tenebantur, statim obsidione cinxit: ac, dum ea se tuentur, valide admodum munita, Razeburgum, Gadebuscum, & Vitenburgum, quaeque arces aliae ad Sverinensem pertinebant, quod is arma cum Adolpho coniunxisset, suam in potestatem redigit. Hinc se in Lubecam vertit; quae, obsessa Travemunda, tantam in angustiam redacta fuit, ut, auxilio desperato, ultro sese in victoris leges dederet: integra commerciorum, quae in Dania pridem exercebat, iura, civiumque libertatem, quos Canutus anno praecedente ceperat, stipulata. Magna cum solemnitate Valdemarum Lubecenses excepere; isque, paucos ibi dies commoratus, rebus suis ordinandis animum advertit; ac, consulibus urbium expugnaturum, aut deditarum, evocatis, obsides imperat: Lubecae vero postquam cives sacramento obstrinxisset, arcem imponit: cuius etiam monumentum hodie *platea regia* nominatur; etenim sic statuebat; minime quieturos cives, aut mansuros in obsequio; nec Adolphum item forte, quum egressus semel foret, cessaturum: ob hanc causam novos motus, alias illic orituros, coerceri hoc praesidio oportere; ac permansit in vicesimum septimum annum; quum, excussa servitute, Lubecenses, priscam sibi libertatem vindicantes, sub hoc ipso Valdemaro, tunc regnante, diruerunt: uti fusius narrabo, quum ad tempus id pervenero. Et his quidem ita tum Lubecae gestis, Zegeburgum Valdemarus, quod Timone duce dudum arcte obsederat, mox in potestatem accipit; inde iubet fratrem eius oppugnare Travemundam, ac Dithmarsiam, Scenoni, eius fratri, Plonam mandat: exulibus, ab Adolpho eiectis, patriam reddit: & Dithmarsos, quum se denuo commoverent, ac tributum imperatum exhibere detrectarent, gravius premit. Inter haec, Holsatia eiectus Adolphus, certior factus, reditum suum exspectare Hamburgenses, ut reciperet amissa, quum delectum habuisset, urbem obsidione cingit; & vix quicquam resistentem, veluti quae capi vellet, protinus in potestatem suam redigit: ac Rudolpho, regio illic praefecto, exire iusso, quae a Valdemaro pridem acta es-

(a) *Knarderupio*) Non fuit cognomen hoc gentilitium, sed nomen praedii, quod Torbernus possedit, ac ubi habitavit, postea in monasterium conversi. Narrat de isto bello Arnoldus Lubec. *lib.* 6. *cap.* 9. vocans fratrem hunc Episcopi *Durbernum*.

(b) *Petrus ac Torbernus*) Aliter Hvitfeldius, haud dubiae priscas secutus memorias. Nempe dum Torbernus pugnam conserebat, Episcopum in vicino monte iacuisse, ut certaminis eventum specularetur; verum fratre caeso, vulneratum fuisse, captumque, inde in vinculis usque ad alterum annum asservatum, postquam, carceris custode corrupto, in Daniam reversus erat, curasse ut fratris ossa in patriam pervcherentur.

(c) *Fractae adeo fuere, ut*) Contrarium alii annotarunt, in quibus Pontanus est *pag.* 291. Nam & Arnoldus Lubec. *lib.* 6. *cap.* 10. refert proxima hieme Ottonem Marchionem, *coadunato exercitu, Adolpho Comite auxilium ferente, totam Slaviam vastasse, nec terrae Iaromari, Tribuses dictae, pepercisse &c.*

(d) *Silaviae*) Mendum est, pro *Slaviae*. Nescio autem, cur *Comites* hic appellet, qui aliis *Principes* vel *Duces* audiunt.

(e) *Fatis concedit Sophia*] Eius vero mors refertur ad ann. 1198. ab Erico Rege, ab auctore *Chronici Sialandici*, ab *Annali num.* VI. & *num.* XII. in *Sylloge* Ludewig. ab Arn. Hvitfeldio, aliisque.

CIↃ CC. eſſent, aut ſtatuta, deinceps rata haberi vetat. Idque poſtquam in Holſatiam nuntiatum, quidam, in fortunam Adolphi propendentes, ad recuperandam eam ditionem clam invitant; quorum hortatu is audentior, etiam tum Segebergam, Louvvenburgum, ac Travemundam, ſub praeſidio ſuo tenens, communire Hamburgum incipit, magna ſpe Holſatiae recuperandae. Vbi dum ſecurior aequo menſes aliquot moratur, Valdemarus, clam Sleſvico caſtra movens, circa brumam, primo Rendesburgum ducit, oppidum in finibus ducatus Sleſvicenſis ſitum, & Holſatiae. Eo capto, in Dithmarſiam contendens, quam Adolphus in defectionem traxerat, ſine clade illam recipit; hinc, profectus per Holſatiae comitatum, propere Hamburgum petit, obſidetque; ubi in caſtra convenere, Guncelinus Suerinenſis, Burevinus Megapolitanus, & Dithmarſi, magna auxilia adducentes. Quo Adolphus intellecto, ac ſe obſideri videns, eo tempore, quo periculi minimum ſibi metuendum exiſtimabat, nec effugium ullum dari, hinc circundato ab exercitu, inde Albi, glacie illi innatante, tranſitum non permittente; inſuper deluſum item ab Holſatis, qui in vanam ſpem pertraxerant, animadvertens, urbem offert, & mox etiam Louwenburgum, ad Decembris ſextum & viceſimum diem imminentem, modo ſibi poteſtatem liberam diſcedendi daret, ac delicti gratiam Hamburgenſibus faceret. Id initio quum negaret Valdemarus, tandem, interceſſione Guncelini, & Burevini, eſt largitus: hac conditione tamen, niſi Louvvenburgum traderet, ut captivum Valdemaro ſeſe redderet; ac perficiendae CIↃ CCI. rei cura Guncelino data; qui Adolphum quum in caſtra evocaſſet, ut ad pacta implenda abduceret, in diſcrimen magnum incidit; nam Dithmarſi, poſtquam Adolphum intra vallum conſpexere, qui & Marſicam regionem per vim pridem occupaſſet, & in ea graviter graſſatus eſſet, arma rapiunt; eum plane occiſuri. niſi ocyus rex ipſe laboranti ſuccurriſſet. Mox, compoſito tumultu, quum Hamburgum Valdemarus recepiſſet, Guncelinus, captum ſecum Adolphum ducens, Louvvenburgum eſt profectus; ut obſeſſi, eo viſo, ac deditionem quoque imperante, eveſtigio arcem Valdemaro traderent. Quum perventum iſtuc eſſet, ac deditionem Adolphus, ante moenia conſtitutus, militi praeſidiario imperaſſet, idque ille pertinaciter recuſaret, fame potius moriturum ſe reſpondens, ſub cuſtodia primo Sleſvicum perducitur, hinc Soeburgum Sialandiae; additurque ſocius carceris Valdemaro, Sleſvicenſium epiſcopo, qui rebellionis quoque pridem fuerat. Et, Adolpho hunc in modum ſubiugato, factum, ut Victorioſus cognomento Valdemarus diceretur. Nec multo poſt in caſtra ad Hamburgum rediens Valdemarus, univerſas copias in urbem inducit; civibuſque aere ingenti imperato, arcem etiam imponit, qua deinceps in officio continere ipſos poſſet. Per id tempus moritur Sorae, quam fundaverat, Abſalon, vir integritate vitae [(a)], bellicaque fortitudine, ſuo aevo certe nemini ſecundus. Sora ante avitus illi pagus erat; iſque diruit, & in monaſterium vertit: monachiſque legem dixit [(b)], ut quod anno quolibet memoria poſteritatis dignum paſſim tota Dania gereretur, ſcriptis traderent. Sed, quod caverat diligenter, minime curatum fuit; ac, Saxonem ſi excipias, nemo Danus patriae ſuae hiſtoriam literarum monumentis conſecravit: & extranei, ſive ignorantia hallucinantes, nihil praeſtiterunt ſolidi; ſive invidia, quae a Danis fortiter geſta, deprimentes, ſua in maius extulerunt. Quod quum ille praevideret, Saxoni; praepoſito tunc Roſchildienſi [(c)], hanc hiſtoriam, quae nunc exſtat, conſcribendam demandavit; iſque fecit, cum ingenti laude ſua: quam non parum aucturus fuerat, ſi & diſtinxiſſet annos; & quae miſcet, fabuloſa omiſiſſet. Nunc iudicium merito deſideramus in quibuſdam, qui inſignem ſcriptionis, eo aevo, elegantiam praedicamus; quamquam, de diſtinctione certa annorum, tempora remotiora, & incurioſa ſui, facile excuſant virum, caeteroqui diligentem. Vixerat Abſalon, quum decederet, annos tres, & ſeptuaginta; quadraginta quatuor [(d)], epiſcopus fuerat; & Roſchildienſem eccleſiam rexerat viginti annos, & quod excurrebat tempus, Lundienſem, amplius viginti tribus. Ac ſecutus ipſum fuit an- CIↃ CCII. no proximo Esbernus Huidus Snaraeus [(e)], eius frater, belli laude pariter clarus, ac de regno

(a) *Abſalon, vir integr. vitae*] Legatur & amplum eius elogium apud Arnold. Lubecenſem *lib.* 4. *cap.* 18. & in Vita S. Wilhelmi Abbatis in *Actis Sanctor.* ad d. 6. April. Petri Cellenſis, ac Stephani Tornacenſis *Epiſtolis*, ut domeſticos taceamus.

(b) *Monachiſque legem dixit.*) Illuſtrantur ea amplius a Pontano *pag.* 293. item a Stephanio in *notis ad Praefationem* Saxonis Grammat. *pag.* 3. qui & plura de egregio Praeſule obſervavit Add. Ottonis Sperlingii annotationes ad *Teſtam. Abſalonis* edit. Hafniae 1696. in 8.

(c) *Saxoni, Praepoſito tunc Roſchildenſi*] Inveteratus error, optimis ſcriptorum noſtrorum, Hvitfeldio, Pontano, Stephanio, aliis communis, ſed qui nullo modo defendi poteſt. Nam ſane haud ſufficit, vixiſſe eadem aetate, & quidem ſub Valdemaro I. Rege, Praepoſitum Roskildenſem, eodem Saxonis nomine appellatum, qui Pariſios miſſus, S. Wilhelmum ſecum in Daniam abduxit: id quod probat ſolummodo, Saxonis appellationem non tam raram inter nomina virorum propria fuiſſe iſto aevo, quam eſt hodie. Tandem vero Otto Sperlingius, vir doctiſſimus, clare atque ad oculum demonſtravit, *Saxonem* hiſtoricum, vulgo *Grammaticum* cognominatum, iuniorem multis annis fuiſſe Praepoſito illo cognomine. Hic, cum Pariſios abiret anno 1165. (nam de eo anno nulla dari poteſt controverſia) Saxo hiſtoricus erat adhuc in pueritia conſtitutus, quippe circa medium *ſeculum* XII. natus ipſo Stephanio iudicante. Accedit, quod in *Teſtamento Abſalonis* verba ſeſe offerant, ad *Saxonem* hiſtoricum ex manifeſtis ſatis indiciis pertinentia, haec ſcilicet: *Saxoni Clerico ſuo duas marcas argenti, & dimidiam conceſſit, quas ſibi donavit. Saxo debet duos libros, quos Archiepiſcopus ei conceſſerat, ad monaſterium de Sora referre.* Vbi quae Sperlingius annotavit *pag.* 127. *ſeqq.* merentur conſiderari.

(d) *Quadraginta quatuor*) Variant paululum ſcriptores in iſto numero. Magnus Matthiae in *Catal. Epiſcopor. lund. pag.* 53. ſic: *An. D.* 1201. *die Martii* 21. *obiit Abſalon, cum ſediſſet annos* 23. *Lundiae, Epiſcopatus ſui Roſchildenſis* 43.

(e) *Esbernus Hvidius Gnaraeus*) Prius cognomen, *Hvidius*, nullo modo ferendum, quamvis communis hoc error tueatur: ex quo itidem Abſaloni Archiepiſcopo cognomentum Hvidii, tanquam ſi familiae totius, ex qua genus ducebat, eſſet, ſolet adiici. Habuerunt Abſalon, & Esbernus fratres avum paternum *Skialmonem*: Hunc *Hvidii*, hoc eſt, *Candidi* aut *Albi*, cognomentum in priſcis monumentis gerere, pernotum eſt, atque a nemine negari poteſt. Atque inde ille error fluxit; ſic enim collegerunt recentiores: Si avus *Hvide* fuit cognomine etiam filii, & nepotes, ac tota poſterorum ſeries, *Hvidii* appellandi. Sed non animadvertunt illi, cognomina, iſtis ſeculis nulli adhuc fuiſſe familiae per Daniam hereditaria; ſingulos vero homines ſua ſortitos eſſe ex cauſis, ut loquimur, incidentibus, atque ex vulgi arbitrio, nequaquam ad poſteros deſcendentia.

Plu-

CIO CCII.

gno universo bene meritus. Is in villa sua Saebia forte gradibus delapsus, postquam caput in molarem illic lapidem impegisset, fracta misere cervice, vitam finiit. Eius beneficio Callundeburgum debet Dania. Erat pagus antea, Hervigum dictus, quem tum piscatores quidam incolebant, sed expositi piratis; quos ut deinceps prohiberet, urbem fecit; & adiunxit illi arcem, muniitque, ut secure habitare cives possent; templum item insigne struxit; cui vicum Vbberupum dono dedit, quod praeclarum certe factum alia munificentia grandiore superavit; quum Sorano monasterio, paullo ante a fratre Absalone condito, pagos integros quatuordecim est largitus; & quae intra septum exstant etiamnum aedificia, opere structa lateritio, ut & aquaeductum, fecit. Qua de causa in eiusdem loci templo, iuxta fratrem, tumulum habere meruit. Valdemarus, post tot res praeclare gestas, animum ad matrimonium contrahendum applicavit; itaque uxorem ducit, Henrici Leonis filiam, Ingeburgam (a), nuptiasque Hamburgi celebrat; utque domum Brunsvicensem gemina affinitate rex Canutus sibi iungeret, itidem sororem suam Adelhedam, quam nonnulli Helenam dicunt (b), Henrici Leonis filio, Gulielmo, nuptum dedit. Qua ex re Holsati quum spem concepissent, fore, ut hunc tractum totum Gulielmo dotis loco rex concederet, frustra habiti fuere. Postquam nuptias celebrasset, rex Lubecam urbem petens magna pompa eam ingressus, exquisito cum honore ab ordinibus universis est exceptus: & obstricta iuramento civium fide, privilegia, quae habebant, confirmavit. Insuper commerciorum toto regno libertatem, qualis ipsis Cimbris esset, illis dedit. Inde transiens Molloviam (c), obsides abduxit secum, ut ancipiti fide cives in obsequio retineret; etenim, quum paullo ante Valdemarum recepissent, & is pedem retulisset, iterum deficientes, Louvvenburgo se coniunxerant. Ac Lubecam hinc regressus, ex Holsatia, Vagria, Stormariaque, praefectos pariter, & vicarios, consulesque oppidorum, tum dynastas Razeburgi, & Suerini, ac clientes item alios convocavit, fideique iuramentum ab his petiit. Post quae ubi omni Holsatiae Albertum Orlemundium praeposuisset, atque coeptam a Valdemaro Segebergae obsidionem demandasset, mox in Daniam recessit. Valdemarus, a Canuti comitatu se recipiens, Louwenburgi oppugnationem visit. Quae quum voto tardius procedere sibi videretur, de communiendo rursum Haddenburgo consilium capit: cum ut tutum id refugium suis esset, tum ut commeatum obsessis, Albi flumine devehendum, interciperet. Quo peracto, aliquot relictis illic in praesidium militibus, denuo Slesvicum petit. Quum vero nec Segebergae obsidionem sat procedere animadverteret, milite praesidiario, quoties vellet, frumentatum excurrente, Orlemundius, quod Adolphi frater uterinus foret, mox suspectus esse coepit, quasi minus bona fide in negotio demandato versaretur. Itaque & huc accurrens Valdemarus cum praetoria cohorte, aditus statim omnes claudit, ut annonae plane nihil importari illuc posset; sed obsessi, ut eluderent obsessores, astu usi, tritam calcem, quam farinam illi esse existimarent, e muris deiiciebant. Quae dum fiunt in Holsatia, rex Canutus, pridie Idus Novembris, sive, uti volunt alii, tertio Idus Decembris, repentina morte exstinguitur, per venenum, ut nonnulli crediderunt, procurata; anno aetatis quadrage-

CIO CCII.

Plurimis hoc exemplis demonstrari potest, in nulla vero gente copiosius, quam ipsorum, de quibus agitur, Absalonis, & Esberni illa, occurrentibus. In ea proavus laudatorum Heroum Toko, duplici cognomine claruit, *Tryller*, quod *Magnum* significat, & *Skitte*, hoc est, *sagittarii*. Avus Skialmo *Candidus*, Danice *Hvide* dictus fuit. Pater Absalonis, Skialmonis filius, Adzerus *Ryg*, vel *Rog*, quasi *hirsutum* diceres. Esbernus, Archiepiscopi frater, nunquam alio, quam *Snare*, cognomine notus, *Celerem* denotante. Esberni filius Absalon, *Belg.* dictus, hoc est, *ventricosus*. Alter filius Ioannes, *Marscalcus*, ab officio, ut putatur. Tertius filiorum Esberni Nicolaus invenitur cum cognomine *Mule*: atque is filium genuit, ab avi nomine Esbernum dictum, & cui vulgus cognomentum indidit *Snaerling*, diminutum scil. a *Snare*, Celeri. Ceterum mos ille nobilioribus familiis propria, ac perpetua cognomina assignandi, serius multo, ut videtur in Dania invaluit, nec ante *seculum XIV*. De quo uberius agit Sperlingius in *notis ad Testam. Absal. pag.* 28. *seq.* Denique non pretermittendum, quod diversus hic noster est a ceteris in constituendo anno mortis Esberni Snarei, quem & Erici Pomerani Chronicon, & Annales alii tradunt anno demum 1204. decessisse.

(a) *Henrici Leonis filiam Ingeburgam*) Ottonem, filium Henrici Leonis, qui postea Imperator factus, sororem Valdemaro, Regis Valdemari I. filio eidemque postea Regi, despondisse, nuptiisque Hamburgi peractis, tradidisse, refert Alb. Crantzius *Daniae lib.* 7. *cap.* 12. sine dubio in memoriis patriae urbis repertum. Neque dubito, habuisse Hvitfeldium auctores ex nostratibus, unde Ingeburgae nomen fuisse sponsae illi didicerit. Interim qui res Brunsvicenses collegerunt, scriptaque eo spectantia perlustrarunt, asserunt se non solum nullam Ingeburgam in Henrici progenie invenisse, sed neque admittere posse facile id nominis in gente illa inusitatum. Ideoque Rethmeierus *Chron. Brunsvic. Tom. I. pag.* 410. quamvis Pontano concedendum iudicet, aliquam Henrici filiarum Valdemaro II. elocatam esse, neutiquam tamen arbitratur vocatam *Ingeburgam*, sed potius *Ricklzam*, illam scilicet, quam Henricus Leo ex Mathilde Anglica genuerat. Fateor, difficile esse, Rethmeiero aliisve super hac re controversiam movere, modo agnoscant illi, aeque arduum sibi esse de filiarum Henrici, sive numero, seu nominibus aliquid satis certi exactique pronunciare: ac nobis fuerit, de primae, quam Valdemarus II. habuit, coniugis appellatione. Interim laudatus vir castigandum recte sibi sumsit errorem Pontani, quod in *Tab. Geneal. pag.* 324. primam Valdemari uxorem, *Mariam* istic appellatam, dixerit filiam Ottonis IV. Ego vero ostendam, habuisse Pontanum duces ad hunc errorem non adeo contemnendos. De Claudio quidem Lyschandro non loquor, scriptore nullius auctoritatis, aut fidei, qui idem iam antea affirmarat. Sed nonne in Geo. Fabricii *Memorabilib. Saxon. univ. lib.* 2. legitur ad ann. 1200. „ Canutus Rex Daniae, auxilio fratris Valdemari Ducis Slesvicensis Lubecam adigit ad deditionem, cui Otto IV. Imperator *filiam suam Mariam* postea matrimonio iungit „? Agnosco, falsissimum esse, cum Ottoni nulla filia extiterit. At opinor tamen, in hoc solo Annalistam, quam exscripsit Fabricius, fefellisse, quod filiam dixerit pro *sorore*. Nam *Maria* quod nomen Reginae fuerit, cur negabo? Siquidem de Rickiza nullum huc usque testimonium sese obtulit, quod Valdemaro nupserit; non vero desunt, qui maritum eidem Rickizae Henricum Burevinum Ducem Megapolitanum assignent, ex. gr. Spangenberg. *Chronic. Saxon. cap.* 236. Ioach. Meieri *Vita Henrici Leonis pag.* 33. qui tamen erroris coarguuntur ex Alberto Stadensi, docente ad ann. 1164. Burevini coniugem, filiam non legitimam, sed naturalem Henrici fuisse. Reliquum ergo, ut donec certiora edoceamur, *Mariam* cum Fabricii Annalista nuncupemus, etiamsi Brunsvicensibus, (in quibus Meibomius primo loco nominandus *Tom. III. pag.* 166.) ignoratam.

(b) *Helenam dicunt*) Sic nempe vocant Arnoldus Lubecensis *lib.* 6. *cap.* 15. Crantzius, & historici Brunsvicenses. Quid? quod eosdem sequitur ex nostratibus Claudius Lyschander in *Historia Genealog. Regum Dan. pag.* 223.

(c) *Molloviam*] Rectius foret *Molloniam*, vel *Molnam*. Posterius magis usitatum, & vernac. olim scribebatur *Molne*.

CIↃ CCII. gesimo, regni primo, & vicesimo; ac Ringstadii sepelitur: princeps pace, ac bello, magnus (a); & omnino vita longiore dignus. Cuius rei quum in castra ad Segebergam nuntius delatus esset

VALDEMARVS.

Mandata Orlemundio obsidione, ac praescriptis legibus deditionis, si hanc forte per absentiam facere obsessi vellent, ocyus in Daniam, ad capessendum illic regnum, a proceribus advocatus, proficiscitur. Nec multo post, unanimi consensu omnium, rex creatur. CIↃ CCIII. Inde, rebus ordinatis, novus rex Lubecam tendit; ubi adactis iuramento ad obsequii fidem civibus, tanquam Vagriae, Nordalbingiaeque dominus, privilegia, & immunitates magnas est largitus, iis maxime, qui in Scania, Flasterboa, ac Scanorae mercaturam exercerent. Aderant, ibi accersiti Hamburgenses; tum & Rugiae, Pomeraniae, Megapoleosque comites (b); ac dynastae Razeburgi, & Suerini, insuper equestris ordo earum regionum totus; regiique per Holsatiam, & Stormariam, ac Dithmarsiam vicarii; qui cum omnes iuramento fidem suam obstrinxissent, dat praefectum Nordalbingiae Orlemundium, antea iam a Canuto quoque rege constitutum; inde urbi Lubecensi arcem imponit; a qua vico, & portae, nomen etiamnum usurpatur. Quibus actis, Valdemarus, tot iam populorum potens, indecorum maiestati suae ratus, una arce Louvvenburgo se excludi, totas vires eo vertit. Valide praesidium arcis aliquandiu repugnabat; sed, deficiente annona, nec auxilio apparente, taedium defensionis tandem ulterioris cepit. Itaque deditionem obsessi offerunt, ea lege, ut Adolphus libertati redderetur. Qua de re deliberatum postquam esset, regni episcopi, qui cum Valdemaro erant, & inprimis Lundiensis, fore istud pollicentur, si & arcem sine mora ipsi dedant, & Adolphus, datis aliquot obsidibus, de constanti deinceps pace regi caveat; hac conditione maxime: *uti arcibus, ac provinciis universis, quas ex Caesaris indulgentia tenuisset, abdicatis, extra fines Nordalbingiae se deinde contineret; & nec suis, neve alienis armis, ullas Valdemari terras post id tempus infestaret*. In quae quum Adolphus sese iuramento obstrinxisset, obsides dat filios duos, ac nepotem ex sorore, quae Adolpho Dasselensi nupta erat; item filium Suerinensis, ac praeterea alios octo, ex equestri ditionum illarum ordine, qui in proximos decem annos Valdemari in potestate omnes forent: nisi forte mors illius, aut Adolphi intercedens pacta solveret. Hunc in modum liberatus mox Adolphus, Scouvvenburgum se recepit; reliquamque illic vitam omnem egit. Valdemarus, iam redacto in potestatem Louvvenburgo, statim in Daniam regreditur; ac, compositis illic rebus, legibusque aliquot novis, quae in Iure Scanico reperiuntur, constitutis, classem parat in Norvagiam: quae in bello pridem Holsatico Valdemarum Slesvicensem propugnaverat. CIↃ CCIV. Quam quum appulisset postea, & exercitum usque ad Tunsbergum oppidum promovisset, contendentem de re summa cum Philippo Erlingum (c) ibi regem creat, imperato in annos singulos tributo; ac Philippum, Erlingo conciliatum, ducem itidem constituit (d), & obsequium utriusque iuramento sibi, posterisque obstringit. Post quae, finem eius anni morte uxoris Ingeburgae, post biennii matrimonium, sibi luctuosum habuit; quumque ea sine liberis decessisset, affinitate, cum Othone Brunsvicensi instituta, interrupta, amicitia quoque exstincta est; CIↃ CCV. ac deinde regis Bohemorum filiam, Margaretam, quam Dangmaram (e), propter summam pulcritudinem, adpellabant, moribusque, uti forma, excellentem, uxorem capit: ex eaque duos inde filios tollit, Valdemarum, & Abelem (f). Sponsam Strangius, inter primos Danicae nobilitatis, aliis triginta equitibus comitatus, Lubecam adduxit; ubi nuptiae regio plane apparatu celebratae. Nec multo post episcopum Lundiensem, Andream, cum exercitu in Esthoniam ablegavit: quae ad

(a) *Princeps pace, ac bello magnus*) Nihil praestantius elogio, quo eum adhuc iuvenem prosecutus est Abbas Lubecensis *lib.* 3. „ *cap.* 5. Quid de Rege dixerimus, qui adhuc in iuvenilibus „ annis, in omni actu suo ita grandaevum se exhibuit, ac si de „ ipsius gravitate pariter illud Sapientiae dictum sit: Senectus „ venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum com„ putata. Siquidem, ut assolet talis aetas non ludis in spectacu„ lis se ingerebat, non discursibus, aut vagationibus studebat, nec „ lubricitati deditus, coniuge cum casta vivebat castior ipse. In„ terim missarum quoque solennia non, ut quibusdam moris est, „ susurrationibus, aut placitationibus intendebat, sed codices psal„ morum, aut aliarum orationum habens prae oculis, orationi „ devotus incumbebat. Et quia Sapientiae adhaesit, quae dicit: „ Per me Reges regnant; ideo Deus regnum illius firmat, cum „ tempore avorum suorum in regno Danico triarchae, vel etiam „ tetrarchae fuerint, ipse solus monarchiam regeret; quam tamen „ pater eius multo labore, & prudentia obtinuerat. „

(b) *Megapoleosque Comites*) At hi principes Ducesve erant, iamdudum a Friderico I. Imp. creati: sed qui Razeburgum, & Suerinum tenebant, Comitum etiamnum titulo gaudebant.

(c) *Cum Philippo Erlingum*) Huius expeditionis caussam, occasionem, eventum, Valdemaro satis gloriosum, nimis longum fuerit hic referre. Cognosci haec omnia exacte possunt ex Torfaei *Histor. Norveg. Tom. IV. lib.* 2. *capp.* 2. & 3.

(d) *Ducem sibi constituit*) Pseudo-Ericus in *Histor. Gentis Danor.* An„ no Dom MCCIV. expeditio facta est in Norvegiam per Regem „ Valdemarum, qui Erlingum constituit ibi Regem, & Philip„ pum Ducem, qui ambo facti sunt homines Regis, apud „ Thunsbyaergh.„ Verum pro *Duce*, rectius dicendum *Comitem* constituisse: quemadmodum ex Sturlaesonio Torfeus habet *lib. cit. pag.* 83. & *seq.* Nam in Norvegiae regno Comitis (vernacule Iarli) nomine, ac dignitate is erat, qui proximus a Rege, ipsius mandato, & auspiciis summam rerum administrabat, eo fere modo, quo in aliis regnis *Maior Domus*, *Magnus Connestabilis*, *supremus palatii Magister* &c. Tandem aliquanto serius unus alterque Comitum maiore ambitione ducti, titulum Ducum affectarunt, & consecuti sunt. Vid. Torfaei *Hist. Norv. Tom. IV. pag.* 208. de utraque dignitate, variisque eo spectantibus late exponitur in *Iure Aulico Norvagico vetusto a cap. XI.* ad *cap. XVI.* cum notis Io: Dolmari, edit. Hafn. 1673. in 4. conf. Selden. de *Titulis Honor. Part.* 2. *cap.* 5. Equidem haud sum nescius, de Svecorum *Ierlis* singularia prodere Messenium in *Specula pag.* 77. Sed non vacat ea modo cum Norvegicis illis conferre, & examinare.

(e) *Dangmaram*] corrig. *Dagmaram*. Ericus Pomer. „ An. 1205. „ Rex Valdemarus duxit Dagmar filiam Regis Boemiae in uxo„ rem. „ Omnes quidem dicunt ex summa formae pulchritudine, & illustri morum amabilitate nomen hoc ei datum, sed propriam significationem haud exponunt. Est autem a *Dag*, die, quasi *lucidum, ac serenum diem*, dicas. Cumque Hvitfeldus semper *Damor* scribit, puto *Dagmor* fuisse contractum ex *Dagmother*, (sic & hodie constanter in quotidiano sermone facimus *Mor* ex *Moder* nunquam aliter,) hoc autem *matrem diei* sonat, i. e. *Auroram*, lucidae diei nunciam.

(f) *Valdemarum, & Abelem*] Fallitur noster. Abel omnino, e tertia uxore Berengaria natus fuit. Margareta vero peperit Valdemarum, & Canutum.

(CIↃ CCV.) ad idolatriam (a) iterum versa, fidem etiam exuerat; isque, assumptis secum fratribus, terram invadens, facile eam ad obsequium reduxit; inde, in Borussiam movens, principem eius, Ladislaum, bello domat. Quibus gestis, quum in regnum rediisset, gratiae illi publice actae ob virtutem, meritumque; etenim tum inoleverat, ut episcopi duces belli legerentur, ad exemplum Absalonis; cuius quia magna fuerat in Vandalicis bellis virtus, atque gloria, maxime persuasum habebant, successorum similem fortunam fore. Quae res uti reip. quidem profuit, sic religioni nocuit; quippe illi quanto magis se negotiis civilibus, bellicisve miscuere, tanto minus studiis religionis incumbentes, veluti profani facti, curam quoque ecclesiarum certe insuper habuerunt. Subiugata rursum Esthonia, de Episcopo Slesvicensi, Valdemaro, iam captivo annum decimum, & quartum, liberando agi coeptum. Intercedebat regina, & Andreas Lundinensis, aliique e proceribus; quin Romanus etiam pontifex per Fidentium Cardinalem (b), literisque item missis, regem urgebat, ac condiciones dictae; *ut continuo, postquam liberatus foret, regno excederet: nec in id rediret unquam, aut pernitiosum quicquam moliretur; ageretve iis locis, ubi merito rex suspectum habere posset; nisi fidem hic servaret, sacris omnibus a pontifice arceretur.* (CIↃ CCVI.) In quae verba iusiurandum quum dedisset, mox dimissus, Romam abiit (c); illic deinceps moraturus, dum episcopatu alio a pontifice donaretur. Sed non diu fidem tenuit; nam, quum Romae se pontifici obtulisset, hinc Bononiam profectus, denuo navare studiis operam coepit: verum id non diu fuit, quum, ad arma iterum versus, multa in regem est (CIↃ CCVII.) molitus. Per haec Otho Brunsvicensis, regi matrimonio priore affinis, iuxta Albim illi occurrit; &, ab Innocentio III Imperator constitutus, foedus petit, & suppetias in Philippum etiam tum Imperatorem; nec gravate rex concessit; qui Philippi alienum a se animum esse sciret, ac repudium sororis aegre ferret: itaque foedere constituto, etiam auxilium addit, equites e selectissimis quadringentos. Quibus actis, quum in regnum rediisset, certior fit, nova rursum Valdemarum (CIↃ CCVII.) machinari; nam Hartvico, archiepiscopo Bremensi, vita functo, a collegio substitutus, cum decreto electionis Romam adiens, Innocentio, nominis illius III. tunc pontifici, rem exponit: isque electionem illi insperatam gratulatur; nec confirmat tamen statim; quod putaret, brevi adfuturos alios, qui rem istam certius edocturi essent: neque aliter sane accidit; etenim mox advenere Hamburgenses, ac cum his praepositus ecclesiae Roschildiensis, regis Valdemari nomine; qui, quantumvis literas nullas, quas praedones in itinere (d) interceperant, exhiberent, tamen acriter Valdemarum incusabant; *quod vocatio, minime suffragiis sufficientibus, plane illegitima esset; quippe constitutum olim a Suenone Estritio, Daniae rege, anno* CIↃ XLIV. *ut ecclesia Hamburgensis ad Bremensem adiungeretur; & antistitem sibi utraque aequo iure, ac consensu, constitueret;* tum perfidiam quoque eius manifestam arguebant; *quod iuratam pridem fidem non servasset; etenim se obstrinxisse, nunquam ibi loci acturum, ubi rerum novandarum aliquam suspicionem concitare regi posset. Brema vero, nullum locum aut suspectum meliori iure esse, Cimbriaeve infestandae magis etiam opportunum.* Quibus pontifex auditis, *abstinere Valdemarum cathedra Bremensi* iubet, *dum aut rex assentiretur, aut vacaret alia sedes.* Verum ille, clanculum se ex Italia proripiens, ad Philippum Imperatorem, cui sacris a pontifice interdictum, proficiscitur; siquidem sciebat ipsum animo in regem plane infesto esse ob contractam cum Othone Brunsvicensi, itidem tunc Imperatore, & hoste suo (e) affinitatem, ac submissa item auxilia. Imperator Valdemarum, blande exceptum, statim cum armata manu in Bremensem archiepiscopatum mittit; vim facturum, nisi ultro admitteretur; sed Bremenses, qui elegerant, accedente etiam auctoritate Imperatoris, minime expectandum rati, donec vi compellerentur, prompte eum receperunt. Ea re offensus pontifex, sacris Valdemarum prohibet; literasque per Germaniam totam mittit, aedium sacrarum valvis affigendas, quibus perfidum pronuntiat, & rebellem. Istae lite-

(a) *Quae ad idololatriam iterum*] Fatetur Hartknochius tum in *Histor. Eccles. Boruss. P. I. pag.* 28. *s.* tum in *Dissert. XIV de orig. Relig. Chr. in Prussia*, gentes istas, etiamsi iam inde a seculo X. multiplici piorum e Germania praesulum, principumque cura ad fidem Christianam invitatas, ac tandem *seculo XII.* per Regem Poloniae Boleslaum Crivoustum, Principem immortalitate dignum, atque filium eius Boleslaum Crispum, metu ad Christianismum adactas, tamen semper, quoties metus cessabat, eum rursus deseruisse, vetteresque recepisse superstitiones. Idem historicus, quamvis sufficientibus, ut satis apparet, monumentis destitutus, Danorum tum ante *seculum XIII* tum & sub Valdemaro II operam, in religione ibidem propaganda agnoscit. Neque pauca sunt, quae huc suppeditant *Epistolae Innocentii PP. III.* quas excerpere nimis hoc loco operosum foret.

(b) *Per Fidentium Cardinalem*] De tempore iam praeterito istud de Fidentio intelligendum: quippe quem anno 1197. vita excessisse, & Lundiae Scanorum sepultum esse noster dixerat superius *pag.* 8 Laborasse quidem etiam dicitur, dum hic viveret, pro Valdemari Episcopi liberatione. Sed post eius obitum fuit negotium hoc commissum Archiepiscopo Lundensi, ut patet ex Innocentii III. *Epistolis*, & Odor Raynaldo, donec anno 1206. aliquis *Magister P. . . . Pontificis Clericus* in Daniam mitteretur. Hinc recte Crantzius *Dan. lib.* 7. *cap.* 14. scribit, Valdemarum Episcopum, opera, & precibus Andreae Archiep. Lundensis liberatum e captivitate.

(c) *Mox dimissus Romam abit*) Arnoldus Lubecensis *lib.* 6. *cap.* „ 18. „ Rex datis expensis, ad Papam eum misit, ut apud ip„ sum consisteret, quo usque eum episcopo, excellenti sublimaret. Ceterum de Valdemari Episcopi captivitate, & quae huc spectant, merentur legi Bangerti animadversiones eidem capiti subiectae, *pag* 471. Pleraque enim ibi, non tantum, quae Arnoldus, & historici Danici, Crantzius in *Dania*, & *Saxonia*, Hvitfeldius, Pontanus, atque in *Hist. Eccles.* Cypraeus, in *Hist. Amburgensi* Lambecius habent, sed etiam, quae ex Innocenti III. *epistolis*, & Odorici Raynaldi *Annalibus* cognosci de Praesulae isto possunt, compendio representantur.

(d) *Quas praedones in itinere*) Ita quidem Arnoldus sicut, & praecedentia, refert, *lib.* 7. *cap.* 12. Attamen pervenisse easdem illas litteras, vel exemplar earum, ad Pontificis manus, discimus ex Odor Raynaldo, qui integras legendas exhibet, ad annum 1206. § 19. *seqq.*

(e) *Itidem Imperatore, & hoste suo*] Otto Imperator ita Valdemaro Episcopo hostis erat, ut neque Burchardi, huius adversarii, electionem, pro qua Valdemarus Rex stabat, approbaret. Patet hoc ex epistola eius ad Papam, apud Raynaldum an. 1208. §. 9. ubi haec habentur: „ Rogamus item, ut si de Ecclesia „ Bremensi, & eius electis, Vobis, sive per Regem Daciae, sive „ per quemcumque mentio facta fuerit, aut petitio, eius nego„ tii executionem usque ad adventum nunciorum nostrorum, „ quos Vobis super eo idoneos quantocyus mittemus, differatis, „ scientes pro certo, quia secunda electio, sicut & prior, & „ contra Deum contra ius, & rationem facta est, & neutrius pro„ motio, vel vobis, vel nobis noscitur expedire.

CIƆ CCVII.

literae Bremae serius promulgatae nullo temere illud auso, donec, festo quodam die, quidam, in conferta turba sacra munera offerentium, interdictionem scriptam in altari collocaret, aliaque exemplaria toto passim templo spargeret. Qua re cognita Valdemarus, Caesaris patrocinio fretus, nihil animo angebatur; nec moratus, sitas trans Albim provincias, quae ad regem pertinerent, bello invadit, Stadiumque per vim capit; & ulterius in Dithmarsiam obiacentem arma prolaturus erat, ni, coactis propere copiis, rex Hamburgum accurrisset; ac Burchardum (a), ecclesiae praesulem, quem nonnulli e collegio Bremensi, & ex Hamburgensi omnes unanimiter elegissent, etiam Bremensium tunc praesulem constituisset; qui, accepto mox exercitu, Albim transiens, Stadium recipit; &, ereptum denuo a Valdemaro, iterum capit, ac maiore cura munit. Quia vero comites etiam Suerinenses, Guncelinus, & Henricus, paullo ante Ioannem Gansium, virum e primis eius loci, invasissent, & iniuria summa affectum, arce insuper Grabovia eiecissent; ac nunc quoque adiuvissent Valdemarum, rex Alberto Orlemundio, quem Holsatiae praefecerat, dat mandatum, ut infestas copias in ipsos duceret; isque, imperata exequens, Artelburgum, ac Beuceburgum (b), capit diripit, & evertit: hinc, vastata universa ditione, Bremam fugere ipsos cogit. Mox,

CIƆ CCVIII.

Philippo Imperatore Babebergae, quo secesserat, corporis curandi causa, interfecto ab Othone Vitelsbachio, & Othone Brunsvicensi procerum communibus votis subrogato, graviter eius rei nuntius Valdemarum perturbavit, & spem asserendae deinceps dignitatis plane eripuit. Neque frustra metus fuit; quippe rex, continuo datis ad Othonem affinem literis, Valdemari electionem illegitimam exaggerans, postulabat, ut Burchardum confirmaret: & persequebatur pontifex, qui non ita pridem sacris, iussa sua contemnentem, prohibuerat. Otho, qui occasionem una opera regem pariter, & pontificem demerendi datam sibi laetabatur, sede Valdemarum deiicit, ac Burchardi electionem ratam facit: tum insigni comitatu in urbem quoque, & dignitatem, coram regio oratore, introducit.

CIƆ CCVIII.

Inter ista, Sveciae rex, Suercherus Hacco, Caroli filius, quem Canutus, regnum affectans, interfecerat, contra filios Canuti, patris sui caedem ulturus, arma sumit. Magnae utrinque vires erant; atque illis clam auxilia e Norvagia mittebantur: tum & Sveci catervatim illorum partes sequebantur. Pro Suerchero Folco erat, dux militiae egregius; ac familia Folchingorum universa, eo tempore tota Svecia celeberrima; & Suercherus, quo par esse hosti posset, opem a Valdemaro petit; & sororem quoque eius filio Erico (c) uxorem. Valdemarus, & concedit matrimonium, & auxilium, milites decies octies mille; praeficitque episcopum Roschildiensem, & Ebbonem Knarderupium, ac Laurentium, & Iacobum, Sunonios fratres; qui, ingressi fines Sveciae, cum Canuti illic filiis iuxta Lenam, Gothiae occidentalis urbem, infeliciter manum conserunt; etenim cum magna parte copiarum cadunt, & Sunonii duo (d); quorum corpora inde in Daniam reportata, in avita monumenta inferuntur. In flumine Albi pons corruerat, quem refecit Valdemarus: ac transgressus, solo aequato Viteburgo, Harburgum instaurat (e); & mox etiam Lubecam;

CIƆ CCIX.

adeo vastatam incendio, ut vix solae quinque domus remanerent: cuius rei in memoriam hodie item vicus urbis appellatus. Quin &, ut calamitatem solaretur, civiumque in extruendis rursum aedibus studium magis excitaret, vectigalium, censuumque immunitatem in annos multos admodum benigne indulsit; tum Guldholmiam monasterium, ad Slesvicum urbem situm, monachorum impuritate, & abbatis in his maxime irritatus. Riam transtulit (f), in Cimbriam, archiepiscopo, & pontifice, factum istud approbantibus.

CIƆ CCX.

Hinc in Sembiam, ac Borussiam, nova expeditione instituta. Mistovinum, regulum Poloniae citerioris, ad obsequium coegit: & Gedanum, a parente Valdemaro ante annos sex & quadraginta conditum (g), ac per vim a Sobislavo occupatum, recuperavit. Verum nec victoria tantum eum annum Valdemarus laetum habuit, sed dupliciter quoque festum; matrimonio Rigizae, sororis suae, quam Erico, Sveciae regi per legatos ambienti, elocabat; & natali item filii, Valdemari, po-

(a) *Burchardum*] Nonnulli eum nominant *Bernhardum* vid. Cyprae. *pag.* 219 *seq.*

(b) *Artelburg. & Beucheburg.*) Pontanus, vernaculo sermoni propius *pag.* 298. vocat *Ertenburg.* & *Bytzeburg.* Posterius apud Arnoldum Lubec. *lib.* 7. *cap.* 13. est *Boyreneburg.*

(c) *Sororem quoque eius filio Erico*] Hallucinatur Meursius. De Suerkero enim nusquam hoc extat, quod Valdemari sororem filio suo coniugem expetierit. Neque scio, num filium habuerit Suerkerus Ericum nominatum. Suspicor vetus quoddam Chronicon errandi ansam praebuisse. Habemus enim unum alterumque, in quibus sic legitur: *Anno* 1209. *Ericus Rex Sueonum duxit Rigissam sororem Regis Valdemari, & corruit Suerkerus Rex anno sequenti.* Meursius ergo, similia legens, non potuit forsan comprehendere, quomodo Valdemarus affinitatem contraxerit cum alio Rege Sueonum, quam qui ex eius esset sanguine, cui suppetias tulerat. At, si Annales Hvitfeldii, vel historias Svecorum consuluisset, discere inde potuisset, eiecto Suerkero, hostem eius Ericum, Canuti olim Regis filium, & S. Erici nepotem, cum Daniae Rege pacem, & amicitiam iunxisse, maiori firmamento sorore eius Ritkissa in matrimonium accepta. Mirum autem fuerit, si nuptiae istae mortem praecesserint Sverkeri, quem, post cladem Lenensem, in Daniam confugisse una cum Archiepiscopo Vpsalensi certum est; atque ex Dania deinceps in Sveciam novam fecisse impressionem, qua profligatus interiit. Interim memorabilis prodiit bulla Innocentii PP. III. ad Episcopos Sveciae, qua ipsis iniungebatur, ut Ericum, invasorem regni, ad componendum cum Suerkero, regnumque ei restituendum inducerent: scriptaque ea est *anno* 1208. *Idib. Novembr.* Vid. Innoc. III. *Epist. lib.* XI 174.

(d) *Sunonii duo*] Fuerunt hi, Ebbo Sunonis fil. & Laurentius eius frater. Ebbo ille est, quem noster a praedio Knarderupium cognominat, vir totius nobilitatis Danicae tum temporis potentissimus, cuius filiam Suerkerus Rex Sveciae coniugem sibi sociavit.

(e) *Harburgum instaurat*] Pontanus Hamburgum hic intelligit *pag.* 307. Sed credo hunc errare, & Horneburgum rectius fore hoc loco. Nam & Arnoldus Lubec. *lib.* 7. *cap.* 13. „ Porro, inquit, Rex Valdemarus pontem ultra Albiam sterni fecit, ita ut plaustra, & equites libere transirent. Et infusus „ partibus Bremensium per suos, ad supplementum sui Electi „ castrum *Horneburg* firmissime aedificavit. „ Et Ericus Pomeranus. „ „ Anno 1208. Rex Valdemarus castrum Hvitteburg destruxit. „ Pons ultra Albiam factus. Castrum *Hereburg* iussu Valdemari „ factum est. „ Vbi ex nomine illo in scriptore, omnibus paginis mendoso, quidvis, efficere potes, *Harburg*, *Hornburg* &c.

(f) *Riam transtulit*) Corrig. *Ryam*: quod vernaculum vici nomen, ubi monasterium, Monachis ex *Aurea insula* (Danice *Guldholmia*, altero scil. monasterio) illuc translatis, erectum fuit, *Rus Regis* latine nuncupatum. Vid. Pontanus *l. c.*

(g) *Gedanum a parente . . . conditum*] Sed quam parum fidei hoc meretur, supra ad Valdemari I. historiam indicavimus.

CIↃ CCX. stea regis: nuptiaeque lustrico infantis die celebratae. Qua occasione usi, Guncelinus, & Henricus Suerinenses, adiuvantibus principibus, qui frequentes tunc convenerant, gratiam, amissam pridem, repararunt, filiosque, obsides datos, receperunt. Stralesundiam, pridem ad littus Pomeraniae condi coeptam, iusserat per Iarimarum, Rugiae principem, porro exaedificari; quam dynastae, Casimirus, & Boguslaus, quum irruptione subita occupassent, missis illico suppetiis, recipitque, & restituit Iarimarum, ac tuendam deinceps urbem illi tradit. CIↃ CCXI. Anno proximo iterum Pomeraniam petit; &, Niburgum illic arcem demolitus, Deminum instaurat; filioque item augetur, quem Canutum CIↃ CCXII. adpellavit. Sed laetitia minime diuturna fuit; ac mox luctus, mortua regina uxore, occupavit, quae in Cimbriae urbe Ripa fato suo functa erat. Eius corpus in Selandiam translatum, quum Ringstadii condidisset, ut adfectum in defunctam testaretur, & memoriam quoque eius conservaret, arcem in Cimbria Droningholmum (a), ceu *Reginae insulam* dicas, iuxta Arrae lacum struit. Neque semel annum hunc funestum habet; nam adfinem item amittit, Gulielmum Luneburgicum (b), & Iarimarum Rugiae principem. Sed viduita- CIↃ CCXIII. tem lecti, vere proximo reparare animum inducens, Berengariam, quam Bregnildim alii dicunt, Sanctii I. Lusitaniae regis (c) filiam, uxorem capit. Quae, immitis animi femina, multa eum, praeter morem, & modum, facere compellebat; ita ut Beengierda vulgo, quo vocabulo mulieres mali animi, atque linguae, etiamnum Dani adpellant, diceretur.

A Ex hac tres suscepit filios, Ericum, Abelem, & Christophorum, qui in regno omnes CIↃ CCXIII. ordine successerunt. Inter haec, imperio exsuto Othone, & electo Friderico, eius nominis II. Valdemarus, temporis habendam CIↃ CCXIV. sibi rationem arbitratus, per legatos Friderico & Imperium gratulatur, &, ut diuturnum illi esse posset, atque felix comprecatur. Tum *Vandaliam, & Nordalbingiam dari* petit; *ac diplomate etiam donationem confirmari; olim sic S. Canuto Caesarem Lotharium* B *has indulsisse, ac Fridericum quoque I. patri suo Valdemaro, in Comitiis Metensibus Pontifice Alexandro III. adprobante. Tum Canutum quoque fratrem, cui ipse successisset, armis ditiones eas subegisse*. Quam petitionem eius postquam Caesar cum principibus contulisset, dat diploma (d), quo testatur: *se cum ipso amicitiam sempiternam colere velle; tum & ditiones illas* (e), *quas Canutus VI. frater, atque Valdemarus pater armis sibi subiecissent, semper deinceps possidendas indulgere, neque his a quoquam umquam contra quid-* C *quam dici velle*. His peractis, Gulielmus, & Henricus Sverinenses, militiam Valdemari amplexi, fidem ei obstrinxere, *se, si ita usus ferat, citra maris Balthici littus, praeter iustum peditatum, equites etiam cataphractos sexaginta ad obsequium abducturos*. Dani etiam Stetinum, in Pomerania, & Mutam arcem, in Marchionis Brandenburgici ditione, ac tres item alias munitiones expugnarunt. Et Burchardo Archiepiscopo Bremensi, per id tempus vita functo, ac Gerhardo Osnabru- D gensi (f) a Pontifice subrogato, Bremenses, qui admittere eum in sedem nollent, nuntium mit-

(a) *Arcem in Cimbria Domingholm*) Non in Cimbria, sed in Saelandia; & quidem in lacu Arrae (vernac. *Arresoe*) hodienum notissimo. Decepit Meursium, quod audiverat de arce in Cimbria (seu Iutlandia) cui nomen *Dronningburg*, quasi dicas *Reginae castrum*, seu *burgum*. Sed *Droningholm* est insula Reginae. *Dronning* vetustioribus *Drotning*, Regina, a *Drot*, Dominus.

(b) *Gulielmum Luneburg*) Huius mortem Historici Brunsvicenses ad annum 1213. referunt.

(c) *Sanctii I. Lusitaniae Regis*) Genus hoc Berengariae amplius exposuit Pontanus, tum *pag.* 302. tum *pag.* 307. idemque contra Duardum Nonium I. C. Lusitanum defendit Vitus Beringius in *notis* Petri Resenii ad *Ius aulic. antiq. Danicum* E *pag.* 719. Chronicon, quod *Sylloge* D. de Ludewig *num.* 1. obfert, *Beringeram* nominat. Verùm *Bregnildis* vocabulum alibi me non memini offendisse. *Bringremle* in Pseudo-Erici *Chronico* plane corruptum, sine dubio per legentis, & exscribentis errorem, quum in MS. exstiterit *Beingierde*.

(d) *Dat diploma*) Exstat illud hodienum. Et inseruerunt integrum apographum historiis suis cum Huitfeldius, tum Pontanus *pag.* 303. Posterior (aut potius typographus,) in anno erravit, exprimendo MCCIV. pro MCCXIIII. Notabile autem, quod in eisdem litteris Valdemarus adpellatur *Danorum Rex Christianissimus*.

(e) *Tum & ditiones illas*] In diplomate haec etiam verba leguntur: *Eique de consilio, & consensu Principum Romani Impe-* F *rii, pro pace sui regni custodienda, & hostibus nostri Imperii coercendis, omnes terminos ultra* Eidoram, & Albiam, *Romano adtinentes Imperio, quos Rex Canutus multis provocatus iniuriis cum fratre suo iam dicto Valdemaro Rege, armis obtinuit, & possedit; & quidquid in* Sclavia *Rex Canutus, comparatum paterno suoque labore tenuit, regno ipsius addidimus, factumque praesentis privilegii nostri authoritate, & sigillorum Principalium impressione, confirmamus. Nullus ergo successorum nostrorum* &c. Quae ideo exscribimus, quia Conringius *de Finibus Imp. lib.* 1. toto *cap.* 16. ita egit, quasi negare vellet ullam de *Slavia*, aut terris, quae *Nordalbingiae* voce comprehendebantur, scriptam penes nos litteram exstare, qua ius istud adsereretur. Tanto ne in contemtu apud eum fuit Pontani, viri doctissimi historia, ut evolvere etiam sit dedignatus? Aut fortassis illam nescivit editam, tantus litterator, Saxonem, & Crantzium solos haberi de rebus Danicis arbitratus?

(f) *Gerardo Osnabrug. subrogato*] Burchardus nondum erat mortuus, quum ad sedem Bremensem eligeretur Gerardus. Verum prioris electionem Pontifex Romanus ratam habere noluit. Messenius, contrarium narrans ex ignorantia, seduxit Nicolaum Staphorstium, ut hic ad annum 1208. scriberet, Burchardum eo anno Pallium a Pontifice accepisse, anno vero 1214. diem suum obiisse. Abbas Stadensis, Crantzius, & Histor. *Archiepiscopor. Bremensium* memorant, Gerardum a Papa anno 1211. ad Sedem Bremensem confirmatum. Ceterum Burchardus, quem constat Regis Daniae adprobatione, & praesidio aliquamdiu fuisse innixum, quando mortuus sit, (vixit certe anno 1215.) definire haud opus, tacentibus Alberto Stadensi, & aliis veteribus. Hoc scio, Innocentium III. anno Pontificatus 13. h. e. Christi 1210. III. Kalend. Novemb. tres Bullas edidisse Laterani, in quibus dicitur, „ nonnullos ex Canonicis Bremensibus electionis suae „ vota in *Burchardum* Bremensis Ecclesiae maiorem Praeposi- „ tum contulisse; verum *quia ipsius non extitit electio confir-* „ *mata*, ipsos de alia persona tractasse, graves interim a Lai- „ cis Valdemaro Episcopo persequutiones passos. Inde tam „ ipsos, quam *dictum Praepositum* (Burchardum) *per litteras* „ *humiliter* a Papa *postulasse, ut Osnabrugensem Episcopum*, eis- „ dem vicinum, & per omnia cognitum, ipsis in Archiepisco- „ pum concedere dignaretur. Hinc Papam, si, inquisita, & „ cognita veritate, res ita se habeat iniungere, ut *Osnabru-* „ *gensis ad praefatam Bremensem Ecclesiam accedat, eiusdem* „ *regimen recepturus*, interimque usque *ad susceptionem Pallii*, „ Osnabrugensem quoque Ecclesiam, ut proprius Pastor, gu- „ bernaturus. „ Aliae quoque litterae eiusdem Pontificis anno eius 15. (h. e. anno 1212.) III. Kalend. Mart. exstant *lib.* 15. *ep.* 3. ubi Osnabrugensis Episcopus, Gerhardus ille, vocatur *Bremensis Electus*. Ergo, etiamsi biennio ante a Papa adprobatus, nondum tamen *Pallium* susceperat, quod ipsum Burchardo umquam indultum, aut impetratum fuisse neque Messenius, neque ullus probaverint. Obiter addo, confirmationem suam ad annum 1210. Gerardum ipsum retulisse, in litteris anno 1215. scriptis, quem annum *confirmationis suae quintum* vocavit, teste diplomate in Henrici Muhlii *Historia Coenobii Bordesholm.* nec non in *Diplomatario Neomonaster. & Bordesholm.* Illustris Cancellarii de Westphalen *pag.* 27. conspicuo; cui eidem subscripsit *Burchardus* adhuc *summus Praepositus in Bremensi Ecclesia*. Cur igitur Staphorstius, qui ipsum illud

CIↃ CCXIV. mittunt in Italiam, ad deiectum pridem adeo Valdemarum, admonentque, ut paratis quam citissime auxiliis, properanter Bremam peteret, se & recepturos ipsum, & Gerhardum deiecturos. Atque is, re intellecta, recipit se ad Othonem Brandeburgicum. Qui, adductus regis odio, quod hic pridem Mutam arcem, & munitiones alias occupasset, coactas ocyus copias tradit; neque deficit Otho Caesar; qui, percussus anathemate, uti se ulcisceretur, omnibus modis connitendum existimabat, ut reduci Valdemarus in Bremensem sedem posset. Idem factum ab Henrico Palatino fratre Othonis; quippe is, Gerhardo expulso, & restituit Valdemarum, & in potestatem quoque eius redigit ditionem universam. Sed id aegre ferens Pontifex, Valdemaro, ac qui eum adiuvissent, & Bremensibus, sacris statim interdicit. Quin rex etiam, sua interesse ratus, ne potentem adeo hostem sibi tam propinquum haberet, classe instructa Albim ingressus, Stadium obsidet; sed, Henrico Palatino propugnante, mox discedit. Otho quoque Imperator, datam sibi occasionem belli Daniae inferendi existimabat. Et Albertus Brandeburgicus incitabat, mortuo tunc Gulielmo Luneburgico, qui sororem Valdemari uxorem habuerat. Accedebat, quod iam regis prima uxor, Gulielmi, & Othonis soror, fatis item concessisset, ut iam nullum amplius adfinitatis vinculum esset, quo discordes, odioque laborantes, animi obstringerentur. Nec Othonem beneficia, quae a rege pridem acceperat, retinebant. Non auxilia in Philippum nuper missa cogitabat; non suppeditatam classem profligato, profugoque, qua in Angliam veheretur. Itaque exercitum parat, ac coniungunt copias Henricus frater, & Albertus Brandeburgicus cum Episcopo Valdemaro, castraque ad Hamburgum ponunt, quod se dedit, quamquam rege ad suppetias veniente cum ingenti omnino manu. Verum Otho, qui se sciret a Pontifice proscriptum, & infestis armis persequi Imperatorem Fridericum; tum & regem imminere, propere praesidio illic constituto, urbe excessit. Ac, quum deseri se videret a principibus Germaniae, in Fridericum inclinatis, abdicato mox imperio, vix triennio superstes, diem obiit Brunsvigae. Etiam Stedingi arma pro Episcopo adripuerant, ac Minzovio, Schusioque (a), & Sturboo, quae in illo tractu arces satis validae, expugnatis, & eversis, loca proxima devastabant, donec eos Henricus Hoiensis profligaret, ac compesceret. CIↃ CCXV. Anno inde insequuto, glacie constricto Albi, iterum rex Valdemarus in Stormarios arma vertit; &, ingressus primo Stadium, illinc in Saxoniam inferiorem copias ducit; & Henrici Palatini, quas exstare ibi sciret, terras vastat. Tum in Hamburgenses ducit, & sat acriter repugnantes, intercepto commeatu, fame pressos ad deditionem cogit. Hinc in Daniam regressus, in Samsoa procerum conventum indicit, filiumque Valdemarum regno inaugurari facit. Inde Viburgum digressus, urbem Cimbriae, ibi quoque pronum omnium favorem est expertus. CIↃ CCXVI. Nec multo post Erico etiam filio auctus, ducem eum Slesvicensem adpellavit, & Lalandiam Canuto adsignavit; nothum vero, Nicolaum (b) comitem Hallandiae dixit; qui quum Idam sibi uxorem adscivisset, Guncelini, & Henrici Sverinensium sororem, & in dotem aequam comitatus partem accepisset, mox suscepto ex ea filio, sui nominis, diem obiit. Per id tempus Orlemundius, regis iussu, in crepidine Travemundae arcem struit, & Bocleburgum in Dithmarsia, antea eversum, instaurat. CIↃ CCXVII. Hinc conveniunt Slesvicum, Henricus comes Palatinus, & Gebhardus (c) Archiepiscopus Bremensis, ac cum rege Valdemaro pacem faciunt. CIↃ CCXVIII. Qui, dissidiis externis sic compositis, ut domestica etiam magis confirmaret, eadem in urbe, anno proximo, ad vicesimum quartum diem mensis Iunii, filium suum Valdemarum, regno pridem inauguratum, insuper corona ornat. Summa id solemnitate actum fuit, aderantque Episcopi quindecim, duces tres, & comites totidem. Tum & proceres, ac nobilitatis ceterae, populique multitudo longe maxima. Visum id senatui fuit, uti in eventum omnem, implicato semper bellis rege suo, si quis casus eum eriperet, nihilominus haberent, quem & regno admovere, & ostendere hosti possent. Praeter haec, Alberto quoque Orlemundio Valdemarus Hamburgum tradit; & ius suum universum, quod in illam urbem habebat, ea lege, ut quotannis selibras argenti puri quinquaginta regno penderet; & obsequium, si res posceret, militemque exhiberet. CIↃ CCXIX. Vix in Daniam reverterat, quum Livonos tumultuari nuntiatur; qui, vocatis in auxilium Borussis, Lithuanis, Semigallis, ac Ruthenis, Danos illic universos, tum & omnes Christianos, aut eiicere sedibus suis, aut occidere cupiebant. Itaque, ut subveniret in periculo tam ingenti constitutis, classem navium (d) mille ducentarum parat, militemque propere imponit. Addit item suas copias Vratislaus Pomeraniae tunc princeps. Quumque in terram exscendisset, hostium conspecto exercitu, magnitudine eius territus, retrocedere cupiebat: *multo satius esse* ratus, *suos*

illud diploma inseruit *Historiae suae Tom.* 1. *pag.* 639. altera ante pagina scribere substinuit, *Burchardum anno* 1214. *obiisse?* Denique nullo modo dubitandum, quin anno 1217. quando idem Gerhardus litteras illas, in laudato *Diplomatario num* XVII. exstantes, edidit, iam tum *Pallium* consequutus fuerit; quum in eis se *Sanctae Bremensis Ecclesiae Archiepiscopum* diserte, & sine restrictione nominet. Vid. & Albert. Stadens. ad d. ann. qui & ipse refert, Gerardum vitam cum morte commutasse anno 1219.

(a) *Schusioque*) Mendum typogr. pro *Sebusio*.

(b) *Nothum vero Nicolaum*) Nothum, non filium, sed fratrem. Nam Valdemari I. filius nothus erat, ut recte observavit Hvitfeldius.

(c) *Gebardus*) corrig. *Gerhardus*. Idem scil. de quo iam loquuti sumus.

(d) *Classem navium* 1200.) Ita quidem Pseudo-Ericus in *Histor. gentis Danor.* & nonnulli alii. Sed Hvitfeldius ex vetustioribus memoriis, atque eum, ut solet, presse sequens Pontanus, *pag.* 306. numerant in illa classe 500. parones, seu naves grandiores, ac totidem navigia minora. Et quum iidem auctores in ipsis Valdemarici regni Indicibus, seu *Regesto*, ut vocabatur *regni Daniae*, in membrana conscripto, repererint, Valdemari totam classem fuisse navium maiorum, minorumque MCCCC. credibile est, quadringentas illas ad regni praesidium fuisse relictas, quando ceteras in Livonicam expeditionem Rex eduxit.

CIƆ CCXIX. *suos integros reducere, quam immensae barbarorum multitudini temere in lanienam quamdam obiicere*. Insuper, sic exsistimabat, *si in praelio succumberet, fore, uti victor hostis acrius Christianos premeret; ac, fortuna belli elatus, arma etiam promoveret: itaque victoriae cuiusdam sane instar esse, aleam periculose adeo pugnae non tentare, neque irritare hostem*. Ita animo fluctuantem, Episcopus Arhusiensis adhortatur: *fortiter faceret, neque quidquam dubitaret, adfuturum certo Deum, & eventum item prosperum concessurum; modo & confideret ipsi, ac deinceps pietatem exerceret, & erepta pridem bona ecclesiastica suis usibus, quibus destinata essent, restituere; tum benignius etiam habere subditos, quibus coniuge Berengaria impellente, iusto gravior fuisset, animum induceret; & in ista summo Deo tacito se voto obstringeret*. Ac hortantem hunc in modum Arhusiensem Lundiensis statim excepit, addiditque: *bona sacra, quaeque Deo dedicata si quis intervertere ausit, ei fere infeliciter illud cedere, neque fructum, quem sperasset, provenire*. Post quae quum rex se facturum, quae suaderent, promisisset, petit insuper Lundiensis: *si victoriam daret Deus, ut deinceps singulis annis eo die, qui Augusti nonus erat, in memoriam rei gestae, ac divini beneficii, tota Dania supplicatio, & ieiunium ageretur, hominesque omnis sexus, ordinisque, & aetatis, nempe usque ad duodecennes pueros, pane se, & aqua tantum sustentarent*. Inde, quum in genua omnes provoluti Deum supplices rogassent, ut pro gloria nominis sui contra hostem infidelem pugnaturis victoriam largiri vellet, alacres certamen ineunt. Diu praelium anceps erat, sed vicere tamdem Dani, oppidumque, iuxta quod pugnatum fuit, Valdemaria [(a)], de victoris Valdemari nomine, dictum. Post victoriam, rex obire illic terram, &, imperio confirmando, arces passim, atque oppida, inter quae Revalia, Nerva, Vetenberga exstruenda ordinare; Monasteria item condere, Christianae fidei stabiliendae, & pietati exercendae, etiam Episcopatus constituere, cum Revaliae, tum Dorpati, atque Piltae in Churlandia, & Episcopos, qui subessent Lundiensi, ac senatui quoque regni accenserentur; insuper decreto edicere, ut profectiones quaedam in has oras identidem quotannis instituerentur; quo gens, rudis adhuc fidei, ex Danorum consuetudine in dies confirmaretur, moribusque Christianis adsuefieret. Per id tempus, quum gestarum rerum fama in Italiam perferretur, Honorius III. qui Pontificatum summum tunc tenebat, missis literis [(b)] VII. Id. Octobris datis, magis etiam Valdemarum excitabat, ut alacrius opus inchoatum urgeret, populosque circumiectos porro armis edomaret, data item potestate, quidquid terrae de paganis illis caperet, id ut sibi vindicaret. At laetitiam victoriae tam insignis annus proximus gemino funere perturbavit; nam & CIƆ CCXX. coniux Berengaria, & Richiza quoque soror, regi Sveciae pridem uxor, diem suum obiere, ac Ringstadii sunt sepultae. Inde, pietatis studio, Monachos Praedicatores, quos CIƆ CCXXI. dicebant, a Dominico, postea in sanctis habito institutos, intra regnum suum admisit. Commendabat eos Pontifex, ordinisque auctor Dominicus, exaratis literis ad Valdemarum, & Andream Archiepiscopum Lundiensem. Pontifex, quo rem magis etiam promoveret, legatum addebat [(c)], Gregorium Crescentium Cardinalem, & interpretem adiungebat, Salomonem, gente Cimbrum, domo autem Arhusiensem; qui, professione Monachus, quum Dominicum Veronae aliquamdiu audivisset, suaserat sodalibus suis, ut adire Daniam vellent. Itaque locus illis Lundiae datus fuit, ubi Monasterium sibi, opibus piorum hominum liberaliter adiuti, brevi tempore exstruxerunt. Ac Crescentius, quum a CIƆ CCXXII. rege, quod petierat impetrasset, inde se Slesvicum confert; quippe ita Pontifex mandatum dederat, ut Concilio Episcoporum convocato, caelibatum Sacerdotum constitueret. Etenim, quum ille pridem per Episcopos quosdam Daniae isthoc ageret ipsi subterfugientes, ad Concilium generale provocaverant. Hac de causa id praeceperat, ac statutum, uti vitam Sacerdotes caelibem deinceps agerent, liberique hereditate plane omni excluderentur, qui parere detrectarent, illi ordine, munereque, si quod gererent, moverentur. Rex, qui porro res Estoniae confirmatas cupiebat, illuc denuo proficiscitur, comitesque secum trahit, Canutum filium, & Albertum Orlemundium, ac Thuonem Episcopum Ripensem; inde, fide Christiana inter gentes propagata, & Ecclesiis constitutis, ac praefectis, qui curarent, Sacerdotibus, filium Canutum ibi cum imperio relinquit; addita non parva manu militum fortissimorum; qui, equitibus ordinis Teutonici se coniungentes, magnam saepe hostium stragem ediderunt; ipse in Daniam regreditur CIƆ CCXXIII. cum Alberto Orlemundio, & Thuone. Vbi dum defessum animum recreare paulum instituit, & venationem agitat, ipse capitur ab Henrico Sverinensi. Ille, quum in Palaestinam, voti reus cogitaret, ditiones, coniugem-

(a) *Valdemaria*] Nomen eius hodiernum est *VVolmer*, ex *Voldemari* illo contractum. Oppidulum nunc est, 18. milliaribus a metropoli Livoniae Riga distans. Viderat illud Olearius, ut testatur in *Itinerario Russico*, & *Persico*.

(b) *Missis litteris*) Hoc ex Bzovii *Annalib.* ad annum 1220. §. 5. qui tamen litteras inserere neglexit.

(c) *Legatum addebat*] Odor. Raynaldus an. 1220. §. 32. „ Recruduerunt in Dania intestina bella, quae potius religione, „ quam armis sopitum iri arbitratus Danorum Rex, a Summo „ Pontifice precibus contendit, ut Legatum Apostolicum ad „ componendas seditiones concitatas transmitteret; idemque alii „ Sveciae, & Bohemiae Reges . . . flagitarant. Ad iusta „ tantorum Principum vota descendit Honorius III. ac Legati „ Apostolici munus Gregorio Crescentio tit. S. Theodori Diacono „ Cardinali, in Dania, Svecia, Polonia, ac Bohemia commisit &c. „ Et postea „ Demum ad coercendum Principum „ ambitionem Ecclesiasticas censuras in omnes eos est iaculatus, „ qui Regis Danorum, successorumve iura labefactarent. Praeterea finitimis Daniae regno Regibus, populisque, publicis „ litteris significavit, suarum partium fuisse, Daniae invasoribus „ anathema incutere, quum illud regnum ab Apostolica Sede „ fiduciario iure penderet. „ Haec Raynaldus, subiiciens ibidem litteras ipsas Pontificis, datas *Laterani* 16. *Calend. Decemb. Pontif. anno* 5. Baronii autem errorem, legationem Card. Crescentii in Daniam ad annum referentis 1129. (quo Honorius PP. II. non vero *tertius* vixit,) castigat hic Pontanus *Histor. Dan. lib. 6. pag.* 308.

CIↃ CCXXII.

gemque Valdemaro commendaverat. Qui, iam viduus, mortua pridem Berengaria, feminae amore captus, ea abutitur ad libidinem. Idque, quum Henricus redux accepisset, animo offensam occultans, ultionem hunc in modum meditatur. Impetrato commeatu, ad Liutham [a], adsitam Fioniae insulam, ubi rex venationi intentus erat, unico navigio adpellit. Et egressus, simulata animi demissione, regem accedit, gratiasque ingentes agit pro defensa per absentiam ditione. Tum quotidie venatum exeuntem officiose comitatur; aliquando, ut suspicionem omnem insidiarum amoveret, etiam solus, parvo utentem satellitio. Quod quum aliquoties iam factum esset, Valdemarus die quodam, parvo itidem progressus, uti ante, comitatu, circa vesperam, e labore multo fessus, in tugurio [b], non tam longe a portu sito, in quo navem suam Henricus adplicuerat, locum pernoctandi capit. Ac, nil minus, quam insidias, illic metuens, blande ipsum ad caenam invitat, & potationem quamdam largiorem. Ipse vero, qui occasionem eam exspectaret, datam sibi minime negligendam ratus, ocyus parare suos vela iubet; & ex his promtissimum quemque, manu pariter, animoque ad id facinus praesto esse. Quum potatio longiuscule processisset, rexque ipse, & qui circa eum erant, vino graves, lectum omnes petiissent, ille suis, ex insidiis evoca-

CIↃ CCXXIII.

tis, imperat, vincirent propere somno altiore pressum, ac cum eo filium quoque Valdemarum successorem designatum. Statim compedes utrique iniicientes, ora etiam obturant, ne clamore auxilia excitare possent, & ad navem raptim abducunt. Inde avehunt Sverinum, ac mox item Dannebergam. Certe crimine detestando Valdemarus se obstrinxerat, qui uxorem Sverinensis, suae fidei commissam violaverat; & ostendit iram manifestam Deus, qui dynastam, multo sane inferiorem, contra eum excitavit; ut in suo eum regno, quando bello inferendo impar esset, astu adoriri auderet, & abduceret captivum, teneretque in triennium, nec dimitteret, ne in Caesaris quidem gratiam, principumque aliorum, nisi magno liberationis pretio. Certe Deus, sicuti fortunam regum in fastigio excellenti collocavit, atque eo modo ipsos magis ad virtutem obstrinxit, ita etiam peccantibus multo gravius irascitur, & delicta severissime vindicare item solet.

CIↃ CCXXIV.

Ad abducti regis famam, statim senatores regni, de redemtione eius consulturi, convenere; placuitque per legatos petere ab Imperatore, ut auctoritate sua id negotium adiuvaret. Isque ipse, sive filius Henricus [c], cum Germaniae principibus aliis, & in his antistite Coloniensi Bardevicum [d], in vicinam Pomeraniam se recipiens, quum nequidquam rem tentasset, mox recessit. Etenim, quum re-

(a) ***Liutham***) Sic in Pseudo-Erici *Historia gentis Danor.* scribitur. Appendix Saxonis Grammat. *Lithoe*, vernacule est *Lyoe* apud Hvitfeldium. Attamen Andreas Velleius in *notis ad Cantilenas Danicas Litam* habet, haud longe Foburgo, Fioniae oppido distantem.

(b) ***In tugurio***) Albertus Stadensis ad ann. 1223. „ Rex Danorum in propria terra a Comite Heinrico de Zuverin, cui duras, ut fertur, gratiae suae recuperandae conditiones imposuit, inopinato casu in papilione proprio capitur, & in Danneburg gravi custodia coarctatur. „ Hunc Crantzius fere exscribit *Dan. lib. 7. cap.* 18. Sed in *Saxonia lib. 7. cap.* 38. multo fusius rem enarrat. Anonymus Saxo, in Menckenii *Scriptorum Tom. III. Col.* 122. „ Comes Henricus de Zuverin cepit Regem Daciae Voldemarum cum filio suo iuvene „ Rege Voldemaro, uno mane, quum adhuc tenebrae essent, „ in tentorio suo, ubi simul in uno requieverunt lecto, in „ proprio regno. Naves quoque, & armamenta eorum securibus concidit, & quidquid petiit, illic recepit, & secum.... „ abduxit. Regem autem cum filio multis laboribus. & angustiis per mare usque ad terram suam perduxit, & aliquamdiu in castro *Leonoi* captum custodivit, postea vero ad castrum *Dannenberch* eum traduxit, & inde in castrum suum „ Zuverin illum iterum reduxit. Illa ipsa in Saxoniae inferioris dialectum translata exhibet *Chronicon Luneburgicum*, in Eckardi *Corpore Histor. medii aevi Tom. I, Col.* 1403. addito tamen, Comitem praecedente vespera cum Regibus comedisse ac bibisse; ibidem quoque pro *Leonoi* legas *Lentzin*, quod fortassis rectius, quum etiam in *Chronico Montis Sereni* adpareat ad ann. 1223. Herm. Cornerus, qui contigisse factum in nocte *S. Iohannis ante portam Latinam*, scribit (h. e. d. 6. Maii) culpam reiicit in *Danorum ignaviam*, *qui excubias Domini sui Regis minus caute observantes, sed potius inebriati dormitantes, neglexerint Principis sui salutem*; *Col.* 856. Ac meretur observari, a nullo Germanorum istud de adulterio, quod Svaningio, & Hvitfeldio in Danicis Annalibus, atque illa sic dicta Appendice Saxonis Grammatici repertum, tot alii nostratium propagarunt, referri. An ergo a Danis acceperit auctor *Chronici Teutonici*, cuius verba adduxit Bangertus *Origg. Lubec.* §. 48. [illustr. de Westphalen *monum. Tom. I. Col.* 1298.] quum tamen ille non uxori, sed *matri Comitis Sverinensis* contumeliam illatam scribit? Denique quomodo factum Comitis Pontifici Rom. aliisque Principibus proceres Danorum exposuerint, cognosci potest ex litteris Honorii PP. III. ad Archiepiscop. Col. (apud Odor. Raynald. ann. 1223. §. 24.) in quibus haec habemus: „ Sicut „ enim ex litteris Praelatorum, & Principum regni Daciae nobis innotuit, quum idem Rex in quamdam insulam ipsius „ regni, aestivo tempore, ob aeris clementioris temperiem, „ cum sua privata familia secessisset, nec aliquas suspicaretur „ insidias, utpote qui non moliebatur adversus aliquem quidquam mali, ecce dictus Comes, transgressor iuramenti fidelitatis, quod ei praestiterat, & multorum beneficiorum, quae „ ab ipso receperat, immemor, & ingratus, nocturno tempore in tentorium eius irruens cum armatis, immitis mitem, „ armatus inermem, vasallus dominum, in strato suo dormientem invasit; & quod sine dolore, nec audire potuimus „ nec possumus recitare, ipsum Regem impie vulneratum, una „ cum praefato filio suo, in sylvam quamdam abduxit, ac „ deinde cum illis extra regnum se transferens, eos in districtu Imperii captos detinere praesumit &c. „

(c) *Ipse, sive filius Henricus*] Fuit omnino, non Fridericus ipse, sed filius eius Henricus; quemadmodum Stadensis Abbas, & Godefridus Monachus habent. Neque enim his annis in Germania versabatur Fridericus, sed filium suum ad res ibi administrandas ablegarat.

(d) ***Bardevicum***) Recte. Et falsus utique Hvitfeldius, qui ***Hardevicum*** Geldrorum urbem heic nominat, deceptus fortasse ab apographo veteris cuiusdam *Chronici*, in quo ex similitudine litterarum *B.* & *H.* Hardewick extiterit. Agebat Imperator ipse, ut dixi, tam hoc, quam praecedente anno, plerumque in Sicilia, & Apulia, domandis Saracenis intentus. In Germaniam interim filium suum Henricum miserat, qui, una cum Engilberto Archiepisc. Colon. & Conrado Cardin. Portuensi, Papae Legato, nec non Hermanno Magistro Hospitalis Teutonicorum, Caesaris Oratore, Bardevici in Saxonia inferiore *curiam habuerunt, pro regni negotiis, & maxime pro liberatione Regis Danorum*. Sic Stadensis. Constat vero satis, missos ab Imperatore minime tam propensis pro captivo Rege studiis egisse, quam Legatum Pontificis. Etenim Honorius III. non tantum in litteris, quarum nuper meminimus, serio & graviter Coloniensi iniunxit, ut ex parte sua Comitem Zwerinensem moneret, de Rege & filio eius infra mensem plenae libertati restituendis, sub excommunicationis poena; sed & similibus litteris ad ferendam Regi opem Episcopos Lubecensem, & Verdensem, ipsumque Fridericum Imper excitavit. Huic Pontifex, inter alia, proposuit, Imperialem decere curam, *Regi in ultimo discrimine posito, opem auxiliumque liberaliter explicare, dignumque in sceleratum hominem* (Henricum Comitem Zwerin.) *talia moliri ausum, iustitiae exemplum statuere, quo regiam maiestatem revereri mortales discerent, neque impias suis Regibus manus inferre auderent. Non ideo tamen haec ipsi suggerere, ut Comitem Imperator morte adficeret, cum tale consilium ab Apostolicae Sedis mansuetudine abhorreret &c.* Denique ad ipsum Comitem Zwerinensem scripsit Papa, gravissimisque minis ad reparandum facinus hortatus est, his verbis in fine epistolae usus: „ Pro certo autem noveris, quod si contemtis poenis „ huiusmodi (excommunicationis &c.) Regem & filium eius „ prae-

CIƆ CCXXIV. regem sibi, & Imperio subditum vellet; tum Henrico Sverinensi, ut Vandaliam, Nordalbingiamque (a) traderet, respuens conditiones tam indignas (b) Valdemarus, ut excelso erat animo, maluit manere in carcere, salvo regno, ac maiestate, quam damnosam adeo sibi, ac probrosam liberationem admittere. Inter ista Sverinensis, ut res suas stabiliret, cum finitimis principibus, urbibusque foedus init. Insuper Adolphum quoque Scouvvenburgicum exstimulat, ut tam bona occasione ad recuperandam Holsatiam, patri Adolpho ante annos circiter viginti & unum per captivitatem extortam, uteretur. Qui, quum solus non sufficeret, eius opera adiutus, ac Gerhardi Archiepiscopi Bremensis, tum & Henrici Verlensis, aliorumque, rem adgreditur, & Alberto Orlemundio bellum infert (c). Quem, cum manu raptim armata occurrentem, statim vincit; &, in vinculis abductum, Valdemaro comitem custodiae addit. Inde Holsatiam pervagatus universam, adeoque ipsum Hamburgum minimo negotio in potestatem suam redigit. Atque sic subacta Holsatia, & Stormaria, ceu iam nulla ultra metus causa esset, arma Adolphus, & Henricus deponentes, militi dant missionem. CIƆ CCXXV. Sed nec hic fortuna desiit Valdemaro adversari. Nam Esthonii, ac Livonii, eodem tempore, postquam captum audivissent, milites Teutonici ordinis, quos Ensigeros adpellatos supra dixi, & Episcopus Rigensis, Revaliae occasionem invadendae sibi datam existimarunt. Et exemplo quoque eorum Osiliensis excitatus, libertatem item vindicandam statuit. Ad hos Vandali, Sclaviaeque populi, praesertim occidui, ditioque Sverinensium, ac Verlensium, ab obsequio discessere. CIƆ CCXXV. Insuper Barnimus quoque, & Vratislaus, Pomeraniae tunc principes, Rugiam, & Deminum, & Lositium, aliaque quaedam loca extorserunt. Denique Dansvicum etiam Sventepoldus occupavit; atque ita Sclavia tota, multis expeditionibus difficillimis vix subacta, facili admodum negotio Valdemaro se subduxit. Inter ista proceres regni, ut captivum regem suum liberarent, quidvis tentant. In Germaniam aliquos suorum mittunt, CIƆ CCXXVI. principesque passim prensant; ac, muneribus non exiguis inter illos distributis, eo tamdem rem perducunt, ut Albertus, dux Saxoniae, principesque item alii, causam sibi hanc agendam existimarent. Itaque eorum opera id effectum est, *ut rex, filiusque eius libertati redderentur; pretiumque illius darent, selibrarum argenti puri quadraginta quinque millia; tum trecentas quoque alias, ad exustum pridem templum Itzehoae, cum infesta illis arma circumferret, instaurandum; ipse insuper, filiusque, interposito iureiurando promitterent, numquam se captivitatem ulturos esse: nec deinceps comitatum Suerinensem, aut Holsatiae, oppidumve Hamburgense, sive alia circa flumen Albim loca, iam Adolpho occupata, armis, aut quocumque modo alio repetituros; partem quoque comitatus Suerinensis, quam sorori suae Idae Funcelinus, & Henricus, dotis nomine attribuerant, quum haec Nicolao nuberet, notho fratri, comitique Hallandiae dicto, compensatione facta restitueret: ut nimirum totam eam ditionem sua in potestate haberet; nec cuiusquam Danicae prosapiae principis, a quo semper merito metueret sibi, dominatum illic pati cogeretur, pro argenti vero summa, donec ea solve-*

„ praesumseris detinere, nos contra te poenas illas excogitare „ curabimus, & specialiter Imperialem dexteram in tuum ex- „ terminium concitare, taliterque super te gravabimus manum „ nostram, quod te ad ultimum poenitebit luctamen contra „ Deum, & Ecclesiam Rom. subscepisse, & erit sera poeni- „ tentia post ruinam. „ Hae omnes litterae datae sunt *Laterani* 11. *Kal. Nov. anno Pontif.* VIII. Vid. Odor. Raynald. loc. cit. Neque neglecta a Coloniensi videntur haec mandata, quum ad eumdem annum 1223. scribat Godefridus Monachus, *Regem Henricum Northusin curiam habuisse, ubi ab Engilberto Colon. Archiepisc. pro absolutione Regis Daniae multum laboratum fuerit*.

(a) *Henrico Sverin. ut Vandal. & Nordalb.*) Quis dixit, Caesarem Sverinensi Comiti tradendas voluisse Vandaliam, & Nordalbingiam? Nemo, ut puto. Partem quidem earum promisisse Henrico, ceteras aliis destinasse, ut ex potentioris unius spoliis plures locupletaret, sibique obnoxios redderet, admodum est credibile. Poenitebat Fridericum, scilicet, quod tantarum provinciarum cessione Daniam vicinis, totique Saxoniae magis effecerat formidabilem. Hinc in litteris, quas ex *Vindemiis* Io. Fr. Schannat superius citavimus, Archiepiscopum Coloniensem his praeceptis instruxerat: „ Sane relatum „ est Celsitudini nostrae, quod Rex Daciae, & filius eius, ca- „ pti a Comite H. de Zwerin dilecto fideli nostro, in custo- „ dia detinentur, qui Rex, sicut tu ipse nosti, praeter prae- „ cedentem causam, *multa de Bonis Imperii occupavit*, ad nos „ & Imperium, respectum, quem debuit, non habendo; unde „ quum *ad recuperationem Bonorum Imperii totis viribus, & ad- „ fectibue anbelemus, ut ipsa possimus ad Imperium revocare*, „ adfectionem tuam rogandam duximus omnimodis, & mo- „ nendam, quatenus ad hoc, quod ipse Rex, & filius eius „ ad manus vestras deveniant, prorsus & totaliter elabores, fa- „ cturus quod quidquid Venerabilis Erbipolensis Episcopus pro- „ pter hoc promisit, vel dehinc promiserit Comiti praedicto, „ & ipse promittas cum eo, quia nos illud ratum habebimus &c. „

(b) *Respuens conditiones tam indignas*] Attamen, si Godefrido Monacho S. Pantaleonis credendum, ipse quidem non respuit. Eius verba sunt: „ Quo mediante (scil. Herimanno „ Magistro Hospital Teuton.) ad hoc inductus est idem Rex, „ ut totam terram, quam Imperio abstulerat, reddere, & co- „ ronam de manu Imperatoris subscipere; insuper centum mil- „ lia marcarum pro absolutione sua dare promitteret. Quod „ quum acceptarent Principes, qui cum Rege praesentes ade- „ rant, Albertus Comes de Vorlemunde, filius sororis ipsius „ Regis, & Barones Daciae hanc compositionem reprobantes, & „ ea, quae promissa erant cassantes, adscensis navibus, cum „ indignatione recesserunt, infinitam pecuniam, quam ad redi- „ mendum Regem adtulerant, secum deferentes. Vnde prae- „ dicti Principes infecto negotio confusi discesserunt. „ Anonymus Saxo in Menckenii *Tom. III.* & *Chronicon Luneburgicum* narrant, Henricum Regem cum Archiepiscopo Colon. & ceteris proceribus anno post captivitatem Valdemari circa festum S. Michaelis Bardevicum primo convenisse, hinc Blekedam se contulisse, Alberto Comite (quem *de Lovenburch* vocant,) atque Danis cum magna manu ab altera Albis parte considentibus; transactionem autem per Regem, atque Danos in irritum cecidisse.

(c) *Alberto Orlemundano bellum infert*] Imo vero bellum Albertus Orlamundanus Comiti Sverinensi intulit; dum Comes, & foederati in arcibus, & urbibus expugnandis, quas Dani in Germaniae regno tenebant, occupati erant. Godefridus Monachus loc. cit. „ Albertus de Vorlemunde post natale Domi- „ ni congregato exercitu Henricum Comitem adgredi statuit, „ Quod ut cognovit Henricus Comes, in obsidione cuiusdam „ castri positus, relicta obsidione illi occurrit, ubi pugna com- „ missa cum magna animositate, & multorum sanguinis effu- „ sione, ab hora diei prima, usque ad vesperam dimicatum „ est, multis ibi corruentibus. Ipse etiam Albertus cum pluri- „ bus nobilibus captus, & in castrum Dannenberch ad avuncu- „ lum suum perductus ibidem custodiae mancipatur. „ Sed & ipsum Albertum audiamus, Pontifici Romano rem aperte, & fatum illud suum exponentem in epistola *Vindemiis* Schannati *pag.* 196. inserta: „ Quum Dominus, (inquit) & Avunculus „ meus Rex Daciae a Vasallo suo, modicae reputationis viro „ perfide captus esset: Ego ratione sanguinis iniuriam eius meam „ reputans, absolutionem eius procuravi celeriter, ne mora tra- „ heret ad se periculum, & iacturam. Postmodum excogitans, „ quod expediret Reipublicae, ne remanerent crimina impunita, „ *volebam vindicare, quod factum fuerat fraudulenter*, quum „ nemini patrocinari debeant fraus, & dolus. Sed quia varii „ sunt eventus rerum, id quod conceperam, non poteram per- „ ducere ad effectum, sed ex insperato etiam captus fui, & „ diutissime detentus in vinculis ferreis &c. „

CIↃ CCXXVI. *solveretur, duos filiorum obsides Valdemarus exhiberet*. His conditionibus liber, quum in Daniam rediisset, nihil sibi prius duxit, quam ut fidem, obsidesque, liberaret. Hac de causa, quam promiserat pecuniam, ocyus repraesentavit (a); filiosque mox recepit, & nonnullos ordinis equestris viros, qui cum illis ibi manserant; ac Nicolao, Nicolai fratris nothi, uti dixi, ex Ida Suerinensi filio, cui ipse a defuncto iam parente tutor constitutus fuerat, pro erepta comitatus Suerinensis portione, tractum Hallandiae borealem, ab amne Edra iuxta Falckenbergam, tradit. Cupiebat porro etiam liberatum Orlemundum: verum istud eo tempore minime impetrare potuit.

CIↃ CCXXVII. Vix redierat in regnum, & componere res inceperat, per absentiam turbatas, quum Dithmarsi in tumultum concitantur: sed praefectus Slesvicensis, comprehensis statim auctoribus, & occisis, in initio repressit; ac mox multo gravius turbatum est a Lubecensibus; qui, afflicto Valdemaro, & potentia item eius vehementer imminuta, ipsi quoque iugum Danicum, aliquot iam annis grave indignati, astu quodam excussere. Ablegant ad Fridericum Imperatorem, qui exponant; *urbem suam, olim Imperio accensam, a parente quoque eius, Friderico Barbarossa, privilegia, & immunitates multas accepisse: at nunc aliquanto tempore, armis Valdemari victam, dominationi Danicae subiacere; itaque orare ipsum, ut susciperet patrocinium, & antiquam libertatem vindicare cupientes adiuvaret; se vicissim obsequium, quod consuevissent, praestituros*. Audit Caesar oratores perbenigne, ac promittit postulata; tum Gerhardo, archiepiscopo Bremensi, & Alberto Saxoniae duci, comitibus Suerinensi, Megapolitano, & Oldemburgico mandat serio; *ut, si ita usus ferat, atque Dani Lubecenses armis petant, ipsi illis ad auxilium praesto essent*. Hoc responsum laeti referunt, & acceptum Lubecenses in occasionem celant. Nec multo post, quum festum quoddam, celebrari ad Kalendas Maii solitum, advenisset, consules, & senatores, arcis regiae praefectum extra urbem astu educunt; ceu Meigravium, quasi Maii comitem (b) dicas, electuri. Inter ista, sicut constitutum erat, cives quidam arcem ingressi, occultatis subter vestes armis suis, eam capiunt: ac praefectum, mox in urbem revertentem, re ignarum, in custodiam abducunt; inde arcem, quatenus obversa urbi, demoliti, quod supererat, in coenobium convertunt; & pullatis illud monachis sacrum faciunt. Sic exuto regis Valdemari obsequio, ad Saxoniae ducem Albertum, principesque item alios, oratores suos mittunt; qui & literas, quas a Caesare impetraverant, exhiberent; & auxilium, si res ferret, contra Danos postularent; tum ad bellum, quod timebant, propulsandum sese parant. Valdemarus, cuius animum vehementer commovebat partim carceris contumelia, partim & extorta Vagria, ac Nordalbingia, magis hac defectione Lubecensium irritatus, illud secum reputabat, quo se modo ulcisci posset. Quia vero iuramento tenebatur, ad Pontificem Honorium III. ablegat aliquos, qui exponerent; *se in carcere summa cum iniquitate* (c) *ad conditiones longe indignissimas compulsum esse, petereque, ne quid his ulterius obstringeretur*. Isque, odio Friderici Imperatoris, a quo graviter diffidebat, fidem eius statim liberat (d); neque mora, illico conscribit militem, & per Cimbriam ocyus in Holsatos ducit. Aderat Otho Luneburgicus, eius ex sorore Adelheda (e) nepos; item a Dithmarsis copiae, quis succinctus, primo impetu Itzehoam, aliaque Holsatiae oppida flammis vastat. Hinc Bornhoviam regressus, obvium Adolphum Scouvvenburgicum habuit, Holsatiae, armis iterum vindicatae comitem, cum

(a) *Ocyus repraesentavit*] Dubitari merito potest, num hoc fecerit Valdemarus. Rationes nolumus heic exponere, quum ipse eas lector elicere queat ex verbis Pontificis Romani, mox inferius adducendis. Existimo utique vera hic dixisse Anonymum Saxonem apud Mencken. *Tom. III. col.* 123. „ Rex Daciae a captivitate pro 50. millibus marcarum absolutus fuit, „ ex quibus *tantum mediam persolvit*, & cum nobilioribus suis „ terram Holsatiae, & omnes adiacentes terras, quas violenter „ rapuerat, cum sacramento iuramenti perpetuo devoverat, & „ tres filios suos cum multis hominibus pro se obsides posuit. „ Pariter fere Gobelinus Persona (Meibom. *Tom. I. pag.* 277.) addens, promisisse quidem quinquaginta millia marcar. Sed *postea fidem non servasse*. Etenim, ut & hoc notemus, in summa pecuniae, seu lytri a Rege promissa, nonnulla inter Scriptores varietas, quibusdam 45. aliis 50 millia nominantibus. Herm. de Lerbeke *quinque* tantum *millia* scribit. Sed mendosum esse, pro *quinquaginta*, monet Meibomius in *notis pag.* 533.

(b) *Meigravium, quasi Maii Comitem*] Ludi genus (sive festum dixeris,) quod singulis annis ipsis Calendis Maii coloni agitabant, cum pompa agresti, musica, choreis, ac tripudiis, omnes ruris sui agros pervagantes, quasi eos initiaturi: Ducem vero, seu πομπαγωγὸν suum, *Maigravium* salutabant. Haec Maialia iamdudum sanior religionis cultus in nostra patria abolevit.

(c) *Se in carcere summa cum iniquitate*] Hoc, etiamsi an. 1227. a Cancellario Huitfeldio, aeque ac nostro adscribitur, tamen non dubito factam hanc petitionem a Valdemaro, anno praecedente, eodem scilicet tempore, quo Albertus Orlamundanus similes ad Papam preces destinavit. Qua vero forma, quibusque eae verbis conceptae fuerint, ex litteris apud Schannatum loc. cit. aestimari potest, in quibus inter alia haec legas: „ Iuravi, & renuncians, quod illud (castrum amissum) numquam repetam, nec pro recuperando eo per me, „ vel per alium arma sumam; quum igitur valde grave mihi „ sit, quod occasione iuramenti, quod vi inductus praestiti, „ tam enormem substinere debeam laesionem, Beatitudini Vestrae supplico, quod illud relaxare dignemini, & ut mea „ possim repetere, dispensetis mecum, quum habeatis plenitudinem potestatis. Non enim iuravi voluntarie, sed per metum, qui cadere poterat in constantem virum, & ob hoc „ merito debeo excusari. Praeterea quum fidem non servanti „ fides servanda non sit, nemo de facto isto rationabiliter me „ redarguere, & vindicare poterit, ut videtur. „

(d) *Fidem eius statim liberat*) Nescio, an hoc fecerit Pontifex. Hoc scio, iniunxisse Episcopo Verdensi, ut Comitem Zuerinensem de remittendo Regi sacramento graviter moneret, atque imperia Apostolica detrectantem, provocationis abiecta mora censuris ecclesiasticis percelleret. Imperasse insuper ipsi Zuerinensi Comiti, ut acceptos a Rege obsides una cum pecunia restitueret, incusso gravissimarum poenarum terrore. En specimen severae admonitionis cum imperio coniunctae: „ Olim credidimus, quod grandem, & gravem maculam, quam „ in tua fama improvide posuisti, charissimum in Christo filium nostrum, Illustrem Regem Daciae, Dominum tuum, „ rupto fidelitatis foedere captivando, excitatus increpationibus „ Apostolicis recognosceres, & ipsum Regem iuxta exhortationes nostras libere dimittendo, eamdem maculam percitae satisfactionis remedium aboleres: Tu vero cura famae tuae posthabita, & inculcatione precum, ac praeceptorum nostrorum „ penitus obaudita, ab ipso Rege extorsisti per violentiam iuramentum, quod filios suos obsides tibi daret, & quamdam „ tibi solveret pecuniae quantitatem &c. distincte praecipiendo „ mandamus, quatenus obsides, & pecuniam, quam a Rege „ recepisti praedicto, ei sine difficultate restituas. Dat. Laterani „ 5. Id. Iunii Pontificatus nostri anno decimo. „ Nempe promiserat Valdemarus Pontifici, si modo pecunia illa sibi restitueretur, amplum se ex ea subsidium ad expeditionem in Terram Sanctam daturum.

(e) *Adelheda*] Vel potius *Helena*, sicut ab omnibus Germanis vocitatur.

CIϽ CCXXVII. cum Gerhardo Archiepiscopo Bremensi, & Saxoniae duce Alberto Sverinensi Megapolitano, Oldenburgico, ac nonnulla Lubecensium item manu. Grave praelium, Iulii vicesimo secundo die ad Bornhoviam committitur; adeoque tanta strages hominum, equorumque fuit, ut in sanguine occisorum scuta pariter, galeaeque quodammodo innatare viderentur. Ipse quoque Valdemarus animose inter confertissimos pugnans, altero excusso oculo, iterum in potestatem hostis vivus pervenisset, nisi quidam e militibus, equo impositum, a periculo praesentissimo liberasset. Ac, subducto quamvis rege, nihilominus acriter pugnabant Dani, donec tamdem, ingens ad cladem momentum, & adversum sibi solem habuerunt, & Dithmarsi ita pacti, quod praefectus Slesvicensis rebellantes paullo ante repressisset, ad Adolphum Scouvvenburgicum transierunt. Capti, Otho Luneburgicus, & Ripensis Episcopus [a], Thuvo, ac Sverinum statim abducti; quorum hic argenti selibris septingentis libertatem mox redemit; iste vero vivo Henrico Sverinensi, numquam liberari potuit. Memorabant Lubecenses, divae Magdalenae effigiem eo die, ipsi sacro, visam in caelo adiuvare praeliantes; ideoque, quod victoriam eius maxime beneficio, ut putabant, reportassent, statuebant, ut quotannis hac de causa, in memoriam tantae rei, illum diem summa pietate colerent; ac, peractis rite sacris, eleemosynae in egenos [b] omnes distribuerentur. CIϽ CCXXVIII. Ita poenas violati iuramenti quum dedisset Valdemarus, & in Daniam rediisset, ultionem tantae cladis, & nepotis Luneburgici liberationem cogitans, iterum conscribit militem; ac, Holsatia repetita, urbem Itzehoam obsidet. Occurrebant Lubecenses, cum Adolpho Scouvvenburgico, & Henrico Sverinensi, aliisque foederatis, & ad castra Valdemari sua proxime metabantur, amne Stora interiecto, qui utrosque, ne conserere manus possent, prohibebat. Qua de causa Valdemarus, neque urbem expugnare, neque etiam propulsare hostem potens, ab obsidione abit, copiasque in Dithmarsos, qui ad hostem praelio superiore transeuntes, magna cladis causa fuerant, maxime infestas ducens, terram eorum ferro, ac flamma populatur; ac captivos quoque multos, ad vindictam nuperae defectionis, inde abducit. Hinc regreditur Itzehoam, iterumque eam obsidet. Sed, Holsatis ad auxilium occurrentibus, aliquam suorum stragem rursum passus, in Holsatiam borealem arma vertens, eam vastat, & in Daniam revertitur, ut maioribus mox copiis bellum hoc prosequeretur. Adolphus autem, & Henricus metuentes, ut resistere ipsi possent, incitant Albertum Saxonem, uti Molnam, Louvvenburgum, Razeburgum, ac Saxoniae oppida cetera, item arces, vi a Valdemaro captas, nunc recuperare velit. Quod si animum induceret, operam se collaturos, atque ille, valida coacta manu, capit Molnam, & Razeburgum, aliaque aliquot loca, quae obsequium Valdemari ad id tempus retinuerant. Sed, quum tamdem Louwenburgum obsideret, fortiter praefectus restat, & e Dania denuo Valdemarus adest, ut Albertum dimoveret. Verum, eo in incoepta obsidione persistente, loca circumiecta diripit, & incendit. Porro etiam coercendo Segebergo munimentum quoddam obiicit; &, id aliquamdiu molitus frustra, veritus, ne universas Germanorum in se vires concitaret, pedem refert. Inde principes interveniunt; & praefecto, si se dedat, liberationem Alberti Orlemundii, qui Sverini in custodia servabatur, curaturos pollicentur. Quod quum is ad Valdemarum perscripsisset, atque eius quaesivisset voluntatem, mox responsum ab illo accipit: *quamquam vix adduci posset, ut in arcis, quam tenebat, deditionem consentiret, nihilominus, ut clienti, antea fideli admodum, libertatem procuraret, id permittere*. Ac Albertus Orlemundius, hunc in modum liberatus, quum a Danis deinceps sese destitutum animadverteret, graviterque etiam ab Holsatis premi, ius in urbem Hamburgensem, quod a Valdemaro acceperat, puri argenti selibris mille, & quingentis, venum oppidanis dedit; atque haec est prima causa libertatis, quam praetendunt. Sed & ipsi Holsatiae comites, uti antea, sic deinceps adgnovere; & Albertus, qui dominium beneficio Valdemari obtinebat, quod ex annua pensione, & clientela satis manifestum erat, quod ipsius minime foret, neque vendere item poterat. CIϽ CCXXIX. In Svecia, deiectus regno Ericus Blaesus, per sororium Canutum, & Folchungos, sociosque factionis, qui Canutum evehebant, postquam fuga vix in Daniam evasisset, opem a Valdemaro petit, atque, ea impetrata, regnum repetit, recipitque; & Canutum, praelio ad Sparsethram captum, capite truncat [c]. Sicut autem in Svecia Ericum iuvit, caritate erga regem amicitia coniunctum, & iustitia causae motus; ita, pietate ductus, in Livonia Monachis Dominicanis etiam benigne dedit, ut Revaliae iuxta arcem, quo deinceps tutiores esse possent, Monasterium sibi struerent. Ac, quo id facilius his largiretur, fecerat Romanus

(a) *Ripensis Episcopus*) Si Alberico Monacho fides, tres Episcopi eamdem captivitatis sortem subiere. Verba eius: „ Rex Daciae Valdemarus contra Henricum Comitem, a quo captus „ fuerat, bellum habuit. Archiepiscopus Bremensis contra Re„ gem in parte Comitis primus facta forte dimicavit, tribus „ Episcopis Daciae captis, & mille circiter viris occisis. Rex „ cum paucis evasit. Anonymus Saxo in Menckenii *Tom. III.* „ *col.* 124. „ Plurimi ex hominibus Regis sunt occisi, & plu„ res in captivitatem ducti, inter quos etiam erant Episcopi.

(b) *Eleemosynae in egenos*] Hermannus Cornerus Lubecensis in *Chronico* (Eccardi *Corp. Hist. med. aevi Tom. II. col.* 859.) „ In perpetuam huius triumphi memoriam, Cives Lubicenses, „ ipso die mulieris sanctissimae (Mariae Magdalenae) singulis „ annis, cunctis pauperibus, in Virginis Gloriosae Ecclesia col„ lectis, eleemosynam largiuntur. Fratres etiam ante dicti Prae„ dicatores in refectorio suo ob eamdem memoriam, dolium „ plenum cerevisia eodem die pauperibus impertiuntur. De vi„ ctoria, inquam, hac, & de locatione praenominatorum Fra„ trum quidam Metrista sic ait:

„ Anno milleno duo CC. septemque viceno,
„ In *fontis capite* cecidit gens Danica lite,
„ Magdala quando pia scandit super astra Maria:
„ Hic quoque tunc gratus Fratrum fuit ordo locatus. „

In quibus illud, *in fontis capite*, locum praelii designat, ***Bornehoved***. Nam *Born*, fons, & *Hoved*, caput.

(c) *Canutum capite truncat*] Canutus, ut Svecorum historiae testantur, in praelio cecidit. Fuit autem Hollingerus, Folchungorum, & factiosorum unus, qui ex fuga retractus, capitis supplicio adfectus est.

CIↃ CCXXIX. nus Pontifex, qui Episcopo Mutinensi Gulielmo ablegato inter alia illud postulandum iniunxerat. Nec contentus caritatem, & pietatem in extraneis exercere, domi etiam suorum commodis prospiciendum existimavit. Itaque e Lusitania filio suo Valdemaro, principi pridem designato, uxorem petit Leonoram Alphonsi II. filiam [a], nuptiasque Ripis celebrat ad vigesimum quartum diem mensis Iunii. In his nuptiis laboratum a principibus, qui intererant, ut pax inter Valdemarum, & Adolphum iniretur; eaque sic constituta est, *ut Adolphus & Holsatiam, & Stormariam ditiones hereditarias retineret; &, si quando usus foret Valdemaro, suo stipendio, milites ducentos mitteret, ac vicissim Valdemarus Adolpho trecentos, suo itidem stipendio*.

CIↃ CCXXX. Anno proximo, sacra, eorumque ritus, Valdemarus ad Romanae Ecclesiae morem toto regno emendavit, dirigente id negotium Othone quodam Cardinali [b], quem Gregorius IX. Pontifex ob hanc causam ablegaverat. Hinc sequuta ingens pestis, totam Daniam pergrassata, magnam hominum, pecudumque stragem dedit; &, ut domi graviter detriti subditi, ita foris; nam, amisso quamquam Vagriae, Nordalbingiaeque tractu, cum obsequium tamen eius in Vandalia retinerent Rugiani, Trebezani, aliique illic populi, magnum quoque detrimentum maximae eorum urbes, civibus vel Stralesundiam, vel

CIↃ CCXXXI. Rostochium, vel Hamburgum, vel Lubecam commigrantibus, accepere. Quam iacturam ut negligeret, mors effecit, primum nurus Leonorae, tum ipsius quoque filii Valdemari. Atque Leonora quidem, in puerperio III. Id. mensis Maii exspiravit, una cum filiolo, quem enixa erat. Valdemarus, recreare animum cupiens, nimio dolore pressum ex uxoris carae obitu, dum venatur ad Resnesam, in propinqua illic silva, forte ab aliquo crus sagitta sauciatur; & ex vulnere item moritur IV. Kalend. Decembris. Ac utrique funus factum est Ringstadii. Luctuosus certe regi, adeoque toti regno, obitus Valdemari fuit; quum de eo, si vixisset, summa sibi unusquisque omnia polliceretur propter animi, ac virtutis, quae in ipso enitebat, magnitudinem. His funeribus regis animus adeo percussus fuit, ut deinceps, externorum abiecta cura, regni terminis contentus, in quiete vitam agere constitueret. Itaque, quamdiu inde supervixit, summa in tranquillitate regnum tenuit; maxima cum aequitate iuris dictionem exercens, sine ulla personarum exceptione, tum tributa, oneraque quaevis alia, partim a se, partim item a maioribus,

bellis variis, quum necessitas postularet introducta, mitigavit; quaedam etiam universa a-

CIↃ CCXXXI. bolevit. Porro, ut quietem regni in futurum stabiliret, partem eius cuique filiorum suam

CIↃ CCXXXII. adsignavit; qua, quum vita functus foret, continere se deberent. Ac Ericum, ex Berengaria Lusitana natu maximum, procerum consensu unanimi, successorem sibi statuit; alteri vero Abeli Cimbriam australem tribuit, ducis titulo regendam; tertio vero Christophoro Langelandiam concessit. Quam Canutus quum teneret, filius ex Margareta prima uxore, natu minimus, eius loco huic Blekingiam deinceps possidendam dedit. Ista distributione, quum se pacem filiis post mortem suam relicturum existimaret, nihilominus, quod & plures praevidebant, frustra id consilium fuit. Vti vero magis animos in concordia confirmaret, proceres regni ad se vocat, & exponit: *praevidere se dissidia, inter filios oritura, quae ut prohibere possit, ipsos isthuc convocasse, ut consilio adiuvarent, & post mortem quoque suam huius curae testes essent*. Inde, ad filios conversus, adhortatur; *uti pacem sibi honestam, regno utilem semper colerent; etenim, si dissiderent, id damnosum regno fore, ac perniciosum ipsis. Ita ditiones se unicuique divisisse, ut existimet, non maiore aequitate fieri id potuisse. Quare porro animis coniunctis essent, neque se, ac subditos suos perditum irent*. Quae quantumvis proni acciperent, mortuo tamen Valdemaro, nullo modo tenuere. Post haec, uti

CIↃ CCXXXIII. aliud suae pietatis monumentum apud subditos exstaret, Franciscanos iterum in regnum induxit; concessitque, uti Ripae ordini suo Monasterium exstruerent, qui deinde in maiorem modum aucti, alia quoque, & in singulis pene oppidis, condiderunt. Vtque Daniae novum Monachorum Ordinem, & coenobium item dedit, ita in Vandalia sua novam ipse urbem accepit, Gryphiswaldiam, exstruente eam Abbate Monasterii Eldenovii, ut collatum in homines religiosos beneficium per eorum alio in loco praesulem, isto modo compensatum videretur. Mox incendio gra-

CIↃ CCXXXIV. vissimo triste sane regnum habuit, Lundiaeque urbs in Scania, & Roschildia, in Selandia; haec Episcopi, illa Archiepiscopi Sedes, pene totae conflagrarunt. Per hoc tempus, quum Esthonia, dum in carcere ab Henrico Sverinensi detinetur, Daniae se subduxisset, Valdemarus hanc repetere armis statuit. Varie hactenus id tentaverat per legatos, literasque, sed contemtus, tamdem bellum in illam parat. Quod Simplicius, eo tempore Summus Pontifex [c], postquam impe-

ditum

[a] *Alphonsi II. filiam*) Pater Leonorae Alphonsus, Berengariae, sponsi novercae, erat frater, qui eam ex filia Regis Angliae, Henrici II. itidem Leonora dicta, susceperat.

[b] *Ottone quodam Cardinale*) De hac Ottonis in Daniam missione nihil vel Raynaldus, vel Bzovius habent, de aliis vero eius legationibus satis multa, per ceteros annos obitis. Res tamen omni caret dubio: de qua & multi ex Annalibus nostris testantur, & duo insignes ex Germanicis, quorum primus Albericus Monachus Trium Fontium ad annum 1230. *pag.* 536. „ Cardinalis, inquit, Alemanniae Dominus Otto „ fuit in Dacia, & dissensionem, quae in electione Rigiensis „ Episcopi emerserat in Livonia perfecte determinavit. Itaque „ illum, qui eligebatur ex parte Bremensis Capituli, cassavit, & „ Nicolaum de Medeborc, canonice electum, consecravit. „ Alter est Godefridus Monachus Coloniensis, cuius ad annum 1228. *pag.* 396. haec sunt: „ Vnus dictus Otho Cardinalis de „ Carcere Tulliano, legatione accepta, in Teutoniam, & Daciam mittitur; cuius intentio erat Imperatoris gravamen procurare. „ Idem Godefridus *pag.* 398. „ Anno 1230. Otto „ Cardinalis e Daciae partibus Coloniam veniens, ibidem natalem Domini celebrat &c. „ Conferantur, & in ipsius Raynaldi *Annalibus* ann. 1232. §. 1. litterae Papae Gregorii IX. ad Episcopum Semigalliae, & aliae *ibid. num.* 3.

[c] *Quod Simplicius eo tempore Summus Pontifex*) Quid *Simpli-*

CIↃ CCXXXIV. ditum cuperet, adiuvante Friderico Imperatore [a], in hunc modum rem composuit: *ut Esthoniam universam, insulasque, ac provincias ad hanc ipsam pertinentes, & Ecclesiasticam quoque iurisdictionem terrae Curolandiae, Valdemarus possideret, ipsam vero Curolandiam, & trans Dunam amnem tractum, Semigalliam, Lithuaniam, Rigae antistites, & Ensigeri obtinerent.* Verum illi, quum conditiones istas, quamquam aequas, recusarent, neque etiam ignorarent, impares se Valdemaro, ordinem Teutonicum amplexi, in eiusdem per Borussiam magistri potestatem transierunt. Rex per ista in Vandaliam arma movet, atque varia illic loca ad obsequium reducit, Rugiamque ad novum sacramentum adigit. Ac commercia Lubecensium ut deinceps infestaret, CIↃ CCXXXV. Travae amnis ostium utrimque munit [b]. Post haec quies illi aliquantisper fuit; & adspexit CIↃ CCXXXVI. filiorum matrimonia, quorum Abel, quem australis Cimbriae ducem constituerat, ut Adolphi Holsatiae comitis amicitiam compararet, filiam eius Mechthildam uxorem cepit, ac Slesvici nuptias ingenti pompa cele-CIↃ CCXXXVII. bravit. Quod quum ideo factum ab eo videretur, ut maiorem fratrem Ericum, quem a patre in successione regni antelatum ringebatur, soceri adiutus armis, melius invadere posset, atque ipse tum Ericus plane sic existimaret, etiam ille, ut subsidium in hunc casum promtum haberet, Iuditham, Alberti Anhaltini filiam, sive ut alii Saxonis, aut Luneburgici [c], matrimonio sibi iunxit; dispensante, propter consanguinitatem, Gregorio IX. Haec coniugia, quae contracta magno regni detrimento praevidebat, aegre admodum ferebat Valdemarus; maxime autem Abelis cum Mechthilda, docuitque mox eventus, non iniuria doluisse. Per hoc tempus etiam apud Scanoram cum Norvagis dimicatum praelio navali traditur; sed, quae causa belli fuerit, quomodo, aut quamdiu gestum, quando item terminatum, in incerto est [d]. Porro Esthoniam rebellantem, nec CIↃ CCXXXVIII. Pontificis sententiae, a triennio iam latae, adquiescere cupientem, vindicare Valdemarus satagebat, ac parabat etiam classem. Quum magister ordinis Teutonici, Hermannus Falcus [e], cui Ensigeri arma regis, uti dixi, paullo ante metuentes, se subiecerant, capto in Daniam itinere, adiuvante Gulielmo Mutinensium Episcopo [f], & Pontificis Legato, pacem orat, impetratque; & Revaliam, quaeque ad eam pertinebant, item Gerviam, Hariamque, & Virriam reddit; tum promittit, arcem se Revaliensem traditurum, simul arma sua Equites, supellectilemque omnem, atque ceterum commeatum, huc convectum abdu-

plicii nomen hic faciat. & quid isto indicetur, nullus perspicio. Singularis utique & mirus typographi error fuerit, si in manuscripto exemplari Meursii *Simplicium* legerit pro *Gregorio*. An voluit noster referre aliquid, in quo exemplum Simplicii Papae Gregorius imitatus sit? Ego nihil video praeter tenebras.

(a) *Adiuvante Friderico Imperatore*) Vnde Meursius hoc, (vel Svaningius, eius ductor,) de Friderico sumserit, divinare nequeo. Constat quidem, Imperatorem illum anno 1226. Ensigeris, seu Teutonico Ordini, ut vocabatur, amplo diplomate partes quasdam Prussiae, quasi *sub Monarchia Imperii contentas* (sicut verba eius habent,) aliaque privilegia concessisse. Constat etiam, Fridericum litteras emisisse, ad *Reges, Duces, Principes, Marchiones, & universos Christi fideles, Imperio Rom. subiectos*, queis commendat *gentes in Septentrionalibus partibus constitutas, videlicet in Livonia, Escovia* (sic pro *Estonia* legitur) *Prussia, Semigalia*, quas ab infidelitatis errore discedere, & ad veri Dei cultum accedere paratas sub Imperii protectione suscipit, atque ab omni iuris dictione Regum, Ducum &c. eximit, sanciendo, *ut nonnisi Ecclesiae, & Romano Imperio, quemadmodum alii liberi homines Imperii teneantur*. Quae litterae leguntur inter *Epistolas* Petri de Vineis *lib.* 6. *ep.* 30. possuntque, cum nota temporis ibi careant, referri, si lubet ad hunc ann. 1234. Sed quod Imperator ille in controversiis inter Daniae Regem, & Antistitem Rigae, atque Ensigeros arbiter sederit cum Pontifice, nusquam mihi occurrisse memini, sive apud Danicos, sive Livonicos, seu Prussicos Scriptores, veteres, aut novos. De Gregorio PP. IX. res certa, eum in gratiam Episcoporum illarum partium, nec non Fratrum Hospitalis S. Mariae Teutonicorum mandata non pauca, litteras, & privilegia edidisse, de quibus conferatur Odor. Raynaldus in ann. 1232. §. 1. ad *num.* 7. & ann. 1234. *num.* 46. ac demum eumdem Papam anno 1236. iussisse, ut tres Episcopatus in Esthonia, quos Fratres Crucigeri occupaverant, regno Daniae, & Archiepiscopo Lundensi, ad cuius curam illi, utpote a Danis erecti spectabant, restituerentur. Vid. plura in Raynal an. 1236. *num.* 62. *seqq.* &c. Eisdem, quae Hvitfeldius comperta habuit, non solum exacte consonant, sed & lucem addunt, latine expressa a Pontano *pagg.* 317. & 318. Fuit autem Hvitfeldius istarum inprimis rerum, ac iuris Danici in Estoniam, Livoniamque peritissimus, ut qui tempore Friderici, II. Regis, tunc iuvenis, ad negotia, inter nostrates, ac Sveciae, Poloniaeque Reges de Livonia, Estonia, & Curlandia agitata, fuerat cum aliis adhibitus.

(b) *Travae amnis ostium munit*) Alb. Stadensis ad ann. 1234. „ Rex Daciae pro oppressione Lubecensium Travae ostium munit. „ Plura ex aliis excerpere, de re cognitissima, haud opus, Spectant autem huc, quae habet Odor. Raynald. ad eumdem annum *num.* 46. „ Gerebat tum Valdemarus Daniae Rex magno fidelium damno cum Lubecensibus bellum, „ portumque cruce signatis in Livoniam contendentibus, mersis „ in illius faucibus navibus obstruxerat; quae res cum neophytis coelesti lavacro nuper expiatis magno impedimento esset, „ ab illis certior factus Gregorius, Praeposito, Decano, & Cantori Halberstadensibus, Valdemarum monere Pontificio nomine iussit, coeptis abstineret. „

(c) *Aut Luneburgici*] Non Luneburgici, sed Saxonici; nam etsi a variis auctoribus, (qui & Mechtildem, non Iutham vocant,) pater ei adsignetur Albertus cognomento Magnus, Dux Brunsv. & Luneb. filius Ottonis Pueri, nepos Vilhelmi, pronepos Henrici Leonis; adstipulante etiam Rethmeiero *Tom. I. pag.* 512. Attamen omnino fides habenda nostratium auctoritati, quam & plane confirmat coaevus Scriptor Albertus Abbas Stadensis ad annum 1239. *pag.* 213. *Ericus, Rex Daciae iunior, duxit filiam Ducis Alberti de Anehald, die Dionysii in Hamborch.* Nec non alii, videlicet Eric. Pomeranus, cuius haec: *An. Dn.* 1239. *Rex Ericus duxit Iudith, filiam Ducis Saxoniae in uxorem, cum quibus dispensatum est in linea quarta consanguinitatis per Dominum Papam Gregorium*. Chronic. Sialandiae ann. 1239. *Rex Ericus duxit uxorem Iottam filiam Comitis de Saxonia*. Quid? quod variis, optimisque rationibus falsitatis convicit alteram opinionem, de filia Alberti Brunsvicensis, Andreas Hoierus in *Disquisitione* ad calcem *Continuatoris Chronicae Alb. Stadensis pag.* 104.

(d) *In incerto est*] Hacon (s. Haquinus) Haconis filius Sverri Regis nepos, ab anno usque 1218. quo tredecim annos natus, ad regnum patrium, & avitum evectus fuit, multasque per longam annorum seriem molestias a viro praecipue in regno auctoritatis substinuit. Is Skulius vocabatur, a regio sanguine genus ducens, regiisque adfinitatibus innexus, idque tum manifestis studiis, tum occultis agens, ut regnum sibi, suaeque stirpi vindicaret. Idem Skulius anno 1218. aut circiter in Dania fuit, atque a Rege Valdemaro Hafniae exceptus, partem Hallandiae dimidiam in feudum obtinuit. Clandestinas quoque pactiones cum Valdemaro iniisse verisimile est, unde materiem bello, quod anno 1237. inter Danos, & Norvegos erupit, enatam suspicatur Torfaeus *Tom. IV. lib.* 4. *pag.* 207.

(e) *Hermannus Falcus*) Alibi, & quidem saepius vocatur Hermannus *de Balcke*, Magister Provincialis Ordinis Teutonici in Prussia, sub auspiciis Generalis Ordinis Magistri Hermanni de Salza. Vid. Petr. Diusburg. Caspar Schutz, Hartknock, all.

(f) *Gulielmo Mutinensi Episc.*) Huc pertinent litterae Papae Gregorii IX. ad eumdem Guilielmum: „ Fraternitatem tuam rogamus, & hortamur in Domino Iesu Christo, quatenus charissimum in Christo filium nostrum Illustrem Regem Daciae, „ per te, si facultas obtulerit, vel per litteras, & nuncios speciales ad hoc, iuxta scientiam tibi desuper attributam inducas studio diligenti, quod cum praefatis *Fratribus hospitalis*, „ postquam ad partes ipsas pervenerint, sublata cuiusque materia quaestionis, quae sunt pacis, & tranquillitatis, habeat, & „ cos-

CIϽ CCXXXVIII.

abduxissent. Insuper paciscitur quoque, *quidquid deinceps regionum, aut locorum Valdemarus barbaris ereptum iret, id tranquille possideret, sine ulla equitum incursatione; qui auxilium in tutelam tenerentur exhibere, nisi quum in Christianos forte arma sumerentur. In hoc casu, si non Pontifex concedat, liberi forent. Contra item, si quid ipsi umquam barbaris eriperent, sibi haberent; Daniaque ad auxilium itidem obstricta esset. Denique, quam iunctis armis terram hostilem subiugarent, eius duae partes regi, tertia vero illis cederet.* Vtque adfectum in equites suum rex ostenderet, Gerviam donat, ea sola exceptione, *ne munitionem illic, nisi se consentiente, ullam struant.* Lundiensis quoque praesul, adhortante Mutinensi, iurisdictionem omnem Ecclesiasticam, quae in eam Episcopo Esthoniensium competebat, elargitur; rege illud ratum habente. Qui praeterea patrocinium illis suum, ac eorum item rebus, quandocumque usus foret, pollicetur; quaeque nunc decreta essent, sarta tecta habiturum. Etiam promittit de Osilia insula; &, ut certa inter partes deinceps amicitia esset, oblivio praeteritorum constituitur; quique in pacta haec committeret, is Pontificis censurae subiaceret. Ad haec omnia Mutinensis, uti suum quoque in equites beneficium conferret, decimas, quae e provinciis controversis legebantur, Episcopis adsentientibus, ceu legati Pontificii potestate, his remittit. Atque haec Stenbyae acta, die VII. Id. Maii, coram rege, filiisque Erico, Abele, & Christophoro, Archiepiscopo Lundiensi, & Episcopis Mutinensi, Roschildensi, Arhusiensi, Borglumensi, Ioanne etiam Arnfredo, Praedicantium, qui vocantur Monachorum, ac Regnero, & Alberto, Ordinis Dominicani antistitibus; tum comitibus Glicensibus, Alberto, & Ernesto, ac Hermanno quoque Falco, summo Teutonicorum equitum, & Ensingerorum item, per Livoniam, & Borussiam, praefecto. Recepta hunc in modum Esthonia, ac Revalia, territorioque eius universo, rex ingentes copias equitibus mittit, quibus illi Isseburgum in Russia expugnavere, & Torpati tractum totum, eiectis Moschis, suam quoque in potestatem redegerunt; tum Plescoviam, quam Gerpoldus, e dynastis Russiae unus, cum praesidio tenebat, obsidentes, sibi etiam subiecerunt. Et haec gesta sunt auspiciis filiorum regis Abelis, ac Canuti. Per id tempus Adolphus Holsatus, qui *maiorem gratiam deberi sibi a Lubecensibus, quam referrent, quod adversus Valdemarum maximopere adiuvisset,* arbitrabatur, nec *semissem vectigalis, quem parenti pependissent, indulgente Friderico Barbarossa, ullo modo denegandum,* diffidere ab ipsis cepit. Illi autem respondebant: *post victoriam, quam de rege Valdemaro reportaverant, hanc donationem exstinctam, & exemtione item, pridem adeo renovata a Friderico II. Caesare, abolitam esse. Tum, quod beneficium collatum obiiceret, iam Bornholmiensi*[a] *praelio gratiam se retulisse, & auxilia submisisse, quanta ipsi contra regem accepissent.* Quae dum mutua inter se contentione agitantes animis exasperantur, mox in bellum prorupere. Et Adolphus, qui infestum Lubecensibus Valdemarum esse sciret, quod, exsuto eius obsequio, Caesari se subiecissent, inito cum ipso foedere, ac diviso, si fortasse potirentur, urbis inter se obsequio, terra pariter ac mari oppidanos oppugnabat. Valdemarus, & terrestres copias e Cimbria illi submittebat, & navales mari ducens, Travam invectus, ripam utramque, nuper a se communitam, valido praesidio munit. Neque satis illud ratus, ut obstrueret amnis ostium, & commercia impediret, plenas saxis naves mergit; insuper catenis ferreis, ex utraque ripa ductis, ostium claudit. Post haec, classem postquam ipse ad Varnum flumen, hostium consilia exploraturus, reduxisset, dilatare amnis alveum oppidani incepere, ut educere mersas illic naves possent. Inter quae Revalia adveniens classis mercatorum, seu Revaliensium ea, sive Lubecensium erat[b], sive etiam Svecorum plenis velis vento prospero invecta, ruptis magna vi catenis, portum aperit. Quibus navibus auctis Lubecensium viribus, animisque illi suas istis addunt, & in regiam classem mittunt, uno praelio mox devictam. Hinc, consilio mutato, Daniam Valdemarus repetit; & Adolphus, oppugnationis irritus, milite exauctorato, ab obsidione abit.

CIϽ CCXXXIX.

Inde Ericus, regis filiorum maximus, ac rex Daniae designatus, nuptias, de quibus paullo ante dixi, celebravit.

CIϽ CCXL.

Valdemarus, ordinatis universi regni rebus, quum confusam nimium dicendi iuris rationem animadverteret, emendare hanc instituit. Pars enim civili Romanorum iure, tunc promiscue recepto, porro utendum existimabant; alii autem, veteres regni consuetudines, ac statuta item regia, legibus Valdemari I. comprehensa, retineri oportere contendebant. Itaque, consilio certe laudatissimo, ut dissidium istud tolleret, convocato Vortingburgi (c) regni

„ eosdem devotione perpetua sibi constituat obligatos; praesertim „ cum ipsi de castro *Revel*, ut sub eorum dominio semper pacifice teneatur, iuxta providentiam tuam parati sint faciendum „ adsumere, quod tam eis, quam dicto Regi sit congruum, „ & partis utriusque profectibus opportunum &c. Dat. Viterbii „ 3. Idus Maii ann. XI. „ De ista vero quaestione, ac controversia, ad arcem *Revel* spectante, iam ante Raynaldus ad ann. 1236. *num.* 65. haec docuerat: „ Arserat gravissima con„ tentio inter Daniae Regem, *Fratresque militiae Christi*, cuius„ dam arcis *Revaliae* in Livonia sitae occasione; quae quum „ primum a Dano e manibus ethnicorum avulsa, dein in ser„ vitutem hostium recidisset, Religiosi Equites Teutonici, eo „ inscio arcem obsidione cinctam in suam potestatem redigis„ sent, atque adeo eam Daniae Rex, ut sui quondam iuris, „ ab ipsis repeteret, illique occupatam restituere negarent, ad „ ea dissensionum praefocanda semina, Gregorius reddendam „ Dano, expensasque a Fratribus factas refundi, ac firmam in„ ter eos Legati opera pacem coniungi, adstringique iussit, ut „ datae litterae ad Guillelmum Episcopum olim Mutinensem, „ adtestantur. „ Plura huc spectantia, & ex litteris authenticis adducta legi possunt apud Pontanum *pag.* 319. Hvitfeldii verba fideliter exscribentem.

[a] *Bornholmiensi*] Error est, non quidem (ut credo) Meursianus, sed typographicus, pro *Bornehovedensi*. Vid. supra *Col.* 390.

(b) *Sive Lubecensium erat*] Fuisse Lubecensium, propugnat Albertus Crantzius *Daniae lib.* 7. *cap.* 20. & *Vandaliae lib.* 7. *cap.* 12. qui legendus, atque, si placet, conferendus cum Lubecensi Historico Hermanno Cornero, fusissime hoc narrante, *col.* 879.

(c) *Convocato Vortingburgi*] Chronicon Sialand. *pag.* 64. „ Anno 1240. Hoc anno Rex Valdemarus in castro Orthingeburgh „ Le-

CIↃ CCXL.

regni totius senatu, leges Cimbricas, concinnatas opera potissimum Gundii, Viburgensium (a) Episcopi, hodieque usitatas, & in quas iurare reges, quum inaugurantur, solent, omnium consensu sancit. Scanicas, ac Sialandicas, a parente Valdemaro I. latas a Canuto fratre auctas, etiam deinceps ratas esse cupit, quaeque constitutiones veteres adversarentur, eas omnes aboleri, & exsuri igne iubet. Res profecto praeclarissima, & qua una uti maxime regnum obstrinxit, ita summam quoque gloriam reportavit. Inde ad Revaliensem dioecesin ordinandam animum vertit, & Torchillo Episcopo a se electo, quum non ita pridem decimas Vortingburgi tribuisset, mox, profectus Eresburgum, octoginta iugera agrorum (b) donat; aliaque item quadraginta addit ex Vironiae territorio; verum ea ista lege, ut illius loci Episcopo, postea constituendo, sine exceptione ulla redderentur. Tum electionem Episcopi sibi, successoribusque, ceu fundationis iure, propriam deinceps statuit; ac, si forte aliquando contra quidquam tentaretur, se donationem eam velle irritam pronuntiat. Post haec moritur, v. Kalend. Apriles, anno regni quadragesimo, vitae septuagesimo primo (c), & Ringstadii sepelitur. Erat princeps cum amplissimo dominatu, tum victoriis multiplicibus, propter quas Victoriosi cognomentum adquisiverat, nulli antea Daniae regum postponendus. Nam Esthoniam subiugaverat, & Livoniam, Curolandiam, ac Borussiam insuper, & Pomeraniam, ac Megapolin, cum Holsatia, Stormaria, & Dithmarsia, Vagriaque, etiam Lubecam urbem, & Louvvenburgum. Sed hanc tam ingentem gloriam adulterio offuscavit, cuius Deum satis manifestum ultorem est expertus. Quum, rex longe potentissimus, filiusque Valdemarus, iam successor designatus, a Sverinensi comite, qui nequaquam viribus cum illo comparari poterat, suo etiam in regno, ad opprobrium multo maius, astu capitur; & abductus, sub custodia detinetur, nec dimittitur, nisi maximo, quod a nobis antea commemoratum est, liberationis pretio. Nec consilia eius ulla fere inde eventum prosperum habuere, quin in praelio ad Bornholmiam (d), altero amisso oculo, vix evasit.

CIↃ CCX

„ Legem Danicam promulgavit, & eam in libro Danice fecit
„ conscribi, qui liber ita incipit: *Meth. Logb scal man Land*
„ *byggiae*. Hoc autem factum est consentientibus filiis suis, &
„ praesentibus, videlicet Rege Erico, Duce Abel, Domino
„ Christophoro, venerabili etiam Metropolitano Lundensi Vffone
„ cum suffraganeis suis. „

(a) *Gundii, Viburgensis*] Semper nominatur in veteribus scriptis *Gunnerus*, non *Gundius*. Quemadmodum & alter Episcopus, *σύγχρονος*, & cognominis, quique etiam Legum promulgationi adfuit, *Gunnerus* Ripensis. De Viburgensis istius electione laudatum *Chronicon Sialandiae* loquitur ad ann. 1222. *Gunnerus Abbas Carae insulae electus est in Episopum Viburgensem*. Eoque pervenisse constat commendatione Cardinalis de Crescentia, cui olim Parisiis familiaris vixerat, cum studiis ibi daret operam. Apud Valdemarum Regem magno in honore fuit, legationesque obivit varias, inter alias Hispanicam illam, pro sponsa iuniori Valdemaro adducenda. Mortuus demum est anno 1257. secularis propemodum senex, in coenobio Asmildensi prope Viburgum. Haec in vet. Codice MS. de illo habentur consignata.

(b) *Octoginta iugera agrorum*] In diplomate ipso, quod ex Archiviis Regiis produxit, & historiae suae inseruit Hvitfeldius, atque ex eo Pontanus *pag.* 321. legimus *octoginta uncos in Revalia*, hocque, diplomatis sensum Danice subiiciens Hvitfeldius, vertit *Hackeland*. Nam *uncus*, Danice, & German. *en Hacke*. Pariter in seq. *quadraginta uncos*.

(c) *Vitae septuagesimo primo*] Recte, quia natus est anno 1170. quarto Kalend. Iunii, antiquis testantibus annalibus, nec non Pontano *pagg.* 254 & 322. Hvitfeldius enim, (aut, quod credibilius, typographus eius,) erravit, quando eum scripsit natum anno 1177. At certe in anno emortuali ipse parum diligentem se dedit optimus Hvitfeldius. Siquidem illum, relictis tot Annalibus, qui omnes [Stadensem puta, Chronicon Sialandicum, Ericum Pomeranum, tres Annalistas in *Sylloge* Dn. de Ludewig, unum in Benzeliana, Hamsfort &c.] miro consensu dicunt obiisse ann. 1241. iste, solus nostratium alicuius auctoritatis, statuit 1242. Crantzium, ut videtur sequutus, aut forsan *Chronicon* vetus *Danicum* MS., ut ex verbis Hermanni Corneri coniicio, his scilicet: *Anno* 1242. *VVoldemarus Rex Daniae obiit secundum Chronicam Danorum*; quibus consonare video alteram *Chronologiam*, quam medio seculo xv. conscriptam, ex Stephanii apographo edidit Ericus Benzelius. Sed Hvitfeldium, sic errantem, refutavit optimis sane rationibus Pontanus *pag.* 322. ubi & hanc addere potuisset, a die deductam, quae apud plerosque est quinta Calen. Aprilis. Ita enim non solum Albertus Stadensis: *Ann* 1241. *Rex Daniae Valdemarus obiit in Coena Domini, scilicet* v. *Kalend. April.* atque Albericus Monachus: *In Coena Domini Rex Daciae Valdemarus decessit, qui regnavit anno uno minus de quadraginta*; sed & cum auctore *Chronologiae* apud Benzelium *pag.* 86. ipse Hvitfeldius; uterque enim Regem e vita emigrasse dicit v. Cal. April. in ipsa Coena Domini (vernacule *en Skiaer-Torsdag*.) Iam vero Pascha anni 1241. incidit in 31. diem Martii, ergo, Coena Domini eius anni in v. Kalend. April. At sequenti anno 1242. Pascha habemus d. 20. Aprilis, diemque Coenae Domini xv. Kal. Maii. Ex quibus liquido constare puto, quid de Hvitfeldii, & paucorum, quos consentientes is habet, calculo iudicandum. Matthaei Parisiensis fabulis non immorabimur, praesertim quum nihil addere possimus heic diligentiae Pontani.

(d) *Bornholmiam*) Iterum turpe mendum, pro *Bornhoviam*, vel rectius *Bornhovedam*. Bornholmia, insula est Maris Balthici, satis nota, & in Historiis nostris haud incelebris *Bornhoved* autem locus ille in Holsatia, ubi Valdemarus II. infeliciter pugnavit.

HI-

HISTORIAE DANICAE

LIBER II.

In quo res Erici VI., *Abeli*, *Christophori* I. *&* *Erici* VII.

CIↃ CCXLI. RES Danorum, quae erectae hactenus steterant, bello fratrum intestino labefactae cecidere; nam diviso inter filios principatu, quam concordiae causam fore existimabat Valdemarus, odiis dedisse ansam, ac gravissimo inde bello res ostendit. Id portendit & eclipsis quaedam solis, mortem regis Valdemari subsequuta eodem anno, ad tricesimum diem Octobris, adeo ingens, ut meridie quoque ipso circa solem stellae clare adparerent. Rex Ericus, mortuo patre, regnum adiit, annum aetatis quintum & vicesimum agens. Prima illi cura fuit Nordalbingiam, Vagriamque regno Daniae, unde eae avulsae erant, restituere. Quam ad rem quum fratrem Abelum hortaretur, ut coniungere operam vellet, & ulcisci contumeliam, quae, illata pridem patri, ad ipsos etiam pertineret; is, infesto in fratrem animo, & necessitudine adfinitatem multo potiorem habens, cum adversum se ostendit, tum & foedus cum Gerhardo Archiepiscopo Bremensi, Guncelino Sverinensi, aliisque, patris olim hostibus, ferit. Duxerat uxorem Abelus, uti supra a me dictum, filiam Adolphi Holsati; qui, Monastico sumto habitu, filios Abelo suos, tum Lutetiae in Gallia studiorum caussa absentes, commendaverat; itaque supremam soceri voluntatem sibi exsequendam ratus, suam his hereditatem sibi creditam vindicare animum induxit. CIↃ CCXLII. Et in bellum anno proxime insequuto res erupit, incitante etiam Macthilde uxore; initio a Lubecensibus, uti quidam volunt (a), facto Qui in Dania piscaturam dum exercent, comprehensi, ac mox dimissi, postquam domum rediissent, classe raptim comparata, Hafniam, Selandiae Metropolim petunt; atque arcem expugnatam solo aequant, ac Lubecam praeda onusti se recipiunt. Alii tradunt (b), Abelum, subinde ab Erico monitum, *ut officii, quo obstringeretur sibi, atque regno item Daniae, meminisset; ac necessitudinem quoque cogitaret, & paternam ignominiam, qua adfectus pridem ab Adolpho esset, ea siquidem pariter utrumque tangeret, animum, ac vires iungeret*; illum tamen nihilominus, & consilia separasse, & suasisse Lubecensibus, *quando de eorum quoque libertate, quam minutam frater cuperet, ageretur, uti classe ipsa regni penetralia infestarent*: at Ericum, magno exercitu coacto, quum ad promontorium, Coldingae adiacens, Eldenesum adpellatum, copias exposuisset, obvium Abelum sibi habuisse, cum insigni admodum manu, ex Holsatia, ac finitima Germania. Et, quum res in eo esset, ut committeretur praelium, principes Germanos quosdam intercessisse, atque bellum, graviter fratres collisurum, pace facta terminasse. Etenim metuisse ipsos, ne Ericus, si vicisset, & Holsatiam subiugaret, & Adolphi liberis ereptum iret; quum potissimum Otho quoque Luneburgicus & Saxoniae dux Albertus, aliique, arma sua pro Erico collaturi dicerentur. Itaque sic convenisse: *uti fratres mutuo inter se animo deinceps agerent; & e Gallia, ubi tunc commorabantur, duo filii Adolphi vocarentur, regimenque Holsatiae suae ipsi caperent*. Ita constitutam pacem, ac firmatam sacramento, etsi minime constantem, auctores produnt. Ac conciliatis fratribus, principes iidem etiam Guncelinum Sverinensem (c), & Burevinum item Megapolitanum, qui Abeli partes iuverant, in Erici gratiam restituerunt, ea lege: *uti se illius ipsi dederent in clientelam, beneficioque eius principatum quisque suum retinerent, atque ille se patronum his benignum exhiberet*. Ac deinceps certe in fide permansere, quin & filiam Erici Margaretam Burevinus paullo post uxorem accepit, filiosque ex ea sustulit, Henricum, Ericum, & Valdemarum. Post conciliationem ductus pietate Ericus, quum Naschoviae in Lalandia forte ageret, Episcopo Revaliensi censum auget, praecipitque (d), ut ad morem Torpatensis erga subditos se gerat, idque in adventum suum in Esthoniam. CIↃ CCXLIII. Mox duorum Monasteriorum incendia, unum Holmiae in Fionia (e), alterum Roschildiae in Sialandia, iterum accensum iri inter duos fratres bellum, cla-

(a) *Vt quidam volunt*) Crantzius est, qui hoc prodidit *Daniae lib. 7. cap. 21.*

(b) *Alii tradunt Abelem*) Sic Hvitfeldius, domesticas memorias sequutus. Vid. Pontan. *pag.* 326.

(c) *Guncelinum Sverinensem*) Is, quemadmodum recte Meursius dixit *pag. praeced.* in Abelis fuerat partibus, conciliante Gerhardo Archiepisc. Bremensi, amicitiam eius adeptus, quamquam patrem habuerat Henricum illum Comitem Sverinensem, qui Valdemarum II. Regem tenuerat captivum. Nunc autem in gratiam apud Ericum Regem restitutus est. Qua mutabilitate indignationem Bremensium incurrit; sicut patet ex Alberti Stadensis hisce ad ann. 1241. „ Archiepiscopus Bremensis Gerhardus etiam tunc efficaciter ad hoc laboravit, ut „ Dux Abel Comitem Gunzelinum Sverinensem in gratiam „ suam reciperet, cuius antea capitalis fuerat inimicus, quia Regem captivaverat pater eius. Sed idem Gunzelinus huius Ducis gratiam sibi impensam male oblivioni tradidit, quia cum „ Rege Daciae, qui Ducem impie voluit opprimere, eumdem „ Ducem, & Socerum eius Ioannem, Holsatiae Comitem, non „ est postea verecundatus, in quantum potuit, impugnare. „

[d] *Auget, praecipitque*) Duo, quae huc spectant diplomata, ex Archiviis suppeditant Hvitfeld. & Pontan. *pag.* 327.

(e) *Holmiae in Fionia*] Non est Holmia urbis, vel oppidi nomen in Fionia, sed Monasterii rure siti, in loco *Holme* adpellato, *Holme-Closter*.

CIↃ CCXLIII. clare praesignificarunt. Etenim, ducatum Ericus Slesvicensem Daniae regum beneficio obtineri quum contenderet, ideoque fidem obsequii, ac iusiurandum in hoc ipsum postularet, ac negaret id Abelus, & hereditarium sibi a parente datum obtenderet, iterum ad arma ventum est.

CIↃ CCXLIV. Erant sua utrique auxilia, & Ericus Ripae, aut Coldingae agens, inde Cimbriam australem excursionibus infestabat, ac vicissim Abelus Daniam, insulasque obiacentes invadebat. Verum iste quoque motus per vicinos principes non multo post compositus fuit.

CIↃ CCXLV. Vere novo Synodum Othoniae indixit Vffo Archiepiscopus Lundiensis, convocatis regni Daniae Episcopis, & eorum suffraganeis; ac, praeter Othoniensem, cuius dioecesis erat ad conventum hunc electa, advenere Roschildiensis, Viburgensis, Arhusiensis, Borglumensis, Ripensis, Slesvicensis. Accedebat & Ioannes Placentinus, a Pontifice legatus. Hic, quod Leo olim sanxerat, & Gregorius quoque IX. apud Danos itidem valere iusserat, constitutum: *qui per vim Ecclesiae bona occuparet, aut per fraudem interverteret, quive etiam caeremonias contemneret, is ut sacris, nullo etiam respectu dignitatis, atque ordinis, arceretur. Atque hoc diebus festis quibuscumque, per Presbyteros, aut Ecclesiarum antistites, lingua Danica populo proponeretur*. Erant, qui existimarent, hoc decreto etiam notari principes; & Ericum item regem, & Abelum fratrem inprimis; quod, dum mutua inter se exercent odia, multa ipsi, militesque in res sacras commisissent; insuper hominibus ecclesiasticis onera imposuissent, quae quum ferre minime Episcopi possent, neque tamen prohibere, opem tamdem hunc in modum a Pontifice implorasse. Illud constat, post hanc Synodum, quum Roschildiensem Episcopum rex gravissime divexaret (a), ipsum, munere abdicato in Norvagiam, atque inde porro in Galliam, in coenobium Claraevallis, ubi quarto exsilii voluntarii anno (b) diem obiit, secessisse; regem vero, omnes dioeceseos reditus mox in fiscum redegisse. Qua re quum invidiam sibi maximam conciliasset, ei deinde Lundiensis Archiepiscopus etiam sacris interdixit (c). Qui & ipse, indignationem metuens, cum se ei declinandae ad tempus aliquod regno excedens subduxisset, postea revertit tamen, & gratiam recuperavit. Inter ista, quum Concilium Lugduni Galliarum Innocentius IV. Pontifex indixisset, & Ericum quoque regem, ac episcopos regni Daniae advocasset, is, quum bello adversus fratrem iam exorto, nec adesse ipse posset, nec Episcopos item mittere Praepositum illuc Lundiensem (d), & Archidiaconum Arhusiensem, qui & suam, & illorum ibi vicem substinerent, ablegavit. Vbi amoto ab Imperio Friderico, successorem ei Ericum (e), si in Galliam advenisset, con-

(a) *Episcopum Rex gravissime divexaret*) Hvitfeldius nusquam reperiri ait causas tanti inter Regem, & Episcopum Roschildensem dissidii, quae hunc etiam ad effugiendum e regno compulerit. Varias igitur adfert coniecturas, quas & Pontanus repetit *pag* 329. *seq* Verum inopiae monumentorum nostrorum optime in hoc argumento succurrunt Odoricus Raynaldus in *Annalib. Eccles.* atque Lucas Waddingus in *Annal. Ord. Minor.* ad ann. 1246. Audiamus Raynaldum § 36. ex *Actis*, & Innocentii PP. IV. *Epistolis* haec docentem: „ Detulit graviores querelas Sedi Apostolicae Daniae Rex in *Roschildensem* Episcopum (sic corrigendum apud Rayn. mendosum *Robsadensem*.) qui, quum ingentibus ab eo beneficiis, & „ honoribus ornatus esset, atque etiam ipso Regii Sigilli Praefecti munere decoratus, ac regiorum arcanorum, ex summo „ quo cum, complectebatur amore, particeps factus, in hostem „ ac proditorem descivisset; regni, Regisque bona expilasset, & „ cum consanguineis in eum coniurationes conflasset. Quae quum „ in lucem emersissent, urente conscientia sceleris, in alienas, „ ac remotas terras avolarat. Quare Pontifex, ut severitatem „ legum in eum exerceret, Simoni de Alvernia Minoritae causae Episcopi de pluribus sceleribus postulati cognitionem permisit, eaque de re publica acta suo Sigillo munita transmitteret, iussit. „ Hoc mandatum Pontificis, quo Simoni de „ Alvernia inquisitionem istam commisit, exhibet integrum Waddingus ad dict. ann. § 10. novae edit. *Tom. III. pag.* 146.

(b) *Quarto exsilii anno*) Chron. Sialand. ann. 1245. *Nicolaus Episcopus Roschildensis expulsus est*. Idem Chron. ad an. 1249. *Obiit Episcopus Nicolaus apud Claram-Vallem*.

(c) *Etiam sacris interdixit*) Haec ex coniectura Hvitfeldius, admodum quidem probabili, etiamsi interdicti huius nulla manifesta occurrunt in historiis indicia. Contra eodem loco Hvitfeldius Regem cum Archiepiscopo in gratiam rediisse refert, de interdicti vero solutione nihil. Dissensionis, & simultatum haec proditur a nostris causa: Quum Rex, & ministri eius bonis ecclesiasticis passim manus iniicerent, & ecclesiasticos, eorumque colonos vectigalibus gravarent, Vffo Lundensis Archiepiscopus ann. 1245. Synodum contraxit Otheniae in Fionia, cui Episcopi regni adstiterunt, nec non Pontificis Roman. nuncius M. Ioannes de Placentia. Hic Decreto solenni confirmatum, quod olim Leo Papa adversus Ecclesiae praedatores promulgaverat, eos anathematis reos haberi, sicut & illos, quibus Ecclesiae ceremoniae contemtui essent: statutum quoque, ut idem Pontificis Decretum festis omnibus, & in singulis Dioecesium Synodis Danica lingua recitaretur, & publice simul diris devoverentur, cuiuscumque aut status, aut conditionis essent, qui Ecclesiarum immunitatibus vim intulissent, aut earum bona, aut fundos spoliassent. Sufficere quidem haec poterant ad indignationem Regis concitandam. Sed & alia accessisse discimus ex Odor. Raynaldi narratione loco nuper citato. Hac scilicet: „ Expostularat etiam idem „ Rex *Lundensem Archiepiscopum*, cum provincia ei demandata esset, ut *Episcopum Slesvicensem* (sic enim legendum) ad „ praestandum Regi fidei sacramentum Ecclesiasticis censuris adigeret, imperiis supersedisse. Quocirca Innocentius pontificiis „ litteris Lundensem Archiepiscopum, rebellem Praesulem, compellere ad clientis officium deferendum iussit, vel se, cur id „ fieri, vel non deceat, vel non possit, facere certiorem. „ Et haec de Lundensi. Verum & plura inter Regem, & Episcopos regni certamina intercessisse, quum ex iam dictis facile colligitur, tum & ex mandato Pontificis de inquirendo in vitam, & mores Episcopi Otheniensis, sine dubio per Regem Ericum procurato. Repraesentat hoc Waddingus loc. cit. eodem anno, sed fere trimestri serius, ad nominatum supra Simonem de Alvernia scriptum, unde varia accusationis ad Pontificem delatae capita cognoscuntur, primum scilicet, quod Episcopus ille *olim, introducta in Capitulum multitudine laicorum, se a Conventu Monachorum Ecclesiae Otheniensis, post multiplices minas, ac incussos terrores, se ipsum in Episcopum eligi procurasset, electionemque suam per Lundensem Archiepiscopum, licet gnarum, eam de concubinario manifesto per secularem potentiam fuisse minus canonice celebratam curasse confirmari*; deinde quod *salutis suae, & famae prodigus pontificalis modestiae abiecto pudore, focariam publice teneret*; denique quod *diversis criminibus maculatus, subditorum suorum non auderet errata corrigere, iidemque subditi neque ab eo vellent sumere pabulum verbi Dei, nec etiam ipso celebrante Missarum solenniis interesse*.

(d) *Praepositum Lundens. & Archidiaconum*] Praepositi nomen erat *Iacobus Erlandi fil.* Theologiae Doctor; Archidiaconi vero *Magister Petrus*. Horum eruditionem, & prudentiam magnae omnibus admirationi fuisse in Concilio Lugdunensi, scribit Hvitfeldius. Vid. & hic Pontanus.

(e) *Successorem ei Ericum*) Nihil probabilius, quam quod Meursius hoc loco, post Hvitfeldium, & Pontanum, dicit, de proposito Pontificis, Erico Regi, si in Galliam advenisset, coronam Imperialem offerendi. Quidni enim offerret, cum tot alios ad recipiendam hanc dignitatem solicitaret, atque ceteris respuentibus, tamdem unum invenerit Henricum Thuringiae Landgravium, cui obtrusa? Sic enim Alb. Stadensis ad ann. 1245. „ Interea Papa solicitari fecit Principes, quos „ ad Imperium regendum credidit idoneos, ut aliquis eorum „ onus Imperii sumeret, & laborem, promittens ei, quicum- „ que Imperium adsumeret, consilium & auxilium pariter, & „ favorem. Tamdem Heinricus Landgravius, cognomento Raspe, multis evictus precibus Imperium accepit. „ Addatur Matthaeus Paris. qui *pag.* 464. commemorat, Landgravium ele-

CIↃ CCXLV. constituere voluisse Innocentius memoratur. Quod Gregorius quoque IX. (a) ante eum, vivo etiam Valdemaro, &, ob principum diffidia dehortante, animo agitasse traditur. Eo ipso quoque tempore Esthoniae praefectus regius, cum legatis equitum Teutonici ordinis, in Daniam adpellens, nuntiat, Neogardiae Russicae ducem Alexandrum, & Plescoviam occupasse, &, praesidio postquam eam muniisset, nihil amplius conatum, recessisse; nec prudentis arbitrari, hostem ultro ad quietem abeuntem, inconsulte persequendo revocare. Id quum regi, & Abelo probaretur, copias dimittere placuit; militemque Abelus suum illico Slesvicum ducit; & rex legionem unamper Esthoniae [b] limitem distribuendam, ad arcendum, si excurreret forte, hostem, ordinis magistro CIↃ CCXLVI. mittit. Hinc Ericus, qui irascebatur graviter Lubecensibus, quod in bello contra Abelum classe Daniam infestassent, ultionem, quando facta pridem pace minime comprehenderentur, animo agitans, quotquot ex his intra regni sui fines versarentur, manum universis iniici, & abduci in custodiam, atque naves detineri sine exceptione iubet: tum, quo commeatum illis interciperet, missa classe, Travae amnis ostium claudit, & utramque ripam munit. Illi contra, mari Balthico discurrentes, oras Daniae maritimas vehementer infestabant; ac iungebat se Holsatus, copiasque a Bremensi Archiepiscopo auxiliares procurabat. Sed hoc bellum, per inducias compositum, vix desierat, quum sequente CIↃ CCXLVII. rursum anno inchoatum inter fratres est dissidium; nam Ericus cupiebat, ut ducatum Slesvicensem suum Abelus beneficium, velut cliens, non haereditatem haberet: nec Blekingiam Canutus iure alio possideret; nec CIↃ CCXLVIII. Christophorus Flastriam, Lalandiamque: Abelus insuper, qui plus caeteris accepisset, etiam Suineburgo cederet, quod haereditarium erat. Sed respondent universi, se a patre Valdemaro has provincias non ut beneficium quoddam, regno obnoxium, sed haereditatem certam, liberamque accepisse: itaque oratum cupere, ut omitteret controversiam, nec quietem possidentium perturbaret, aut supremam patris sui voluntatem irritam faceret; se paratos, fratri regi cultum omnem, quem debebant, exhibere; mutuamque amicitiam illibatam conservare. Ac, Erico renitente, foedus ineunt, arma parant, & non paucos e nobilitate regni adiutores belli habent. Neque deerant Episcopi, quorum animos male habebat, cum exilium Nicolai, antistitis Roschildiensis, tum redacta in fiscum bona ecclesiastica. Abelus autem, facta in Fioniam impressione, quum Othoniam, urbem insulae primariam, exussisset, atque Suineburgum suum muniisset, obvium Ericum habuit; qui & captum itidem Suineburgum incendit, & Christophoro ereptam Falstriam, Lalandiamque, regno adiecit; ipso pulso, profugoque ad Abelum. Hinc regressus in Blekingiam, etiam illam redigit in potestatem; & Canutum, in Monam insulam deportatum, Stegae includit; qui a Lubecensibus tamen paullo post in libertatem, capta arce, restituitur: atque, ut illi strenue Abeli partes adiuvabant, ita regis e Vandalia Guncelinus, aliique illic principes, in auxilium, quod debebant, advocati: & irruptione facta in Holsatiam, expugnata Oldesloa, spolia opima admodum abduxerunt. Abelus vero, fratres pro-

electioni suae diu obstitisse, naque nisi difficulter manus dedisse, postquam *Dominus Papa confortans eum, & animans, promisisset ei suum, & universalis Ecclesiae patrocinium*. Quidni igitur Pontifex Daniae itidem Regem sollicitarit, Principem Landgravio utique superiorem, multisque nominibus praeferendum, etiam in illo, quod Italia, sedesque ac ditiones Pontificis minus sibi ab eo haberent, quod metuerent. Neque certe opus huc advocare narrationem, quam ex Chronicis MSS. Prussicis adfert Hartknochius in *Animadverss.* ad Petr. de Duisburg *cap.* 36. *pag.* 130. videlicet: „ Ericum „ Regem Daniae, adhuc adolescentem, Lutetiae Parisiorum, „ quum ibidem studiorum causa commoraretur, Senebaldo Ge- „ nuensi familiariter usum esse. Hunc Senebaldum postea ad „ Sedem Pontificalem evectum, & Innocentium IV. vocatum, „ Erico, iam Regi, caput S. Barbarae per Cardinalem quem- „ dam misisse, in capsa, cui inscriptum *Innocentius Pontifex* „ *Maximus fratri ac filio Ergestero* (sic ibi pro Erico) *mu-* „ *nusculum sacrum Divae Virginis Barbarae, ut Regi Catholico* „ *transmisit*. „ Non opus, inquam, hanc, sive fabulam, sive veram relationem adprobandam Innocentii IV. erga Ericum benevolentiam adhibere, quando de Imperatore agebatur, Friderico II. substituendo. Neque enim tanta umquam amicitia esse potuit Parisiis inter adolescentem Regium Ericum ac Cardinalem Sinibaldum, quanta illa fuerat, quae inter eumdem Sinibaldum antequam Papa fieret, & Fridericum Imperatorem viguit. Conf. Sigism. Frid. Hahnii *Histor.* istius Imperatoris *pag.* 172. & loca, quae Vir doctissimus ibidem adduxit; unde etiam videbis, Fridericum sapienter dignoscere potuisse, nihil de favore Innocentii IV. ex amicitia Sinibaldi esse argumentandum. Ceterum pervulgatum, & ubique creditum fuit, Pontifices in omnibus fere regnis quaesivisse, quem in Friderici locum surrogarent. Atque, si Matthaeo Parisiensi credendum, etiam Haconi Norvegiae Regi obtulerunt, quem cordata hac perhibent responsione obferentes delusisse, *se semper velle Ecclesiae inimicos, sed non omnes Papae inimicos impugnare*.

(a) *Quod Gregorius quoque IX.*] Neque desunt de hac re testimonia; quamvis haud prorsus extra dubium sit, utrum Ericus, an frater eius Abel fuerit, cui Imperium obtulerit Gregorius IX. De priore id refert Io. Aventinus in Germanica versione *Annalium* suorum *lib.* 7. *fol.* 462. *b.*, ubi diserte scribit, Ptincipes nonnullos a Papa instigatos, in Conventu Lebussae habito, eligere in Imperatorem constituisse Ericum Regem Valdemari II. filium, patrem autem, qui adhuc in vivis erat, Papae consilio animadverso, filium revocasse, neque voluisse, ad Fridericum II. impugnandum consiliis Pontificis ac Italorum obsecundare. Sed in priore ac Latina editione sua idem Aventinus nullum nomen posuit, uti neque illud de Vademaro patre, sed haec dumtaxat: *Filium deinde Cimbrorum Regis spe imperii adliciunt*. Et paucis interiectis: *Ubi se pares viribus Imperatoris fore existimarunt, Budevissii, oppidum est Bohemiae, convenire, filium Regis Danorum rebus imponere statuunt*. Atque haec acta fuisse memorantur, postquam Fridericus II. confecta expeditione Austriaca, copias ex hibernis eduxisset, in Italiam discedens, sive anno 1237. Quod sane clare perspicitur, textum Aventini consideranti, ita ut mirari satis nequeam, quomodo Goldastus in *Constitutt. Imp. pag.* 197. ac deinde in *Bohem. lib.* 2. *cap.* 6. potuerit ad ann. 1226. referre. Spondanus Goldastum sequitur *Tom. I. pag.* 92. adiiciens sua ex coniectura, quod iste Valdemari II. filius, qui ad Imperium Rom. destinatus fertur, fuerit maximus natu, & patri cognominis; & quod coronatus in Imperatorem non fuerit, ea de causa, quod electioni eius duo tantum Electores interfuissent, Bohemus scilicet, & Palatinus, brevi post & ipsi Friderico reconciliati. Ceterum de Abele, Erici fratre, testatur Albericus Monachus Trium Fontium in *Chronico* ad ann. 1241. *pag.* 577. „ Valdemarus tres filios reliquit, scilicet Regem Ericum, Du- „ cem Abel, & Comitem Christophorum. *Istum Abel voluit* „ *aliquando Papa Regem Alemanniae contra Imperatorem consti-* „ *tuere*: quo recusante, quod non haberet tot ac tanta, quo se „ Imperatori opponeret &c. „ Puto utrumque Scriptorem vera dicere, tam Aventinum, ex vetustioribus scriptis illud de Erico edoctum, (nisi mavelis, quod sine nomine expresso observarat de filio Regis Danorum dictum, coniectura sua ad Ericum traxisse,) quam etiam Albericum. Et quidni diversis temporibus haec per emissarios Papae, [quos Matthaeus Paris. *legatos sophisticos* vocabat,] nostris Principibus proposita? Nempe Abeli serius, & postquam maior frater conditionem abnuisset.

(b) *Estholmiae*) Mendum, pro *Esthoniae*.

CIↃ CC XLVII. profugos secum ducens, Cimbria australi fere universa occupata, Ripam capit, & in ea Eschillum Episcopum, ac domesticos regis aliquot: item duas eius filias, Sophiam, & Ingeburgam; quas abductas in Holsatiam, Segebergae totos noves menses servat. Vetlam insuper, Randerhusiamque exurit, ac vicina quaeque loca populatur. At Ericus, qui Lalandia Christophorum, Flastriaque, iam exuerat, ac Blekingia Canutum, retro flectens in Fioniam, Arreschoviam expugnat; & in Cimbriam porro ducens, Ripam recipit: plurimosque illic nobiles, qui Abelo militabant, comprehendit, & in Sialandiam mittit in custodiam asservandos. Mox ducatum Slesvicensem graviter vexat, & Coldingam, Hadersleviam, Abenradam, aliasque illic urbes, vicos item, atque arces circumiectas pariter igne, & ferro, vastat. Quae utrimque dum aguntur tandem anno exeunte, ad diem duodecimum Kal. mensis Ianuarii pax statuitur; ac captivi, & in his Erici filiae, obsidesque dimittuntur: placuitque demum Erico, uti Petrus, ecclesiae Arhusiensis archidiaconus, eo ipso Episcopatu, quo non ita pridem illum, ob gentilium potentiam, studiumque in Abelum, prohibuerat, potiretur. CIↃ CC XLVIII. Sed non diu pax haec stetit; quippe vere anni proximi denuo bellum inchoatum est, cum ingenti partis utriusque clade. Lubecenses, quique illis foederati, terra pariter marique incursantes, urbem Hafniam incendunt; ac Vandaliae rursum principes, qui Ericum sequebantur, in Holsatiam irrumpunt: sed Abelo illis se obiiciente, & Ioanne, Holsatiae comite, pedem referunt. Quae dum fiunt, rex Ericus agrum Slesvicensem invadit; & Christophorum, cum exercitu occurrentem, caedit, ac captivum abducit; inde opprimit Flensburgum; & iniecto igne, vastat; ac ducatum pene totum populatur. Hinc, duobus captis fratribus [(a)], & ob id nobilitate quoque adversa, ut occurreret invidiae, alteri ex his Christophoro, si redire ad obsequium, ac tueri suas partes animum induceret, reddere libertatem statuit: quin, ut magis eum obstringeret, insulæ Fimbriae praefecturam, nuptiasque Margaretae Pomeranae, filiae Sambirii ducis, pollicetur. Nec difficilis Christophorus accipit conditionem; & in fratris, tam honeste invitantis, partes transit. Inde, quum allatum esset, ab Holsatis conveniri Vapenfeldiae illico Ericus ipse cum Christophoro huc contendit, oppidumque inopinato oppressum evertit, ac nobilium primarios in captivitatem abducit: quibus tamen libertatem, pretio dato, mox restituit. Dum haec fiunt, Lubecenses regni oras infestare, & ingentem praedam abigere, nuntiantur; itaque retro copias ducens, hos ad Oresundam invadit, dissipatque; & onustas spoliis suorum naves quatuor capit. Hinc ad Fimbriam adnavigans, eam, eiectis Holsatis, suam in potestatem redigit, ac Christophoro fratri tradit; & cum ea, ut promissum, antea commemoratum, adimpleret, evocatam e Pomerania filiam Sambirii ducis, Margaretam, nuptiasque magno apparatu celebrat. Per id tempus in Holsatiae ipso limite arcem adhuc Rendesburgum regis nomine cum praesidio tenebat Henricus Meldorpius [(b)]; vir Dithmarsus natione, animo, & manu promptus. Huic clam Ericus mandat, ut Slesvicum, dum Abelum ipse alibi distineret, intercipiat; isque, uti iussus erat, noctu Rendesburgo egressus, cum militibus expeditis, improviso, antequam arma cives caperent, urbem invadit, occupatque. Inerat Abeli filia, quae, dum cuncta miles diripit, quum se aegre aliquandiu occultasset, postea, mutata veste, ac pene nuda, vix evasit. Rex, Slesvicum captum intelligens, eo propere contendit; & eiecto Episcopo Eschillo, atque bonis item eius publicatis, ex arbitrio cuncta statuit, ordinatque. Hic Eschillus & Episcopatum acceperat sine regio consensu; ac, quod maius, a Bremensi Archiepiscopo se inaugurari passus, alium dominum capiendo, multo gravius iram Erici provocaverat: insuper, Abeli etiam partes sequens, perduellem se ostenderat. Abelus, quum Slesvicum urbem amisisset, ut auxilia compararet, ad Gerhardum, Archiepiscopum Bremensem, proficiscitur; qui & copias subministrat, & se comitem expeditionis praebet. Adiuvabat quoque Simon, Episcopus Padebornensis; tum Ioannes, ac Gerhardus. Holsatiae comites, ambo affines; aliique item principes e Saxonia vicina; & qui numquam deseruerant, Lubecenses. Horum ope quum Slesvicum recepisset, Cimbriam quoque totam vastat, & Coldingam valide munit; sed, adveniente Erico cum exercitu ingenti, mox auxilia diffluxere: ac, sororio potissimum Brandeburgo, item Saxone, & Ioanne quoque Holsato, sedulo rem adiutantibus, denuo tandem bellum pace commutatur. Antea illi per legatos, literasque aliquoties id tentaverant; verum, obnitente Erico, & ius suum porro urgente, frustra fuerant. Itaque ipsa Brandeburgici uxor Sophia, quam non recte Iuditham nonnulli dicunt, gravida tum, ac propinqua etiam partui, ut conciliaret fratres, iter in Holsatiam capit; & Flensburgum vix attigerat, quum in partu vitam, ac conatum perdit; nihilominus, qui cum ea venerant consiliarii, a marito ipsi adiuti, ac legati principum quoque aliorum, adiutante rem Vffone, Archiepiscopo Lundiensi, atque regni senatoribus, tamdem in haec capita conventum fuit; *ut ducatum Slesvicensem Abelus*

(a) *Duobus captis fratribus*) Non tam, quod illos coeperat, quam quia durius habebat in vinculis, nobiles aliique cives indignabantur. Pontanus *pag.* 331. „ Videns multorum erga se invidiam flagrare, & nobiles quoque parum sibi esse aequos, „ quod fratrum suorum duobus catenas iniecisset, tertium bello „ persequeretur.

(b) *Henricus Meldorpius*) Huius viri nomen agnoscit Hvitfeldius varie scriptum reperiri; a Crantzio quidem *Meldorpium*, quasi illud esset a Ditmarsia urbe *Meldorp*, sic hodienum appellata, & Henricus iste fertur fuisse e Ditmarsia. Sed in omnibus MSS. Danicis Hvitfeldius repperit cognominatum *Aemeltorp*. Et in Pseudo-Erici Pomerani *Hist. gentis Danor. pag.* 296. Huius dens (sic ibi legendum, pro corrupto *huiusdem*, loquitur enim de dente gigantis Starcatkeri,) per *Henricum Aemaeltorp militem de Dacia in Teutoniam est portatus pro miraculo.* Vnde Pontano suspicio iniecta, de cognomine ipsi imposito ab arce Aemeldorp dicta, quam destruxit postea Rex Ericus Christophori fil. vulgo *Glippingus*. Chron. Sialand. *pag.* 67. ad ann. 1253. vocat *Henricum Haemaeltkorp*.

CIↃ CC XLVIII. *belus Erici beneficio retineret, cum perpetua obligatione obsequii; ac Blekingium Canutus eodem modo possideret: quaeque ereptae utrobique urbes essent, sive arces, aut munitiones aliae, redderentur; insuper, qui in partibus fuerant, & inprimis Lubecenses, comitesque ambo Holsatiae, pace ista fruerentur*. Quam deinceps ratam fore pariter rex, & Abelus mutuo se iuramento obstrinxere: etiam viginti obsides e nobilitate dantes, qui, alterutro turbante, paci addictum iunctis armis tuerentur. Res haec gesta in fine anni; qui, ut pace constituta laetus fuit, sic initium sequentis Sophiae sponsalia exhilararunt. Hanc CIↃ CCXLIX. Ericus, filiarum natu maximam, desponsavit Valdemaro, Sveciae regi; cui nupsit postea anno CIↃ CC LXII. ac sponsalia celebravit Ienecopiae, permagnifico adparatu, & frequentia gentis utriusque summa: dosque dicta, Treleburgum, ac Malmogiatum, quae alia ex paterna haereditate deberentur. Inde Ericus, quum Roschildiam regni proceres convocasset, aperit consilium suum de Esthonia invisenda: *etenim religionem ibi propagandam esse; tum negotia item alia pertractanda; insuper, curandum quoque, uti loca, a maioribus occupata, quo in fide melius retineantur, amplius communirentur; neque sibi committendum, uti sua negligentia hostium in potestatem ea aliquando redeant. Praeter haec & disceptandas subditorum controversias, longo tempore agitatas: siquidem tricesimus iam annus esset, ex quo pater Valdemarus rebus inde ordinatis rediisset: qui constituisset tamen, id quotannis faciendum; & in hanc rem a Pontifice crucem albam* (a), *quae nunc inter regni insignia conspicitur, accepisse: ideoque haud parum item isto nomine se teneri. Qua de causa; quum id plane decrevisset, vacuo per bella intestina aerario, postulare, uti sibi in negotio, plane sancto pariter, & necessario, extra ordinem, nummum unum ex aratro unoquoque concedentes, subvenirent*. Faciles petitioni huic regis proceres se praebuere; verum plebs tumultuata; & Episcopi, quamquam id largito antea, adiuvandae pietati, Innocentio Pontifice (b), ea-

gre partem decimarum ecclesiasticarum quartam permisere; ac, quum recusare ipsi non auderent, plebem clanculum ad obsequium, & tributum denegandum concitarunt: quae & regem per contemptum Plocpenningum (c), ceu Aratri-nummum dicas, adpellabat. Itaque quaestores regii, quum in Scaniam ad tributum exigendum accessissent, pessime ab illo habiti, vix proterviam evaserunt; quin & rex, quum, his acceptis, ocyus ipse traiecisset, Lundiamque ingressus esset, aliquid maiestatem suam ad tumultum componendum valituram arbitratus, itidem proterve exceptus, se periculo subducere, clanculumque Elsingburgum petere coactus fuit. Sed nec illic stetit furor; nam & obsedere eum, & redigere in potestatem voluere: quum, per noctem clam elapsus, in adversam Sialandiam vix evasit. Qua re ipsi intellecta, obsidionem omisere; ac cum magnis copiis mox revertenti occurrentes, acri praelio decertant: quo inferiores facti, Lundiam, ubi rex conventum indicebat, quosdam e suis mittere iussi; mox tributum, & argenti quindecim selibrarum millia, mulctae nomine imperata, pollicentur. Inde rex cum iusta classe, copiisque in Esthoniam proficiscitur: quo cum postea appulisset, ad res omnes ordinandas animum vertens, leges condit; quibus pariter ecclesiae, atque urbes uterentur; tum nobilitatem quoque loci vocans, fidem poscit, & in illam iusiurandum. Hinc signatis cruce mandat per Borussiam. *ut Esthoniam, quaeque in Livonia ipse possideret, suae deinceps curae, ac tutelae, traderent*. Ad quae illi respondere; *gnarum sibi, nihil iuris in Esthoniam se habere, nec praetendere item quicquam: quod Livoniam attineret, quae ipsius illic essent, ea itidem permittere; dum adversus barbaros haec tueatur: ac provideat, ne quid orbis Christianus detrimenti istic capiat*. Ordinatis ita rebus, quum in Russiam rex ducturus putaretur, nocte quadam astitisse dormienti Venceslaus (d) memoratur, dux Bohemiae; quem Bohemi a fratre Boleslao Saevo interfectum, ob virtutem, inter sanctos

(a) *A Pontifice crucem albam*) Vexillum scil. rubrum, cum intexta cruce alba. Submissum Valdemaro II. fuisse ab Innocentio Pp. III. existimavit Hvitfeldius; recte, ut propemodum mihi persuasum; exemplaque eiusmodi plura occurrunt in istius Papae *Gestis* vid. *pag.* 36. §. 74. Et *pag.* 71. §. 112. Integrae epistolae adferuntur vexilla ista describentes, quamvis non eadem simplici forma, qua est nostrum. Si quam vero epistolam simul cum vexillo Papa ad Valdemarum miserit, hanc periisse, cum tot nostris illius aevi monumentis, cum tot etiam integris Innocentii Epistolarum voluminibus, nihil mirum. Nisi additum fortassis labarum fuerit illis litteris, quae leguntur *libro XIII. num.* 65. sic exorsae: „ Illustri Regi Danorum; Quod orthodoxae fidei zelo succensus, ad laudem „ Divini nominis, & Christianae religionis honorem, signo „ crucis assumpto, ad reprimendam feritatem incredulae nationis, Regalis exercere decrevisti gladium potestatis, pium devotionis propositum in Domino commendamus &c. Dat. Laterani Nonis Maii Pontificatus ann. 13. „ Interim haud omisit Hvitfeldius suo loco, hoc est, ad ann. 1219. quo Valdemarus luculentam illam victoriam in Livonia reportavit, vetus illud, & pium (si ita fas loqui) commentum referre, de vexillo nostro. Pontanus eo loco (*pag.* 307.) admodum circumspecte loquitur: „ Hanc etiam, inquit, ob causam, quod idem „ Rex (Valdemarus II.) Christi fidem ad ultimos hos Livoniae, atque Esthonum populos propagarit, ostentant etiamnum „ regni insignia in signo rubeo crucem candidam, nec aliunde est, „ quod Esthiorum titulus Daniae Regibus iam olim est attributus. Vexillum vero, de quo dictum *Danebroga* inde est nominatum, ac magna semper religione, veluti regni Palladium „ aliquod custoditum. - - - An vero vexillum idem coelo, „ ut memorabimus, dimissum sit, an vero a Pontifice Rom. „ ut Regis studium excitaret, loco *Cruciatae*, quemadmodum „ id temporis vocabant, submissum, disputare hoc loco non est „ animus. „ Ceterum nota satis, quae eodem de argumento olim est commentatus Thomas Bartholinus senior, cui si maiorem illius exornandi, quam severiore pensandi trutina, adfuisse curam dixeris, nihil a vero aberrabis.

(b) *Largito - - Innocentio Pontif.*) Indulserat hoc Papa Regi ad bellum sacrum in Esthonia gerendum de quo sic legimus apud Odor. Raynald. ad ann. 1245. §. 92. „ Protendit etiam curas suas „ Apostolicas Innocentius ad defendendum contra ingruentes ethnicos barbaros Estoniam; eximiumque Daniae Regis zelum, „ qui ad eam provinciam ab ethnicorum grassationibus, ac servitute vindicandam arma corripuerat, collaudavit, adiecit animos, atque ad substinendos sacri belli sumptus tertiam Lundensis „ provinciae decimarum partem in triennium concessit. Lundensi „ vero Archiepiscopo provinciam tradidit fideles ad capessenda „ arma Christiani nominis tuendi gratia pio ardore lacesseret. - - - „ Ne quis porro in Dania turbas excitaret, dum sacro bello „ Rex esset implicitus, Danum in B. Petri clientelam accepit, „ Lundensique Archiepiscopo, & ceteris Praesulibus, ut tuendae „ eius dignitati comprimendisque novarum rerum cupidis, coniurationibusque elidendis incumberent, partes dedit. „

(c) *Plochpenningum*] Rescribendum: *Plog-penningum*. Nam *Plog* nostris aratrum, Germanis *Pflug*.

(d) *Dormienti Venceslaus*), Historici Bohemi alio modo visionem nar-

CIↃ CC XLIX.

ctos tunc colebant: ille autem, fratris nomine compellatum, bonum habere animum iuſſit; nam ſe Venceslaum eſſe, quem colendum ſibi deinceps conſtitueret; ideoque acceſſiſſe, ut moneret, ſicuti a fratre ſuo e medio ſublatus eſſet, ita fore, ut & ipſe tolleretur: Cupere vero, uti ſibi monaſterium illic conderet; & Ericus, mox e ſomno excitatus, viſum animo reputabat; ac, quum id Epiſcopis expoſuiſſet, quiſnam eſſet Venceslaus inquirebat; quibus & virtutem viri, atque caedem referentibus, ſibi quoque metuendum ab Abelo fratre ſtatuit; & Padiſium coenobium, quod mandaverat, ſine mora ad Revaliam condi iubet. Sed incoeptum, haud exſtruxit, prohibentibus negotiis, quae in Daniam revocabant; ac reverſus, III. Id. Septembris dat diploma, quo teſtatur: *ſe largiri Epiſcopo Revalienſi octoginta agri iugera* (a); *eaque e ſeptem villis, urbi proxime adiacentibus: tum & alia quadringenta in Vironia: quae Vironienſi Epiſcopo, poſtea conſtituendo; ſine ulla contradictione traderet*. Inter ea, quae Ericum ab Eſthonia revocabant, maximum erat Rendesburgum, quod Holſati, ceu ex nuper conſtitutae pacis lege, quae iubebat ſuum unicuique reddere, repetebant. Verum recuſare Ericus; *& negare, ea lege, quae ſuperiore tantum bello capta intelligebat, ſe teneri; illud autem, multo ante a Canuto rege,*

CIↃ CCL.

patruo, Daniae adiectum eſſe. Et, utrinque in ſententia perſiſtentibus, denuo bellum eſt inceptum; in quo quum Epiſcopi (b), Paderbornenſis, & Bremenſis, uti etiam Lubecenſes, pro Holſatis arma ferrent, Abelus, ceu in aliena controverſia, pacis ſtudium ſimulabat. Ac iam praeceps aeſtas erat, quum Holſati obſidere arcem parant, quam Meldorpius tuebatur; & Ericus ad auxilium accurrebat: ubi eam liberaſſet, ducere in Friſios certus; & exigere illic cenſum, per ſuperiora bella denegatum. Inde autem in Dithmarſos cogitabat, qui, tranſgreſſi ad Bremenſem, ſe obſequio ſubtraxerant; quumque ad munitionem Danevvircam, ceu *Danorum opus* (c) dicas, perveniſſet, ac poſtridie praelium conſtituiſſet, ad Abelum e propinquo interviſere, proximamque apud eum noctem agere, animum inducit; &, quantumvis ſemper viſum, quod obiectum in Eſthonia retuli, obverſaretur, tamen, fratri iam conciliato fidens, fato impellente, pergit; & Abelus venientem, vultu ad benevolentiam comparato, blande excipit. Inter coenam, *queritur, invitum ſe in bellum trahi: & optare, quicquid vitae ſupereſſet, id in pace potius agere, atque a ſanguine Chriſtiano effundendo deinceps abſtinere poſſe; itaque rogatum cupere, ut ſe arbitrum controverſiae componendae interponeret; & affines ad colendam porro ſecum amicitiam hortaretur. Id ſe cupere enixe, & diſcedere ab armis, quae invitus accepiſſet*, Ac promittit operam Abelus ſuam; &, finita inde coena, ad latrunculos invitat, cum Hermanno Kerckveidero, aulae ſuae ſectatore, ſceleris patrandi gnaro. Hinc, provectiore nocte, litem incipit; & expoſtulat, de illatis bello praecedente damnis; tum improperat, *quod, Slesvico occupato, filiam praefectus eo redegiſſet, ut & occultare ſeſe inter virgines plebeias aliquandiu cogeretur; & mox vili induta amiculo pedibus diſcalceatis vix evaderet*. Ad quae quum Ericus diceret, *ne tam iracunde ageret; etenim, per Dei gratiam, eſſe ſibi, unde filiae calceorum pretium repraeſentaret: atqui*, inquit, *non hoc volo, ſed efficiam, ne deinceps tale aliquid admittas*. Inde, comprehendi iuſſus, in conclave quoddam abducitur, atque illinc mox in cymbam, a Tychone quodam Boſtio, Abeli cubiculario. Qui vix ſolverat, quum Lago Gutmundus ſequitur, eques Danus, ſed Erico infeſtiſſimus, profugusque ad Abelum. Hic, quum ſequuturus eſſet, ex Abelo percunctatur, *quid Erico factum velit*: atque eo reſpondente, *Ageret, quod videretur*; alia conſcenſa cymba, praecedentem in Sliae amnis freto aſſequitur. Rex, quum cymbam inſequentium, & ad properandum voces exhortantium, exaudiret, ex praeſentibus, ecquem ſequi exiſtimarent, quaeſiviſſe memoratur: ac, quum hi Lagonem dicerent, quem ſciebat admodum infenſum ſibi; *quaeſo*, inquit, *facite copiam ſacerdotis, cui me ſupremum expiem: etenim, ut mortem evadam, fieri non poſſe video*. Simul Lago, cymbam applicans; *Nunc, Erice, moriendum tibi puta*; & is, ſtatim advocato e propinquo ſacerdote, animaeque cura habita circumſtantibus; *Minime*, inquit, *ignorabam, mortem mihi ab Abelo impendere; verum, eum adeo feſtinaturum, nullo modo arbitrabar; equidem, ob peccata mea non iniuria nunc morior: ſed nec ille, niſi ſcelus tempeſtiva poenitentia emendaverit, meliorem vitae finem eſt habiturus*. Quibus dictis, eum Lago gladio feriri iubet; ac cadaver, ſicut erat ferro onuſtum, addita ſaxorum mole, quo demergeretur magis, ſtatim in ſubiectum Sliam praeceps dari. Id patratum ea nocte, quae praeceſſit diem decimum Auguſti; ac bimeſtre fere tempus (d) prae-

narrant, & ad alia multoque vetuſtiora tempora referunt; ſcilicet eadem nocte, qua S. Venceslaus a fratre eſt peremtus, Ericum Daniae Regem per quietem vidiſſe Chriſti cruci adfixi ſimulacrum, ex quo Chriſtus loquens iuſſerit, uti templum honori S. Venceslai, qui eo die coelum ingrederetur, Rex voveret, ſi victoriam de Britannis conſequi vellet. Ita Pulkava, Hagecius, multique alii. Sed quum Venceslai caedes facta ſit ann. Chr. 938. quo nullus in Dania Ericus Rex habetur, exiſtimavit, hoc animadverſo incommodo, recentior hiſtoricus Balbinus, poſſe viſionem ad Haraldum Regem, aut Svenonem eius filium referri; faſſus interim, Dubravium in hiſtoria enarranda, cautiſſime Regis Daniae nomen omiſiſſe. Atque poſt haec diſputata, ipſe tandem Balbinus ad aliud viſum ſe confert, Erico noſtro, Valdemari II. filio ann. 1250. obiectum; quod verbis Crantzii commemorat: opinaturque homines Chronologiae incurioſos, duo coeleſtia viſa confundentes, nomen Erici ex poſteriori deſumſiſſe. Denique invento, circa id ipſum tempus, quo S. Venceslaus occiſus, in Svecia Erico Rege, parum dubitat, errorem nomen ipſius peperiſſe. Vid. Balbin *Epit. Rer. Bohem. pagg.* 38. & 40. Petr. Dusburg *cap.* 66 *pag.* 167 Chron Belg. *pag.* 78. Bzov. ad an. 1257. §. 5. &c.

(a) 80. *agri iugera*,] Poſt in hoc diplomate, ſicut de ſuperioribus adnotatum, *octoginta uncos*.

(b) *In quo cum Epiſcopi*] Albertus Stadenſis ad an. 1250. „ Ioannes Comes auxilio Bremenſis Archiepiſcopi, & avunculi ſui „ Simonis, Padeburnenſis Epiſcopi, expeditionem verſus Daciam „ in maximo exercitu circa Auguſtum ordinavit, caſtro in Reinoldesborch, quod Rex firmiſſimum fecerat, & viris ſtrenuis „ munierat forti obſidione primitus oppugnato. „

(c) *Danevvircam, ſive Danorum opus*] Rectius: *Danorum vallum*. Vid. quae ſupra ad hiſtoriam Haraldi Germanidae *pag.* 48. *b*. adnotavimus.

(d) *Ac bimeſtre fere tempus*] Sic & plerique veterum, inſuper adiicientes, cadaver ſupernatans, vel ſuper undas fluitans, quamvis

CIↃ CCL. praeterierat, quum cadaver caesi emergit, & natare in amne incipit, capite cervici suae è pellicula adhaerente: quae res parricidium prodidit; nam facinoris pudore Abelus ductus, falso in vulgus rumore spargi iusserat, traiecturum multa nocte ad exercitum, quum in scapham temere plures insilirent, ea eversa, periisse. Ferunt regem, iam cervicem percursori praebiturum, inquirenti nomine Abeli cuidam, *Vbinam thesaurum haberet*, respondisse: *eum se in cista quadam, ferro valide munita, in coenobio Roschildiensi, quod Minorum Fratrum dicerent, abdidisse, & inventum illic iri*. Idque creditum Abelo; quod Ericus & fundasset hoc coenobium, & reditibus plurimis locupletasset. Verum, ea mox aperta, nil inventum, praeter vestem monachalem, in qua sepeliri se omnino velle in apposita illic scheda testabatur. Ea autem scripta erat (a), & sigillo quoque ipsius confirmata, anno CIↃ CC XLI. ipsis Nonis mensis Iunii, coram coniuge regina, & in id consentiente; ac Vlrico, eius loci coenobita; & Petro, sacerdote suo. Sic Abelus, post Ericum summo scelere interfectum, pro thesauro, quem speraverat ingentem, nihil repperit, praeter vestem, quam iam dixi, monachalem; ac sepulcro destinatam; nam aerarium, per tot bella, & munificentiam summam, erat certe adeo exenuatum, ut pecuniae signatae, praeter selibras quadraginta, aureosque item duos, nil Abelus inveniret; verum opes facile contemnere poterat, qui mox, nimium parricidii sui praemium, regnum accepit; quod haud diu tamen tenuit: uti solent, qui quid male paravere. Neque defuit percussoribus ultor Deus; quippe Lago, cum corona regia Abeli profugus aliaque suppellectile pretiosa, ab Holsatis interfectus, vitam, admodum sceleratam, misere finiit. Kerckvveiderum, dum venatur, rusticus quidam obtruncavit. Aderant Abelo item duo Episcopi; sceleris, ut ferebatur, incentores. Ex his etiam Iacobus Othoniensis, ab Erico pridem in exilium actus, haud multo post moerore animi, ex facinoris conscientia, diem obiit: & Eschillus, Slesvicensis, per Abelum paulo ante ab exilio revocatus, a Gerhardo Holsatico captus, & inclusus Segebergae, vitam illic ipsa morte tristiorem deinceps egit (b). Denique & ipse Abelus, postquam regnum haud biennium tenuisset, ab incondita rusticorum multitudine plurimis vulneribus confossus cecidit; avibusque aliquandiu insepultus esca fuit. Erici corpus fluitans, a monachis in terram attractum, in aedicula monasterii propere sepultum fuit; sed mox, ubi id innotuit, Slesvicum adduci iussum ab Abelo, ibi in S. Petri aede tumulatum; inde, post excessum eius, a Christophoro successore in Selandiam translatum est: & Ringhstadii, digno rege apparatu, inter caetera regum monumenta conditum. Erat princeps, in quo plurima praedicares (c); probitate, & iustitia in subiectos, iuxta clarus: odiumque, & invidiam apud plures, quis invisae leges erant, comparaverat. Bis Imperio destinatus, nisi & consilium patris, & fortuna quoque sua tenuisset; in ordinem coegit fratres: quique summum in terris suis dominatum affectabant, fecit, uti sat haberent, si clientes regni essent. Filios habuit, in aetate prima mortuos, Christophorum, & Canutum; filias quatuor, Agnetam, Sophiam, Ingeburgam, Iudithamque; quarum Agneta, virginum coenobium Roschildiae condidit, divae sui nominis sacrum, in quo ipsa etiam aetatem exegit. Sophia, Svechorum regi, Valdemaro; Ingeburga, filio Haquini magno, Norvagiae regi nupta fuit. Iuditha vero, apud Agnetam aliquandiu commorata, quum in Sveciam ad sororem Sophiam se contulisset, ipso stuprum offerente Valdemaro, pudicitiam amisit; filiamque, suo nomine adpellatam [d], est enixa. CIↃ CCL.

ABE-

vis ferro oneratum esset, inventum. Sed ultimum hoc omittit Chronicon Sialandiae *pag.* 66 „ Transactis vero aliquantis hebdomadis a piscatoribus inventus ad civitatem adducitur, & in ecclesiola monialium sepultus est. „ Anonymus vero auctor *Genealogiae Regum Daniae*, quam ad calcem Svenonis Aggonis edidit Stephanius *pag.* 212. cadaver statim altero die repertum dicit „ Altera autem die, quae miserandae neci fuit proxima, „ piscatores pro opere suo in eundem locum devenientes, & „ retia sua in capturam piscium laxantes, trahebant ad littus maris Martyris venerabilis venerabile corpus. Et cum animi admiratione intuentes, tum caput a corpore avulsum, tum corpus a „ capite separatum, haesitabant prae pavore quid dicerent „ &c. Qui idem auctor fusissimus omnium in tragica hac narratione persequenda. Albert. Stadensis *fol.* 221. *b* & Chron. Archiep. Bremens. *pag.* 112. „ Non multum post corpus inventum est *a Praedicatoribus*, ipso ferro onustum, & capite adhuc ad collum pendente. Sepelierunt eum Praedicatores in Ecclesia sua Slesvic. Postea frater eius Abel fecit, eum extumulari; & ibidem in nova „ Monialium Ecclesia sepeliri. „ Heic autem prius illud, *a praedicatoribus* omnino arbitror vitiose lectum, pro *a piscatoribus*; facili in MSS. veteribus errore. Plura legantur in Broderi Boissen. *Chron. Slesvic.* (Menckenii *Tom. III.* pag. 592. *s.*) Sed Matthaeus Parisiens. plerumque nostris in rebus nimis fabulosus, *pag.* 814. *edit. Londin.* „ Abel fratrem suum nequiter, & proditiose interfecit, & proiecit in mare interfectum. Mare autem „ ter reiecit ad aridam cadaver. Inhumanus autem Abel inhumatum volens esse corpus, illud remotius fecit proiici, & demergi in profundo. Sed adhuc proiectum est corpus Regis „ innocentis ad littus, quo ante, Deo sic disponente, proiiciebatur. Corpus igitur fratres *Minores*, qui illud postulaverant, „ in Ecclesia sua honorifice sepulturae tradiderunt, ubi Deus supplicatus, miraculorum praestat beneficia. „ Haec ille.

(a) *Ea enim scripta erat*] Ex Hvitfeldio totam, ut scripta erat, repraesentat Pontanus *pag.* 336.

(b) *Deinceps egit*] Ne quidem ministro sceleris, sive servo, qui Legonis praeceptum in obtruncando Rege exsecutus est, Divinam Nemesim pepercisse, vult Anonymus *Geneal. Regum Dan.* auctor supra citatus, *pag.* 217. subiiciens haec: „ Qui autem „ scelestis manibus rem perfecit nefandam, apud civitatem Coloniensem in rota poenali contritus, corpus montibus, animam „ autem poenis infernalibus miserabiliter transmisit perpetuo cruciandam. „

(c) *In quo plurima praedicares*] Auctor Anonymus Stephanianus *pag.* 209, „ Ericus regni libere nactus habenas, potestatem „ Regiam honestis decoravit moribus, suis benevolus, & adversarius terribilis. Postea *pag.* 216. idem auctor: „ licet in aetate iuvenali constitutus, vanus fuerit, & lubricus, & seculo, „ tamquam delicatus, non modice deditus; peccata tamen sua „ abolita, propter probrosae mortis amaritudinem, & veram cordis, de qua superius diximus contritionem, crebra testantur „ miracula, quae fiunt ad tumulos ipsius, ubi videlicet primo „ sepultus est, & in loco, ad quem post aliquod tempus translatus est, in loco etiam, ubi Deo donante nunc requiescit. „ Nam supersunt multi testes veridici, qui ad gloriosam eiusdem corporis glebam viderunt coecos receptis luminibus clare „ videre, deformiter contractos, usu gradiendi recepto, firmiter ambulare, surdos audire, & mutos loqui, mortuos insuper „ resuscitari. „ De miraculis neque tacet *Chronici Sialandici* auctor, sed parcior est, nullaque eiusmodi enumeratione utitur. *pag.* 67. vid. & Boissen. *l. c.*

(d) *Filiam suo nomine adpellatam*] Sic nempe *Iuditha* dicta fuerit. Sed Pontanus filiae isti ex incestu genitae nomen *Sophiae* imponit. Hvitfeldius, & Svecorum historici, filium fuisse perhibent, & quidem *Ericum* adpellatum. Quid? quod Messenius addit, materteram, Reginam Norvegiae, eundem suscepisse educandum, matre carceri adiudicata: *Chronol. Scondic. T.* 2. ad ann. 1273.

CIↃ CCL.

ABELVS

igitur, fratre Erico per infandum scelus caeso regnum occupat; quippe ille, nullos liberos reliquerat; & hic fratrum natu maximus, regno proximus censebatur. Insuper metuebatur, si excluderetur forte, quod meruerat parricidio, ne ducatum Slesvicensem, quem tenebat, separaret; atque regni maiestatem, hoc detracto, vehementer imminueret. Etiam in ipso regno, in Sialandia, Scelfiscoram; in Fionia, Svineburgum, iure haeredis possidebat; quae coniungi ea ratione iterum regno posse videbantur. Arces item, oppidaque, quae utrinque capta essent, ita restitutum iri sperabantur. Denique, quum sibi Holsatos vinculo affinitatis coniunxisset, & externos regno hostes concitasset, nemo bello componendo magis aptus credebatur; ac praeterea datis ad senatum literis, causam ipse suam agere, & de multis fratrem Ericum accusare; tum testari, illum nullo suo scelere, verum casu pluribus in scapham eius temere insilientibus, periisse. Haec quum reputarent proceres, regem sibi necessarium potius, quam dignum, creant, ipsis Novembris Kalendis. Quod dum agitant; ille, ut facilius electionem impetraret, a Bremensi ac Padebornensi Episcopis, & comitibus item Holsatiae, postulat, uti discedant Rendesburgo, quod obsidione cinxerant, & ad se Holsatiae comites pertinere contendebant; Atque isti, qui hunc maxime regem vellent, ut negotium inchoatum promoverent, haud gravate ab obsidione abeunt, ac duodecim ordinis equestris viris controversiam permittunt. Abelus autem, simul rex electus esset, viros ex equestri ordine, maximae auctoritatis, numero viginti quatuor, sibi adsciscit: & his iuramento affirmat, nullo modo a se fratris caedem imperatam esse; sed ignaro, & invito perpetratam. Hinc, comitia Roschildiae ad natalem Christi habens, fidem procerum sibi iuramento obstringit; & iisdem sua quoque privilegia, & immunitates, firmat; ac insignia regni accipit ab Vffone, Archiepiscopo Lundiensi; tum indulget multa urbibus, ac coenobiis; & imprimis Ebeltoftae [a], & Esrumo, in Sialandia: quae in usum, pridem abrogata, revocat. Vehae etiam, in Scania, ordinat tributum suum, pro agrorum ratione; ac Roschildiae dum moratur, in depositum Erici, quod is in minorum fratrum monasterio reliquisse se Lagoni percunctanti verbis ultimis responderat, dicitur inquisivisse: atque cistam quidem illic invenisse, bene ferro communitam, & in ea pro thesauro vestem quandam monachalem, cum adposita illi charta, qua se sepeliri velle in hac ipsa, vita functum, testabatur. Itaque delusus, doluit; magis etiam, quod interfecisset fratrem; quem & regno ipsi cedere, & in veste monachali vitam agere statuisse deprehenderet. Auxit hunc dolorem casus alius, mox subsequutus; Deo regnum, parricidio paratum, ipso statim in principio fat aperte castigante. Valdemarum, filium suum, quem Lutetiam studiorum causa [b] miserat, quum sub illud forte tempus revocasset, ut ducatum Slesvicensem, quem Christophorus tunc frater ambiebat, illi traderet; isque iam in reditu esset, & Coloniam advenisset, manum iniicit Archiepiscopus, detinetque, una cum Trugillo Vittio, quem addiderat inspectorem; nec dimittitur, nisi exacto quadriennio, ipso iam a Frisiis caeso, liberationem eius procurante Ioanne Holsato. Praeter filium, quem e Gallia, uti dixi infeliciter revocaverat, Eschillum quoque, Slesvicensium Episcopum, ex Italia, quo profugerat, ab Erico pridem eiectus, quod impense partibus eius studuisset, illico redire iubet: ac, quum mox reversus esset, admodum benigne excipit, pristinumque locum reddit. Evocat etiam Slesvico Henricum Meldorpium; qui & oppidum occupaverat pro Erico, & Eschillum eius item iussu eiecerat. Sed is, sibi ob haec metuens literas prius commeatus, & stipendium militibus, quod iam pridem debebatur, dari petit; atque literas quidem ipsi statim mittit; de stipendio, quod exhaustum aerarium esset, sic paciscitur; uti ei Suineburgum in Fionia velut pignus traderetur; parsque aliqua anno proximo solveretur, atque, nisi istud fieret, adderetur Scelfiscora [c] in Sialandia; & utroque eo oppido, quo ad debitum universum accepisset, potiretur. Vt vero conciliaret sibi populi favorem, priscam regni consuetudinem, ipsi gratam, sed per bella diuturna exoletam, revocare apud animum constituit: Ea erat, ut comitia Neoburgi, in Fionia, oppido ad Balthim sito, veluti in ipso Daniae meditullio, quo tantundem undecumque universis viae esset, anno unoquoque tertio, sine mora ulteriore, haberentur; itaque comitia indicit illic; proceresque, ad consilia de republica capienda eo vocat. Quae dum agit, leges condit, ad communem regni pacem confirmandam pertinentes: quae relatae inter Cimbricas, etiamnum in earum codice reperiuntur. Statuit quoque, ut Lalandiam Christophorus, Flastriamque. quam utramque pater Valdemarus dederat, porro item possideret; Fimbriam vero, Holsatiae comitibus redderet: tum Canutus praefecturas ut reciperet, ac Belkingiam, caeteraque, ad id tem-

CIↃ CCLI.

(a) *Ebeltoftae*] Error hic ex Hvitfeldii opere in Pontani, & Meursii historias derivatus. Apud Hvitfeldium vix ambigam, pro errore typographico habere, quamvis in erratorum indice praetermissus sit. Nam vix potuit fieri, ut tanta rerum nostrarum notitia vir instructus de *Ebeltofta* hic prudens cogitarit. Rescribatur vero *Ebelholtae*: quod monasterium admodum iis temporibus celebre, & a Regibus nostris, nec non Principibus exteris, tum ante, tum post haec tempora, insigniter dotatum fuit, adeoque ad conservandos reditus, & immunitates suas confirmatione Regis indiguit. Notum porro, monasterium hoc maximam quondam lucem, & claritatem a S. Wilhelmo Abbate accepisse. *Ebeltofta* est urbecula Iutiae, quae an Monasterium eo tempore habuerit, nunc minus disquiro.

(b) *Lutetiam studiorum causa*) Chron. Archiep. Brem. *pag.* 112. redeuntem *de Rothomago* ab Archiepiscopo Coloniensi captum, refert. Hermannus Cornerus, *col.* 897. *Bononiae in studio degentem*, parentis caede audita, Lombardiam reliquisse, & in reditu prope Coloniam captum &c.

(c) *Sichelphischora*) Crantzius scribit, Henricum Emeldorpium armis occupasse Svineburgum, & Schelfischoram Herm. Cornerus *l. c.* „Henricus Miles cognomento de Myldorpe, secundum Chronicon Lubicensem, bellum gessit, cum Abel Rege Danorum in Selandia; & victoriam Henricus obtinens, stragem maximam fecit de Danis.

CIↃ CCLI.

temporis possessa, retineret. Insuper, ad liberandum aere alieno regnum, item arces, praediaque oppignorata redimenda, omnibus tributum imponit: quumque bello, inter ipsum, & Ericum pridem gesto, multae inter Danos, Svecos, Norvagosque controversiae ortae essent, quibus militum praefecti, parum recte potestate sua usi, & illata Sveois Norvagisque damna, occasionem praebuissent, reiecto in sequentem annum hoc negotio, diem statuit, locumque, quo legati e tribus regnis, ad rem totam componendam, convenirent. Denique petit, ut Christophorus frater regni expectatione cederet, filiisque hanc transcriberet; adeo ut, si natu maximus sine prole ulla mascula diem obiret, frater illi proximus eligeretur; ac Christophorus, territus Erici coede, atque idem, si negaret, sibi metuens, refragari non audebat: proceres vero, sicuti offensa Abeli, quam prudenter declinandam existimabant, assentiri compellebat, ita virtus Valdemari, eius filii maioris, quamvis etiam adolescentis, iam tum nota, permovebat. Verum etsi, omnibus consentientibus, sat familiam muniisse videretur, non est tamen consequutus, quod volebat; ac, detento apud Vbios, uti dixi, Valdemaro, mox Christophorus nihilominus successit, quem excludere conabatur: sat aperto documento, principatus fato dari; & facilius scelere parari regna, quam transmitti ad haeredes. Post haec etiam Hermanno, Episcopo Osiliensi, suo ante Cancellario, ideoque ob perspectam fidem charo, omne ius; ac potestatem, in hanc insulam concedit. Insuper praefecto ordinis Teutonici factam olim a parente Valdemaro Gerviae donationem, propagandae ultra fidei Christianae inter homines infideles, ratam velle se pronunciat: tum ius in Alempoenses (a), Northundenses, & Mothenses, Vagliosque, omne in eumdem transfert; denique, quaecumque item inter patrem, ordinemque illum acta, ea certa, & inviolata porro esse iubet. Vti vero in comitiis, quae iam dixi, regno censum imposuerat, ita quoque Slesvicensi territorio, sibi subdito, imperare animum quum induxisset, recusantes eum Frisii mox rebellionem incipiunt, obtendebant, *agrum sibi, ad vim maris, a quo non fortunis tantum, sed & vitae, summo iure metuebant, propulsandam, ducto aggere, quem obiicerent, muniendum; itaque, ob eam causam faciendam gratiam tributi esse: aut, si obtinere id nequeant, certe minui oportere; etenim, quod pridem Erico bello cum Abelo gesto, ad directionem agrorum avertendam, aliquam pecuniae summam tribuissent, gravius aliquanto ipsis imperatum censebatur*; ideoque, quum pertenderent, ira motus, aliisque eam magis incitantibus, bello reluctantes persequi, & exstinguere universos, rebus omnibus militi in praedam datis, tamdem statuit. Qua de causa, copiis contractis maximis, etsi anno iam praecipite, in hos tendit. Illi vero, quum se impares esse scirent, producentes Christiani, divi sui tutelaris, simulacrum, quod è ligno factum habebant, votum nuncupant, si superiores fierent, auro se id obducturos; moxque, orta tempestate, quum dissolveretur glacies, ac vestigia lapsarent in uliginosa terra, ideoque nec inire praelium posset, retro copias Slesvicum ducere coactus fuit. Itaque victores Frisii, sine ullo suo sanguine, domum laeti repetentes, nuncupatum paullo ante votum solvunt. Per haec exeunte anno, quum comitiis postremis controversiam de Rendesburgensi oppido dirimendam arbitris duodecim seposuisset, revocare eam voluit. Quam ob rem adesse iussis sex e comitatu Holsatiae, totidemque e ducatu Slesvicensi, causam ipsis cognoscendam demandavit; atque illi mox pronuntiant. *Etsi rex Canutus oppidum, filiusque Valdemarus, armis suis subiugatum tenuissent magna impensa in munitionem eius, Daniaeque ex hoc tempore adhaesisset, tamen illud ad Holsatiam pertinere.* Hinc in Frisios, & Dithmarsos, bellum renovat, hieme superiore infeliciter tentatum; ante tamen, repetit tributum prius, cessaturus, si concederent; quumque iterum negarent, ac quae antehac, obtenderent; prima aestate in eos ducit. Magnas copias coegerat iuxta Teiam; inde movens, amnem Miklam vado transit: moxque, Eidora devectus, Ottescelii exscendit, atque castra iuxta Oldesverdam ponit; seque vallo, & fossa, munit. Frisii obiiciunt fossam, a pago Ippenbulio ductam usque ad fluentum Eidoram, seque ante illud locant; vim, si Abelus intentaret, repulsuri. Ille vero, sex continuis diebus, quae deveherentur amne, invadebat universa: accolasque facere imperata cogens, recusantes vita, & bonis exuebat; eorumque pars profugiens, quum se Frisiis adiunxisset, mutuo se exhortati, hostem adoriri statuunt: vitam potius amittere, quam tributum dare, certi; protinusque, in septem signa distributi, circa noctem castris eius appropinquant. Quo Abelus explorato, minime consultum ratus, ut cum hoste desperato dimicaret, cedere furori parat; navibusque imponere copias, & transmittere in ulteriorem ripam. Sed dum expectare cogitur, donec Eidora refluerat, die oborto, multitudinem conspicatus, territusque, e vestigio, rebus omnibus relictis, fugam capit. Quam quum Frisii animadverterent, irruentes, primo impetu tre-

CIↃ CCLI.

CIↃ CCLII.

(a) *In Alempoenses*] Tabulis authenticis, datis Nyburgi 6. *Idib. Aug.* 1257. testatur se „ renunciare omni iuri, quod habere „ videbatur super impetitione terrarum *Ieruviae*, & *Alempoys*, „ *Nomaegundae*, *Mochae*, *Waygele*, super quibus pater eius Val„ demarus duabus vicibus, & frater Ericus tertio citationem „ Papae, citra voluntatem suam procuraverant contra fratres prae„ dictos; „ (scil. contra Magistrum Andream, & Fratres Domus Teutonicae in Livonia.)

(b) *Iuxta Teiam*] corrig. *iuxta Treiam*. Tota autem haec expeditionis, Abelo Regi funestae, tam exacta descriptio (qua multo contractiorem dedit Pontanus,) ad verbum fere ex Svaningii opere desumta est: cui simillimam habet Hvitfeldius. Vterque autem ex Chronicis Dithmarsicis, ac Holsaticis excepit. Vid. & Broder. Boissen. *Chron. Slesv.* (Mencken. *Tom. III. pag.* 394. *seqq.*) ac Cypraeus in *Hist. Eccles. Slesv. & Hols. a pag.* 262. *ad* 267. Herm. Cornerus *col.* 897. dicit Abelum ideo hostiliter intrasse Frisiam, quod Frisones Henrico Meldorpio, quocum in Selandia, & Fionia belligerarat, auxilio fuissent. At ineptus plane Matthaeus Paris. *pag.* 814. *Ne*, inquit, *alicui sua fraus patrocinetur, Magnates Daciae ipsum Abelum, cruentum fratricidam, qui etiam fratri interempto sepulturam denegavit, exilio perpetuo condemnarunt. Qui cum proponeret recalcitrare, interemptus est ab eisdem.*

centos ex his caedunt; alii, in amne Eidora, transnatare cupientes, periere: Quumque veterem ea regione arcem Harreblecum attigisset, sistit sese; &, obvertens frontem hosti, fortiter cum eo pugnat. Sed, urgentem multo fortius quum non posset sustinere, iterum coactus fugere, Ippenbulium se recipit, quo & Frisii boreales persequuti; illic tamen fatigati, quum desisterent, & ad castra regia diripienda retro cederent, mox australes cum Vdholmiis, praelium redintegrantes, successerunt, & ad Iementoum usque porro etiam propulsarunt, Vbi quum & hi desererent, suos agmine ordinato repetentes, praeter Eidoram aggere Etzenio tendens, postquam paullum processisset, novam sibi obviam cohortem habet, ex Coldenbytteliensi territorio; quae cum ipsum, quam fortissime dimicantem, aliquot horis impugnasset, fama pugnae revocati Eidorani, & Vdholmii, revertuntur: ac, cohorte quadam nautica, quae obiicere se ausa, profligata, in apertum eius latus irruentes, non exiguam stragem edunt. Ipse, se ad incitas redactum videns, misso equo, cum quibusdam fugae sociis, in propinquum Mildae aggerem pedes propere evadit, sperans, se non latum amnem facile transmissurum esse. Sed, dum vadum eius tentat, hostis irruens, multis saucium vulneribus contrucidat; & exercitum universum internecione delet. Idque factum ad vicesimum diem Iunii: postquam regnum, maximo paratum scelere, annum unum, & octo menses tenuisset; ac cadaver interfecti, postquam aliquanto tempore inter caetera insepultum, feris, avibusque praeda iacuisset, inducias pacti Slesvicenses, tamdem abductum in maiore aede sua, S. Petro dedicata, condiderunt. Sed, Iemuribus cum locum infestantibus, rursum effossum, in paludem ad Gottorpium demerserunt: palo impacto, ne emergere unquam posset. Iusto certe summi numinis iudicio, qui occisum pridem fratrem, ne pateret scelus suum, flumine profundo merserat, alligato grandi saxo, nunc vicissim, coeno obrutus, fundo etiam affigitur, ut infami hoc sepulcro omnibus vindicta Dei manifesta appareret; utque templum paullo ante, sic paludem Iemures quoque infestabant: & auditi inconditi clamores quidam, hominum ad opus aliquod mutuo se exhortantium; quales Lago[a], quum Ericum occidendum insequeretur, uti dixi, excitaverat. Reliquit autem filios duos; Valdemarum, & Ericum; qui ducatum Slesvicensem, eo mortuo, possederunt; posthumumque item unum, itidem Abelum dictum, cui Suineburgum oppidum, aliaque obvenere; insuper & filiam habuit, cuius nomen ignoratur; post Bernardo comiti Berneborgensi[b], elocatam. Vidua vero Machtildis, quum praeterito filio suo Valdemaro, regni proceres in Christophorum propendere intelligeret, ut iniuriam, quam putabat, vindicaret, quae diplomata, ad donationem Holsatiae, regibus Daniae varie factam, pertinentia, in archiviis servabantur, igne universa exussit. Etenim animo reputabat, Frisiam, Dithmarsiamque, ideo a marito rege infestatam, quod utramque varii olim Imperatores Daniae regibus concessissent; idque ei vita adeo constitisse; hac de causa metuens, ne mox Christophorus quique ipsum sequuturi essent reges, fratres suos, & eorum successores armis denuo invaderent, documenta, huc spectantia, velut mali incentiva, abolenda sibi duxit[c]. Ac perierant certe cuncta, nisi eorum exemplaria in Episcoporum manibus[d], procerumque aliorum conservata permansissent.

CHRISTOPHORVS I.

Caeso hunc in modum Abelo, etsi is cavisset sedulo, sicut supra memoravi, ut in regno successores sibi filios haberet, tamen, capto apud Vbios Valdemaro, filiorum eius maximo, proceres Christophorum legunt, iusto parricidiae odio; Eschillo, Slesvicensi Episcopo, regni insignia exhibente[e]: siquidem Vffo, Lundiensis Archiepiscopus, cuius istud munus esset, diem paullo ante obierat: moxque sub Decembris finem, privilegia, & immunitates omnes ad Ecclesiam Lundiensem pertinentes, non dumtaxat confirmavit, sed & totum ordinem Ecclesiasticum, quique huic subiecti essent, neque vectigalia solvere, neque militare voluit. Anno proximo, ad nepotum ex Abelo fratre tutelam obeundam se componens, Henricum Meldorpium, cui oppida, Svineburgum, & Scelsiscora, illis ex hereditate patris debita, nuper pignorata erant, ad praestandum iuramentum veluti tutori evocat, ac mox cogere recusantem armis parat. Verum ille, ut militiae vetus erat, ita animi impavidus, oppidum utrumque munit milite, & commeatu. Inde adventantem excipit, ac propellit, multis e nobilitate, aliisque interceptis. Et Christophorus, postquam fuga evasisset, Hafniam intrare cupiens, a Roschildiensi Episcopo prohibetur. Ac Meldorpius, aucto ex victoria animo, in vicina lo-

(a) *Quales Lago*) Hanc clamorum spectri Abeliani interpretationem nusquam alibi offendi. Dithmarsici enim scriptores id saltem dicunt, quod ex eis refert Cypraeus *pag.* 267, „ In „ eo loco, ubi sepultus est, & vicinis, ex eo tempore, & patrum nostrorum, & nostra memoria, strepitus horrendos, & „ stridores exauditos esse, constanti omnium praedicatione, & „ sermone fertur, quibus saepe viatores noctu iter facientes territi, trepidarunt, & metu poene exanimati fuerunt. Vt plurimum autem Venatoris cornu inflantis vocem, & sonum exaudiri, multi fide digni referunt, & affirmant, usque adeo similem, ut venatorem ibi venari quis diceret, idque saepe a „ vigilibus, qui Gottorpii noctu vigilare solent audiri. „ Quae & fere ad verbum leges in Broderi Boissen. *Chron. Slesvic. pag.* 597.

(b) *Comiti Bernebergio*) Attestatur Herm. Cornerus *pag.* 907. & nuptias ann. 1257. celebratas fuisse Hamburgi.

(c) *Abolenda sibi duxit*) Hocque est, quod Ericus Pomeranus, & alii Cronographi nostrates ad ann. 1181. conqueruntur quod Imperatoris, & Pontificis litteras, *post mortem Regis Abel mulier quaedam Teutonica, filia Diaboli, destruxerit in odium Danorum*. De quo facto & supra ad dict. an.

(d) *In Episcoporum manibus*) Imo in Archivis Regis, teste ipso Cancellario Hvitfeldio, cuius verba accurate sic reddidit Pontanus *pag.* 343. „ Exemplaria, & apographa nonnullorum ab „ Episcopis, Comitibus, aliisque regni Primoribus, qui ipsa apographa se vidisse profitentur; subsignata etiamnum supersunt. „

(e) *Regni insignia exhibente*] Cornerus. „ *An. Domini* 1254. Christophorus Rex Danorum coronatur, secundum Chonicam Lubicensem, in oppido *Ydersted*, terrae ipsius. „ Errat Anonymus Stephanianus *pag.* 220. Lundiae ab Vffone Archiep. coronatum scribens.

CIƆ CCLIII. loca erumpens, omnia depopulatur. Sed, quum regem, maximis collectis copiis, redeuntem intelligeret, neque pacem habiturum ſe putaret, capto propere navigio, ſe ſubduxit[a]. Ac Chriſtophorus acto in fugam hoſte, victor, quum utrumque oppidum in poteſtatem redegiſſet, munitiones, quas Meldorpius excitaverat, ſolo aequat, & praeſidiarios aliquot gladio ferit. Inde, quum auſtralem Cimbriam etiam adminiſtrandam, veluti nepotum nomine ſibi caperet; idque avunculos Holſatos in ſubſpicionem adduceret, quaſi aliud ipſe animo agitaret; illi primum per legatos intercedere, & orare, ut communibus nepotibus debitam hereditatem reſtitueret, ac ducatum Sleſvicenſem traderet in clientelam. Verum, quum id recuſaret, & obtenderet, hunc ducatum regni beneficium eſſe, liberiſque regiis conferri ſolitum; ac nec ipſi adquieſcerent, neque hic remittere de iure ſuo quidquam vellet, mox ad arma eſt deventum. Per id tempus etiam comitia habuit; & effecit, ut Ericum filiorum aetate maximum, tres dumtaxat annos natum, ſucceſſorem proceres renunciarent, quoſque ipſe aliquando liberos habiturus eſſet, uti ordine ſuccederent, excluſis Abeli poſteris. Inde Alſiam claſſe petit, & expugnat Sunderburgum, ac munitiones deiicit, quae ad terram obiectae eſſent. Ex Norvagia rex Haquinus, claſſe inſtructa circiter ſexcentarum navium[b], iuxta Hallandiam exſcendit; ac, vaſtata magna regionis parte, hominumque ſtrage edita non exigua, domum repetit, filio relicto Haquino, cum exercitus parte maxima; ut, quae integra ſupereſſent, porro ipſe devaſtaret. Sed is, quum inſtante hieme, ad adfinem Valdemarum Sveciae regem conceſſiſſet, primo vere mox reverſus, ubi praedam ante habuit, vitam amittit; & Ansloae in S. Alvardi fano ſepelitur. CIƆ CCLIV. Quae dum fiunt, bellum Holſati, adiuvantibus Brandeburgicis[c], in Chriſtophorum moverunt. Ac iungebat ſe Meldorpius, Svineburgo, & Scelfiſcora, pridem eiectus a Chriſtophoro, profuguſque. Afferebant & auxilia Lubecenſes, ac Vandalicae civitates adiacentes. In principio, facto in Sleſvicum impetu, id expugnant ad XXIV. diem Februarii, & Eſchillum inde Epiſcopum, item Clerum univerſum, ac primores civitatis captos Segebergam abducunt. Hinc Holſatiae comitatum fere totum redigunt in poteſtatem, & Othoni Brandeburgico, pretium auxilii ſui, urbem Rendesburgum tradunt, iſque eam annos aliquot retinuit. Lubecenſes, ac Vandalicae civitates littus Scanicum infeſtabant; &, commiſſo ad Scanoram acri praelio, ſtragem maximam edebant. Parte alia Meldorpius Sialandiam invadebat; &, adgreſſus Monam inſulam, arcem in eadem Stegam expugnabat. Nec contentus hac victoria, in propinquam Falſtriam traductis copiis, etiam Nicopiam illic ſubigebat. Sed, Chriſtophorum dum ſic, undique hoſtes premunt, quidam principes Germaniae, pacis cauſa intercedunt, & componunt controverſiam, ea lege: *ut Chriſtophorus nepotibus, poſtquam annos pubertatis adtigiſſent, & ducatum Sleſvicenſem reſtitueret, & quae bona item in Dania ex hereditate habebant, ea deinceps poſſiderent; inſuper, accepti pariter, expenſique rationes ipſis redderet. Illi contra, quod praetenderent ius in regnum, ex comitiorum actis, Neoburgi ſub Abelo patre ſuo habitorum, id Chriſtophoro tranſcriberent, qui ducatum Sleſvicenſem, dum minori in aetate ipſi agerent, nomine ipſorum regeret; atque pacis conſervandae, Pomeraniae dux Sambirius, & Vandaliae principes alii, vades eſſent.* Poſtea, quum Iacobus Erlandus e Roſchildienſi Epiſcopo Lundienſis Archiepiſcopus factus eſſet, idque rege inconſulto, & ignaro[d], ea res offenſae fuit. Quippe uſus per id tempus obtinebat, ut Epiſcopus nullus eſſet, niſi ratam electionem rex haberet; quin & ad militiam ob-

(a) *Se ſubduxit*) Chronicon vetus, in *Sylloge* Dn. de Ludewig *num.* 3. A. C. 1253. Rex Chriſtophorus caſtrum Svinborigh. „ vicit, & deſtruxit, & caſtrenſes eiusdem decapitavit. Eodem „ anno Henricus Emmeltorp, cum exercitu Sielandiam veniens, „ Schielskoer occupavit; cui cum Rex Chriſtophorus occurriſ„ ſet cum exercitu, a dicto Henrico fugatus eſt, & plurimi „ Dani capti ſunt, & Sielandia in magna parte depopulata. Rex „ Chriſtophorus oppidum Schielskoer obſedit, & dictum Henri„ cum fugavit. „

(b) *Claſſe ſexcentarum navium*) Hvitfeldius, & ex eo Pontanus, medium dumtaxat numerum, *trecentarum* ſcilicet habent. Commemorat de hac expeditioue Torfaeus *Hiſt. Norv. Part. IV. lib.* 4. *cap.* 41. Belli autem cauſam docet a tempore arceſſendam Abelis, inter quem, & Haconem Norvegiae Regem legati ultro citroque commeabant, perque hos demum conſtitutus Regum conventus ad limites regnorum, de controverſiis componendis: (Haec Torfeus *cap. praeced.* 40.) Proximo vere (ann. ſcil. 1252.) Hacon ad Gautelfam acceſſit, ubi Comiti Sveciae Birgero, qui & illuc venerat, multa de inconſtantia Abelis queſtus eſt, utpote qui pactum conſtitutumque conventus diem, animi quadam levitate, aut nocendi inpoſterum propoſito minus obiiſſet. Comes viciſſim Haconi querelas ſuas exponit, de Danorum latrociniis, & caedibus, quibus moleſti eſſent Svecis, maxime autem, quod Folckungos in ipſos armaverint. Vtrique igitur offenſis Danorum irritati, iunctis eos viribus invadere decreverunt. Pactumque ut Norvegi mari terra Sveones, quinque millibus armatorum altero vere ad Gautelfam convenirent, inde ſimul in Daniam, ſed diverſis itineribus irrupturi. Fretum Sundicum, ut claſſe occuparet Hacon, Birgerus ad eum per Hallandiam, & Scaniam, ut exercitum duceret, placebat &c. Hinc, poſt expeditionem ann. 1253. narratam exponit Torfaeus (*pag.* 270.) rem ad tranſationem veniſſe; qua Dani res omnes ablatas praeſtare ultro receperint, parte etiam ſtatim reddita, pro reliqua vero parte Hallandia in hypothecam data Sed cum Chriſtophorus Rex Daniae pactis deinde non ſtaret; neque etiamſi interpellatus, reſiduum ex obligatione ſolveret„ legatis inſuper Haconis male habitis, Norvegus anno 1256. novam adverſus Danos expeditionem parat, claſſe 360. navium inſtructa: Qua magnam calamitatem vaſtitatemque Danicis provinciis infert, multumque praedae avehit. His ad ultimum Autumni tempus actis, Dano adhuc conditiones recuſante, filius regis, iunior Hacon adpellatus, cum claſſe domum reverſus, divertit quidem ſequentis veris initio ad Valdemarum Sveciae Regem, coniugis ſuae fratrem; Verum haud diu poſt, dum venationi indulget, morbo correptus, Tunsbergae *die* 5. *Maii* 1257. e vita excedit. Hincque apparet, quanto errore Hvitfeldius, cumque eo Meurſius aliique Haconis, ſeu Haquini iunioris mortem anno 1253. adſcribunt.

(c) *Adiuvantibus Brandenburgicis*] Hi Brandemburgici Marggravii erant Ioannes I. & Otto III. quos Hvitfeldius ſcribit partem dotis maternae repetendi ergo, nam mater eorum Sophia, filia Valdemari II. fuerat] ceteris ad infeſtandam Daniam ſe adiunxiſſe.

(d) *Rege inconſulto, & ignaro*] Hoc facile iam audebant Canonici Lundenſes, poſtquam praecedente ann. 1253. graviſſimas, & correptionis plenas litteras ad Regem a Pontifice Innocentio IV. impetrarant: datas *Aſſiſii XVI. Kal. Sept.* quae integre afferuntur a Rainaldo ad ann. 1253. §. 31. Nempe, ut ibi ait hiſtoricus, „ infregerat Danorum Rex conceſſas a maioribus „ Lundenſi Eccleſiae praerogativas, atque in deſignandis iis, qui„ bus ſacerdotia conferrentur, ſe temere ingeſſerat, cumque Ca„ nonicorum Collegium, iuſto accenſum zelo, illi reſtitiſſet, „ graviores in eos iras conceperat; quem ideo permulcere Pon„ tifex conatus eſt, monendo, ut edicta Regia, quibus privilegia „ Eccleſiae deleverat, revocaret. Vid. & Bzov. ad ann. 1254. §. 4.

CIↃ CCLIV.

obstringebatur, nisi ipsi oneris istius gratiam, singulari indulgentia, idem faceret. Sed Erlandus, gratia Pontificis fretus, in Concilio Lugdunensi pridem parta, & contemnere confirmationem regis, & Ecclesiae Scaniensis priscis legibus, ac statutis immutatis, nova quaedam introducere ausus fuit. Quae, quum itidem rege inconsulto fierent, animum eius porro etiam commoverunt. Qui quum classem per id tempus instruxisset, in Holsatiam contendens, copiis ad Sliae amnis ripam expositis, alteram exercitus partem, quae ad oppidum Coldingam, pergere Slesvicum iubet, & adventum illic suum exspectare. Quo quum omnes advenissent, in vicina loca immissi, Gasemburgum, ac munitiones alias everterunt. Hinc Huidingae territorium, collocatis in adversam partem castris, est ingressus. Ubi quum maiores copias, quam necesse putaretur, circumduceret, ac plus iusto moraretur, res nepotum, ut videri cupiebat, administrans, subditisque id molestum plane esset, Abeli vidua Mechtildis deserendam sibi australem Cimbriam existimavit; ac, quantumvis antea perpetuam viduitatem (a) Episcopo Othoniensi data dextra promisisset, tamen incitante Erlando (b), nuptias cum duce Sveciae novas iniit, & in Sveciam concessit, filiosque secum abduxit, tenuitque usque ad Christophori mortem; & ut recte id fecisse videretur, causam obtendit, odium in se reginae quae mariti regis animum alieniorem redderet. Inter haec Abeli filius, Valdemarus, e custodia dimissus, in qua annos quatuor detentus fuerat, in Holsatiam revertitur. Quum avunculus Ioannes apud regem intercedit, ut ducatus Slesvicensis praefecturam iuxta pacta illi redderet; ac, dum frater adolesceret, curam eius, regimenque retineret. Et Christophorus, haud gravate adquiescens, mox vexillum, ut in talibus usitatum, ei tradit, illa lege: *uti regno fidem obstringeret, & obsequium, atque opem, quum res posceret, praestaret; tum & locum inter regni senatores obtineret, ac magnatum numero accenseretur. Item ab ipso, uti & Ornatum foro* (c), *provocatio ad tribunal regni esset, subditique etiam eius, quae rex imperasset, facerent*. His in modum hunc statutis, e custodia liberatus est Eschillus, pridem Episcopus Slesvicensis, quique antea cum ipso, capta urbe, Segebergam abducti erant. Sed is, paullo post decedens, vix recepta libertate frui potuit.

CIↃ CCLV.

In Hallandia boreali diem obierat eius comes Nicolaus, quam cum pater Valdemarus, ceu hereditariam ipsi concessisset, ac Iacobus eius filius retinere illam vellet, & senatus quoque peteret, non id passus est Christophorus; sed, tributo loco alio viliore, partem nuper separatam regno iterum coniunxit. Inde, mortuo Innocentio Pontifice, postquam Alexander IV. ipsi subrogatus esset, misit Romam, qui successionem primo gratulati, etiam Vandaliae donationem, Valdemaro ab Imperatore Friderico pridem factam, confirmari postularent. Atque illi postquam domum, compotes legationis rediissent, quies passim, ipso maxime Valdemaro eam amante, sperabatur. Sed Ecclesiasticus Ordo, & ab eo incitata plebs promiscua, turbas dedit. Quippe arces, ac munitiones regni, & nobilium item praedia, magno impetu invadens, diruebat. Qua de causa arma capere rex coactus, in Sialandia acri praelio, apud Lethrae pontem inito, stragem non exiguam dedit. Verum tamen, quum haud profligare posset, adnitentibus Lundiensi, & Roschildiensi Episcopis, atque minuenda onera, quibus hactenus temporum iniquitate pressi essent, & iustitiam exercendam pollicentibus, ipso quoque haec Christophoro, datis litteris, rata velle se testante, tandem res composita fuit. Quamquam mox dissidia recruduere; nam Erlandus, quum Ecclesiae Lundiensis, cui praeerat, Scaniaeque universae leges (d), ac statuta quaevis pro libidine immutaret; &, edicto promulgato, rex occurreret, iterum exortae turbae. Hinc comitia, Neoburgi in Fionia celebranda, quum Christophorus indixisset, & Holsatiae illuc comites, ac Vandaliae item duces, cum nobilitate regni universa evocasset, Lundiensis, velut in contemtum regis, omnium Episcoporum Vedelae conventum indicit. Ac propositum ne mutare nimis temere videretur, ausus est a rege petere, ut subspenderet comitia in Ecclesiae honorem, dum conventum ipse suum habuisset. Sed Christophorus id indignum arbitratus, quum perstaret in proposito, ipse etiam perrexit, statuitque (e): *quando Danicae Ecclesiae graviter perturbarentur, ac maiorum quoque metus impenderet, si Episcoporum aliquis, iussu regis aut permissu, aut cuiusquam e nobilibus, captus umquam abducatur, verberave, aut iniuriam qualemcumque patiatur, uti sacris toto regno sacer ordo abstineret. Idem quoque extra Daniam faciendum, si & isthic idem perpetratum foret; nisi forte, quae commissa ab Episcopo eius loci, aliisve, rex commonitus intra mensem correxisset*. In haec omnes, qui convenerant iuravere, ac constituere etiam, *qui delinqueret, is ut sibi interdictum sacris sciret*. Pontifexque Alexander rata mox haec ipsa habuit. Quae quum ita acta essent, Lundiensis, & Episcopi item alii, ceterique Ordinis Ecclesiastici, ad comi-

CIↃ CCLVI.

(a) *Perpetuam viduitatem*) Voverat se vitae monasticae tradituram, atque sine nuptiis, quod esset vitae reliquum, transacturam. Sic Hvitfeldius.

(b) *Incitante Erlando*) Integro nomine *Iacobo Erlandio* (i. e. Erlandi filio,) Archiepiscopo Lundiensi, qui, ut Rege aegre faceret, incitasse creditur, atque habuisse consiliorum socium adiutoremque Petrum Bangium, Episcopum Roskildensem, Iarimari Ducis Rugiani sorore natum. Conf. Huitf. *pagg.* 246. & 276. Pontanus Archiepiscopum illum Iacobum plerumque vocat *Orlandum*.

(c) *Ornatum foro*) Hoc est, *foro Urnensi*, de quo supra non semel egimus, & quale, ac ubi fuerit, diximus.

(d) *Scaniaeque universae leges*) Vetus Chronicon ad ann. 1254. „ Initium acerrimae litis inter Christophorum Regem, & Iacobum Erlandi Archiepiscopum fuit, cum Archiepiscopus Lundas veniens, cum populo agere inciperet de abolitione consuetudinum *Skra*, cui petitioni populus fortiter se opposuit. „

(e) *Statuitque*) Constitutio in hac *Synodo Vaethlensi* (seu Vedelensi) facta, admodum in historia nostra celebris reddita, sic incipit: *Cum Ecclesia Daciana adeo gravi persequutioni sit exposita tyrannorum, quod Episcopis, qui se pro domo Dei murum obiiciunt defensionis, etiam in praesentia Domini Regis, in ipsorum personas non verentur minas iniuriosas inferre &c.* Hanc autem Alexander PP. IV. confirmavit Viterbii v. Non. Octobr. ann. 3. Vid. Raynald. ad ann. 1257. §. 29. *seq.*

CIↃ CCLVI.

mitia, necdum etiam tum soluta, propter principum absentiam, qui, exceptis cum Holsatiae comitibus, tum & duce Slesvicensi, propter hiemis incommoda, nulli advenerant, tamdem quoque accessere. Atque Lundiensis quidem, postquam regem, excusandi sui causa adiisset, ille, valde indignatus, cum contemtu eum excipit, ac poetae istis verbis:

---- *tarde venere bubulci*.

Quo responso, satis contumelioso, antea infestus admodum, maius etiam odium capit. Sed Christophorus alia non multo post comitia Vortingburgi indicit; quo mox principes Pomeraniae, Rugiaeque item alii, Neoburgicis hieme, uti dixi, exclusi advenere. Hic Christophorus de variis ipsum rebus accusare; ad quas ille, hactenus ferox, quum non respondere posset, principes, adfines regi [a], admodum demisse pressans, intercessionem eorum, atque opem implorabat. Sed rex durus accusationis capita, scripto publico comprehensa, recitari in consessu procerum iussit. *Quod, post datum sibi, ac filio, fidei, obsequiique iusiurandum, neutrum tamen coronare* [b] *voluisset; adeoque coronationi, qui interfuissent, iis sacra omnia interdixisset. Tum & ipse, se ignaro, & invito, Archiepiscopatus sedem invasisset, & Episcopos quoque alios itidem inaugurasset; & oblatos a se viros Ordinis Ecclesiastici, etiam in iis locis, quibus ius patroni haberet, reiecisset; ac clientes quoque suos, a Pontifice absolutos, denuo sacrorum usu arcuisset, nec Episcopis permisisset, sicuti receptum erat, ut militiam sequerentur. Insuper, conventibus intempestivis, quos differre noluisset, regni commoda vehementer perturbasset, & in istis multa contra leges regni, & antiquas consuetudines statuisset; & haec ipsa a Pontifice confirmari, sine ulla iuris publici ratione procurasset, literasque clam dedisset ad Norvagiae regem Haquinum, regni hostem. Arces item condidisset, & emporium, in Ecclesiae suae solo, ac vectigal, sibi deinceps persolvendum, imperasset. Tum & forum invasisset, ac se iudicem dedisset controversiis, quae ad regem pertinebant, quem & literis ad Pontificem, coactis subsignare Episcopis, traduxisset, & praedonem adpellasset; Hafniaque, post conflictum cum Meldorpio, exclusisset. Denique, quod limitem Hallandiae, ad Nitzam amnem communitum aegre etiam tulisset, & in regem magnam rusticorum manum concitasset, ac subsellia quoque eius, & reginae, quae in summa Lundiensi aede erant, diruisset*. Operam navabant principes, ut placarent iram regis; verum is non audiebat, & urgebat, uti ad obiecta crimina Lundiensis singulatim responderet. Itaque negotium dilatum fuit; & rex anno insequenti ad Erici fratris funus se convertit; quem Slesvici tumulatum, perillustri adparatu mox Ringstadium traduxit. Inde in Scaniam traiiciens, Lundiam petit; illic socerum Sambirium, ac reginam item uxorem Margaretam, e Germania adventantem, excepturus. Inter ista dat mandatum loci praesidi, & nonnullis Ordinis Ecclesiastici, ut de causa Lundiensis iudicarent. Verum, postquam consedissent, mox ad regem, praeter exspectationem, evocantur; ac, Sambirio, & regina adiutantibus, res componitur. Quamquam haec conciliatio, Lundiensi paullo post matronam nobilem a communione sacra excludente [c], nec recipere cupiente, etsi intercedente rege, iterum diremta fuit. Et rex, Lundiam reversus, advocari in curiam iubet; ac, pro tribunali sedens, si cum eo iure agere quisquam vellet, istud liberum pronuntiat. Quumque multa varie prolata essent, & sententiam rex dicturus putaretur: *minime iudicio eius se teneri, neque ideo respondere quidquam velle*, testabatur. Qui summopere indignatus, & ad maiestatem suam pertinere illud censens, quotquot aderant, a meridie convenire in summam urbis aedem iubet, ac praesentibus inde praelegi, quae sancita inter reges, & episcopos olim essent, eaque perpendi etiam, an his standum existimarent. Ad quae ille: *esse, quae probare haud posset, iuri canonico, ac decretis patrum adversa, quae admittere salva conscientia posset, in his refragari nolle, sed de ceteris ad Pontificem provocandum arbitrari*. Ac, quum regii responderent: *si abnueret, nec Episcopis ullas decimas, quas consensu tamen darent, exhibendas item esse*: hic regerere, *illas, etsi non expressas, iure communi deberi*. Quae quum ita acta essent, paullo post a Lundiensi rex petebat, *quos in Wena insula ministros suos, alibique, sacris omnibus interdictos voluisset, eos uti exsecratione absolveret*. Quod quum ille se facturum esse diceret, *si pollicerentur ipsi, se acturos ex Ecclesiae praescripto*; rex iratus, quae priores Daniae reges privilegia Lundiensi Archiepiscopo, atque toti eius Clero concessissent, revocare; simul etiam mandare, ut deinceps ad antiqua ministeria regi debita, & regno evocati praesto essent. Insuper imperare aliis, qui subiecti dioecesi Lun-

CIↃ CCLVII.

(a) *Principes, adfines Regi*) Imo adfines sibi, quemadmodum Hvitfeldius scribit diserte. Meursius fortasse nimium hoc putavit, si Praesulem illum diceret cognatos, & adfines habuisse inter Principes. Sed revera habuit, & ille, & Episcopus Roskildensis. Erat Iacobus Orlandius ex prosapia Skialmonis Candidi; eadem, quae Absaloni olim Archiepiscopo, & Esberno, & Andreae Sunonis ortum dederat, quorum illustrium hominum neptes in Regum Svecicorum, Ducum Pomeraniae, aliorumque familias elocatae. Vna sororum Erlandii, Ingertha, habuerat in matrimonio Conradum Comitem de Reynstein Germanum, exstantque adhuc litterae, e quibus discitur, hanc Ingertham Comitissam de Reynstein fundavisse Monasterium Monialium S. Clarae Roskildense, quam fundationem Alexander PP. IV. ratam habuit. Eadem quoque Comitissa Monasterium S. Damiani Roskildiae exstruxit, ac dotavit, ut ex eiusdem Pontificis epistolis patet.

(b) *Neutrum tamen coronare*) Hoc primum adcusationis caput apud Hvitfeldium *pag.* 254. in litibus Regis, & Archiepiscopi enarrandis incredibiliter diligentem, & curiosum, non legitur; uti nec in Codice MS. quem ipse de istis litibus possideo, (apographo, ut videtur, eius, quo laudatus Cancellarius est usus). Ac revera locum habere nequit; ita ut miror, unde Svaningius, Meursii auctor, huc intulerit. Christophorus coronatus ipse erat ann. 1253. ab Eschillo Slesvicensi Episcopo, quia tunc Lundensis vacabat Sedes, Erlandio ad eam nondum evecto. De filio autem Cristophori quaestio demum orta legitur anno 1258. atque tunc verum est, Erlandium recusasse, puerum regium insignibus regni ornare. Ergo & ad serius tempus spectat adcusatio.

(c) *Excludente*) Quia adversus Statuta Ecclesiae deliquerat, ut Hvitfeldius, & Pontanus addunt.

CIↃ CCLVII.

Lundiensi, uti omnes intra diem decimum quintum fidem iuramento obstringerent. Atque rursum Lundiensis, eum, qui haec regis iussu nuntiabat, veluti in iura Ecclesiae delinquentem, sacris abstinere voluit. Inter ista, plebs in Lundiensem prona arma capit (a); sed a rege funditur, & coercetur. Inde iterum ab Ecclesiasticis Concilium indictum Hafniae, & exclusi item sacris, quotquot actis Vethelanae Synodi obniterentur, maxime quum Summus Pontifex, etsi reluctante rege, ea rata habuisset. Idem & pronuntiatum in quoscumque, qui in regem propenderent. Per hoc tempus rex Norvagiae Haquinus, seu vocatus a Christophoro (b), ad constituendam pacem, sive, uti alii tradunt, ut hereditatem cerneret, quae a matre obvenisset, classe Oresundam adpellit; unde Hafniam contendens, illic regem opperitur; qui, non multo post adveniens, eum perbenigne excipit. Inde damnis, quae utrimque accepissent, condonatis, foedus ictum, in hanc legem: *ut communes post id tempus hostes essent, alterique laboranti alter statim opem ferret*. Ac, quo firmius porro esset, constitutae item nuptiae inter Magnum, Haquini filium, & Christophori ex Erico fratre neptem, Ingeburgam. Cupiebat & Haquinus Lundiensi gratiam Christophori conciliare; sed conatus non successit. Itaque muneribus vicissim datis, inter quae Haquini navis, magnitudine admiranda (c), discessere. Re cum Norvago transacta, etiam cum Sveco agere visum fuit. Et, ut coram illud fieret, quod praestare putabatur, loco Atorpiae in finitima Hallandia designato, placuit Birgerum istuc Sveciae principem, ad colloquium invitare. Qui quum postea advenisset, etiam cum illo pax, & amicitia constituta est. Aderat ibi Lundiensis, uti Daniae, ita Sveciae quoque primas; quem, convivio finito, quum Christophorus accusaret, *quod antiquas Scaniae constitutiones, a tot regibus, & episcopis confirmatas, immutasset*; ille pro se respondere: *pridem istam controversiam a Sambirio Pomerano, & regina Margareta terminatam. Ex hoc tempore nihil a se in hanc rem admissum esse, ac deinceps etiam cupere, ut ius Scanicum maneat inviolatum, quatenus Ecclesiae decretis illud, in quae iusiurandum dederat, minime adversaretur, ea vero integra se conscientia, & Pontifice inconsulto, neutiquam migrare posse*. Rex volebat, ut huic iuri universim subsignaret; ideoque denuo res delegatis mandaretur. Atque ipse dat negotium comiti Glicensi, Ernesto; Lundiensis vero mittit Esbernum Magnum, & Andream Erlandum fratrem, aliosque e collegio, qui accederent ad regem, & inquirerent, quam negotii componendi rationem hic putaret. Quumque illum adiissent, is, per fratrem Lundiensis Nicolaum, eius urbis tunc praefectum, mox respondet: *cupere se, ut renuntiaret iuri, quod praetenderet, & in bona naufragorum, & eorum, qui heredem non haberent; item causas, quas vocabant selibrarum quadraginta, etiam in sacerdotia, quae a regibus sicut instituta erant, ita quoque conferenda existimaret. Insuper, ut a naucleris, qui obstricti aliis forent, abstineret, nec ad ministerium eos suum cogeret, neve suos item homines liberos pronuntiaret. Tum & mulcta, quae hoc nomine solvi soleat, ut ad regem referretur. Denique, quae iure Scanico constituta, ea uti rata vellet*. Ad haec rursum Lundiensis: *iurisdictionem illam universam ad Eccle-*

(a) *Plebs in Lundensem prona, arma capit*) Hoc est monstrosum illud, quod vernacula lingua occurrit, quum in Erici Pomerani *Histor. Gentis Danor.* tum in brevi *Chronico*, *Sylloges* Dn. de Ludewig *num.* XII. utrobique ad annum 1256 Apud Pseudo-Ericum ita: *Koch Karle vvare alle galne moth Kylner*. In parvo autem *Chronico pag.* 216. hoc modo: *Kot-Karla, vvara, galna*. Hvitfeldius quomodo verba haec intellexerit, ac exposuerit, cognoscendum dabimus ex fideli eius interprete Pontano, cuius *pag.* 350 haec sunt „ Dum ita „ inter se altercantur Rex, & Archiepiscopus, iterum plebs, de „ qua modo dictum, maiore motu concitatur, & causam se „ agere Archiepiscopalem profitetur. Nomen sibi indiderant *Chorcarle*, utpote qui *Chori*, & Sacerdotum ius defensuri convenissent Arma, praeter ferreas, & ligneas claves, nulla „ habebant. „ Hucusque Hvitfeldii illa. Quae vero sequuntur, ipsius sunt Pontani: „ Vnde Chronicon, quod editum sub „ nomine Regis Erici, ad hunc, & superiorem annum haec „ verba idiomate vernaculo adducit, tum vulgo iactata: *Choercarle vvare alle galne met Kylner*, idest, *homines chorales* „ *cum clavis divagantes passim insaniebant*. „ At pace doctissimi Viri dicam, *Choer-carle* neque in MS. neque in impresso Erici *Chronico* exstitisse. Atque ego nullus dubito, Hvitfeldio expositionem illam de *Choro*, & *Chor-Karle* subnatam esse ex coniectura, haud utique improbabili, multo minus absona; quum verosimile prorsus, rusticos illos ad seditionem fuisse ab Archiepiscopo, & Clero concitatos: Etiamsi & hoc verum, Archiepiscopum, in longa illa *Querela*, seu *Apologia* sua contra Regem, quam exhibet Hvitfeldius, aperte *pag.* 268. de hoc conquestum esse, quod rustici tumultuantes, a Regiis exstimulati bona, & praedia Ecclesiarum diruerent, agerent, raperent. Verum nunc saltem interrogabo, (atque hoc est, quod quaeritur,) num tumultuantes illi rustici, quotquot eorum pro Clero stabant, *Choer-Karle* adpellati tunc temporis, & an istud vocabuli in Erici *Chronico* reponendum sit pro vitioso *Koch-Karle*? Nego hoc, arbitrorque omnino, rescribendum *Koth*, vel *Kot-Karle*, quemadmodum legitur in parvo *Chronico* nuper laudato. Sunt autem *Kot-Karle* proprie quos *Casarios* Codex Theodos. & Glossae veteres adpellant: *Cotarii*, *Coterii*, *Cotmanni* in Anglorum & Gallorum consuetudinibus, aliisque monumentis, quae citata magno numero habes in Spelmanni, & Du-Cangii *Glossariis*. Quin & *Kot-Karl*, *Kotungr*, *Kot-buender*, ex Islandorum libris repraesentat Verelius in *Indice*: a *Kot*, h. e. *casa*, vel *tugurio rustico*. Hincque est, quod ceteri Annales, de eadem ipsa seditione loquentes, tamen nullam *Chori*, sive *Cleri* mentionem faciant Ex. gr. *Chronicon Sialandiae* ad hunc ipsum annum 1256. *Rustici saevierunt in milites cum clavis*, Et ann 1258. *Bellum fuit Kycaethorp inter Regem, & rusticos*; quemadmodum & ipse Ericus Pomer. ad ann. 1258. in cuius igitur textu corruptum, quem dixi, locum sic plane restituendum arbitror: *Kot-Karle vare alle galne meth Kylver*. hoc est: *Rustici, quasi furiosi, discurrebant omnes, clavis armati*.

[b] *Seu vocatus a Christophoro*) Torfaeus haec omnia rectius edocebit. Secundum eum (*Part. IV. lib. 4. cap. 43.*) Hacon (vel Haquinus) postquam per Legatos suos, ex Dania reduces, didicisset, Christophorum a pacis conditionibus abhorrere, delectum iussit ex universa Norvegia agi, expeditionemque iterari. Sed dum Tunsbergae, ubi filius iunior Hacon diem obierat, morabatur, accessit Legatus Regis Daniae Absalon, Ordinis Praedicatorum per totum Septentrionem Provincialis, postulans, ut Rex Norvegiae ab impressionibus in Daniam abstineret; iam enim Christophorum constituisse, controversias omnes componere. Hacon, se in Daniam navigare, pacate, & nullo animo iniuriam inferendi velle respondit. Ivit igitur eo cum classe 375. navium, quam recta Hafniam (*Kaupmanna hafn*) duxit. Mox adveniente Rege Christophoro, cum Episcopis Danicis, & Iarmaro Rugiae Principe, de pace agi coeptum. Quid multa? Christophorus, post longas disputationes, nec non aliquot dierum inducias, sapiens adgressus est consilium. Hoc erat, quod Norvegis omnia, quae Danis intulerant, damna ultro, & prior remisit. Quo exemplo provocatus Hacon, ne Christophoro magnanimitate cederet, Danis quoque iniurias in Norvegos cunctas, & quidquid tanta prius expostulatione urgebatur, condonabat. Hinc promta dissensioni amicitia successit, ita ut mutuis foederibus Reges devincirentur.

(c) *Navis magnitudine admir.*] Etiam hoc confirmat Torfaeus *pag.* 278.

CIↃ CCLVII. *Ecclesiam Lundiensem pertinere, neque amplius sibi hic licere quidquam, quam quod Pontifex concederet, cuius voluntati se subiicere necesse haberet.* Capita accusationis rex Birgero in manum tradit, atque idem Lundiensis quoque facit, qui vicissim criminari, *quod incestus, adulteria, atque stupra, aut dissimularet plane, aut supplicio leviore, nec Ecclesiae usitato castigaret: etiam, quod poenitentiam vili penderet; &, exemplo eius alii. Homicidiis, quorum poena capitis solebat esse, tantum mulctam irrogari, quique sacris arcerentur, iis hominum consuetudinem indulgeret.* Praeter ista pernegabat: *eos, qui Ecclesiae iuri subscripsissent, leges Scanicas ullo modo admittere posse, nisi conscientiam suam, cuius potiorem haberi rationem aequum esset, laedere vellent. Nec earum tantam auctoritatem fore, nisi rex sic statuisset, & auxilium obsequentibus promisisset. Insuper & sacerdotes, rege sibi ius patroni vindicante, minus audientes esse, atque sacris interdictos ad Ecclesias admittere, decimasque ad Episcopum pertinentes, etsi nulla in hanc rem sententia umquam lata foret, retinere.* Denique, & exprobrabat, *in comitiis Neoburgicis, quum in templum accessisset, nudo capite, moram excusare cupiens, cum ludibrio exceptum, etiam bubulci nomine compellatum, tarde advenisse dictum.* Quae quum pluribus protulisset, ac permulti ad dissidium componendum se offerrent, ingerit se dux Birgerus, &, *negotio finem imponi posse*, ait, *si admitteret, quae per fratrem Nicolaum rex proponi imperasset.* Sed reponere Lundiensis: *ea esse Ecclesiae suae privilegia, ut assensum hic praebere, nisi de Pontificis Romani voluntate certus, nullum posset.* Quo responso gravius rex indignatus, eum Lundia prohibuit, dum ad crimina aliquoties obiecta respondisset. Atque ille: *minime se hic teneri, quum regina Margareta, ac Sambirius eius pater antehac negotium composuissent.* Tamen postea de quibusdam respondere, in hunc modum. *Quod primatum attineret, quem ignaro rege pridem suscepisse diceretur, id decisum a Pontifice coram iis, quibus ambo causam suam procurandam commisissent. Neque oblationem item, ubi regi haec competeret, recusare, modo digni offerrentur, sed interdum evenire, ut aut loco alieno, aut non satis aptos offerat, quos recipere, ratione muneris prohibeatur: uti etiam, denuo arcere sacris, a Pontifice absolutos, nisi novi quid admiserint, quod hanc poenam mereatur; idque ipsum ad Pontificem, non ad Regem, pertinere. Nec absolvere universos, quos Rex cupiat, item posse, si Ecclesiae disciplinam, & illius dignitatem salvam velit. Nec comitiis aliquod impedimentum obiecisse; sed dumtaxat petiisse, uti ea differrentur; quum, ob hiemis incommoda, minime omnes illuc adventuros sciret. Nihil quoque contra regem, iusve eius statuisse; quae statuerit, ad Ecclesiam pertinere; atque istud sui sane muneris esse. Nullam amicitiam cum regni hostibus contraxisse, nec ad eos literarum umquam aliquid dedisse.* CIↃ CCLVII. *Etenim de rege, quod Norvagiae obiiceretur, eum sibi veterem amicum esse, neque inter regni hostes referendum. Denique nec arces novas, neve urbes condidisse, sed collapsas vetustate, aut per bella devastatas instaurasse. Quod ad bona naufragorum, ea omnino, ut & causas selibrarum quadraginta, foro Ecclesia Lundiensis subiacere, se in causis secularibus numquam iudicem sedisse. At colonos militare vetuisse, idque iure, Ecclesiae Lundiensi proprio, factum esse, neque ideo regiis praefectis suum eripuisse.* Quo responso, passim regno universo motus magni excitati. Nam in partes itum fuit; ac Roschildiensis Episcopus, uti & Othoniensis, & Ripensis, aliique, dignitate in Ecclesiastico Ordine eminentes, item comites Holsatiae, Rugiae princeps; quique amicitia his, aut foedere iuncti, Lundiensem sequebantur: Regi vero, tres Episcopi, Slesvicensis, Viburgensis, Burglanensis, ac magnates alii plures adhaerebant. Inter ista, Valdemarus dux Slesvici, vita excedit, morsque eius bellum movet. Etenim, quum hunc ducatum ipse acciperet, minime in literis exprimebatur, ad heredes perventurum; & adire tamen eum, ceu hereditarium, Ericus frater cupiebat. Quod Christophorus concedendum non existimans, armis prohibere statuit. Ac Slesvicum postquam cum non parva manu advenisset, impar viribus Ericus, in interiorem Holsatiam sese recipit, universa ditione regi cedens. Qui, subacta statim ea, ac praesidio communita, & praefectis passim novis constitutis, domum repetens, comitia Othoniae indicit, in principio ipso anni insequentis celebranda, quibus filius Ericus, pridem princeps designatus, etiam corona regni ornaretur. Vbi tempus advenisset, Lundiensis, neque ipse tantum emansit, sed & alios accedere nullos voluit, & edixit: *qui adessent, ac coronam in Ericum regis filium conferrent, uti sacris interdictum sibi scirent.* Accessere nihilominus, praeter proceres regni alios ex Episcopis, quos fideles illi dixi, licet tamen nemo eorum coronare Ericum auderet. Quod Novembri mense factum [a], quum comitia Hafniam rex transtulisset, a fidissimis senatorum, nullo Episcopo praesente. Quo peracto, rex praeterea ad senatum referebat: *pro comperto se habere, Lundiensem Romae adnisum, ut Pontifici persuaderet, regnum se per fas, & nefas, exclusis Abeli filiis, quibus illud deberetur, invasisse. Se, Episcoposque alios, sancte promisisse Abelo, & chirographo cavisse, liberos suos ipsi successores fore. Praeter haec, adversum illi, ordinique Ecclesiastico universo, ac decretis Pontificiis graviter vexare Clerum, quique ad eum pertinerent. Porro, petiisse item, uti ex Abeli liberis, ceu legitimis successoribus se exsuto, substituere aliquem vellet. Denique Mechtildem quoque Abeli viduam, impulisse, uti, quamquam Episcopo Othoniensi, data fide, viduam se permansuram promisisset,* CIↃ CCLVIII. *tamen*

(a) *Quod Novembri Mense factum*) Factum scilicet, ut ad Comitia a Rege indicta nonnulli Senatorum accederent; non vero, ut Senatores isti Ericum puerum coronarent, id quod facere nemo, nisi Episcopus, potuit. Quod, etiamsi vulgatissimum, tamen ob subobscuram Meursii hoc loco orationem moneo.

CIↃ CCLVIII.

tamen cum Svecorum duce matrimonium contraheret. Quibus rebus intellectis, visum senatoribus fuit, *non constare maiestatem regi suam, nec securitatem posse, nisi primo quoque tempore Lundiensis, & Episcopi nonnulli, aliique, qui in partibus eius essent, comprehensi in custodiam ducerentur*. Neque destitit Christophorus in quamcumque occasionem eius intercipiendi excubare. Verum nec idoneus locus, neque tempus opportunum ullum erat, ac metuebatur populus, in hunc pronus, ac praefectus Elsingburgi [a] eius frater. Quamquam sane alter frater Nicolaus, Lundiensium praefectus, animi vir moderati, ad consilia saniora, atque pacem amplectendam hortaretur. Quae quum ita se haberent, non evadere tamen potuit, quin initio Februarii,

CIↃ CCLIX.

cum exiguo comitatu, Gilsebergam, Scaniae pagum, prope Landescronam situm advenisset, frater ipsum, quem iam dixi, Nicolaus, & Henricus Meclenburgicus, noctu adgressi comprehenderent, Hagerscoviamque[b] abducerent, arcem in Fionia, munitam valde. Eo capto, iussi etiam prehendi, qui impensius favissent, in Ecclesia illa ipsa Archidiaconus, ac Praepositus. Idem & Episcopo Ripensi factum. Roschildiensis pariter, atque Othoniensis, sese fuga subducentes, mox proposito edicto, ex decreto Vethelano, totum regnum abstinere sacris iubent; & Pontificis confirmationem [c] addunt hanc in rem, Viterbii factam. Quumque in Scania id edictum & Sialandia, ac Fionia obtineret, tamen Cimbria contemsit. Et Rex contra ad Pontificem provocavit, adhortatus, *ut perpenderet, quam iniquum certe esset, homines Ecclesiasticos suam causam agere, & iudicare. Insuper, nec iustum esse, ut unius ob delictum hominum tam multa millia a communione sacra arcerentur*. Post hanc provocationem, ut consilia adversariorum eluderet, aut tantisper moraretur, dum cognosceretur causa, ipse publico edicto *omnes passim sacerdotes, quotquot Daniam habitarent, sacra celebrare* iubet [d], *quique illud detrectaret, is reditibus universis mulctaretur*. Inde, ubi intellexit, a Roschildiensi Episcopo, sicut & Othoniensi arma in se comparari; & Ericum Cimbriae australis ducem, ac Gerardum, & Ioannem comitem utrumque Holsatiae, Rugiaeque item principem, Iarimarum, de suppetiis compellatos; ipse quoque a Norvagiae rege Haquino, & Birgero Sveciae duce opem, ex compacto debitam postulavit, quam & illi promisere; & in bellum res apertum erupisset, ni, sublato mox Christophoro, vidua eius Margareta prudens femina, constitutis aliquot annorum induciis, dum Ericus sibi filius ad maturam regno aetatem perveniret, animos adversae partis tranquillasset. De Christophori autem morte varie auctores tradunt. Ac pars placide obiisse; pars, quis melior hic fides, Ripam Cimbriae digressum, ut consilia cum captivo ibi Episcopo, aliisque Ordinis Ecclesiastici, quos faventes sibi norat, de pacando regni statu agitaret, inter ipsa mensae hospitalis sacra ab Arhusiensi Episcopo Arnefasto, quem ad eam dignitatem contra voluntatem suam, Lundiensis pridem evexerat, interfectum, sive, ut nonnulli volunt, pane dato Eucaristico, quem veneno imbuisset [e], Quod profecto, ut omnino est horrendum,

(a) *Praefectus Helsingburgi*) Is vocabatur *Ioannes Erlandi*, non tantum Helsingburgi, sed totius Scaniae praefectus, vernacule *Gielkere*. Hoc enim vocabulo, provinciae isti peculiarii, ii, qui proxima a Rege potestate toti Scaniae praeerant, adpellabantur. Hvitfeldius ex chartis veteribus latine scriptis interpretatur, ut sit *Maior Baro terrae*.

(b) *Hagerscoviam*) Corrig. *Hagenscoviam*.

(c) *Pontificis confirmationem*) Non tantum illam, quae Viterbii anno 1257. data fuit, auctoritatis Decreto Synodi Vethelanae conciliandae gratia, sed novam, hoc anno 1259. (*Anagniae prid. Idus Iunii ann. V.*) a Pontifice impetratam, de interdicto per totam Daniam publicando, nisi Rex captos dimitteret. In illis Alexandri litteris dicitur, quod, quum caperetur Archiepiscopus, „ Satellites Regis vertici ipsius capel- „ lum de caudis vulpium imposuerint, & indutum veste laica, „ ligatis pedibus ad carcerem abduxerint. „ Ceterum plures super hoc negotio a Papa eodem tempore exierunt litterae, (quarum nullas apud Raynaldum exstare miror,) videlicet ad Episcopos Sverinensem, Lubicensem, Paderburnensem, ut „ nisi Rex Daniae Archiepiscopum, Praepositum, & Archidia- „ conum intra mensem liberos dimitteret, iisque satisfaceret, „ Regem, & ei adhaerentes excommunicarent; & si adhuc per „ alterum mensem in sua pertinacia permaneret, Daniae regnum „ interdicto supponerent. „ Eodem loco, & die scripsit Papa Episcopis Viburgensi, & Aarhusiensi „ omnibus ut modis la- „ borarent, ut Rex Archiepiscopum, Praepositum, & Archi- „ diaconum liberos dimitteret &c. „ Ne alias, si id negligerent, crederetur, ipsos a praedictis excessibus non esse immunes. „ Denique eodem die scripsit Principi Ruianorum, ut pro liberatione captivorum partes suas diligenter, & efficaciter interponeret.

(d) *Sacra celebrare iubet*) Nonnullos quoque edictis, & minis suis eo perduxit, etiam in ipsa Roskildensi dioecesi, postquam ternas litteras ad Capitulum Roskildense misisset, ultimis interminatus expulsionem e regno, & redituum privationem. Et paruisse tunc demum Capitulares, ceterosque Sacerdotes, liquidum est ex litteris Petri Episcopi Roskildensis ad idem Capitulum, queis significat, eos iam esse *irregulares*, quod *contra mandata Apostolicum, & suum* sacra ausi essent celebrare. Scriptae sunt illae *Scabrot* XI. *Kal. Aprilis* 1259. Ergo & recte existimo adnotatum esse a Chronici auctore, in *Sylloge* Ludewigiana *num.* III. *pag.* 81. *Interdictum pauci servaverunt in dioecesi Roskildensi, in Iutia vero nulli*. Ceterum Rex in istiusmodi suis ad Capitula (Lundense, Roskildense & alia) litteris, inter alia indicat, sese ab interdicto promulgato ad Papam adpellasse.

(e) *Veneno imbuisset*] Hvitfeldius utriusque de veneno famae meminit, in libris veteribus repertae. Vetus, & incertus, sed, ut videtur, coaevus auctor *Genealogiae Regum Danor.* quam Stephanius Svenoni Aggonis subiecit, *pag.* 221. tantummodo ait: *Denique aiunt eum veneno vitam finiisse*. Chronic. Sialand *pag.* 68. Rex *Christophorus Ripis peremtus est*. Chronic. *num.* VI. in Sylloge Ludewig *pag.* 156. *Christophorus veneno interfectus*. Aliud *num.* III. in eadem *Sylloge pag.* 82. *Christoph. Rex obiit Ripis, & sepultus est, tum proditiose occisus. Secundum vero alios veneno interiit*. Hos autem numero aequant, ac, ni fallor, superant, qui simplicis mortis meminere, sine veneno, eiusve subspicione saltem. Suntque Pseudo-Ericus Pomeranus, unus in *Sylloge* Ludewigiana, duo inter monumenta Benzeliana, Continuator Saxonis, *Epitome Histor. Dan.* lingua Saxonica, Thomas Gheysmer. Herm. Cornerus. Alb. Crantzius, alii. Illos, qui venenum in Eucharistia datum scripsere, si antiqui fuerint, hodie vix reperiri putarim; exstitisse tamen Svaningii, & Hvitfeldii aevo nullum dubium; sed quale, & cuius fidei potuerint testimonium praebere de re tanta, quamque aliorum aeque veterum, sive silentium, sive vaga subspicio, sive de veneno extra Eucharistiam dato relatio, non potest non dubiam reddere, iudicandum prudentioribus, atque in re historica paululum versatis relinquam. Interim ab Arnfasto veneno peremtum Regem, haud negabo, quippe quod constantissime persuasum fuit Reginae, & filio eius Erico, usque adeo, ut non veriti sint de fama illa, & persuasione sua ad Papam perscribere, quod ex litteris Vrbani IV. liquidum. Vid. Hvitfeld. in *Historia Erici VI. pag.* 312. An vero credes, si in Eucharistia peremtus fuisset, rem, quae tantopere scelus adgravaret, fuisse tacituros? Quid? quod a nipote Christophori Regis Erico Menvedo, hoc ipsum, inter alia, obiectum fuit Ioanni Grandio Archiepiscopo, quod dixerit: „ nemini adeo miram accidere oportere caedem Eri- „ ci, (qui pater Menvedi fuerat,) cum multi Reges Dano- „ rum similiter periissent, *avum enim Regis Christophorum into-* „ *xicatum*, & fratrem eius Regem Ericum submersum in ma- „ ri, nulla subsequenti vindicta. „ Quae verba leguntur in *Propositionibus* laudati Regis *contra Ioannem Grand* in Codice penes me manuscripto.

CIↃ CCLIX.

dum, ſic hiſtoriae, propter ſceleris magnitudinem, derogari fides poterat, niſi poſtea Bernardinus eam Monachus in Henrico Imperatore, nominis iſtius ſeptimo, ſuo exemplo adſtruxiſſet. Erat princeps bonus potius[(a)], quam felix, & aerarium quum exhauſtum, regnum autem perturbatum accepiſſet, ſuis quoque ipſe turbis involutus, neque illud locupletius, neque hoc tranquillius relinquere ſucceſſori potuit.. Liberos ex Margareta Pomerana habuit quatuor, quorum duo Nicolaus, & Valdemarus in infantia obiere; tertius vero Ericus regnum tenuit. Filia Mechtildis dicta, in Alberti Marchionis Brandeburgici matrimonium conceſſit. Margareta, uti dixi, poſt exſequias Chriſtophori, ut amoliretur bellum, quod inſtabat, pacem rebus filii ſui, tum decennis neceſſariam, procuravit. Hinc Norvagiae regi Haquino, ac Birgero Sveciae duci, qui auxilia a Chriſtophoro poſtulata iam paraverant, literis miſſis gratias agit, indicatque, *morte regem inexſpectata obiiſse, atque ea re coactam, donec filius adoleſceret, animum ad pacem vertere*. Et Haquinus, qui biennio ante egerat cum Chriſtophoro ſuper nuptiis filii Magni, ac ipſius ex Erico fratre neptis Ingeburgae, nunc easdem per legatos a materno eius avo, Saxone electore, petit. Qui quum illos ad paternos ſponſae amicos remiſiſſet, iſti in Daniam regreſſi, animum Ingeburgae tentant, & benignum experiuntur. Quae Haquino poſtquam ipſi nuntiaſſent, ille mox ad ſponſam accerſendam excurrit, & eamdem filio ſuo in Norvagiam abducit.

ERICVS VII.

Poſt Chriſtophori exceſſum, regnum traditum eſt Erico eius filio, regi pridem coronato, cum quo Margareta mater, ſupra ſexum prudens femina, aliquamdiu reipublicae clavum rexit. Prima initia Iarimarus Rugianus, quamquam cliens, perturbavit. Inſtigaverat per literas Alexander VI.[(b)] Pontifex, ac promiſerat, ſi cuſtodia Lundienſem liberaret, initurum a ſe gratiam, & a Deo ipſum caelum in mercedem habiturum. Nec Roſchildienſis deerat, paullo ante ad ipſum profugus; & conſtanter, ut pareret, hortabatur[(c)]. Itaque, ſic incitatus, claſſem parat, & invadit Sialandiam, ubi adiunxere ſeſe, qui captivum Lundienſem liberatum cupiebant. Margareta copias, quas poteſt, colligit; obiicitque ad Neſtvvedium[(d)], initoque illic praelio, victi Dani, decem millia ſuorum amiſere. Ac victoria iſta ferox Iarimarus, vicos paſſim, municipiaque diripit, & exurit. Hafnia quoque expugnata, arcem evertit, quaque parte urbem invaſit, etiamnum *Iarimari foſsa* dicitur. Roſchildienſis, quum in regnum rediiſſet, ſtatum interdictum renovat, & in pugna ad Neſtvvedium ſub vexillis Margaretae interfectos, ceu profanos, impioſque ſepeliri in ſacratis locis vetat. Inter haec, Holſatiae comites Cimbriam auſtralem invadunt, atque tractum eum totum ferro, ac flamma populantur; dum regina cum Erico in Fionia interiecta commoratur, militemque in ea inſula, Cimbriaque boreali adiacente, ſibi parat. Iarimarus, non contentus Sialandiam devaſtaſſe, etiam Boringholmum invadit, ac redacta in poteſtatem ea inſula, uti item Hammerſhuſa, arce illic munitiſſima, militem praeſidiarium partim occidit, partim in cuſtodiam ducit, pretio mox redimendum. Sed, dum Rugiam ſuam repetit, & in Scania vicum quemdam populatur, clare Deo latrocinium, ac perfidiam vindicante, interficitur; idque ignominioſe, manu feminae adacto in abdomen cultro. Margareta, ita hoſte Iarimaro liberata, Roſtochium evocat Albertum Marchionem Brandeburgicum; &, compoſita controverſia de Sophiae uxoris dote, etiam conſilium petit de adminiſtrando regno, accipitque. Mox, ſub ipſum anni initium, in comitiis rex Ericus, undecim tunc annos natus, coronatur.

CIↃ CCLX.

Vtque auſpicium regni ſui laetum faceret, viſum fuit ſenatoribus, ut dimitteret Lundienſem, liberumque in dioeceſin reſtitueret. Sed is, admodum praefracte, ut capeſſeret dioeceſin, aut conditioni ulli adquieſceret, animum inducere noluit, antequam rem totam Pontifex Alexander cognoviſſet. Itaque in Sveciam abiit, e qua regem, datis ad Pontificem literis, de illata ſibi iniuria criminari non ceſſavit. At Ericus,

CIↃ CCLXI.

uti porro Ordinem Eccleſiaſticum ſibi obſtringeret, reliquos itidem Epiſcopos, e cuſtodia dimiſſos, ſuae quoſque ſedi reddidit. Sed, quum illi nihilo aequiores forent, mortuo tunc Alexandro, & Vrbano itidem IV. in Pontificatu ſummo ſubrogato, ut conciliaret gratiam, per legatos novam illi dignita-

(a) *Bonus potius*) *Genealogiae* quam nuper laudavimus, coaevus Auctor, profuſus in eius laudes eſt. Ei enim *pag.* 219 eſt *re & nomine Chriſtophorus, ad nominis ſui iugiter attendens etymologiam. Chriſt-offer enim Chriſti oblatio interpretatur* (ſcil. Danico ex idiomate; in quo *Oblatio* vocatur *Offer*, Germanice *Opfer*,) *Patriſſans ſiquidem, patris ſtuduit opera feliciter exercere, patiens ad iniurias, nec earumdem praeproperus vindicator, ſed tamen non obliviosſus indultor; Religionis religioſus cultor, in bello miles ſtrenuus. & animoſus, eleemoſynis pie intentus, caſtitate a fratribus plurimum diſcrepans, prudens eloquio, moribus comtus, & omni virtutum honeſtate praeclarus; excepto quod pugnum contractum raro voluit in palmam oſtendendo porrigere*. Et circa finem: *Mortuus eſt autem in civitate Ripenſi Chriſtianiſſimus Rex Chriſtophorus*. Atque ex hoc ſpecimine liquere puto, Regem illum haud omnibus Monachis, aut ſacri Ordinis hominibus exoſum ſeſe reddidiſſe, quum inter eos prolixum adeo laudatorem etiam poſt fata invenerit.

(b) *Alexander VI.*] Corrig. *Alexander IV.*

(c) *Vt pareret hortabatur* ; Chronicon Nicolai Archiepiſc. Lund. anno 1259. „ Iarmarus Princeps Rugianorum Selandiam de- „ vaſtavit, procurante Petro Bangh, Epiſcopo Roſchildenſi, ne- „ pote eiusdem. „ Tam male deinceps audivit iſte Praeſul ob tantum in patriam ſcelus, ut poſtea anno 1264. neceſſe habuerit litteris ſibi providere, ab Erico Duce Sleſvicenſi datis; quibus Dux teſtaretur, Petrum Epiſcopum Roskild. falſo diffamatum eſſe, quaſi belli a Iarimaro in Daniam invecti fax, & tuba exſtitiſſet.

(d) *Ad Neſtvvedium*) Chron. Sialandiae ad d. ann. *Bellum fuit apud Neſtvveth inter ruſticos, & Iarmer*. His paria Ericus Pomeran. & alii. Herm. Cornerus *Col.* 904. „ Anno 1260. Ger- „ marus Princeps Rugianorum intravit Selandiam terrae Dano- „ rum, ſecundum Chronicam Danorum, ducens ſecum magnum „ populum, & obſidens oppidum Neſtwede, expugnavit ipſum, „ vaſtavitque multas villas circumquaque igne, & gladio innu- „ meros Danos occidit. Ob quod factum Dani in tanto odio „ habuerunt dictum Principem, quod pauperes, & mendici re- „ gni illius dedignantur eleemoſynas recipere ad orandum pro „ ſalute animae ipſius. „ Eadem fere habet Alb. Crantz. *Vandal. lib.* 7. *cap.* 28. Chron. MS. & aliud, inter Ludewigiana impreſſum: „ *Anno* 1260. *Iarimarus turpiter occiditur a muliere*.

CIↃ CCLXI.

tem gratulatur, postulatque: *uti regnum ab Erlando, homine sibi infestissimo, liberum praestare velit, simul etiam operam dare, uti regno, & Ecclesiae in illo tandem sua pax reddatur*. Insuper delicta indicat, quae cum ipse, tum Othoniensis praesul, ac Roschildiensis etiam admisissent. Et inprimis de Roschildiensi queritur: *post exhibitum Christophoro patri suo iusiurandum, Hafniam cum regni hostibus invasisse, atque arcem deiecisse; tum & dioeceseos reditus, ac pecuniam qualemcumque, quam colligere potuisset Iarimaro Rugiae principi, & Holsatiae comitibus, aliisque regni hostibus perfide suppeditasse; uti isto adminiculo regnum, atque regem ipsum eo acrius infestarent. Et armata quoque manu suam Roschildiensem dioecesin divexasse, editaque immani strage, quae a perduelle illic Iarimaro acta esent, adprobasse; hominumque decem millia, ea pugna in obsequio regis sui occisorum, locis sacris sepeliri vetuisse, ac solis hostibus, qui pro ipso dimicantes cecidissent, hunc honorem concessisse. Etiam cum Lundiensi obstitisse, quominus coronam acciperet; edixisse quoque Episcopis, ne inaugurationi quisquam interesse vellet; ac, si quis auderet tamen, ille sibi sacris omnibus interdictum esse sciret. Denique in literis suis nusquam regem, aut reginam nominare, vel adgnoscere.* Idem fere crimini Othoniensi datum fuit, additumque: *conscium fuisse caedis in Christophorum parentem* (a) *regem suum perpetratae. Tum & brachio seculari, & Abeli fratricidae ope adiutum, dioecesin occupasse. Item in comitiis Othoniensibus, quum ornare pater se insignibus regni statuisset, suo ex ea urbe abitu, quae proposuisset ipse, impediisse; reditusque dioeceseos transtulisse in Holsatos, ut ad regnum oppugnandum illis ipsis uterentur. Denique in Alsa arce, in Holsatia, consilia cum hostibus communicasse*. Lundiensi, praeter ea, quae iam ante in Christophori rebus dixi, improperatum; *quod, cum fidem, & obsequium iuramento obstrinxisset, nihilominus Iarimarum, & Holsatos contra regem adiuvisset; insuper confessus esset, milites ducentos circiter, e praesidio Boringholmi, suo suasu a Iarimiro, & Andrea item fratre interfectos, aliosque aut supplicio adfectos, aut abductos in compedibus, arcem ipsam eversam esse. Etiam impediisset, ne corona ornaretur, ac per literas a Pontifice petiisset, uti regnum in Abeli liberos conferre vellet. Milites quoque pro se fortiter pugnantes, quum in acie cecidissent, iure caesos, & indignos sepultura in locis sacris statuisset. Denique & pietatem regis sui, seu haeretici, ad Pontificis tribunal traduxisset*. Post haec, reversa e Svecia Mechtilda, quae post obitum Abeli in Birgeri Sveciae ducis, uti dixi, matrimonium concesserat, filium Ericum instigat, *ut ducatum Slesvicensem, morte Valdemari vacuum, sine liberis defuncti, postularet; ac paulatim ad ipsum adeo regnum Daniae gradum strueret*. Sed existimare Ericus, & regina Margareta, *eum iure excidisse, quod & ipse, atque Valdemarus frater hostibus se coniunxisent, & ad regnum infestandum arma sua, ac consilia commodasent. Velle tamen, ut maiores habuissent, ita ipse quoque acciperet, & adgnosceret, beneficium, non hereditatem esse*. In Ericum, incolae omnes (b) propendebant, & avunculi item eius Holsatiae comites, qui nepotem, viriumque mediocrem, quam potentem nimis regem, potius vicinum sibi habendum esse statuebant. Itaque auxilia addunt ipsi, aliique principes, quibus similis adfectus. Ac subnixus his Ericus, bellum infert, & ducatum per vim occupat. Rex, & mater obviam eunt, copiasque adversas ducunt, & in campo, quem Loheidam incolae dicunt, manus conserunt. Summam belli rex commiserat Petro Findio, regni equitum tribuno, & Ivoni (c) peditatui praefecto; Ericus, suis ipse praeerat. Acre sane praelium erat, & Holsati iam cedebant; quum tribunus, clam corruptus, item Ivo, praelii fortunam produnt; ac, cum suis recedentes, aliis quoque fugae occasionem praebent. Capitur rex, & regina item mater (d), & hic Alsam in custodiam; illa vero Hamburgum abducitur. Captus etiam Nicolaus Slesvicensium Episcopus, & Ioanni, Erici avunculo, adservandus demandatur. Ad victoriae huius famam Lundiensis ocyus e Svecia in Scaniam redit; neque diu hic moratus, Cimbriam australem petit, ac victorem rem Ericum incitat, ut Regina Margareta, & Episcopus Slesvicensis, antea benigne habiti, sub custodia arctiore tenerentur; efficitque, ut reginae mox excubiae adderentur; & Episcopus in catenis, ac compedibus haberetur. Inter ista, rex Svecorum Valdemarus Sophiae, Erici VI. ut dixi filiae, ante annos amplius duodecim iam desponsatae, matrimonium persequitur; quod regina quum captiva minime expedire posset, dat negotium id Alberto Bransvicensi,

CIↃ CCLXII.

avo

(a) *In Christophorum parentem*) Neutiquam illud ex vero Meursius; dum cetera ex Pontano, latino Hvitfeldii interprete, describit. Pontanus tamen haec dumtaxat *pag.* 358. „ Similiter „ & Othoniensis Episcopus insimulabatur, praeter cetera, quod „ *conscius fuisset caedis in Regem perpetratae*. „ Quid autem Hvitfeldius? Is planissime ea, quae nunc referam: „ Contra „ Ioannem Episcopum hae proferebantur adcusationes, quod „ conscius fuisset, auctorque detestandae *caedis in Regem Ericum* „ *perpetratae, cui caput in Mioesund amputatum fuit*. Quamvis „ enim se Slesvici de manu Regi illata purgasset, tamen ca„ ptum fuisse sua auctoritate Regem, haud potuit diffiteri &c. „

(b) *In Ericum incolae omnes*) Intellige Ericum Abelis filium, Ducis Valdemari defuncti fratrem.

(c) *Ivoni*) *Ivarum Tagonis* filium vocat Hvitfeldius.

(d) *Regina item mater*] Herm. de Lerbeke *Chron. Schovvenburg pag.* 513. „ Eodem tempore *Margaretha* Regina Daciae, vul„ gari nomine *Schvvarte Grete*, virago, & animum viriiem „ gerens, cum filio in magna populi multitudine Holsatiam „ vastans intravit. Cui Comites Iohannes, & Gerhardus cum „ suis ultra *Denevverck* audacter occurrentes, in victoria Comi„ tibus donata Reginam ceperunt, & secum *Hamborg* in cu„ stodia honesta potentes deduxerunt. „ Obiter hac occasione adnotabo, auctorem *Chronici* illius *Holsatiae*, quod sub titulo *Continuationis Helmoldi* evulgatum habemus a Leibnitio in *Accessionib. Histor.* (cuiusque, ut & hoc dicam, archetypon credo esse, quod in Biblioth. Regia heic habetur,) praeter alia imperite, atque insulse prolata matri Kanuti Valdemari I. filii adplicare nomen illud *Margaretae Nigrae* in annis 1174. & 1199. & quidem saepius. Errant itidem Broderus Boissen in *Chron Slesvic. Col.* 598. & Cypraeus in *Histor. Eccles. Slesv. pag.* 275. quod praelium *Lohedense* ad tempus Christophori referunt, eumque hoc captum memorant. Sed decepti fuerunt ab Alb. Crantzio *Saxon. lib.* 8. *cap.* 25. Sicque, ut videtur, a Cornero scriptore in annorum notatione parum accurato, *Col.* 910.

CIↃ CC LXII. avo Sophiae materno, ut in Daniam accederet, & ex ea sponsam abduceret ad Svecorum regem sponsum; simul ageret, quae ad liberationem suam, filiique regis pertinere existimaret: tum amicos imploraret, qui consilia, operamque hic coniungerent; & is, dicto morem gerens illico in Daniam venit; Sophiamque inde abductam Enecopiae sponso tradit; ac reversus, capta in Holsatia Plona, cum comitibus eius terrae, aliisque de reginae, filiique eius regis liberatione agit. Quumque illud effecisset, ut regina libertati redderetur, haec vicissim regnum ipsi nomine tutoris tradit; hactenus administrandum, dum Ericus, e custodia liberatus, adhiberi iterum posset: & Albertus, postquam illud admisisset, regni curam in se recepit; & ostendit, illos se habere hostes, qui Erico pridem genero, ac Christophoro, eius fratri, filioque eius Erico, nunc captivo, adversari ausi essent. Margareta, quum in regnum rediisset, Ingeburgam, Esberni Snarei (a) filiam, Petri Strangii pridem uxorem, quod consiliis hostium communicasse diceretur, regno expellit; quae dum fiunt, Ivo, de quo statim dixi, Nicolaum, Slesvicensium Episcopum, domo, in qua servabatur, ex insidiis occupata, libertati restitutum, hinc in Tream, praedium quoddam suum abducit. Iamque solus rex restabat, quem & ipsum Margareta liberatum maximopere cupiebat: & obtinuit, hac conditione tamen, ut Othoni Brandeburgico adservandus traderetur: isque interea Redesburgum, in sex millia selibrarum, quae Ericus restituere teneretur, pignoratum, Holsatis redderet. Ita liberato rege, clam Ivonem, Findiumque, comprehensos Neoburgum abduci iubet; ac, senatu convocato, agi in eos, ceu proditionis reos; qui pronuntiat: *turpiter deseruisse regem, ac reginam matrem, plurimosque e nobilitate regni; & captivitati eorum, ac calamitati publicae, ex hac ipsa consequutae, occasionem praebuisse, ideoque excidisse bonis suis; ac praeterea meruisse, ut suspendio, in exemplum, punirentur* (b); ad supplicium & hoc additum est: *ut arx Findii, Areschovia, funditus* (c) *dirueretur*. Haec quum ita acta essent, dux Albertus Brunsvicensis, quum administrandum regnum, ex reginae Margaretae voluntate, suscepisset; concitato rusticorum in se odio (d), & obsessus Helsingburgi, atque, arce expugnata, vix navicula elapsus, regno quoque ipso excedit. CIↃ CC LXIII. Rex Ericus, uti dixi, sub Othonis Brandeburgici potestate tenebatur; sed, quum postea Hamburgi nuptiae celebrarentur a Ioanne, eius fratre, cum Gerhardi Holsati filia, atque iis Margareta interesset, mox negotium transactum est; *uti ipse liber esset, & Alberti Brandeburgici, alterius Othonis fratris, simul annos pubertatis attigisset, filiam uxorem duceret, imputatis dotis nomine puri argenti selibrarum senis millibus. quae pro liberatione Otho frater pridem Holsatis remisisset; insuper Ericum etiam patruelem in ducatum Slesvicensem sub clientis fide admitteret*. Rex, iam libertati suae restitutus, quum Erlandum, se captivo in Holsatia, omnia molitum adversa comperisset; CIↃ CC LXIV. ac non tantum operam in id dedisse, ut & mater, & Episcopus Slesvicensis, sub custodia arctiore haberentur, verum etiam liberationem suam sedulo impediisse, iterum dat literas ad Pontificem, Vrbanum IV. postulatque: *uti, publicae pacis causa, quae constare regno suo aliter nullo modo posset, removere Erlandum velit: quod si faciat, se vicissim ad obsequium qualecumque promptum fore*. Inde ad insulam Boringholmum, & in ea arcem quoque Harmershusam, in potestatem reducendam, animum vertit, copiasque illuc mittit. Inter haec Vrbanus Pontifex, qui Erici literas iam accepisset, serio ad Erlandum scribit, admonetque: *ut se ultro dioecesi Lundiensi abdicaret: etenim compertum habere, eam ecclesiam, antea florentem maxime, ac*

(a) *Ingeburgam, Esberni Snar.*] Hoc desumsit noster ex Pontano, cuius similia leguntur ad h. an. *pag.* 360. Sed Hvitfeldius plane diversum habet, hoc scilicet: „ Cum Regina domum „ rediisset, Ingeburga Callindburgi domina, uxor quondam Du- „ cis Canuti, Hallandiae, & Samsoae Domini, (anno 1261. „ defuncti,) e regno est relegata, quod consilia cum hostibus „ regni clam communicasset. Erat illa ex prosapia Holsatica, „ nullosque ex marito liberos susceperat. Vixerat apud privignum „ suum Ducem Ericum, quem Canutus genuerat ex priore Co- „ niuge, Hedvvige Brandenburgica. Explura ergo sese recepit „ Hedebyam, Slesvicum alias vocatam, ubi anno 1267. vi- „ tam finivit. „ Haec sunt verba Hvitfeldii. Nunc quaeritur, quis auctor Pontano fuerit, ea, praeter morem suum, eliminandi, ut Ingeburgam aliam, coniugem *Petri Strangonis* [qui anno 1242. secundum Hvitfeldium, & veteres Annales obiit,] substitueret? Ego nullum hucusque recordari, aut invenire potis fui. Et aliquem tamen habuisse, quem sequutus sit, prope certum habeo, antequam tam notabilem mutationem susciperet. Sed quicumque, & qualiscumque ille fuerit, potior nobis erit Hvitfeldii observatio, sine dubio ex meliore fonte hausta. Neque enim firmum, aut indubitatum est, (si vel cetera constarent) *Petri Strangii* uxorem nomen Ingeburgae habuisse, quamvis sic nominetur in *Genealogia Domini Absalonis Archiep.* ex MSS. latinis a Ioachimo Wielando hoc seculo ann. 1712. publicata, & altera *Geneal. Danica* a Martino Petraeo anno 1589. edita; cum alia MSS. eaque probatiora, inque his *Catalogus illustrium Sorae sepultorum*, eodem Wielando editore, vocet illam ipsam, quae *Petro Strangio* nupta fuerat, Esberni Snaraei filiam, *Caeciliam*. Verba sunt *pag.* 37. „ in choro conversorum sepulta est nobilissima Matrona, & mul- „ tis seculis commendanda, Domina *Caecilia de Pethersburgh*, „ mulier eximiae virtutis, uxor clarissimi Militis Domini *Petri* „ *Strangessun*, ac mater Dominorum *Schelmonis* & *Petri*, Aru- „ siensis Ecclesiae Episcoporum sibi invicem succedentium. „

(b) *Suspendio punirentur*) Etiam cum Hvitfeldio ad annum 1262. refert breve *Chronicon*, *Sylloges* Ludewig *num. IV. pag.* 91. ut & alterum *num. XII.* sed alii ad ann. 1263. videlicet aliud *Chronicon num. VI. pag.* 156. & Erici *Historia gentis Danorum*, in qua haec extant: „ *Anno* 1263. *Ivvarus Takissen*, & *Petrus Findsson suspensi sunt*. „ Sic enim locus iste legendus: pro monstrosis illis *Taki scilicet*, & *Fyn scilicet*, merae inscitiae, & veteres Codices nostros legendi imperitiae adscribendis. Etenim quando in codice occurrebat, ut solet, h. m. *Takiß* & *Fynß*, putavit Erpoldus Lindenbrogius, (aut ille, cuius opera in describendo usus,) finale istud ß legendum esse *scilicet*; cum Danicis nominibus propriis adiunctum, denotat *son*, h. e. *filium*. Idem Lindenbrogianus error saepius in ultimis eiusdem libri pagellis repetitus, & conspicuus, mihi aliisque saepe risum excitavit.

(c) *Areschovia funditus*] Hoc factum an. 1264. memorant Erici Pom. *Historia*, Chronicon Sialandiae, duoque aut tria in *Sylloge Danicorum* Dn. de Ludewig.

(d) *Rusticorum in se odio*) Chronicon I. in *Sylloge Danicorum monumentor.* per Dn. de Ludewig publicata, *pag.* 31. *seq.* haec exhibet: „ Ann. 1262. Dux de Brunswich venit in Daniam, „ regnum devastaturus, & operatus est multa, & per manda- „ tum dicti Ducis, & Magistri Gerhardi, & Iohannis dicti Par- „ vi, (*sic legendum*) omnia bona Lundensium, & Roschilden- „ sium ecclesiarum sunt spoliata, similiter, & bona Canonicorum „ confiscata, presbyteri vero ignominiose capti, & captivati du- „ cebantur, & omnibus bonis suis spoliati. Quanta mala Deus „ permisit fieri per praedictos Ducem de Brunswich, & com- „ plices suos longum est enarrare per singula. „ Et deinde ad „ ann. 1263. „ Dux de Brunswich recessit de Dania cum „ magno dedecore, & captus est a Marchione Misnensi iusto „ Dei iudicio.

CIↃ CCLXIV. *ac prae caeteris excellentem, nunc ambitione sua, & avaritia adeo detritam esse, ut, quae annua selibrarum Sterlingensium sena millia nuper admodum habuisset, nunc vix solas centum redderet; inde violatum ipsi aliquoties sacramentum, ac consilia contra regnum saepe habita, foederaque adversa ista; suasisse etiam Iarimaro, Rugiae principi, ut ducentos, ab Erico Hammershusae in praesidio collocatos; trucidaret, atque arcem ipsam everteret; tum & regi, omnium consensu electo, item suo, se ferociter obiecisse: atque regem eum esse, aut futurum impudenter pernegasse: moxque etiam coronatum, quique ipsum coronasient, aut consilium in rem istam, atque opem contulissent, universos a communione sacra arcuisse; postea, ab hoste captum, cum regina item matre, & Episcopo Slesvicensi, laeto animo accepisse: ac Episcopo, suo quidem in Christo fratri, tunc honeste satis habito, sacri ordinis reverentia, compedes iniiciendas procurasse. Insuper, statuta Ecclesiae pro libidine permutasse; & Arnfastum in Arhusiensem pridem dioecesin induxisse: idque contra voluntatem ut reginae, sic & regis; cuius patrem, dato inter sacra veneno* (a)*, substulisse diceretur. Quibus rebus uti Deum, regem, ac reginam matrem, quam gravissime offendisset, ita tamdem se respiceret, & placare omnium offensam vellet: atque munus, quod invito quoque rege occupasset, traderet Halmstadiensis monasterii Antistiti: quem ecclesiae Lundiensi hac de causa commendatum item cuperet* (b). CIↃ CC LXV. Sed Vrbanus quum non multo post excederet, & Erlandus id acciperet, subrogato mox Clemente, item eius nominis IV. sperans sibi hunc benigniorem fore, ad eumdem salutandum Romam excurrit. CIↃ CC LXVI. Quae dum fiunt, quum obsidione longa Hammershusam rex in arctum redegisset, tamdem etiam ad deditionem cogit: & Andream Erlandi fratrem, illic capit. Sub id tempus Cardinalis Sabinensis (c), ab Vrbano paullo ante obitum (d) legatus, venit, ut tranquillitatem regno, regis, & Episcoporum, animis conciliatis, procuraret. Excipit advenientem honorifice rex Ericus, edocetque rerum statum: atque ille pollicetur, se ex aequo, atque bono omnia acturum esse. Quamquam mox, promissi oblitus, parti adversae se permiserit; etenim, in eius gratiam, paullo post Slesvicum adesse, regem, & reginam matrem, sine exceptione iubet. Quam quum institueret Ericus tamen, & obiiceret; *antea iam concessisse, ut, constituendae paci, loci optio sua esset, ideoque demirari, cur, sententia mutata, ita pro auctoritate imperium exercere vellet*: tum exponeret, *locum sibi, quem indiceret, nullo modo tutum esse; in quo ipse, cum regina matre sua, pridem per proditionem captus foret, & Ericus item patruus summo scelere interfectus*: denique ad Pontificem ipsum provocaret; indignatus Cardinalis, illico Lubecam abit (e); quo quum insequuti essent regni Episcopi, Roschildiensis, Ripensis, Slesvicensis, & Erlandus item ipse, qui adventus eius fama, iter inchoatum omiserat, accurrisset; statim regi, & qui alii Slesvicum convenire recusassent, sacris omnibus interdicit (f); etiam mandat, ut in tota dioecesi Burglanensi, ob patratum praesulis Olai caedem (g), interdictum servaretur: ac seorsum item regi, uti scelus, ne participasse ipse videatur, vindicaret; inde scribit ad Episcopum Lubecensem, imperatque, ut Ericum, Regem Daniae, ac reginam Margaretam, eius matrem, aliosque e sacro ordine, ceu adversos interdicto, nominatim indicatos, tota sua diecesi sacris arceat; &, ni faciat, muneris ereptionem comminatur. Quibus actis, Romam petit (h); & cum eo quoque CIↃ CC LXVII. Erlandus, omnium malorum auctor. Annus proximus nil Historia dignum dedit, regi per quietem actus (i). CIↃ CC LXVIII. Qui sequenti arcem

(a) *Dato inter sacra veneno*] Non legitur illud, *inter sacra*, aut ei simile quid, in litteris Papae; sed hoc dumtaxat, quod *veneno sustulisse perhiberetur*: quemadmodum rectius, ac citra interpolationem Pontanus habet *pag.* 362. Videri & ipsae possunt litterae apud Hvitfeldium *pag.* 312.

(b) *Commendatum item cuperet*] Meursius pro more suo brevis est; multaque circumcidit. Neque vel mediam heic partem criminum, quorum Archiepiscopus a Rege, & Regina insimulatus, enumerat. Verum reliqua cognosci possunt ex ipsa Vrbani IV. epistola ad Iacobum Erlandium, quam Hvitfeldius *pag.* 308. *& seqq.* totam, in Danicum sermonem versam, exhibet. Nescio cur supprimendam hanc duxerit Raynaldus, qui tamen citavit eamdem ipsam, sub numero *Epistolae* 148. atque ex criminibus Iacobi unum, idque meo iudicio haud levissimum, annotavit, videlicet, quod ad *tantam proterviam* Archiepiscopus ille *pervenisset, ut Orationem Dominicam, ac Symbolum emendare, vel corrumpere potius ausus esset, quo facto haereseos suspicione laborabat*. Haec Raynaldus ad an. 1264. §. 43. Sed inspiciantur ipsae Pontificis litterae, apud Hvitfeld. *pag.* 311.

(c) *Cardinalis Sabinensis*] Error est, in quem Meursius inductus a Pontano. Atque hic, quare deserendum sibi hoc loco putarit Hvitfeldium, qui *Guidonem tit. S. Laurentii in Lucina* rectissime, [& quidem ex authenticis Papae, & ipsius Cardinalis litteris] nominavit, non comprehendo. Equidem vixit per eadem tempora alius *Guido Episcopus Card. Sabinus*; & uterque conspicitur apud Panvinium *pag.* 156. *edit. primae*: missumque *Sabinensem* illum fuisse in Angliam an. 1263. patet, ex quinque Vrbani IV. *epistolis*, in Baluzii *Appendice Actor. veterum ad Concil. Gall. Narbon. n.* 31. - 35. Sed tam levis immutandi occasio audaciam excusare Pontani quomodo potest?

(d) *Vrbani ante obitum*] Haud multum inficiabor, eum ab *Vrbano* legationi in septentrionis regna destinatum, sed mandata, quae supersunt, litteraeque auctoritatis ipsi commissae indices, nomen Clementis PP. IV. praeferunt. Vid. Raynald. an. 1265. §. 57. & Spondanus *Tom I. pag.* 224.

(e) *Illico Lubecam abit*] Quin & pessima Regi officia apud Clementem IV. exhibuit: Vnde per acerba illa fluxit epistola Pontificis, quae apud Raynaldum extat d. an. §. 53. - 57. qua Erico Regi ingrati animi vitium exprobratur, monitaque minas, & auctoritatem spirantia, ingeruntur, ut Guidonis Cardinalis consiliis obsequatur, ac denique, nisi libertatem ecclesiasticam restituat eamque contra procerum iniurias tueatur, censurae intentantur. Nescio an plus aliquid, quam ibi legitur, ipse Iacobus Erlandius desiderarit.

(f) *Sacris omnibus interdicit*] Petrus Olai Minorita in *Continuat. Saxonis MSS.* „ Anno 1266. venit Guido Cardinalis, legatus „ Domini Papae in Daniam pro reformanda pace inter Re„ gem, & Archiepiscopum. Sed videns se nihil proficere, fe„ stinavit, egredi, excommunicans Regem Ericum, & matrem „ eius Margaretam cum multis aliis Praelatis, Clericis, Laicis, „ ac fautoribus eorum, regnumque supposuit ecclesiastico inter„ dicto, ipsas tamen sententias pauci observavere. Canonici ta„ men Ripenses, & Moniales ibidem, & Claustrales Ordinis „ Cisterciensis, & fratres Minores totius Daciae per octo an„ nos cum dimidio servaverunt. „

(g) *Ob Praesulis Olai caedem*] Hunc Dioecesis Burglanensis Episcopum, *Olaum Glob* dictum, nobilis quidam, atque, ut cognomen indicat, cognatus eius, *Ioannes Glob*, privatas quasdam ob iniurias, obtruncaverat. Facinus aggravabat, quod in aede sacra patratum fuit.

(h) *Quibus actis, Romam petit*] Constat ex aliis monumentis, anno 1267. Viennae fuisse, & Concilium ibi celebrasse. Taceo plures legationes eiusdem Guidonis, Salisburgensem, Pragensem, Hungariam, Polonicam, & nescio quas alias.

(i) *Regi per quietem actum*] Imo per summam inquietudinem. Fuit enim iste annus 1267. quo maxime fervebant lites, & pro-

CIↃ CC LXVIII. cem Coldingensem munit (a); obicem in regni limite, ad australium Cimbrorum irruptionem prohibendam, amnem quoque, qui e proximis paludibus oriundus, urbem ipsam ad meridiem praeterlabitur, & in mare se exonerat, ponte sternit; quo excurrere in ducatum Slesvicensem, quoties vellet, ac redire in regnum posset. Hinc Faurendaliam contendit; atque cum Svecorum rege Valdemaro colloquutus, de negotiis, quae ad regnum utriusque pertinere viderentur, domum redit. CIↃ CC LXIX. Moxque Albertus Brandeburgicus, ut Erici amicitiam, & per hanc potentiam quoque duplici affinitate sibi firmiorem redderet, Mechtildam, sororem eius, per legatos in uxorem dari petit, obtinetque. CIↃ CC LXX. Inde ad condendas leges, populo suo profuturas, animum Ericus vertit: quumque nuntiatum esset, Novogardios, Lithuanos, Moschos, & Semigallenses, in Esthoniam irrupisse; oppidisque eorum aliquot interceptis, vix Revaliam se tueri, copias mittit, & Mathiam his praefectum (b) qui gravissime laboranti opem ferret. Is, quum classem appulisset, hoste se obiiciente, praelium init, acriterque diu pugnat, ac victoria potitur. Sed, dum fugientes urget, & incautius persequitur, ipse cadens, gaudium successus minuit. CIↃ CC LXXI. Inde nuptiae Alberti Brandeburgici, cum sorore Erici regis, a biennio iam petitae, maximo cum apparatu celebratae; & laetitiam paullo post exortum bellum inter regem, & Ericum Slesvicensem, patruelem, perturbavit. Offendebat animum regis, suos in ducatu illo rusticos vexari gravius, ac petentibus ius negari: & Ericum evocatum comparere noluisse: tum de Alsia, insulisque adiacentibus controversia item erat: etiam de Ripensi limite, & paternis in ducatu illo bonis: quaeque liberi Abeli itidem in regno haberent. Ad haec carceris memoria, pridem offensum, in vindictam incitabat. Itaque cum magna manu in ducatum rex invadens, captam primo Tunderae arcem solo aequat: inde Hadersleviam ducens, ac Flensburgum, urbem utramque, cum ducatus parte maxima, nullo se obiicente, suam in potestatem redigit. CIↃ CC LXXII. Inde, mortuo Erico, summo semper adversario, & uxore, filiis relictis tribus, Abelo, Erico, & Valdemaro, quum tutelam eorumdem in se ipse devolutam suscepisset, ac Slesvicum ideo Ioannem Wittingium, cum praesidio praefuturum ablegasset, ea res occasionem motuum novorum dedit; nam Ioannes, & Adolphus, Holsatiae comites, filii Ioannis I. & Erici tunc defuncti consobrini, quique alii ex eadem domo erant, suum id negotium esse arbitrati, arma capiunt, ac, trans Eidoram progressi, copias in regem ducunt: qui propositum tamen urget, perficitque: ac ducatus praefecturam, quo Holsati acquiescerent, filio Erici maximo, fratribusque, si sic forte usus ferret, se daturum pollicetur. CIↃ CC LXXIII. Hinc Agnetam Alberti Brandeburgici filiam, ante decem annos pactam; uti supra memoratum, coniugem Slesvici ducit; nuptiasque inter ludos, & equestria exercitia magno apparatu peragit. CIↃ CC LXXIV. Post haec, quum Gregorius X. tunc Pontificatum gereret, & concilium Lugduni apud Gallos indixisset, huc ablegat, qui negotio Erlandi (c), necdum etiam quiescentis, semel tamdem finem imponerent; & hi referunt, id Pontifici placuisse; ut, in gratiam restitutus, insuper argenti puri selibrarum millia quindena acciperet. Verum ille, reditum in Galliam parans, quum adire in itinere Rugiam constituisset, diem illic suum obiens, magno regem, isto quoque inimico liberatum, gaudio afficit: sed quod clades, in Osilia mox accepta, temperavit; nam quum illam Lithuani, ac cum his Semigal-

len-

protestationes inter Regem, Regiosque ab una parte, ab altera vero Cardinalem, eiusque socios, & clientes Lubecae per magnam anni partem commoratos. His addatur quod Petrus Olai Minorita annotavit in libro MS. nuper laudato. „ Anno 1267. regnum suppositum est interdicto, vel potius hoc „ renovatum. Et celebratum est concilium a quatuor Episcopis, „ scil. a Iacobo Archiepiscopo Lundensi, Petro Rosckildensi, Esgero Ripensi, Bundone Slesvicensi; in quo concilio excommu- „ nicati sunt Thuco Episcopus Arusiensis, Ioannes Burglanensis, „ & plures alii Praelati „: scilicet quotquot ex Praelatis partibus Regis adhaerebant.

(a) *Arcem Coldinghe munit*] Chronic. Sialand. ann. 1268. *Castrum Kaldingae reaedeficatum est a Rege Erico*. Continuator Alb. Stadensis, ab Andrea Hoiero editus, *pag.* 4. *Anno Domini* 1268. *Ericus Rex Danor. aedificavit castrum Coldinghe contra Ericum Ducem Iutiae*. Cornerus *Col.* 919. „ Ericus „ Rex Danor. filius Christofori, secundum Chronicam Danorum, „ reaedificavit castrum Coldinghen, Quod causam schismatis mi- „ nistravit inter se, & Ericum Ducem de Slesvic, & multa in- „ de mala secuta sunt in utriusque terris. „

(b) *Matthiam his praefectum*] Chronicon *num. III.* in *Sylloge* Ludewigiana *Danicorum*: *Anno* 1270. *Bellum fuit in Esthonia, & Matthias Dapifer corruit*. Recte. Nam, & Hvitfeldius *pag.* 326. testatur, Matthiam hunc fuisse *regni Drotsetum* (Danice *Drost*) quod munus in regno summum a rege erat, ac in tabulis veteribus latine scriptis communiter vocatur *Regni Dapifer*.

(c) *Negotio Erlandi*) Occurrunt in *Annalibus Eccles.* Odorici Raynaldi, litterae Regis Erici, & Margaretae matris eius ad Sedem Apostolicam, Clemente IV. iam defuncto, scriptae *Nyburgi* anno 1269. 4. *Non. April.* atque ad perferendum datae Magistro Nicolao Regis Cancellario, & Petro Archidiacono Aarhusiensi, queis iniunctum erat, ad exitum causas, & negotia deducere, quae inter Regem, & *quosdam Praelatos, & personas ecclesiasticas*, videlicet Iacobum Lundensem Archiep. Petrum Roskild. Episc. Magistrum Bo, Canonicum Ripensem, & David, rectorem Ecclesiae de Ruthe Roskildensis dioecesis, vertebantur. Deinde commemorat Raynaldus (ad ann. 1269. §. 10. Iacobum Lundensem anno 1272. tunc Vrbevetere in Pontificia aula agentem, litteris publicis professum esse, „ se controversum illud ius ecclesiasticum virorum ecclesia- „ sticorum arbitrio permittere; qui si inter se dissentirent, res „ ad summum Pontificem deferretur, Quod vero ad rem pro- „ fanam spectaret, communes amicos tum a se, tum a Rege „ deligendos, qui litem dirimerent: Ceterum sedem Lunden- „ sem se repetiturum, si Ericus rescripto tum Regio, tum a- „ liorum viginti Daniae procerum chirographo munito, suae, ac „ suorum incolumitati caverit „. His pactionibus assensisse Ericum, adiecta hac in litteris verborum forma: *Nos igitur Ericus Dei gratia Danorum Sclavorumque Rex, & Dux Esthoniae huic supradictae compositioni consentimus, & eam promittimus observare. In cuius rei testimonium praesentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum. Datum apud Nikopingh anno Domini MCCLXXII. in die Matthiae Apostoli*. Ereptus vero est paulo post e vivis Iacobus Erlandius Archiepiscopus, uti ex Petri Episcopi Roskildlensis litteris, Syoburgh X. *Cal. Iunii* anno 1274. exaratis patet. Denique subiicit laudatus historicus literas Petri Roskildensis *anno ead.* 1274. *mense Maio* scriptas, queis profitetur *omnia, & singula, quae inter Ericum, & matrem eius Reginam ex parte una, & se ac Ecclesiam Roskildensem, ex altera, tam in curia Romana, quam in regno Daciae, a tempore Christophori Regis mota essent, nunc sedata esse amicabiliter, & sopita, ac finaliter terminata*. Chronicon *num. III.* inter Ludewigiana, *pag.* 84. anno 1274. *moritur Archiepiscopus Iacobus, in reversione de exilio factus Frater Minor Lundis, apud quos requiescit in choro sub lampadis lapide*. Sed Magnus Matthiae in *Catal. Episc. Lund. pag.* 75. *Anno Dom.* 1274. *XII. Kal. Martias, i. e. Febr. die* 18. *moritur Iacobus, ab omnibus fere suis desertus. Sunt qui in exilio mortuum scribant. Alii perhibent Lundiae sepultum in aede eorum, qui Minoritae dicti erant, quae nunc solo aequata est*.

CIↃ CC LXXIV. lenses vi invaderent; & magister equitum Teutonicorum Sigefridus, qui Revaliam cum praesidio istuc temporis tenebat, & Episcopus Torpatensis Fridericus, ac Hermannus Lealensis, se in glacie opponerent, cecidere equites quinquaginta duo, & sexcenti ex militibus caeteris desiderati, sauciusque Lealensis, ita ut victoria hosti, quamlibet cruenta, cederet. CIↃ CC LXXV. Hinc conventus omnium ecclesiarum indictus fuit: in quo regnum interdicto, sub quo annis novem fuerat, absolutum; decimaeque, ad gerendum contra Saracenos bellum, postulante id Pontifice, in sexennium concessae. CIↃ CC LXXVI. Inter haec, quum principum in Svecia fratrum odia iam exarsissent, nec exstingui, Valdemaro universis dominari cupiente, ulla ratione possent, Magnus, dux Nicopiensis, imparem se illi videns, & in Daniam profugiens opem ab Erico petit; isque eam, icto Sunderburgi foedere, pollicetur; Magno contra, pro suppetiis, sexies argenti puri mille libras promittente. Itaque contractae copiae, cum e Dania, tum Germania; addiditque rex e suis, CIↃ CC LXXVII. equites cataphractos centum; quis praefecti, Iacobus, Hallandiae comes, & Stigotus, regni equitum tribunus [a]. His auxiliis comparatis, Gothiam occidentalem Magnus petit; aut in pugna fortiter cadere, aut depellere Valdemarum regno certus: Neque defuit successus; quippe victor, fratrem victum huc adegit, ut, contentus Varmelandia, Gothiaque, quamlibet haud universa, regnum ipsi deinceps possidendum traderet; nempe ita evenire fere solet, ut, qui aliena bona detinere iniuste cupit, sua etiam, referente vicem Deo, iuste amittat. Quae dum fiunt, rex Ericus, quum comitia Neoburgi indixisset, filium, cognominem sibi, trimulum tum successorem designari sibi curat. Ac consentiebant proceres, nisi quod Stigotus solus minime assensus fuerit; sive etiamtum absens, belli causa, cui cum Hallandiae comite antea praefectum dixi, sive ob aetatem pueri nimis teneram; sive quod uxori stuprum, nam & illud memoratur, rex Ericus per absentiam intulisset. Bello Svecico finito, quum auxilia Magnus a se dimisisset, nec stipendium, ut videtur, exsolvisset, eaque in reditu suo, pagos aliquot populata, damnum Sveciae intulissent, mutuae haec res offensae inter regem utrumque fuit; magis etiam irritatum, quum promissa sena selibrarum millia rex Ericus postularet, neque Magnus exhiberet. Itaque rescissum foedus, & quaecumque Sunderburgi anno superiore acta. Atque Magnus prior etiam arma capit; &, in Scaniam irrumpens, obvia quaeque loca vastat: sed repressus ab Vffone, regni equitum tribuno, quem Ericus cum delecta manu obiecerat, pedem refert; & Ericus, ut ulsciseeretur damnum, clam ad Valdemarum mittens, si obsequium praestaret, regni restitutionem pollicetur; isque, apud animum reputans, se, Danorum ope victum, regno pridem excidisse; ac, iisdem adiutantibus, se recuperare quoque posse sperans, in Erici partes transit: & denuntiat mox Magno, *minime placere sibi distributionem regni, quam instituisset nuper, itaque omnino sibi certum esse, vel redigere universum in potestatem, vel amittere etiam partem perinique adsignatam.* Inde loca multa vastans, ac ne sacris quidem abstinens, ferro, & igne pergrassatur. Inter quae quum copiae e Dania novae advenirent, eas improviso adortus Vffo Carolus [b], Svecici exercitus ductor, fundit, & in fugam agit, ducibus ipsorum captis. Ex qua strage quum elapsus Valdemarus se in Daniam recepisset, cum Erico se coniungit; &, accepta magna manu, Gothiam occidentalem totam invadit, diripitque: nihil prohibente Magno, & hanc Valdemari terram dictitante. Quibus cladibus moti proceres, auctores fuere Magno, ut stipendio, quod debebat militi Danico, persoluto, amicitiam cum Erico, pridem initam, & diremptam imprudenter, repararet: Quod & fecit; redditisque Valdemaro, quas habuerat, ditionibus, pacem accepit; quae dum fiunt, mater regis, Margareta, dat Revaliae potestatem [c] eligendi sibi Episcopi, inconsulto Lundiensi, cui suberat, Archiepiscopo; atque ipso Daniae rege; quam illius indulgentiam etsi quidem rex Ericus, sive matris reverentia, sive pietate sua, approbasse videatur, tamen eius successores nullo modo concesserunt. CIↃ CC LXXVIII. Post haec graviter rex Norvagiae, & Ericus dissedere: quaeque in principio simultas primo erat, dum paulatim invalescit, bellum evadit. Causa fertur [d], quod suspectum sibi Ericum haberet Magnus, quasi bona uxoris suae, Ingeburgae, filiae Erici VI. in hoc regno haereditaria, interverteret; quum Ericus id negaret, & a duce australis Cimbriae ea ipsi postulanda esse ostenderet, prior occupavit Magnus; Scaniamque classe adpellens, postquam copias ad Scanoram eduxisset, & occurrerent indigenae, pugnam iniit: qua superiores Dani, quinque millia Norvagorum ceciderunt; ac repressus ista strage, retrocessit, & reliquias reduxit; sed identidem revertens, siquidem extremam Cimbriam borealem varia incursione divexaret, tamdem, principum interventu, quamquam admodum difficulter, atque post Erici caedem, pax est facta. CIↃ CC LXXIX. At Ericus, profligato ad Scanoram urbem hoste, quum Svecorum regis filios adiuvisse intelligeret, ut ulcisceretur factum, in Gothiam occidentalem copias infestas ducens, eam universam vastat. CIↃ CC LXXX. Verum Magnus, pacis amans, & consulere regno cupiens, foedere se arctiore cum Erico mox coniungit.

Con-

(a) *Stigotus. regni Equitum tribunus*) Ita nostro familiare semper, & consuetum, supremum militiae regni praefectum adpellare Danicum muneris nomen erat *Rigens Marsk*, quod *regni Mareschallum* sonat. Sed de hoc plura alias.

(b) *Vffo Carolus*) Corrig. *Vlfo Caroli*. Sic & nominant omnes Sveci. Nescio ergo, cur Raynaldus ad ann. 1284. §. 24. hunc putarit eundem esse cum *Vlphone Hollingeri*, cui matrimonium permisit Pontifex cum consanguinea Regis Sveciae. Ipse enim Ioannes Magnus Gothus, quem citat, *Vlfonem Caroli* habet.

(c) *Revaliae potestatem*] Diploma produxit Hvitfeldius *pag.* 343. & Pontanus *pag.* 369.

(d) *Bellum evadit. Causa fertur*] Norvegici Annales aliam belli causam adferunt, hanc nempe, quod Dani Svecos ad bellum contra Norvegos incitarent, ac vicinos populos inter se committerent. Vid. Torf. *Hist. Norv. Part. IV. lib. 6. cap.* 12.

CIↃ CC LXXX. Conveniunt uterque in limite Gothiae occidentalis, & Sconingiae [(a)]; transfiguntque, in hunc modum: *uti Magnus e sex millibus selibrarum, quae debebat, propter damna, quae a Danis accepisse querebatur, duo tantum exhiberet; quod dum fieret, arx Lodosia pignori Erico cederet; qui Suentoni Ploco traderet, equiti Sveco, seu Borusso, uti alii sunt auctores, cum praesidio tenendam: isque selibras ipsi centum, donec summam universam exsolvisset, annuas repraesentaret.* Egit etiam Ericus, uti Magnus Valdemarum, fratrem suum, & in gratiam reciperet, & tributam ante terram restitueret: isque, hac contentus, deinceps vitam ageret privatam. Ita demum constituta amicitia, magno populus utrimque gaudio adfectus fuit. Hinc, ut domi res componeret, Neoburgi procerum conventum indicit, oneraque, quibus illi se gravari querebantur, minuturum pollicetur. Etiam decretum edit, quod ad calcem legum Sialandicarum mox adiectum. Litis vero inter se, ac Valdemarum Slesvicensem, super Alsia, aliisque item insulis, atque locis, dat arbitrium decemviris in rem illam constitutis, qui pronuntiant, *regi in haec loca omnia ius, ac potestatem esse, & obnoxios eius sacramento incolas, tantum excipi, quae seorsim unicuique filiorum Valdemarus, eius nominis secundus, in hereditatem certam adsignasset.* CIↃ CC LXXXI. Inter quae dum conquiescit, subditorum animos perturbavere visi in aere dracones duo igniti, inter sese concertantes, ac gravissimam regno pestem, & incendia frequentissima, quae mox sequutura essent, portendentes. CIↃ CC LXXXII. Quippe proximo statim anno tanta fuit pestilentia, ut e medio tolleretur ingens hominum, pecorumque omnis generis multitudo. Passim etiam aedes plurimae, sacrae pariter, ac profanae, & in istis urbis Lundiensis summa [(b)], conflagrarunt. Adeo ut ignis ille, quem dracones prae se tulerant, modis omnibus in quaecumque sive loca, sive item animalia, vehementer grassaretur. Obiit quoque regis mater Margareta, quae prudentia singulari annis tribus, ac viginti filium, & regnum eius gubernaverat. CIↃ CC LXXXIII. Cuius morte hactenus repressi ab ipsa, surrexere in Ericum, Valdemarus dux Slesvici, & Iacobus Hallandiae comes, ac Stigotus, regni equitum tribunus, aliique. Atque Valdemarus quidem, non dumtaxat Slesvicensium ducatum, sed & alia quaedam bona, veluti ex patrimonio sibi debita, postulabat; ac Iacobi eadem querela erat: & Ericus, ut priores istos duos denuo conciliaret, Valdemaro Cimbriam australem tradit, & Hallandiam Iacobo, idque clientelae nomine; verum neutri, alia etiam exigenti, satis facit. Stigotum vero, ceterosque velut coerceri faciles, insuper habet. Inter haec Revalienses natam de solutione decimarum controversiam ad tribunal regis deferunt; isque, ubi cognovisset, sic pronuntiat: *ut Esthonii, qui clientum regiorum terras ullas possiderent, modios Episcopo frumenti duos exhibere in iugera quaeque tenerentur.* CIↃ CC LXXXIV. Atque vix haec constituerat, quum Haquinus rex Norvagiae [(c)], inchoatum a parente Magno bellum, dotis Ingeburgae causa, uti paulo ante dixi, prosequendum arbitratus, oram Daniae maritimam, quam gravissime infestabat, & in Cimbria boreali Scaga exusta, damnum accolis magnum insuper inferebat; iterumque ab alia parte in australi turbas dabat Valdemarus, eam deinceps, sine clientelae nomine, & hereditariam, concedi cupiens. Atque rebus, ut putabat, foedere cum variis principibus icto, confirmatis, palam apud Lundiensem Archiepiscopum testabatur: *quando Ericus, ac Christophorus eius pater, & regina Margareta ab Abeli avi morte illud egerint, uti liberi, & nepotes, arcte habiti, porro semper premerentur, ac ducatum Slesvicensem ex hereditate debitum, ceterumque patrimonium per iniuriam retinuerint, certum sibi, quod in Daniae ipsum regnum, aliaque territoria ius haberet, vindicare.* Praeter haec petebat item: *ut in acta haec referret, & hanc sibi, fratribusque gratiam faceret, ut Pontifici indicaret, quam indigne ab Erico, ac regina Margareta in hoc tempus habiti essent.* CIↃ CC LXXXV. Sed Ericus sic tumultuantem opprimit; ac, traiicere in Norvagiam cupientem, ut cum rege nova illic foedera pacisceretur, Helsingorae comprehensum, in Seburgum arcem includit. Sicut vero rex Norvegiae Daniam, quo modo dixi, infestabat, ita Alphus Ellingsonius, cognomento Ferus dictus, qui piraticam exercens, magno nominis terrore totam regionem impleverat, & in maris Balthici ingressus sinum, situm illic Callenburgum oppidum munitum val-

(a) *Et Sconingiae*) Intelligenda hic *Scania*. Pontanus in huius conventus narratione utitur vocabulo Schoningorum *pag.* 370. „ *Ad limites*, inquit, *quibus Westrogothi a Schoningis separantur*. Sed *Schoningi* illi, sunt populi *Scaniae* incolae, alias *Scani*, vel *Scanenses* Meursius apud Pontanum *Schoningos* legens, inde formavit *Sconingiam*, non quidem magno errore; nam & Danice nonnumquam occurrit, praesertim in priscis metris, *Schoninge-Land*.

(b) *Vrbis Lundensis summa*] Sed nusquam, & a nullo scriptore proditum, aedem Lundensium summam hoc anno conflagrasse. Roskildense fuit templum S. Lucio dicatum, quod incendio corruptum, ac paene deletum hoc anno. Chronicon *num. VI.* in *Danicis* a Domino de Ludewig collectis *Anno* 1282. *Ecclesia S. Lucii Roskildis miserabili incendio periit*. Liber Daticus Ecclesiae Roskild. MS. *Anno* 1282. *VI. Kal. Sept. Ecclesia . Lucii Roskildis exusta est circa meridiem*. Sic & alii. Hvitfeldius vero sic exprimit *Aar* 1282. *brende Ludz Kirke*. Quod legens Meursius, credit *Ludz* illud, significare *Lundam*, cum *S. Lucii* sit vocabulum.

(c) *Haquinus Rex Norvagiae*] Cum neque Hvitfeldius, nec Pontanus hoc quidem loco *Haquini* nomen offerant, multoque minus veteres Chronographi, & Annalistae, quaeritur unde Meursius illud *h. l.* desumserit? Nempe, ex Pontani illis, quae ad annum 1280. attulit, (*pag.* 371.) de successione Regum Norvegiae; ubi Scoticis potius, quam domesticis scriptoribus sese adhaerere profitetur: Pessime omnino, atque imprudenter, praesertim in rebus adeo recentis memoriae, eorumque temporum, quae scriptoribus, & Annalistis, & hic, & in Norvegia magis, abundabant, monumentaque, & scripta publica, omnibus annis edita, adhuc ostendunt. Itaque incurrit hic Pontanus censuram Torfaei, *Hist. Norv. Part. IV pag.* 345. ostendentis, doctum illum virum, Scotos secutum, vehementer hallucinatum. Quid? quod errorem popularium suorum ipse Thomas Ruddimannus agnovit, ad Buchanani *lib.* 7. *cap.* 62. & ex Archivis Scoticis refutatum ivit, Torfaeo plene adstipulatus. Ceterum Hacon (vel Haquinus) *Magni Legislatoris* filius, anno 1270. natus, maiorem natu fratrem *Ericum anno* demum 1299. sine liberis mortuum, in regno excepit, coronatus ipso anno 1300. Igitur hoc loco non alius intelligendus, quam *Ericus*, *Magni* filius *Legislatoris* cognominati, *Haquini* senioris nepos. De hoc autem *Erico*, paria cum Meursio (solo nomine, ut dixi, excepto) narrant ceteri nostrates, atque ipse Torfaeus *Tom. IV. pag.* 371.

valde expilabat. Valdemarus Slesvicensis, in custodia aliquot iam menses habitus, tandem principum variorum interventu liberatur, scripto publico prius fassus, *se errore iuvenili, ac consilio perverso temere abductum esse, uti Alsiam, aliaque item loca in ducatu Slesvicensi, quae ad regnum pertinebant, ceu hereditatis iure usurparet; itaque se illis cedere, & permittere cuncta regi. Tum moneta Slesvicensis uti regis quoque nomine cuderetur. Sancte insuper pollicitus, non re ulla, aut consilio regis sui, sive caedem, seu captivitatem aliquam adiuturum, neque operam collaturum, uti regiae ditiones, oppidave, aut municipia, item arces regi umquam eripiantur, neque moliturum quidquam, quo in regiam maiestatem deliquisse merito censeri queat. Contra vero, fidem porro intemeratam, & obsequium summa cura habiturum. Bellum quoque, si vel propulsandum ullum, sive inferendum erit, rege ita exigente, operam paratam fore, ac comitiis, quandocumque indicerentur, nisi causa sontica prohibeatur, adfuturum. Foedera cum nullo quaequam regi adversa, sive regno initurum, quae iniverit ab his discessurum esse. Neque bona, quae pertineant ad Erici VI. filias Ingeburgam, Sophiamque, & sorores aut heredes retenturum; verum ea, si quae in ducatu suo sita fuerint, haud gravate traditurum; ac si controversia aliqua inter regem, se, suosve oriatur, eam non vi defensurum, sed inprimis curaturum, ut secundum leges patrias in comitiis, coram iis, quorum hoc negotium erit, decidatur*. Huic scripto manu sua non subscripserat dumtaxat Valdemarus, sed sigillo quoque suo id firmaverat; item principes, quorum precibus ipsi pax haec impetrata, iusiurandum exhibuere, *si quid contra aliquando moliretur, illud se prohibituros, nec consilio, operave umquam adiuturos esse*. Istis ita constitutis, postquam pacem demum certam habiturum se putaret, misere occisus periit; quum vixisset annos septem & triginta, regnum septem & viginti tenuisset. Coniurarant in ipsius caedem novem ex proceribus ipsis regni, inter quos Iacobus quoque Hallandiae comes. Atque hunc exstimulabat, quod captivo Valdemaro, eius nominis Secundo, quum is liberandus esset, comitatum Sverinensem, facta permutatione pro Hallandia tradere coactus esset; & nunc etiam sub clientis illam fide possidere cogeretur. Ceteros, iniuria sua impellebat, qua adfecti in uxoribus, sive filiabus erant, quarum honorem per libidinem minuisset. Insuper & dominatum in subiectos praeferocem, neque tolerandam ultra avaritiam incusabant. Itaque quum conspirassent, tempus caedis illud exspectandum censent, quo in Cimbriam borealem ad dicendum ius abire consuevisset. Idque postquam advenisset, illuc se recipientes, nocte quadam Finderupae extra oppidum Viburgum, fessum a venatione, & in lecto dormientem oppressere. Extra pagum in medio campo collis erat, ad quem ubi convenissent, denuo inter se iurant, *& patrare caedem certos, & quaecumque eventura inde essent, forti item animo pati*. Hinc in regem contendentes personati, ne cognoscere quisquam posset, somno obrutum invadunt, adiuvante eos Rannone, qui Erico a cubiculo, & consiliorum conscio. Ita misere Ericus ad vicesimum secundum Novembris diem trucidatus, quinquaginta sex vulneribus, vel, ut alii commemorant, septuaginta, vitam finit. Diu vero auctores caedis latuere, neque cogniti fuissent, nisi sane conscientia facinoris nullum sibi locum tutum in Dania existimantes, ad Norvagiae regem Haquinum [a], regni hostem fugientes, & recepti in Congellam illic arcem, ipsi sese prodidissent. Finderupae, ubi perpetrata caedes, tenue sacellum structum, pridem etiam, sed ruinae suae proximum, visebatur. Funus regis, mox Viburgum deportatum, in suprema illic aede, cui ante insulam Lesoam dederat, terrae demandatum fuit. Erat princeps minime certe contemnendus, nisi gloriam ipse suam avaritia, ac libidine maximis, potissimum in rege, vitiis, corrupisset. Liberos ex uxore Agneta Brandeburgica quinque sustulit: Ericum, Pium, & Menvidum adpellatum successorem; Valdemarum, in aetate prima mortuum, in aula avi Brandeburgici, & Christophorum II. item regem; Martham [b] coniugem Birgeri Sveciae regis, ac Margaretam [c] Nicolao Verlensi nuptam.

(a) *Norvegiae Regem Haquinum*) Corrig. *Ericum*. Omnino enim & citra ullam controversiam *Ericus* est, quemadmodum, & Hvitfeldius, & Torfaeus habent. Pontanus ita dubius adhuc haeret, ut tamen potius in Haquinum inclinet, omnibus licet domesticis refragantibus. Sed, vid. *not. praeced.*

(b) *Martham*) Non *Martha*, sed *Margareta* adpellabatur Quod nomen Sveci, quibus summo in odio fuit, detorserunt in *Merretham*. Vnde & Loccenius *Martham*, seu *Marethan* habet. Ericus vero Vpsalensis, & Messenius *Meretam*. Hvitfeldius utrumque, *Margaretam*, & *Meretam* Martini PP. IV. litterae, quibus Birgero, filio Magni Svecorum Regis, permittit Regis Daniae Erici filiam, quarto gradu sibi propinquam, ducere, vocant Margaretam. Exhibet eas Raynaldus ad annum 1284. §. 24. Meursius ipse ad annum 1296. *pag.* 52. scribit *Margaretam*.

(c) *Margaretam, Nicolao Verlensi*) Hanc omnes, quos evolvi. Scriptores Mecklenburgici *Rixam*, vel *Richissam* vocant, atque, ut puto, recte; cum maior natu filia nomen haberet Margaretae. Sed cur Meursius hanc minorem itidem Margaretam dixerit, infra exponam.

HISTORIAE DANICAE

LIBER III.

In quo res Erici VIII.

CIↃCC LXXXVI. POst Ericum interfectum filius eiusdem nominis, Pius cognomento (a) dictus, & Menvidus, regnum accipit, vix duodecim annos natus. Principium consilio mater, & senatus dirigebant, additusque CIↃCC LXXXVII. item tutor, Valdemarus Slesvicensis. Prima ei cura fuit, convocari regni proceres Schelfiscoram, ac de morte Erici patris vindicanda consultare. Quae mox, ubi coniurati accepere, inter se consilium capiunt invadendi novi regis, atque eo comprehenso, regni quoque occupandi; uti simul peregrini, quem vocabant Slesvicensem, dominatum evadere possent, facinusque etiam suum ignoratum impune haberent. Sed in tuto collocato inde rege, & excubiis dispositis, quum consilium frustra esse animadverterent, dilabentes, urbe ipsi excessere. Milites autem Valdemari, rei ignari, & in ipsum a regina aliquid tentatum rati, captam sistunt; sed is, facto excusato, mox dimittit. Hinc digressi in Fioniam, Cimbriamque coercere insolentiam talium constituerunt. Visa etiam prodigia, tres in caelo soles simul, & hi iride coronati; qui diffidia, & ex his calamitates, post futuras, nuntiabant. Paulo post, sub ipsum Pentecostes festum, Neoburgi habitus conventus fuit, aderatque, praeter regem, & reginam, proceresque regni omnes, etiam dux Valdemarus. Disquisitum de parricidarum poena, in qua quum vix convenirent, ob nobilitatem generis, ac familiarum decus, tamdem placuit, uti Otho Brandeburgicus, regis avunculus, princeps Rugiae Vitislaus, comitesque item Holsatiae, aliique e nobilitate Danica, numero viginti septem, dato in id iuramento, & inquirerent percussores, & compertos indicarent. Inde, testibus auditis, publiceque recitatis, quae habebant, documentis, Iacobum Hallandiae comitem, Canutum Stigotum (b) regni equitum tribunum, Nicolaum Hallandsfarium, Petrum Porsium, Petrum Iacobum, Nicolaum Canutum, Agonem Cacium, Rannonem Ionam, & Arvidum Benedictum reos esse parricidii pronuntiant; ideoque regni hostes iudicandos, & extorres porro habendos, bonis omnibus publicatis. Quibus actis, Valdemarus, Alsiam, Arram, Fimbriamque, & quas insulas praeterea pater eius tenuisset, omnium consensu accipit; &, electus paulo ante, uti dixi, a regina regni, atque regis tutor, donec rex ad iustam aetatem pervenisset, nunc a cunctis declaratur; & Ericus item ipse, quamquam vivo etiam patre rex electus, ab avunculo Othone eques factus, omnium suffragiis inauguratur, & equestrem dignitatem itidem in Valdemarum ducem confert. Inde profugi in Norvagiam percussores, postquam regi, Daniae tunc inimico, fidem suam, & obsequium promisissent, arcem ab eo Congellam, opere, & loco firmam accepere. Et Hunelshalsam (c) in Hallandiae boreali parte sitam, ac Varbergam, aliaque quaedam loca, ad Iacobum Hallandiae comitem pertinentia, contra impetum quemcumque valide munire instituunt. Et hoc belli inter Danos, Norvagosque initium fuit; quod insigni partis utriusque damno annos fere novem tenuit. Nam Haquinus (d) rex Norvagiae, anno statim inse- CIↃCC LXXXVIII. quente bellum indicit, causam obtendens, matris sibi denegatam hereditatem, & iniuriam proscriptorum, qui indicta causa omnes patria eiecti essent. Exeunte Februario classe ad Helsingoram adpulsa, eam igne iniecto exsurit, inde Hafniam contendit. Sed, exscendere non ausus, insulam adiectam Amagriam, ac propinquam item Venam populatur, & incendit. Post quae in Scanoram mittit aliquot myoparones sub Cortenio Crutero; sed is, cum suorum strage, mox revertitur. Parricidae itidem infesta classe in Balthicum invecti sinum, varie regnum divexarunt. Ac Stigotus, post destructum Bratingburgum, etiam Samsoam (e) adgressus, praedam abducit. Hinc Corsoram vela flectens, Torneburgo, ubi rex Ericus agere saepe solitus, ignem iniicit; & mox quoque Scelfiscorae; unde in Falstriam conversus, etiam Nicopiensem urbem vastat, arcem obsidet. Norvagique partem classis ad Lalandiam adiacen-

(a) *Pius cognomento*) Testatur Hvitfeldius *Chronicor. Tom. III. pag.* 1. & Hamsdorfius in Annalibus scribit, sic repertum sibi in *Diario Franciscanorum*. Add. *Chron.* vetus inter Ludewigiana *num.* v. *pag.* 94. Cognomentum *Menvid*, aut *Menved*, a formula in adserendo, vel negando familiari, ortum dicunt. *Quod quum vel adsertum, vel negatum quidpiam vellet, particulam* Mend *Danis usitatam, verbis suis adiicere, ut plurimum erat solitus*, verba sunt Pontani. In veteribus membranis scribitur *Menvetae*. In Erici Regis Chron *Erik Menevvorth*, ubi ad oram alia adnotatur lectio *Memvidt*.

(b) *Canutum Stigotum*) Numquam sic vocatum legisse me alias memini. Quid? quod Hvitfeldius, multique alii *Stigotum Andreae* nuncupant, *regni Mareschallum*. Ergo pro errore nomen *Canuti* hic habendum.

(c) *Hunelshalsam*) Corrig. *Hunehalsam*, sitam in boreali parte Hallandiae

(d) *Haquinus*) Rescribatur *Ericus*, ut superius monitum.

(e) *Etiam Samsoam*) Sed *Bratingsburgum* (sic enim arx ista vocatur) in ipsa erat insula Samsoa. Pontanus *pag.* 375. *Mareschallus Stigotus, destructo Bratingburgo, Samsoam depraedabatur*; hoc est, primum arcem occupavit, & destruxit, inde reliqua insulae vastavit. Meursio, locorum non satis perito, talia condonanda.

CIϽ CC LXXXVIII. centem adpellentes, ubi praedam cogitabant, capti fere universi, aut occisi, stragem referunt. Ac Stigotus, missa arcis, quam nunc dixi obsidione, cum Othone Hestecornio ad Haquinum [a], maxima cum classis parte ad Amagriam commorantem, sese confert. Vnde viribus coniunctis, in Gronsundam contendentes, oppugnata arce Stega, Stubecopiam abnavigant, eaque exusta, in Norvagiam revertuntur. Rex Ericus, uti sanguini subditorum parceretur, per legatos pacem petit, postulatque, *ne parricidarum causam suam faceret, neve eorum patrocinium, bono principi pudendum, in se temere subsciperet*. In hanc rem maternam ei hereditatem, quam petebat, quae in potestate quidem sua foret, pollicetur. Etenim a Valdemaro Cimbriae australis duce, partem quoque possideri, & ab illo hanc omnino sibi exigendam esse. Sed communem quum Haquinus [b] pacem istam etiam parricidis vellet, mox legati, re infecta redierunt. Hinc Ericus Helsingburgi in natali ipso Christi, regiam coronam accipit, more regni usitato, & regina cum Svecorum rege Magno de connubio eius agit, inter ipsum, & Ingeburgam eius filiam contrahendo, dote dicta argenti puri selibrarum senis millibus. Ac vicissim, quo necessitudo utrimque arctior foret, filiam suam Birgero Magni filio, dat uxorem, dotem parem habituram, modo Pontifex gratiam propinqui tatis sibi faceret, quod curandum ipsi foret intra proximum triennium. CIϽ CC LXXXIX. Post haec rex Revaliensi dioecesi quas immunitates pater antea largitus fuerat, ratas facit. Mense Iunio rex Norvagiae, exsulesque, qui se iunxerant, classe instructa excurrentes, impetum in Cimbriae Alburgum vertunt, & Fioniae Svineburgum: Quis direptis, & incensis, quum Lalandiam partim ad tributum dandum adegissent, partim etiam vastassent, in Norvagiam rex revertit; remanentibus exsulibus, & in sinu Balthico insulas, Sproam pariter, ac Hielmum munientibus, ut ex iis regni incolas pro libidine divexarent. CIϽ CC XC. Sed nec diu rex quievit [c]; & regressus anno proximo, ad Corsoram classem adpulit. Qua tentata, quum se frustra esse cerneret, in Nicopiam, & Holbecam arma vertens, captam utramque populatus, mox exussit. Hinc Norvagiam repetiit, seu negotiis regni sui revocatus, sive filiae Margaretae nova quadam hereditate; nam maternus eius avus Alexander, rex Scotorum, vita functus, regnum vacuum reliquerat, idque adeundum erat. Interim exules perduelles Middelfurtum, aliaque quaedam loca populantur, & incendunt; ac Stigotus dux eorum per hoc tempus ita Hielmum communierat, ut perfugium illic ipsis tutum esset. Nam haec insula, etsi parva, tamen firma loci genio; &, quod altius emineret, vim quamcumque invadentium, quam facillime propulsabat. Quia vero excursiones Norvagorum identidem metuerentur, Hafnia tunc communita est, & praesidio firmata. CIϽ CC XCIII. Elapso inter haec biennio, ampliusque, in principio ipso anni perduellum dux Stigotus vitae suae finem habuit, moriensque, vetere Sciluri exemplo, dato sagittarum fasce, ad concordiam socios est cohortatus, egregia oratione in re mala. *Scitis, socii, quis nostrarum rerum status, inter hostes tam potentes, hactenus concordia incolumes sumus, ac successum semper prosperum, quae tentavimus, habuere; eapropter, quum a vobis mihi nunc sit discedendum, hoc supremum nunc obtestor, ut concordes porro sitis. Me defuncto, ducem alium eligite, & huic morem omnes gerite, animosque ita plane comparate, ut disiungi nulla umquam arte possint, ac scitote, robur vestrum universum in hoc uno situm esse; & exemplum in hoc sagittarum fasce vobis dedi, quas coniunctas frangere vi sane nulla potuistis, at disiunctas, quam facillime*. Hinc comitia ad Varbergam constituta; quo de pace sancienda rex uterque, Daniae, Norvagiaeque conveniret. Sed omnino nihil actum est; Norvagusque denuo parata classe, quartum in Danos proficiscens, magnum illis damnum infert. Nusquam quidem in terram exscendens, sed in mari obvias quascumque naves invadendo, merces rapit; &, vectoribus interfectis, ignem mox in naves iniicit. CIϽ CC XCIV. Nec multo post e perduellibus Ranno Ionas, in Roschildiensi urbe comprehensus, rota frangitur. Is antistitis Lundiensis Ioannis Grandii ex sorore nepos erat; & Erico interfecto huius patri, a cubiculo. Quumque eum coniuratis prodidisset, dignum tamdem scelere supplicium dedit. Ac deinde ipse quoque Lundiensis regis iussu, in custodiam coniicitur, & cum eo etiam Iacobus Langius dioeceseos Praepositus. Qui elapsus, quum se Romam contulisset, animum Pontificis propensum nactus, varie regem criminatur. Atque comprehensi quidem Lundiensis causa erat, quod [c] propinquus perduellibus, etiam consilia communicasse crederetur, nec desisteret, quibuscumque rebus posset adiuvare. Idem Langii crimen erat. Captis istis, rex

(a) *Ad Haquinum*) Hvitfeldius, & ipse Pontanus: *ad Regem Norvegiae*, Ergo ad *Ericum*. Frater Regis *Haquinus*, non legitur ibi adfuisse.

(b) *Haquinus*) Imo *Ericus*, Rex Norvegiae.

(c) *Diu rex quievit*] Addendum rex Norvegiae.

(d) *Causa erat, quod*) Plures omnino concurrebant, praeter illas hoc loco ex Hvitfeldio narratas. Vita, & Elogium Ioannis nostri in *Histor. Archiepiscopor. Bremens.* metrice conscriptum has recenset:

„ Plures probos Clericos beneficiavit.
„ Quos Rex dignos censuit, ipse reprobavit.
„ Cum Rex Clerum iugiter indignans turbaret,
„ Atque Regem sanctus homo iuste increparet,
„ Delictaque procerum stricte obiurgaret,
„ Contigit ut Rex ipsum vinculis nodaret.

Paria refert Henricus Wolterus in *Chron. Brem. pag.* 62. „ In-„ beneficiavit multos Clericos valde dignos. Et hoc indigne tu-„ lit Rex Daciae, quia statum clericalem valde odit, & con-„ trarius fuit electo. Quum vero Archiepiscopus corripuisset „ desuper Regem Daciae super tali tyrannisia, quod non dece-„ ret Regem, tunc Rex fecit eum captivari, & detineri in „ carcere, & constringi catenis. Et Episcopus fuit patiens, & „ venerabilis, & fecit Regem excommunicari cum suis, & in-„ terdici totum regnum. Et Rex tenuit eum biennio satis „ streme. „ Notandum, *strenue* hic idem denotare, ac *rigide*, *duriter*, idem scilicet, quod Germanicum *Streng*. Nam peculiari Lexico Latino indigent nonnumquam hi Scriptores. Verum Magnus Matthiae in *Catal. Episcop. Lundens. pag.* 91. alias nobis causas narrat, haud parum probabiliores. En eius verba. „ Rex Ericus, cum summo studio id egisset, ut „ patris interfectores a Pontifice quoque Romano excommuni-„ carentur, id quod facile a Pontifice impetravit, iussus Archie-„ pisco-

ↀCC XCIV. rex collegii universi (a) patrocinium in se suscipit, & edicit Idibus Iuliis: *si quis ei vim inferre qualemcumque ausus foret, se ultorem habiturum*. ↀCC XCV. Inde cum Holsatiae duce (b) Valdemaro, lis exorta; proceres enim, cum tutela illi regni traderetur, Alsiam, Arram, Fimbriamque, & nonnullas insulas alias adtribuerant, quod & nimium Erico, & sufficere partem a patre adsignatam videbatur. Non neglexit rex Norvagiae; qui, dissidium hoc suum commodum arbitratus, usus est occasione, initoque foedere cum Valdemaro, rursum Daniae incubuit. Ac se fratri Valdemaro adiungebat Langelandiae dux Ericus. Inter ista Lundiensis, arce Seburgensi elapsus, in quam pridem rex incluserat, primo Borneholmum evadit, inde Romam. Valdemarus, qui iam bellum imminere existimaret, disiectum antea Gottorpium, denuo struit, ac communit; quum Hinsgavelae rex ageret, illic Norvagum exspectans ad comitia ibi indicta, adfuturum. In his actum: *ut per hiemem universam induciae forent, proximoque rursum anno Egeholmiam, ad negotium semel tamdem certa pace terminandum, convenirent. Per induciarum tempus, integrum utrique foret, ad defensionem causae testimonia conquirere, & per utriusque regna liber commeatus esset, nisi solis perduellibus. Tum negotia qui sque ageret, ac commercia, nullo usquam impedimento exerceret. Rex Norvagiae, ut maternam hereditatem possidebat, sic deinceps possideret, quaeque ultra ad se pertinere censeat, de his, iuxta leges regni, ius daretur. Iacobo comiti Hallandiae, Nicolao Canutio, Petro Iacobo, Nicolao Hallindsfario, aliisque eorum sociis quibuscumque, qui profugerant in Norvagiam, tum heredibus mortuorum intra Daniam commorari libere concederetur. Solum parricidii rei a conspectu regis pariter, atque fratrum abstinerent, ac si forte incidissent, tum duodecim consanguinei, imprudenter illud factum iuramento testarentur; quod ni fieret. capite luerent. Bona eorum publicata redderentur. Nec munitiones ullae umquam fierent, neque vectigalia inusitata poscerentur. Langelandiae dux Ericus Sophiae uxoris bona in Dania sita, quae ex Iudithae, & Agnetae, regis Erici sororum (c), hereditate obvenissent, omnia recuperaret, ac si quis praetenderet quidquam in haec ipsa, is cum eo iure ageret. Et Hallandiae dux Ericus, sua tuto possideret: si quae controversa essent, in haec arbitri darentur: si quis regi de hereditate Sophiae, olim Sveciae reginae, litem intentare vellet, id, secundum leges regni, liberum cuique fore.* ↀCC XCV. In haec fidem obstrinxerunt, ex praesulibus Nidrosiensis Archiepiscopus, tum Bergensis Episcopus, & Opsloensis: ex equestri vero ordine, Bernerus Berkerius, Thoro Haquinus, Ioannes Bonolphus, Isaacus Gautenius, Erlandus Amundus, Vedmundus Erlandus, aliique. Seorsim etiam actum est cum Valdemaro Slesvicensi, placuitque, *ut is Alsiam, Arram, ac Fimbriam regno redderet, & sententiae ab Erico* VII. *latae, morem gereret; quaeque insuper inter regem, atque ipsum, & Ericum eius fratrem controversiae superessent, arbitris, & in his Gerardo comiti Holsatiae, potissimum permitterentur*. ↀCC XCVI. Post haec cum Svecorum regis Magni filia Ingeburga, matrimonium, a triennio per legatos comitem Glicensem, Henricum, ac Wernerum item Bronckium praeparatum, Elsingburgi consummavit, & Birgero patris tunc in regno Sveciae successori coniugem sororem dedit Margaretam; pari utrimque senum millium selibrarum dote dicta. Sed rex bonus, qui adfinitatis istud duplex vinculum magnum ad concordiam robur habiturum existimabat, mox contrarium est expertus Hinc conventus trium regum, Daniae, Sveciae, ac Norvagiae, de constituenda pace inter Daniam, & Norvagiam, Sommerstadii circa desinentem mensem Iunium habitus. Sed tam bonae voluntati finis, quem optabant, defuit; nisi quod induciae prioris anni in biennium prorogatae Eodem tempore Ioannis Grandii Archiepiscopi Lundiensis, & Praepositi item Langii, apud Pontificem Romanum Bonifacium VIII. (d) causa acta, & a rege, ac Christophoro quoque duce, missus eo Cancellarius Martinus, ac legationis socius datus est Praepositus Ripensis, Guido, & Martinus mox Georgium Interamnem, celebrem in curia Parisiensi (e) per id tempus advocatum, ma-

„ piscopus Ioannes a Pontificis per Daniam, & Germaniam „ sub id tempus Legato Domino Tusculano, sententiam inter „ suos denuo publice promulgare, pertinaciter renuit, & alio- „ quin multa designavit, officii praetextu, quibus & se magis „ subspectum Regi reddidit, & Regem ipsum ac huius fratrem „ ad indignationem maiorem provocavit. „ Porro testantur *Acta MSS.* eumdem Archiepiscopum in Concilio Roskildiae anno 1291. celebrato, excommunicationes in impugnatores *Constitutionis Vetelanae cum Ecclesia Daciana &c.* anno 1245. latas renovasse. At longe maior numerus adcusationum habetur in *Propositionibus* (ut vocantur) ipsius *Regis contra Ioannem*, nondum quidem editis, quas vero, cum aliis ad nostram historiam spectantibus, in lucem (si vitam Deus prorogaverit) proferam. Ceterum de captivitate Archiepiscopi huius singularis *historica narratio* exstat, ab ipso, ut videtur, scripta, quam vernacula lingua edidit olim Cancellarius Arn. Hvitfeldius seorsim excusam.

(a) *Rex Collegii universi*) Intellige *Collegium Canonicorum Lundiensium*, vulgo *Capitulum*.

(b) *Holsatiae Duce*] Non certe *Holsatiae*, ubi nulli adhuc *Duces* erant, sed *Comites*. Valdemarus ille erat *Slesvici*, seu *Cimbriae australis* Dux.

(c) *Regis Erici sororum*] Scilicet *Regis Erici defuncti*, sed Erici, nunc regnantis, amitarum.

(d) *Bonifacium VIII.*] Iam antea idem Papa anno 1295. quum adhuc in vinculis haereret Archiepiscopus Ioannes Grand, causam eius susceperat, atque legatum in Daniam destinaverat Ysarnum Archipresbyterum Carcassonensem, id acturum, ut Praesulem Lundensem, *calumniis apud Regem* (verba sunt apud Raynaldum) *circumventum, adductumque in odium, e vinculis, in quae coniectus fuerat, liberaret*. Et profert Raynaldus d. ann. §. 50. *seq.* litteras Bonifacii ad Regem, in eam rem scriptas *Anagniae* x. *Kalend. Sept. ann. I.* Quarum hoc exordium: „ Regi Daniae Illustri spiritum consilii sanioris. Pulsat instanter ad ostium cordis nostri, mentemque so- „ licitat paternae dilectionis adfectus, quo personam Regiam in „ Christo prosequimur, ut circa tuum, tuique regni statum, „ (quem, proh dolor! pacis aemulo superseminante zizaniam, „ iam ab olim periculis expositum convulsum dissidiis, dispen- „ diis conquassatum, & multiplicis nubilo turbationis obductum „ audivimus,) solicite cogitemus, ad eius reformationem vi- „ gilantibus studiis intendentes &c. „ Vid. & Bzov. ad an. 1295. §. 17. Spondan. *Tom. I. pag.* 315.

(e) *In Curia Parisiensi Advocatum*] Hvitfeldii verba, quae exstant *Tomo* eius *III. pag.* 28. aliquanto melius est adsequutus Pontanus, sic vertendo *pag.* 381. „ A Rege ac Duce Chri- „ stophoro missi eodem fuere Martinus Cancellarius, & Guido „ Ripensis Praepositus. Idem mox Martinus in locum suum „ surrogavit Georgium Interamnem, atque inde Martinum Ad- „ vocatum Parisiensem, magnis sumtibus conductum. „ Scilicet,

CIↃ CC XCVI. magno sumtu surrogavit, qui negotium, dum abesset, summa cura promoveret. Verum Pontifex, postquam causam aliquot e Cardinalibus cognoscendam commisisset, mox pronuntiat, *regi, ac regno sacris abstinendum esse* (a). Tum & quadraginta novem millium argenti puri selibrarum mulctam indicit, Lun- CIↃ CC XCVII. diensi exsolvendam. Hinc dissidium inter regem, & Christophorum fratrem natum est ex ista causa. Rex Callundeburgum ibat, quod Christophorus cum Holbeca, & Samsoa titulo comitis tenebat. Quumque ad urbem advenisset, milites Christophori praesidiarii portam occludunt. Quod quum rex aegerrime ferret, repetito mox itinere, ultionem offensae parat; & confestim manu armata illuc redit. certus urbem obsidione in potestatem suam cogere. Sed Christophorus quamquam serio testaretur, se igna- CIↃ CC XCVIII. ro, & invito id evenisse; neque in contemtum eius, contumeliamve factum, tamen regis haud placari ira potuit, nisi unus, atque alter ex praesidio, quod excluserat, in exemplum ceterorum, capitis supplicio adficerentur. Hinc sententia, quam in Regem a Pontifice Bonifacio latam dixi, ab Isarno, qui sacello eius praeerat, tandem adfertur. Ac Lubecae dum subsistit, moritur Iacobus Langius in Erico adcusando pridem Lundiensi socius, qui & ipsum (b), antequam in Daniam iret, compellavit. Vbi vero in Daniam venit, sub principium ipsum anni, interdictum CIↃ CC XCIX. Pontificium mox Othoniae promulgat; inde Olburgum proficiscitur, ac per literas regem monet, *uti Grandio Archiepiscopo Lundiensi, tria millia selibrarum persolvenda procuraret, bonorum, quae is amisisset, compensationis nomine; tum sex alia item adderet pro accepto detrimento, & usura; denique, & quadraginta, pro custodiae ignominia. Id Pontifici placuisse; &, ni pareat, aut quocumque alio modo Lundiensi satisfaciat, fore, ut exclusis sacris, regno quoque eiiceretur, idque in alterum transferretur*. Sed his literis nihil aliud ab Isarno est effectum, quam ut Hafniam, quo conventus iam indictus Lundiensi ad negotium componendum, commeandi libera potestas fieret. Verum ille non comparuit, & negotium delegatis demandatum, quum protractum diu foret, tamen finem non accepit. Itaque Isarnus tandem fert sententiam, & adiudicat Archiepiscopo civitatis, atque monetariae item officinae, tertiam partem; tum quaecumque bona rex in Borneholmia teneret, etiam in dioecesi Lundiensi urbes, pagos, quaeque alia regis essent, muniaque, & praefecturas possessoribus ereptas, pro arbitrio dividebat. Sed, obnuntiante rege, praeter ius Isarnum facere, nemo admittendas duxit, & Ericus provocatione facta ad Pontificem, totam causam ei cognoscendam dedit. Et eodem fere tempore denuo cum Norvagiae rege actum fuit, ac comitiis locus dictus in Hallandia Presteholmia, sed exclusis perduellibus, quibus non ultra Helgoam progredi concessum fuit. Tum Stocholmiae celebratae quoque nuptiae a Birgero Sveciae rege cum sorore Erici regis Margareta. Inter haec, Pontificis interdictum mansit (c), neque sacra annis aliquot usquam facta, ubicumque rex diverteret. Nihil tamen eo territi Lubecenses, per legatos regem

eet, Georgio Interamne non sufficiente, alius Parisiis arcessendus erat. Sed *Advocatum Parisiensem* Hvitfeldius neutrum eorum dixit, adeoque hoc gratis de alterutro dicitur, crediturque a Pontano, Meursio, aliisque. Martinum illum Parisiis arcessitum tantummodo vocat *Sub-procuratorem*, utpote Georgio, qui *Procurator* fuit, adiunctum, & subordinatum. Fuerunt, ut credo, duo isti Doctores Iuris Canonici, & ad causas in Curia Romana agendas idonei. Hinc vero non sequitur, fuisse *in Curia Parisiensi Advocatos*. Quid? quod Martinum fuisse Parisiis Canonicum, patet ex Vita Ioannis Archiepiscopi rythmica in *Histor. Archiepisc. Brem.* ubi sic descriptus exstat:

„ Rex Martinum Dacum mox contra ipsum misit,
Clericum egregium, cui & commisit,
„ Expensis non parcas, nec cura tibi sit,
„ Dummodo depositus noscatur ubi sit.
„ *Martinus Parisius hic canonicavit*,
„ Qui *significandi* tunc *modos* compilavit.
„ Hunc Rex prece, munere sibi sociavit,
„ Et sic contra Praesulem Romam destinavit.

Et Henr. Wolterus *Chron. Brem. pag.* 62. „ Rex Daniae misit „ ad Curiam Magistros Parisienses nobiles, & sapientissimos, & „ specialiter unum Parisiensem Magistrum, cui nomen erat *Martinus de Dacia*, qui & compilavit *Modos significandi*, qui „ dicuntur *Modi Martini*. Et isti *Modi* antiquo tempore com„ munes erant. Huic *Martino* Rex dedit magna munera, prae„ bendas, & praelaturas, & cum aliis ivit Romam contra Io„ nem Episcopum &c. „ Ex illis vero testimoniis discimus, *Martinum*, quem in Parisiensem Advocatum, praeter omnem auctoritatem, transformant Pontanus, Meursiusque, fuisse hominem gente, & natalibus Danum, (unde nomen ei *Martinus de Dacia*,) sed qui diu Parisiis, ex seculi, & gentis nostrae consuetudine, studiis tunc temporis usitatis incubuerat, tantumque in iisdem profecerat, ut cum Magistri Parisiensis titulo, intelligentiae, & dexteritatis satis ad tractanda, qualia nunc ei committebantur, negotia consequutus crederetur. Quod vero ad inventionem *Modorum* ab eo denominatorum attinet, iamdudum Divino beneficio, & magno rei litterariae bono inter deperditas numeratam, meretur utique audiri Albertus Crantzius, emunctae naris iudex, sic de ea loquutus *Metropol. lib.* 8. *cap.* 56. „ Misit quoque Rex Daniae „ suum Oratorem, virum, ut tum habebatur, praecipuum, „ qui insigne in illa gente non habebat, nisi quod Grammati„ culis metaphysica proponeret perdiscenda, misceretque inani„ ter longissime distantia, invento ridiculo opere *Modorum si„ gnificandi*, in quo usque hodie magnis boatibus tonant muti „ grammaticelli, quasi rotati vertigine, quum numquam ad „ eloquutionem perveniant, inde gloriam audspicantes, unde ri„ deri meruerunt homines inepti.

(a) *Sacris abstinendum esse*) *Ordinatio Apostolica* (sic dicebatur sententia illa) in Curia Romana lata fuit anno 1298. x. Kalend. Martii; moxque Isarnus in Daniam remittitur cum litteris Papae, quae, praeter *Ordinationem*, ternae fuerunt: 1. ad Regem, *d. 5. Id. Maii Pontif. anno* 4. scriptae, ut Rex statuta promte adimpleat, & Ysarnum benigne recipiat. 2. ad Magnates Daniae, ut Regem ad observandam Ordinationem inducant, & Ysarno, pro exsequutione misso adsistant. 3. ad Ysarnum ipsum, ut *personaliter* ad Regem Daniae accedens, Regem, & Archiepiscopum primo *concordare tentet*; quod si facere non possit, *super iis, de quibus quaestio inter partes fuerit, inquirat, & ea ad Pontificem transscribat, praefixo partibus termino coram Pontifice comparendi*. Has litteras, una cum *Ordinatione* Ysarnus die 7. Octobris anno 1298. coram Rege, & regni Praelatis, & Magnatibus recitari fecit Nestvediae. Vbi, quum nihil apud Regem profecisset. d. 10. Octobris in eodem oppido Regem, & captores Archiepiscopi excommunicatos denunciabat, & regnum Daniae interdicto suppositum, monens Regem, ut interdictum servaret, ac Archiepiscopo satisfaceret. Hinc Lubecam profectus adsignavit Regi *terminum, ad comparendum* coram se *Ripis*, vel *Roskildis, decima die post reversionem suam de Lubeco*. Plura ad hoc argumentum suppeditat, praeter alios, Magnus Matthiae in *Histor. Archiepiscopor. Lundens.* a *pag.* 97. ad 101.

(b) *Qui & ipsum*] Nempe in *Actione Regis* contra Archiepiscopum leguntur etiam *Propositiones* contra hunc Praepositum.

(c) *Interdictum mansit*] Perstitit ad annum usque 1303. ut plerique scribunt. Chronicon I. inter Ludewigiana *pag.* 37. „ Anno 1299. Dn. Ioannes Grand Archiepiscopus, & Isarnus Nun„ tius, redeuntes a Curia supposuerunt totum regnum interdi„ cto, a sexta feria proxima post festum B. Agathae, quod „ duravit annos quatuor & decem hebdomadas. „ Idem Chron. *pag. seq.* „ Anno 1303. regnum Daniae absolutum est ab in„ terdi

CIƆCCXIXI. gem orant, *ut recipere in tutelam eos velit*; quam, consilio cum senatu regni habito, in decennium pollicetur, ea lege, *ut quotannis septingentas quinquaginta argenti selibras ipsi penderent, nec auxilia hostibus suppeditarent; commercia apud vicinos libera essent; ac, si quando usus foret, mutuo se Lubecenses, atque Dani, ceu coniuncti amicitia, adiuvarent; tum, si forte inter ista ante tempus rex excederet, pacta cum ipsius vita finem haberent* (a).

CIƆCCC. Non multo post solutae induciae, Sommerstadii pridem factae, ante tempus constitutum, perduellium, ut aiebant Dani, culpa: verum Danos rex Norvagiae incusare; sed mox Langelandiae dux Ericus sese interposuit; ac, profectus in Norvagiam, ad Haquinum, uxoris suae consobrinum, cum Henrico Clerico, & Canuto Mulenio, equite, negotium pacis Fenecolbiae instauravit; & effecit, ut Corsoram ad decimumquintum diem Augusti, ambo reges convenirent: & addebat hoc Haquinus, *si Erico videretur, se paratum rei universae, arbitrium paucis, aliquot e proceribus demandare; fidem prius iuramento obstricturis, nihil se aut gratia, aut odio daturos esse; & eorum si quem mori ante pacem constitutam contigisset, eius loco substitueretur alius itidem in rem eamdem iusiurandum praestiturus. Ac, negotium dum tractatur, rex Norvagiae, & Hallandiae item comes, aliique, Dania exules, seu eorum quoque heredes, bonis suis fruerentur, quem in modum ante bellum fruiti essent*. In hanc rem Norvagiae regi commeatum dat Ericus; ac permittit: *uti Scelfiscoram ipse, centum hominum comitatu libere veniat, ac recedat Engelholmiam, ubi classis subsistebat; idque ipsi sine fraude, aut noxa fore*: illud excipit; *ne ex patris percussoribus comitem haberet quemquam; quem omnino in conspectum non admittere certus esset*. Sed, negotio inchoato, quum non conveniret arbitris in Norvagiae regis causa, exulumque perduellium, & accederet item nuntius de reginae Agnetae morte, Erici matris, nullo operae suae fructu, discessere. Sub id tempus orta quoque controversia inter equites Teutonicos, & Episcopum Rigensem; qui, quum illis, iam Livoniam universam populatis, imparem se animadverteret, cum Erico foedus icit, isto pacto (b); *ut Episcopatus bona, mortuo qui possideret, is in potestate haberet, & in quemlibet transferret; ita tamen, ut, qui haec nancisceretur, sibi iusiurandum daret: Idem ius in ea foret, quae, subducta ab Equitibus, dioecesi, cuius ipsa olim fuerant, ab utroque redderentur: denique, urbs ipsa Riga, quaeque in agro eius arces in obsequio regis essent: nec Episcopus unquam quicquam cum Equitibus pacisci, rege inconsulto, auderet*. Pontifex, CIƆCCC. quum animadverteret, rem turbari Christianam in Livonia, mittit eo, quem commemoravi, Isarnum; isque sese interponens, dissidium, exortum pridem, adiutantibus Episcopis, Revaliensi, ac Varcensi, & Esgero item Iulio, qui negotium ibi regis procurabat, aliisque, ita tollit: *Archiepiscopus Rigensis, Equitesque, pariter accepta damna, novae paci condonarent; magistro ordinis, quae per bellum in Rigensi ditione erepta essent, uti etiam Valdemari Rosae domus redderentur; tum & San Georgii fanum, quod in urbe, Equitum in potestatem, pietati exercendae, traderetur; sed hac lege, ne frequentes nimium ingrederentur, neve in urbe plures decem remanerent: tum ne publice, aut privatim unquam eo convenirent: neve turres, aut munitiones aliquas intra urbem, aut subiectum illi agrum excitarent; ponsque, quem struxissent cives, permaneret, etiam in Equitum usum; quorum navibus, uti civium, transitus daretur liber; liberaque itidem commercia utrinque forent: neque vectigalia exigerentur, nisi pristina: Tota regio, sicut pridem, ita porro etiam Pontificis esset; isque eam tueretur, traditam equitibus quidem, sed ut sanctam in Christum fidem propagarent: Bona, quae Equitibus erepta essent, in Rigensi dioecesi, quaeque civibus in Livonia, ac Curlandia, de his ad Romanam sedem referretur: & haec ius pronuntiaret; denique Rigensis praesul, quique illi successuri, tam in urbe, quam suburbio, iura, & sacra, sicut antea, nisi aliter Pontifex partesve censeant, procuraret*. Brunsvicensis, ac Luneburgensis, varia in Dania bona ad id tempus obtinebant; in Fionia, Aumelbiam (c), & Staverbiam, tum Laugebiam, ac Stegam; Varsysseliam in Cimbria; in minore autem Frisia, Gierdingam, & Grethusam (d); quae Gerhardo Holsatiae comiti, postquam ipsi vendidissent, rex venditionem eam ratam habuit; ac permisit novo emptori, sicut illi tenuissent, possidenda, sine onere, ac tributo: nisi quod in duas libras territorium Osterense, ac Scatense, in militiam obligatum retineret. Atque, uti paulo ante Lubecenses in Erici clientelam sese dederant: ita quoque nunc dynasta Rostochiensis, ac Verlensis Nicolaus, metu Brandeburgicorum; quorum postquam cum sorore iam sponsalia peregisset, mox contemnere eam coepit. Illis vero id indignantibus, & parantibus manu armata contumeliam vindicare, quum resistere non valeret, ut auxilium impetraret, oppidum Rostochiense, quod tunc solus possidebat, & subiectum illi agrum in Erici manum tradit: accipitque aliquam pecuniae summam; & in Dania territorium, in quo tu-

„ dicto per Dn. Isarnum in Nyborrigh in Coena Domini. „ „ Et mox: „ A. D. 1304. Rex absolutus fuit ab excommuni- „ catione, qua tenebatur pro captione supradicti Archiepiscopi „ Dn. Ioannis Grand. „ Interim conspiciuntur in Raynaldi Annalibus ad ann. 1299. §. 9. Bonifacii PP. VIII. litterae ad Regem, quibus perquam mitibus verbis significat laetitiam suam de Regis conversione, seque idcirco in mandatis dedisse Ysarno, ut illum, & fratrem Christophorum censuris ecclesiasticis, quibus irretiti essent, solveret. Sed has litteras verisimile est retinuisse Ysarnum, scriptas utpote in eum finem, ut impletis demum a Rege conditionibus, ei redderentur.

(a) *Finem haberent*) Additum erat si ab Imperio Romano obtinere Rex Ericus posset possessionem, & Dominium Vrbis Lubecae, Lubecenses nullo id modo impedituros. Vid. & *Continuat*. Alb. Stadensis *pag*. 47.

(b) *Isto pacto*) Integra pacti forma extat Latine in Hvitfeldii *Historia* huius Regis *pag*. 42. *seqq*. & ex eo apud Pontan. ad annum 1300.

(c) *Aumelbiam*) Nomina, male hic scripta, sic corrigenda *Afuelbia*, *Staverbya*, *Lyngbya*.

(d) *Grethusam*) Rescribe, ex Hvitfeldio, *Giethesbollam*.

CIↃ CCCI. tus habitaret. Quo peracto, rex Rostochium, aliasque item urbes, olim etiam collocatas sub maiorum potestate, & nunc quoque denuo ex pacto hoc recuperatas, cogere ad obsequium statuit. Itaque, in Vandalos exercitum ducens, ut Rostochio potiretur, occupatum Varni ostium statim munit, & adpellat Danoburgum. Iamque in arctum res CIↃ CCCII. Rostochiensium adductae erant, intercepto commeatu, exituque in mare Balthicum intercluso, cum Herico, & Henrico, duci Megapolitano, Brandeburgici controversiam permisere; moxque ipsi, & australis Cimbriae dux Valdemarus, tum Ericus Langelandicus, Vitislaus Rugianus, Henricus Megapolitanus, Gerhardus, Ioannes, Adolphus, Holsati, tum Verlensis Nicolaus, cum Erico, & Christophoro, eius fratre, in perpetuam amicitiam foedus ineunt, ac constituunt: *Si dissidium inter illos, cuius ipsi sint auctores, oriatur, ut Ericus id componeret: si delinqueret Ericus, arbitrium negotii vicissim penes ipsos foret: denique hoc cuncti agerent, ut Rostochium, atque eius territorium, si benigne id non possent, vi armorum in Erici manum cogerent*. Quod quum civibus gnarum esset, illi arma tot potentium adversariorum veriti, ad obsequium transierunt; rexque, in fidem suam acceptis, mox Henricum Megapolitanum imponit; prius tamen scripto publico testatum, se hanc urbem, & adiunctum territorium, solo eius beneficio, ac praefecti tantum nomine possessurum; seque, & haeredes suos, postulanti illud regi, aut qui successuri essent, reddituros. Inter haec taedere Ericum sacris sese, subditosque tanto tempore prohiberi; itaque amandat Romam Ionam Litlium (a), qui negotium procuraret; isque anno insequenti, impetrata a CIↃ CCCIII. Pontifice restitutione, redit: rexque ecclesiae Lundiensi bona quaedam, in Scania, & Boringia insula, sita, tradit; Grandioque Archiepiscopo, propter damnum, quod dedisset, carcerisque contumeliam, decem millia selibrarum argenti pendit. Qui tamen, in gratiam regis, a Pontifice sede motus (b), substituto in hanc Isarno (c), dioecesin Lundiensem cum Rigensi commutare (d) est coactus; atque ita Neoburgi, ante diem festum Paschatis, interdicto, quod quinquennium iam tenuerat, rex absolvitur; qui Christophoro quoque fratri, praeter praefecturam Holbecae, Callemburgi, ac Samsoae, pridem datam, mox Esthlandiam concedit in sexennium; ea lege, ut adversus barbaros eam, & hostilem quemque impetum tueretur: tum & milites quinquaginta regi aleret; &, ceu cliens, fidem obstringeret. In CIↃ CCCIV. de quum Norvagiae rex, & perduelles, Daniam rursus infestarent, ipse, instructa item CIↃ CCCV. classe, obsidensque Hunelshalsam (e), ac Varbergam, & munitiones alias, arma eorum mox coercuit: & conventus institutus Cnederudae, quamquam sine ullo fructu; ac Iacobus Hallandiae comes, cum obsessa ab Erico rege loca minime liberare posset, omnem Hallandiam borealem in Norvagiae regem transfert, semper deinceps possidendam; seque, liberosque suos, eius gratiae committit; postulatque, si benigna aliqua transatione eam terram etiam a rege Daniae obtinere forte posset, ut suorum liberorum meminisse, & alicui eorum praefecturam impetrare ipse velit. Accipit quoque ab australis Cimbriae duce selibrarum argenti puri duo millia, Norvagiae rege in haec fidem obstringente. Quum conventus, Cnederudae institutus, plane irritus fuisset, alium Ericus statuit; proceresque regni sui Elsingburgum adesse iubet; quin, & perduelles vocat, datque ipsis commeatum, uti coram causam dicerent, quod Norvagiae rex volebat, &, si possent, se insontes parricidii approbarent. Sed, quum nulli comparerent, ceu convicti conscientia, & absentia crimen suum confitentes, rei omnes sceleris pronuntiantur. In Esthonia, CIↃ CCCVI. qui fiduciarii regis, habito inter se conventu, leges condunt, rei suae publicae utiles, approbante Episcopo Revaliensi, nihil tamen valituras, nisi ratas rex haberet. Mox in Svecia quum exortae turbae essent, ac Birgerus, regno a fratribus deiectus, & elapsus e custodia, cum uxore Margareta ad Ericum affinem profugus accessisset, perbenigne est exceptus; & Ericus, uti eum restitueret, copias parat: quas in Sveciam quum duxisset, & ad limitem Gothiae occidentalis pervenisset, obvium sibi ad Bosundam exercitum hostilem habet. Sed, instructa quamlibet utrinque acie, non conserta tamen manus: & Erico varia constituendae pacis media proponente, ut deliberare de his fratres perduelles possent, induciae in annum pactae: per quas quum Finlandiae dux Valdemarus, alter fratrum, in Germaniam traiecisset, ceu cuiusdam voti reus, equites conscripsit ibi octingentos; quibus mox in Sveciam ductis, impetum in Scaniam fecit: atque eam populatus, Christophorum, Erici fratrem, cum praesidio praefectum, ut nonnulli sunt auctores, captum abducit. Per id tempus inter Ericum, & australis Cimbriae duces, lis exorta est super bonis perduellium, in ipsorum terra sitis; ac Gerhardus, Holsatiae comes, lectus arbiter, ea Episcopo Ripensi permittenda esse censuit, ut sententiam regni proceres inde ferrent; iique mox secundum regem, in quem illi deliquissent,

(a) *Ionam Litle*) Rectius *Ioannem Litle*.

(b) *A Pontifice sede motus*] Cum diu sese Archiepiscopus in Bornholmia continuisset, & quidem in arce Hammershusia, quam admodum munitam praesidio tenebat, intelligens se non posse amissa recuperare, prae metu consilium cepit e regno aufugiendi. Lutetiam Parisior. primum adiisse ann. 1302. dicitur. Vid. Magn. Matthiae *pag.* 101. Aliter nonnulla hic referunt *Historia Archiepiscopor. Brem.* Henr. Volterus, & Crantzius in *Metropoli*.

(c) *Substituto in hanc Isarno*) Ioanne Grandio digresso, Pontificis Nuncius Ysarnus sedem Archiepiscopalem obtinuit, ab an. 1303. qua vero anno 1310. relicta, factus est Archiepiscopus in Apulia Salernitana. Vid. Ughelli *Ital. Sacr. Tom. VII. pag.* 613. In Dania extraneus iste homo nulla re praeclare gesta memoriam suam reliquit exornatam, tantum exactionibus, & implendae crumenae intentus, nec non Canonicorum praebendis cum damno inferioris Ordinis Sacerdotum locupletandis.

(d) *Cum Rigensi commutare*) Fuit quidem a Papa oblata illi sedes Rigensis; sed hanc noluit accipere. Aliquanto post Bremensem, multo praestantiorem, consequutus est. Vid. praeter *Historiam Archiepiscopor. Brem.* Henr. Wolterus, & Crantzius, Herm. Corner. *col.* 962. & 964. atque Continuator Alb. Stadensis *pag.* 45. *seq.*

(e) *Hunelshalsam*) Scribatur *Hunehalsam*, ut supra monitum

CIↃ CCCVI. sent, nullo modo laesis ducibus, ius dixerunt. Tum & Norvagii denuo in Danos arma commovere inceperunt; & in terram circa Torneburgum egressi, a praesidio limitaneo propulsati, recessere. Ac Iacobus quidem Olaus, regni equitum tribunus, classe' eos persecutus, quum in navem insilire hostilem vellet, neque ea potiretur, decidit in mare, & perit. In Esthonia, Equites, quos antea Ensigeros dictos memoravi, regionem eam totam Episcopo Revaliensi, ceu vicario Erici, transscripsere: verum illa tamen lege, ne a Dania, ad quam ea pertinebat, umquam alienaretur; isque simul accepisset, scriptas in rem istam literas, ad Ericum, fidei in ipsum suae monumentum mox transmittit. CIↃ CCCVII. Hinc Ericus iterum in Svecos tendit; auxilia trahens Valdemari Slesvicensis, & Erici, eius fratris; tum Christophori quoque ducis, principumque aliorum: verum neque tum pugnatum est; nam & hiemis tanta inclementia erat, ut sub dio vix durare quisquam posset; & quum prope Lingebyam rex venisset, Sveci mittunt, qui conditiones pacis aequas peterent; ac promitterent, eas sese accepturos. Itaque & denuo induciae pactae, & conditiones dictae, etiamsi non servatae; initio, obsidibus Erico datis, pollicentur, *se ad pacem sanciendam Orcuelundae* (a) *affuturos, ad natalis Christi festum: rex, & duces, modico utrinque comitatu, quique numerum ducentorum non excederet, comparerent; rexque octiduo ante festum ibi loci praesto esset; arbitrosque pro se, ac Birgero affine, quatuor caperet, Danos pariter, & Svecos; ex utraque gente binos: totidem sibi duces legerent; quaeque illi, dato prius iuramento, constituerent, ea rata haberentur.* Quo deinde ita facto, hi pronuntiant; *ut Birgerus rex Borcholmiam, Stegeburgum, Gothiam orientalem, Verendiam, Gotlandiam, Olandiam, & Moream, aliaque in dioecesi Lincopensi, ac Veriensi* (b) *territoria possideret: ac ducatus suos duces, aliaque, ad Sveciae regnum pertinentia, praeter ea, quae Birgero ex paterna haereditate obvenissent, quaeque dotis nomine reginae attributa essent, retinerent.* Actum quoque de negotio Norvagico; placuitque, *ut in proximum S. Michaelis festum induciae essent; ad quod tempus dux Christophorus, sociique, sed non etiam parricidae, bonis tota Dania haereditariis fruerentur; hac conditione tamen, ne Christophorus e ducato suo pedem, nisi rege permittente, aut iubente, quoquam efferret.* Sed haec non obtinuere: ac recepta statim arma, quibus tota Gothia occidentalis misere vastata fuit. Hinc Christophoro, antea Esthoniae duci, fratri suo, rex Ericus insulam Samsoam tradit, & Hallandiam australem, semper deinceps possidendam, *ipsi*, & *stirpi masculinae: sed, deficiente ea, rursum Daniae annectendam: interim in omnia clientis munia teneretur: neque unquam clam, palamve, in perniciem regni, aut regis quicquam adeo moliretur: ac, si faceret, beneficio mox excideret. Insuper, si inter ipsum, & nonnullos regiorum controversiae forte quaedam nascerentur, eas regio tribunali omnes traderet; tum quae iura, & privilegia, dioecesi Lundiensi, atque item Arhusiensi, in ducatu suo forent, haec utrique sarta tecta conservaret.* In quae, dato sacramento, cum & ipse fidem obstrinxit, tum pro ipso pariter Otho, & Hermannus, Brandeburgici, Nicolaus Verlensis, Henricus Megapolitanus, Gerardus, Holsatiae comes, Cimbriae dux Valdemarus, & Episcopi, quique inter Senatores eminerent. Per id tempus rex in Fimbriam traiecit, ut Holsatiam pacaret; cuius proceres in Gerhardum, & Ioannem, eius ditionis comites, insurgebant; tum in partes suas traxerant Lubecenses, & Albertum item Saxonem. Advocavit ad negotium etiam vicinos principes, qui consilium conferrent; ac pax tamdem constituta est, sed non multo post dirempta. CIↃ CCCVIII. Hinc in Sveciam animum, & arma vertit; validamque manum ducit usque ad sexaginta millia; aderatque Henricus Megapolitanus, Henrici filius, a viginti sex annorum apud Saracenos carcere pridem reducis: insuper & Valdemarus Slesvicensis, & Ericus Langelandicus, cum Nicolao Verlensi, & principibus germanis, ac dynastis multis aliis. Praeter militem domesticum lecti e Germania equites quinquies mille, & quingenti; cum his copiis Gothiam ingreditur occidentalem, & Nicopiam illic obsidet. Dux Ericus quum opponere se non posset, ut conatum regis frangeret, illud unum operam dabat, ut tam magnae multitudini commeatum interciperet: ad quam rem quum mala quoque intestina se coniungerent, scilicet discordia ducum: ac corrupta disciplina militaris, post trimestrem obsidionem, & desistit ab incepto, & inducias paciscitur. Post quae ubi dux Christophorus, regis frater, dum exercitum reducit, pagos quosdam igne exurit, Svecis contra pacta istuc factum esse quiritantibus: id Ericus aegre ferre; & Hallandiae ducatum, quem non ita pridem dederat, rursum adimere: ac Christophorus, iam exutus, in Sveciam, ad affines duces, quamquam laesos proxima vastatione, fugam capere; moxque Ericus eum porro criminari; *quod, ducatum postquam Hallandiae accepisset, qui clientes regni essent, eos ad se pertraxisset: & cum illos, tum qui regem offendissent, atque in istis item Thorium, apud se retinuisset. Insuper, quod provocationem ad regem, in causa Laccii, atque aliorum, factam, contempsisset: & agricolis quoque Hallandis, ad ecclesiam Lundiensem pertinentibus, haud immunitates suas permisisset. Pacta quoque, inter se, & Sveciae duces violasset; equitesque, ab expeditione Svecica redeuntes, quum venissent in Hallandiam, ubi tutos se putabant, sicut esse debuissent, equis suis spoliasset; denique, odisset omnes, quos amicos sibi sciret, & amaret inimicos: adeoque in caput suum cum quibusdam coninrasset.* Ac Christophorus,

(a) *Orcuelundae*] Mendosum Adpellatur pagus iste *Orbueliunga*, in Scania.

(b) *Veriensi*] Itidem vitiosum, pro *Vexioensi*.

CIↃ CCCVIII.

rus, datis literis ad iudiciale forum, quod in Sialandia tunc habebatur, se omnino excusare, conquerique: *quod calumnia hominum malevolorum, animum regis plane a se alienum reddidisset: cum haberet testem Deum, se illius dignitati promovendae semper operam dedisse; quin nunc quoque pro eadem mori promptum. Tertium iam ablegasse, qui curaret commeatum sibi dari, quo accedere tuto posset sui defendendi causa: quod si minime praestaret, atque noxa appareret, etiam paratum ad poenam subeundam indicaret: verum nihil impetrare potuisse; immo accepisse contra, esse quemdam senatorum cum exercitu in Svecia, qui id agat, ut vel vivum in potestatem suam redigat, vel occidat; itaque orare omnes maximopere, uti pro se apud regem intercedant, & efficiant, ut potestas sui in comitiis publicis defendendi sibi detur: ac vel insons fratris gratiam recuperet, vel supplicium nocens ferat*. Nec oratio, ut videtur, frustra fuit: &, conciliatus fratri, conventui Helsingburgensi mox interfuit; ubi pacem inter regem Sveciae Birgerum, & duces, eius fratres, cum Erico ipse fratre, ac principibus item aliis adiutavit. Sub id tempus, accusare Ericum Haquinus, rex Norvagiae, & diremptam saepius pacem exprobrare; atque ille respondere: *nullam in se culpam esse; sed, quae quaereretur, omnia parricidis imputanda: qui, a pace alieni, factas pridem in decennium inducias, quaeque alia pacti essent, varie interturbassent*: eaque omnia singillatim demonstrare; *in primis vero comitem Hallandiae esse, qui in reditus, regno debitos, manum ipse iniecisset; graviterque agricolas regios, subditosque item alios, caedibus pariter, ac rapinis divexasset*. Quae dum ita agitantur, lis exorta est inter Haquinum, Sveciaeque ducem Ericum: quae occasionem novae inter Daniam, & Norvagiam sanciendae pacis dedit. Etenim Congellam Haquino, ac Varbergam, quaeque alia loca Erico dederat in clientelam, repetente; & Erico spe cum filia illius matrimonii, retinere cupiente; rex Ericus, tempore utendum ratus, agere cum Haquino coepit, uti Magnus, Birgeri Sveciae regis filius, Ingeburgam, Haquini filiam, uxorem duceret; paxque etiam inter Danos, Norvagosque sempiterna sanciretur: ac negotium istuc porro Isefiordae, qui tunc quidam Sialandiae locus erat, tractaretur, ad undecimum diem Iunii. Sed mutata mox sententia, Hafnia pro Isefiorda ad conventum destianta; quin prolatum etiam conveniendi tempus fuit, ac reiectum in octavum mensis Iulii; quo deinde pax aeterna constituta; & filio Birgeri, Magno, Ingeburga, Haquini filia, desponsata est: quae pronuntiata haeres, filio deficiente; additae conditiones; *si nec Magnus prolem ex ea masculam gigneret, ut acciperet in dotem selibrarum argenti puri sena millia; pro qua ipse aut tantumdem exhiberet, aut possessiones suas pignoraret; ac, si regnum haeredem acciperet, bina millia adderentur: quorum nomine Haquinus fidem Erico obligaret; isque efficeret vicissim, ut, Birgero restituto, filius*

CIↃ CCCIX.

tres, Valdemarus, & Ericus diffidebant. In *ac Birgerus procuraret, uti Pontifex gratiam cognationis sibi faceret. Insuper Haquino Ericus, pro maternis eius bonis, quae in Dania sita essent, terras alias in Hallandia boreali, ultra Etheram, assignaret: caeterum vero in ducatu isto tractum, sub clientis sacramento Haquinus itidem acciperet. Quod ad percussores regis, de his ita constitutum; ut, in gratiam Haquini, cui Ericus illud dabat, coniuges, & item liberi eorum novem, qui convicti parricidii, ac pronuntiati rei, in materna restituerentur bona, sed vendenda intra proximum triennium, ac deinceps etiam regno emanerent: ita tamen, ut Erico integrum foret constituere, quibus horum regnum suum, ac bonorum in eo usum indulgere ipse vellet; alii vero, immunes criminis, sed dumtaxat sanguine parricidis iuncti, quis bonorum, ante fugam in Norvagiam praestitumque eius regi iuramentum, usus fructus indemnatis permansisset, iis etiam porro esset, dum idoneos Erico vades darent. At coniuratorum principes, bona sua venum dare tenerentur; & accepto eorum praetio, porro item extorres forent; utque magis etiam pax firmaretur, rex Haquinus omnibus maternis bonis, in Dania sitis, Erico cederet, simulatque terrae illae in Hallandia boreali traderentur. Insuper, Ericus arma ducibus Sveciae inferret; neque pacem cum iisdem Haquinus ullam, invito ipso, constitueret: ac, si forte inducias facere, gravi causa impellente, cogeretur, eae admodum breves essent, & Ericum comprehenderent; nec cum ducum item sociis aliquod iniret foedus, nisi quod & ipsi pariter, & Birgero utile esset; in quae capita si alteruter delinqueret, Haquinum quidem, Episcopus Roschildiensis, at Ericum, Ansloensis iudicaret, & obnoxium sacris omnibus prohiberet*. Itaque pace in hunc modum cum Norvagia constituta, biennio post affini suo, Vratislao, Rugiae principi, mediam Gnoiensis territorii partem rex permisit, pro bis mille selibris argenti puri pignoratam; ac redimendam, quandocumque illud ipsi, posterisve commodum foret; ac vicissim Vratislaus Monam insulam, quasque terras alias item tenebat, praeter eas, quas in pignus accepisset, restituebat. Praeter haec, concedere quoque Vratislao rex Ericus, uti alteram territorii, quod iam memoravi, partem a Verlensi, cui pignorata erat, debita pecunia repraesentata, & redimeret, & munitiones ibi novas strueret: hac conditione tamen, uti, simul ac pecunia debita exhiberetur, & impensae Vratislao, quas fecisset, solverentur, rex Ericus repetendi ius haberet. Isque subditis illic suis, ac clientibus imperaverat, ut obsequium Vratislao, ceu legitimo praefecto, prompte omnes exhiberent; seorsim etiam pollicitus, sese ipsum, ceu clientem quandocumque usus foret, defensurum; ac promittere insuper quoque Vratislaus, bona sua, si decederet sine prole, ad Ericum, ceu haeredem, perventura. Post haec animum Ericus ad pacandam Sveciam vertit; in qua graviter iam dudum rex Birgerus, atque duces, eius fratres,

CIϽ CCCX. tres, Valdemarus, & Ericus diffidebant. In hanc rem conventum Helsingburgi fuit; aderantque, qui negotium adiutarent, dux Christophorus, regis frater, & Gerhardus, Holsatiae comes, ac Henricus Megapolitanus. Hi rem totam hunc in modum transegere: *ut Helsingiam Birgerus, & Verendiam, ac Vestmanniam, Strangenesam, Gothiamque orientalem, insulamque item Gothiam, & in ea urbem Visbium, aliasque Sveciae terras, usque ad tertiam eius universae partem possideret: duae caeterae Erico, ac Valdemaro traderentur. Ita tamen, ne quis unquam suae ditionis arces, oppidave venderet, aut pignoraret; tum iniuriarum ut oblivio esset; ac captivi, obsidesve illico dimitterentur: & immunitates subditis, privilegiaque cuncta sarta tecta permanerent; neve alterius iurisdictionem quisquam aut invaderet, aut turbaret. Denique, communes uti hostes forent, ac coniunctis eos viribus propulsarent.* In quod ipsum rex Ericus, principesque item alii, quotquot aderant, etiam se obstrinxerunt. Nec multo post Holsatiam Ericus itidem tranquillavit, nobilesque coniuratos comiti concilia vit, isto pacto: *ut nobilibus bona sua, qualia tunc ea essent, redderentur; ac maiorum ipsis ius, immunitasque integra permitteretur; comes vero, quam maiores potestatem habuissent, eam ipse retineret: si quid deinceps controversiae nasceretur, iure inter sese agerent: quod si insuper haberent, regem arbitrum advocarent.* Actum quoque, *quae munitiones dirui, quae deberent reparari, quaeve item novae fieri.* Vix haec acta, quum in Svecia Valdemarus, & Ericus, novum pacis inter Daniam, Sveciam, Norvagiamque, statuendae, modum proferunt; nempe, *se daturos operam, ut dissidia inter reges universa tollerentur: Daniaeque rex Erico, Sveciae duci, borealem Hallandiam daret, solo praefecturae nomine, ceu Iacobus pridem eam tenuisset, possidendam: atque is vicissim regi milites quadraginta aleret; insuper, coniugium item inter filiam Haquini Ingeburgam, & Burgeri filium Magnum, institutum, quantum in se promoveret: ita tamen, ut Verlensis filia Sophia coniux ipsi traderetur. Qui captivi, obsidesve, e custodia liberi dimitterentur. Si Norvagiae rex Haquinus ratam hanc conciliationem haberet, se Congellam, & captivos redditurum; sin autem, illam, atque istos retenturum; neque id invito rege Daniae fore; quem sat sciret minime adversaturum, si antiquum Sveciae limitem tueretur, atque eo parricidas prohiberet.* Haec quum rata rex Ericus, ac Christophorus item frater, dux Hallandiae australis, Henricus Megapolitanus, ac Gerhardus, Holsatiae comes, habuissent, iamque idem ab Haquino expectarent, mox allatae ab eo literae, quis testatur: *se, quae Helsingburgi acta, ita demum rata habere, si, quae literis prioribus inter ipsum, & Christophorum constituta abrogentur: ac Norvagiae, Sveciaeque limites intelligi velle, qui Norvagiae sub rege Magno IV. Sveciaeque Valdemaro exstitissent. Insuper, si rex Ericus, quod promiserat, id efficeret, ut Ericus, Sveciae dux, matrimonium Ingeburgae filiae renuntiaret; controversiae, si quae forte obvenirent, salva pace, ex legibus componerentur; literisque de translatione Hallandiae borealis in Ericum, Sveciae ducem, caput hoc de matrimonio Sophiae, Verlensis filiae, itidem insereretur: tum id quoque adderetur, nihil his, quae Helsingburgi acta essent, per haec ipsa derogari.* Itaque in haec sic conventum: *ut Haquinus Hallandiae borealis tractum, qua ad Etheram se extendit, titulo praefecti acciperet; & dux Sveciae Ericus suo in Norvagiam iuri, ac coniugio Ingeburgae, Sophia, Verlensis filia, contra accepta renuntiaret.* Inter haec rex Middelfarti, arbiter, captus, controversiam inter Othonem Stetinensem, ac Rostochiensem urbem, sic composuit: *uti Otho, quas habebat literas Rostochiensium, de quingentis quinque* [a] *selibris puri argenti, sibi traderet, cum Molsanis* [b], *civitatem infestantibus, civibusque transacturo: atque ipse, data in obsequium fide, & obstricta iuramento, regi deinceps cum militibus quinquaginta, quovis bello, praesto foret: nisi contra Valdemarum Brandeburgicum, Gerhardum, Holsatum, Henricum Megapolitanum, Vitislaum Cassubiensem, & Nicolaum Verlensem, illud forte gereretur: ita tamen, si conditiones pacis intra mensem illi admittant.* Tum Molsanos quoque eosdem, & Rostochienses, Valdemaro, Cimbriae australis duci, conciliavit, qui obsequium tunc suum etiam regi approbavit. Apud Esthones, urbs Revalia hactenus se sola arce, & externis aliis munitionibus tuebatur: itaque per Ioannem Canum, in hac ora tunc legatum, pomaeria Ericus auget; item vallo, ac fossa cingit. Inde ad ludos animum CIϽ CCCXI. vertit; quos Rostochii, convocatis [c] e Germania principibus, permagnificos instituit [d]; & sexcenti cataphracti inter sese concurrerunt. Alii exaugent numerum, ac sex mille, & sexcentos eos dicunt; ac virtutis suae ergo equites creati illic, praeter caeteros, dux Christophorus eius frater, & Valdemarus Brandeburgicus. Rex, qui urbem, sibi subditam, ac paratam ad obsequium, onerare [e] tanto comitatu nollet, in vicino illi loco, quem Rosarium adpellabant, sub tento-

(a) *Quingentis quinque*) Corrig. *quingentis decem*.

(b) *Cum Molsanis*] Hoc est, nonnullis ex nobili *Molsanorum* familia, in terris Meckelenburgicis.

(c) *Quos Rostockii, convocatis*] Occasionem memorat Herm. Cornerus *col.* 974. „ Ericus Rex Danorum, & Otto Mar„chio de Brandenburg convenerunt in Ribbeniz oppidum, & „inter se concordaverunt de omnibus, quae tam Rex contra „Marchionem, quam Marchio antiquus Ioannes, aut novellus „Otto contra Regem habuerant hucusque. Et conclusum est „finaliter a dictis Principibus, ut sequenti anno ambo Princi„pes convenirent in urbe Rostok cum Principibus, & No„bilibus, quos ad hoc habere possent. Et tunc ibidem Ericus „Rex Ottonem Marchionem facere deberet Militem, cum aliis „centum Nobilibus, & Militaribus, ab eo Militiam recepturis, „& quod de illis centum deberent esse, vel Principes aut ter„rarum Domini viginti. „

(d) *Permagnificos instituit*) Hos ad annum 1312. refert, qui amplissimam eorum descriptionem dedit in *Chronico* suo, Hermannus Cornerus *col.* 976. *seq.* Vid. & *Chron. Slavic. pag.* 207. Contin. Alb. Stad. *pag.* 55.

(e) *Paratam ad obseq. onerare*) Diversa tradunt non solum Hvitfeldius, & Pontanus, sed & antiquiores eis Cornerus, & Crantzius: Scilicet, Rostockienses noluisse Regem in urbem suam admittere, veritos libertatis suae naufragium, maxime pro-

CIↃ CCCXI.

toriis eum habuit. Paullo post Henricus Megapolitanus, quum Vismariam, quae excluserat (a), nuptias ibi celebrare cupientem, bello peteret, ab Erico auxilium orat, impetratque; & is primo scribere Rostochiensibus, *ne Henricum Megapolitanum, praefectum apud illos suum, armis usquam infestarent: quod si facerent, scirent, poenam in promptu fore; ac se bona, quae in Dania possiderent, universa amissuros*. Quumque obsequium denegarent, illico instructa classe, magnum in Vandaliam exercitum transfert. Accedebant in auxilium Valdemarus Brandeburgicus, Henricus Megapolitanus, & vicini principes alii; & Rostochium arcta obsidione cingitur. Rex a mari, principes terra illud urgent. Quumque obsidio, ob munitionem urbis, diuturnior futura videretur, rex ad Varni fluminis ostium classem applicat; copiasque item suas illuc Valdemarus transfert; inde ripam utramque muniunt; & praesidium, ad defensionem idoneum, isthic ponunt: tum & ostium (b), mersis navibus, saxis grandibus repletis, item obstruunt; ac, simul id perfecissent, satis arcte obsideri urbem rati, domum quisque suam repetunt. Vix recesserant, quum egressi oppidani, utramque hanc munitionem summis viribus oppugnantes, capiunt, & demoliuntur; &, ad portum defendendum, turrim struunt; ostiumque, eductis navibus, quas Ericum demersisse memoravi, rursum aperiunt; inde regi, quod intulerat, bellum referunt; viribusque cum vicinis civitatibus sociatis, classe Daniam invadentes, Scanoram, Falsterboam, Amagriam, & Helsingoram, aliaque item loca adiacentia, igne exurentes vastant: &, abducta ingenti praeda, domum sese mox recipiunt. Et Ericus, ut ulcisceretur cladem, classe instructa, eam iterum in Rostochienses ducit; nova item cum principibus foedera init, & Othone Stetinensi inter istos, cui etiam offensae, ob Molsanos divexatos, gratiam facit, ea lege, *uti sibi cum equitibus cataphractis quadraginta militaret: adeoque, si necessitas postularet, omnes itidem clientes, ad hoc bellum adiuvandum, exhiberet; quin & ei literae Rostochiensium, antea commemoratae, si conciliationem recusarent, redderentur*. Quin & lis, exorta pridem cum Verlensi, super summis, qui restabant pro Rostochiensi agro persolvendi, ab Enrico Megapolitano, & Episcopo Ripensi, arbitris in hanc rem captis, est composita. Rex Ericus, Varno statim occupato positis ad turrim castris, paulo ante a Rostochiensibus structam, eam post trimestre expugnat; ac reductam in potestatem etiam validius munit vallo (c), ac fossa: & propugnacula ex adverso quatuor addit, prioribus munitiora; inde arma, atque commeatum infert longo tempore suffecturum; tum praesidium imponit, satis validum, quod tuetur, & prohibeat portu quemvis, seu exire ille vellet, sive ingredi: & Henrico Megapolitano mandat, ut a terra is Rostochienses premat. Quae dum facit dux ad eum Ericus Slesvicensis venit; obituque fratris sui Valdemari (d) nuntiato, ut ducatum eum sibi largiatur, supplex petit, obtinetque; inde rex in Daniam cum classe redit. Interim Rostochienses, undequaque interclusi, quum viderent, se commerciis prohiberi; & accederet quoque fames, qua gravissima vexabantur; tandem poenitentia ducti, quod obsequium pridem regis excussissent, iram in senatum vertunt; clamitantque, portum eo connivente obstructum esse; ideoque se nunc malis adeo gravibus conflictari. Itaque tota passim urbe discursantes, veluti in rabiem acti, quosdam illico caedentes, sicut eos nacti erant, quosdam item capientes, ac mox rotae imponentes, crudelissime grassantur. Pauci quidam, clanculum ex urbe se proripientes, ad Henricum Megapolitanum elapsi, opem contra eos petunt.

CIↃ CCCXII.

Hoc furore intestino aliquandiu agitati, quum taederet tandem caedium, mittunt ad Ericum regem, qui rebellionis veniam admodum demisse orarent; atque ille, ut natura facilis erat, & in supplices benignus, quique arma numquam nisi invitus sumeret, quum a regno per id tempus commode abesse haud posset, id negotii Megapolitano mandat, territorii praefecto (e), qui de statu universo & cognosceret, & in sontes animadverteret: isque, regis voluntate intellecta, quum armato urbem ingredi non liceret, currus duos, velut aliquem commeatum subvecturos, noctu mittit; qui quum intromitterentur, mox, armata manu irrumpens, portam occupat, frustra civibus prohibentibus, ac progressus usque in forum, aciem ibidem instruit. Vbi increbuit, & in urbe esse hostem, & iam forum occupasse, ocyus armati cives se obiiciunt; verum, quum significasset, regis se mandato adesse, omnibusque sine armis ius dicturum, ac pacem urbi, & quietem redditurum; mox ab armis universi discessere: &, composito tumultu, pristinam tranquillitatem recepere. Poena indicta est, uti regi, & marchionibus Brandeburgicis, item Megapolitano, ac Verlensi, millia selibrarum argenti quatuordecim tripartito solverent intra trimestre: ac, pecunia si deesset, eius vicem, aut coccineos illis pannos, aut eiusmodi merces alias exhiberent. Quod ad templum, apud Varni ostium structum, quod proterve demoliti ipsi fuerant, de hoc in id conve-

ne-

propter ingentem illam multitudinem Principum, & Nobilium, qui Regem comitabantur. Itaque conventum illum a Rege habitum fuisse extra urbem in campo magno, & spatioso, *Horto Rosarum* dicto, ubi grandia erecta palatia, pannis sericis velata, Regem, & eos qui e Germania advenerant Principes capiebant. Plura legantur ap. Corner. *loc. cit.* &c.

(a) *Quae excluserat*] Eadem ex ratione, qua Regem, ac Regium comitatum cives Rostokiani. Vid. Corner. *col.* 978.

(b) *Tum & ostium*] De hoc legantur Cornerus *col.* 978. & Continuator Stadensis *pag.* 56.

(c) *Validius munit vallo*] Vid. Corner. *pag.* 979. Continuator Alb. Stad. *pag.* 57. Crantz. *Vandal. lib.* 7, *cap.* 53. Petri Lindeborgii *Chron. Rostock. pag.* 53 *seq.*

(d) *Fratris sui Valdemari*] Non fratris, sed *patris*. Habuit quidem Valdemarus ille fratrem, nomine Ericum, Ducem Langelandiae. Sed is non successit; brevi etiam post atque hoc ipso anno, vel certe sequenti, mortuus. Vid. Andr. Hoyeri *not. ad Continuat. Stad. pag.* 59. Sed filius Valdemari patri suffectus fuit in Ducatu Slesvicensi, Ericus & ille dictus.

(e) *Territorii praefecto*) Litterae, quibus Henricus, Dominus Magnopolensis, & Stargardiae sese profitetur munitiones, ac terras in dominio Rostockiensi a Rege Erico, tamquam procuratorem Regis, & Capitaneum tenere, &c. datae anno 1311. extant apud Hvitfeldium *pag.* 145. & ex eo ap. Pontanum.

CIϽ CCCXII.

nere, uti ligneum reponerent. Inter ista, quum nonnulli cum Erico Langelandico consilia in regis caput iniissent, res detecta est. Coniurationis literas, manu omnium, & sigillo confirmatas, Sophia, Erici uxor, quum fortasse post mariti sui mortem invenisset, mox a rege evocata, ut susciperet e baptismo natam illi recens filiam, secum defert, & ostendit (a); rexque acceptas quum legisset, & coniuratorum nomina percepisset, rem dissimulat; ac, senatu Vortingburgi adesse iusso, etiam coniuratos vocat; qui adveniunt universi. Post negocia quaedam regni, indicare rex senatui, esse qui in caput suum coniurassent; ad quae postquam senatores obstupescerent, alterumque alter tacitus, ut in talibus, adspectaret (b), tandem, animis confirmati, qui se tanti criminis expertes scirent, regem orant, ut eorum nomina edat; ac pronuntiant ultimo supplicio dignos, qui id scelus ausi essent. Post quae quum proferret literas, coniurationis indices, & coniuratorum nomina apparerent, principes nefandi criminis, Andreas Hogbius, atque Nicolaus Ranno comprehensi, ac damnati omnium suffragiis consentientibus, rotis apud Vorthingburgum sunt impositi (c), & consiliis sceleratis finem dignum habuere. Caeteris vero, inter quos Episcopi erant, Roschildiensis, Othoniensis, Viburgensis, Burglanensis; & Slesvicensis, ordini parcendum ratus, gratiam delicti fecit; exacto a singulis denuo iureiurando, numquam se deinceps ipsi adversaturos: tum communes quoque hostes, & amicos habituros, ac seorsim fidem obstringere Slesvicensis, numquam se cum Torpatensi dioecesi suam mutaturum esse. Paulo post Rostochiensibus rex Ericus literas mittit, quibus ipse testaretur se eorum privilegia rata

CIϽ CCCXIII.

tecta esse velle, & commercia item civibus libera utrinque dare; ac Verlensis, bona uxoris, quae Erici soror erat, ut & selibrarum argenti quatuor millia, quae restare persolvenda existimabat, Erico donat: & promittit, dato in hanc rem chirographo, filiam se suam, Sophiam, nulli viro, ipso inscio, traditurum. Inde etiam Helsingburgum convenere rex Ericus, cum Birgero, Sveciae duce, ac Christophoro, item duce, & Nicolao Verlensi; tum Haquinus, rex Norvagiae, cum Erico, & Valdemaro, Sveciae ducibus; ac statutum inter eos, *uti pacem certam colerent; duces Sveciae, qui Ericum, & Christophorum, atque item Nicolaum, spreta Sophia, ab Erico desponsata, offendissent, solverent Erico mulctam quatuor millium selibrarum Coloniensium, Nicolao duorum millium: tum & iusiurandum darent; ac cum ipsis, ordinis equestris viri centum alii: non ullius probri causa, aut contumeliae, Sophiam a se desertam; sed divinam tantum legem, vinculumque sanguinis, propinquum nimis, conscientiam tenuisse. Insuper & Nicolao per trimestre militarent, quandocumque ipse illis indicaret: ita tamen, ne aut in Ericum arma, aut in foederatos suos, sive sanguine coniunctos, caperentur; & Ericus, comitatum Hallandiae septentrionalis, iuxta tabulas, in rem eam iam confectas, ducibus vicissim cederet: ac si controversia quaedam aliquando inter Ericum, Daniae regem, & Birgerum item Sveciae, Christophorum ducem, & Nicolaum Verlensem oriretur, ea Megapolitani, & Roschildiensis Episcopi arbitrio componeretur; at Norvagiae rex Haquinus, & cum illo duces Sveciae, lites suas Gerhardo Holsato, ac Gerhardo itidem Rendesburgensi, arbitrandas deinceps traderent: denique duces, ad Septembris diem octavum, Ethreliam usque Sophiam ducerent, ac iurarent, uti pactum, non ullius probri causa, eam a se spretam esse.* Ad haec etiam seorsim, dux Ericus regi se Coldingae obstringit, ad ferendam contra quosvis hostes opem. Ericus insuper Slesvicensis, qui iam pridem patri Valdemaro successerat, rege in castris ad Rostochium commorante, iure cessit, quod in Langelandiam sibi, & minorem item Frisiam vindicabat; tum impensas condonabat, quas in Svecica ante expeditione pater Valdemarus fecerat; atque ipse nuper in Rostochiensi obsidione. Actum quoque, *uti bona ad clientes regios, quae pertinerent, iis cuncta restitueret; atque regis inimicos toto agro Slesvicensi prohiberet; & captivos dignitate eminentes, sicubi nancisceretur, sive reos parricidii, regi traderet: denique stipendia suo milites regi quinquaginta, ubicumque usus posceret, exhiberet; rexque ipsum, ceu clientem, contra hostem qualemcumque tutaretur.* Inter ista, in boreali Cimbria tumultuatum est, rusticique & tributa, & obsequia item caetera, denegabant: & in facinus incendebant quidam e nobilitate non postremi. Quo quum rex praefectum aulae, & nonnullos e nobilibus, ad eorum insolentiam compescendam, ablegasset, illi, se obiicientes, missos omnes caedunt; aut in fugam vertunt; atque inter caesos fuit comitis Glicensis filius. Id quum rex indignaretur, copias in eos duxit; qua re illi intel-

(a) *Secum defert, & ostendit*) Continuator Alberti Stadensis *pag.* 99. „ Post paucos dies relicta dicti Ducis Erici, *nata de Ro-* „ *senborgh in finibus Hartici montis*, invitata ad levandum filium „ Regis Danorum de sacro fonte baptismatis, Regi placere cu- „ piens, litteras quasdam tradidit, in scrinio secreto sui mariti „ repertas: in quibus contra Regem continebantur conspiratio- „ nes Militum „ &c. Huius loci occasione, (quippe qui unicus hucusque creditus, ubi *Sophiae* huius genus proditum,) de *Sophia Langelandica*, coniuge Erici Ducis, insignem multaque diligentia conscriptam Disquisitionem edidit, ac *Continuationi Alberti Stadensis*, tunc ex MS. publicatae, subiecit Andreas Hoier; Qua probavit, *Sophiam*, non, ut Lyschander coniecerat, Torfaeo etiam approbante, filiam fuisse Regis S. Erici, *Plogpenning* dicti, & Valdemari Sveciae Regis, antequam Erico Langelandico nuberet, uxorem; neque, ut Pontanus suspicabatur, filiam Valdemari Regis Sveciae; neque filiam Vitzlavi, Ducis Rugiae, sororemque adeo Euphemiae Reginae Norvegiae; sed filiam Iuttae (seu Iudithae) Alberto I. Anhaltino, Saxoniae Duce Electoreque genitae; quae Iutta primo in matrimonio habuit S. Ericum Regem Daniae, *Ploghpenning* cognominatum, eo autem per fratrem Abelem peremto, nupsit Burggravio cuidam de *Rosenburg* in finibus Hartici montis. Hunc Burggravium dictum fuisse *Burchardum VIII.* laudatus Hoierus non tam evictum dedit, quam argumentis satis probabilibus lectori persuasit. At *Sophiam* illam fuisse omnino S. Erici Regis (Sophiae Ingeburgis, Agnetis, & Iuttae) sororem uterinam, natamque Burggravio quodam de Rosenburg, invictis rationibus, ac diplomatum sigillorumque fide demonstravit.

(b) *Obstupescerent. - - aspectarent*). Putarem Meursium scripsisse: *obstupescere* - & *aspectare*.

(c) *Rotis sunt impositi*) Supplicium istud refert Hvitfeldius ad ann. 1315. Vid. ipf. *Tom. III. pag.* 202.

CIↃ CCCXIII.

tellecta, se subiiciunt, & auctores item indicant, in quos mox est animadversum; rustici mulctati bonis; ac tributum quoque novum, Guldecornum (a) nuncupatum, dare iussi. Tum, ne deinceps commovere se auderent, propugnacula quatuor ponit; unum, Horsenae (b) alterum vero, Coldingae; tertium, ad sinum Lymicum; quartum denique, Viburgi. Ex nobilibus, qui tumultum excitaverant, sunt proscripti, Nicolaus Brocquius, Ioannes Papaeus, Nicolaus Laurentius; Petrus Porsius in gratiam receptus fuit, ea lege, *uti denuo fidem sacramento obstringeret, seque ab inimicis regis separaret; & transferret domicilium in Daniam intra proximum biennium*. Ac pro eo viri aliquot primarii, hique ex equestri ordine, fidem interposuere. In Esthonia, eo tempore constitutum est; *si qui sine haerede essent, ac res suas venum darent, illo animo, ut in alia regione bona sibi alia quaedam compararent, & interea morte interciperentur, ut pecunia ea omnis fisci esset*; & mandabat Bernovero, suo illic tunc legato, rex Ericus, uti eam, si fortasse usus ferret, vindicaret. Mox Roschildiae constitutum;

CIↃ CCCXIV.

uti controversiae omnes, quae existerent inter regem, & Ericum, Cimbriae australis ducem, intra annum proximum deciderentur: interim amice agerent, & inter se pacem colerent, neque in alterius damnum quicquam alter moliretur, & clientis hic obsequium, is auxilium patroni, ubi opus, exhiberet. Tum dissidium quoque ortum est inter regem, & Brandeburgicos, quod non longe a bello aberat. In causa erat Stralesundia; quae, infestans Vitislaum, Rugiae principem, ab eodem repugnante itidem divexabatur; & Ericus, minime clientem sibi deserendum arbitratus, mox suppetias illi mittit. Contra autem, Stralesundiam tuebantur Brandeburgici; &, adscito Vratislao Pomerano, Loisitzam, aliquot obsessam dies, ac deinde expugnatam, Rugiano eripiebant; & ulterius progressurum esse malum videbatur, cum pax facta, qua statutum, *uti Stralesundienses foederi renuntiarent, quod cum Brandeburgicis fecerant: quasque in Rugia, proximave continente, munitiones extruxissent, illico demolirentur: dominumque item agnoscerent Vitislaum Rugianum; qui vicissim semper eos, ceu clientes contra vim quamcumque externam tueretur: & immunitates ipsis, atque iura, sarta tecta conservaret; capti etiam, obsidesque libertati redderentur*. His peractis, Vitislaus Rugianus Loisitzam, & adiunctas alias munitiones, ut a rege sub praefecti titulo acceperat pridem, ita reddit; ac, receptis septem millibus selibrarum Sclavicarum, quarum nomine velut pignus obtinuerat, etiam Morlaviam, ac Syltam, & Gnoiam. Contra rex Scaprudam tradit, cum adiecto territorio, in unius anni fructum. Dum haec fiunt, natae quaedam in Esthonia controversiae de divisione limitum inter regis, & Teutonici ordinis subditos: verum eae mox compositae, a praefecto Revaliensi, & clientibus regiis tribus, item viris ex equestri ordine quatuor, quibus id negotium permissum erat. Confirmatae item literae olim ordini super Harriae territorio a rege Valdemaro datae; tum & porro, habito Viburgi senatu in auctores Cimbricae seditionis, de qua paulo ante egi inquisitum; ac damnati capitis, & fortunarum viri equestris ordinis decem, totidemque e nobilitate caetera (c). Per id tempus & Dithmarsi fidem regi, & obsequium, nisi quando in Episcopum Bremensem arma capienda forent, offerebant; & e Svecia aliquot equestris dignitatis viri, ab Erico, & Valdemaro illic ducibus desciscentes (d), regis sese clientelae commisere: isque acceptis, contra eos, qui inferre vim tentarent, patrocinium est pollicitus.

CIↃ CCCXV.

Paulo post munitionem, quam ad Varni fluminis ostium antea communi sumptu excitatam memoravi, uti tota sua in potestate esset, rex a Brandeburgicis redimit, 5000. selibrarum; inde Loisitzam arcem, ac subiectum territorium Vitislao Rugiano sub clientis nomine tradit. Vixque id actum, quum dissidium ecce quoddam novum oritur inter Stralesundienses, & hunc ipsum Vitislaum; etenim, quum privilegia illos sua nimium extendere existimaret, ideoque restringenda, sicuti Vismariensibus, ac Rostochiensibus factum, ipsi, ope Brandeburgici, qui in partes etiam Pomeranum traxit, impetrata, Rugiam infestis armis invadentes populantur; atque Brandeburgicus quidem, non contentus Loisitziorum partem, ac Grimmensium; & Trebesanorum item subegisse, quum & fines Megapolitani carperet, is, coacta ocyus manu, agrum quoque Brandeburgicum ferro, atque flamma vastat.

(a) *Guldecornum*] Vocabulum est Danicum *Guldkorn*. Nam *Guld* est aurum; *Korn*, frumentum. Fundi, & agri in Dania olim *auro* aestimabantur in *Catastro regni*: Certusque iugerum numerus, habita ratione bonitatis fundi, & quantitatis proventuum, *Marcam auri* conficiebat. Hinc *Mark Gulds Iord*, hoc est, tantum agri, quantum *Marcae* vel *selibrae auri* pretium aequaret, vel quantum in *Taxa publica* istius pretii ratione aestimatum foret. Itaque cum in tributi, hoc loco indicati, impositione, ex qualibet *selibra auri* in agris, Regi a quibusdam unus, ab aliis duo siliginis modii pendendi essent, tributum ipsum adpellationem inde accepit, *Guldkorn*, quasi dixeris *frumentum aureum*. Praeterea adiectum in Edicto Regis [publicato Hottersnesiae anno 1313. *d.* 13. *post Ascens. B. Mariae*, pluraque per quam notabilia continente,] si quis deprehenderetur *selibrae* (vel *Marcae*) *auri* in agris, quam possideret, plus agrorum quam quod eamdem antiquitus semperque composuerat, adiecisse, tota illa terra mulctandum, terramque Regi adiudicandam esse.

(b) *Horsenae*] Oppidum hoc alias nostratibus adpellari latine solet *Hothernesia*. Ceterum de arce, quam Ericus Rex istic aedificarit, ipsi etiam Hvitfeldio dubium habebatur, utrum Bygholmia, quae in vicinia Hothersnesiae conspicitur, an in ipso oppido alia quaedam fuerit, cuius hodie nullum vestigium.

(c) *E nobilitate cetera*) Omnium nomina designata extant in tabulis sententiam a Senatu regni latam comprehendentibus, apud Hvitfeld: *pag.* 185. *seq.* numeranturque ibi unus, & viginti: sed ex his unum praetermisit Pontanus. Annotat quoque Hvitfeldius, omnes supplicio affectos, ab Annalistis memorari: hoc autem dubium sibi reddi ex eo, quod nonnullorum ex iisdem nomina in litteris Svericis anno 1318. scriptis conspiciantur, quas tunc obsignaverint. Itaque, quod saepius factum, capitale supplicium a Rege in proscriptionem censet mutatum: quamquam sane permagna fuere crimina summamque poenam promerita, quorum Rex eos accusabat.

(d) *Ab Erico, & Valdemaro desciscentes*) Non hoc dicit Hvitfeldius (*pag.* 195.) vel eius interpres latinus Pontanus (*pag.* 412.) neque veritati est congruum. Nam ex more illius aevi, etiam clientes amicorum Principum, ab alio, & praesertim potentiore, in tutelam, ac fidem recipiebantur, maxime si bona, & fundos quosdam possiderent in eius, cuius patrocinium implorabant, ditione.

CIↃ CCCXV.

ſtat. Itaque, quum bellum grave exardeſceret, Vitislaus regem ad ſuppetias vocat; isque ſtatim ablegato ad Brandeburgicum Ioanne Olao, viro e primaria nobilitate, officii eum ſui monet: Qui reſpondet; *non ſe iura Vitislai, aut telonia, quicquam imminutum ire; ſed dumtaxat urbis Straleſundienſis libertatem propugnare: ac, quae ipſi inter ſeſe pacti eſſent, integra, & illibata ea fore*. Inde ſcribit ad Ericum Vitislaus: *ſe diſſidii, & exorti inde belli componendi plenam poteſtatem dare: quod ni faceret intra diemm enſis Martii duodecimum, mitteret auxilio ſexcentos milites; ſe viciſſim ſemper deinceps contra quemvis eius hoſtem copias iuncturum eſſe*. Rex & operam, quam petebat, & auxilium, prompte offert [(a)]; ac promittit, *apud Brandeburgicum ſe effecturum, ut pacem habeat, & recipiat Straleſundiam, Rugiamque*. Eodem tempore Vitislaus etiam regi Monam reddit, & Coagium, aliaque territoria; quae ab ipſo dotis nomine, pignoriſve, pridem accepta poſſidebat. Inter iſta Vratiſlaus Pomeranus procurare, quae ad pacem ſanciendam pertinerent; &, mandato Brandeburgici, conventum indicere Broderſtorpii, in ſecundum diem Iunii: ubi rex, cum Vitislao Rugiano, & Henrico Megapolitano, ac cum Brandeburgico ipſe controverſiam dirimerent; quamquam iſtud, ſiquidem non convenere, fruſtra fuit. Sed a rege conſtitutae tunc induciae inter Bernhardum, comitem Rendesburgenſem [(b)], ac Dithmarſos uſque in diem Ianuarii menſis ſextum: ad quod tempus & in Daniam tuto commeare ipſi, & commercia illic ſua exercere quaevis poſſent; tum & litis, quae intercedebat regi cum Bernhardo, conſtituta eſt oblivio; ac ſancitum, *uti regem ipſe ſemper viribus ſuis univerſis adiuvaret, rexque ipſum, ceu clientem, tueretur*. Etiam Anhaltinus comes ſe in clientelam dedit; & urbes, Brucam, Askeslevam, & Hatskerodam; item arces, Hoiam, Kuetingam [(c)], Vedeſtorpium, & Anhaltum; rexque illi in quingentas ſelibras annuas Sialandicas ſe obſtringit. Actum etiam contra Brandeburgicos fuit; & in eos ictum foedus a Cracoviae tunc duce Vodſelao [(d)], quo rex etiam comprehenſus; ut & Svecus, Norvaguſque, Rugianus, atque Megapolitanus. Etiam cum Luneburgicis actum fuit, uti regi contra quoſvis, ſolo excepto Brunſvicenſi, opem ferrent; ac potiſſimum contra Brandeburgicos obſtringebantur; ne cum illis, ipſo ignaro, aut invito, pacem facerent: ac viciſſim nec paciſceretur ipſe etiam quicquam cum iisdem ſine eorum voluntate, & conſenſu: tum ad diem S. Michaeli ſacrum, mille his argenti ſelibras exhiberet. In Livonia, quum res perturbatae eſſent per hoc tempus, rex Epiſcopum Torpatenſem, dato commeatu, evocat, & adeſſe ad feſtum S. Michaeli diem iubet, quo de rebus univerſis plenius cognoſceretur. Praeter iſtud, recipit in gratiam Revalienſes; & immunitates omnes, quaeque privilegia largitus erat, rata habere, datis literis, ſe teſtatur: ac de moenibus ita ſtatuit, ut inſpicerentur illa per legatos; &, ſi arci, ac defenſioni eius nil obeſſent, integra relinquerentur. Etiam auſtralis Cimbriae dux turbabat: quumque rex hanc invaſiſſet, & iam praeſto cum auxiliis etiam Sveciae duces eſſent, qui advenerant in Fioniam, mox induciae Neoburgi conſtitutae: duxque foedere arctiore ad auxilia, contra Brandeburgicos ſuppeditanda, ſe obſtrinxit. Inde ad ius animum Ericus vertit; & feudale in Eſthonia ordinavit, atque leges Sialandicas in maiorem modum auxit: quique tres dumtaxat libri ante illud tempus fuerant, tunc ſex facti. Poſt haec, ſub initium

CIↃ CCCXVI.

anni Margareta [(e)], Nicolai Verlenſis vidua, ſuo nomine, & Eliſabethae [(f)] filiae in Erici manum tradit urbes dotales, Sultenam, Rubenitſam, & Morlaviam; inſuper clientes etiam, ſibi obſtrictos in his locis, iuramento libe-

(a) *Promte offert*] Miſiſſe etiam videtur, modo recte annum appoſuerint Annales veteres. In quibus Continuator Alberti Stadenſis *pag.* 68. ad annum 1315.. „ Item eo anno exorta eſt guerra odioſa inter Valdemarum Marchionem, qui ſolus toti *Marchiae* dominabatur, ex una, adhaerentibus ſibi *Ottone*. & *Wertzlao*, Ducibus *Stetinenſibus*, nec non *Adolfo* Comite Holtzatiae *Iohanne* Domino de *Werle*, & civitatibus *Straleſond*, Gripeſwold, & ex parte altera inter *Ericum* Regem Danorum, & ſuos competitores, ſcilicet *Ericum* Ducem Saxoniae, Witzlaum Principem *Rugianorum*, *Gerhardum*, & *Iohannem* Comites *Holtzatiae*, *Hinricum* Comitem *Zvverini*, & *Hinricum* Dominum *Magnapolis*, & quosdam alios, quos ipſe Dominus *Magnapolis* nomine Regis, ſicut ductor in omnibus expeditionibus faciendis gubernavit. „ Sic *Continuator* iſte in Andr. Hoieri editione. At in Codice eiuſdem *Chronici MS.* ſubiunguntur, quae ex Hoieriano exciderant, haec verba: *Sed Rex nulla ſua gente, ſed infinita pecunia ſuam partem iuvabat*. Nihilominus *Annales* auctorem praeferentes Nicolaum Ioannis Archiepiſcopum olim Lundenſem (*Syllog* Ludewig. *num. VIII. pag.* 170.) „ Anno 1315. Ericus Rex Daniae miſit Marſcalcum ſuum Hermannum de Iutia cum expeditione magna verſus Straiſund, videlicet lxxx. liburnos cum multis aliis & ſeptem millibus armatorum. excepto vulgo, & obſedit civitatem in profeſto Valburgis Virginis, & devaſtavit omnes circumquaque regiones, & totam terram Rugiae, uſque ad feſtum B. Martini eiuſdem anni. „ Quae & alii *Annales* repetunt in eadem *Sylloge* Dn. de Ludewig *num. VII.* An fortaſſis haec rutius ſpectare dicenda ad praecedentis anni expeditionem, de qua meminerat Meurſius *col.* 472. *a*.

(b) *Bernhardum, Com. Rendſburg.*] Error eſt, pro *Gerhardum*, quod nomen omnino hic reſcribendum. Nullus enim Comitum Holſatiae *Bernhardus* vocatus fuit: *Gerhardi* vero plures. Idem & mox v. 8. corrigendus error.

(c) *Kuetingam*] corrig. *Snetingam*.

(d) *Vodſelao*) Corrig. *Voldeslao*: Qui in litteris pactorum (integris ab Hvitfeldio *pag.* 206. *ſeqq.* & Pontano *pag.* 414. inſertis,) ſic inſignitur: *Woldeslaus Dei gratia Cracoviae, Sandomiriae, Syradiae, Luticiae, Cuyaviae, totiuſque regni Polonici Dux, nec non haeres Pomeraniae*.

(e) *Margareta, Nic. Verlenſis*] Quoniam omnes Megapolitani ſcriptores Nicolai Comitis Verlenſis (alias Nicolai VII. Heruli,) coniugem Danicam, Erici Menvedi ſororem, *Rigiſſam*, vel *Ricſam* nominant, quam & anno 1213. fato functam eſſe ſcribunt; evidens eſſe puto, aliam ab eius morte Nicolao coniugem ductam, Margaretam nuncupatam: cuius heic nomen Hvitfeldius ex tabulis autenticis, exque eo Pontanus, & Meurſius produxere. Itaque Meurſii aſſertio in fine hiſtoriae *Erici VII- Glippingi* (ſupra *col.* 448. *e. v. ult.*) de *Margareta Erici Regis filia Nicolao Verlenſi nupta*, corruit; nullo alio fundamento, quam quod hoc loco habetur, innixa. Credo autem *Margaretam* hanc, ſororem, aut propinquam fuiſſe Ioannis Domicelli Holſatiae, atque hinc eſſe quod eius nomen primo loco inter vades, in litteris anno 1316. *die Agathae Virginis* ſcriptis conſpiciatur. Qua occaſione nequeo intactum praetermittere errorem hiſtoricorum Megapolitanorum, tam veterum, quam recentium, inque his Io: Frid. Chemnitii, quando ſtatuunt Nicolaum anno 1316. *menſe Octobri* e vita exceſſiſſe. *De menſe* quidem facile ipſis largior, ſed annum ſtatuere oportet omnino 1315. Id quod ex binis prolatis a Cancellario Hvitfeldio diplomatibus, quorum prius *feria* 4. *poſt Dominicam Epiphaniae*, alterum *die Agathae Virginis*, ipſo anno 1316. ſcripta evincitur.

(f) *Eliſabethae*] Hanc ex poſteriore coniuge *Margareta* ſuſceptam crederem, niſi Hvitfeldius infra, ad ann. 1317. meminiſſet litterarum, in quibus (quemadmodum is allegavit,) Erici Regis ex ſorore neptis dicitur.

liberatos, in obsequium eius transfert: tum promittit, se Elisabetham filiam, sine ipsius voluntate, minime elocaturam: ac, si faceret dote, quam pollicitus esset, cassam fore; rexque ei, quas debebat, selibras Sclavicas mille solvit; praeficitque bonis omnibus, quae marito pridem suo in Blekinga, & Lalandia, Cimbriaque, dotis nomine concesserat; idque ceu in compensationem iuris, quod in territorium Rostochiense, & suarum ditionum urbes alias, filia Elisabetha, ob selibrarum duo millia, quae quotannis, quoad viveret, ipsi persolvenda erant, vendicare sibi posset. Per id tempus, quidam e nobilitate Brandeburgica, postquam principes offendissent, ad Ericum profugere; oppidaque illi sua, atque arces, & munitiones alias obtulere: rexque eos in tutelam suam accepit, & promisit patrocinium; ac daturum item operam, ut in gratiam redirent. Cum Erico etiam foedus iniere Episcopus Magdeburgensis [a], Rugianus, Sverinensis, Megapolitanus, & Holsatus, & auxilium inter sese promisere contra quosvis: nisi quod Episcopus Magdeburgensis Fridericum, Misniae marchionem, exciperet; caeteri, Rudolphum Saxonem, & Othonem Luneburgicum. Eodem tempore regis quoque se tutelae tradidere, Ericus Saxo, & Nicolaus, ac Ioannes Verlenses fratres: & vicissim operam ei quisque suam contra hostes qualescumque addixere. Sed mox ortae inter principes foederatos simultates; ac potissimum inter regem, Megapolitanum, & Verlenses item fratres: adeo ut alter alterum comprehensum sub custodia detineret. Verum tamen denuo conciliati, opera in primis regis Rugiani, principumque aliorum. Inter ista, in Transiselania Daventriensibus, in Gelria Hardervicensibus, locum amplum, liberumque, in mercatu Scanorensi, semper possidendum, donat. Lubecensibus, privilegia vetera firmat, & largitur item nova; ut praefectum Falsterboae, ac Scanorae civium causas cogniturum, constituerent: & navigia, simul atque appulissent, illico exonerarent; neque dissimilia Rostochienses Tranekerae [b] beneficia acceperunt. Quae dum fiunt, Archiepiscopo Lundiensi, Elgero Iulio, lis [c] cum rege intercessit; ac reiecta ad Pontificem ea fuit: quumque propius cognita esset, sententia secundum regem ferebatur: *uti ipse Lundiensis quinque millia selibrarum intra annos decem solveret; nec deinceps quicquam auderet, sive domi, sive in Pontificis aula, quod cum eius detrimento iunctum foret; denique, ne Bornebolmiae, ipso ignaro, aliquem praefectum imponeret; quemque impositurus esset, hunc ut rex acceptum haberet: praestitoque Lundiensi iuramento, etiam polliceretur, quos extorres is egisset, nec se illos unquam recepturum esse* [d]. Paulo post, Nicopiam quum convenissent, regi, & Megapolitano, comites Holsatiae auxilia contra Valdemarum Brandeburgicum promittentes, fidem suam in equites centum cataphractos obstrinxere: rexque, & Megapolitanus, si quid ipsi, sive item equitatus, damni illic paterentur, id se quoque intra annum praestituros promiserunt: etiam vicissim auxilia, quandocumque opus forent. Inter haec, Christophorus, Erici frater, & nonnulli e nobilitate profuga, Brandeburgico se adiungunt; moxque, classe ad Stralesundiam comparata, in Fioniam excurrentes, Suinoburgum illic urbem in potestatem suam redigunt; obviumque sibi Flepum, eius insulae praefectum, cum collecta raptim manu protinus in fugam agunt; retinentque captam urbem, dum induciae inter regem, & Brandeburgicum postea statuerentur: per quas militem educere, & excedere insula coactus fuit. At Ericus, magnis copiis collectis, Glicae comitem Hermannum, equitum tribunum, & cum eo manum militum septem millium in Germaniam transmittit ad cingendam obsidione Stralesundiam: copiasque item addit a Birgero, Sveciae rege. Abiere & eodem Vitislaus Rugiae princeps; & Saxoniae Louvenbergicae dux, Ericus; & Albertus Brunsvicensis; Valdemarus, atque Sveno, Slesvicenses; Gerhardus, & Ioannes, Holsati; Henricus Megapolitanus; Prebislaus quoque Vandalus, & Adolphus Sconvenburgicus; Guncelinus Vittenburgicus, ac Guntherus Poepinensis [e]: nec non alii quidam comites, ac dynastae e finitima Germania. Louvemburgicus, iam praegressus, dum expectat sequuturos, ad propinquum urbi lucum castra ponit; quae mox oppidani invadunt, & captivum eum abducunt: atque Pomerano tradunt

(a) *Episcop. Magdeburg.*) Borchardus Archiepiscopus Magdeburgensis, qui anno 1220. a civibus dioeceseos suae captus, postea in carcere obtruncatus fuit. Vid *Chron. Magdeburg.* apud Meibon. *Tom. II. pag.* 338. ubi *annus MCCXV.* vitiose excusus pro *MCCXX.* conf. eiusd. *Chronici pag.* 337. Georg. Fabricii Saxon. Memorabill. Crantz. *Metropol. lib.* 8. *c.* 4. & multi alii.

(b) *Tranekerae*) hoc est, in arce Insulae Langelandiae, *Tranekiaer* adpellata, scriptae sunt litterae, quibus haec Rostockiensibus data privilegia continentur. Verum loca, quae petere, ac ubi eis negociari indultum, eadem sunt, quae nuper nominata. *Skanora* & *Falsterboda*.

(c) *Esgero Iulio lis*] In *Actione* Regis in hunc Archiepiscopum coram Pontifice Romano anno 1317. instituta, & adhuc in MS. latente, varia ei crimina inferuntur; in quibus potiora sunt. „1. quod antea ad Episcopatum Aarhusiensem, deinde Ar„chiepiscopatum Lundensem Regis beneficio evectus, postquam „a Sede Apostolica accepto pallio rediisset, mox cum Militibus „(h. e. equestris dignitatis viris,) & aliis consanguineis suis, & „affinibus scelestam contra Regem inierit factionem, & cum „eis populum consiliis suis, & suasionibus adversus Regem con„citasset. 2. quod ob hanc perfidiam, & tamquam consors, & „conscius proditionis caute sibi praecavens, postquam interven„tu amicorum regnique potiorum, pacem cum Rege fecisset, „oblata Regi ultro summa argenti, quam, & sub religione „iuris iurandi promisit, & partem eiusdem summae postmodo „regi dedit, tamen residuum nondum repraesentasset. 3. Quod „contra sacramentum dictum, Ecclesia Lundensi sine ulla pro„visione relicta, ad hostes Regis capitales se contulerit, & ad„huc apud eos agere perseveraret. 4 Quod Episcopalis mode„stiae oblitus, stipendiarios sibi contra Regem de bonis, & „servitiis Ecclesiae conduxisset, qui terras Regias praedis, & in„cendiis devastassent. 5. Quod excommunicationis sententiam „contra Regem, spreta huius adpellatione, promulgasset.„ Procuratores Regis, qui haec capita Pontifici exhibuerunt, fuerunt Guilielmus Craak, Legum Professor, & Iordanus Praepositus de Salingsyssel. Verum ea, inter Regem Ericum, & Esgerum anno 1317. ut dixi, actitata, a Magno Matthiae perperam reiiciuntur cuncta ad annum 1322. confunduntur que cum litibus, quas postea idem Archiepiscopus cum Christophoro Rege habuit.

(d) *Recepturum esse*) Quamvis ad hoc se Archiepiscopus datis etiam sponsoribus, obligasset, tamen sequenti anno 1318. regno excessit, & in Sveciam abiit.

(e) *Guntherus Poepinensis*) Vitium typographicum est apud Pontanum *pag.* 320. quod Meursius adoptavit. Pro quo rescribatur *Repinensis*.

CIϽ CCCXVI.

dunt, qui deinde Brandeburgico; isque in custodia tenuit, donec, pretium libertatis, sedecim argenti puri selibrarum millia repraesentaret. Caeteri quum advenissent, ac fortunam Louvvenburgici accepissent, arcte urbem obsedere, ut erumpere deinceps nusquam oppidani possent; sed, quum strenue repugnarent, & rex domi impeditus, ad exercitum non adesset, mox ab urbe obsessores discessere. Per id tempus litem Ericus, inter comites Holsatiae super turri Travemundae, ac Kifhoa item silva (a), dudum ortam, arbiter cum Megapolitano lectus, terminavit; &, occiso postea ex his Adolpho Segebergae, quum Gerhardus quoque Holsatus, & Henricus, ac Ioannes (b), eius fratres, vulgo criminis subspecti haberentur, promulgato mox diplomate, ipsos, & clientes horum insontes pronuntiavit. In Svecia, Ericus, atque Valdemarus eius regionis duces, quorum ille filiam Norvagiae regis, Haquini, iste huius ex Erico fratre neptem, uxorem habebat, sibi quisque auxilium a rege petunt; Ericus quidem, si Haquinus sine prole mascula demoreretur, ut ad regnum vindicandum operam navare vellet; Valdemarus autem, Erico, liberisque, se superstite, si id forte usus veniat, vita functis, uti itidem ad id regnum obtinendum se iuvaret: ac pro isto beneficio operam vicissim suam, qualem arbitri censerent, ad id lecti, pollicentur.

CIϽ CCCXVII.

Inde Ericus Neoburgi dat uxori Ingeburgae loco pignoris Lalandiam, Flastriamque, atque adiacentes terras; numquam a successoribus suis, si decederet ipse prior, repetendas, nisi persolutis prius duodecim selibrarum millibus. Annae Megapolitanae, Henrici uxori, si marito superviveret, selibras annuas trecentas, sicut illas a praefecto Fimbriae is accepisset, itidem solvendas statuit. Mox cum Valdemaro quoque Brandeburgico pacem facit, antea commissam arbitris; sed, quod illi principes iureiurando obligare cupiebant, nullo exitu. Megapolitano etiam, uti varia, quae acceperat sua causa, detrimenta compensaret, contulit Rostochiensium, ac Sclavorum praefecturam: & monitionum item, quae hic essent, quarumcumque, excepto solo ad Varni ostium Daneburgo; quod Nicolao Olai, regni equitum tribuno, eodem modo concessisset; utque porro bene de se meritis referret gratiam; Scaniensibus, & nobilitati inprimis multa donat privilegia. Tum Verlensis filiam, Elisabetham, suam ex sorore neptem, Christiano, comiti Oldenburgensium, dat uxorem: & argenti mille selibras, anno post, quam initum esset matrimonium, persolvendas, dotem addit. Inde verso ad religionem animo, per Stolpensem abbatem exstruit in Esthonia monasterium Padicense, subiicitque Episcopo Revaliensi. Quae dum fiunt, Ioannes Verlensis regi fidem, & obsequium pollicetur contra quosvis; praeter patruum Ioannem, & Othonem Stetinensem, affinem suum: & vicissim rex addicit patrocinium, nisi contra patruum, quem ipse quoque excepisset, & Henricum Megapolitanum; quod & illi foederati sibi essent. In negotio Vratislai Pomerani, qui consilia contra regem proximo cum Brandeburgico bello iunxerat, arbiter ipse Brandeburgicus, quem adiuverat, constitutus; isque foedus cum Erico rege init; *si adversi quid accideret, & in bellum lis erumperet, quae cum Lundiensi ipsi, & Erico Slesvicensi. intercederet, se in partibus eius fore, atque arma coniuncturum; sed Christophorus, regis frater, quia pace, pridem inter ipsos facta, comprehendi noluisset, medius relinqueretur: neque regem contra ipsum Brandeburgicus, neque illum contra regem adiuvaret.* Compositae quoque ab utroque controversiae Holsaticae, ac statutum, *ut Chilonium Hennichius, mortuo Ioanne, haberet: tum uxorem quoque duceret Catharinam, Ioannis marchionis viduam, idque sine ulla dote.* Tradidit & marchio tunc Henrico Megapolitano territorium Stargardae, ac vicissim sub clientis nomine ab eo accepit Verdenhagam, & Oldenburgum; atque illo ipso tempore denuo rex, & Brandeburgicus ad auxilia mutua se obstrinxere. *Brandeburgicus, regi bello laboranti, intra Daniam, cataphractos quadraginta, & sagittarios decem mitteret, suo aere merituros: rex vicissim Brandeburgico, in Bohemiam usque ipsam, quinquaginta cataphractos, sagittariosque decem, in auxilium praeberet* (c)*; hac conditione tamen, uti equi leviores, qui deficerent in itinere, intra proximum semestre; cataphracti, intra annum cuilibet rependerentur.* Denique ipsi, non contenti sua pace, aliis item foederatis eam faciunt, ac constituunt; *uti Rugia, Stralesundia, aliaeque urbes, ac munitiones, a Brandeburgico occupatae Vitislao redderentur; nec deinceps Brandeburgicus in has quicquam aut tentaret, aut praetenderet; verum potius contra impugnantes alios opem ferret; rex, quae Stralesundiensibus promisisset, uti rata haberentur operam daret; qui e Dania profugissent, & ad Brandeburgicum se contra regem contulissent, iis venia facti esset: nec deinceps marchiones quemquam, in exsilium a rege actum, ullo modo ad se admitterent.* Id vicissim marchionibus rex promisit; cui istud quoque datum, *ut limitibus ditionum, quales antea fuissent, frue-*

(a) *Kifhoa sylva*) Nomen sylvae erat *Kifholte*.

(b) *Et Henricus, ac Iohannes*) non *Henricus*, sed *Hennekinus*. Sic enim in Diplomate. Sed Pontanus, & alii, *Henricum* effinxerunt ex isto nomine, quod revera idem est eum *Iohannis* illo: Certumque, eumdem ipsum *Hennekinum* alias in monumentis scriptis adpellatum inveniri *Iohannem*, & quidem *Largum* cognominatum. Habet autem *Hennekini* vocabulum formam diminutivam, sicut a Conrado Conradinus, a Iacobo Iacobellus, ab Augusto Augustulus. *Hennekinus* ille, seu *Iohannes Largus* fuit *Gerhardi II.* cognomine *Caeci* filius, ex altera coniuge *Agnete*, Regis Daniae *Erici Glippingi* olim uxore, adeoque frater uterinus Regum *Erici Menvedi*, & Christophori II. Vid. Andr. Hoieri *Annot. ad Continuat. Alberti Stad. pag.* 37. *seqq.* & *Tab. Genealog.* ibid. inserta. Attestatur hoc ipsum *Chronicon III.* inter Ludewigiana illa *pag.* 86. *Gerhardus Dux Holsatiae ann.* 1290. *duxit Agnetem Reginam.* Confer & *Chronicon* Herm. Corneri ad ann. 1220. *col.* 996. ubi commemoratur, Regem Daniae Ericum Menvedum egisse per nuncios suos cum Gerhardo, Gerhardi Caeci filio maiore, ut Comitatum suum in Holsatia *resignaret pro pecunia competenti Iohanni fratri suo iuveni* (h. e. Hennekino nostro) Comiti Holsatorum.

(c) *Praeberet*) Sed si *propius, quam versus Bohemiam, bellum gereretur, tunc Rex mitteret* 100. *cataphractos*, & 10. *sagittarios*. Sic in pactorum tabulis. Vid. & Hvitfeld. *pag.* 250.

CIϽCCC XVII. *fruerentur: atque suos marchiones illibatos possiderent: quod & sociorum ius utrimque foret*. Denique in fine anni etiam dissidium, quod regi erat cum Erico Slesvicensi, finem accipit: & Ericus, regem se pro domino deinceps habiturum esse; rex, Ericum, ceu clientem, defensurum pollicetur. Actum quoque de commerciis, uti libera ea essent; tum ut obsides utrinque, ac captivi, liberi dimitterentur: quaeque illata essent damna, ea ut resarcirentur; ac postremo Hennichio Holsato, & Gerhardo Rendesburgico tota in triennium Fionia concessa fuit; ut impensas, quas fecissent in auxilia, regi bello Brandeburgico

CIϽCCC XVIII. submissa, hinc reciperent. Post haec Stralesundienses in triennii tutelam rex accepit, ac promisit, *nullam se facturum pacem, nisi qua & comprehenderentur ipsi; inter quae si bellum regno aliquod oboriretur, illi etiam vicissim ad auxilia submittenda tenerentur; tum & Dania hostes quosvis urbe, ac portu prohiberent*. Hoc Vismariae peracto, quum in regnum rediisset, mox tributum suis imperat; & agricolis pro aratro unoquoque selibram unam; nobiles vero, & ecclesiasticum ordinem, simul bonorum, ac redituum eius anni, decimam exhibere iubet: quod Esgerus, Archiepiscopus Lundiensis, quum ferendum non putaret, neque impedire posset, metu regis, a quo dudum diffidebat, regno clanculum excedit: & in Svecia Birgerus, ut se gratum exhiberet, pro acceptis ab Erico beneficiis, & auxiliis, contra fratres rebellantes, & deinceps ad haec ipsa etiam prestanda obstringeret, tradit illi [a] Visingsoam, & Smalandiam universam possidendam, dum impensae, quaeque alia accepisset detrimenta, redderentur; additumque, ut liceret quoque ipsi duas hic munitiones suo sumptu, postea restituendo, excitare. Mox Slaglosiae inter regem, & Ericum Slesvicensem sic convenit; uti controversiae omnes, quae utrique intercederent, ante proximum Octobrem, Gerhardi Holsati, & Henrici Megapolitani arbitrio finirentur. Agitatae & varie aliorum causae; placuitque, ut easdem illi ipsi quoque arbitri, seu quos alios ordinare visum foret, iudicarent. Hinc Birgero, Sveciae regi, post occisos fratres suos, quam gravissime laboranti, filium submisit Magnum [b], equitesque in auxilium sexcentos, sed eventu infelici. Quibus hunc in modum actis, dux Christophorus, post multiplicem offensam regis fratris semper gratiae restitutus, denuo relicta Dania Sveciam petit: &, acceptis ab antistite Lundiensi selibris mille, & quingentis, pignori dat ipsi Halmstadium, & subiectum territorium; efficitque apud uxores ducum Sveciae, uti illae, dum mariti a Birgero rege fratre sub custodia tenerentur, eum in tutelam admitterent. Inde in Scaniam copias mittit sub praefecto Eschillio Craquio: isque arcem Orkeliungam, improviso occupatam, diripit, & solo aequat. Rex, ut nuntium accepit, ocius Nicolaum Olaium adversum mittit; imperatque, ut Laholmum, & Falnckenbergam, quae Christophori arces erant, in suam potestatem cogeret: atque ille iussa facit; deinde vero, ut pecuniam, belli nervum, compararet, selibras Scanienses mille octingentas sedecim capit a tribuno regni equitum, Ludovico Eversteinio: pignoratque ei arcem Helsingburgensem, reditusque omnes Scaniae, praeter solum ius monetae. Hinc Mathias Chetelmundus, regni Svecici praefectus, post Birgerum deturbatum, Scanienses, quod suppetias tulissent, cum exercitu invadit. Adiungebant se extorres, aliique Erici hostes; inter quos & dux Christophorus, quem in Sveciam profugisse pridem dixi, & Esgerus item Iulius, Archiepiscopus Lundiensis, qui sequutus eum erat; ac Canutus quoque Porsius. Impetus in Falsterboam primum factus, hinc obsessum Helsingburgum; copiaeque, quas adversum Ericus misit, profligatae: itaque, vastata fere tota Scania, militem victorem abducit, ac captivos plus trecentos. Tandem induciae qualescumque Helsingburgi inchoatae, ac Roschildiae perfectae; quibus illud constitutum, *uti inter reges Daniae, Sveciae, Norvagiaeque, & Erici, ac Valdemari ducum liberos, in triennium proximum pax firma esset: si quid Svecus inter ista moliretur, illud Danus, Norvagusque, atque ducum Svecicorum item liberi, quantum in se, prohiberent, ac rex Sveciae, Birgerus, dum induciae haberentur, ipse, liberique eius extra regnum versarentur: nisi Gothi, quorum prius explorandus esset animus, & consensus postulandus, habitationem darent. Magnus autem, eius filius in custodia, in qua esset, permaneret, sed a vi quacumque immunis; qui patratae in Ericum, & Valdemarum, Sveciae ducum, caedis rei ante induciarum initium solum verterent; qui captivi, his libertas redderetur; dux Christophorus, & antistes Lundiensis, quique cum his profugissent, ac superiore bello ducum occisorum liberos adiutassent, si inferre bellum pergerent regi Daniae, Sveciaeve, eiusque liberis, iis neque ducum filii, neque aliquis Svecorum, opem ferret. Scanienses, qui se Svecis coniunxissent, veniam delicti haberent; quae restarent controversiae, eas ipsas octo arbitri, quatuor utrinque dati, Helsingburgum ad vicesimum quartum diem mensis Iunii conventuri, iudicarent; ac si forte quaedam non deciderentur, tamen salvae induciae forent*. Pro induciis fidem interposuere, praeter proceres indigenas utriusque nationis, etiam externi principes, qui convenerant, Valdemarus Brandeburgicus, Ericus Cimbricus, Henricus Megapolitanus, & Hennickius Holsatus. Per id tempus Vitislaus Rugianus, & Henricus Megapolitanus etiam fidem obstrinxere contra hostem qualemcumque, solo

lo

(a) *Tradit illi*) Crederet aliquis, Meursiano periodos connectendi (mori inassuetos, Birgerum Regem tradidisse Archiepiscopo Lundensi Visingsoam &c. Tradidit certe non Lundensi, sed Regi Erico; ut ex tabulis ipsis docet Hvitfeldius *pag.* 256.

(b) *Filium submisit Magnum*) Magnus ille Regis Byrgeri filius erat. Hunc Birgerus videtur, paulo antequam horribile illud facinus in utrumque fratrem Ericum, & Valdemarum perpetraret, in Daniam misisse, ad buxilia a Rege Erico petenda. Itaque remittitur nunc patri Birgero cum sexcentorum equitum auxilio. Id monere propemodum heic necessarium, ob constructionem Meursii ambiguam, ne quis Magnum, filium Regis Daniae fuisse suspicetur.

CIↃCCC XVIII. lo excepto Vratislao Pomerano; & rex quoque Nicolao, regni equitum tribuno, antea commemorato, pro expensis pignoravit Varnemundum, Stegeburgum, & Glambecam: ac promisit, si quis loca obsidere haec auderet, dum teneret suo nomine, se auxilium laturum. Multis quoque e Livonia, genere pariter, virtute eminentibus, ac praeclare de se meritis, uti gratiam referret, bona CIↃCCC XIX. plurima, iure clientum possidenda, est largitus; utque parens regum primus urbem Hafniam privilegiis exornaverat, ita ipse primus huic praefectum dedit; vectigalia, ac quae porro ad iurisdictionem suam pertinerent, curaturum. Insuper concessit, & immunitatem vectigalis alicuius, tum indicti; ea tamen cautione, ne peregrinorum mercibus suas umquam oppidani permiscerent. Eodem tempore Boringholmia, quae antistitis Lundiensis ditio erat, & incepta obsideri, postquam is ad Sveciae duces transiisset, uti supra memoravi, expugnata a Ludovico Evresteinio, in regis potestatem venit: ac tributum toto regno, in aratrum unumquodque selibrae dimidiatae imperatum. Tum Malmogia, alio nomine Ellebogia adpellata, magnitudine per hoc tempus Hafniae proxima, in adverso Scaniae littore, antea initiis quibusdam urbis alio loco excitatis, est exstructa: ac Revaliae, ubi ex mandato re- A gis ludus literarius apertus erat, ut in aliis CIↃCCC XIX. dioecesibus rex edixit, ne erudiendos alibi liberos suos incolae regionis darent; tum minores ludos vetuit, & parere detrectantibus mulctam posuit. Anni auctu anno maxima annonae caritas graviter afflixit Daniam: quam Erici mors excepit, quum regina Ingeburga paulo ante decessisset. Vixerat annos quadraginta quinque Ericus, regnaverat tres, & triginta. Erat princeps admodum observans aequi, & excellens pietate; B unde Pius etiam cognomento dictus: aliis regum tanto maior, quanto pauciores illi, qui virtutes istas habent. Imminente vitae fine, proceres, qui circa ipsum, serio est obtestatus, ne Christophorum, fratrem suum, quem inutilem regno sciret, sibi successorem caperent; quod quum postea negligerent, illo nihilominus eiecto rege, virtus eius, adeo dispari successore, & conspicua magis fuit, & desiderata cunctis. Liberos reliquit nullos (a): quamquam eos ex uxore Ingeburga quatuordecim C suscepisset. Ringstadii sepulcrum sibi ipse elegit: ac coenobio multos ideo fundos, reditusque, dedit; nec amicos est oblitus; quibus largiter legavit aurum, argentum, & nummos quosque rariores: tum, & annulos, cyatosque inauratos: ac quae alia istiusmodi.

HISTORIAE DANICAE

LIBER IV.

In quo res Christophori II. *Erici* IX. *Valdemari* III. *&* *Olai* VI.

CIↃCCC XIX. POstquam fama de Erici obitu increbuisset, dux Christophorus, qui in Svecia tum agebat, mox Daniam contendit; & Episcopos, ac senatum, in humilitatem abiectus, quasi cliens, obtestatur, uti regem se crearent; nec summates tantum prensans, infimorum quoque gratiam, ac favorem, quaslibet immunitates pollicendo, comparare impense studet. Idem apud regni proceres comes Vagriae Ioannes (b), frater eius uterinus, agitabat; *unum illum regio Danorum genere natum dicens, neque alium ex eo quemquam ultra superesse: atque ita regno usurum, uti, cunctis placiturum, certo polliceri habeat:* ac, quantumvis plures essent, qui Christophorum praeterire, monitu defuncti regis, statuissent; & Ericum Slesvicensem, quod ducatus ille regno denuo coniungeretur, surrogare; ta- F men pervicere isti, qui coronam ipsi tradi CIↃCCC XX. cupiebant. Itaque initio sequentis anni, ad vicesimum quintum diem Ianuarii, quum Viburgum convenissent, dato in nonnulla ca-

(a) *Liberos reliquit nullos*) Inter *Monumenta Danica* a Dn. de Ludewig edita *Chronicon num. V.* „Hic etiam quamvis multam prolem cum uxore habuerit, nullam tamen post se reliquit. Mortuus est autem in magna gloria anno regni sui XXXII.„ Recte hic, quemadmodum & Meursius, cum Hvitfeldio, & ceteris nostris habet, anni XXXIII. ponuntur. Nam errat utique Crantzius annos regni 35. Erico tribuens, annumque eius emortualem designans 1321. Quam & Crantzii hallucinationem animadvertit, & castigavit Odoricus Raynaldus, citatis litteris Pontificiis, quas Papa ad Christophorum, iam Regem, anno ipso 1320. *VIII. Kal. Martii* scripserit.

(b) *Comes Vagriae Ioannes*] Dixi superius, Hvitfeldio minus recte persuasum fuisse, Agnetem, Erici Menvedi, & Christophori II Regum matrem, alteris nuptiis in thalamum transiisse Iohannis Vagriae Comitis, cum revera Gerhardo II. sive Caeco nupserit, testantibus non solum *Continuatore Stadensis* veteri *Chronico n. III.* apud Dn. de Ludewig, ac Hermanno Cornero, sed & variis Diplomatibus adhuc extantibus, ad quae, etiamsi in talibus versatissimus, non attenderat Illustris Cancellarius. Seduxerant eum scilicet Crantzius, & Chronicorum Holsaticorum scriptores, saepe numero falsi, minusque accurati.

CIↃCCCXX. pita sacramento, regnum accipit, etiamsi non coronam: quae dilata (a) in aliud tempus; ea vero, in quae iusiurandum dedit, haec fuere: *ut Episcopi, & quicumque ad ecclesiam pertinerent, bonis suis, subditisque, ac concesso in illos iure, & consuetis libertatibus fruerentur, & ecclesiae ministeria nulli omnino, nisi gnaro ordine ecclesiastico, populoque, deferrentur: neve admoverentur illis peregrini; qui ut plane alieni a gente essent, ita linguam ignorarent. Clerus item, etiam quamcumque ob caussam, ad ecclesiasticum tantum forum in ius vocaretur, atque ibi causas ageret, neu tributis ullis regiis gravaretur. Ne Ecclesiae quisquam aliquem exhiberet, aut praeficeret, nisi cui ius patroni obtigisset; neque fas Episcopo iniicere manus, neu eumdem relegare ulli esset, nisi summo id Pontifice imperante. Idem nec in Clericum liceret quemquam, nisi suo iudice id decernente. Monasteria ne aut equos alere, aut canes ullos cogerentur, iusque Archiepiscopo esset, rebus suis pro arbitrio providere. Equites item, nobilesve a convictis iure subditis, iuxta regni consuetudinem, trium quatuor selibrarum mulctam exigere sinerentur. Iidem neque extra regnum militare cogerentur. Quod si tamen domi, aut peregre ex mandato regis fieret, is captivos intra annum liberare; &, quaecumque amisissent, reddere illis, antequam militiae se rursum accingerent teneretur. Quam si detrectarent, tamen salva ipsis privilegia, & immunitates forent. Neque bellum rex inciperet, nisi senatoribus consentientibus, neve peregrinus quisquam arces, aut munitiones, praefecturas, territoriave umquam ulla acciperet. Tum in Cimbria boreali, quae munitiones essent, praeter Ripam, & Coldingam, ac Standerburgum, omnes solo aequarentur. Proscriptis & eorum heredibus, reditus in patriam permitteretur; quaeque bona publicata praeter ius, & aequum essent, si recuperari possent, ipsis, liberisve eorum redderentur. Nulli crimini daretur, quod in regem iam defunctum fidem suam retinuerit, imo contra, si negotium quis ei illo nomine facessat, huic promtum apud regem iam electum, auxilium fore; excepto tamen Nicolao Olaio, regis antea dapifero, cui regno interdictum. Daret etiam rex operam, ut, quae nasci controversiae inter regni incolas possent, eae omnes tollerentur. Item, ut captivi omnes, regis interfecti causa, sive in exilium acti dimittantur, & in patriam revocentur.* Additum inde de praefectis regiis, & vectigalibus, placuitque, *ut commercia cives sua sine onere ullo haberent, nisi forte aliter aliquando regi, & senatui videretur. Neve regii praefecti rusticos tributo iniquo onerarent; neu compellerent ad ea, quae consuetudinibus regni, legibusque adversarentur. Comitia quotannis semel Neoburgi haberentur, legibusque Valdemari omnes starent, quibus si deesset quidquam a proceribus illud regni adderetur. Nemo ad tribunal regis vocaretur, nisi cognita prius causa in privato uniuscuiusque foro, aut provinciae universae. Nemo morti addiceretur, neve bonis mulctaretur, nisi publice, ac legitime accusatus, ac convictus. Qui de regni, aut provinciarum legibus verba faceret, eum neque rex subspectum, neque odio haberet, oneraque, quae imposita post excessum Valdemari, abrogaret. In iudiciis ea ratio haberetur, uti causae primo in foro dioeceseos cuiusque exspenderentur; inde provocatio esset ad provinciae tribunal, hinc postremum ad comitia. Ista cautione tamen, ne quis extra solum suum citaretur. Aes, contractum a superiore rege, praesens lueret, nec quis pignus exhibere, ante debitum universum persolutum teneretur, nisi forte ea loca, aut munitiones essent, quae deberent solo aequari. Neque novas leges ullas latum iri, nisi regni universi ordinibus consentientibus, idque proximis comitiis, quibus ipsis etiam liceret regi ista capita iam prolata vel augere, vel minuere, vel quocumque item modo, uti e re regni esse videretur immutare.* In has leges mox Christophorus regnum accipit, Paschatis secundo die, quod, quum illae moderationem quamdam praeseferrent, & non tantum Daniam inhabitantibus, verum etiam proscriptis gratae essent, ad tranquilliorem statum rediturum censebatur. Atque statim, de quibus conventum erat, arces dirutae, velut quaedam factionum munimenta. Heredibus quoque Hermanni Glikeni, & Ludovico Eversteinio, eiusque fratri, debitum Erici fratris soluturum se pollicitus rex Christophorus, chirographo obstringit fidem; interim relicta ipsis loco pignoris Blekingia. Insuper concedit alia, & in illis quoque causas quadraginta selibrarum, imminuto ita pignore; quod, quum antea Scaniam complecteretur universam, sicut in Erici rebus memoravi, unicam nunc ad Blekingiam est redactum. Alios etiam (b), ordinis equestris viros, meritisque, & virtutibus excellentes, magna gratia est dignatus. Inter ista, quum tumultuantes Sveci manus Magno, filio Birgeri regis, contra fidem nuper datam, violentas intulissent, profugus Birgerus pater, cum uxore Margareta, ad Christophorum sororium (c) se recepit. Isque exceptum, non eadem, qua Ericus pridem frater fecerat, benevolentia, urbi Holbecae praeposuit. Mox Silesiae dux Enricus fidem suam regi obstringit, & militiam in quemcumque demum hostem pollicetur, quod & Fimbriani faciunt. CIↃCCCXXI. Esgerus Iulius Lundiensis Archiepiscopus, qui accepto de Erici morte nuntio, Romam abierat, operam Pontificis imploraturus, paulo post in Daniam redit, comitem legatum ducens (d) a Ioanne XXII. tunc Pontifice Romano, temere eum alii XXIII. di-

(a) *Quae dilata*) Caussam dilationis inferius exponemus *ad pag. seq. b. med.*

(b) *Alios etiam*] Illud *etiam* poterat hic commodius abesse; siquidem id, quod antecesserat, nullum gratiae regiae documentum repraesentat, sed potius contrarium. Everstenio enim Rex plusquam duos terniones pignoris, quod ab Erico pro pecunia mutuo data habuit, abstulit, pignore eius unicam ad Blekingiam redacto.

(c) *Christophorum sororium*] Puta Christophorum, uxoris suae (Merethae, seu Margaretae) fratrem.

(d) *Comitem legatum ducens*) Is legatus nominabatur *Magister Bernhardus de Monte Valrano, Archidiaconus Sicaloniae, in Ecclesia Bituricensi, Capellanus Domini Papae*. Vetus *Chron. MS.* „ Archiepiscopus cum Magistro Bernhardo Nuntio Papae „ rediens, reconciliatus Regi Ecclesiam suam pauperat. „

CIϽCCCC XXI.

dicunt; quum Pontificatum ille demum adierit anno CIϽ CCCCX. ergo manifestus error. Ac legatus, de quo dixi, postulabat, ut Esgero apud regem gratiae antiquae locus, dioecesis Lundiensis, insulaque Boringholmia redderentur; quod & rex Roschildiae conventu indicto, ut Pontificem devinciret, coram cunctis regni Episcopis non gravate est largitus [a]. Nec multo post, comitia Vordingburgi habens, uti regnum pridem acceperat, ita etiam coronam regni insigne [b]. Insuper, ob provectam aetatem, & infirmam valetudinem, quum Ericum sibi filium, domi, ac militiae, laborum socium adscivisset, a proceribus regni petit, impetratque, uti eum successorem declararent. Ita uterque, eodem tempore,

CIϽCCCC XXII.

ERICVS IX.

imponente Lundiensi, regni diadema accipit. Inde Margaretam filiam Ludovico Brandeburgico, filio Ludovici Bavari Imperatoris puero duodecenni desponsavit, procurante id negotium Hennebergico [c], qui cum magno comitatu hanc ob causam e Germania accedebat. Tum & Rugiam Vitislao, veluti clienti tradit. Inde Stegae, quod est insulae Monae oppidum, cum Gerhardo Rendesburgico rex paciscitur: *ut is milites triginta ubi regi visum foret conscribendos, ultra Eidoram & mare, vulgo Salsum nuncupatum, quotiescumque iussus foret, in auxilium submitteret; tum munitiones item qualescumque, oppida, & loca omnia postulanti aperiret, seu necessitas propulsandi hostis esset, seu voluntas persequendi. Et ab altera maris parte, qua Germaniae solum patet, totis viribus quovis loco, atque tempore, in quemcumque demum hostem, praeter Megapolitanum, & Holsatum, adiuvare teneretur. Exceptus quoque Scouvvenburgicus, ne auxilia ei ulla intra proximum triennium contra regem, liberosve exhiberet; ac, finito denique eo, arma etiam inferret. Si, militia durante, quidam equi amitterentur, eos rex intra semestre restituere, militesque, si qui forte caperentur, liberare teneretur. Etiam literae, quibus fidem Ericus frater ad aes ei alienum persolvendum obligasset, penitus abolerentur.* Invicem auxilium rex, quandocumque usus foret, & tutelam pollicetur. Inde in comitiis, Nicopiae Falstrorum habitis, fidem Megapolitano regi obstringit, & Rostochium [d], quaeque ad illud pertinebant loca omnia, titulo clientis accipit. Canutus Porsius, primae in Hallandia nobilitatis, veterum meritorum ergo Samsoae, Holbecae, & Hallandiae australis dux creatur. Hinc turbare regnum ipse suum coepit; quum, neglecto iuramento, ad solvendum debitum Erici fratris, uti quidem obtendebat, maximum tributum petit, etiam a sacro ordine; &, obstante Lundiensi, praestitumque paulo ante iusiurandum obvertente, ac proceribus regni aliis itidem se opponentibus, odio in eos capto, numquam inde debitum fraternum solvit, & concessa pridem pignora mox retraxit. Qua re adsperatis animis, arma capit Nicolaus Olaius, paulo ante regni equitum tribunus. Addit se Canutus Porsius, nuper dux Hallandiae factus; & Esgerus Archiepiscopus Lundiensis, cum Ludovico Eversteinio, aliisque e nobilitate Scanica, aut propinquis, aut amicis. Trahit etiam [e] auxilia e Vandalia, & Holsatia, & ex Pomerania item Barnevinum [f], illic ducem, quem materna hereditate, quae in Dania ei obvenerat, denegata rex Christophorus item offenderat. Horum copiis subnixus, impetum in Scaniam facit, & ex ea in Sialandiam; ferro, ac flamma cuncta vastans. Quumque militem, quam ocyssime comparatum, rex obiiceret, in Boringholmiam se recipiens, Hamerensem ibi arcem capit propere, & munit, ac praesidium imponit. Inde, sociis dimissis, unde venerat, regreditur: ac Christophorus, postea horum quosdam nactus, motum graviter est ultus.

Anni

CIϽCCCC XXIII.

(a) *Non gravate est largitus*) Litteras compositionis ex Archivis exhibet integras Hvitfeldius *Tom.* 3. *pag.* 291. *seq.*

(b) *Coronam regni insigne*) Indicatum superius (*pag. praeced.*) coronationem in aliud fuisse tempus dilatam. Verum causa dilationis, quam nostratium nullus dixit, aperta nobis exstat in litteris Pontificis Ioannis XXII. apud Odor. Raynald. ad ann. 1320. §. 6. queis significatur: „ Lundensem Archiepiscopum Esgerum ad tuendam Ecclesiae suae dignitatem, „ exposuisse, veteri iure ad Lundensem Praesulem spectare, „ electum Daniae Regem inunctione Regia linire, ac diademate coronare; sed cum Danicae Ecclesiae nomine in aula Pontificia ageret, ne illius iuribus detraheretur, a Sede Apostolica consuli flagitasse. Igitur adductum eius precibus Pontificem, celebrandam regiam inunctionem ad Natalitia Domini extraxisse, mandareque ideo ac districte inhibere Episcopis, ne ad unctionem, & coronationem electi nunc Regis „ Christophori, ante illud tempus, absque consensu dicti Archiepiscopi procedere adtentent. Secus enim irritum, & inane, per quoscumque, vel quacumque auctoritate, scienter, „ vel ignoranter adtentetur, decerni. „ Inscriptae sunt litterae illae *Episcopis Regni Daniae*, dataeque Avenione IX. Calend. August. anno IV. Levis tantummodo error in Praesulis irrepsit nomen, quod Raynaldus *Elgerum* pro *Esgero* scripsit.

(c) *Negotium Hennebergico*) Herm. Corneri *Chronic. pag.* 1023 „ Bertoldus Comes de Hennenberg venit ad urbem Lubicensem, secum ducens filium Marchionis de Brandenburg Lodovici iuvenem IX. annorum, secundum Chronicam Lubicensem, quem ultra transvexit in Daciam, ubi duxit in uxorem filiam Christoferi Regis Danorum, & mansit apud „ illum usque ad festum Epiphaniae. In illis nuptiis plures „ fuerunt Principes &c. „ In aetate sponsi sine omni dubio erratum, non Corneri quidem, sed librarii, vel typographi culpa, nam quis etiam novennem puerum diceret iuvenem? ubi reponendum putem iuvenem XIX. annorum. *Chronicon Elvvangense* refert istas nuptias ad ann. 1324. Vid. & Auctoris Incerti *Chron. Bavar. pag.* 79.

(d) *Et Rostokium*) Hanc urbem statim ab Erici morte Henricus cognomento *Leo*, Dux Megapolitanus occuparat, & castellum *Danscheburg* diruerat. Vid. Crantz. Vandal. *lib.* 8. *cap.* 4. & Petr. Lindeberg. *Chron. Rostock. lib.* 2. *cap* 9. Hinc gravia inter eum, & Christophorum Regem dissidia, in bellum eruptura. Rex, forte ut bellum, ad quod imparatus esset, evitaret, Pontificis litteras obtinuit, Cal. Februar. anno 7. (h. e. ann. 1322.) datas, ad Episcopum Ripensem, Praepositum Slesvicensem, & Archidiaconum Roschildensem, quibus provinciam Papa hanc imposuit, ut sine forensi strepitu Henricum Pontificio nomine ad restituendam Christophoro Regi ditionem, quam iniuste occuparat, adducerent, ac, si monitis aversas aures praeberet, censuris percellerent. Vid. Odor. Raynald. in anno 1323. §. 22. Atque hanc inter Ducem Henricum, & Christophorum Regem litem de Rostockio, & Danscheburgo veram fuisse causam non dubito, cur Henricus a festo nuptiali filiae Regis, & Ludovici Brandenburgici clam aufugerit, non vero illam, quam Herm. Cornerus indicavit *Col.* 1023. nisi existimare velis, plures simul causas concurrisse.

(e) *Trahit etiam*) Scil. Nicolaus Olavius, olim militiae regni praefectus, seu, ut noster vocat, regni equitum tribunus.

(f) *Barnevinum*] Communius, & rectius hoc nomen scribitur *Barnimus*.

CIƆCCC XXIII. Anni finem tanta hiemis adsperitas excepisse memoratur, ut constrictum mare Balthicum, totos quadraginta dies in Vandaliam, aut Borussiam contendentibus, positis per viam hospitiis, iter opportunum faceret. CIƆCCC XXIV. Hinc Christophorus, captam pridem a Nicolao Olaio, sociisque, uti dixi, Boringholmiam, Hameramque illic arcem, cupiens recuperare, iustas istuc duce Petro Vendelbao (a), regni equitum tribuno, copias mittit. Isque, imperata faciens, quamquam acriter repugnante aliquamdiu Lundiensi, & Ludovico Eversteinio, illam, & istam mox in potestatem redigit. Inter ista, uti filiam Margaretam Ludovico Brandeburgico (b), Ludovici Bavari filio, a biennio desponsaverat, ita nuptias nunc celebrat Vortingburgi, ac duodecim selibrarum argenti millium dotem tribuit, & in pignus, quasdam in Esthonia terras, postea a Valdemaro filio, & successore, CIƆCCC XXV. dato pretio, redemtas. Per id tempus etiam equester ordo apud Esthones dat Christophoro fidem suam, & obstringit sacramento: tum argenti duo millia selibrarum, iam promissa antea Erico regi pollicetur. Inde ipse, filiusque item Ericus, quem adscitum in societatem regni memoravi, Ecclesiae Revaliensi, Episcopisque, & Collegio universo, quae a regibus defunctis privilegia, & immunitates olim accepissent, confirmavit. Quumque in fata concessisset dux Ericus Slesvicensis, filiumque reliquisset Valdemarum rex, tutelam ad se pertinere ratus, ditionem totam invadit, occupatque praeter unicum Gottorpium, quod dum obsidet, pueri Valdemari avunculus, Gerhardus comes Rendesburgicus, ius tutelae suum putans, & hoc item agere regem, ut ducatum hunc regno denuo vindicaret, illico coacta manu, initoque ad Gottorpium acri praelio, regem caedit, & obsidionem solvit. Tum & obitus Vitislai Rugiae principis, turbas dedit; etenim is Rugiam insulam, & oppositam Stralesundiam, tamquam cliens regni Danici obtinuerat; quumque vita excessisset, invadentibus vicinis in Vandalia principibus, vindicare rex constituit. Itaque, gerendo bello, imperat tributum suis, in aratrum unumquodque selibram argenti; inde urbem, insulamque redigit in potestatem, atque re- CIƆCCC XXVI. bellantes punit. Post haec exstruit Cnardeorupum in Sialandia Monasterium, evocatque Sora Monachos, & addicit facultates proscriptorum. Inde subditorum odium hactenus occultum erumpit; pariter Ecclesiasticis, aliisque indignantibus. Nam *ademtam Boringholmiam*, Lundiensis, alii Episcoporum, *minui immunitates*, querebantur. Nobiles, *promissa non servari* aiebant, *neque patris debitum solvi*; tum *tyrannidem* accusabant; *nimiisque exactionibus exhauriri passim opes, nec in bona tantum sua, sed & corpora saeviri*. Etiam cives, *gravia tributa esse, quae indiceret, ac se minime illis pares*. Hinc tumultus a Laurentio Ionaeo, & Ludovico Eversteinio inchoatus. Qui quum ad se Lundiensem, atque ducem Hallandiae, Canutum Porsium, aliosque e nobilitate plures, quos infensos item scirent adtraxissent, de eiiciendo rege, eiusque filio, nihilo illo, ut aiebant, meliore, foedus ineunt, ac decretum mox promulgant: *siquidem imperium eius plane non ferendum esset, ac compertum iam haberent, vere nimis praedixisse Ericum fratrem, regno ipsum detrimentum, ac perniciem adlaturum, se recedere ab obsequio, & id ceteris etiam interdictum cupere*. Quae dum agitant, rex in arce Vortingburgi morabatur, isque videns, Cimbriam in se, & Fioniam, Scaniamque commoveri, ac coniungi Sialandiam, filium adversum mittit, ipse mox subsequuturus, & negotium pace potius, quam armis, si id posset, terminare conaturus: filiusque quum venisset Torneburgum, illic sibi subsistendum existimavit, nec ducendum porro in hostem, nisi copiis maioribus. Ac morantem opprimentes Eversteinius, Porsiusque, cum Scanorum, & Sialandorum manu obsedere. & post sextum diem captum, Hadersleviam abduxere. Quo Christophorus rex accepto, imparem se hosti videns, ocyus thesaurum cogit, & evadit in Germaniam; Valdemaro, & Othone filio utroque comitatus; ubi primum apud principes Vandaliae, inde generum Ludovicum Brandeburgicum, rei suae statum exponit. Hostes vero, eo ita propulsato, ac reducto in potestatem suam regno, Valdemarum Slesvicensem, etiam duodecennem, & Gerhardum item Holsatum, arcto foedere constringunt, & auxilia sibi mutua stipulantur, ac promittunt. Hinc ducatus Slesvicensis, regum Daniae beneficio hactenus possideri solitus, quum id illi deinceps nollent, maxima contentionis caussa fuit. Ac foedus quidem antea inchoatum erat, inter patrem Valdemari ducem Ericum, & Ludovicum Eversteinium, eamque in rem literae Flensburgi datae Eversteinio a biennio, quibus ille auxilium ipsi, ac tutelam, ubicumque aequum foret, promittebat. Atque eo constituto, mox Gerhardus Rendesburgicus ducis Valdemari avunculus, eo tempore inter principes militiae evocatus, ut proceribus fidem suam adprobaret, Vortingburgum inter regni munimenta tunc praecipuum, unde in totam Daniam patebat aditus, ut Christophoro interverteret, operam dedit. Itaque praefectum arcis eo adduxit, ut is quatuor millium selibrarum pretio illud dederet; &, dum hae exhiberentur,

(a) *Vendelbao*) Corrig. *Vendelboo*.

(b) *Ludovico Brandenburg.*] Has etiam nuptias anno 1324. confectas indicat Io. Geo. Herwartius *in Defensione Ludovici Imper. adversus Bzovium pag.* 294. ubi & litteras adfert a Christophoro Rege scriptas ad Collegium Cardinalium, quarum hoc argumentum, ut *Pontificem moneant, & inducant, ut Ludovicum Regem Romanorum iure suo, ac iuris prosequutione perfrui, amore Dei, & iustitiae velit permittere*. Sed antequam has Christophorus ad Cardinales daret, fuerat ipse Pontificis Ioannis litteris admonitus, ne Ludovico (qui, ut perperam electus, in Papam, & Ecclesiam iniurius, haereticorum fautor, eoque excommunicatus, describitur,) adhaereret, verum res suas ab amicitia eius plane haberet seiunctas. Quarum litterarum exemplum suppeditat Raynaldus, anno 1324. §. 18.

MCCCCXXVI. tur, Segebergam contra acciperet. Sed Christophorus illico parata classe, regnum repetens, & adpellens, isthoc recipit [a]; quamquam tamen, statim a Gerhardo obsessus, intercepto commeatu, non tenere diu potuit; &, e Falstria occupata iterum fortunam experiri certus, illum quoque irritum conatum habuit, vixque obtinuit, ut Rostochium, ubi postea cum familia aliquamdiu sedem fixit, se recipere daretur. Ac, depulso sic Christophoro, quo recuperandi regni spem deinceps omnem eriperent, impellente maxime Canuto Hallandico, & Gerhardo Rendesburgico, Ludovico Eversteinio, ac Laurentio Ionaeo, Valdemarus Slesvicensis a nobilitate tota Neoburgi congregata, ad diem decimum quartum Augusti, rex eligitur [b]. Verum tamen, etsi auctoritate regia omnia deinde egerit, quia solium praeter ius, & fas accepit, neque longum tempus tenuit, substituto postea Christophori filio Valdemaro, inter reges minime censeri debet. Dum potitur autem regno, ut in ipso statim initio sacrum ordinem devinciret, dioecesi Slesvicensi, & collegiis item aliis, ac coenobiis privilegia, quae a regibus decessoribus accepissent, confirmavit; atque idem oppidis non paucis fecit. Rendesburgico avunculo, & heredibus item eius Cimbriam australem [c] totam possidendam titulo clientis dedit; & id ipsum Episcopis adsentientibus, plurimisque e proceribus, etiam in maiorem fidem, Germaniae finitimis principibus multis subscribentibus. Canuto Porsio, iam Hallandiae australis duci, borealis item data, & Callemburgum in Sialandia, quaeque illi obiacet Samsoa insula. Ludovico Eversteinio, praeter ea, quae in Scania plurima tum possidebat, defuncti Erici beneficio, in Cimbria concessa Ripa, ac Coldinga, urbes clarae; tum & pagi, ac districtus quidam alii, insuper & praefectura Viburgensis, cum dicendi per provinciam totam iuris potestate. Laurentio autem Ionaeo, Langelandia, atque Arra obvenere, redditaque Lundiensi Boringholmia, quam Christophorus eripuerat. Ioannes Vffo, iudex Scaniae constitutus. Ita regnum, factiosis partes sibi vindicantibus, misere sub rege puero est distractum. Ioannes Vffo, & Lundiensis, controversiam de Rodnensi territorio insulae Boringholmiae tractu, Ludovico Eversteinio arbitrandam permisere. Et haec intra regnum acta. Extra illud Hardervico Geltiae urbi, privilegia, quae in Scania, & Scanora antea a Valdemaro eius nominis secundo obtinuerant, novus rex continuavit, Staveramque alteram in Frisia urbem, tunc commerciis florentem, sibi beneficio eodem obstrinxit. MCCCCXXVII. Canutus Porsius iam ducatum Hallandiae utriusque nactus, uti novam dignitatem illustri aliquo matrimonio stabiliret, Ingeburgam Sveciae regis Magni matrem, & Norvagiae Haquini filiam, uxorem ambit, accipitque; &, ex equite dux creatus [d], raro sane incremento, duorum regum vitricus pariter fit, & gener. Valdemarus, non contentus varie adeo regni proceres obstrinxisse, etiam devinciendas urbes sibi existimavit. Itaque Lundiae metropoli ad immunitates veteres addit novas; inde in comitiis Helsingburgensibus controversia, inter Ioannem Vffonem, ac Lundiensem, de qua dixi, iudicata est, & sententia pro Vffone lata fuit, ut is Rodnekiobstedium [e], ac Rodnense territorium obtineret. Inter ista, adest e Norvagia Ericus, Valdemari filius, Sveciae regis, qui Norvagiae regi Magno quum a sacris ad id temporis fuisset, nunc, mutato vitae genere, & deposito habitu Ecclesiastico, bona in Dania materna repetitum veniebat. Erant autem ea in Scania, Trelleburgum, & Malmogia inferior, cum triente superioris; in Sialandia, Scelfiscora, ac Sceppinga, quaeque istuc pertinebant; in Fionia, Herritslosgardia, Borrebya, Bogensa, Hindesholmia, & Pertorpium; denique in Cimbria Nessum, territorium Ierloviae, & minoris rei alia. Rex, qui Neoburgi [f] agebat, ita statuit; uti, quae ipsius essent, traderentur; ita tamen, si in ea aliis ius quoddam foret, ut hi nullum inde detrimentum caperent. Ipse vero bona illa, quae iam dixi, repetendi a possessoribus, qualicumque modo possent, dat negotium Ludovico Eversteinio, & Petro Brocquio; rexque, de consensu procerum, & avunculi Rendesburgici, sumtis ab Erico Holckio, & Agone item Ivaro, mille selibris Lubecensibus, pignori dat Vindebyam, Draugebyam, Boscholholmiam [g], Elsemarkiam, Holmiamque, & Svartorpiam, Ebeltoftam, ac Grindaviam, & Kongsgardam [h]. Paulo post haec, quum Gerhardus Ren-

(a) *Adpellens, istud recepit*) Herm. Corner. *Col.* 1027. „ Rex „ fugam capiens, transfretavit cum magna pecuniae summa „ collecta in urbem Rostock. ubi ad se invitans Dominos de „ Myckelenburg, & Slavia, rediit fretus auxilio eorum cum „ mille armatis in Daciam. Sed Dani confoederati cum Holt- „ zatis, iterum ipsum cum toto exercitu suo terra pellentes, „ & regno privantes, elegerunt sibi in Regem Voldemarum, „ filium Ducis de Slesvic, iuvenem XII. annorum &c. „ Et in *Chronico rhythmico Regum Dan.* legitur Christophorum regredi coactum, quia Germani, quos adduxerat, contra Germanos, qui regnum tenebant, pugnare detrectabant.

(b) *Valdemarus rex eligitur*] Erat is Abelis, olim Regis, nepos.

(c) *Cimbriam australem*) Litteris investiturae datis Nyburgi in *Generali Parlamento ann.* 1326. *in die Adsumtionis Mariae*, Exstant cum alibi, tum in *Mantissa Cod. Iuris Gentium Diplom. Leibnit. pag.* 247. *seq.*

(d) *Ex equite Dux creatus*] De hoc etiam supra noster dixerat. Erat autem, antequam Miles, sive Eques crearetur, e prima Scaniae, & Hallandiae nobilitate; non rusticus, ut Herm. Cornerus, & alii exteri prodiderunt, in eo quidem vera scribentes, quod nuptiae illae Porsii cum Regina Svec. vidua perquam displicuerint tum Regibus, tum nobilitati, praesertim Svecis, & Norvegis, sed hallucinati vicissim, dum Ingeburgam *matrem Haquini Svecorum* Regis vocant. Fuit enim filia Haquini Norvegorum Regis, nupta olim Erico Sveciae Principi, qui idem Hallandiae, beneficio Regis Daniae, Dux fuerat. Mater exstitit Magni, postea Regis Sveciae, cui cognomentum *Smeeb* inditum, atque Erico marito per Birgeri scelus exstincto, ad alteras illas nuptias cum Canuto Porsio descendit.

(e) *Rodnekiobstedium*) Oppidum, seu emporium, alias *Rodne* adpellatum, vel *Roenne*, quod & hodie vocabulum obtinet. *Kiobsted*, in litteris proprio nomini adiectum, mere est adpellativum, emporium significans, vel oppidum, ubi mercatura exercetur, neque opus erat eius adiectione in latinis, quae rectiora forent hoc modo: *ut is Rodne municipium, ac Rodnense territorium &c.*

(f) *Rex, qui Neoburgi*) Intelligendus, & hic Rex Valdemarus, Erici Ducis Slesvicensis filius, non vero Christophorus, ut qui tunc exsulabat.

(g) *Boscholm*) Rescrib. *Boseholmiam*.

(h) *Kongsgardam*] Est adpellativum nomen, non proprium. Intelligitur eo domus, seu villa Regis, oppido Grindaae adiacens.

CIƆCCCC XXVII.

Rendesburgicus, regis tutor, & negotia regni omnia pro arbitrio administrans, novum aliquod tributum Sialandiae colonis indixisset, atque illi id negantes, iam in armis convenissent, aliquos adsciscit sibi, sagittandi peritissimos; &, eorum magna parte telis fixa, parte etiam aquis misere intercepta, totum agmen profligavit. Inde, orta controversia inter Megapolitanum (a), principesque Rugianos, ac de Rugiae territorio contendentibus utrisque in minore tunc aetate constitutis Vratislai IV. liberis Gripsvaldenses, qui eorum causam sibi defendendam existimabant, per legatos opem Valdemari implorant. Isque equites sexcentos cataphractos illis mittit sub avunculo Gerhardo, qui quum istuc traiecisset, statim in fugam Megapolitanis actis, rem composuit, facto foedere; quod deinde, postquam discessisset, ruptum.

CIƆCCCC XXVIII.

At Christophorus semper de recuperando regno cogitans, & momentum in hoc non exiguum ratus, si Ioannem Vagriae comitem (b), fratrem suum uterinum, a Gerhardi Rendesburgici amicitia abduceret, eo se consilio Lubecam recipit; &, quibusdam hoc negotium adiuvantibus, efficit mox, uti, datis vicies mille argenti puri selibris Coloniensibus, contra rebellantes Danos opem ferret; &, eiecto Valdemaro, regnum quoque, quo exciderat, restitueret. Atque in priores quidem decies mille, quia deerat pecunia, pignori dat Falstriam, Lalandiamque; & ius in utramque regium, sicuti uterque eius parens pridem tenuisset, dum promissa illa summa exsolveretur; decies vero mille alteras, certo tempore distributas exhiberet. Insuper monetae ius intra Saxcopiam haberet, & Monensia quaedam praedia, cum his, quae in Falstria essent, permutandi potestatem (c). Post haec scribit ad Episcopos, proceresque, & quoscumque aliquid in regno posse gnarus esset. Obfert emendationem omnium, quae admisisset, ac promittit, nil deinceps, nisi ex decreto ipsorum, & voluntate se gesturum. Tum & in Imperio sollicitat principes, adeoque ipsum Caesarem, ac per vim eiectum regno, causa indicta, quiritatur, & auxilium implorat contra subditos perduelles. Sedulo navabat illi operam gener Brandeburgicus apud patrem Imperatorem. Isque mox Christophori filium, Valdemarum in aulam recipit, iis artibus instruendum, quae futuro regi, & regno aliquando usui essent. Dat & ad Gerhardum literas, quibus monet, ut iudicibus, neutri partium obnoxiis, rem committat. Ad quam lecti, Saxo Megapolitanus, Pomeraniaeque duces, ubi causam cognovissent, respondere: *Gerhardum, pignus sibi creditum vindicare; Valdemarum, regem electum iuxta regni consuetudinem, neque eam causam ad se, aut imperium pertinere.* Nihilominus Christophorus, dum nil opis a Germania experitur, porro Daniam sollicitans, efficit tamdem, ut Episcopi Lundiensis, Arhusiensis, & Ripensis, plurimique e nobilitate regni, denuo adfectum illi, studiumque nuntiarent.

CIƆC XXI

Interim, Canuto Porsio insolentius se gerente, ac Verlensium item bona, quae in Sialandia ipsi possidebant; quod Christophoro, ut adfines, ita quoque amici essent invadente, illi, ut se tuerentur, ac Christophorum adiuvare magis possent, cum Svecorum rege Magno foedus ineunt (d). Tum Christophorus, adnitente comite Vagriae, Ioanne, Henrico Megapolitano, & Verlensibus, aliisque, transmissa classe in Lalandiam, Falstriamque, illic obsidet Nicopiam, & obsessam ad deditionem cogit. Hinc contendens Vortingburgum, quum excendere pararet, & coloni occurrentes prohibere conarentur, impetu in illos facto, universos profligavit. Tum, proposito publice ubique scripto, iis omnibus, qui redire in gratiam vellent, veniam praeteritorum pollicetur. Iamque Danos dominorum externorum taedium ceperat, & urebat, *arces regni, oppidaque, & praefecturas, tribui indigenis solitas, a Germanis possideri, qui amplissimis beneficiis, undique exclusis ipsis, fruerentur.* Eapropter, de Christophoro, post exsilium, & incommoda tolerata, cuncta sibi meliora pollicentes, de reddendo illi regno agere instituerunt. Inter primos pacem ineunt Sialandi, Falstriique, & Lalandi; tum Episcopi Cimbriae duo, Arhusiensis, ac Ripensis; quos sequutus Lundiensis, cum praecipua Scaniae nobilitate. Hi, relicto Valdemaro, & tutore eius Gerhardo, ad Christophorum transeuntes, Haderslevviam, ubi Ericus eius filius, sub custodia tenebatur, impro-

cens. *Kongs-gaard*, h. e. *villa Regis*, nonnumquam, & *palatium Regis*. Nam *Gaard*, & aulam, seu palatium, & villam, & quotcumque amplius aedificium plures comprehendens domos denotat.

(a) *Controvers. inter Megapolit.*) De hac controversia, & inde insequuto bello, videndi, praeter Mecklenburgicos scriptores, Crantzius *Vandal. lib.* 8. *cap.* 12. Micrael. *Histor. Pomeran. Part. I. lib.* 3. *aliique*.

(b) *Iohannem Vagriae Comitem*] Ex falsa hypothesi, de Agnete Regina, quasi Iohanni seniori Vagriae Comiti nupta, semper ac perpetuo Iohannes iste Agnetis filius *Vagriae Comitis* adpellationem, ut apud Hvitfeldium, & Pontanum, sic & nostrum, aliosque fere omnes obtinet: Rectius (quod & superius semel ac iterum monui,) Holsatiae Comes dicendus, quamdiu in vivis erat Iohannes senior Comes Vagriae, Gerhardi Caeci, quem noster Iohannes patrem habuit, cognatus; a cuius morte partem hereditatis ad nostrum pervenisse, non negamus. Quod sufficit hoc loco repetiisse, quum postea nimis molestum fuerit omnibus locis inculcare, ubi *Vagriae Comes*, aut *Iohannes Vagrius* in historia hac recurret.

(c) *Permutandi potestatem*] Chronicorum Holsatiae Scriptores, & Crantzius aliis conditionibus Christophorum inter, & Holsatos transactum narrant; scilicet, ut Holsati, acceptis octogesies mille marcis argenti, Christophorum in Daniae regnum reducerent; pecuniarum autem nomine, quum eae ad manus non essent. in pignus Rex cederet Comitibus *Silvam Danicam*, cum octo paroeciis circa Gottorpium. Sed monet Cancellarius Hvitfeldius (*Tom. III. pag.* 357.) isti relationi fidem neutiquam habendam, sibique litteris, & chartis, nec non Annalibus nostratium, diligenter excussis, nihil eiusmodi repertum.

(d) *Cum Magno foedus ineunt*) Foederis tabulae descriptae habentur apud Hvitfeldium *pag.* 358. *seq.* & in Torfaei *Hist. Norveg. Tom. IV. pag.* 457. *seq.* in quibus Canutus Porsius, quamvis Regis Sveciae Magni, ex contrahentibus praecipui, vitricus, non tamen *Ducis*, sed simplici *Equitis* nomine insignitur. Verba Torfaei isto illo: „ Licet Porsius matrem „ Magni uxorem haberet, non tamen fida umquam, aut fir- „ ma inter eos amicitia coaluit: unde & Henricus, & Iohan- „ nes Verlenses Comites, qui possessiones intra regnum Daniae „ habuerunt amplissimas, partesque Christophori regis sequebantur „ se cum Sveonum Rege adversus Knutum (Porsium) coniun- „ gunt. Displicebat enim ipsis Knuti fastidiosa potentia, qui „ praeminere cunctis volens, etiam ipsorum territoria, quae in „ Selandia tenebant, sibi vendicare ceperat, quod Christophoro „ adfines, amicique essent. Itaque foedus cum Magno fe- „ riunt. „ Haec Torfaeus.

CIↃCCC XXIX.

proviso invadentes, ipsum eripiunt, & in Sialandiam mittunt. Hinc Roschildiam conveniunt; &, in gratiam a Christophoro recepti, illi opem, ac vicissim ipse iis veniam praeteritorum, & benignitatem porro pollicetur. Inde Hafniam obvium Inguarum sibi Hiortum habet, ordinis equestris virum, itidem petentem gratiam, & obsequii sui pignus, urbem Hafniam dedentem. Quo quum frater uterinus comes Vagriae, Ioannes, milites quosdam, qui deditionem acciperent[a], praemisisset, hique mox vexillum comitis, cui urticae folium intextum erat, in deditionis signum substulisent, & accedens id Christophorus animadverteret, usque adeo in fratrem, ceu is regnum adfectaret, ira excanduit, ut confestim, & omitteret expeditionem inceptam, & in Cimbriam, atque arcem Scanderburgum se reciperet. Vbi dum subsistit paullum, in coenobia circumiecta missus miles, ea graviter depascitur. Verum proceres, qui discessum hunc dolebant, maxime auctores erant, ut, cum fratre uterino reparata amicitia, contra Valdemarum aliquid, & Gerhardum, regno suo profuturum, moliretur. Itaque, consilio illorum usus, advocato ad se fratri dat Lalandiam, Falstriamque, Sialandiam, & Scaniam, pignus in impensas belli: sed, quum liberi Ludovici Eversteinii Scaniam fere universam sibi pignoratam haberent, & Canutus Porsius utramque Hallandiam[b] possideret, sic cum Porsio convenit, ut retenta is Hallandia, territorio Asboensi boreali, Callemburgo, & Samsoa, quae Verlensium bona forent, ea illis restitueret. Insuper Ioannes ipse, cum haeredibus Eversteinii, & Alberto, eius fratre, quum is prius iuramentum in securitatem regni praestitisset, cum Christophoro, & Erico, de tradendo in alterutrius manum Elsinburgo, atque toto illo tractu, mox transegit; rexque hinc Novembri mense, quum Tingstadii apud Falstrios moraretur, scripto publico testatur: *se, ac fratrem, quique partibus utriusque adhaesissent, pacem certam iniisse; traditamque illi Fimbriam, nomine clientis deinceps possidendam: at Lalandiam, una cum Alholmo arce, instar pignoris concessam, dum argenti selibrarum duo millia, quae deberet, solverentur; eodem modo etiam permissam esse Scaniam, & Sialandiam; praeter urbem Callemburgum, quaeque eius tractus forent; & ad Megapolitanos, ac Verlenses, Porsiumque pertinerent. Cum antistite Lundiensi, caeterisque ordinis ecclesiastici, post hanc promulgationem pacem fore: atque eam qui infringerent, mulctam, quae expressa erat, soluturos.* Sic in comitis Ioannis potestatem Fimbria redacta fuit; iisque tum dynasta Hollatiae, ac Stormariae, Fimbriaeque, & Lalandiae, Falstriae, Scaniae, ac praefectus Sialandiae nominari inde voluit. Inter haec seorsim dat Ioannes operam, ut Gerhardum Rendesburgicum etiam Christophoro conciliaret; efficitque, ut, induciis constitutis, is per illas, quae habebat pignorata retineret; rexque item bona regni, quae restabant, possideret. Qua conciliatione pax ad aliquod tempus fuit: ac Christophorus, cum Erico filio partitus regnum, quum in Cimbria sedem sibi Scanderburgum elegisset, Neoburgum in Fionia Ericus cepit; & uterque, satis dure potestate sua usus, adeo offendit populum, ut is diris, per quos restitutus esset devoveret. Ac Christophorus, Tychonem, Episcopum Borglaniensem, quod asperitatem eius libere reprehendisset, per Gerhardum duci in custodiam[c] iubet; qui elapsus, postquam Romam profugisset, efficit apud Pontificem, ut is regem, atque regnum sacris omnibus prohiberet; tenuitque interdictum annos septem, menses octo. Per id tempus etiam nobilitas Esthoniensis, metu quodam, ne ducatum hunc Christophorus itidem alienum faceret, literas ab eo impetrat, quibus numquam id futurum[d] testaretur; tum concedit item istud: *ut parentibus, sine mascula prole ulla vita functis, etiam succederent filiae: atque post illarum mortem, demum bona regis forent.* Insuper, *ut, de consensu cognatorum, genere proximus pupillorum tutor esset*; denique, *ut iudices quoque, in sententiis ferendis, pristinam libertatem haberent.* Hinc nobilitatem Cimbricam concitat in Valdemarum Slesvicensem; quo devicto, facile se, & Gerhardum in potestatem redacturum existimabat: atque eum, dum adversus ipsum nihil moliretur, quieturum. Erant in illius partibus duo Episcopi, Arhusiensis, & Ripensis: tum Abelus item patruus; nothus quidem, sed militiae uti vetus, ita clarus. Ac, parata magna manu, mox Gottorpium arcem obsidet; cepissetque, ni Gerhardus, quem ab armis cessaturum existimarat, quid is ageret animadvertens, Valdemaro succurrisset, & obsidione arcem satis arcta liberasset. Quo peracto, quum Ioannes, Vagriae comes, arbiter a parte utraque postulatus, iudicaret, nullo modo expedire, uti duos Dania haberet reges; agitat cum Valdemaro, ut is, certo quodam pacto, regno cedens, in Christophorum

(a) *Qui deditionem acciperent*) Hvitfeldius (*pag.* 361.) arbitratur, Ioannem Comitem, ideo Hafniam sibi vindicasse, ut isto pignore amplius sibi caveretur, ob auxilia Christophoro praestita, ac praestanda.

(b) *Vtramque Hallandiam*] Scilicet cum uxore Ingeburga hanc, olim priori eius marito, Erico Sveciae Principi oppigneratam, acceperat.

(c) *Duci in custodiam*) Exstant accusationis capita, sed nondum publicae loci exposita, quae in hunc Episcopum proferri Rex curavit. In iis vocatur *Tucho dictus Klerk*, *pro Episcopo Burglanensi se gerens* quique *subdole in Episcopatum intraverat*: ac deinde, quod *Rex Archiepiscopum Lundensem in hac causa sibi aequum fore iudicem haud sperans, ipsum Tuchonem curialiter det ineri fecerit, ac si quod ratione huius detentionis interdictum a quocumque, ex Constitutione*: Cum Ecclesia Daciana &c. *ferretur, ad Sedem Apostolicam adpellet*. Ceterum Tucho, corruptis custodibus, elapsus, ad Papam profugit, regnumque interdicto, Regem excommunicatione, percelli fecit. Meminit interdicti Raynaldus ad ann. 1331 § 40. occasione litterarum, quas Papa ad Episcopum Skarensem scripsit anno 1330. quibus, ex rogatu Regis Svecorum Magni, mandavit, ut interdictum ad Hallandiam borealem, utpote nunc non Daniae, sed Magno Sveciae, & Norvegiae Regi subiectam, haud extenderetur. Notamus obiter, in iisdem Pontificis litteris perperam Raynaldo lectum *Guichonem*, pro *Tuchonem*. Continuatur Saxonis *pag.* 154. *Cepit Christoferus quendam Tukonem episcopum Borglauensem, propter cuius captionem clerus regni tenuit interdictum annis 7. & mensibus octo*.

(d) *Quibus numquam id futurum*) Litteras ex authenticis descriptas profert Hvitfeldius, & ab eo Pontanus.

CIↃCCCXXIX. rum id transferret; sed negotii omnis cardo in Gerhardo versabatur, qui ducatum Slesvicensem, semper deinceps possidendum titulo clientis ceperat: verum etiam hoc ef- CIↃCCCXXX. fecit, ut is sibi persuaderi pateretur. Itaque mox Ripae actum, ut Fioniam titulo eodem acciperet; & Christophoro cum equitibus quinquaginta, nisi, si Ioanni bellum, seu australi item Cimbriae, inferretur, eius sumptu militaret: Valdemarus, regium deponens nomen, in ducatum Slesvicensem se reciperet; tum, quo maius vinculum concordiae esset, filius Christophori Ericus sororem Gerhardi(a), viduam Erici senioris, Saxoniae ducis, matrimonio sibi iungeret, ac Christophorus Scanderburgum, ut Ericus Neoburgum, cum adiecto territorio, dum reciperet Helsingburgum, retineret: & Gerhardus, pro impensis, quas fecisset, donec eae redderentur, pignus sibi Cimbriam borealem haberet; solo excepto Scanderburgo, regia Christophori sede. Sed hic annus cum Christophoro, pace facta, & recuperato regno; laetus fuit, ita gaudium obitus reginae Euphemiae, mense Iulio desinente, perturbavit. Erat filia Brandeburgici, septem liberorum mater, antequam regina esset; Erici, Valdemari primi, qui Rostochii diem obiit, & alterius, qui successit, Othonis, Mettae, Agnetae, & Margaretae; quorum duo, regnum item tenuere: natu maximus Ericus, vivo patre, & cum eo; Valdemarus vero alter post utrumque. Otho, in Interregno captus, ac detentus aliquamdiu Segebergae sub custodia; mox, potito rerum fratre, Valdemaro, libertati restitutus, &, receptus in Teutonicorum equitum sodalitium, regno excessit, & aetatem in Borussia porro egit: uti suo quodque loco sum dicturus. E filiabus, duae Brandeburgicis nuptae; Metta Alberto; Margareta Ludovico, Ludovici Bavari filio: Agneta innupta obiit. Mettam quidam Helvigam dicunt; & CIↃCCCXXXI. expertem matrimonii, ut Agnetam, vitam suam finiisse. Post haec ad obsequium Christophori, & Erici filii, rediit Stigotus Andreas Biorneholmius; in auctoritate cuius plurimum momenti esse ad aperiendam Cimbriam rex censebat. Inde, postquam edixisset, ne quis populum convocare temere ad arma auderet, Michael Vrupius rusticos in regem movit; sed oppressus, ipso statim in principio, poenas, quas meruerat, dedit; bona eius publicata mox Stigoto, in comitiis Viburgensibus, omnibus consentientibus, rex largitur. Ioanni autem, Vagriae comiti, mortuo per id tempus patre, cum Gerhardo, Holsatiae comite, controversia ex incerta causa orta est; e qua natum inde bellum, Christophorum, obnoxium Ioanni fratri, cuius ope in regnum restitutus erat, item involvit; qui dum arma cum Erico filio parat, statuit Ioannes eum ad Oldesloam opperiri; ut Gerhardi illic copias, e Germania adventuras, interciperet. Is, CIↃCCCXXXI. quo maius sibi periculum imminere animadverteret, eo id maiore cura amoliri nitebatur; itaque miserat in Bremensem dioecesin, & Westphaliam, & ad comites Bronckhorstios, consanguineos, inde auxilia petituros. Quibus Rendesburgum mox convenientibus, & ad pugnam se parantibus, operam Gerhardus dabat, ne Christophorus, & Ioannes copias coniungere possent: magnum, ut erat, hac in re victoriae momentum ratus. Qua de causa in Gottorpiensi via eum adortus, post conflictum satis gravem, tamdem fundit: diu acriter pugnatum est; & Christophorus quum superior videretur, externorum, a Gerhardo corruptorum, proditione victus, & in fugam actus, vix Chilonium evasit. Inter fugam vero Ericus, ubi se Loheda porrigit, unde praelium istud vulgo Lohedense dictum fuit, equo effusus, adeo graviter se afflixit, ut Chilonium ipsum famuli deportare cogerentur. Captus, praeter alios, Otho, alter filius Christophori: ex adversa autem parte, sauciatus & Gerhardus; ac, deiectus item equo, in discrimine non exiguo etiam ipse versabatur; ni colonus e propinquo illic pago, Butela, accurrens propere, laboranti subvenisset. Eo praelio, praeter Vandalos, atque Megapolitanos, etiam Ericus Saxo cum Christophoro pugnabat: cum Gerhardo, Gulielmus Orlemundius, Burchardus Sualenbergius, Henricus Bronckhorstius, Nicolaus, & Gunselinus, Wittenburgici. Post haec iterum Valdemarus Slesvicensis, cum avunculo Gerhardo, animum ad regnum vertit; & victorem maxime nobilitas Cimbrica sequebatur. Etiam in hac Stigotus, qui Christophori in obsequium nuper adeo concesserat, & ab eo Michaelis Vrupii bonis, uti dixi, omnibus donatus erat, cum fortuna animum mutans, Valdemari in partes transit; & ab eo regni equitum tribunus constituitur; quin in pignus quoque accipit territorium Sonderense, & Diursum, cum reditibus regalibus pro argenti centum quinquaginta selibris. Paulo post Christophorus CIↃCCCXXXII. rex, & Ericus item filius, ac Ioannes, Vagriae comes, cum Gerhardo convenere, *ut is pignori acciperet totam Cimbriam borealem; item ius in eam omne; reditusque, pro argenti puri selibris centum millibus: teneretque, donec ipse, aut haeredes, summa illa persoluta redemissent. Ioannes quoque, consanguineus eiusdem, Hunesgavelam redimeret, ac dimidiam Fioniam: & pecuniam exhiberet, cuius nomine utraque pignorata esset. Insuper, Gerhardo cederent omnes insulae inter Cimbriam, & Oceanum; item Frisii littori assiti, antea in pignus dati: tum Ioannes, quae in Cimbria, ac Fionia possedisset, omnia reciperaret. His peractis, liberi captivi essent; inter quos dux Otho inprimis, & Episcopus Borglaensis, eminebant; ac promitteret Barglanensis, se, captivitatis causa, nullam post id tempus*

(a) *Sororem Gerhardi*) Eam postea ab Erico repudiatam fuisse ac remissam, refert Io. Svaningius in *Hist. MS.* nempe cum recruduissent inimicitiae inter Reges Christophorum Ericumque, & Gerhardum Comitem. Confirmat *Continuator Saxonis*, a Reverendiss. Erico Benzelio editus, *pag.* 154. *Postmodum orta est discordia inter Christoferum, & Comitem, repudiavitque Rex Ericus sororem eius.*

CIϽCCC XXXII.

pus litem seu Christophoro, sive aliis, unquam intenturum esse. Actum etiam de Tassinga, haereditate Alberti Saxonis, etiam de Langelandia, Arra, & Tranekiera arce, Valdemaro Slesvicensi redhibenda: ea lege, *nisi Langelandia concederetur, eius vicem, ut daretur Scanderburgum a consiliariis illius deinceps asservandum*. Tum Gerhardus, & Ioannes, mutua auxilia pacti: interj Valdemarum autem, & Ioannem, constitutum; *ne alterius quietem alter unquam perturbaret: ac frumenti certa quaedam multitudo Valdemaro pro reditibus, qui e Cimbria, & Fionia debebantur, penderetur*. Eadem pace fruerentur, ex Christophori quidem parte, Ericus Saxo; Albertus Megapolitanus, Henricus Sverinensis, & Burchardus Bremensis: ex Gerhardi, Albertus Saxo, Valdemarus Slesvicensis; & Adolphus Sconwenburgicus. Hinc Christophorus recipit se in Sialandiam; ac mox inde in Lalandiam; vixque advenerat, quum Chilonii, ex commemorato casu, filius Ericus obit, Quo accepto, mittit, qui defuncti funus ad se transferant: idque advectum, & conditum aromatibus transtulit in Sialandiam; atque Sorae, inter caetera regum illic monumenta, regia magnificentia sepelivit. Per id tempus, quum in Scania nimium superbe Holsati dominatum exercerent; eaque non suo more, sed libidine aliena, vivere iam cogeretur; indignati tamdem indigenae de multiplici iniuria, & extrema praefectorum avaritia, apud comitem Ioannem conqueruntur; inter alios, maxime Eggerus Brochtorpius accusatus, Helsingburgo tunc praefectus; qui, oppignoratam sibi arcem habens, multo gravius vexabat. Qua de causa denique permittere comes Lundiensi, & proceribus eius regionis caeteris, ut, solutis sex argenti puri selibrarum millibus, in quam summam nempe datum pignus erat, libertatem ipsi suam vindicarent; sed, pecunia quia non in promptu esset, concitati passim omnes arma capiunt; & Holsatos, quotquot sibi obvios nancisscerentur, interficiunt: adeoque in ipso templo Lundiensi congregatos, ac consilia de sedando motu habentes, facto impetu, invadunt, & trecentos horum caedunt. Inde, quum viderent regnum pene totum oppignoratum, ceu in praedam datum esse, idque Holsatiae duos comites sua in potestate habere; nec Christophorum, nuper etiam tam insigni clade accepta, sibi ipsi defendendo ultra parem, & nec ipsos satis se tueri posse, Magnum, Sveciae regem, adeunt; ac se illi, omniaque sua offerunt: isque, propagandi regni splendidam occasionem minime negligendam ratus, mox Calmariam, dicto die, convenire eos iubet. Aderat illic Lundiensis, aliique e nobilitate plures, & obsequium obstringebant: atque ille, privilegia, & immunitates omnes, sartas tectas tum auxilium, ac tutelam, contra hostem qualemcumque promittebat. Quod Holsati ubi factum accepere, retineri ditionem deinceps posse desperantes, ea tota mox excedunt, ac Ioannes quoque ipse, imparem se tanto adversario futurum videns, legi, quam necessitas dicebat, paret: & in Scania, ac Hallandia, tum Blekingia, Lystriaque, quae oppignerata habebat, ne amitteret, septuagies mille selibris puri argenti Magno vendit; quum triennium eas terras violento dominatu tenuisset: certo exemplo, & principibus universis observando, imperia immoderata, & aequi limitem excedentia, inter populos animi erectioris, ac munitam privilegiis libertatem possidentes, minime diuturna esse. Inde, anno exeunte, Ludovicus Brandeburgicus cum Othone, & Valdemaro, Christophori utroque filio, & affine item suo, contra quemvis demum hostem, maxime Holsatiae comites, opem, & arma pollicetur; ea lege, ut stipendia ipsi praebeant; & navigia, quibus milites traiiciant: solum excipit, quem natura impugnare prohiberet, patrem suum, Ludovicum Imperatorem.

CIϽCCC XXXIII.

Inter ista, quum Saxcopiam Christophorus, in Lalandiam, parvo admodum comitatu, abvenisset, duo ex nobilitate, Hennichius Bredius, ac Ioannes Ellemosius, rem Gerhardo gratam se facturos esse arbitrati, nihil tale exspectanti manum iniiciunt, & captivum in Aleholmum arcem abducunt. Quod Gerhardus (a), simul factum accepisset, contra atque rati erant, indignatus, illico dimitti iubet; ac vix libertati redditus, rerum adversarum taedio vitae satur, Nicopingae diem obit: unde mox in Sialandiam transportatus, Sorae conditur, apud coniugem Euphemiam, filiumque item Ericum: postquam regnum tenuisset annos circiter duodecim. Erat princeps, uti malus, sic infelix: & humillime praensando, ac precario regnum nactus, dum superbe administrat, id affligit, se evertit; bisque eiectus, tamdem etiam filii Erici morte, quem in regni spem eduxerat, ac iam secum regem viderat, aerumnosus, aegram animam expirat. Nihil ex amplissimo regno retinuerat, praeter Scanderburgum Cimbriae, & Fioniae Neoburgum, cum quibusdam parvis insulis: caetera, oppignorata aliis erant; nam Hallandiam, & Holbecam, Calemburgum, ac Sansoam Canutus Porsius tenebat (b), Scaniam, rex Sveciae, Magnus; Sialandiam Falstriam, Lalandiam, Fimbriam, comes Vagriae, Ioannes; Cimbriam, Fioniamque, Gerhardus Holsatus; Langelandiam, & Arram, Laurentius Ionaeus; manifesto argumento, Deum, uti bonos reges amat, evehit, ac confirmat, ita malos contra odisse, ac deiicere; & consilia eorum, atque regna dissipare. Inde

(a) *Quod Gerhardus*] Hallucinatur noster, pro *Iohanne* hic Gerhardum nominas. Recte quidem prius illud, putasse scilicet Bredvim, & Ellemonum, se rem gratam Gerhardo facturos, si Regem comprehenderent. Verum, cum non esset, quo captum deduceret, locus ullus commodior; quam arx Aleholmia, quae tum temporis in Iohannes Comitis possessione erat, factum est, ut a Iohanne Rex libertati restitueretur prius quam Gerhardus posset liberationem eius impedire.

(b) *Canutus Porsius tenebat*) Equidem tenebat, dum vixit. Iam artem anno 1330. mortuus, viduam Ingeburgam in earundem terrarum, & arcium possessione reliquerat. Vid. Hvitfeld. Pontan. & Torfaei *Hist. Norv. P. IV. pag.* 458.

CIↃ CCC XXXIV.

INTERREGNUM

fuit, ac duravit annos septem. In hoc, ineunte anno, comes Vagriae, Ioannes, qui Lalandiam, inter caeteras regni insulas, sibi pignoratam habebat, ne ad Scaniae exemplum itidem se commoveret, arcem Ravensburgum struit, ac communit. Sed in regno, quamquam regem non haberet, principumque multitudo facile sane turbas dare potuisset, summa tamen per triennium quies fuit. Post quod Otho, alter filius Christophori, generoso quodam impetu, ad recuperandum regnum animum vertit. Legit militem e Lalandia, ac finitima Germania, antea parenti addicta; sperans se, si Cimbria expellere Gerhardum posset, facile ad regnum aditum habiturum. Verum ille, ut militiae vetus erat, non se praeveniri passus, eum ad Taphedam [a] occupat; ac, conserta manu, capit, & abducit Segebergam, ubi per triennium totum sub custodia detentum Valdemarus demum frater, rex creatus, ipso statim regni initio liberavit. Operam quidem Imperator, per legatum ad Lubecenses Hennebergicum [b], atque duos ordinis equestris viros, sedulo dabat, ut dimitteretur rursum: & tentabant quoque illi, sed conatus non successit, quin Gerhardus, obstinato in eum animo, postea promisit etiam Valdemaro Slesvicensi, minime se, ipso ignaro, dimissurum. Mox Episcopus Borglanensis, ac Gerhardus [c], inter se conciliati; facta gratia eorum, quae vel ipse, vel Episcopi, aliive, sacri sui ordinis viri, aut equestris, vel in Cimbria boreali, vel Fionia, sive Arra, aut Toninga [d], contra ipsum, in captivitate sua, admisissent sed excepti Episcopi, Arhusiensis, & Ripensis, contra quos se iure acturum Borglanensis, quod captivi reditus intercepissent testabatur; ita tamen, ut Gerhardo controversiae componendae ius, ac potestatem daret. Inde Magnus, rex Svecorum, quia Scaniam, uti dixi, nactus esset, Daniae quoque universae inhiabat: & a Papa, Benedicto XII. [e] per legato postulabat, *uti Scania, quae ceu Sveciae limen esset, & in potestatem suam nuper adeo venisset, deinceps item ad se, posterosque suos, pertineret: idque Pontifex confirmaret; tum &, uti caeterum regnum, quod tyranni tunc iniuste possiderent, subiugandum sibi daret; non imperio Romano subditum unquam id fuisse, sed ecclesiae vectigale: se deinceps in obsequio semper fore, atque censum usitatum soluturum;* Verum Pontifex, ceu iniqua postulantem, minime audiendum censuit. Et sic Daniae Magnus quidem imminere; sed annonae summa charitas, & hanc consecuta pestis, tum Ioannes, Vagriae comes, gravi imposito tributo monasteriis universis Sialandiae, ac Lalandiae, etiam premere. Nec hoc tantum; verum Valdemarum Slesvicensem, aliquandiu quiescentem, ut invaderet denuo regnum, excitavit: *etenim Christophorum iam, & Ericum, quis cessisset, obiisse; & Othonem sub custodia, inde nunquam liberandum, detineri, Valdemarum, qui tum unus superesset, inde longius semotum, apud Caesarem quasi honeste exsulare. Itaque repeteret regnum, ad quod pridem electus esset, se, quod posset, adiuturum.* Verum Dani quos Holsatici dominatus iam taedebat, animum ad Valdemarum, minimum Christophori filium, quem in Imperatoris aula Deus ad restituendam regno maiestatem suam seposuerat, convertebant; serio per literas eum obtestantes, *ut auxilia amicorum, quos habebat in Germania praepotentes, circumspiceret; domi promtum omnium favorem esse, ac paratum unumquemque, quantam posset, opem ferre.* At Gerhardus, ne quibusdam ipse regnum adfectare videretur, atque ut nepoti viam ad hoc deinceps occupandum redderet faciliorem, Cimbriam illi borealem pro ducatu Slesvicensi tradere induxit animum. Moxque agi ea de re inter ipsos ceptum fuit; & intererant negotio, dux Saxoniae Albertus, ac Gerhardus comes Hoiae. Quia Gerhardus, insuper illud pactus fuit: *ne quod umquam Valdemarus Slesvicensis cum Christophori heredibus, aut Othone, tum captivo, foedus faceret, neve cum sorore eorum matrimonium contraheret, se vicissim, neque dimissurum Othonem, nec adfinitatem ullam cum eodem, ipso ignaro, aut invito, initurum.* Et hi quidem inter se haec agitabant, sed consilia utriusque mors Gerhardi subsequuta, uti dicam, perturbavit; & ostendit illis Deus, unum

CIↃ CCC XXXV. — CIↃ CCC XXXVI. — CIↃ CCC XXXVII. — CIↃ CCC XXXVIII. — CIↃ CCC XXXIX. — CIↃ CCC XL.

(a) *Taphedam*) Corrig. *Tappehedam*.

(b) *Hennebergicum*] Hermannus Cornerus *Chron. col.* 1046. „ Iohannes Comes de Hennenberg, & duo alii Milites, Ambasiatores Ludovici Regis Romanor. venerunt in urbem Lubicensem, secundum Cronicam eorumdem, cum litteris suis Regalibus. Quas praesentantes Consulatui dictae urbis, verbo tenus dixerunt eisdem, quod Dominus Rex mandaret ipsis, ut totis conatibus suis laborarent pro redemptione Ottonis fratris Voldemari Regis Danorum. Quod cum facere attentarent, nihil profecerunt. „

(c) *Borglanensis ac Gerhardus*) Litterae adhuc extant in Archivis nostris. Scriptae sunt *Horsnes, pro festo Petri ad vincula ann.* 1337. Iis profitetur Tucho, „ omnem controversiam de captivitate sua, ex mandato Christophori Regis facta, inter se, & Comitem Gerhardum sedatam, ac sopitam esse: reservata tamen sibi actione contra haeredes Christophori Regis, nec non Eskillum Kraac, & Boetium Falcken, iniuriae sibi illatae principales perpetratores; item contra Episcopos Ripensem, & Arhusiensem, sibi coram Gerhardo Comite conveniendos. „

(d) *Tninga*) Mendum est, pro quo rescribendum *Tossingha*, insula scilicet Fioniae adiacens, quam & noster (*supra col.* 497. *a*. vocavit *Tassingam*. Tonninga est oppidum in Ducatu Slesvicensi, nihil huc faciens.

(e) *A Papa Benedicto XII.*) De hoc nihil plane Cancellarius Hvitfeldius. Sed Pontanus (cuius hic, ut alias, labore Meursius utitur) apud Bzovium in anno 1338. observatum retulit. Ipsas autem Pontificis litteras, quibus Magno, iniusta roganti, respondit, repraesentavit Raynaldus ad ann. 1340. §. 84. ex quibus patet, a Benedicto PP. XII. petiisse Magnum, primum „ ut Scaniam, a tyrannis, qui eam occupabant, &, Christophoro Rege violenter eiecto, populum immaniter opprimebant, vindicatam, & 36000. marcis argenti puri redemtam, Papa sibi retinendam, ac perpetuo per se, suosque posteros, & heredes possidendam auctoritate Apostolica confirmaret. Deinde, ut si quas alias terras regni Daciae adhuc acquirere posset, in parte, vel in toto, hoc sibi concederetur de Papae licentia speciali, *maxime cum regnum Daciae in nullo unquam fuerit subiecto Imperio Romano*, sed Romanae Ecclesiae censuale „. Verum responsio, quam a Pontifice Magnus retulit, haec fuit, minime petitioni eiusmodi posse ex iustitia locum dari, cum ad confirmationem huiusmodi bonorum temporalium, nisi citatis omnibus, qui forent evocandi, & inquisita de statu talium bonorum diligentius veritate, nullo modo liceret procedere. „ Scriptae hae litterae fuerunt Avenione *X. Kalend. Febr. an.* 5. hoc est, ipso anno 1338. ad eoque durante in Dania interregno.

unum ſe auferre regna, ac conferre. Per id tempus, Cimbria fere univerſa in Gerhardum, novos paſſim dominos imponere ipſi cupientem, adeo exaſperata eſt, ut tributa, quae debebant, recuſaret; tum & arces ac munitiora loca, quae tenebat, obſideret. Et Gerhardus, vindicare offenſam certus, militum decem millia ſcribit, e Bremenſibus, Weſtphaliſque, & Rheni accolis. Quos in Cimbriam borealem ſtatim duxit, uti Valdemarum illic Sleſvicenſem, ſicut pridem pactus erat, conſtitueret. Aderant filii, Nicolaus, & Henricus, quis cum parte copiarum alio miſſis, ipſe Randershuſium petit, paſſim omnia devaſtans. Quae dum facit, Sveno Arhuſienſis Epiſcopus, aliique in Germaniam concedentes, Valdemarum ad avitum regnum armis repetendum exhortantur; ac ſe laetis, & adverſis ſocios fore polliicentur. Inter iſta Nicolaus Noreriſius (a), vir proſapia, animoque pariter clarus, non ferendum ultra ratus, tot iam annos Daniam ſervire Holſatis, quibus dudum imperaverat, miſerae oppreſsae patriae libertatem reſtituere, & ſi cum diſcrimine vitae praeſentiſſimo, fortiter ſtatuit; potius ducens, ſi conatum tam praeclarum forte eventus deſtitueret, morte glorioſa cadere, quam acerbam inter mala ſervitutis vitam agere. Magis etiam incitabat, quod Gerhardus controverſiam, pridem ipſi cum Stigoto Andrea natam, minus ex ſententia eius diremiſset. Itaque ad generoſum animi motum odio item accedente, de tollendo e medio viro, patriae gravi, ſibi etiam inimico, ſecum agitat. Ac, priuſquam facinus adgrederetur, quo honeſtius patraret, ut caveret, veluti ab inimico, amicitiam renuntiat (b). Inde noctu cum equitibus aliquot quadraginta ſeptem Randershuſium ingreſsus, ubi tunc Gerhardus erat, quum excubias illic nullas deprehenderet, e ſuorum numero nonnullos ordinat, tympana, audito ſigno, quod dicebat, pulſaturos; ipſe paucis comitatus animo, & manu promtis, irruens in Gerhardi hoſpitium, & cubiculum, eum obtruncat, cum cubiculario, & ſacerdote. Ille quidem excitatus per tumultum, ac conſpecto inimico tam infeſto, conſternatus, quam humillime deprecari, & offerre item pacis quaslibet conditiones. Verum animum in caedem Nicolaus obſtinaverat, atque ſic exiſtimabat, illo vivo, ſalvam eſſe Daniam nequaquam poſſe, ac dementiae adfine, ei parcere, qui mox perditurus eſſet. Itaque, quum occidiſſet pulſatis, ut mandarat, tympanis (c), & iniecto in nonnullas aedes igne, maximo clamore urbem, ac terrore hoſtis animum implevere. Nox, & tenebrae trepidationem augebant; tum, &, quod incertum foret, quantum hoſtium invaſiſſet. Nec conſilii, neque animi quidquam erat, donec mox, comperto, paucos eos eſſe, ac ductore Nicolao Noreriſio adveniſſe, tum Gerhardum interfectum, illico adreptis armis, fugientem perſequuntur. Iſque imminentes videns, pontis, per quem tranſeundum, aliquot deiectis tabulis, eos ſiſtit; &, obverſus etiam ipſe, pugnam inſtituit. Moxque, plurimis profligatis, & in his duobus item e nobilitate prima, uno tantum e ſuis deſiderato, lento gradu pedem refert. Certe facinus praeclarum eſt, & omnino praedicandum; dormientem inter quatuor millia ſuorum hoſtem tam exiguo, uti dixi, comitatu adgreſſum eſſe, & e medio ſubſtuliſſe. Gerhardi filii, quos cum parte copiarum alio miſſos memoravi, nuntiata patris nece, trepidantes, in Holſatiam recedunt, & abductum ſecum funus Itzehoae tumulo maiorum condunt. Milites, qui ſequebantur, partim a Danis invadentibus interfecti, partim varie dilapſi. At Holſati, qui tenebant arces Cimbriae, ut Danorum in ſe impetum ſubſtinere deinceps poſſent, Lundeneſium, arcem ad Schernam flumen muniunt. Quo accepto, Nicolaus, ocyus coacta manu, praelio cum his commiſſo, plurimiſque profligatis, opus coeptum diſturbavit. Inde in Scanderburgum verſus, illud obſidet; ſed praeſidio pertinaciter repugnante, fame expugnare certus, caſtra repetit. Poſtea, deficiente commeatu, quum obſeſſi undique ſe premi cernerent, nuntium ad filios Gerhardi mittunt indicatum, quem in locum res ipſorum abductae eſſent. Si auxilium ferre velint, illud maturandum eſſe; etenim obſidionem paucos tantum tolerari dies poſſe; ac ni faciant, fore, ut ad deditionem mox cogantur. Atque illi, ocyus conſcriptis copiis, laborantes adiuturi, Cimbriam petunt. Quos ut item propulſaret Nicolaus, obiicit ſe; initaque ante arcem acri pugna in Lunae, quem adpellant, monte, quum non parvam hoſtium ſtragem edidiſſet, fortiter cadit (d); ipſa tamen morte victor, patriaeque, quod potiſſimum cupiebat, libera-

(a) *Nicol. Noreriſius*) Inde, quod praedio huius Nicolai vocabulum eſſet *Norre-Riis*, cognomen ei fecit Pontanus (*p.* 460.) exque eo noſter, *Noreriſii*, aut *Noriſii*. Sed nullum tale vel ipſe, vel poſteri eius uſurparunt. Nominabatur tantum *Nicolaus Ebbeſon*, hoc eſt *Ebbonis filius*. Alii minus recte ſcribunt *Nicolaum Iebſon*, quod *Iacobi filium* ſonat.

(b) *Amicitiam renunciat*] Hoc Pontanus *pag.* 461. legitime & more maiorum factum refert, *ſicut acta, quae ea de re habentur, oſtendunt*. Attamen Hvitfeldius nullius iſtiuſmodi renunciationis meminit. Et ſane neſcio, num alia eam acta atteſtentur, quam vernacula illa *Cantilena* in *Sylloge* Andreae Velleii *num.* XLI. Cui, etiamſi haud in omnibus fidem habere oportet, tamen, quum haud pauca ibidem commemorentur, hiſtoriae temporis, & veritati admodum ſimilia, & congruentia, facile iis adſentiemur, quibus eiusdem fide perſuaſum, iam, antequam caedes in Comitem patraretur, graviſſimam litem, ac diſſenſionem inter ipſum, & Nicolaum interceſſiſſe, illumque huic ſevera comminatione capitis periculum oſtentaſſe. Quid? quod hoc ipſum non obſcure indicet *Chronicon Holſatiae* in Leibnitii *Acceſſionibus hiſtoricis pag.* 51. cuius verba ſunt: „ Comes Gerhardus in oppido, „ Randershuſen poſuit caſtra ſua. Vbi quidam praepotens vir de „ Iutia, nomine *Negels Iebſis* Miles, & pro tempore ſubdi- „ tus factus obediens dicto Comiti Gerardo, tamen quo ſpiritu „ interveniente facta fuit diſcordia inter Comitem, & Nicolaum „ Iebſis. Nam dixit, quod Comes iniuriabatur ſibi, & ſuis. „ Ideo in nocte intravit &c. „

(c) *Pulſatis tympanis*] Haec, & quae ſequuntur, Meurſius neutiquam Pontano, utpote qui nihil niſi Hvitfeldii narrationem, admodum hic brevem exprimit, ſed Svaningio accepta referre eſt dicendus. Svaningius vero totum ex Continuatore Saxonis (cuius opuſculum paulo poſt finitur,) habuit, confirmatum itidem ab *Epitomes Hiſtoriae Danicae*, Saxonica dialecto editae, auctore, nec non in *Cantilena* nuper allegata.

(d) *Fortiter cadit*) Sic & Continuator Saxonis, & plures noſtratium, ipſe etiam Hvitfeldius; niſi quod biennio ſerius pugnam prope *Manberg* (Meurſio *Lunae montem*) factam memoret, eaque Nicolaum Ebbeſonium occubuiſſe. Vid. *Tom.* 3. *pag.* 448.

rator; nam hoc praelio debellati plane Holsati, Cimbriaeque retinendae neque animum deinceps, neque vires habuere. Atque ita Nicolaus quamquam caesus, tamen hoste suo potior, Cimbria sic liberata, Daniae inde universae ad repetendam libertatem gradum struxit. Et exemplum imitata Sialandia, itidem ad arma venit. Quod quum alter filius Gerhardi Henricus accepisset, qui post interfectum patrem arces aliquot, urbesque in hac insula possidebat, ut auxilium suis ferret, milite coacto accurrit; ac, dum ibi commoratur, & in rebus componendis occupatur, subita contentione inter Danos, & Holsatos, ruri nata, levi admodum de causa, arma utrimque rapiuntur, & e Daniae primatibus, magnae vir auctoritatis, in tumulto ab Holsatis interficitur. Cuius morte magis irritati Dani, & ex insula universa concurrentes, ad Holsatos extirpandos impetum capiunt. Ac resistunt illi quidem satis fortiter, sed Danorum animose irruentium vim nequidquam substinentes, caesis circiter trecentis, tamdem cedunt, & salutem fuga quaerunt. Henricus locis, quae tenebat, propere praesidio suo, quantum in hac perturbatione potuit, communitis in Holsatiam se recepit [(a)], neque posthac prospere in Sialandia quidquam gessit. Tamdem regnum, quod legitimo iam rege annum septimum carebat,

VALDEMARVS III.

est consequutus. Is Christophori filiorum, qui supererant, natu maximus, annum duodecimum iam apud Caesarem commoratus, & instructus iis artibus, quae futuro olim regi necessariae censebantur, quum ad regnum vocaretur, adiuvare hoc negotium cupiens Caesar, Spandaviae conventum indicit. In quo marchio Ludovicus Brandeburgicus, & Barnimus Pomeranus transigunt cum Valdemaro Slesvicensi, & Holsatiae comitibus, Henrico, Nicolao, ac Ioanne, ut inprimis Valdemari frater Otho e carcere dimitteretur, & adfini Brandeburgico, aut fratri regi traderetur; hac conditione tamen, ut renunciaret regno, nec deinceps ullum in id ius praetenderet. Insuper dux Slesvicensium Valdemarus novo regi coniugem sororem daret, & in dotem vicies quater mille argenti puri selibras, detrahendas de centenis illis millibus, in quas Cimbria, & Fionia pridem pignoratae essent. Excipi Alburgum tamen, & Vensyssela, Himmersyssela, Thyesyssela, aliaque territoria, quae confestim pignorationi exemta, in compensationem dotis Valdemaro traderentur. Ac paterent reliquae item arces Cimbriae, & Calloa ante omnes, inde Horsena, & Ripa, ac pars quarta adiacentis territorii, si redimere aliquando eas vellet. Tum statutum, ne Gerhardi percussores Valdemarus tueretur; sed se ipsis, quique adiuvare cuperent, inimicum exhiberet. Inde de agrorum censu, quem persolverent coloni, & exigerent partis utriusque scribae; tum de mutuis auxiliis, & exsulibus revocandis, ac resarciendis damnis, quae illata per auxilii tempus essent, actum fuit. Denique, quid sponsae suae Hedevigae Valdemarus propter nuptias donaturus post peractas illas esset. In quam rem tunc nominata arx Ripensis, ac moneta item urbis molendinum, & telonium, quique huc spectarent reditus. Moxque haec Lubecae etiam confirmata, sed pro Ripa, quam donandam propter nuptias visum fuerat, si fortasse ante Valdemari obitum ea non redemta esset, placuit Alburgum dari. Et haec quidem rata fore, fidem interposuere, pro rege adfinis Brandeburgicus, dux Barnimus Pomeraniae, Vlricus Lindaviae comes, Guntherus Svartsenburgicus, & Albertus Megapolitanus; nomine vero Valdemari Slesvicensis, dux Saxoniae Albertus, Henricus, Nicolaus, & Ioannes [(b)] Holsatiae comites, Philippus Scouwenburgicus, Cunradus Oldenburgicus, Cimbriaeque borealis arcium praefecti quatuor. Ac seorsim rediere in gratiam cum Valdemaro rege comites Holsatiae Nicolaus, & Ioannes, rexque ipsis est testatus: *se Fioniam iis insulam, quaeque ad illam pertinerent, in argenti puri selibras semel, & quadragies mille pignoratam reliquis-*

pag. 448. collat. cum *pag.* 418. ac Pontan. *pag.* 461. item *pag.* 476. ad an. 1342. Verum an non potior habenda fides Continuatori Saxonis Scriptori, ut mihi videtur, coaevo? Eius narratio de Nicolai gestis, post interfectum Comitem, atque fato talis, *pag.* 155. „ Eodem anno 1340. secundo „ die Maii, idem Nicolaus Ebbyson interfecit multos Teutoni- „ cos circa amnem Skaernae, qui nitebantur ibi castrum ae- „ dificare in malum Danorum. Sed & eodem anno, dum „ idem Nicolaus obsideret castrum Scandorpborgh, congressus est „ cum magno exercitu Teutonicorum, superveniente in die „ Animarum Magnam stragem in eis fecit, attamen ipse cum „ aliquibus militaribus Danis ibidem occubuit. „ Eadem plane verba extant in *Chron. num.* v. inter Ludewigii *Danica p* 105. Vltima quoque exhibet *Anonymi Chronologia* ex Stephanii apographo, inter *Monumenta* Benzelii *pag.* 93. Hisque congruere satis videtur narratio in *Chronic.* Herm. Corneri *Col.* 1060 „ Danica gens de Iutia castrum *Scandalingborg* obsederunt, pro- „ ponentes interficere omnes Teutonicos in eo, & in omni „ regione circumiacente. Quod quum perciperent Holsati, qui „ in Fyne morabantur, miserunt in subsidium obsessis 600. „ viros armatos. Quos quum adesse perciperent obsessi, mox „ exierunt pugnaturi cum Danis. Quibus dimicantibus super- „ venerunt illi 600. viri, & subito irruentes super populum „ incultum, & rusticalem, interfecerunt de ipsis circiter 1200. „ Inter quos interfectus fuit, & Capitaneus Iuthorum, qui „ alias causa exstiterat interfectionis Comitis Gerardi, cum aliis „ duobus, cum eo occisis. „ In transcursu animadvertimus per *Scandalingburgum* plane intelligi Scanderburgum in Iutia, ut dubius plane haeream, an adsentiar Hvitfeldio, *pag.* 444 ac Cypraeo, aliisve, Holsaticorum Chronicorum fidem sequutis, qui ad Callindburgum Saelandiae hoc referunt contigisse. Iidem vero scriptores Holsatici, nec non ipse eos exscribens *Col* 1057. Cornerus, Nicolaum nostrum, Gerhardi interfectorem iam dudum antea a filio Gerhardi captum, membraque ei confracta, ac imposita rotis perhibent. Quod quum & nostratium, & aliorum (ut vidimus) memoriis repugnat, subdubitat Pontanus, num forsitan Holsati in cadaver viri, postquam praelio ad Manbergam ceciderat, hanc vindictam exercuerint.

(a) *In Holsatiam se recepit*) Haec per anticipationem a Meursio ad annum 1340. referuntur, quamvis revera post praelium Manbergense, adeoque anno 1342. evenerint.

(b) *Nicolaus, & Ioannes*) Hvitfeldius, *pag.* 430. & Pontanus, *pag.* 465. Henricum, & Nicolaum hic nominant; excluduntque ii Ioannem, quemadmodum Henricum Meursius. Sed revera hic hallucinatus, non illi, quod conferentibus nobis authenticum, adhuc superstes diploma, ad oculum patuit. Neque minus hic nobis castigandus venit Herm. Cornerus, qui Lubecensem hunc conventum ad annum Domini 1341. refert, quum omnino antecedente anno 1340. sit habitus, eique tunc interfuerint Ludovicus Marchio, Principesque alii quorum in litteris fit mentio, *Dominica ante festum Ascensionis Christi* signatis. Vid. etiam *Chronicon* in Sylloge Ludewigiana *num.* v. *pag.* 106.

CIↃ CCC XL. *quisse; neque, quod ad idem pignus, neque & ob Arram insulam, quidquam umquam obiecturum; donec illud, atque istam liberaverit*. Tum & addidit: *de exsulibus, qui cum ipso solum verterint, cogniturum Ioannem Holsatum, quaeque hic pronuntiaverit, ea sibi rata fore*. Insuper & *de auxiliis invicem praestandis* actum; *utque Marquardus Rostrupius, quive alii in Fionia, Cimbriave, bona pignorata habeant, dum redimerentur ea, possiderent*. Etiam de fratre Othone constitutum; *ut, si quando libertati redderetur, hac id cautione fieret, ne quid comites Holsatiae in pignoribus usquam detrimenti caperent*. Ac seorsim Valdemarus Slesvicensis cum comitibus Holsatiae Sunderburgi sic convenit; ut, redemta in usum regis Cimbria septentrionali, bona alia in australi redderentur. Scaniae, rex Sveciae Magnus, cui pridem ab Holsatis traditam commemoravi, ac seorsim Archiepiscopo Lundiensi privilegia, & immunitates suas per hoc tempus confirmavit. Idem Valdemarus fecit Danicae nobilitati, uti sacro quoque ordini, ceterisque regni incolis (a), ac praeteritarum rerum, tam in se, quam in parentem admissarum statuit oblivionem; postquam Stolpam pignoratam liberare cupienti, ac pecuniae indigenti, in rem eam pariter matronae, & virgines mundum omnem muliebrem contulissent. CIↃ CCC XLI. Inde, ineunte anno, Henrico, ac Nicolao Holsatis Helsingburgi rex promittere: *si decederet sine prole, aut herede, Fioniam ipsorum fore; sed, si proles aliqua, aut heres esset, integrum futurum sibi, atque illis, quandocumque commodum foret, hanc, & adiacentes insulas liberare*. Etiam obstringere sese: *si, quae pacta Helsingburgi, ac Lubecae violaret, integrum iisdem fore, arces regias Sialandiae, Vordingburgum, & Corsoram occupare; ac, dum ea implevisset, retinere; idemque iuris in Fioniae castella Neoburgum, Orkelam, & Hinnesgavelam ipse haberet, si vicissim illi fallerent*. Hinc Roschildiae confirmat Hafniensibus privilegia, quae superiores reges concessissent. Et Arhusii pollicetur Slesvicensis: *ni Ripenpenses*(b) *ante festum Pentecostes anni proximi iuramento fidem suam regi obstringerent, se, quod sibi praestitissent, remissurum, ac deinceps irritum habiturum esse*. Inde agitabat animo, ut redimeret ab Holsatis arces quasdam, & in hanc rem calicem e quoque templo peti iubet. Sed conflatam hinc pecuniam in stipendium miles cepit, neque ulla arx redemta est. Post haec bellum novum exortum ex hac causa. Non putabat Valdemarus, *Callemburgum, ac Samsoam, a Christophoro parente Canuto Porsio, sed marito Ingeburgae primo Erico Sveciae duci, sub clientis titulo datam; ideoque, eo mortuo, non iam ultra ad Ingeburgam pertinere, sed in regis potestatem recidisse*. At Ioannes Vagriae comes, cui Sialandia oppignerata prius erat, suum ius in arcem urbis Callemburgi obtendebat. Hinc obsidione cingi oppidum a Valdemaro ceptum fuit. Quo Ioannes intellecto, opem obsessis adlaturus, militem confestim legit, & auxilia sua addunt Ingeburga Holsatiae comites, ac Vandalicae quedam urbes, ubi omnes convenissent, mox obsessi, illud gnari acriter erumpunt arce, & in copias Valdemari imparatas invadentes, eas fundunt, ac profligant. Sic soluta obsidione, placuit utrique parti: *ut utrimque viri quatuor, fide, & prudentia clari legerentur; ac, Roschildiam sub Octobris mensis finem convenientes, controversiam dirimerent; quorum arbitrio si qui stare recusarent, tum hi iusiurandum darent, nihil sibi aliud aequius, meliusve visum esse. At, si ipsi quoque arbitri inter sese dissiderent, nec quid constituere possent, evocato Helsingoram Archiepiscopo Lundiensi tota res permitteretur, quodque illi aequum, & bonum videretur, ratum foret. Eodem modo, quod dissidium inter regem, & Holsatiae comites exortum esset, Henricus Brochtorpius, & Henricus Sedelitzius, cum duobus, quatuorve e consiliariis regis, in Fioniam profecti, apud comites terminarent. Ac, si neque inter illos conveniret, regi Sveciae, & Saxoniae duci Alberto, aut alterutri eorum, omne id negotium committeretur; &, quod hi constituissent, ratum utrimque haberetur*. Cum Ingeburga rex seorsim sic transegit, *uti sibi Callemburgum statim redderet, borealem vero Hallandiam, quoad viveret, retineret*. Per id tempus, luctus aulam Valdemari occupavit, mortua Margareta amita, olim regis Sveciae Birgeri coniuge, quae Ringstadii ad mariti sui latus tumulata. CIↃ CCC XLII. Iam erigere sese Dani, restituto Valdemaro incepere; &, superbum Holsatorum dominatum non ferentes, se paullatim obiecere. Tum praefecti arcium, qui Dani essent, & in Valdemari obsequio, durius cum illis agere, ut cum ipsis etiam vicissim Holsati. Quae res quum utrimque saepe caedibus occasionem, ac rapinis exhiberet, factum tamdem uti Fridericus Lahenius regni equitum tribunus, & Marquardus item Scanius (c) Vordingburgensis praefectus, lecto undecumque milite, ac congressi, acri pugna decertarent, in qua victor Fridericus adversarium fudit, & in fugam egit. Inde rursum constitutum inter regem, & Holsatos, *ut deinceps regni arces, quaeque alia territoria sibi pignorata haberent, possiderent*. Mox Sialan-

(a) *Ceterisque regni incolis*] Chronicon iam laudatum. „Intravit [Valdemarus] Daniam circa Pentecosten, & in placito „Viburgensi omnes proceres ei homagium praestiterunt; sicque „Selandiam intravit, & ibi similiter, ut Rex consalutatus est, „& quasi per annum in Selandia manens, nihil ad intentum „obtinuit, per fraudulentiam Teutonicorum, & falsitatem aliquorum Danorum, quamvis tamen maximam summam exposceret pro castris ibidem sitis. Deinde rediens ad civitatem Vibergensem, Sabbato ante diem Prisci; & Feliciani legem renovavit, videlicet municipalem *Handfestningh*, & postea debellanda Holsatos, Alemannos, & Svecos intentus „erat." Horum partem aliquam etiam Continuator Saxonis repraesentat.

(b) *Ripenpenses*] Mendum est, pro *Ripenses*.

(c) *Marquardus Scanius*) Hvitfeldius, *pag.* 448. *v. ult.* vocat *Marquardum Skoene iuniorum*. Meursio *Scanius*, Pontano auctore dicitur. Quod ad *Fridericum de Laben* attinet, haud recte nostro adpellatur Equitum regni Tribunus; quippe qui tantummodo Valdemari Regis Mareschallus erat, hoc est aulae Regiae, & oeconomiae curator. Verum regni Mareschallus, sive summus militiae dux erat tunc temporis Ericus Nicolai, qui postea ann. 1345. in pugna inter Nestwediam, & Gundeslebholmam interfectus est.

CIƆCCC XLIII. landia varie direpta fuit ab indigenis, exterisque; & Coagium inter primas regni urbes totum exsustum, aliaeque passim urbes quam miserrime devastatae. Ac commissa inter Danos, & Holsatos ad Flasmollam circa ultimum Septembrem acris pugna, in qua captus a victoribus Holsatis Boethius Falcus, primi apud regem loci. Qua accensi clade Dani, ubicumque convenire Holsatos vident, impetum in eos faciunt, & ad pugnam provocatos passim caedunt; ac, tumultu forte exorto, ad trecentos contrucidant, paxque etiam inter regem Sveciae, & Valdemarum constituta. Hinc Ringstadium Valdemarus castra movet, inde etiam Slaglosiam. Vnde quum Corsoram versus contendisset, mox Liungam retrograditur; &, Ringstadium postquam castra reduxisset, Roschildiam itinere capto, militem in hiberna mittit. Per id tempus Sveno Arhusiensis Episcopus, ac Iacobus item Paulus Diaconus Roschildiensis, in Roschildiensi via comprehensi, Padebornam (a) arcem quamdam Sialandiae abducuntur; ac continuo hac de causa, ex statuto Vedelensi (b), toti regno sacris omnibus interdicitur. Hinc Stigotus quoque Andreas, Biorneholmius, permittente Valdemaro, cum Calloam Nicolaus tum Limbecius possideret, debito repraesentato, liberam facit. Itidem rex Valdemarus Falstriam, Nicopiamque, a Christophoro pignoratam Vagriae comiti, redimit, & regno reddit, obsidesque eo nomine, cum Henningius Podebussius, tum Macarius Broscovius dimittuntur. Ac deinde in conventu Varbergensi proceres Scaniae, praeter hanc transactionem, quae cum Magno rege Sveciae habita Calmariae fuerat, uti supra memoravi, denuo eam regno Sveciae in perpetuum addicunt. CIƆCCC XLIV. Paulo post, quum Valdemarus ex uxore Hedeviga filium, Christophorum nomine sustulisset, pacta pridem inter ipsum, & Holsatos cessavere. Denuoque inter sese convenere Sunderburgi; *uti lites, si quae forte nascerentur, Valdemarus Slesvicensis terminaret; illis vero, si negotium quis facessere, aut inferre bellum vellet, neque res componi posset, opem ipse contra quemvis hostem ferret, ac si inter regem Sveciae, & Stetini quoque ducem, comitesve controversiae aliquando aliquid exoriretur, cum eorum nemine conferret arma propter foedus, quod cum eo sibi rege intercederet, verum operam navaret, ut dissidium componeret*. Hinc Limbecio, regni equitum tribuno per id tempus constituto, dat negotium, ut Soburgum ab Holsatis, dato pretio, in quod pignoratum erat, Daniae recuperaret; &, dimisso e custodia Svenone praesule Arhusiensi, ac diacono Roschildiensi, Iacobo Paulo, sacra regno, quibus illi nuper hac occasione interdictum memoravi, restituta. Mox ab Ingeburga quoque, vidua Canuti Porsii, matre magni, regis Sveciae, ac Norvagiae, Callemburgum urbem recipit; Magno Sveco utramque Hallandiam, quia pridem Scaniae proceres sese illi tradidissent, retinente. Quam rem certe Valdemarus, quia numquam ea pignorata fuerat, sed Erico, & Ingeburgae, Magni utrique parenti, tantum in praefecturam data, aegre ferrae. CIƆCCC XLIV. Hinc, conventu apud Viburgenses habito statim in Frisios, quod tributum annos totos quatuordecim non solvissent, militem ducit, & in potestatem eos suam cogit. Post haec obsidet Nestwedium, insulae Sialandiae oppidum; quod, Holsati postquam probe muniissent, neque tabulae pignorationis istud continerent, suam esse hanc munitionem diceret; neque id expugnat tamen; sed, induciis constitutis, ab obsidione abit. CIƆCCC XLV. Ad tutelam Esthoniae pariter, Daniaeque, equitibus Teutonici ordinis, in Esthonia commorantibus, atque Narvam sibi defendendam tradi postulantibus, acquievit, & in annum unum dedit. Inde pactum cum australis Cimbriae duce, Valdemaro, novum init: & *obsequium* Valdemarus *sempiternum regi, ac reginae* obstringit: atque rex, *si superviveret, eius se ducatum, uxorem, liberosque, donec ad aetatem iustam pervenissent, defensurum* pollicetur; *uterque vero, amicitiam inter se constantem coleret, & auxilii indigentem, qualicumque occasione, adiuvaret*. Per id tempus & Holsati, maxime qui comitis Ioannis partes sequebantur, Sialandiam invadentes, varia insulae eius loca, & Ringstadium inter ista, devastarunt: contra Dani, denuo Nestvediense munimentum invadentes, illud, & Gunderslebholmiam, atque arcem Padebornam, caeso equitum tribuno, aliisque, in potestatem redegerunt: rexque Olao Episcopo Revaliensi, Cylpanorum civitatem, mortuo Ioanne Rhodio (c) testamento acquisitam, venum dedit: ac collegii itidem Revaliensis privilegia confirmavit. CIƆCCC XLVI. Mox Holsatis, quis Lalandiae praefecturae, atque arces pignoratae, se redimere eas velle indicavit; & in insulam ablegavit regni equitum tribunum, cum mandato, ut munitiora loca, quae praesidio tenerentur, obsideret: quum Corsoram, & Petroburgum, paulo ante Daniae restituisset. Quae Holsati quum acciperent, subvenire suis certi, cum armata manu accurrunt: ac pugnatum varie fuit; quum mox, Magno, Sveciae rege, adiutante, pax initur: ea lege, ut Lalandia universa Valdemaro redderetur: isque invicem Ioanni, Vagriae comiti, solveret argenti selibras octies mille. Lalandia recuperata, Vordingburgum castra movet, idque expugnat. Inde, animum applicans ad pietatem, ordinatis in Esthonia rebus sacris, maximum apud Revalienses templum, a maioribus suis conditum, & sacratum Dei matri, binis aedificiis auget: & in iis stato tempore pro se, ac uxore sua, supplicationes fieri, peragique sacra mandat; addit etiam reditus ad pios usus; & id templum, si quid detrimenti caperet, reparandum: quin sodales quoque sacros in tutelam suam accipit: idque, ne quis ignoraret, scripto publico adtestatur. Hinc peregrinationem sacram instituit; & militiam in

(a) *Padebornam*] Corrig. *Padeburgum*, Danice *Padeborg*. Error ex Hvitfeldio derivatus, qui non tantum hoc loco, sed inferius quoque exprimit cum *n* in fine.

(b) *Ex Statuto Vedelensi*] Intellige Constitutionem illam: *Cum Ecclesia Daciana* &c.

(c) *Ioanne Rhodio*) Corrig. *Andrea Rhodio*.

CIↃCCC XLVI. in paganos, Lituaniam incolentes. Quam ob causam iter in Borussos capit; & adsciscit comitem Othonem fratrem, inter equites Teutonicos tum receptum: quod, ne regno gravis esset, antea decretum fuerat. Insuper in comitatu Ericus erat, dux Saxoniae; sed Borussiae postquam fines attigisset, & inducias cum paganis constitutas afferretur, nil cunctandum illic ratus in Livoniam contendit; &, acceptis octodecies mille puri argenti selibris, ordinis Teutonici equitibus Esthoniam vendit: contra pactum & Christophori parentis, quo is caverat, nequis unquam successorum a regno illam separaret; & nobilitatis quoque Esthoniensis, quae iuraverat, se ab eo nunquam recessuram esse. Nec subscripserat tabulis venditionis quisquam regni Senatorum, praeter Stigotum Andream, tunc ducatus eius praesidem: nec exemplar, nisi sero, in illorum manus venit: quum Polonicus legatus, in conventu Stetinensi, de constituenda pace inter Daniam, Sveciamque, id exhibuit, anno millesimo quingentesimo septuagesimo. Quum Esthoniam vendidisset, mox redemit, quae sororius Brandeburgicus in eadem dotis nomine possidebat; ac vicissim Valdemaro is tradebat codicillos, quibus illum a promissa ad haec defendenda ope liberum pronuntiabat, atque satisfactum sibi testabatur. Quum deinde in Germaniam proficisci statuisset, quosdam e nobilitate regni sui praesto esse apud Brandeburgicum iusserat, & adventum exspectare; qui quum circa Falstriam detinerentur a Ioanne, Vagriae comite, admodum indigne tulit. Post haec, quasi pietati prima expeditione in paganos Lituaniae, de qua dixi, nondum satisfactum esset, in Palestinam, procul regno, iter capit; comitem Ericum Saxonem, plurimosque e nobilitate prima secum trahens. Quumque ad sepulcrum Christi, quod in eo tractu visitur, accessisset nihil sibi prius duxit, quam ut inter equites (a) Templarios reciperetur; idem & Ericus facere, & nonnulli e nobilitate alii; ac receptus, a praefecto monachorum, qui sepulcrum asservabant, seria oratione admonetur, *uti fidem Christianam, ad exemplum decessorum, qui hanc olim in Esthoniam intulissent, summa ope tueretur*. Inde redux, statim Rendesburgum CIↃCCC XLII. redimit, quum non multo ante filia Ingeburga auctus esset. Moxque ad repetendas arces animum vertens, eas, quae in Sialandia CIↃCCC XLIII. reliquae erant, & Nicopiam item Falstriae Stegam Monae, ac nonnullas Cimbriae, recuperavit. Cum comitibus vero Holsatiae, ita egit: *ut reciperent Stegam ipsi, traderentque Neoburgum, & dimidiam Fioniam: quod restaret, id pecunia pensaretur; eaque dum solveretur, Orkelam, & Hinesgavelam, velut pignus quoddam haberent*. Tum & Hafniensibus immunitates suas firmat; ac concedit, *ut Dragorae, qui Amagriae insulae pagus, cuncta emerent, ut consueverat ad id tempus, venderentque*. Et haec Randershusii acta. Inde rursum Nebbegardiae cum Holsatiae comitibus transigit de ea summa, in quam his Fionia pignorata erat Hinc in Sialandia Scioldenesam obsidere quum coepisset, intermittere inchoatam obsidionem, ob grassantem nimis vehementer pestem, est coactus. Fuit vero ea pestis longe maxima; &, in plures orbis partes divagata, magnam hominum, pecorumque stragem dedit; adeo autem afflixit Daniam, ut, exhaustis pagis pluribus, agri passim, ob defectum colonorum, diu inculti permanerent; quin turbata & commercia; ac solemnis in Gronlandiam mercatorum navigatio aliquandiu intermissa. Inde rex, ut te- CIↃCCC XLIX. staretur, quae tributa imperaverat, recte collocata esse, ac benignitatem sibi populi deinceps etiam devinciret, comitiis Ringstadii habitis, palam universis fecit; varias se ab Holsatis Daniae munitiones, atque arces redemisse: & in hanc rem impendisse tricies mille argenti selibras, deciesque alias mille ad has de se adiecisse. Mox, profectus in Hallandiam, evocato illuc Magno, Sveciae rege, de restituenda Scania frustra eum compellavit; ac, sigillis literarum, quae de emptione erant, liquefactis (b), ubi documenta cuncta adversae partis substulisset, in iniustum possessorem fraude usus, restitutionem imperat: ac, benigne nisi impetrare posset, etiam bellum comminatur; atque illaturus erat, nisi motus in Germania eius arma divertisset. Ibi

(a) *Inter equites*) Anonymi *Chronicon* in *Sylloge Danicorum* Dn. de Ludewig *n. V. pag.* 108. „ Constituit cum fratribus Or„ dinis Teutonicorum, in quo iam habebat fratrem Germanum, „ scilicet Otthonem, invadere Lithuaniam, Christo non cre„ dentem, Christo militaturus. Sed quoniam vel treugae erant, „ vel aliis iustis causis, dimissa ibi militari manu, & hybernis „ peractis in Prussia, cum Erico Duce, & decenti familia „ ingressus est longinquam peregrinationem in Terram sanctam, „ perveniensque ad Dominicum sepulchrum, & ibi de manu Du„ cis Erici factus Miles Christi, qui ante fuit Rex seculi, die „ beatae Magdalenae „. Aliud *Chronicon* in eadem Sylloge *num. VIII.* (quod Nicolaum Archiepiscopum Lundensem auctorem habet, atque Hafniae editum ann. 1709. fuerat a Th. Bartholino Nep.) *pag.* 171. „ *Anno Dom.* 1345. Valdemarus „ Rex Daniae hiemavit in Prussia, & directo tramite ivit ad „ Terram sanctam, & factus fuit Miles per Ericum Ducem Saxo„ niae, in sepulchro Domini, die B. Mariae Magdalenae „ Herm. „ Cornerus *col.* 1068. Voldemarus Rex Danorum venit in ur„ bem Lubicensem cum Erico iuniore Duce de Lowemburg: „ ubi cum per triduum moram traxisset, transfretavit in Prus„ siam „ &c. Reliqua consonant plane iam allatis: quemadmodum & Crantzii illa *Daniae lib.* 7. *c.* 34. Denique *Chron.* Anonymi MS. „ Anno 1347. Rex Valdemarus in peregrina„ tione sacra ante sepulchrum Domini Miles factus, plures ibi „ Milites fecit. „

(b) *Sigillis litterarum liquefactis*] Id neque Svecici, neque Danici alicuius nominis historici prodiderunt, ac nescio sane, qua auctoritate illud Suaningius (huic enim acceptum refert noster,) didicerit, remque eo modo, ut narrat gestam ad annum 1349. retulerit; cum constet, atque indubium sit, litteras istas anno demum 1360. in Valdemari manus pervenisse. Verum hoc inter Reges conventu, anno 1349. habito, quid actum sit, hucusque haud satis cognitum. Hvitfeldius nescivisse videtur, saltem (*pag*, 492.) Valdemarum in Hallandiam profectum, ibi convenisse Magnum Sveciae Regem dicens. Torfaeus, in *Hist. Norv. P. IV. pag.* 479. Conventum egisse Reges in Hallandia, ubi secreta inter se multa, maximique momenti presentes ambo agitarint. Videntem autem Magnum Svecorum studia in se labefactari, Valdemarum in partes suas trahere conatum, de auxiliis tum quoque sollicitasse. Messenus itidem *Apolog. Hist. Svec. Tom. XII. pag.* 189. Magnum, ide auxilio sibi provisurum, anno 1349. in Hallandia cum Valdemaro *infaustum habuisse colloquium, ubi primis Daniae cassibus irretitus inescatusque perhibetur*. Nihil autem vel isti, vel alii de corruptis litterarum sigillis. Confictum tamen a Svaningio, aut antiquiore alio, a quo is acceperit, non arbitror: Adeoque nec praefracte negandum puto; cum fortassis etiam haec subesse causa potuerit, cur postea, cum Senatores Sveciae decrevissent, *ut litterae de Scaniae redentione traderentur servandae quatuor Viris e Senatu regni, & quatuor Episcopis, ad praecavendum quod metuebant, ne in Valdemari manus redirent* (verba sunt Loccenii ad an. 1360.) Magnus eas proferre detrectaverit.

CIↃCCC XLIX.

Ibi Brandeburgici res perturbabat homo nequam, qui ſe falſo Valdemarum Brandeburgicum, a viginti quinque annis vita functum, dictitabat: itaque, & regionem, quam is tunc haeredis titulo poſſideret, repetebat. Ac iuvabant proximae Saxoniae duces, & cum illis Anhaltini, atque Megapolitanus. Qua de cauſa, quum ſororio ſuccurrendum exiſtimaret, comitiis Roſchildiae habitis, claſſem inſtruit; & in inſulam Megapolitani Polam, quaeque aliae ditiones eius eſſent, paſſim invadit, diripitque; Hinc in proximam Pomeraniam (a) caſtra movens, mox Stargardiam illic capit; ubi poſtquam Megapolitanus eum, cum non parva manu ſtatim ſubſequutus, incluſiſset, Brandeburgici frater Romulus, ad ſuppetias accurrens, ſolvit quidem obſidionem, ſed, commiſso acri praelio, ſuperatus, & ingenti clade affectus, vix evaſit. Quo accepto, Valdemarus, quum Stargardiam reliquiſset, in vicina Megapolitani oppida arma vertit, & ex iis aliqua in poteſtatem ſuam redigit. Hinc Berlinum, quod id quoque falſi Valdemari partes ſequeretur, obſidere eſt aggreſsus. Quod dum agit, ut virtutem honorare ſe oſtenderet, quoſdam, ritu uſitato, equites auratos creat; ac, ſequente iſtuc quoque ipſum Megapolitano, atque illi Valdemaro etiam frontem obvertente, quum in eo iam res eſset, ut conſerere manum utrinque oporteret, interventu ſenatorum, ex arbitrio regis Sveciae, res tranſacta eſt; placuitque, *ut captivos Romulus ſuos liberaret; tum nonnulli civitatibus agri Megapolitani, quae Vandaliae olim fuerant, gratiam ſacramenti faceret: & uxorem ſibi haberet Ingeburgam, Alberti, ducis Megapolitani, filiam: ac cum ea, dotis vicem, praefecturam Lentianam: data contra in uſumfructum Werba, Arensberga, & Perleberga.* Qua re ita conſtituta, etiam conciliavit Valdemarus Brandeburgicum, atque duces Stetinenſes: tum Albertum item Megapolitanum, & Saxoniae ducem Ericum.

CIↃCCC L.

Inter haec, augetur filia Catharina. Poſtquam vero infeſta arma in Germaniam intuliſſet, admodum id aegre tulit Caeſar Carolus, qui mox tamen, animo ſedatiore, ipſi pariter, ac Gunthero Swartzenburgico, aliiſque, ſeu proſcripti, ſive non proſcripti eſſent, commeatum liberum Sprenbergam dedit. Legerat itineris rex comitem Romulum Brandenburgicum, cui frater Ludovicus, ſibi retinens Bavariam, univerſam ditionem hanc conceſſerat: quin & aderat Ericus, dux Saxoniae. Inde quum ad Caeſarem admiſſi eſſent, & rogarent; *qua de cauſa falſum ille Valdemarum in marchionatum Brandeburgicum, in praeiudicium principum introduxiſſet*, is reſpondet: *non hoc temere, neque odio ipſorum a ſe factum; verum fidem habuiſſe Othoni, Archiepiſcopo Magdeburgenſi, Rudolpho Saxoniae duci, Alberto Megapolitano, & Anhaltino: qui hunc eſſe, quem ſe diceret, iuramento interpoſito affirmaſſent: nec culpari quicquam in ſe, quam credulitatem poſſe*. Ad quae, nomine omnium, rex reſpondere; *ſe contrarium iusiurandum* (b) *dare certos, & periurii hos accerſere: itaque ab eo petere, ut reſcinderet edicta, quae de ipſo promulgaſſet*. Quibus Caeſar intellectis, verum haeredem marchionatus Brandeburgici Romulum cenſet, ac pronuntiat. Quibus actis, etiam Ericus Saxo Valdemaro tradidit tributum quoddam, quod ab urbe Lubecenſi dudum ipſi annis ſingulis ſolvebatur, ac Steurgelda (c) dicebatur. Id Ludovicus Brandeburgicus, a parente ſuo acceptum, ipſi ceſſerat: & mox Caeſar, datis Budiſſini tabulis (d), rem hanc totam ratam habuit. Valdemarus, quum in Daniam rediiſſet, potius nil ſibi duxit, quam, ut cum principibus vicinis ipſe pacem ageret, & hanc quoque illi inter ſe haberent. Itaque, curante eo, mox Lubecam convenere, Ludovicus Romulus Brandeburgicus, Gulielmus Luneburgicus, Rudolphus Saxo, Ericus Louvvemburgicus, Caſimirus Stetinenſis, Vratiſlaus Wolgaſtenſis, Valdemarus Sleſvicenſis, Albertus Megapolitanus, Canutus Hallandicus, Adolphus Scouvvenburgicus, & Henricus, ac Nicolaus, Hol-

(a) *In proximam Pomeraniam*) Error Hvitfeldianus, quem ut *pag.* 476. Pontanus, ita & hoc loco noſter adoptavit. Stargardiam enim obſeſſam a Valdemaro, & occupatam legens Hvitfeldius, de una tantum urbe eius nominis, eaque celebriore cogitavit, quae in Pomerania citeriore ſita. Sed neutiquam haec fuit, quam expugnavit Valdemarus, qui neque illa expeditione in Pomeraniam eſt progreſſus. Certiſſime enim intelligenda heic Stargardia ditionis Mecklenburgicae, quam urbem, (a Pomeranica plane diverſam) & ab ea denominatum Principatum nemo ignorat in poteſtatem veniſſe Ducum Mecklemburgicorum, per nuptias Henrici IV. cum Alberti Brandenburgici filia circa annum 1287. unde & hodie in titulis Ducum Mecklenburgicorum conſpicitur.

(b) *Se contrarium iuſiurandum*) Herm. Cornerus *Chron. col.* 1091. „ Cui (Caeſari) reſponderunt Valdemarus Rex, & ceteri, „ qui cum eo venerant Principes. Nos iuridice, & ſufficienter „ probare volumus Archiepiſcopum praedictum, & ſuos compli- „ ces falſum iuraſſe. Ergo, Sereniſſime Princeps, in ſententia in- „ iuſte lata muta decretum. Tunc Carolus Rex annuit Principi- „ bus illis, ut cum trufatore illo agerent, prout iuſtitia exigeret. „ Cuius ſententiam cum fictus ille Marchio percepiſſet, fugam „ iniit, declinans ad terram Alberti Comitis de Anehald in op- „ pidum Deſſowe, & ibidem in miſeria vitam ſuam termina- „ vit. Romulus vero, cui frater ſuus Ludovicus Marchiam ſuam „ reſignaverat, eam obtinuit, & Valdemarus Rex oppida in ea „ capta libertati dedit. „ Eadem ex Cornero excripſit Crantzius *Daniae lib.* 7. *cap.* 36. Vid. & *Chron. Holſat.* aliaque.

(c) *Steurgelda*) Hoc eſt, penſio annua, tributum. Vid. Du-Cangii *Gloſſar.*

(d) *Budiſſini tabulis*) Datae ſunt Budiſſini ann. 1350. *die Veneris poſt feſtum S. Valentini*: iiſque Caeſar profitetur, ſeſe ex conſilio „ Ludovici, & Ludovici Romani fratrum, Marchionum Brandenburgi, & Luſatiae, Ruperti Comitis Palatini ad Rhenum, & „ Ducis Bavariae, Electorum, nec non aliorum Principum Voldemaro, Regi Daniae amico ſuo ſingulariter dilecto, pro opera ſibi, „ & Imperio praeſtito, & porro praeſtanda, 16000. marcas argenti „ puri ad pondus Colonienſe dediſſe, pignoriſque, & ſecuritatis loco ei cedere tributum, ac vectigal annuum, ſibi & Imperio ex urbe Lubecenſi percipiendum, ut ipſe, & heredes „ eius illo fruantur, donec ſumma illa 16000. marcarum argenti „ perſoluta fuerint: atque Marchionem Ludovicum litteris, quas „ ſuper eodem tributo habuerat, plene in praeſentia Regis renunciaſſe „ &c. Ita, in authenticis, lingua Germanica ſcriptis, habetur. Praeter has aliae habentur litterae Ludovici Marchionis „ Brandenburgici, quibus Valdemaro Regi, affini ſuo, & ſuis „ heredibus cedit, & reſignat penſionem annuam ſex millium „ marcarum argenti puri, quam Lubecenſes Caeſari pendere fuerant ſoliti, Caeſar autem Marchioni Ludovico conceſſerat: datae „ & hae poſteriores ſunt Budiſſini eodem anno 1350. *feria tertia ante Dominicam, qua cantatur Reminiſcere*. Vtrumque Diploma, una cum tertio, quo mandatum ad Lubecenſes continetur „ dependenda quotannis Regi Valdemaro, & ipſius heredibus Steura illa, quam Caeſari, & Imperio urbs Lubecenſium debet, inſeruit Corn. Scepperus *Apologiae Regis Chriſtierni II.* contra Lubecenſes, verſus finem, qui tamen, praeter alios minoris momenti lapſus, in vocabulo *Stevvre* haeſitavit, quippe quod in uno diplomatum *Steroce*, in ultimo vero ſeu mandato Caroli IV. ad Lubecenſes, ubi quater occurrit, *Sterore* omnibus locis ſcripſit.

CIↃCCC L. Holſatiae comites. Acceſſere ordinis equeſtris viri, nobileſque perfrequentes; inter quos tunc pax ſtatuta, ac firmata iuramento; Actum etiam de latronibus, ac fautoribus eorumdem coercendis. Aliquandiu concertatum item fuerat inter Albertum Megapolitanum, ac Barnimum, Bugislaum, & Vratislaum, Pomeranos, de Bartenſi oppido, ac territorio; & permiſſa Valdemaro controverſia, placuitque, ut, quod illi videretur, ratum eſſet. Per eamdem occaſionem actum etiam de Henrici Megapolitani nuptiis, cum tenella Valdemari regis filia, vixdum trimula: utque Megapolitanus urbem, agrumque Roſtochienſem, titulo praefecti haberet; doſque eſset puri argenti ſena ſelibrarum millia; dumque ea adoleſceret, apud matrem Megapolitani ſponſi, inter eius gynaeceum aleretur: conſummatis autem nuptiis, quoad viveret, Gnopenhuſam [a], Ribenitzam, & Thiſinum, quaeque eo pertinerent, poſſideret. Inde cum Poloniae rege Caſimiro Valdemarus, de auxiliis ſibi mutuo exhibendis, foedus init; excipitque Caſimirus regem Romanorum Carolum, & Hungariae Ludovicum tum eiuſdem quoque nominis Marchionem Brandeburgicum, Bladum Sidnitzium, Vladislaum Dobritzium, Boleslaum Plocenſem, Sancovium Varſovienſem, Caſimirum Sarienſem, & Bugislaum Stetinenſem; idque poſtea anno decimo & tertio renovatum. Denuo quoque Torneburgi actum fuit de Henrici Mengapolitani nuptiis, filiaeque Ingeburgae; mutuaque ſibi auxilia in quemcumque demum hoſtem promiſere: niſi forte in Caeſarem Carolum, aut Thuringicum ſaltum ultra, arma promovenda forent. Illis hunc in modum geſtis, quum in Daniam Valdemarus rediiſset, filio Valdemaro augetur: qui non multo poſt defunctus, in coenobio Eſcomo [b], tunc inſigni inter prima regni Daniae, nunc deſtructo, ſepelitur. Mortui ambo filii Canuti Porſii, primi, ut dixi, Hallandiae Ducis [c], Haquinus, ac Canutus alter: & in illis ducum titulus, in parente inchoatus, nemini ex hac familia deinceps eum, permittente Valdemaro, eſt extinctus. Hinc Fioniae, Cimbriaeque bellum infert: & recuperare arces, quas Holſati utrobique poſſidebant, omni ſtudio aggreditur; ac principio CIↃCCC LI. Dorningam, Nicolai Limbecii arcem, in quem odium conceperat, qua de cauſa incertum, obſidet; & Holſati, nobileſque, qui in Cimbria boreali, imminuta privilegia, ac ſaevitiam, incuſantes, fidem, & obſequium exuunt. His maritimae civitates, quarum eadem querela, ſeſe addunt. Quo accepto, communiri ubique arces, & inferri commeatum abunde curat. Valdemaro Sleſvicenſi, in quem primum illi ducere, debitum ex foedere auxilium mittit; quod mox tamen, illo in partes Holſatorum tranſeunte, domum redit. Interim in Svecia exortae turbae; quae, exoſa regem Magnum, quod, neglecto matrimonio, turpiter libidini vagae indulgeret, in Ericum, eius filium, regnum transfert. CIↃCCC LII. Itaque Magnus quum in Scaniam adveniſſet, Helſingburgum proceres regionis vocat; ut, in eo rerum ſtatu, quid agendum ſibi eſſet conſultaret: quin & Valdemari regis amicitiam, atque opem clam expoſcit. Verum ille reſpondere; nulli bello, niſi reſtituta Scania, immiſceri ſibi certum. Hinc Roſtochium profectus, atque inde Straleſundiam, circa exeuntem Octobrem, inclinante proximo Novembri redit. Inter iſta, tres Epiſcopi regni Daniae, & e Svecia quoque totidem, Lundiam, ad Archiepiſcopum, de conſtituenda utrinque pace acturi, convenere; etenim urgere in primis Valdemarus, Scaniam, quam nullo iure Vagriae comes Ioannes vendidiſſet, reddi ſibi oportere; inſuper hoc operam dare, ut a foedere Holſatorum ſubditos ſuos revocaret, ac nobilitatem blande in partes traheret; iamque Callemburgum venerat inter alios Bugaeus; qui cum ipſo caeterorum nomine paciſceretur; Sed & fruſtra id tentatum eſt; & Bugaeus, quique illum comitati, ſimulatque in Cimbriam reverſi eſſent, novum cum Holſatis foedus inierunt; ac quae regis in hoc tractu arces eſſent, eas ſtatim invaſere. Controverſia regi erat cum Holſatiae comitibus; Nicolao, & Henrico: iſque quum Ioanni Holſato decidendam permiſiſſet, poſtquam accuſationes, quas inferri, ac Ioanni etiam tradi oportebat, tardius procurarentur ea res difficilem ſucceſſum habuit. Interim quum copias Slaglosiae quasdam coegiſſet, & in eo plane eſſet, ut occaſione prima in Fioniam tranſmitteret, atque ventus impediret, regi Sveciae ad Orebroenſem pontem locum adſignat; ubi habito colloquio, in Sialandiam regreſſus, denuo collectis copiis, in Fioniam tranſmittit, & Othoniam contendit; multis ex equeſtri ordine, & nobilitate tota concurrentibus. Hic cum Megapolitano recipit ſe in Proximum Othoniae pagum; principeſque de exorta controverſia certos facit; ac continuo lectis arbitris, ut dirimeretur citius, arces, ac munitiones horum poteſtati tradit. Per id tempus etiam Sveci Helſingburgum convenere; ac vocati item illuc Megapolitani duces, Sialandiam, regio deducti ſumptu tranſiere; nec multo poſt, quum rex Lyconiam [d] conceſſiſſet, ſevocato ad ſe Sveco, & ſecluſis, qui utrique minus bene cupiebant, res benigne eſt tranſacta. Tum ex aula regis quidam, ad piraticam converſi, Lubecenſes adflixere. Quam ob rem quum quoſdam e ſuis rex in Cimbriam ablegaſſet, hos Limbecius comprehenſos Molſam in cuſtodiam ducit; moxque, ad rem componendam, praeter regem, Epiſcopi Roſchildienſis, Borglanenſis, Arhuſienſis, tum Byggaeus [e], ac Limbecius, aliique item Cimbri, Vortingburgum

(a) *Gnopenhuſam*) corrig. *Gnoyenhuſam*.
(b) *Eſcomo*) Corrig. *Eſromo*.
(c) *Primi Halland. Ducis*) Non certe primus Hallandiae Dux fuit Canutus Porſius. Nam & alii ante eum, ſed Regiae ſtirpis, Duces ibi fuerunt. Primus ſaltem ex hac familia dici poteſt ut mox noſter.
(d) *Lyconiam*) Corrig. *Lycconiam*. Vernacule enim *Lickovve*.
(e) *Byggaeus*) Corrig. *Buggaeus*. Nomen viri integrum, *Nicolaus Bugge*.

CIↃCCCLII. gum convenere. Verum neque hic negotio finem imponere, quem optabant, potuerunt. Hinc ad gaudia verso animo, ludi equestres cum Coagii, tum & Staegae celebrati. Mox sub annum exeuntem, lecto milite, opem Megapolitano contra duces Stetinenses allaturus, in Germaniam traiecit; mandata interim regni cura Episcopo Roschildiensi, Boetio Falco, Stigoto Andreae, Palaemoni Laurentio, & Iacobo Bassio; qui tributum, absente rege, regni incolis indixere. Ipse rex, dum illinc abest resarcit gratiam inter Megapolitanum, Pomeranum, ac Stetinenses; sed in Slavos, ac Verlenses ira accensus, horum terras passim vastat; neque locis, aut hominibus, sacris parcens; & in quosdam bello captos, etiam crudelis nimis, aures illis, atque nares foede truncat. Inde, gesto ex sententia suo bello, circa anni finem redux, Vortingburgi Domini natalem celebrat. Qui sequutus annus fuit, CIↃCCCLIII. ipso statim in principio filiam Margaretam dedit, post parentem trium regnorum reginam laudatissimam, cuius gesta libro proximo referemus. Paulo post, quae inter regem, & Holsatiae comites erat controversia, Erico Saxoni iuniori, ac Gerhardo item Hoiano est permissa, placuitque, *quod pron ntiarent ipsi, ut utrimque ratum foret, simul etiam, si alterius ditiones quis vastaret, ut de eo arbitri, iam memorati, sententiam secundum regni iura ferrent, idque Neoburgi facerent; intra quatuor hebdomadas*. Quin seorsim quoque actum, inter regem, & Ioannem item Holsatum, arbitro Henrico Holsato; *ut redemtam rex a Saxone Pilvverderam in Ioannis manus traderet; idque ante proximum natalem Christi effectum daret; Saxoni autem duo argenti millia selibrarum solveret, aut, si mallet, e Fioniae reditibus Ioanni, filiove Adolpho, eam summam post triennium, si id cuperet, redimendam exhiberet. Interim materna bona, quae in Dania possidebat, praeter ea, quae Gerhardo pater olim vendidisset, regi traderet*. Actum, & de Hummersbytela, Crumezoa, & Tralonia (a), Fimbriaque, placuitque, *quod de his pronuntiatum pridem fuerat, uti ratum etiam porro haberetur*. Rexque, datis ad Vindingae amnem literis, *Henricum, & Nicolaum, Holsatos, & eorum item heredes, quod argenti mille ac quingentas selibras remisissent, ac Fioniae partem mediam concessissent, immunes* pronuntiavit; proximoque bello captos, sine pretio dimisit. Insuper, quae cum comitibus, Cimbriaeque australis duce, controversia regi erat, perbenigne, ut existimabant multi, est composita, quamquam mox resuscitata. At Ioannes, omnia materna bona, quae in Dania possidebat, uti statim memoratum, regi tradidit; praeter Stegam, Staverbiam, Asselbiam, Langbiamque (b), quae Gerhardo pater eius vendidisset, nec deinceps ius in Daniam ullum sibi vendicavit; tum chirographa universa, nisi quae de pagis illis in Fionia, quos iam dixi, abolevit. Per id tempus Scania, Hallandiaque, a Magno rege in Algothum, equestri dignitate virum, etiam cum ducis nomine, est translata. Mox Avenionem abit CIↃCCCLIV. Valdemarus, pietate sua motus; ac Pontificem ibi invisit Innocentium, nominis istius sextum, qui benigne eum excipit, & ex auro rosa consecrata donat; more dudum Pontificibus, in dominica quadragesimae, quae *Laetare* vulgo dicitur, usitato. Errant, qui Vrbanum V. (c) hic commemorant, qui octavo demum anno post hoc tempus adiit Pontificatum. Redux autem Avenione Valdemarus, in Frisios ducit; &, tumultuantibus indicta mulcta, obsides ab iis capit. Post quae proceres Neoburgi adesse iubet, inter quos & regni Episcopi omnes erant, & Dux item Slesvicensis, subditisque universis gratiam praeteritarum rerum facit. Tum edicit per Episcopum Ripensem: *regnum Daniae prisco iure, quod iam inde a Valdemaro eius nominis secundo, aliisque successoribus tenuisset, deinceps etiam usurum, quaeque immunitates essent, eae ut inviolatae permanerent. Insuper ne hostem porro ullum incolae timerent, neu direptionem item, uti criminis cuiuscumque universis, etiam si capitis supplicium quis meruisset, venia foret. Ita tamen, si cui iniuria illata esset, uti hic, qui intulisset, ex iure regni cum eo pacisceretur, ac negotium transigeret*. Haec, & alia, quamquam ita constituta, tamen minime servata. Hinc conventum Helsingburgi, & ex Daniae Episcopis, Sveciaeque, tres utrimque, plane sicut Lundiae triennio ante, adfuere. Actum iterum de Scania, quam Ioannem Holsatiae comitem venum dare potuisse, quum dumtaxat pignoratam eam haberet, rex negabat; ea propter neque recte Scaniae proceres Magnum regem inaugurasse. Tum & de Hallandia utraque actum, quae permissa Ingeburgae, quasi praefectura quaedam, nec Holsatis umquam pignorata fuerat. Inter ista, rex, qui Vortingburgi agere, quum in gratiam quosdam Holsatos recepisset, & a Magno per legatos vocaretur, ipse etiam Helsingburgum se recepit, ac cum eo verba illic, quamquam nullo fructu, fecit. Moxque, quum in Sialandiam rediisset, reversurae e Germania domum filiae obviam mittit viros, & ma-

(a) *Tralonia*) corrig. *Tralovvia*.
(b) *Asselbiam, Langbiamque*) corrig. *Assuebyam, Liungbiamq.*
(c) *Errant, qui Vrbanum V.*) Notat noster Hvitfeldium, ac Pontanum; qui etiam, si Valdemarus anno 1354. Avenionem iverit, hanc censuram effugere non poterant. Verum quum solus sit Hvitfeldius, qui sic errat, Pontanum, fidum suum interpretem, secum trahens, resque extra omnem posita sit controversiam, tot quippe indubitatae fidei monumentis testata Avenionense Valdemari iter non in anno 1354. sed in 1363. & 1364. locum habere, persuasissimum mihi est, Hvitfeldio, cui moris erat, ad collectanea sua ex Chronicis, & Annalibus aliorum nonnumquam uti opera, (nam & talia eius nonnulla ipse vidi) imposuisse excerptum ex Annalibus locum parum correcte scriptum, scilicet ubi annus 1354. pro 1364. fuerit exaratus. Etenim *Incerti Auctoris Chronicon*, quod olim inter praestantiora nostra habitum, exstabat in Biblioth. Academica, nunc vero inter collecta a Dn. de Ludewig *monumenta Danica* in *Reliquiarum* eius *Tom. IX.* conspicitur *num. V.* quodque Hvitfeldio inter alia adparet magno usui fuisse, manifeste sic exhibet: „ *A. D. 1364. Rex Valdemarus tempore Vrbani V. Papae cum solemni adparatu visitavit Curiam Romanam*. Neque aliter *Chronicon* Nicolai Ioannis Archiep. Lundensis *num.* VIII. *pag.* 172. Magnus Matthiae in *Serie Temporum, & Regum Danicorum MS.* Ioannes Svaningius in *Historia Valdemari III.* itidem *MS.* omnes scilicet, imo plures, de anno 1364. testantes; ita ut haud opus fuerit, in *παροράματι* illo Hvitfeldii castigando plus laboris impendere.

CIↃCCC LIV. & matronas nobiles, ut solenni comitatu hanc Visinaria deducerent. Hinc Lubecae, ipso exeunte anno, principum conventu indicto, ipse quoque ire istuc constituerat, ac praemiserat commeatum. Verum, quia Lubecenses comitatus legem dicerent, nec permitterent plus quam centum secum homines adducere, infra maiestatem suam illud ratus a proposito discessit, & dumtaxat quosdam CIↃCCC LV. eo ex senatu ablegavit. Inde in Cimbriam contendit, ius dicturus. Idque ut securius ageret, militem e Sialandia Ripam mittit, ibi exspectare iubens. Quumque postea advenisset, convocato ad iurisdictionem populo, vim multorum, & iniuriam castigat; quaeque iniuste possidebant, veris dominis, aut eorum heredibus reddit. Post haec, quum colloquium cum Magno rege Helsingburgi, mense Iunio desinente, aliud instituisset, mox induciae inter Daniam, Sveciamque constitutae; inde Vrangstrupii conventum fuit, atque mulctae regi debitae duplicatae. Tum, converso ad hilaritatem animo, in Roschildiensi urbe ludi equestres celebrati. Quae dum fiunt, bellum inter Valdemarum Slesvicensem, & Benedictum Alefeldium est exortum, & adiutus milite regio Benedictus, quum obsedit Tranekeram, tum diripuit Langelandiam, quae tunc Valdemari erat. Atque quum is, classe advectus, statim eam recepisset, novum rex auxilium praebet; ac se iungens, eum ditione exuit; sed, sancita pace reddit. Tum turbatum, & in Scania, in qua postquam diem suum obiisset Archiepiscopus Lundiensis, Petrus Luckius, & Iacobus Nicolaius substitutus in illius locum esset, isque a Pontifice Avenione confirmationem petit, dux Algothus, quem a Magno constitutum memoravi, dioecesim populatur. Inter ista, rex legatos e nobilitate prima quosdam mittit ad Germaniae principes, & civitates, item Avenionem in Galliam ad Pontificem, qui excepti, ac dimissi perbenigne. Inde Galliae rex Ioannes splendida legatione petit, *uti confirmandae amicitiae, liberorum inter sese matrimonia commutarent*; ac vicissim Valdemarus postea in rem eamdem suos ad Ioannem legat. Sed utraque haec legatio, capto postea Ioanne, & in Angliam abducto, ac detento sub custodia diuturna, finem suum non est nacta. Hinc comitia Vrangstrupii rursum habita, ubi actum de colonis, subditisque, & officiis eorum, ac re item monetaria Tum in Cimbriam rex traiicit, militemque e Sialandia ad se mitti CIↃCCC LVI. sub Boetio Falko mandat. Mox Chilonii quum comitia habuisset, Episcopo Roschildiensi, ac duodecim item aliis, sacri, & equestris ordinis, dat mandatum: *providerent diligenter, ne quid regnum detrimenti pateretur, maxime vero, ut molarum, quae ad aquas coercendas factae essent, curam haberent*. Inter ista, dum ad Magnum Sveciae regem, Boetius Falkus proficiscitur, a Valdemaro ablegatus, Sveci eum in itinere intercipiunt, & abducunt in custodiam. Quo offensus Valdemarus, dum conscribere militem parat, anni iniqua tempestate prohibetur. Sub haec denuo sese Cimbri commovere, ac tantum non arma capere. Qua de causa, postquam arcibus, & munitionibus aliis commeatum, ac praesidia intulisset, Neoburgum se recepit, obviosque illic habuit e primoribus nonnullos, ceteris Othoniae se continentibus. Ita autem cum his egit, uti sese Callemburgi ad diem constitutum sisterent, atque ibi controversiae universae finem imponendum fore. Aliquanto CIↃCCC LVII. post, Ioannes Holsatiae comes, regi, & heredibus eius, quae chirographa habebat, vel ab ipso, vel a decessoribus data, remittebat; solam Fimbriae praefecturam, quaeque ultimo contractu denique concessa essent, reservabat. Hinc conventum Callemburgi, placuitque, *ut, quae Neoburgi pridem de colonis decrevissent, posthac strictius servarentur*. Mox Roschildiam vocati regni proceres, rexque egit cum Episcopo, *ut, quaecumque in Odensi territorio possideret, ad Callemburgensem agrum haec transferret*. Inde traiicit in Cimbriam, variaque illic subditis onera, ac tributa imponit, sine ulla dignitatis, ordinisve ratione. Quo quum ducem Slesvicensem, & Holsatiae item comites, atque Cimbros, vehementer offendisset, res a bello parum abfuit. Mox, exorto in Holsatia tumultu, & obsessa a comitibus Haderslevia, Tunderaque, quae ducatus Slesvicensis urbes erant, rex, haud expedire ratus, uti inde avellerentur, arma in tutelam sumsit; sed Holsatis quum nobilitas Cimbrica se coniunxisset, frustra fuit: adeoque capto etiam Randershusio, ipse funditur. Cimbri vero, & Holsati in Fioniam traiiciunt, ubi occupata Othonia, ac praesidio eiecto, quum tributum oppidanis maximum imposuissent, etiam Gamburgum obsident, arcem in propinquo sitam. Valdemarus his acceptis, quosdam e nobilitate, culpae obnoxios, aut suspectos comprehendens, partem bonis universis, ac custodia, partem ingenti pecunia mulctat, praefecturas, quas tenebant, aliis mandat. Inde tendit in Fioniam, & obsessis Gamburgensibus fert suppetias. Postquam hostem conspexisset, ut virtutem excitaret, quosdam ex suis dignitate equestri ornat; dein in hostem impetum facit, acieque profligata, multos capit. Cecidere eo praelio e primatibus non pauci, & in his Ioannes ipse Holsatiae comes, ac ducenti ex Holsatis. Nicolaus eius frater, amisso oculo, equo deiectus, & a milite Dano captus, arma ei sua tradit; verum statim ab Holsato, qui adgnosceret, liberatur. Sic obsidio est soluta, & arx postea solo aequata. Quibus actis, Holsatorum ditiones populatur; &, ingenti praeda auctus, in Sialandiam regreditur. Inde, ubi exploratum, Benedicti Alefeldii, qui Hinsgavelae praesidebat, coniugem sepeliendam, & nobilitatem Holsaticam ad exsequias perfrequentem adfuturam; capto tempore, eam improviso opprimit, ac permultos e primariis, qui Fioniam per id tempus incolebant, secum abducit. Inde arcium praefectos, nimia exactione subditis graves, loco movet, & pecunia item mulctat, aliisque substitutis, Callenburgum sese confert, atque ibi annum finit.

CIƆCCC LVIII. finit. Post quae, quum a Sueco bellum, aut a Megapolitano imminere putaretur, circa finem Ianuarii milites Roschildiam adesse iubet, arcibusque, & munitionibus aliis commeatum suum inferri, paulo post Slaglosçae (a) delectum habet. Hinc profectus Neoburgum cum exercitu, eum supplet; &, impositum in naves, traiicit in Langelandiam. Vbi statim Tranekeram, & cum ea insulam universam capit. Ac conscensa rursum classe, quum Hinsgavelam adpulisset, nec hanc obsidere posset, navibus deficientibus, quae per nebulam aberraverant insulas, quae adiacebant populatus, in Sialandiam regreditur. Inde, quum auxisset copias, classe Alsiam invadit, & in parte boreali Neoburgum intra triduum expugnat. Post haec Sunderburgum adgressus, quod tuetur insulae australe latus, quum oppugnaturus esset, prodiens Rigitza (b) ex arce, ducis Slesvicensis uxor, gynaeceo comitata, & prudentia, & facundia singulari, regis animum mitigavit. Ac vocatus ab eadem ad convivium non accessit, antequam in potestatem totam insulam redegisset, quam, peracto mox convivio, tamen reddidit, ea lege: *ne deinceps regni hostes, quique extorres acti essent, umquam hic admitterentur, neve Slesvicensis etiam si accederet, comites plus viginti adduceret, neque supra triduum commoraretur*. Inde regem Slesvicensis cum quibusdam e nobilitate Danica ipse adiit; cum ut eum officii causa salutaret, tum ut per occasionem aliquid de rebus suis item ageret. Ac negotium successisset, nisi id consilia quorumdam adversa perturbassent. Inde, Sliam praetervectus, Angelboae (c) naves, ac pecuniam imperat; ac mox in Fimbriam contendit. Vbi quum armati insulani occurrerent, & exscensu prohiberent, insula per vim potitus, plurimisque profligatis, qui supererant, sese dedidere cuncti, & selibrarum Lubecensium quatuor millia persolverunt. Praefectus arcis Glambecensis, ubi regem cum ingenti adeo classe adventantem intelligeret, cum uxore, facultatibusque suis, quas efferre raptim posset, insula excedit. Hinc Flensburgum, ac Borneburgum rex deflectens, passim naves commeatum, & pecuniam tribui iubet; ac negantes imperata poena adficit. Dein reversus in Sialandiam, quum tranquilla illic omnia inveniret, nuntiatur, magnas Megapolitanum sibi copias parare, & Sialandiae imminere. Neque falsus rumor erat; verum is, ut accepisset classem regi instructam esse, quam obiiceret incursanti, per Barnimum Stetinensem pacem sibi, & Holsatis Stralesundiae, ubi convenire iussi impetravit; &, obsequio promisso, qui utrimque capti erant, restituti. Insuper statutum fuit, uti Cimbri ad componendas controversias Neoburgi sese sisterent, quod quantumvis placuisset, tamen rex in Sialandiam se recipit, filiumque, & senatores regni quosdam ad negotium pertractandum, suam vicem ire iubet, nihil tamen, nisi suo arbitratu, geri cupiens. Quam ob causam postquam Cimbri, commeatu impetrato, quum Othoniensi Episcopo, & Ripensi, Slagelosiam excurrissent, ac conditiones ibi duriores rex proponeret, animis magis irritatis discessere. Rex Roschildiam contendit, Hasniam mox perrecturus, ut cum Sveciae rege Magno, & uxore eius Blanca diem hic natalem Christi celebraret: verum postquam accepisset, neutrum illuc adventurum, id propositum omisit. Ac Nicolaus Bygaeus (d), Vffo Stigotus, Petrus Andreas a comitiis redeuntes, inter viam circa urbem Middelfartum trucidati. Quod arcano regis iussu, odiove inimicorum factum fuerit, ignoratum. Certe regem plurimi subspectum caedis habuerunt. Anno proximo, Pomeraniae ducibus concedit Rugiam; quam deinceps, veluti clientes regni possiderent; ac vicissim illi obsequium, & auxilium contra hostes qualescumque, Valdemaro promisere. Vnde coniectura datur, Rugiam non totam pridem a Christophoro alienatam, sed dumtaxat eam partem, quae adfinis Pomeraniae (e). Magnus rex, quod anno iam superiore constituerat, cum uxore, & Haquino filio Norvagiae rege, Hasniam ad regem venit, publiceque ibi Haquino Margareta, tertia Valdemari filia, tunc septenis despondetur. Datque Magno Valdemarus duos ad Hisingam pagos, etiamnum ex donatione hac ad regnum Sveciae pertinentes. Inter ista, quum simultas inter Magnum, & Ericum alterum filium invalesceret, Magnus opem sibi ferri a rege Valdemaro petit, & promittit, si iuvaret, se pro opera navata Helsingburgum, Scaniamque universam redditurum. Qua de causa quum in Scaniam Valdemarus traiecisset, ac mu-

CIƆCCC LIX.

(a) *Slagloscae*] corrig. *Slaglosiae*.

(b) *Rigitza*] Erat Valdemari, Ducis Slesvicensis uxor, Erici Ducis Saxoniae de Lowenburg, qui Valdemari Regis in itinere Hierosolymitano comes fuerat soror.

(c) *Angelboae*] Nihili vocabulum *Angelboa*. Regio, quae hic indicatur, est *Anglia*, haud procul Slesvico, vetus Anglorum, qui Britanniam olim occuparunt, patria. Eius incolae Danica lingua nuncupantur modo *Angler*, modo *Angelboer*, a verbo *boe*, quod *habitare*, *degere*, *incolere* sonat. Sic Fioni, vel Fionenses, *Fynboer*; Vendili, seu Vendilenses, *Vendelboer*, & plura eiusdem formae alia. Iam cum Hvitfeldius in Historia sua, patrio idiomate scripta, posuerat, Angliae incolis pecuniam, & naves imperatas, usurpans ibi vocem *Angelboer*, pro Anglis; Pontanus vero Hvitfeldium latine interpretatur, *Angelboenses*, & quidem perperam reddiderat, credidit Meursius, locorum aeque, ac linguae imperitus, nomen esse regionis *Angelboam*.

(d) *Nicolaus Bygaeus*) corrig. *Buggaeus*.

(e) *Quae adfinis Pomeraniae*] h. e. Rugia cismarina. Hanc enim solam Christophorus II. Danorum Rex cessisse Vartislao Pomeraniae Duci existimandus est; quod recte viderunt Hvitfeldius ad annum 1326. *pag.* 332. (editionis prioris in 4. qua semper in his adnotatt. utimur,) & Andreas Hoierus in *Epitome rerum Danicar. Germanica*, *pag.* 55. Contra utrumque insurgit V. Cl. Alb. Georg. Schwartzius in *Histor. Finium Rugiae*, *pag.* 159. postulatque non nudam narrationem, sed idoneam ex monumentis probationem, invictum scilicet ratus argumentum a cismarina Rugiae parte ad trans marinam dari, atque si illam, etiam hanc fuisse Pomeraniae Duci ab eodem Rege concessam. Nos vero etiam parati sumus, idonea illa monumenta proferre, ipsique & cuivis, cui inspicere lubet, ostendere, videlicet litteras authenticas Ducum Pomeraniae, Bugislavi, Barnimi, & Vartislavi, in membrana scriptas, cum ipsorum & quinque aliis sigillis integris adpendentibus, in arce *Alebolmia* (Laalandiae) *die Martis post Quasi modo geniti anno* 1359. *datas*, quibus „ se terram „ Rugiae Valdemari Regis beneficio tenere, atque ad servitia „ inde praestanda obligatos esse, solennibus verbis profitentur. Easque ipsas ex Saxonico in Danicum sermonem translatas exhibet Hvitfeldius, *pag.* 538. ad annum 1359. Pontanus vero *pag.* 486. *seq.* post argumentum earum paucis verbis relatum, nonnullorum ex testibus in diplomate laudatis nomina adducit. Quod miror Clariss. virum in Hvitfeldio, diligenter alias ipsi lecto, non animadvertisse.

CIↃCCC LIX.

ac munitiones plurimas, & in illis Sollitsburgum expugnasset, ac defectu commeatus in Sialandiam regressurus, Petrum Daum, Magni clientem, in custodiam abduxisset, atque Magnus vereretur, ne id pluribus eveniret, pactum deserit, & cum filio, post discessum Valdemari Scaniam depopulante, pacem facit. Siquidem vero Bigaei, de quo dixi, interfecti rex suspectus haberetur, eius filio Canuto se sanctissime excusavit; adseverans, nec auctorem caedis esse, neque conscium, quin & hostium se loco percussores, & Canutum filii instar habiturum. Ac testatus id Christophorus eius filius, amicitiam cum illo in fraternum modum sancit, ipso rursum pollicente, apud suos effecturum, ut ad pacem animum omnes inclinarent. At Vffonis Stigoti pater, caedem filii, uti aequum, animo iniquo ferens, tum offensa quoque alia inimicus, alienos satis Cimbros magis etiam avertit. Quare & bona eius cuncta, quae in Sialandia sita, regno addita, quae in Cimbria ea Petrus Nicolaus universa occupavit. Per id tempus Albertus Megapolitanus, classe instructa, Fimbriam occupat, & in ea arcem quoque Glambecensem; ac, direptis pagis plurimis, naves regias, cum non paucis insulanis, inde abducit. Iamque bellum etiam cum Cimbris erat; ac quantumvis illi in pacem propenderent, quidam tamen animum regis divertebant; tum & ipsi ad exemplum vicinorum, quos indigna tolerare existimabant incitati, quidvis malle, quam eodem modo haberi. Itaque paratam manum quum in Cimbriam transmisisset, & haec Randershusium adgressa esset obsidere, erumpentes, qui praesidium agitabant, antequam maiores copiae adventarent, obsessores profligarunt. Qui mox, ipso etiam rege accedente, Clausholmum capiunt; Cattenbergam, & Essendorpium solo aequant. Quae dum fiunt, deficit Ripensis praeses Erlandus Calvius, & Mogeltunderae, Gramaeque praefectura, in defectionis praemium, ab Holsatis honoratur. Ac, repetente Sialandiam Valdemaro, denuo se Cimbri movent; & amissas pridem arces redigunt in potestatem. Rex, dum navigat, orta ingenti tempestate, vix naufragium evasit. Navis una plane periit, quique in ea, aquis mersi, quidam elapsi, a praesidio Biornholmensi capti, atque spoliati. Postea Landiae ducem filium Christophorum creat.

CIↃCCC LX.

Isque initio principatus, ut ostenderet pietatem, & obstringeret ordinem ecclesiasticum, maximas immunitates illi donat. Hinc cum magna militum manu Scaniam petit, obsidetque Helsingburgum, & expugnat, frustra succurrente Magno; qui, quum Valdemaro se videret imparem, & permittit urbem, acremque, quam haud posset liberare, & quae pridem pacta, firmat: tum & denuo matrimonium, nuper inter Margaretam, & Haquinum agitatum, ratum habet: ac vicissim rex auxilium, quotiescumque usus foret, & fraternam amicitiam pollicetur. Inde in munitiones eius ditionis reliquas, & nobilitatis praedia vim convertit: neque prius conquiescit, quam in potestatem suam universa redegisset. Inde induciae inter ipsum, ac Christophorum item filium, & Vandalicas civitates, principesque Megapolitanos factae; quin & dictus Neoburgi certus dies, & adesse illic iussi, qui cum rege hactenus non transegissent. Erlandus Calvius, quem superiore anno defecisse memoravi, ad obsequium regis redit, & cum Ripa, quam acceperat, etiam Mogeltunderam, & Gramam reddit; unde iocus quoque regis; quando Calff[a] vitulus vernacula lingua diceretur. *Eum vitulum pridem a se discessisse: tum, quodammodo vaccam factum, cum duobus aliis vitulis rediisse*. Hinc conventum Callemburgi; aderantque dux Christophorus Lalandicus, regis filius Valdemarus Slesvicensis, ac nobilitatis Cimbricae delegati; placuitque, *uti iura, ac statuta regni Daniae, usque a Valdemaro II. usitata, porro quoque rata essent; utque idem Valdemarus Slesvicensis, filiusque, & haeredes, subditique, cum immunitatibus, tum iure prisco deinceps etiam uterentur, fruerentur. Eadem Episcoporum, ordinisque ecclesiastici universi ratio esset. Qui Episcoporum absens frui his statutis vellet, is subscriptione eorum voluntatem apud regem testaretur; idem faciendum esset iis populis, quorum ditiones regno postea subiicerentur. Ordo equestris, nobilesque, tum indigenae, incolaeve quivis alii, iura sua illibata retinerent; ac comitia, quae quotannis Neoburgi celebrari consuevissent, ea proximo triennio Callemburgi haberentur; & hinc rursum Neoburgum, more dudum usitato, ac consueto anni tempore, peragenda, transferrentur*. Haec, & alia tunc statuta; *quae infringere qui auderet, in hunc, tamquam violatae legis reum, iure regni ageretur*. Inde Lundiam, ac Malmogiam, rex immunes toto regno a quocumque vectigali, dato oppido utrique in rem istam privilegio, esse iubet; tum, assentiente Magno, rege Sveciae, quicquid reliquum in Scania, ac Blekingia, redigit in potestatem: recipitque a Magno literas, quibus Ioannes Holsatus pignoratas sibi eas ditiones vendidisset; etiam illas, quibus suum ei obsequium proceres pridem obstrinxissent: detestantibus factum Svecis, ac convitio Smegum ipsum adpellantibus, quod blanditiis Valdemari turpiter se deliniri passus esset. Certe rarum in principibus id exemplum est; &, iniuste quamquam parta,

(a) *Quando Calf. vitulus*) Ita est, *Kalf* (per K. non C. scribendum) Vitulus est in nostra lingua, Germ. *Kalb*. insulsissimus auctor *Chronici Holsatiae* in Leibnitii *Accessionibus historicis pag.* 54. hoc ipsum nomen, quod *Calef* scribit, inter alia aeque absurda, & ridicula argumenta adhibet ad probandum, Iutos nostros atque Danos originem a Iudaeis trahere. *Nam*, inquit, *dictus Calef miles togam vertit, & Regi Valdemaro praedicta tria castra restituit. Tunc Rex derisorie dixit: Tergaghe, bonus vitulus est, cum duobus castris abibat, ut bos cum tribus rediit. Hoc nomen huius Militis Calef est nomen Iudaicum. Nam Iudaei hoc nomine vocantur*. Piguisset nos stultissimi Monachi deliria proferre, nisi hoc fuisset, ut corrupto loco in verbis Valdemari mederemus, (Non enim plane omnem abiicere curam licebit eiusmodi scriptorum, propter exiguum illud auri, quod nonnunquam ex stercoribus eorum exsculpitur.) Valdemari autem verba ita oportet legere: *Atterdaghe, bonus vitulus est*. Nam illud *Atterdagh* Waldemaro in ore fuisse formulae iurandi, vel asseverandi loco, ita ut inde etiam cognomen reportarit, ex historiis nostris notissimum. In prima quoque editione Hvitfeldii *pag.* 546. locus iste haud recte interpunctus, sic legendus: *Da sagde Kong Voldemar: Atterdag. Kalf er engod Ko* &c. loquor de priore editione; nam in posteriore (quae *in folio*, ut vocant, excusa) *pag.* 521. vocabulum *Atterdag* omissum.

CIↃCCC LX. parta, vindicare summa fere cum iniquitate malunt, quam honeste restituere: potiusque incrementum potestatis quodvis ducunt, quam egregiam ad posteritatem famam; verum, quia Valdemari amicitia opus erat, ad Ericum, filium (a) suum, coercendum, qui infesta contra ipsum arma sumpserat: quumque bonam Sveciae partem, facta, uti dixi, pace, occupasset, & maiora tentaturus etiam metueretur, ut reliquias regni sui tueretur, ex necessitate fecit, quod ex voluntate sua minime facturus erat. CIↃCCC LXI. Sed dissidia inter Daniam, Sveciamque nova paulo post exorta: quia, quae non ita pridem pacti essent, nullo modo praestarentur. Inter caetera, matrimonium Margaretae, & Haquini, censebatur; destinatum, sed dilatum. Hinc Cothlandos Valdemarus divexavit; idque Magno incitante, qui, quum in contemptu apud ipsos esset, neque se ulcisci posset, arma eius imploranda existimavit. Itaque, Olandia prius devastata, & quingentis incolarum, qui initio occurrebant, profligatis, classe advectus, ubi exposuisset copias, tribus praeliis superior, insulanos mille octingentos caedit; ac Visbuam postquam urbem, insulae caput, & emporium eo tempore per Europam valde clarum, castra sua admovisset; eaque aperiret portas, & recipere promptè vellet; partem moenium, per quam totum mox exercitum, veluti ad pugnam instructum, introduceret, dirui iubet; & ingressus in hunc modum, statim diripit, & cum praeda ingenti redit; cuius tamen magnam partem, fracta inter viam navi, mare hausit. Valdemarus, siquidem Visbuae opes etiam Hansaticarum urbium diripuisset, eas adeo commovit, ut Danorum mercatorum naves passim, atque bona detinerent, ac mox bellum itidem denuntiarent. Icto foedere, in societatem trahitur rex Norvagiae Haquinus, Henricus Megapolitanus, nominisque eius alter, Holsatiae comes; qui a robore animi pariter corporisque vulgo *Ferreus* cognomento dicebatur; isque classi comparatae dux praeficitur. Lubecenses suam sibi separaverant; ac praefectum imposuerant, urbis CIↃCCC LXII. consulem, Ioannem Wittenburgium. Vbi instructa essent omnia, mare ingressi, Hafniam adpellunt; primò arcem capiunt, urbem etiam diripiunt; inde Helsingburgum petunt, idque graviter oppugnant. Quae quum Valdemarus accipit, illico coactis copiis, dat Christophoro filio classem ipse terra rem gesturus. Hostes autem, ut viderunt adventantem, solvere obsidionem, & in fugam se convertere. Haec in Scania dum geruntur, mari etiam Christophorus classem Lubecensium aggressus fortiter, sex illius naves capit, aliisque ignem iniicit; caeteras ad Travemundam fugientes insectatur. CIↃCCC LXII. Cuius cladis quum auctorem Lubecenses Wittemburgicum censerent, in ius vocatum capite plectunt. Henricus Ferreus, sic deserto Helsinburgo, copias ad Vortingburgum obsidendum adducebat; sed, praesidium, qui in arce agitabat, auctis derepente viribus, quum in hostem erupisset, eum pellit, & captivos multos ducit. Itaque mox convenere, uti, restitutis iis, solverent obsidionem; verum, auctis statim copiis, quum urgere eam porro iuberentur, & indigne admodum ferret arcis praeses, fidem datam non servari, astu vindicare statuit; simulat necessitatem, ac coactum arcem dedere; postulatque, uti quosdam e primoribus, claves arcis, & archiva, accepturos, ad se mittant. Itaque quum accessissent, quas promiserat, claves tradit; inde, velut fidei liber, manuum iniicit, & abducit in custodiam, ac discedere ab obsidione cogit. Post haec dotem Ingeburgae, filiae suae, quae Henrico Megapolitano erat desponsata, mille nempe argenti selibras (b), Valdemarus repraesentat; insulamque Boringolmiam Lundiensi dioecesi, ad quam illa pertinebat, sed a se cum Scania, Svecis traderetur, occupatam, nunc restituit: ea tamen dicta lege, ne antistes quicquam in regni detrimentum moliretur: &, ut arcem, insulamque postulanti restitueret. In quam rem Episcopus se, & collegium universum obstrinxere. Constitutae & induciae inter regem, atque urbes mari Balthico adiacentes: quibus sese Hamburgenses adiunxere; placuitque, ut per illas libera commercia utrinque essent, ac captivi redderentur; addita & quaedam alia, quae seorsim urbes singulas spectabant. Per id tempus, quum Henrici Holsati soror, Elisabetha, regi Haquino nuptura, Sveciam peteret, & adverso in Daniam vento ageretur, perbenigne a Valdemaro est excepta; ac detenta (c), donec filiae Margaretae, quae Haquino ante despensata erat, matrimonium consummaret. CIↃCCC LXIII. Celebratae autem Hafniae eae nuptiae, illico post festum Paschatis, magna pompa, ac laetitia; quam Haquino matris Blancae, Valdemaro filii Christophori funus perturbavit: nuptiaeque in exequias commutatae; ac Ringstadii quidem ista, hic Roschildiae sepelitur: obiit autem Blanca ex peste; at Christophorus longo morbo tenuatus (d). Hinc in Scaniam profectus, dum piscatum mercatores ibi exercent, magnam vim pecuniae imperat: ita ut piscatum

(a) *Ad Ericum, filium*) Is vero iam tum supremum diem obierat, quemadmodum & ipse Meursius superius adnotavit.

(b) *Mille argenti selibras*) Sex millia selibrarum nomine illi dotis promissa erant; sed pecunia illa non simul atque semel, sed partim tributorum compensatione, partim aliis modis repraesentata. Sic Hvitf. *pag.* 559.

(c) *Excepta ac detenta*) Quomodo Elisabetha haec Regi Haquino desponsata, atque in itinere a Valdemaro detenta fuerit, donec Haquini nuptiae cum Margareta Valdemari filia perfectae cessent, fuse enarrantem babemus, praeter Svecos, Hermannum Cornerum *col.* 1104. *seq.* Cranzium, Torfaeum &c.

(d) *Longo morbo tenuatus*) Phrenesi diu conflictatum fuisse scribit Hvitfeldius Herm. Cornerus *col.* 1103. & ex eo, ut videtur, Alb. Crantzius referunt anno praecedenti Christophorum lapide ex tormento emisso lethaliter fuisse ictum in navali illa pugna cum Lubecensibus. Hinc Crantzium erroris accusat Pontanus *pag.* 491. siquidem nostri scriptores memorent, anno demum 1363. fato esse functum. Attamen nihil fortasse falsi dixerint Cornerus, Crantziusque, cum fatum, ut videtur, plaga, ante annum in capite accepta arcessiverit, indeque phrenesis illa nata sit, qua Principem iuvenem diu decubuisse nostri referunt. Errat certissime, quicumque mortem obiisse dixerit ante annum 1363. de quo testimonium omni exceptione maius suppeditat *Liber Daticus Ecclesiae Roschildensis MS.* hoc scilicet: „ Anno Domini *M.CCC.LXX. tertio*, ad *d. III. Id. Iunii* „ obiit Dominus Christophorus, Lalandiae, & Hallandiae Dux, „ filius Illustris Regis Valdemari IV. Cuius anniversarium Ca„ pellanus Altaris Sanctae Trinitatis, quod est iuxta summum Al„ tare in Choro, de una marca argenti, inter Canonicos, qui „ vigiliis, & missae interfuerint, distribuenda, una cum bona „ refectione, faciat annuatim, Pauperibus vero C. panes, unam „ p. ..., nam lardi, & lagenam cerevisiae largiatur. „

CIↃCCC LXIV.

tum multi omittentes, domum mox reverterentur. Hinc tributum toti passim regno indicit, nec immunem quemquam habet. Paulo post, defuncto tunc Ioanne Holsato, Adolpho filio Fimbriam tradit, iis legibus, quibus pater tenuisset: additumque, *ut in ea controversia, quae exorta Magno Sveciae, & Norvagiae regi Haquino, cum Holsatis, ob Haquini nuptias cum Margareta, filia sua nihil ageret, nisi quod cliente dignum: ac nec sibi eo nomine, neque illis quid negotii facesseret: insuper, si inimicitiae inter Saxonem Ericum, ac Barnimum Stetinensem, Albertum Megapolitanum, & Episcopum Canutum nascerentur, has componeret Valdemarus: ac vicissim, si quid inter se, ipsumque orirentur, illi arbitri ad dissidium dirimendum caperentur*. Inde denuo Stralesundiae cum Vandalicis civitatibus factae induciae, quae non diu tenuere: nam Vandalicae, cum Hansaticis per Germaniam universam foederatae, quum & illae ex direpta proxime Visbua urbe damnum ingens accepissent, indicto in Vbiis conventu, iura vetera, & immunitates quasque armis vindicare statuunt. Et initio Valdemarus insuper conatum habere, ac superbe irridere: sed experiundo didicit, nullum hostem, quamvis maxime abiectum, tuto, aut prudenter sperni: etenim, postquam primo Campis, ubi Rhenus alveo septentrionali se per Flevum in Oceanum exonerat, classem magnam emisissent, ac Vandalici subsequuti, *contra pacta facere* moniti, *se divelli ab Hansaticis minime posse*, respondissent, ut se bello ingruenti expediret, necesse habuit, per Barnimum Stetinensem cum Vandalicis, primis eius belli auctoribus, in triennium proximum inducias facere. Quae dum essent, *nec commercia quis turbaret, neque piscium capturam, more solito exercendam: tum praefectos, iudicesve suo quisque in districtu, apud Scanos constitueret, ius dicturos, nisi in caussis capitalibus: capti, utrinque luerentur; ac si interim civitates, aut dynastae earundem, regi hostilia intentarent, tum iisdem civitatibus, quae principibus suis lege sacramenti tenerentur, exequi ius fasque esset, salvis inter haec induciis; quis finitis, neutra pars ulterius obstricta alteri teneretur: iusque suum integrum cuique foret*. Ac contractu hoc comprehensi, Carolus IV. Imperator, Magnus Sueciae, & Norvagiae rex Haquinus; tum Barnimus Stetinensis, cum haeredibus, Bugislao, Barnimo, & Vratislao: etiam Caminensi Episcpo; quin utroque item Alberto, illo Saxone, isto Megapolitano; cuius quoque filii includebantur; insuper duces Slesvicenses, & Holsatiae quoque comites in eodem erant numero: cum Adolpho Scanvvenburgico, & Episcopo Giselberto, ac Bronckhorstio dynasta. Idem placuit Valdemaro; qui seorsim adiunxit etiam a se, Hartvvigum Cleinovium, & Diblevum Galendorpium (a). Inter ista, ab Imperatore evocatus (b), Pragam abit; uti nuptiis illic suis; quas

(a) *Diblevum Galendorpium*) Geminus error in huius viri nomine, & cognomine sic corrigatur: *Ditlevum Gadendorpium*.

(b) *Ab Imperatore evocatus*) A Caesare invitatum, aut evocatum fuisse, nusquam legitur; atque haec caussa itineris Valdemari a Meursio est conficta, ex mera scilicet coniectura. Caesaris vero nuptiis, Valdemarum non Pragae (qui alter nostri error, cum Hvitfeldio tamen aliisque communis,) sed Cracoviae habitis, adfuisse, certissimum: quemadmodum haud minus verum, Papam Avenione invisisse. Sed quando, & quo anno vel nuptiis Caroli IV. interfuerit, vel Avenione Pontificem veneratus sit, res haud sane facilis expeditu est; quin potius adeo intricata, ac molesta, ut paucas mihi quaestiones in tota nostra historia nominaveris, quae maioribus difficultatibus involuta sit, quam hanc ipsam, de gemino Valdemari itinere, Polonico, atque Gallico. Quod prius attinet, nihil sane aequius, aut probabilius, quam ut Polonici, Pomeranici, & Bohemici historici de' eo attestantes praeferantur nostratibus. Nam quod Hvitfeldius ad annum 1364. refert, & quod Pragae celebratas nuptias illas dicit, fecisse videtur haud alio inductus argumento, quam quod ex litteris Caesaris, Pragae anno 1364. *die Veneris ante Pascha* datis, ipse verisimillima, ut sibi visus est, coniectura elicuit. Iam vero nuptiale illud festum, quo Casimirus Rex Poloniae neptem suam Elisabetham Pomeranicam Caesari Carolo IV. copulatam vidit Cracoviae, communiter, & miro consensu adscribitur anno 1363. a Dlugosso, Cromero, Herburso, Bzovio. Damalevicio, Polonis, Thoma Iordano ad Dubravium Balbino, & quos ille citat, Bohemicis, Valentino ab Eiksted, Daniele Cramero &c. Pomeranicis. Vnde, & idem annus in cunctas, quas inspexi, *Genealogicas Tabulas* stirpis Caroli IV. apud Henningesium, Sigism. a Bircken, Io. Hubnerum &c. derivatus. Adeoque Neugebaverus qui *Histor. Polon. lib.* 3. *pag.* 207. & Hagecius, qui *Hist. Boh. P.* 2. *pag.* 27. *a*. annum 1362. Stanisl. Sarnicius *Annal. lib.* 7. *cap. I.* annum 1364. Micraelius *Hist. Pomer. vet. pag.* 387. annum 1361. nominarunt, nulla digni attentione iudicati. Qui vero in V. Cl. Gotfridi Legnichii *Epitomen Historiae Polonae*, librum per quam elegantem, irrepsit numerus 1369. (*pag.* 22.) sine dubio ex errore est typothetae. Ceterum, ut dixi, tam certa, atque rata habetur opinio de nuptiis Caroli IV. ann. 1363. habitis, ut vix alia hodie fidem invenire queat. & quidem *Carnisprivii* tempore celebratas Poloni omnes asserunt. Interfuisse autem eisdem Valdemarum nostrum Regem (quem Poloni *Sigismundum* vocant,) Petrum Cypri, & Ludovicum Hungariae Reges, praeter alios principes, adeo verum est, ut omnem dubitationem eludat. Atque horum singuli quibus viis, & itineribus Cracoviam advenerint, verbosa, & mirifice diligeuti enarratione prosequitur Duglossus, scil. „ Regem Cypri, mari Leonino, usque in Walachiam „ vectum, tamdem per continentem, terras videlicet Walachiae, „ & Russiae ivisse; Sigismundum vero Daniae Regem, in Stolpensem Ducatum mari Oceano devectum, cum Poguslao Duce Stolpensi, affine suo, & virgine Elisabetha nova nupta, „ Cracoviam, in sumptibus, & expensis Casimiri Poloniae Regis pervenisse „ &c. Paria Cromerus habet *lib.* 12. *pag.* 323. *seq.* ad eumdem an. 1363. ut ceteros taceam. Nunc relictis Cracoviensibus illis nuptiis, Avenionem nos transferemus. Atque hic non solum ipso eodem anno 1363. sed & ipsis illis mensibus, eodemque Carnisprivii tempore, tum Valdemarum nostrum, tum & Petrum Cypri Regem nuper electo Papae Vrbano V. obsequia sua deferentes offendimus. Testis nobis utraque Pontificis illius vita apud Baluzium, *prima* scil. & *secunda*. *Prima* haec habet *col.* 366. *s.* „ Post dictam etiam „ promotionem Vrbani Papae ad ipsum satis cito venerunt Ioannes Francorum, Petrus Cypri, & Daciae Reges, caussa ipsum visitandi, sibique reverentiam exhibendi; qui Demum, „ cum suis voluntate, & deliberatione, & consilio ad faciendum „ generale passagium ultramarinum, & specialiter contra Turcos, se mutuo astrinxerunt, fueruntque cum multis aliis magnis, & notabilibus viris cruce signati per dictum Papam „ &c. *Secunda* in temporum etiam dierumque notatione magis diligens: *Die*, inquit, 26. *Februarii* (scil. *anni* 1363.) *Rex Daciae intravit curiam; qua de caussa ignoratur*. Et paulo post: *Die Mercurii mensis Martii* 29. *Petrus Rex Cypri intravit curiam, & in die Veneris sancta cruce signatus est per Dominum Papam, una cum filio Regis, & multis nobilibus contra Turcos. Anno Domini* 1363. *& die* 14. [puto *Aprilis* hic indicari] *Papa praedicavit crucem contra Turcos, ordinans passagium generale; cuius Capitaneum constituit Iohannem Regem Franciae tunc praesentem, qui ibidem iuravit passagium facere a Martio praeterito ad duos annos*. Mox deinde: *Maii die nona recessit Rex Franciae de Avinione versus Parisios ..... Maii die ultima recessit Rex Cypri de Avinione, iturus ad Principes mundi eosque ad passagium inducturus*. His plane consentientia exhibet Bzovius in anno 1363. §. 7. quippe ex eisdem fontibus hausta, dum ita scribit „ Huic (Imperatori Constantinopol.) ut Pontifex opem ferret, sub signum crucis Christianos vocabat. Petrus quoque Rex Cyprius ad XXIX. Martii Pontificem convenerat, auxilia contra Saracenos postulatum, „ spem maximam cum illi Vrbanus fecisset, Rege Ioanne Gallo, & Petro Cyprio, & *Valdemaro Dano, qui ad* 26. *Ianuarii Avenionem venerat*, ipso die Parasceves cruce signatis, & „ exercitui cruce signatorum Ioanne Rege, ac Talairando Legato „ praefectis „ &c. Et haec Bzovius ibi §. 7. scribere non dubitavit, is qui paulo ante §. 1. pag. praeced. de nuptiis Cracovien-

CIↃCCC LXIV.

viensibus narraverat, *ad Liberalia, quod Carnisprivium vulgo vocant*, (sic verba eius) *habitis, & quo convenerant, invitati, Ludovicus Vngarorum, Valdemarus Danorum, & Petrus Cypriorum Reges* &c. quasi oblitus in Carnis-privio eius anni, sive a 12. sive a 19. *Februarii die* computes (nam Pascha in 2. Aprilis incidit,) non potuisse Valdemarum adesse Cracoviae, si Avenionem d. 26. Ianuarii advenerit, die autem parasceves ibi cum ceteris cruce sit signatus. Quod ad Cyprium Regem attinet; intravit quidem ille curiam haud ante *d.* 29. *Martii*; ita ut haud sane inter ἀδύνατα habendum fuerit, a nuptiis Cracoviensibus recto eum itinere Avenionem pervenisse, modo alia non obstarent. Verum sunt omnino, quae obstant, gravissimorum historicorum testimonia. Debemus ea diligentiae doctissimi viri Baluzii, qui (in *notis ad vitas Papar. col.* 983.) ex Donato Bossio observat *Petrum Regem Cypri XII. Kalend. Februar. Mediolanum ingressum ibique a Bernabone, & Galeacio honorifice exceptum mansisse dies duodecim, inde postea digressum Papiam primum, dehinc Genuam*. Ex Froissarto autem, in Gallia Ioannem Regem invisisse, priusquam Avenionem se conferret. Ergo neque huic spatium ad Cracoviense iter relinquitur, haud magis, quam Valdemaro nostro. Hactenus duo inter se pugnantia lustravimus, atque talia, ut omnem conciliationem respuant; quorum tamen ad alterutrum admittendum, reiecto altero, haud animus mihi est, quenquam autoritate mea permovere; quandoquidem tertium adhuc restat, quod utrumque destruet. Nimirum probaturus modo sum, minime consistere cum historia nostra posse, ut primis quatuor mensibus anni 1363. Valdemarus, vel Avenione, vel Cracoviae fuerit, vel e Daniae regno pedem extulerit. Cui enim, quaeso, persuadebis, Regem per id intervallum, quo Holsaticam illam Haquini Norvegiae Regis sponsam, ad Danicum littus versus finem anni 1362. appulsam, in custodia detinebat, atque cum Haquino, & patre eius Magno Svecorum Rege de filia sua agebat in Holsaticae locum substituenda, excedere e regno voluisse, antequam Haquini, & Margaretae suae nuptias vidisset perfectas? Has vero ut maturaret, omnia profecto suadebant. Et perfecit quoque ita ut finita hieme, nuptias filiae, & Haquini, non aestate, ut Herm. Cornerus ait, (quamvis cetera in hac historia satis accurate, ex *Chronica* Magistri Eylardi Schonevelt, persecutus,) sed verno tempore, & quidem ipsa Dominica, quasi modo geniti celebraverit. Contra solem, & quicquid in historia lucidum, evidens, cunctisque efflagitari, quae possint, testimoniis, & argumentis munitum, oportet loquatur, qui negare velit, nuptias Haquini, & Margaritae, mortem Reginae Svecorum Blencae, & insecutum mense Iunio obitum Christophori Valdemari IV. filii anno 1363. contigisse. Queis admissis, manifestum etiam puto, Valdemarum neque in Gallia, neque in Polonia hoc anno Carnisprivi tempore egisse. Atque Vrbani PP. V. *Vitae* utrumque auctorem in uno anno erravisse mox monstrabo, postquam dixero, haud videri mihi verisimile, Valdemarum longinquam illam profectionem instituisse ante conclusam istam cum X. urbibus, Vandalicarum praecipuis, firmam pacis conditionem, atque abolitionem omnium litium ac dissidiorum, quae facta est Lubecae *postridie festi Divi Michaelis* 1363. & cuius tabularum apographum Hvitfeldius *pag.* 567. Pontanus *pag.* 492. oculis lectorum subiiciunt. Tum vero etiam praesentem fuisse Lubecae Regem, atque accinctum, ex ea urbe iter suum continuasse, mihi persuasum. Etenim quae Herm. Cornerus *col.* 1110. habet, „ Decimo octavo anno Karoli, qui est Domini 1366. „ Valdemarum Regem Danorum victum formidine Principum, „ iam regno suo insidiantium, exivisse Daciam cum magno the-„ sauro, & transeuntem per Marchiam, spoliatum esse multis „ bonis. In Primislavia autem oppido aliquandiu manentem, tam-„ dem per Saxoniam, & Misnam perrexisse ad partes superio-„ res Galliae, & pervenisse in Avinionem urbem, ibique a Do-„ mino Papa honorifice susceptum, & per collationem rosae Do-„ minica Quadragesimae quarta honoratum esse „: ad ann. 1363. vel proxime sequentem minime pertinere possunt, sed sive ad illum ipsum, quem Cornerus posuit, sive ann. 1369. quo similiter Pontificis Curiam, & Caesarem invisisse, ipse agnoscit Hvitfeldius *pag.* 606. Nam profecto pluries ad exteros eum ivisse, neque satis instructos nostrates fuisse scriptores de omnibus huius Regis gestis, & actionibus, res adeo nota est, ac testata, ut temerarium nimis fuerit, quando nihil aperte pugnans ostendatur, aliquod a silentio Hvitfeldii, aliorumve, aut ducere velle argumentum, aut urgere. Cracoviense autem iter, aut Avenionense, primis mensibus anni 1363. assignare, merito inter pugnantia, atque a veritate, ut dixi, maxime disiuncta numeraveris. Contra quod Avenionem venerit Valdemarus initio anni 1364. nunc videbimus. Habemus apographum litterarum Pontificis Vrbani, quibus Valdemaro, postquam hic propositum suum sedem Apostolicam visitandi significarat, respondit: datae sunt illae *XI. Kal. Ianuarii, anno secundo*, hoc est *d.* 22. *Decembr. anno* 1363. Quumque breves sint, ex Odor. Raynaldo integras *h. l.* afferemus: „ Charissimo in Christo fi-„ lio Valdemaro Regi Daciae illustri. Gratanter accepimus, val-„ deque laetanter audivimus, quod tua persona magnifica, & „ devota intendit de proximo sedem Apostolicam visitare, pro-„ indeque devotionis tuae plenitudinem commendantes, te sicut „ charissimum filium nostrum, quem iucunde videbimus, deside-„ rabiliter expectamus, petitasque litteras de securo conductu pro „ te, ac gentibus tuis concessimus incunctanter. Datae *Avenione* „ *XI. Kal. Ianuar. anno II.* „ Ergo cum ad Papam scriberet Valdemarus, hancque, quam vidimus, responsionem obtineret; iam in itinere constitutus erat, fortassis Gandavi Flandrorum, aut alibi in vicinia regni Gallici. Nam de Gandavo accuratum habemus testem Iacobum Meyerum. *Annalium Flandr. lib.* 13. *pag.* 161. *a. primae edit.* his verbis: *Invenio Regem Danemarchiae hoc anno venisse Gandavum*; postquam nuper dixerat, illuc etiam venisse *Petrum Lusinianum Regem Cypri, petitum auxilium contra Saracenos*, atque, hunc *Gandavi fuisse mense Iulio*. Vid. & Marchant. *Flandr. lib.* 2. *pag.* 257. Haud itaque improbabile, Valdemarum illic Cyprium Regem, qui iam dudum prior advenerat, offendisse, ambosque simul (postquam Rex Cypri in Angliam excurrerat, vid. *Chron. de Nangis Continuat. loco mox citando*,) primo Cracoviam, ac postea Avenionem ivisse, ubi & Cyprius ille praecedente anno adfuerat. Neque longius nobis causa quaerenda erroris, in quem *Vitae Vrbani V.* auctores inciderunt. Nempe Cyprius anno 1363. ex Italia in Galliam delatus, atque curiam Pontificis paucis ante Paschale festum diebus ingressus, una cum Rege Francorum, commorabatur tum quidem Avenione usque ad ultimum diem Maii, ut vidimus, quin & longius in aestatem usque, si credendum Continuatori *Chronici Nangiaci*, in Dacherii *Spicil. Tom. III.* nov. edit. *pag.* 131. Nunc vero anno 1364. reversus, & comitatus Valdemaro Rege, qui curiam die 26. Februarii intravit, (Francorum Rege interea in Anglia agente, ubi hoc ipso anno, mense Aprili, obiit,) locum dedit confusioni, in utraque *Vrbani Vita* obviae; scilicet ut primus auctor diceret, *satis cito post Papae promotionem venisse Ioannem Francorum, Petrum Cypri, & Daciae Reges*; alter vero, venisse quidem *d.* 26. *Febr. Regem Daciae, circa finem vero Martii Reges Cypri, & Francorum*: cum tamen utraque narratio ita sit distinguenda, ut *primo* Vrbani anno (*h. e.* 1363.) solos Franciae, & Cypri Reges accessisse, *altero* vero (seu 1364.) una cum Cyprio, iterum accedente, etiam adfuisse Valdemarum Danorum Regem, & quidem circa finem mensis Februarii eo delatos existimemus. De Cypri Rege pernotum, quod, cum varias Regum Europae Principumque aulas per istos annos accesserit, etiam Pontificem crebrius, quam a laudatis *Vitae Vrbani* scriptoribus annotatum, inviserit. Valdemarum autem nostrum haud ante annum 1364. Vrbano V. se stitisse, tam certum, ut qui dubitare de eo velit, eum (ut cetera omittamus) primum oporteat falsitatis litteras accusare, quas nuper ex Odor. Raynaldo exscripsimus. Nunc, igitur, hoc posito, restat inquirendum, quo tempore Cracovianae illae Caroli IV. nuptiae celebratae sint, ita ut interesse eis potuerint Valdemarus & Petrus, Daniae & Cypri Reges. Equidem ita censeo, omnes quodcumque de anno 1363. atque de *carnisprivio* loquuntur, Polonos esse, eorumque exscriptores, nullius profecto alterius auctoritati innixos, quam Dlugossi sui, quem scriptorem qui evolverint, atque ex mediocri cum aliarum gentium memoriis comparatione cognoverint, norunt etiam saepissime falli, nugasque meras pro veriis historiis venditare. Dicam porro, Hagecium, Bohemum historicum, etiamsi in anno fallit, quippe quem 1362. fuisse dicit, haudquaquam tamen in tempore anni existimandum aberrasse. Dicit ille, versus finem anni 1362. Carolum IV. post nuptias cum Elisabetha Poloniae Regis nepti celebratas, novam coniugem in Bohemiam adduxisse; id quod, si de anno 1363. intellexeris, vero consentaneum prorsus duco. Itaque commodissimum hoc tempus, ut tam Valdemarus, quam Cypri Rex Cracoviani festo interfuerint, moxque inde Avenionem se contulerint, plane arbitror. Etenim, ne iam dicta argumenta repetam, satis constat, coniugium illud inter Carolum IV. & Elisabetham Pomeranam, Casimiri Polon. Regis neptem, fructum fuisse pacis inter eundem Carolum IV. & Ludovicum Hungariae Regem, Casimiri sororis filium, initae, hancque demum consecutum: Ac, licet pacem illam coaluisse anno 1363. historici Poloni tradant, minime tamen hoc factum primis anni mensibus credendum; cum Nuncius Pontificis, ille ipse, cuius opera confectam referunt, primum e Gallia istuc iverit circa finem *mensis Ianuarii*, (vid. Raynald. an. 1363. §. 11.) reversus autem sit ad Pontificem, deque conventu Cracoviensi, (nuptiis, de quibus loquimur, illustrato, cui & idem Nuncius interfuit,) retulerit ad Vrbanum V. anno demum 1364. quod liquidissime patet expendenti, quae Raynaldus enarrat, atque adfert ad annum 1364. §. 10. & 11. Summa modo expositorum huc redit, Valdemarum e Dania egressum anno 1363. Lubecae fuisse ultimis diebus mensis Septembris, Gandavum Flandrorum advenisse mense Octobri; cum Petro Cypri Rege ex Anglia, quo breve iter habuerat, reverso, ad nuptias Cracovienses ivisse, ultimo anni mense; inde ambos Avenionem profectos, curiam Pontificis ingressos esse circa finem mensis Februarii anno 1364. Aliter qui itinera eius, & peregrinationem ordinatam velit, faciat illud nostra summa cum voluntate, modo argumentis id conficiat, quae plus roboris, & auctoritatis, quam allata a parte nostra, habeant. Verum quid in curia Pontificis Valdemarus egerit, & quo ibi honorum genere affectus sit, restat ut videamus. Noster, atque ante eum Hvitfeldius, & Pontanus, immani, ut supra indicatum, (ad *pag.* 85. *b.*) errore profectionem Avenionensem ad annum 1354. retrahentes, nihil hic sese scivisse manifeste produnt, dum aiunt sola *pietate sua motum* Regem istuc ivisse, *benigneque exceptum, & ex auro rosa consecrata donatum more dudum Pontifici, in Dominica quadragesimae, quae laetare dicitur, usitato*. Quod idem est sane, atque ignoran-

tiam

CIↃCCC LXIV. quas cum filia Bocuslai Pomerani Elisabetha contraxisset, interesset. Aderant & reges alii; ex Polonia Casimirus; ex Hungaria Ludovicus; Cypro Petrus Lusinianus: qui auxilium contra hostes Saracenos postulabat. In itinere, ut videtur, Belgium transit; & in eo Flandriam lustrat; comitemque Balduinum una opera salutat. Dum in aula Imperatoris commoratur, mortuo Rodulpho Austriaco (a), Noricum invadunt Bavari; &, in Stiriam progressi, quum ingentem inde praedam abduxissent, ac nonnullas item arces expugnassent, una pugna decertare animum inducunt: ac fecissent, nisi eos Valdemarus, qui intererat, praelio prohibuisset. Pro qua, ut videtur, opera, aliisque beneficiis, in Imperium collatis, ac deinceps conferendis, donat illi Imperator sedecim mille argenti selibras; &, dum eae universae solverentur velut pignus, quae quotannis Lubecenses exhibere consuevissent, sicut ea Ericus Saxo, a Ludovico Brandeburgico olim accepta, ante annos quatuordecim Valdemaro tradidisset. CIↃCCC LXV. Quum in regnum rediisset, quae Barnimus Stetinensis suo nomine cum Vandalicis civitatibus pridem egisset, rata habet: ac mox etiam pro induciis triennalibus, quae tum constitutae erant, pacem facit, semper deinceps servandam. Etiam Holsatiae comites, Nicolaus, & Henricus, itidem cum eo agunt, ac promittunt; *nullum ei se in Dania, aut Holsatia damnum unquam allaturos; sed inviolatam semper pacem, atque amicitiam servaturos: si commissum quicquam foret, in haec Chilonii acta, de correctione eorum arbitri pronuntiarent, duo utrinque eligendi: ac, si forte partis utriusque subditi, aut clientes, inter sese de re aliqua disceptarent, ea foro Daniae, Holsatiaeve, cognoscenda traderetur.* In haec, aliaque plura, proceres utrinque multi fidem suam obstrinxere. CIↃCCC LXVI. Post haec Sueciae rex Albertus, & Henricus, atque Magnus, duces Megapolitani, pariter cum Valdemaro transegere; *qui a proximo Pentecostes die capti, bello orto inter Daniam, Sveciamque, ii uti libertati redderentur:* duxque senior Albertus, &, quos memoravi, filii, pollicentur; *regem Albertum eas literas, quae conscriptae de induciis inter ipsum, & Norvagiae regem Haquinum; tum captivis dimittendis: item quae ad dotem decem millium selibrarum argenti, & Erici ducis pignus, pertinerent, ante diem* Fe-

tiam suam profiteri: nam de *aurea rosa* istud acceperunt ex Alb. Crantzio, qui ex Herm. Cornero, ut videtur, sumsit, neutiquam hoc ad ann. 1354. uti neque ad 1364. sed ad ann. 1366. referente. Caeterum inopiae nostratium egregie succurrit hoc loco Raynaldus; isque ex litteris Vrbani PP. V. nos docet, „ gravissimas Regem querelas fudisse apud sedem Apostolicam, in plures proceres, urbiumque ac provinciarum extra „ Daniam sitarum Magistratus, qui cum Valdemaro fidei sacra„ mento sese obstrinxissent, ab eo desciverant, ac iurata obse„ quia praestare abnuebant, implorasseque Pontificiam opem, ut „ Apostolica auctoritate ad officium cogerentur. Cuius iustis que„ relis permotus Pontifex, Caminensi, Lincopensi, & Lubicensi „ Episcopis provinciam dedit, ut censurarum ecclesiasticarum in„ cussa religione perduelles comprimerent. „ Praeterea abeuntem magnis reliquiarum Sanctorum Martyrum thesauris oneravit Pontifex, per varia templorum Daniae Sacella distribuendis; impertitus indulgentiarum praemia iis omnibus, qui ea sacella statis diebus pie obirent. Vtque ubi repositae olim quaedam reliquiarum fuerint, cognoscatur, ecce excerptum litterarum Pa„ pae. „ Cum, sicut accepimus, charissimus in Christo filius no„ ster Valdemarus Rex Daciae illustris, de *B. Mariae Virginis* „ *gloriosae Crinibus, & Vestibus*, & *Ligno Sanctae Crucis*, & „ de *B. Iohannis Baptistae, S. Georgii*, & *S. Vincentii, Sanctorum* „ *Nerei, & Achillei* sacris reliquiis certas *particulas*, nuper eidem „ Regi per nos traditas, & concessas, in Capellis *Sanctorum Ma*„ *riae de Warinburgh*, & *Iacobi de Gorve*, & *Georgii* in *Kalin*„ *geburgh*, & *Christophori* de *Syeburgh*, castris Roskildensis Dioe„ cesis, proponat cum devotione collocare „ &c. Longe autem maximum sine dubio Pontificii favoris, & gratiae documentum extitit; quod Vrbanus alio diplomate non levibus indulgentiarum praemiis omnes pios Danos affecit, qui pro Rege suo Valdemaro Sacras apud Deum praeces funderent, tum omnium bonorum operum, quae in Ecclesia fierent, singulari quadam praerogativa participem reddidit, utpote cum toto regno in B. Petri, & Sedis Apostolicae clientelam acceptum. Diploma ipsum tale: „ Vrbanus &c. Charissimo in Christo fi„ lio Valdemaro Regi Daciae illustri. Eximiae affectionis since„ ritas, quam ad nos & Romanam geris Ecclesiam, promeretur ut „ Apostolica sedes, quam nuper ex immensae devotionis affectu „ personaliter visitasti, Celsitudinem tuam maternae dilectionis „ brachiis, & singularibus gratiis amplectatur. Hinc est, quod „ nos, votis tuis in hac parte affectu benevolo concurrentes, te „ cum regno tuo, & aliis omnibus, quae inpraesentiarum ra„ tionabiliter possides sub B. Petri Apostoli, & nostra protectio„ ne suscipimus, & praesentis scripti patrocinio communimus. „ Et insuper, ut ex praemisso tuae visitationis labore, & aliis „ tuis devotis operibus aliquod spirituale proemium digne repor„ tes, te bonorum omnium, quae in Dei Ecclesia, ipsius ope„ rante clementia, ex nunc fieri contigerit, te participem esse „ volumus: idque tibi apostolica auctoritate concedimus de mu„ nere gratiae specialis. Nulli ergo &c. *Dat. Avin. VII. Id. Martii anno II.* Quid ergo miramur, si Rex noster tam prolixam Papae istius benevolentiam expertus, tamque copiosis gratiae delinimentis captus praecipuam erga eumdem venerationem retinuerit, atque honoribus eius studere pietatis suae esse duxerit? Declaravit hoc scilicet, cum anno 1375. nondum elapso ab Vrbani morte quinquennio, a successore eius Gregorio XI. solicitis praecibus postularet, ut, postquam defuncti memoria indubiis sanctitatis argumentis floreret, utpote miraculis quibusdam, quorum etiam in Daniam fama pervenerat, illustrata, ne cessaret solenni *canonizatione*, ut loquuntur, catalogo sanctorum tantum nomen adiicere. Cui petitioni Gregorius haec rescripsit X. *Kal. Septembr. Pontificatus sui anno V.* „ Nobis expo„ sita affectione sincera, quam ad felicis recordationis Vrbani Pa„ pae V. praedecessoris nostri memoriam habere dignosceris, Se„ renitati tuae inde grates referimus copiosas, devotionem tuam „ plurimum in Domino commendantes. Vnde si nostro tuisque „ temporibus canonizationem ipsius venire contingat, de ipsa „ te faciemus certiorem „. Sed sequente statim mense eiusdem anni vitam cum morte noster Rex commutavit; quodque ad Vrbanum attinet, consenuisse religiosam illam postea actionem de eius miraculis, scribit Raynaldus ad annum 1370. §. 23. neque spes est, ut aliquis post hac in Dania Valdemarus exsurgat, qui, ut ἀποθέωσις eius perficiatur, Sedem Romanam urgeat.

(a) *Mortuo Rudolfo Austriaco*) Hoc, & quod sequitur, diligentiae Pontani debet Meursius. Ille enim (*pag* 495.) repertum sibi ait apud Boicarum rerum scriptorem Aventinum, „ de„ functo per id tempus Rudolfo Austriae Duce, Noricum, quod „ Alpibus, Oeno, & Athesi amnibus est cinctum, infestatum „ tunc a Bavaris Vindelici populis, eosdemque praeda ingenti ab„ acta, ad Stirios usque penetrasse, castellisque aliquot vi in de„ ditionem acceptis, diem, quo cum hoste totis viribus confli„ gerent, constituisse; sed Regem Valdemarum, qui expeditioni „ intererat, adpellente praelii die, ne manus consererentur sua „ intercessione effecisse „. Et verum est, talia apud Aventinum extare *lib.* 7. *pag. m.* 489. atque in Germanica eiusdem interpretatione (ubi *Regem Daniae* vocat, quem in Latina *Cimbrorum* dixerat,) *lib* 8. *fol.* 505. *a*. At, quum auctor ista cum Rodulphi Austriaci morte, imo cum Mediolanensi Caroli IV. expeditione connectat, liquido indicat, haud potuisse eo anno, quo Valdemarus Pragae in aula Imperatoris morabatur contigisse. Rudolfum enim ann. 1365. fato functum esse omnes asserunt, *Chronici Placentini* auctor, in Muratorii *Thesaur. Tom. XVI. col.* 508. mense iulio ann. 1365. Mediolani extinctum refert. Sed Gerard. de Roo *Cal. Augusti*. Atque, ne longiores simus, factum, quod Pontanus apud Aventinum repperit, ne quidem in anno 1365. locum habere potest; si quidem ille non tantum ad Caroli IV. expeditionis Mediolanicae tempus refert, sed & indicat, bellum a Bavaris Vindelici populis susceptum, tunc, Valdemari Regis intercessione, ad compositionem venisse. Ergo clarum, pertinere hoc totum ad annum 1369. quo controversia illa inter Rudolfi IV. Austriaci heredes tamdem conquievit, per transactionem Scherdingae factam, mense Octobri. Vid. Gerard. de Roo *lib.* 3. *ad d. a.* Male ergo fecerunt Pontanus, Meursiusque, quod ea huic loco intruserunt, non certe in hac Valdemari peregrinatione annor. 1363 & 1364. collocanda, sed in posterioris illius gestis, de qua noster *col.* 532. *e.* ad *annum* 1369. loquitur commemoranda.

CIↃCCC LXVI. *Februarii secundum anni proximi ipsi traditurum esse*. Atque hoc promissum suum scripto item publicato attestantur: Praeter ista, rex Albertus, ut auxilia, quae Haquino, genero suo, Valdemarus submissurus videbatur, prohiberet; regni procerum consensu, donat insulam Gothlandiam, & in hac Visbuam urbem; tum Verendiam, Vindovidiam, Kindam, Marciam; arcem item Elburgensem, cum Helsingiae parte altera; & Elsingburgensem tractum, praeter solam Loddehusiam, universum: *ea loca, quum tutoris hactenus iure possideret, deinceps propria haberet, & haeredibus suis traderet: ipse autem, caetera Svecia frueretur. Pater vero, atque fratres, duces Megapolitani, hunc ducatum, comitatum Suerinensem, ac Rostochii dynastium, illibatam retinerent: neque aliquid praestare, quam officia clientelae, tenerentur*. Ad haec & Varbergam tradunt, regno Daniae in perpetuum coniungendam: ac promittunt, *neque Magnum e custodia dimissuros, neque pacem se facturos cum Haquino, nisi hac conditione, ut uterque rata haec deinceps velit, aut sat Valdemaro faceret: quod ni ab Haquino fieret intra proximum biennium, aut triennium, & hinc bellum inter se illumque forte oriretur, tum Alberto Valdemarus, quoad cuncta implerentur, opem ferret*. Insuper obstringere fidem suam Albertus, Sveciamque adeo totam, & quas inde ditiones comparare sibi posset, *ad colendam porro pacem, tam cum ipso Valdemaro, quam haeredibus quoque eius, sempiternam*. Denique Sveciae quatuorviri, qui has literas obsignabant, illud effecturos se pollicebantur, *ut Alberto quisquis successurus esset, cuncta eadem praestaret*: & his omnibus regni primas, cum Episcopis, sacro ordine universo, ac senatu regni toto, & equestris ordinis viris quinquaginta, civibusque ex emporiis regni decem, opibus tunc excellentibus, subscripsere. CIↃCCC LXVII. Annus proximus Valdemaro per quietem est exactus (a): nec negotii ille eo dedit quicquam, aut accepit: verum, qui CIↃCCC LXVIII. sequutus fuit, Cimbricam potissimum nobilitatem, subditosque item alios concitavit, ut tranquillitatem publicam perturbarent, ac transirent ad Holsatos, quum querela omnium esset, *nimia onerum magnitudo, & continuata bella*. Et Holsati, animi defectione ista auctis, Vandalorum civitates etiam ad se traxere. Adiunxere se, Albertus, Sveciae rex, & duces Megapolitani; foederis, quod pridem icerant, atque pacis, quam statuerant sempiternam, nimis facile obliti: & pactorum capita erant: *ut, quas quisque ditiones, sive urbes, eo bello occuparet, ac seorsim, quae in Scania, aut Gothlandia caperentur, sibi haberet; at Sialandia, Falstriaque, & quae his vicinae insulae, Megapolitani essent: Cimbria vero, Langelandia, ac Fionia, ad Holsatos pertinerent: ita tamen, ut devictis suo iure, legibusque vivere concederetur*. Ita homines perduelles, principesque quidam perfidi, regni hostes, illud, nec dum debellatum, inter se distribuerunt; quin, ut magis etiam grassari possent, Vandalorum civitates, comitesque item Holsatiae, cum Hartvvigo Ravensdorpio (b) se iunxere, ea lege; *ut, quamdiu id bellum esset, conquiesceret, nec Holsatis detrimenti quicquam daret: ac vicissim ipse, subditique eius, tuto commearent quovis, & commercia maxima cum libertate exercerent*. Quibus actis, mox Vandalicae civitates Daniam cum magna classe infestarunt; &, in Scaniam facto impetu, rex Albertus, quum Vfstadium (c), & Falsterboam, tum Scanoram, & Somershaviam (d), occupavit; nil omnino praetermittens, quo redigere to um illud territorium suam in potestatem posset. At Holsati, quique se adiunxerant Cimbri, Scanderburgum, regiasque in Cimbria boreali arces obsedere; dumque hostes adeo multi Valdemarum undique infesti petunt, isque exitum circumspicit, varia Vandalicis urbibus (e), & earum foederatis, privilegia, & immunitates multas, tota passim Dania tribuit; tunc & leges de re monetaria ponit, vectigaliumque curam, quae halecum ad capturam, naviumque exitum ex Oresunda, pertinerent, in se trahit: etiam Amstelodamensibus in Hollandia dat immunitates suas; maxime, si qui commercia seu in Scania, sive affira ei ora, exercere instituerent. Inter ista, regno excedit Valdemarus; CIↃCCC LXIX. ac religionem obtendit, qua obstrictus, Romam ire, ad Pontificem (f) salutandum, teneretur: sed interior illi causa, uti hosti, tam multiplici, ac potenti se subduceret ad tempus (g); odioque per absentiam, uti solet, mitigato, pacem regno per praefectos, quos statue-

(a) *Per quietem est exactus*] Non aliter per quietem puto, quam quia Hvitfeldio nihil repertum sive in Annalibus, sive in Archivis nostris. quod referret. Et dolendum, adeo mancas haberi, atque in multis annis steriles, non solum Valdemari, sed & filiae eius Margaretae, & nepotis Olai historias, ut plurima trium illorum acta densa hodiae caligine sint obducta, atque, ut clarius dicam, penitus ignorentur.

(b) *Hartvico Ravensdorpio*] Cum Hartvico illo Hammersbuttelio de Ravensdorpilis fuerat, ac bellum Holsatiae Comitibus susceptum, de quo nonnulla Pontanus ad annos praecedentes dixit. Itaque cum eo nunc transactum, ut tantisper, dum Comites Holsati, & Rex Sveciae Daniam infestarent, sederet quietus.

(c) *Vfstadium*] Corrig. *Ydstadium*, urbem Scaniae maritimam.

(d) *Sommershaviam*] Corrig *Simmershaviam* quam & nonnulli *Cimbris hafniam* vocant, quasi *Cimbrorum portum*.

(e) *Varia Vandalicis Vrbibus*) Graviter hic hallucinatur Meursius, & plane aberrat, Valdemaro adscribens, quae Albertus Rex Sveciae egit, quaeque is facere, & constituere in regno Daniae sustinuit, in Valdemarum, quasi iam cum debellasset, nimis quam iniurosa. Is enim fuit, (Albertus scilicet) qui Hanseaticis urbibus privilegia, & immunitates in Dania concessit; Is de re monetaria leges proposuit; Is teloniorum, & vectigalium in Oresunda rationes ordinavit; ceteraque in Amstelodamensium aliorumque gratiam constituit, haecque omnia sub Alberti, iam (ut ait Messenius Chronol. *Scond. Tom.* 3. *pag.* 25.) praeter Sveciam, etiam Daniae Norvegiaeque regna spe sua devorantis, sigillo prodierunt Falsterboae die S. Iacobo Apostolo sacro (seu 25. *Iulii*) anno 1368. docente Hvitfeldio *pagg.* 603. *& seqq.* Meursio autem, ut subspicamur, nimis absurdum visum, talia ad maiestatem regni Danici pertinentia alii tribuere Regi, quam qui Daniae vero cum imperio praeesset; ideoque, deserto heic Pontano, ad Valdemarum traxit. Sed omnino erravit.

(f) *Romam ire, ad Pontificem*) Quamvis sileant hic Raynaldus, & alii, tamen inficiari neque audemus, neque opus est. Quidni enim Vrbanum V. hoc vel sequenti anno 1369. Romae inviseret Valdemarus, tanto istius Papae admiratione plenus? Dubitari etiam nequit, eodem illo tempore nostrum ab Imperatore Carolo IV. qui anno 1369. in Italia agebat, persuasum, ultra Alpes remeasse, ad sedandum lites illas, ac certamina, inter Principes Rudolphi Austriaci, Mediolani quatuor ante annos mortui heredes, exorta, atque ad hoc usque tempus continuata: qua de re superius animadvertimus nonnulla ad *Col.* 530. *b. circa fin.*

(g) *Se subduceret ad tempus*) Pro vera fuga abitum hunc ceperunt plerique, tam domestici, quam externi. Anonymi *Chronicon*

tuerat, minus publice invisos, impetraret. Dumque abest, quum Nicopiam [(a)] in Falstria, Hafniam in Sialandia, & Elsingoram, insulasque item, Venam, & Amagriam, aliaque item loca, occupasset, mox Henningus Podebuschius, regni equitum tribunus, ac cum summa potestate tum praefectus, aliique regni proceres, ne res regni universa pessum iret, convocatis Stralesundiam civitatum delegatis, pacem in hanc legem ineunt: *ut Vandalicae civitates Helsingburgum, cum Malmogia, Scanora, ac Falsterboa, instar pignoris annos quindecim retinerent, & reditibus, per id tempus vindicandis, damnum acceptum compensarent: liberaque apud has commercia haberent Dani quique regnum id incolerent: pactis autem ante ultimum Septembrem anni proximi rex subscriberet*. Inter ista, Valdemarus, peregre agens, apud Imperatorem exponit; *saepe multos subditorum, partim Holsatos, Vandalosque, partim alios, in se, atque patrem suum concitasse; itaque orare ipsum, ut auctoritate sua homines seditiosos coerceret*. Nec difficilis illi Carolus, nominis istius IV. qui Imperium tunc tenebat, literas dat ad avunculos, Misniae tunc Marchiones, Fridericum, ac Gulielmum; & affinem, Boguslaum Stetinensem; tum Adolphum quoque Holsatum: & hortatur *contra subditos perduelles ne quid Valdemaro desint: quosque ex his comprehenderint, ut in illos iure agant*. Mittit quoque Valdemarus ad Gregorium XI. tunc Pontificem Romanum; ac legato, Ioanni Rudio, addit munera, equos quosdam, & falcones, atque pelles magni pretii: & identidem precatur, ut auctoritatem suam apud subditos, graviter tumultuantes, interponat: verum excusare Pontifex; *nec se quicquam, nisi audita parte altera, isthic posse*. Ac, quum ea etiam quosdam ablegasset; & Pontifici dominatum Valdemari nimium exposuisset; isque illum de modestia exercenda admoneret, item minas adhiberet, ni consiliis sanioribus deinceps animum applicaret, rex magnanimus, & natura irritari perquam facilis, indignatus, cum verborum contumelia non exigua mox respondet: *Vitam a Deo* [(b)], *regnum a subditis, opes autem a maioribus nactum esse: nihil eius decessoribus, praeter fidem, se debe-*

nicon in Sylloge Ludewigiana *num. V. pag.* 112. „ Qui Rex, „ ob demerita, Divina ultione urgente, fugit, sive exulavit diu „ de regno, nemine persequente, *anno Domini* 1368. in coena „ Domini; quo anno & Albertus Rex Sveciae intravit Scaniam; „ & rediit post annum quartum, & supervixit postea tribus „ annis. Dicitur tamen, quod sui eum intoxicare vellent, & „ ob hoc locum eis dedit ad tempus. „ Posteriora verba respiciunt ad historiam illam, sive fabulam, de Nicolao Lembeke, quam fuse admodum, & verbose narratam legimus in Suaningii opere MS. heic autem brevioribus *Chronici Holsatici* (ex quo Suaningius fortasse habuit,) verbis, quamvis non aeque elegantibus, referemus: Sic autem illud in *Access.* Leibnit *pag.* 57. „ Nicolaus erat in magna amicitia cum Maioribus de Iutia. Et uni Episcopo ex illis, qui Regi fuerat secretior, sub „ magna fide revelavit verbum absconditum, & secretum, quod „ nunquam etiam veniret propalandum. Scio, dixit illi, secre„ tum verbum, quod sunt aliqui, qui die noctuque in hoc la„ borant, quod Regem possint intoxicare, & rogo quod hoc „ verbum omnino maneat secretum. Ille autem, cui revelavit „ haec verba, statim Regi intimavit. Propterea dictus Rex exi„ vit Daciam, nesciens a quo forte infici veneno posset. Et ve„ nit ad Imperatorem Regem Carolum quartum in Bohemiam „ in civitatem Pragensem, ubi aliquandiu penes eum manebat. „ Hic etiam Rex Valdemarus impigneravit castra in Marchia „ Lotow, & Dalemborg, in quibus moram traxit. „ Chronicon Nicolai Archiepiscopi *num. VIII. pag.* 172. (ed. Ludewig. & *p.* 32. edit. Bartholin.) „ Anno 1368. in Coena Domini Val„ demarus Rex se ipsum a regno expulit, nemine persequente. „ Herm. Cornerus Chron. *col.* 1113. ad dictum annum: „ Con„ gregatio maxima civitatum de Anza facta est in urbe Colo„ niensi, secundum Chronicam Lubicensem, ubi omnes illae ci„ vitates conspirarunt contra Voldemarum Regem Danorum, ad „ resistendum ei, & suis auxiliatoribus; qui iam regno pulsus, „ apud Principes diversos erat, & eos contra civitates praelibatas „ concitabat. „

(a) *Dumque abest, Nicopiam*) Diceres, Valdemarum arces istas, insulas urbesque occupasse. Aliud enim vix conficies ex stilo Meursii, & constructione, qua hic utitur. Sed contrarium demum verum. Classis fuit hostium, contra Valdemarum confoederatorum, qui haec omnia loca invasit, occupavit, vastavit. Vid. Herm. Corner. *col.* 1114. seq. Crantz. alii.

(b) *Respondet vitam a Deo*] Responsio, apud Hvitfeldium, & alios legitur his verbis concepta: *Voldemarus Rex, Romano Pontifici Salutem* &c. *Naturam habemus a Deo, Regnum ab incolis, Divitias a parentibus, Fidem a tuis praedecessoribus: Quam, si nobis non faves, per praesentes remittimus. Vale.* Ego plane confictam arbitror, ab inimicis Regis, quos constat ipsum longe plurimos habuisse in utroque ordine, sacerdotum, & nobilium, imo in tota regni multitudine, cui severitas eius, crebraeque exactiones displicuere. Nam, quaeso te, quo tempore illa ad Pontificem scripsisset noster? Ioannes Suaningius senior, (is primus, & ante Hvitfeldium, istud ex memoriis MSS. eruit,) ad Vrbanum V. refert. Totam hic Suaningi narrationem apponemus: Cum gravius ecclesiastico statui immineret, atque eandem assiduis magnisque exactionibus „ emungeret, omnique studio eo propenderet, ut vexatis Ec„ clesiae ministris, ad summam eos inopiam redigeret, fulmen „ in eum se torsurum Vrbanus Pontifex Romanus minabatur, „ ni quamprimum ab incepto desisteret. Cui ad haec verba re„ spondisse Regem ferunt: *Valdemarus Rex Daniae* &c. *Vrbano* „ *Pontifici Romano salutem. Vitam habemus a Deo, Regnum a* „ *subditis, Religionem a Papa. quam si nobis concedere noluerit,* „ *remittimus per praesentes.* Sequutus haud dubie in hac causa „ Ludovici Bavari Imperatoris exemplum, in cuius aula, & „ puer educatus erat, & post diu sub eo meruerat. „ Haec Suaningius, in cuius etiam exemplo litterarum Valdemari varietates, ab altero Hvitfeldii, aliorumque satis conspicuae. Atque, si Suaningium, & quos ille secutus, audiamus, missa fuerit epistola ante finem anni 1370. Hic enim ultimus fuit Vrbano, qui die 19. *Decembris* eius anni e vita excessit. At, qui credere potest, tam superbas, & contumeliarum plenas litteras Regem dedisse ad eum, quem tanto prosequebatur cultu, quemque eximie adeo de se promeritum postea in Sanctorum numerum evectum solicite desiderabat? Qua fronte etiam apotheosin Vrbani expetere a successore eius; quem latere neutiquam potuisset contumeliosa epistola, si talis unquam extitisset? Quod, puto, animadvertens Hvitfeldius, ad Gregorii XI. tempus reiicit, sed nulla profecto maiore verisimilitudine. Aut enim scripta fuerit ante Septembrem anni 1375. aut postea. Si *ante*, quomodo, quaeso, haec conciliabimus: Gregorium, litteris 10. *Kal. Septembr.* (seu 22. Augusti) anno V. (h. e. 1375.) *per Ioannem Ruth, Regis Ambassiatorem* (ita in litteris Papae) remissis, gratias agere pro *palafredis* & ceteris muneribus, indicare deinde se *signetum secretum recepisse*, ac *sub eius impressione Regi post hac scripturum*; *Condolere* porro, quod *Praelati regni damnosa ipsi faciant*. Quibus ultimum subiiciuntur ea, quae de Canonizatione Vrbani supra memoravimus, censurae autem, vel commonefactionis de remittenda severitate, sive in ecclesiasticos, sive alios plane nihil. Quomodo, inquam, haec, tanta cum amicitiae fiducia, ad secretorum usque communicationem scripta, ita ut inter socios, & foederatos nulla dari familiaritas maior possit, conciliabis cum epistola illa, de qua agimus, si haec praecesserint? An Papam existimas, adeo sibi illudi fuisse passum, ut cum eo, a quo renunciationem fidei, religionis omniumque sacrorum recepisset, nunc ob munuscula quaedam missa, arctam amicitiam, & familiaritatem contraheret? utque quem censura ecclesiastica, & castigatione antea irritasset, nunc innocentem a Praelatis Danicis damnosa pati condoleret? Absurdum. Ergo postea, & cum Praelati Nobilesque regni suam innocentiam, Regis autem iniquitatem, & crudele imperium Papae exposuissent, hic vero Regem increpasset, factum dices? Verum neque hoc succedit. Nam tempus, quod inter litteras, quas allegavimus, a Gregorio XI. *d.* 22. *Augusti* Avenione scriptas, & mortem Regis, quae *die* 25. *Octobris* insecuta, profecto nimis breve fuit, ut credamus, Praelatos novas a Papa litteras, cum severa admonitione potuisse impetrare; ac deinde cum tales advenissent, Valdemarum, continuis per aliquot menses podagrae doloribus affectum, ut epistola infamis scriberetur, mandavisse. Verbo: omnia arguunt, purum ac merum commentum esse ingeniosi alicuius sacerdotis: Hic enim ordo maxime Regi infensus erat, atque ut atheum apud populum traducebat. Quid? quod fictionem hanc nova alia auxerunt posteri, scilicet Romanum Pontificem, accepto hoc Regis rescripto, respondisse, cum allusione ad eiusdem nomen *id Valde amarum esse*, dictitando. At hoc neque Suaningio videtur, neque Hvitfeldio fuisse cognitum, adeoque post eorum tempora confictum.

CIↃ CCC LXXI. *debere; quam, si repetat, nunc remittere.* Domum redux, quae a regni senatoribus, & Vandalicarum urbium delegatis, Stralesundiae nuper acta, rata habet: ac contrarias vicissim (a) literas accipit, quibus sese civitates, ad has urbes, quarum sibi usum fructum annis quindecim pactae essent, ubi elapsum id tempus foret, restituendas obligarent. Idem factum a Livonis, ac Borussis; tum & sinum austrini maris accolentibus; Batavicisque, & Zelandicis. Post, quum Otho Brandeburgicus eius CIↃ CCC LXXII. nomine bona quaedam, ac pecunias (b), Odersbergae detineret, Stephano, Bavariae duce, filiisque intercedentibus, Friderici Misnici arbitrio res est permissa: quodque ei videretur, ratum foret. Inde per quietem acto anno toto, & quod excurrit, Frisiam CIↃ CCC LXXIII. minorem petit; subditosque, eam terram incolentes, quum ab annis quatuordecim censum CIↃ CCC LXXIV. minime solvissent, privilegia exhibere sua iubet. Annum proximum ingens fames, CIↃ CCC LXXV. atque eam, uti fieri fere solet, comitata pestilentia, quam gravissime infestarunt; inter quae, adversa pressus valetudine, Valdemarus in Gurrea arce obit; anno regni sui quinto, & tricesimo. Paulo ante Helviga (c) excesserat, eius uxor, e qua liberos sex sustulerat, Christophorum, Margaretam primam, Catharinam, & Valdemarum, immatura morte abreptos; Ingeburgam, duci Henrico Megapolitano nuptam; ac Margaretam denique alteram; quae Norvagiae regi Haquino matrimonio coniuncta, eo paulo post defuncto, primo cum Olao filio, inde sola regnum tenuit; cui mox Norvagiam haereditate, armis Sveciam adiecit; fortitudinis, ac prudentiae summa laude, ut deinde sum dicturus. Erat certe Valdemarus animi praeclaris dotibus exornatus; ac de regno instaurato, quod dilaceratum a Christophoro parente acceperat, bene meritus: verum fidei in uxorem parum constans; cui Tovillam, foeminam quandam Rugianam, quum indigne praetulisset, tamdem etiam, ut peccato causam obtenderet, accusatam impudicitiae, in custodiam coniecit. Verum Deus, innocentiae omnis vindex, extra culpam eam esse, satis manifestum fecit; quum ex illa, iam captiva, fortuita ex venatu (d) Seburgum advenientis, ubi inclusa servabatur, consuetudine, nasci Margaretam voluit: quam, praelatam CIↃ CCC LXXV. quinque aliis eius liberis, natu etiam maioribus interceptis, aut exclusis, etsi foeminam, nullo antea exemplo regni in Dania muliebris, in solio patris collocavit: regiaque potestate, maximo cum suo honore, ac bono subditorum publico, per sex & triginta annos frui dedit: ipsa quoque diuturnitate regni felicissimi evidentem numinis benignitatem sui ostendens. Verum, ut virtutum gloriam ea re obnubilavit, sic impietate exstinxit; qua & fidem Christianam se Pontifici redditurum, si reposceret, Deo autem coelum suum, si Gorrea (e), ac Vortinburgo, arcibus a se exstructis, semper frui largiretur, relicturum testabatur: unde Reprobi cognomento non iniuria est vocatus. Mortuo curatum funus Vorthingburgi: sed mox filia Margareta Soram transtulit. Regnum autem post hunc tenuit.

OLAVS VI.

ex filia Margareta nepos. De quo postquam eligendo proceres Othoniam frequentes admodum convenissent, inter sese diffidebant; nam, quum *illi, id deberi* magna pars existimaret, *propter avum Valdemarum, ac spem etiam Norvagiae, mox cum Dania, propter Haquinum parentem, coniungendae*; alii seorsim tamen arbitrari; potiusque dictitare, *iam extincta stirpe regum masculina, e nobilitate aliquem, & indigenam, ad fastigium hoc evehere, quam haereditatis iure necessarium mox accipere; etenim liberam esse Daniam, & eligere sibi regem suo arbitrio consuevisse; ac Norvagiae saepenumero, etiam quem noluisset, obtigisse: itaque indignum plane, ut Norvagiae servituti Dania libertatem impenderet*; quin nonnulli Albertum item Megapolitanum obiicere, *natum maxima filiarum Valdemari, Ingeburga; atque regno eo nomine, ni libertas eligendi repugnaret, propiorem*. Ac comitia, inter hanc sententiarum differentiam, finem suum habuere; nec quid dignum memoratu actum fere, quam quod bona Petri Vidi viduae, Caeciliae, erepta pridem praeter ius a Valdemaro, omnium consensu reddita. Tandem tamen in Olaum Cimbri primum, inde Scani, consensere; moxque sese Sialandi, ac Fionii, CIↃ CCC LXXVI.

(a) *Contrarias vicissim*) *Literas antapochales*, ut Pontanus vocat.

(b) *Bona quaedam, & pecunias*) litterae de hac re authenticae etiamnum extant. Sed non exprimunt, quibus de causis, quave occasione Otto Brandenburgicus bonis Valdemari istis manum iniecerat. Fuerint fortassis illa in castris Marchiae *Lotouv* & *Dalemborg* a Valdemaro impigneratis, de quibus *Chronic. Holsatici* auctor meminit *cap. 23. pag. 57.*

(c) *Paulo ante Helviga*] Mortua certe erat anno 1374. Nam extant litterae Abbatis Esromensis, qua se & suos successores obligat ad *celebrandum annuatim in salutem animae Dominae Heylevvigis* (sic enim vocat) *bonae memoriae, quondam Reginae Daciae, unum anniversarium cum Missis & Vigiliis, in proxima sexta feria post Carnisprivium*. Quae litterae scriptae sunt anno 1374. *die Simonis, & Iudae.*

(d) *Fortuita ex venatu*) Nempe communi fama proditum, (cui & Hvitfeldius, & alii fidem constanter habuere,) Reginam Hedvigem, nostris *Helvvigam* dictam, ob suspicionem adulterii cum nobili quodam, Falcone Loumanno nomine, in custodia detentam, aliquando ad Valdemarum in vicinia arcis, ubi tenebatur, venantem, noctu sub forma puellae intromissam fuisse, atque ex hoc concubitu Margaretam, trium postea regnorum Reginam procreatam. Erasmus Laetus, qui *res Danicas*, metro latino XI. librorum comprehensas, Francofurti anno 1573. edidit, hanc historiam fuse, & poetico more persequitur. Falconi supplicium mortis irrogatum ait; Reginam autem (quam Helenam male, sed versus fortasse gratia, vocat,) Soeburgicae arci inclusam. Hinc quomodo concubitus Reginae cum marito Rege procuratus, sic exponit.

„ Soeburgum bellis lapsus pervenit in urbem
„ Valdemarus: cui cum movissent pectora flammae
„ In Venerem, ignaro est coniux adducta solutis
„ Carceribus, fidae studiis atque artibus Annae:
„ E Chersoneso quae venerat, aemula magnae
„ Virtutis; quocumque ferant ea facta minores.
„ Vt vero explevit noctem Rex, cognita nulli
„ Vxor abit, notosque subit taciturna penates,
„ Aucta Deo semen: cui totum postea coelum
„ Militat, ac solidos indulgent fata triumphos.
„ Hoc Margreta modo vitam est exorsa . . . . .

(e) *Gorrea*] Hanc *Gurream* nuper rectius adpellarat. Arcis eius, a longo tempore dirutae vestigia cernuntur, uno, alterove milliari ab urbe Helsingora, & freto Codano, quod *Oresundam* dicimus. Situs loci olim, & hodie inter amenissimos laudandus. Sed quod ad votum illud attinet, *se Deo coelum relicturum, modo Gurrea semper frui largiretur*; non dubito fabulam esse, ab inimicis confictam, quaemadmodum de epistola ad Papam dixi.

CIƆCCCLXXVI. nii adiunxere: & Slaglosiae, coram Haquino, Norvagiae rege, item uxore Margareta, a proceribus regni cunctis rex Olaus declaratur; ita tamen, *uti mater Margareta filium vix undecennem, dum maturam in aetatem adolesceret, ipsa regeret: &, ne regnum per id tempus aliquid detrimenti caperet, provideret*; additumque, *ut privilegiis ordo sacer universus, sicut sub prioribus regibus, illibatis frueretur; ordo equestris, nobilesque, ius selibrarum trium, ac novem, ampliusve, iuxta ditionum iura, exigendi potestatem, uti pridem habuissent, ita porro quoque haberent: neque ad militiam regis extra regnum tenerentur; quam si tamen etiam praestarent quidam, regis iussu, & interea domi, aut foris, caperentur, eos rex & intra annum suo sumptu liberaret, &, quae damna passi forent, ante alteram militiam resarciret: ac, qui domi substitissent, integra his nihilominus privilegia permanerent. Bellum rex ne praeter ordinis utriusque voluntatem inchoaret, quaeque bona praeter ius erepta cuicumque essent, ea ut restituantur, omni ope niteretur: ac, si in haec eius nomine aliquis praetendat quicquam, tum Episcopus ditionis arbitros duodecim daret, qui, obstricti iuramento, controversiam dirimerent; rebus regni nullum Ecclesiasticum rex admoveret: subditosque diffidentes ipse, ac praefecti eius inter se conciliarent. Nemo in vincula, nisi in facto deprehensus, aut convictus lege regni mitteretur; quae defunctus Valdemarus statuisset, nisi aliis privilegiis, aut decretis item novis, abrogata, aut correcta, ea rata haberentur. Agricolae ad reparandas regis arces, praedia, molas, nisi senatoribus regni adsentientibus, nullo modo tenerentur: nec coloni, qui haberent agros proprios, novo tributorum onere, dum persolverent, quicquid aliud deberent, gravarentur: nemo bonis* [(a)], *nisi maiestatis reus, aut malitiae contra patriam, mulctaretur; mercatores, Daniaeque quivis incolae, nisi a rege, ac senatu, rebus ita exigentibus, aliter statueretur, vectigalium immunes, libera commercia passim agitarent: nec quis in ius extra ditionem suam, quam incoleret, vocaretur; neu potentiorum quisquam cuicumque inferiori minaretur: qui fecisset, regi, aut Episcopo, pro eius ordine, cui minas intentasset, mulctam pendere damna foret: denique comitia antiquo more, ad vicesimum quartum diem mensis Iunii haberentur*. In haec admisso [(b)] ad regnum Olao, Aleholmiae Boguslaus [(c)] Stetinensis ipsi, & Haquino patri, atque matri Margaretae, Rugiae nomine, quam clientis titulo tum possidebat, fidem, & obsequium, iurat; moxque eadem Roschildiae Vratislaus, item fratres, ac nepotes, illi praestant. Inter ista, bellum Albertus Megapolitanus senior regno parat; etenim iniquum esse existimabat, legi Olaum, filia minore natum; & Albertum, ex Enrico filio nepotem suum, e maiore, praeteriri: neque animo reputabat, apud Danos eligi, non nasci reges. Advocabat in auxilium etiam Albertum filium, Sveciae regem. Iamque, classe comparata, mari sese committebat; quum tempestas ingens orta eam totam dissipavit, ac coegit vela vertere. Moxque, re permissa arbitris, visum fuit, *ut Olai iam electi, etiam porro regnum esset, & Albertus, quae in Dania ex hereditate avi Valdemari bona habere putaretur, Frederico Misnico* [(d)] *pronuntiante, ea uti possideret*. Quae quum ita acta essent, paulo post defuncto utroque, avo pariter, ac nepote, omnis ea controversia finem accepit. Hinc Vandalicae civitates, quam cum avo Valdemaro quindecim annorum pacem pridem fecerant, eam se habere ratam, datis literis, testantur. CIƆCCCLXXVII. Idem faciunt anno proximo adiacentes ad austrinum mare urbes, aliaeque, per Hollandiam, ac Zelandiam, Frisiamque, quae eodem foedere continebantur; quum iam prior his Olaus se earum privilegia, & immunitates quasvis tuiturum declarasset. Hinc comitia circa ineuntem Iunium Neoburgi celebrata, quibus cum Olaus ipse, tum & mater Margareta, curam sibi legum regni summam fore testabantur, & equestrem quoque ordinem, ac nobilitatem totam in eamdem obstringebant. Tum antistiti Lundiensi quartam partem cusae ibidem pecuniae, more dudum usitato, CIƆCCCLXXVIII. rex adtribuit. Mox collegio Lundiensi controversia cum regina Margareta quaedam nata est; quod, quum illa Lindeholmiae fere ageret, praefecti eius, hac occasione usi, CIƆCCCLXXIX. colonos suos praeter aequum divexarent. Sed composita ea statim anno proximo, ac promisit Margareta se deinde curaturam, ne quid CIƆCCCLXXX. tale eveniret. Nec multo post nobilitas quoque Scaniae tota Lundiensi Archiepiscopo pacem a se, ac tutelam pollicetur. Inde Olaus, mortuo Haquino patre, etiam Norvagiae regnum ex hereditate debitum adipiscitur. Atque ea occasione cum regina Margareta, ac proceribus Norvagiae agitatum, uti Danis, qui eorum pridem suasu regem Olaum elegissent, hanc vicissim gratiam facerent, ac deinceps regnum utrumque unius esse regis vellent. Finis anni, inundatione tristis, magnam Frisiis, ad Holsatiam accolentibus, cladem dedit, ac portendit suam Danis. Nam, dum in Norvagia Olaus agens patris celebrat exsequias, & rex etiam coronatur, occasionem

(a) *Nemo bonis*] Hic per bona intelliguntur *fundi* & *terrae*; non vero argentum, pecunia, aut bona alia, ut loquuntur, *mobilia*.

(b) *In haec admisso*] Dicendum foret; *in haec, & alia plura*. Multa enim praetermisit Meursius capita, quae cognosci poterunt ex Pontano, *pag.* 503. *seq.*

(c) *Boguslaus*] Non solum Boguslaus peculiaribus litteris Olavo, Haquino, & Margaretae, sicut noster, post Hvitfeldium, & Pontanum, recte ait, se obstringit; sed & aliis litteris eodem anno Vuartislaus, & Bugislaus fidem, & obsequium suum Daniae regno addicunt. Supersunt utriusque obligationis authenticae litterae in membranis. Quod contra dubitantem Cl. Schuuvartzium notamus, aliquando historiae illustrandae gratia ipsa haec diplomata, cum aliis, publicae luci expostituri.

(d) *Friderico Misnico*) Meursius hoc loco Pontanum sequitur; atque hic in Hvitfeldio latine interpretando nimis hoc loco brevis praeter morem suum. Hvitfeldius transactionis illius litteras, in quibus vere illud de permittenda causa arbitrio Friderici Marchionis Misnici legitur. Adduntur vero haec: „Quod si Fridericus iudicem agere recusaverit, causa deferatur „ad Burggravium Norimbergensem. Quod si & hic tergiversetur, solicitandus Rex Franciae. Si etiam arbitrium is refugiat, Rex Vngariae compellandus. Tamdem, si nemini „persuaderi queat, aut si Princeps, qui litem dirimendam „subsceperit, moriatur, certus numerus virorum utriusque partis, hinc ex Senatoribus regni Danici, illinc ex Alberti Megapolitani Consiliariis, arbitri deligatur &c.

CIϽCCCLXXXI. Sveciae rex Albertus capit; &, absentia eius usus, Scaniam vexat, efficitque, ut inducias Lundiensis, ac praefecti anni unius, ac trimestris constituerent, per quod tempus pacem haberent, & commerciorum utrimque inconcussam libertatem. CIϽCCCLXXXII. Inde arx Thuonis Gilckerii (a) Scaniae praefecti, Tystrupsoa intercipitur. Quod, an, moto ab Alberto Sveciae rege bello factum, an seditione quadam, ignoratur. CIϽCCCLXXXIII. Illud constat, mox Albertum, quum finitae induciae essent, quas iam dixi, cum exercitu copioso ingressum Scaniam, & Laholmiam illic arcem expugnasse; sed, regina Margareta occurrente, minime subsistere ausum, ocyus pedem retulisse. CIϽCCCLXXXIV. Inter haec Olaus in Norvagia agit, & commercia suis quaeque locis ordinat. CIϽCCCLXXXV. Inde in Scaniam revertitur; &, a pietate orsus, in Laurentiana aede, quae est Lundiae, digna rege dona obfert. Ac deinde obviam ad Lubershoiam (b) Scaniae nobilitatem blande excipiens, pacem illi, & privilegia sarta tecta pollicetur; ipsa rursum in Laurentiana aede obsequium suum sacramento obstringente. Ac inauguratio ea ideo potissimum facta, quod per illud ipsum tempus quindecim annorum induciae, quum Vandalicis civitatibus rege Valdemaro factae, quibus Scania ipsis pignorata erat, finirentur. Insuper, ut pietatem magis etiam declararet, privilegia dioecesi Lundiensi plura tribuit, quam priorum regum quisquam; simul etiam CIϽCCCLXXXV. Sveciae se verum heredem, ac legitimum, literis tunc promulgatis, profitetur. Inde etiam Othoniae, ac Canutiano ibi Monasterio leges veteres, & immunitates firmat. Vnde quum Slesvicum sese recepisset, in sodales illic sacros perbenignus, sua iis privilegia porro esse rata iubet. CIϽCCCLXXXVI. Mortuoque paulo post Henrico duce sine liberis, quum in eo stirps deficeret, convocatis mense Iunio desinente Neoburgum senatoribus, in Gerhardum filium Henrici Ferrei Holsatiae comitis, tum defuncti, eam ditionem transfert. Quin indictae supplicationes, etiam a praesulibus regni utriusque summis, aliisque Daniae Episcopis, ut incolumem porro regem, & reginam eius matrem conservare, ac res regni fortunare Deus vellet. Tum & ipsa Margareta Tystrupsoam, a Thuone Gilkerio emtam, postquam vita functa foret, dioecesi Lundiensi propriam dicat; ea exceptione tamen, si Olao e republica regni sui aliquando videretur eam evertere, id ut ipsi integrum foret; tignis tamen, & lapidibus, ac materia item cetera, e qua ea structa fuerat, tum & adiacente agro, in priori dioeceseos potestate permanentibus. Idque ipsum postea Olaus quoque ratum habuit. Qui deinde Falsterboae diem obit, anno regni CIϽCCCLXXXVII. duodecimo, vitae vicesimo, & secundo (c). Viscera eius Lundiae, in San-Laurentiano templo,

(a) *Thuonis Gilckerii*)! Error est, mox sequenti pagina iteratus. Ac nescio, quid Meursium permoverit, ut hoc loco Pontanum, quem semper alias habere ante oculos, in hac *secunda Historiae* suae *Parte*, consuevit, deseruerit. Pontanus vero sic *pag.* 508. *Erepta Thuoni Gallen Scaniae praefecto Thystrupsea*. Recte. Sed quia in textu Hvitfeldii legebatur, *Thue Gallen Gilkere*, Meursius vocabulum posterius ad cognomen pertinere arbitratus, verum cognomen *Gallen* eiecit, alterumque eius loco substituit. *Gilkere* vero, & *Gielkere* vocabulum est officii, olim praefecto Scaniae, vel summo provinciae eius Baroni, ut vocabant, peculiare: de quo superius meminimus nos dixisse.

(b) *Lubershoiam*) Locum in Scania inaugurationi Regum antiquitus destinatum.

(c) *Vitae vicesimo, & secundo*) Verba hic Torfaei, *Histor. Norveg. Tom. IV pag.* 511. adscribemus: „ De aetate eius scri- „ ptores variant. Duos & viginti annos natum decessisse Hvit- „ feldius, & eius interpres Pontanus, eosque sequuti alii sta- „ tuunt. Nostri Annales *Libro Originum Norvegiae* consentien- „ tes, qui decenni ipsi patrem morte ereptum tradunt, eum „ aetatis decimo septimo *disparuisse* memorant; & quidem Da- „ nos mortuum professos, subspectae fidei Norvegis fuisse. Quid „ autem in re a temporibus nostris adeo remota definiendum „ sit, ego haud dixero. „ Nempe, vel ex hoc Torfaei loco, quo egregium *Historiae* suae *Norvegicae* opus claudit, liquere arbitror, quam constanti studio vir optimus, atque alias κριτικώτατος, fuerit erga Norvegorum, Islandorumque suorum traditiones, ut, nisi evidenter falsas reperisset, aegre eas damnare, aut reiicere substinuerit. Itaque neque ausus est pronunciare, veramne hoc anno mortem obierit Olavus, an Danorum fraude *disparuerit*. Insederat scilicet Norvegorum animis haec subspicio, tanto altius, quanto acerbior acciderat adolescentis Regis sui iactura, qui *prognatus* (ut Torfaeus loquitur) *ex omnium, quorum tunc memoria habebatur antiquissima, sive paternum, sive maternum genus spectetur, Regum prosapia, ultimusque virilis stirpis fuit, qui eam gloriam substineret*. Eum nunc in alieno solo, apud Danos; cumque ipso iam defecisse penitus antiquissimam Regum suorum progeniem, invitissimi percipientes, sceleri id hominum potius, quam fato, aut coelesti decreto imputare; imo ne mortuum quidem voluerunt credere, quoddam quasi dolori suo lenimentum in hac persuasione quaerentes. Et quis nescit, talia in historiis exempla occurrere acerrimi populorum amoris in Principes suos usque eo, ut vanis etiam rumoribus spes suas, ac desideria commodando tentarint, iampridem extinctos denuo in vitam revocare? Nota sunt, quae de Arturo Angli, de Iacobo IV. Scoti, de Carolo Audace Burgundiones, de Baldvino Flandri, de Sebastiano Lusitani, sibi persuaderi passi. Et Norvegi nostri, quam suavia sibi somnia olim finxerint de Olavo Triggvino suo, quasi a pugna Svoldrensi, (qua tamen submersus in mari periit,) natando ad lembum Vandalicum enixus, atque inde in terram expositus, Romam primum, hinc in Orientem profectus sit, ubi ad ultimam senectutem sub habitu religioso vitam Deo devotam egerit, ipse Torfaeus per integra duo capita persequitur, *Histor. Norv. Tom. II a pag.* 453. *ad* 456. Ceterum, quod ad similem modo subspicionem de ultimo Olavo, Haquini, & Margaretae filio adducti sint; nempe, ut haud obiisse, sed disparuisse, & alicubi occultari opinarentur, ego non dubito adscribere consilio, & agendi rationi ipsius Reginae matris, quippe quae videtur aliquamdiu mortem filii celare, quantum fieri posset, voluisse, ne ulli de ea ad populum rumores emanarent, antequam cum proceribus Norvegiae certi aliquid de successione in illud regnum haberet statutum, confirmatumque. In hoc autem perficiendo menses aliquot insumebantur; nam Olaus, cuius funus e Scania ad Monasterium Soranum Dominica ante diem S. Laurentii delatum, si non prius, certe primis Augusti diebus, aut mense Iulio videtur extinctus. Conventio autem cum Norvegis, de Margaretae, atque illius, quem ea ex nepotibus sororis suae Ingeburgae nominasset, hereditario in Norvegiam iure, non hoc anno, sed sequentis initio, consummata. Itaque Norvegicum vulgus, cuius ad aures de morbo, & valetudine Olavi nihil, de obitu vero forsitan vagi quidam rumores pervenerant, iam demum, post tot mensium intervallum publicata illius morte, ad sinistras opiniones delabebatur Neque Norvegi soli, sed & vicini Sveci prava quaeque subspicabantur. Vnde haec apud Ericum Vpsalens. in *Histor Svec. lib.* 4. „ Filius Haquini „ Olaus, quo devenerit, aut ubi, & qua morte obierit, igno- „ ratur; nisi quod mater eius quemdam Olaum, qui se dice- „ bat filium eius, igne fecerit concremari. Sicque illa, patre „ suo defuncto Valdemaro, regnum Danorum hereditario iure „ subscepit; Regni vero Norvegici, marito defuncto, & filio, „ nescio quo iure obtinuit dominatum. „ Messenius in ipsam matrem parricidii subspicionem confert, *Chronol. Scond. p.* 31. „ Anno 1387. nobilissimae Princeps indolis Olaus, Danorum, „ & Noricorum Rex, ignota occumbit morte, dolo fortassis „ materno procurata, cum Margareta regnandi fuerit cupidissi- „ ma. „ Itaque a nebulone illo, qui post quindecim inde annos personam Olai mentitus, plebem studebat concitare, haud leve periculum imminuisset, nisi illum mature correptum Regina ignis supplicio tradidisset. Historia illa, Meursio omissa, legitur in *Chronico num. V.* inter Danica Dn. de Ludewig *pag.* 118. „ Anno 1402. Margareta, eadem trium regnorum „ aquilonarium potens Regina, iuvenem quemdam, qui forma „ corporis, & aetate vero filio eius Olao non dispar videretur, „ cum secretissima quaeque, & quae non solent nisi inter ma- „ trem, & filium constare, signa prodidisset, instinctus ab „ Olai filii nutrice; qui quod & filium eius simularet, ipsa „ tamen mortis filii certissima, convictum de falsitate in Falster-

CIϽCCC LXXXVII. plo, quod egregie exornaverat, collocata; corpus Soram eſt tranſlatum, ubi & inpraeſens eius epicedia, proſa, ac verſa oratione obſervamus. Erat certe bonus princeps, & inſignis pietate; pacis iuſti, atque aequi iuxta amans; prudens ipſe pro aetate, & conſilia ſenatorum, quos plerumque comites habebat ſibi, perbenigne admittebat. Vita longiore dignus, ſi ſic Deo placuiſſet. Sed is ſaepe, ob delicta ſubditorum, bonos reges potius oſtendit regnis, quam concedit.

H I-

„ ſterboe iuſſit concremari. „ Quibus conſona narrant Herm. Cornerus *Chron. col.* 1185. Crantzius *Dan. lib.* 7. *cap.* 41. *Norveg. lib.* 6. *cap.* 8. & *Vandal. lib.* 10. *cap.* 7. Pontanus *lib.* 9. *pag.* 534. & alii. Sed & hanc impoſturam Meſſenius ſtudet in Margaretae infamiam detorquere *Analect. Scond. Tom. XII. pag.* 207. quamvis eodem loco fateatur, non verum Olaum, ſed nutricis eius filium fuiſſe, quem concremari fecit Margareta. Erpoldi Lindenbrogii, vel auctoris, quem ille edidit, *Hiſtoria Regum Dan. pag.* 44. *ſeq* haec tantum de Olao noſtro habet, rebus Margaretae inſerta: „ Haec regnante patre nupſit Haquino; filio Magni Smeg, Re- „ gis Sveciae, & Norvegiae, cui unicum filium genuit Olaum „ nomine, anno Domini 1341. qui fertur ignota morte pe- „ riiſſe nondum accepto regno anno 1384. „ Vtrumque iſtic annum peſſime ſe habere, haud neceſſe, ut moneamus, quum Olavus anno 1387. fato functus ſit, Margareta autem mater anno 1341. ne quidem ipſa fuerit in lucem edita. Hoſque iſtius Hiſtorici errores in rem ſuam vertit, ut auctoritatem eius infringat, Lucas Waddingus *Annal. Ord. Minor. ad ann.* 1415. §. 22. agens de B. Henrico Peruſino: Ad cuius conſiderationem, quum is etiam pro Olao, aut fratre eius oſtentetur, oratio noſtra nunc devolvitur. Scilicet refert Waddingus loc. cit. (*nov. edit. Tom. IX. pag.* 375. *ſeq.*) traditum a Mariano Florentino, & Marco Vlyſsiponenſi, Peruſiae anno 1415. tertio Idus Martias obiiſſe Henricum, ſive Ericum Principem, filium Haquini Regis, & Margaritae, Tertii Ordinis S. Franciſci profeſſorem. De quo ab iiſdem auctoribus haec narrata: „ A pueritia rebus divinis addictum, „ neque a matre Margarita, neque a proceribus regni adduci „ potuiſſe, ut a morte patris ſui, & fratris Olavi ſceptrum „ regium capeſſeret, aut procreando ſucceſſori uxorem accipe- „ ret; quin potius, ut moleſtas ea de re interpellationes effu- „ geret, in quamdam abditam ſolitudinem aufugiſſe, & ter- „ tium S. Franciſci Ordinem amplexum, complures annos in „ extrema rerum inopia vixiſſe, exercitiis ſpiritualibus, ora- „ tioni, & meditationi rerum coeleſtium intentum. Tamdem „ a ſuis diligentiſsime conquiſitum, repertum, & in regnum „ reductum, miraculo inſigni ſanctitatem vitae illuſtraſſe. Pro- „ ceres voluiſſe illum reipublicae adminiſtrandae admovere; ma- „ trem, ſive quod nollet adminiſtrationi regni cedere, ſive quod „ illum filium ſuum eſſe minime crederet, (adeo vultum eius „ adſpera poenitentia immutaverat,) captum, in ignem maxi- „ me accenſum coniici imperaſſe. In eo noſtrum ſtetiſſe ali- „ quanto tempore illaeſum, ſpectante, & ſubſpiciente prodigium „ populo univerſo. Iſto tamen Divinae potentiae argumento, „ ut illud contra matrem urgeret, non curato, Henricum no- „ ſtrum regno iterum egreſſum, auſteritatemque vitae proſe- „ quutum, longa peregrinatione ſubſcepta, in Italiam, ad vi- „ ſenda Apoſtolorum limina, & S. Franciſci Sepulchrum vene- „ randum veniſſe; quumque apud Peruſiam ageret, febri cor- „ reptum, poſtquam quis eſſet manifeſtaſſet, animam Deo „ reddidiſſe. „ Subiicit in ſequentibus Waddingus geminam inſcriptionem arcae, qua loculus Beati obductus; priorem hanc: *Henrici hic corpus; ſpiritus ante Deum*. Alteram vero his verſiculis conceptam:

„ Qui potuit coelum precibus contingere ſacris,
„ Qui potuit Daciae regna tenere tria.
„ Qui iam paupertatis amator, cultor & urbis
„ Iſtius, veniens huc peregrinus obit.
„ Quique iter ad coelum demonſtrat, quique ſalutis:
„ Hic nunc aetherea det regione frui.

Huic autem traditioni, quam nunc integram expoſuimus, cum Abrah. Bzovius in *Annal. Eccl.* obieciſſet; ex Alb. Krantzio, & Erpoldo Lindenbruchio, Haquino unum ſolum fuiſſe genitum ex Margareta unica coniuge Olaum filium, & hoc morte praematura defuncto, alium quidem prodiiſſe iuvenem, qui ſe Olavum mentiretur, ſed detecta falſitate publico condemnatum iudicio, & concrematum; repoſuit Waddingus, (praeter trivialem contra haereticos, Monaſticaeque rei hoſtes exceptionem,) partim infringendo hiſtoricorum Daniae auctoritatem, ex mirabili circa omnia Olavi geſta eorum varietate, partim *viam aperiendo verificandi* (ut iſtic ſcribitur,) *Hiſtoriam illam Peruſinam*. Haec autem via in eo conſiſtit; ut *tota Henrici hiſtoria Olavo convenienter adaptetur*; id quod ſatis effici poſſe haud dubitat Waddingus. Nam, quum Erpoldus adſerat, *incerta morte* Olavum in adoleſcentia periiſſe; Krantzius vero in narratione de iuvene, habitu, & corpore Olavo per omnia ſimillimo, indicet illum haud tunc, quum mortuus diceretur, periiſſe, ſed ab aulae conſpectu evanuiſſe, & alio dilapſum eſſe; ex epitaphio denique per Pontanum tranſcripto colligatur, de exceſſu Olavi dubitatum fuiſſe etiam adulto Margaretae imperio, neque defuiſſe, qui vivere eum fingerent, crederentque; Waddingus veriſimile arbitratur, „ *Olavum* anno illo, quo mortuus in hiſtoriis noſtris „ dicitur, regnandi ſpreta maieſtate, ſeſe clam ſubduxiſſe, inque „ eremum vitae tranquillioris, & ſanctioris cupidine abiiſſe, „ atque inde poſt aliquot annos non tam rediiſſe, quam a pro- „ ceribus, Margaretae pertaeſis, & varias ob cauſas, quas vel „ ipſe Pontanus paſſim enarrat, eidem infenſis, ad ſceptra re- „ vocatum, a genitrice repulſum, & tamquam impoſtorem „ ad ignem damnatum; ſed a flammis, vel procerum indu- „ ſtria, vel coeleſti ope liberatum, & inde ad priſtinum vitae „ genus regreſſum, ſub Poenitentum, ſeu Tertii Ordinis ha- „ bitu, *& mutuato, ut ſecurius lateret, Henrici nomine* in „ Italiam veniſſe, ac Peruſii feliciter obiiſſe. „ Et haec ſumma eorum eſt, quibus fabulam incruſtare doctiſſimus Minoritarum hiſtoricus eſt conatus; cui ea utique condonanda, quae de varietate monumentorum noſtrorum, quotquot is cognita habuit, pronunciavit. In his enim, ſi Lindenbruchium cum Crantzio, utrumque cum Pontano, omnes vero cum Epicedio Sorano proſa conſcripto, conferas, nihil conſtans, circa nativitatem Olavi, circa regnum, aut regnorum ordinem, vel circa mortem invenies. Sed Lindenbruchii ille *Anonymus* nullius momenti auctor, ex minutorum genere, permultiſque tam in annorum numeris, quam alias, mendis detoedatus. Crantzius obſcurius loquitur de ſucceſſione Olavi in utrumque regnum Norvegiae, & Daniae, neque definit annos, quibus vivere uterque avus deſiit. Epicedia vero illa Sorana, tam quod proſa, quam quod verſa oratione exſtat, nequaquam, ut credidere Pontanus, exque eo Waddingus, ipſeque Torfaeus noſter, regnante Margareta facta; ſed auctorem habent duobus fere ſeculis recentiorem. Fuit ille Ivarus Bartholinus, olim in Academia Hafnienſi Profeſſor, poſtea ab anno 1572. Monaſteriis Sorae, & Ringſtadii a Rege Friderico II. praepoſitus, & anno 1583. Sorae defunctus. Is enim quum iſtic degeret, ex mandato Regio non ſolum hoc Olavi, ſed & plura epitaphia, quae in eodem templo conſpiciuntur, fecit; quod, etiamſi Pontano, pluribuſque ignoratum, mihi tamen certiſſimis ex documentis conſtat. Atque ille Theologiae quidem, & Philoſophiae gnarus, ſed ab hiſtorica doctrina anguſte, & mediocriter inſtructus, in priore epitaphio admodum craſſe erravit, Valdemari obitum tempore poſteriorem faciens Haquini morte, quae omnino quinto anno contigit poſtquam Valdemarus deceſſerat. Igitur in Olavi hiſtoria ſufficit, Pontano, & Meurſio adhaerere, Hvitfeldium ſequutis, ideoque ſatis hic accuratis. In altero epitaphio verſus illi habentur, unde Pontanus, & Waddingus concluſere, etiam adulto Margaretae imperio dubitatum fuiſſe de Olavi morte; hi vero ſunt:

„ At qui me ob ſimiles vultus ſe finxit eumdem,
„ Nutricis ludens arte doloque meae,
„ Falſterbodenſi cineres commiſit arenae,
„ Supplicium in ficto corpore ut ignis agat.

Verum, quando indubitatum eſt, ab Ivari Bartholini ingenio etiam hos verſus profluxiſſe, & circa annum 1580. fabricatos eſſe, evidens quoque, neque bonum, neque malum inde confici in hac quaeſtione argumentum, ſed plane nullum. Plura ad Waddingi, (vel potius Mariani Florentini, & Marci Vlyſſiponenſis) *traditionem* de B. Henrico adnotare ſupervacuum; poſtquam egregie hic omnia praeſtiterunt Henſchenius, & Papebrochius in *Actis Sanctor.* ad d. XIII. Martii *pag.* 339. *ſeq.* cuncta, quae a nobis poſtulari poſſent, imo plura etiam, quam mihi, vel aliae meae gentis licuiſſet, adferentes. Ceterum illi, qui e S. Sebaldo Noribergenſi Olavum noſtrum effinxere, haud ulla attentione, nedum opera noſtra digni; ſiquidem cultus illius Sancti, pro Danico principe (quamvis, ut erudite oſtendit Falckenſteinius *Antiquitat. Nordgav. Tom. I. cap.* 7. *Sect.* 20. perperam) ex vulgari traditione habiti, aliquot ſeculis Olao Margaretae filio eſt antiquior.

HISTORIAE DANICAE

LIBER V.

In quo res Margaretae, Erici X. *& Christophori* III.

CIↃCCC LXXXVII.

Postquam, mortuo Olao, Dania, Norvagiaque regibus parere suetae, numquam regimen muliebre admisissent, Dania tamen Margaretam, cuius pridem aequitatem, & prudentiam perspexisset, prona admodum accepit. Erat ei ex sororis Ingeburgae (a) filia Ericus nepos, Vratislao Pomerano patre natus; quem pro filio adamatum, mox consortem (b) etiam regni esse voluit, insuper spem fecit Danis, apud Norvagos id se effecturam esse, ut nec illi, praeter voluntatem suam, aut senatus item regni, regem sibi ullum caperent. Itaque reginam eam primi Scani, hinc Sialandi, & Fionii, inde Cimbri salutarunt. Idem Norvagi fecerunt anno proxime sequuto; eo maxime permoti, quod Alberto Megapolitano electo, Sveci iam a stirpe mascula, & legitima discedentes, Haquino, & Olao exclusis, feminae (c) se submisissent; tum quod etiam Albertus, & Henricus item frater, qui sororem Margaretae Ingeburgam uxorem duxerat, bello non Haquinum tantum, & Olaum, sed & Daniam, ac Norvagiam varie iam divexassent. Quam ob causam, sic volente Margareta, constitutum, ut Henricus regno utroque (d) excluderetur; & spe succedendi erepta, Albertus frater (e) ab auxilio adferendo alienus redderetur. Quin sententiam senatorum Margareta item exquirere, quos Norvagiae heredes veros, ac legitimos, post mortem suam existimarent; atque illis respondentibus, Vratislai Pomerani liberos esse, quos is ex Maria nepte, sororis Ingeburgae filia, substulisset; porro effecit, ut hoc ipsum scripto publico declararent, & heredem quoque ex illis, quem renuntiaret ipsa, constituerent. Post quae, quum ulterius etiam agitaret, Ericus Vratislai filius, adhuc infans, regni heres proximus renuntiatur. Erat & Haquinus quidam, regum Norvagorum sanguine, uti credebatur, natus; vir, ut multo nobilissimus, ita inter Svecos locuples; cui, tamquam stirpe mascula oriundo, quum in regnum iuris aliquid multi esse existimarent, nec is tamen satis potens ad hoc vindicandum foret, facile regina obtinuit, uti illo, qualecumque demum esset, volens cederet. Itaque regina Daniae constituta Margareta, ac consorte item regni utriusque dicto Erico Pomerano, excluso Henrico (f) Megapolitano, bellum Daniae, ac Norvagiae, Sveci, & Megapolitani intulere. Quumque Margareta se per illud tempus Sveciae reginam (g) scriberet, Daniae quoque, ac Nor-

CIↃCCC LXXXVIII.

(a) *Ingeburgae*) Haec maritum habuerat Henricum Megapolitanum, Alberti filium.

(b) *Mox consortem*) Non statim hoc effectum, sed in nonum usque annum dilatum, propter minorem Erici aetatem. Itaque rectius loquitur Pontanus *pag.* 513. *Postea quoque in regni consortem adoptavit*. Fabulas nobis narrat ex Pomeranicis suis Micraelius (*Histor. Pomer. lib.* 3. *pag.* 391.) dum Erici matrem Mariam scribit anno 1382. marito tunc in peregrinatione Hierosolymit. mortuo, viduam, in Daniam, ad invisendam materteram Reginam traiecisse, atque Ericum filium adduxisse, pulcherrimum adolescentem annos habentem quatuordecim: Huncque Reginam a se dimittere noluisse, sed filii loco adoptatum, Senatoribus Daniae ann. 1396. ut Regem caperent, persuasisse. Certe anno 1382. haud vidua erat Erici mater, sed anno demum 1392. aut 1391. marito orbata. Iam si opinaberis, bis eodem in loco Micraelium in numero 1382. hallucinatum, atque errorem omnem tolli, rescribendo 1392. tamen Ericus, utpote anno 1382. natus, nondum habebit annos quatuordecim, quippe quos anno 1396. tamdem explevit; etiam, si nostris Annalibus fides, ab anno 1388. cum sexennis esset, a matertera heres designatus.

(c) *Feminae*) Error est typographicus, pro *femineae*. Quod omnino heic reponendum, ut referatur ad praecedens, *stirpi*. Sensus utique manifestus, Svecos modo se feminae subiecisse stirpi, quum ex Euphemia Svecica natus Rex Albertus esset, praeterita virili, ex qua Haquinus, & Olaus progeniti.

(d) *Vt Henricus utroque regno*) Henricum tunc excludere haud sane opus erat, quippe iam ab anno 1383. fato suo perfunctum, Meursium hic seduxit Pontanus, qui *pag.* 514. ostendit, non satis se ad Principum Mecklenburgicorum (alias Megapolitanorum) fata, & successiones attendisse, uti neque Hvitfeldii vestigiis ita, ut alias solet, presse institisse. Adduxit Hvitfeldius *Tom. IV. pag.* 51. Senatorum regni Norvegici litteras, scriptas in arce Aggershusiae anno 1388. *prima Quadragesimae Dominica*, queis profitentur „ sese Margaretam „ Norvegiae, Sveciaeque Reginam, veramque heredem, & „ Principem regni Danici, elegisse in suam totiusque regni Nor„ vegiae veram Principem, ac Dominam; quumque interrogas„ set illa ipsa, quisnam, post suum e vita excessum futurus „ deinde esset heres Norvegiae, libenter enim ipsam optare „ successorem sibi Albertum Ducem Meklenburgi, Ducis Hen„ rici filium, suum ex sorore nepotem, sese (regni Norvegici „ Senatores) clare, & liquido declarasse, dictum Albertum, „ quia eiusdem parens, paternumque genus Regno, Regibusque „ Norvegiae adversati essent, omni hereditate, & successione „ in Norvegiae regnum, vi Norvegicae legis excidisse, eorum„ que loco filium Vratislavi Pomeraniae Ducis, utpote qui ex „ nepte (h. e. sororis filia) Margaretae, Regis Olavi matris, „ procreatus esset, verum, & legitimum heredem fore &c. „ In hoc ergo diplomate nulla habetur Henrici mentio, nisi quod indicetur, eum defunctos Norvegiae Reges Haquinum, & Olaum infestasse, solus autem nominatur Albertus, Henrici filius, (is in *Histor. Mecklenburg.* Albertus IV. pater autem Henricus VIII. nominantur.) Nempe, quando eum Regina Norvegis eligendum proponebat, etiamnum in vivis erat; mortuus tamen, tunc cum litterae Senatorum scriberentur; siquidem mense Decembri anni 1587. decessit.

(e) *Albertus frater*) Heic intelligit Regem Sveciae, in ordine Principum Megapolitanor. *Albertum III* dictum, qui frater erat Henrici VIII. & patruus Alberti IV. regno Daniae destinati. Vid. *Stemma Genealog.* apud Pontanum *pag.* 512. ubi tamen observandum, aliis *Albertos* illos numeris, quam a domesticis Scriptoribus recentioribus, Chemnitio, aliisque designari.

(f) *Excluso Henrico*) Eadem, quae nuper hallucinatio. Hvitfeldius *pag.* 57, scribit, bellum exortum, ob filium Henrici Albertum in electione praeteritum. Nesciebat, ut videtur Cancellarius, hunc Albertum circa finem praeteriti anni mortuum. Attamen levior hic error, quam de Henrico loqui, ante quinquennium fere defuncto.

(g) *Sveciae Reginam*) Quia scilicet coniux Haquinus sese Norvegiae, & Sveciae Regem scripserat, iure optimo, parente utpote, regni utriusque Rege, & herede natus.

CIↃCCCLXXXVIII

Norvagiae titulum Albertus sibi, ceu iniuriam ulturus vendicavit; quin & eo est provectus, ut mutatis regni Sveciae insignibus, pro leone, triplicem lacum transmittente, tres coronas totidem regnorum indices usurparet. Quamquam sane Sveci dicerent Gothiae, qua se ad ortum illa, & occasum porrigit, proprium leonem esse, ac coronas speciatim ad regnum Sveciae, & Oplandiam pertinere. Insuper, quod rege indignum, ad convitia prolapsus, modo hanc *Reginam absque bracca* dictitat; modo *Monachorum ancillam*, quod addicta sacro ordini, maxime Soranum Abbatem, cui peccata confiteri solita esset, inhonesti etiam suspecta amoris observaret. Etiam iactasse fertur, non se ante usurum pileo, per id tempus usitato, quam cum Svecia regnum Daniae coniunxisset. Ac quantumvis de limitibus, arciumque item aliquarum situ dissiderent, tamen ista magis animos accendebant. Hinc praesidia in limitibus, arcibusque collocata, & illati commeatus, ac Albertus in Megapolitano agro, proximaque huic Germania, Margareta in Pomerania sibi auxilia comparare. Quin & ille cotem huic per contemtum longam mittere, qua cum ipsa, tum & gynaeceum eius universum, acus suas, forfices que exacueret. Et haec etiam Roschildiae in maiore urbis templo, ad parietem suspensa, hodie spectanda exstat[a]. Inter ista serio paratur bellum, & habebat Margareta inter Svecos, qui non parum in partes suas propenderent, eos maxime, qui evectum ad id regnum pridem Albertum, in Haquinum magis proni, aegre ferrent. Tum & displicere ille ibi ceperat; quod indigenis praeterhabitis, regni maxima negotia, item arces, ac munitiora loca peregrinis, Sveciae res ignorantibus commisisset; tum ad matrimonia extraneorum virgines quasque, viduasque nobilissimas adegisset; sanguine interdum sibi iunctos dicens, homines nullius loci, & prosapiae obscurae; uti nuptiis tam illustribus non indigni viderentur. Ad haec belli contra Daniam praetextu, incolas tributo nimio onerabat; &, exhaustis inde opibus praedia in agris sua, tertiamque illic villam, ne deficerent impensae, exhibere compellebat; & nonnumquam, invitis quoque possessoribus occupabat. Quibus proceres offensi, quum orarent, *ne immunitates regni, atque iura, in quae sacramentum dederat, imminueret*; adderentque, *si audire monentes vellet, & extraneos dimittere, facile se effecturos, ut stipendia illis debita exsolvantur; praediaque, atque arces, quae eorum nomine in pignus datae liberentur; tum & regnum universum denique exoneretur*. Sed Albertus, recta adeo consilia adspernatus, ac propositum porro urgens, quum id pertinacius faceret, Sveci se respicientes, a regina Margareta opem petunt: atque illa pollicetur, ea lege, *uti se reginam adgnoscant, ac legitimam heredem, qualem & maritum Haquinum ante mortem adgnovissent*. Quo responso etsi multi e proceribus graviter percellerentur, exstitere nihilominus, quibus *quidlibet facilius, quam praesentem statum ferre*, censeretur. Itaque paulatim ei fidem obstringunt, & obsequium; praeeunte in exemplum Magni F. Algotho[b], qui Marcanam ditionem, ac Kyndanam, item arces Obersteinam, & Oresteinam statim tradit. Quem sequuti, qui iam dudum alieni ab Alberto, in occulto Margaretae, & Haquino, dum vivebat, studia sua destinaverant. Per hos illa in potestatem suam accipit Albam[c], Tavastam, Razeburgum, Castelholmum, Crytzeburgum, ac Helsingiam universam, cum fodinis Dalecarliae ferri, & æris; tum & totam Ostrogothiam. Ac fodinae quidem æris cum Holsatis, ob stipendium debitum Henrico Ferreo, qui pro Svecia contra Moscos militaverat, pignoratae in partem essent, ut facilius Gerhardus Holsatiae comes ab Alberto abduceretur senatores, qui cum Margareta erant, iam amplexis eius partes Dalecarliis, potestatem illi faciunt, uti de fodinis istis pro arbitrio ipsa suo cum Holsatis agitaret. Tamdem quoque Ericus Ketelius regni equitum tribunus, sese Margaretae dedit; quaeque a senatu pridem facta essent, rata habet. Ablegaverant ad reginam Byrgerum Vlfonem, & Stenonem Benedictum, ut cum ea suam illi vicem agerent, qui quum mox reversi essent, atque acta retulissent, literas Nicopia senatus scribit; & in istis veram Sveciae reginam, ac Norvagiae, sicut Daniae consalutant; tum, & rata se habere, quae ab illis acta forent, adtestantur. Albertus armis rem gesturus, quum indigenae militis non satis esset, ad extraneum comparandum, a praefecto equitum Crucigerorum in Borussia, Cunrado Iungingenio, aureorum millia viginti[d] accipit, & Gothlandiam oppignorat. Quo subsidio e Saxonia, agro Megapolitano, & Holsatia haud exiguam manum parat. Aderat & Bugislaus dux Stargardiae, comes Holsatiae, Gerhardus, ac Repini item, Otho[e]. Margareta, animi virilis femina, & consilii non se deserit; obviamque illi mittit duces belli peritissimos, Ivarum Luckium, Henricum Parovium, Vikenum Norbium, ac Lotharium Caboltium. Ad Faloniam[f] conveniunt, Gothiae occidentalis pagum, inclinante iam Septembri, acriterque manum conserunt. Fortiter pugnatum utrimque, & victoria aliquamdiu in ancipiti, donec tamdem fusi Sveci, ac fugati. Caesi plurimi; capti, ipse rex Albertus, & Ericus eius filius; tum, quos memo-

(a) *Spectanda extat*] Non iam extat amplius. Fertur enim, Svecos per belli tempus, quo Hafniam obsidebant, an. 1658. eam e templo Roskildensi abstulisse.

(b) *Magni filio Algotho*] Nomen ei *Albertus Magni filius*, vernacule, *Algod Magnus son*, proavus inclyti Sveciae Gubernatoris, Svenonis Sturaei senioris. Vid. Erici Benzelii *notae ad Diar. VVazstenense col.* 229.

(c) *Albam*] mendum est, corrig. *Alboam*.

(d) *Aureorum viginti millia*] Rectius utique Pontanus *pag.* 519. scribit, *viginti millia dublonum*. Ericus Vpsalens. *p. m.* 141. xx. millia *Noblorum*. Etenim ex vulgari adpellandi usu *Aurei* multo minoris erant valoris, quam *Dublones*. Hos Hvitfeldius eosdem fuisse dicit, qui alias *Nobiles* vocabantur: *Dublones* adpellati, quia *duo scuta aurea* aequabant. Atque hunc *Nobilis* valorem fuisse probat Spelmannus ex litteris Iohannis Regis Franciae, quibus sese spondet soluturum fore Edvardo III. Regi Angliae pro sua redemtione *trois milions d' escus d' or, dont les deux valent un Noble de la Monnoie d' Angleterre*. Melius infra Meursius ad annum 1398. *Col.* 551.

(e) *Repini item Otto*) corrig. *Rupini*. Et sic paulo inferius.

(f) *Ad Faloniam*] Eric. Vpsal. in *Fala Vestrogothiae ad diem S. Matthaei*.

CIƆCCC LXXXVIII memoravi, comites Repini Otho, & Holsatiae Gerhardus, ac Rudolphus Episcopus Scarensis. Rex, & filius, primo in Bahusiam arcem, limitaneam in Gothiae occidentalis, ac Norvagiae ad reginam Margaretam: hinc Lindholmiam, Scaniae munitionem, ubi septem circiter annos exigere, abducuntur; ceteri in alia loca distributi. Quum Albertus hunc in modum captus esset, Sveci super novo rege eligendo dissedere, ac vicere tamen illi, qui captivo regi suo, neque causa satis cognita, successorem dare velle, ab honesto, uti erat, alienum, statuebant. Itaque dilata in praesens Margaretae inauguratio; quum interea inter se Germani, & Sveci altercantur; dum Germani his improperant, *de eorum fide agi, nisi regem suum liberent*; & hi regerunt, *nec susceptum a se bellum, nec in id consensum esse. Quin ad ipsos, qui auctores mali essent, potius id pertinere, se tributis sic exhaustos, ut tueri libertatem haud ultra queant*. Quae dum agitant, mox Rostochium, atque Megapolitani, & Vismaria, arma in reginam capiunt; maxime cum partes regis, quamquam capti, & Stucholmum regni caput, & nonnulla loca alia etiamnum sequerentur. Itaque in praedam dantur tria regna, & Ioannes Megapolitanus classem Balthicum in mare educit. Quae, initio tempestate dissipata, postquam reparata esset, recta petiit Stocholmum. Ubi facta exscensione, oppidum obsessum inveniunt, liberantque; & important commeatum aliquamdiu suffecturum; inde in vicina loca facto impetu, agunt omnia, feruntque. Occurrebat ad Tillingam rusticorum multitudo, & grassantes coercere cupiebat; sed, dum imprudentius agit, frustra sine duce fortis, pene universa cadit, efficitque, ut is locus in memoriam huius stragis, postea *Mons rusticorum*, quo & nomine, hodieque adpellatur, diceretur. Neque hic ferocia stetit; verum Megapolitani, ut piraticam ipsi acriter exercebant, ita alios ad eamdem invitabant, & in portus admittebant. Qua re factum, ut praedonibus pleno mari, ingens passim regna damnum paterentur. Quin Gothlandiam expugnant; &, piraticae illa statione usi, omnia infesta habent. Inter haec, in Svecia Calmarienses etiam partes Margaretae amplectuntur. In

CIƆCCC LXXXIX Germania dux Stetini, ac princeps Rugiae Bugislaus, fidem ei, & auxilium contra qualemcumque hostem pollicetur. Mox regina convocari denuo Norvagiae senatum iubet; ac, quum ille convenisset, successorem sibi verum, & legitimum, Ericum Pomeranum dicit, natum ex Maria nepte, sororis Ingeburgae filia. Etenim femina prudentissima ad prosapiae suae decus pertinere non immerito censebat, ut, quum diem ipsa suum obiisset, ea etiam deinceps tria regna borealia possi-

IƆCCC XC. IƆCCC XCI. deret. Quod sequutum est biennium, in Norvagia, Sveciaque fere egit; rebus ibi, ut videtur (a), ordinandis, & dissidiis intestinis com-

IƆCCC XCII. ponendis occupata. Hinc in Daniam reversa, cum Gerhardo Slesvicensi, & Holsatis pacem firmat, statuitque; solam ducis, comitumque in ducatu Slesvicensi, & Holsatia iurisdictionem fore; neque se deinceps quidquam ibi curaturam esse. Ac vicissim hi negotiis regni Danici abstinerent, nec Gerhardus aliquid praeter clientelam, & obsequium, quo obstrictus regno, ac reginae erat, cogitaret. Piratae, quos commemoravi paulo ante, quum viderent rem paulatim ad pacem ire, ac futurum, ut desistere a piratica cogerentur, mare Balthicum deserentes, in Oceanum se effundunt: &, Norvagiam infestantes, Bergam, emporium in hoc tractu nobilissimum, populantur. Inde, quum regina eorum navem unam nacta esset, sociosque, qui in illa octoginta, digno capitis supplicio adfecisset dissipati, pars ad suos redierunt, pars ignota littora septentrionis oberrarunt, quidam in occidentem versi, & in Frisia commodam stationem adepti, naves Belgii, Galliae, Britanniaeque, & Hispaniae infestarunt. Margareta

CIƆCCC XCIII. animo ad pietatem adplicato, partem alteram arcis, atque praefecturae, Viburgensis praesuli eiusdem donat. Nec contenta liberalitate

CIƆCCC XCIV. ista, Lundiensi dioecesi privilegia, & immunitates firmat. Moxque ad eam, Helsingburgi tunc agentem, quum legati a Vandalicis civitatibus, de Alberti, iam sexennium captivi, liberatione acturi advenissent, & ex iis forte unus per tumultum caesus esset, domum ceteri re infecta properanter reverterunt; sed

CIƆCCC XCV. remissi anno proximo, quod volebant, effecere. Traditusque in potestatem civitatum rex Albertus, atque una Ericus filius, ea lege, *ut reginae intra proximum triennium sexaginta argenti puri millia selibrarum solveret, aut Stocholmum illi traderet, ac renuntiaret iuri, quod in Sveciam praetenderet. Quin & fidem civitates interponerent, quibus rex vicissim loco pignoris Stocholmum daret, per id tempus possidendum*. Quumque Albertum Margareta, e Lindholmiensi carcere liberatum, ipsis Helsingburgi traderet, illi scripto sunt testati, *se conditione dicta eum illic accepisse, & facturos, ut promissa adparerent*. Cum his etiam dux Barnimus Pomeranus, Ioannes Megapolitanus, filiusque, & nobilitas fere tota, pro Alberto spopondere. Ac seorsim est promissum: *nullas intra id triennium arces, aut munitiones structum iri; veteres autem reparare liberum utrimque esset. Et Gothlandia sicuti possidebatur, ita porro etiam possideretur. Quod si quidquam rex Albertus, aut qui ei militarent, post id tempus vi invaderent, id reginae evestigio redderetur*. Ita Albertus iusto numinis iudicio, regnum, quod avunculo Magno eripuerat, Margaretae tradere coactus fuit. Diu quidem, connivente ad iniuriam summam Deo, id tenuerat; verum ultio divina, quamquam lenta, tamen certa est, nec evadere quisquam homo illam potest; ac, quo minus fere properat, eo gravius adfligit. Et Alberto non dumtaxat id perniciosum erat, quod per nefas regnum Sveciae invasisset, verum magis etiam illud, quod contemtis regni legibus, in quas

(a) *Rebus ibi, ut videtur*] Haec scilicet, ex coniectura, & verisimilitudine, destituentibus Chronographis. Et Pontanus ex vero conqueritur, *ipsa horum annorum acta incuria maiorum intercidisse*; quod & de plerisque sequentium annorum intelligendum.

quas sacramentum dederat, perfide indigenas proceres adspernatus, munia, ac dignitates inter populares suos distribuerat. Nempe ita usuvenit, ut imperia aliena, qui per nefas summum occupant, ea indigne sicut nacti gubernantes, ipsi sibi ad ruinam gradum struant. Margareta, pia princeps, uti Deo gratiam pro beneficio referret, neque se id posse sciret, nisi in ministris eius Episcopo Roschildiensi, arcem Soltam, ac praefecturam; tum Draxholmiam, praeter agrum, ad Callemburgensem arcem pertinentem; Othoniensi dat Kestrupam, & Thossingam. Praeter haec, & sacerdotibus, qui in pagis sacra obirent, quae Episcopis debebant, quum ad ipsos intervisérent, liberaliter remisit. Hinc in Sveciam digressa, una cum nepote Erico [a], ipsa Sveciae regina omnium suffragiis renuntiata, ac corona insignita, aetatem inclinantem obtendens, petiit, obtinuitque, ut Ericus tunc annorum quatuordecim adolescens, ad Morasten [b] loco in talibus usitato, Sveciae rex diceretur. Inde, quum se ad res regni ordinandas convertisset, congregatis ad Nicopiam senatoribus, constitutum: *uti praedia, aliaque territoria, quae ad Sveciam pertinentia, ab Alberto aliena facta essent, ocyus retraherentur. Ac munitiones novae, inter bellum excitatae, illico diruerentur, quique iure, & immunitatibus regni frui vellent, intra sex dierum hebdomadas iusiurandum regi, ac reginae darent. Tum quae milites reginae, aut clientes usurpassent, iis condonata forent. Interim nobilibus regni sua cuique redderentur. Ac, si quando visum regi, & reginae, indicato loco, ac tempore, regni proceres convenirent; & de uno, eoque Erico trium borealium regnorum rege declarando agitarent*. Insuper & constitutum, *ut fodinae aeris omnes, praeter eas, quae ad Westerosensem Episcopum pertinerent, regno restituerentur; tum reginae quidquid dotis nomine concessum esset, rege Erico constituto, id ipsi quoad viveret, permaneret. Quaeque ei senatores, postquam primum Sudercopiam advenisset, decem millia selibrarum puri argenti promisissent, itidem persolverentur. Denique, ut bona regni, praediaque, quae nobilibus pignorata luerentur* [c]. Quibus actis, Margareta, si cui deberet quidquam, indicare istud iubet, se paratam id exsolvere. Sed testari universi nullum esse, cui non sit satisfactum, gratiasque quantas possent, omnes agere. Post haec, Svecia relicta, cum Erico Daniam repetens, eam obit, & ubique magna aequitatis laude, ius subiectis suis dicit Tum &, constitutione super praefecturis regni promulgata, non exiguam pecuniam in aerarium inde infert. Quum in Cimbria boreali versaretur, revocat extorres omnes, ac *se iuri sistere* iubet; simul vetat, *ne quis iis interim hospitium daret, neu perfugia sceleratis quibuscumque ulla deinceps haberentur, aut munitiones novae struerentur, quaeque regni ante tempus id fuissent, ea uti redderentur. Qui Erico necdum sese sacramento obstrinxissent, intra diem decimumquartum illud facerent. Regni causae ante omnes alias cognoscerentur, & imprimis curaretur, ne aerarium alibi detrimentum caperet*. Inde, verso ad commercia regni animo, *portus prohibet, qui non olim usitati; tum &, exigi vectigalia, nisi ubi consuevissent. Nautas, atque mercatores aliarum regionum, uti sedulo adiutarent; & eorum commoda item quantum possent, promoverent; ac, naufragium si qui forte aliquando paterentur, iis semper subvenirent; bona, ipsosque ante omnia, e periculo eriperent, nec mercedem pro servatis, nisi legibus concessam postularent. Naves regiae, si in mari frangerentur, bona, tabulasve earum, quas in littore collectores invenirent, restituere tenerentur*. Denique in usum revocat leges, bello interceptas; &, ut mare a piratis liberaret, maxima severitate in prehensos animadvertit. Tum praefectum Cimbriae boreali ponit, ac supremum item iudicem. Apud Svecos, quum nonnulli bona quaedam velut libera possiderent, ex decreto Erici regis, ac senatus iudicatum est: *ea regno obnoxia esse, ac debere illi censum; ideoque ad antiquam consuetudinem revocanda, nisi aliter rex Ericus, & regina censuissent*. Per id tempus Margareta, & Ericus, Nicolaum Holsatiae comitem, ac nepotes ex Henrico fratre eius Assenacum evocarunt, ac ducatum his Slesvicensem obtulerunt, ea lege, ut clientes regni essent. Verum illi recusabant, & stipendia se sub rege facere malle testabantur. Hinc Calmariam regina comitem Ericum habens, sese confert, ac vocatis illuc cunctis trium regnorum senatoribus, inaugurationem ibi Erici instituit maxima solennitate. Atque, ut nobilitatis animos sibi in initio principatus devinciret, centum & triginta sex in ista viros dignitate equestri ornat. Itaque solenni ritu dicto ab omnibus sacramento, Daniae rex, Sveciaeque, & Norvagiae publice pronunciatur. Deinde, uti tria haec regna ipsi, posterisque eius certa essent, novo foedere inter senatores icto, uno omnium consensu constituitur: *ut deinceps tria haec regna unum tantum regem haberent, isque semper omnibus consentientibus legeretur. Si Erico filii plures nascerentur, unus horum regna universa acciperet; ceteris tribuerentur certae quaedam ditiones, intra quas se continerent; filiabus, si quae forent, more prisco, sedulo prospiceretur, Si decederet sine liberis, tum communibus suffragiis eum sibi regem caperent, quem & dignum regno esse, & futurum utilem existimarent. Bella si quae inferrentur, aliave alicunde detrimenta obiicerentur, mutuam omnes darent operam, ac coniunctis quaeque viribus propulsarent; & offensam singulorum simul omnes velut suam vindicarent. Regna singula suis legibus uterentur; ac sancita omnium praeteritorum oblivione, pacem sempiternam colerent*. Haec quantumvis ita acta, tamen mox simultas quaedam inter regem,

(*a*) *Nepote Erico*] Dicendo rectius pronepote, natus enim erat non ex sorore Reginae, sed ex sororis eius filia.

(*b*) *Ad Morasten*] De hoc loco, atque electione Erici heic facta, merentur legi, quae Pontanus, ex Svecicis observata, adfert *lib.* IX. *pag.* 526.

(*c*) *Luerentur*) Multo plura erant Sanctionis capita, ut videre est apud Hvitfeldium, qui integram illam exhibet a *pag.* 111. ad *pag.* 121.

CIↃCCC XCVII. gem, & Stenonem Sturam orta est, quod hic illi, ut promiserat intra hebdomadas duodecim nullo modo se stitisset. Per id tempus vita excessit Alberti, pridem Sveciae regis filius Ericus. Quo is magis consternatus, spem de regno postea recuperando, quam fovebat in interiore animo, plane universam abiecit; atque Svecis, qui Stocholmum etiam tum eius nomine tuebantur, & obsidibus, qui pro summa, paulo ante memorata, fidem suam interposuerant, scriptis literis, primo fidem eorum laudat; inde mandat, *ne quid satis ultra obluctari vellent, ac reginae Margaretae sine mora sese dederent*. Ac Stocholmum quidem oppidum, & munitiones alias, quae Alberti hactenus in fide manserant, sexaginta mille selibris puri argenti, uti dictum, pignoratae, hunc in modum in reginae Margaretae potestatem pervenere. Ad haec etiam Steno Stura, aliique Helsingiam, Faxholmiamque, ac dimidiam Medelpadam, Norrebotam, & Crytzbergam, tum quae eo pertinebant ditiones itidem tradunt. CIↃCCC XCVIII. Iamque ei, praeter insulam Gothlandiam, nuper ab equitibus Teutonici ordinis occupatam, nihil deerat. Quam Ericus, ut subiiceret, copias in illam misit, ducibus Algotho Magno, & Abrahamo Brodero. Hi Visbuam oppidum quum obsiderent, ac deditionem urgerent, milite praesidiario quam fortissime repugnante, Venceslaus Imperator ordinis Teutonici tutelam ad se pertinere arbitratus, per legatos rem componit. Actum fuit Helsingburgi id negotium, placuitque, uti insula regi cederet, isque ordinis magistro novem millia aureorum Anglicorum, quos adpellant vulgo Nobiles, pro impensa belli solveret. Quae pecunia quum non ita promta esset, eam insulam aliquamdiu equites Teutonici retinuere. Estque rex interea cum iis pactus, ut renovaretur foedus, quod iam olim ictum fuerat; & commercia subditis suis, ordinique libera utrimque essent. CIↃCCC XCIX. Hinc Rostochium, & Vismaria ad reginam oratores suos mittunt, qui offensam deprecentur, quod piratas, mare Balthicum infestantes, in Alberti regis gratiam, non dumtaxat tuiti essent, sed & naves instruxissent, & in portus recepissent. In hoc ipsum alii quoque a Lubeca, & Hamburgo. ac Stralesundia advenere. Quibus facta gratia praeteritorum, ac concessum, uti privilegiis suis intra regna more antiquo fruerentur, eo pacto, ne quid istis, quae regina cum Alberto, atque ipsis pridem egisset, fraudi foret. CIↃCCC XCIX. Annus proximus inter curas pietatis a regina actus fuit, quae Episcopo Ripensi Troieburgum, cum Liensi territorio, est largita; CIↃCCCC. tum coenobium in Gabnoa insula condit, in honorem S. Agnetis. CIↃCCCC I. Aliquanto inde tempore nihil dignum memoratu gestum fuit; & effluxit per quietem, CIↃCCCC II. otiumque quadriennium; CIↃCCCC III. quum tranquilla, & inconcussa pace Dania frueretur. CIↃCCCC IV. Hinc, quum bello cum Dithmarsis dux Gerhardus Slesvicensis cecidisset, rei augendae occasionem datam rata, ab Elisabetha vidua, tunc pecuniis indigente, aliquot Holsatiae arces, ceu repraesentatae summae certum pignus, suam in potestatem accipit. Et a filia Nicolai Holsatiae comitis, in eadem illa pugna cum Gerhardo fratre caesi, arcem Oppenradam capit; ea Erico Saxoniae duci elocata, & exhibita ex aerario suo dote. Grodebusam [a], demolita munitione, dioecesi Slesvicensi pietatis ergo donat, omniaque pro arbitrio in ducatu illo agit. Nec in Svecia quiescit, plurimaque municipia, atque arces, & in istis Scindelburgum [b] a Nicolao Limbekio emtum, regno addit. Quin mox etiam Rimstedam, & Rimstedholmum, Nicopiae pronuntiante id senatu, illi vendicat; ac Gripsholmum a Canuto Boetio redimit. CIↃCCCC V. Hinc de Axelvalda arce, atque eius praefectura, ita statuit, uti sibi, & Erico clientelae nomine adservaretur. Ac quum ipsa, & Ericus, diem suum obiissent, Catharinae Erici sorori traderetur, atque ea item mortua, regno cederet, sive eius temporis regi. Hinc, Novembri exeunte, scripto duplici publicato, Albertus palam profitetur: *nullum se in tria regna, quive ea habitarent, ius obtendere, atque idem heredes facere*. Tum testatur: *numquam se Erico regi, aut heredibus bellum illaturum esse; ac, iam tradito Stocholmo, pacem quoque illibatam servaturum; quin & ipsum, & heredes, regna ea, ac ducatum Slesvicensem, ubicumque demum possent, adiuturos*. Mox regina Ingeburgae, antistite Ribbenissensi, ex sorore nominis eiusdem nepti, trecentas argenti selibras, pietati impendendas, ac virginibus, quas missura ipsa esset educandis, liberaliter largitur. Quamquam postea integra donatione, alium earum usum esse iubet. CIↃCCCC VI. Hinc Ericus muniendo principatui, quum uxorem cogitaret filiam Henrici IV. [c] regis Angliae, Philippam

(a) *Grodebusam*) Mendum est, & apud Pontanum *pag.* 536. & hoc loco. Emendetur sic, *Grodersbuiam*.

(b) *Schindelburgum*) corrig. *Schinckelburgum*.

(c) *Filiam Henrici IV.*] Ex *Actis* Rymerianis discimus, actitatum fuisse de duplici matrimonio, & primum quidem Regem Angliae anno 1402. expetiisse Catharinam, Regis Erici Pomerani sororem, in uxorem filio suo Principi Walliae, qui postea regnavit sub nomine Henrici V. Sed nondum mihi exploratum, cur istae nuptiae non successerint; quum Catharina anno 1406. desponsata sit Iohanni Palatino Regis Romanorum Ruperti filio, Princeps vero Walliae duxerit postea filiam Regis Franciae. Novi quidem, ex eisdem Rymeri *Actis* edoctus, Legatum ad Anglos Danicum, Petrum Lykke, Archidiaconum Roskildensem, (is postea Episcopus Ripensis, atque annis 1415. & 1416. Concilio Constantiensi interfuit, istinc ad Archiepiscopi Lundensis Sedem evectus) male audivisse, ab aemulis accusatum, non quidem, quantum adparet, domi, sed in Anglia, quasi haud optima fide sese in legatione illa gessisset. Sed nihil ei fuisse, quod ad tractatum de Catharina spectaret, imputatum, liquidum ex ipsis Anglorum Regis litteris, memorantibus nonnullos *denigrasse praefatum Magistrum Petrum, quod de Nobis* (Henrico IV. Rege) *quemdam annuum censum, pro termino vitae suae, ad finem, quod matrimonium* (inter Ericum Regem, & Philippam) *debitum sortiri posset effectum, percipere debuisset*. Id, quod Rex falsum esse declarat, testatus *Magistrum Petrum in negotio praelibato, ac universis aliis, & singulis, Ambassiatam suam concernentibus Statum, Gradum, & Honestatem suos, ab omni corruptionis macula illaesos summo opere conservasse &c.* Datae sunt eae litterae die 8. Decemb. an. 1405. Qua occasione animadverto, Lykkii nostri nomen in uno diplomate perperam scribi *Lekke* (sic *Tom. VIII. p.* 192.) in alio *pag.* 425. *Petrum Hicke* Magis tamen mirandum, Reginam Margaretam nostram, in duabus eiusdem Angliae Regis litteris, *Isabellam Reginam Daciae, Svvetiae, Norvegiaeque* nominari, eodem *Tom. VIII. pagg.* 266. & 447. Quis ergo ulterius diplomatibus velit fidere de Principum adpellationibus, quando de aliis, quam eorum, a quibus scripta sunt, loquuntur.

CIↃCCCC VI. Philippam (a) sibi sumit, nuptiasque celebrat Lundiae ad Octobris diem quintum & vicesimum. Inde & Toruppam arcem, a Stigoto Andrea emtam, regno Margareta addit. Paulo post CIↃCCCC VII. Stocholmum urbem graviter adflixit ignis, quo pars eius non exigua conflagravit. Margareta, quae ubique in regnorum commoda in- CIↃCCCC VIII. tenta erat, minime expedire rata, ut Gothlandia in Teutonicorum equitum potestate ultra esset, hanc recuperare statuit. Quam ob causam, persolutis aureorum Anglicorum novem millibus, quae ex pacto anni octavi, & nonagesimi, seculi superioris, debebantur, denuo eam sibi vindicat; ac, tum quoque constitutam, cum magistro ordinis istius pacem, CIↃCCCC IX. porro firmat. In Holsatia, mortuo duce Slesvicensi, neque alio subrogato, varia utrimque damna Dani, & Holsati dederant. Itaque Henricum, qui Gerhardi liberorum tutor erat, quum Coldingam rex Ericus evocasset, atque inde in Fioniam abduxisset, sic cum eo mox convenit: *ut pro damnis, regno Daniae illatis, undecies mille, & quadringentas selibras Lubecenses penderet, pignorisque loco traderet Nienhusiam, ac Flensburgum; eaque pecuniae summa nisi intra annum proximum solveretur, postea facultas urbes pignoratas redimendi nulla esset; contra vero, quod Holsati detrimentum accepissent, si id demonstrari posset, aestimatum pensaretur.* Alii referunt (b), viduam Gerhardi ducis, Elisabetham, suorum liberorum nomine, & Henrico Osnabrugensi patruo consentiente, oppidum utrumque regi simplicissime, nulla sub conditione pignorasse. Quin hoc addunt, ut se regi, comitique interponeret, ita cum Elisabetha convenisse, ut Gottorpium sibi traderet, idque ipsa ad tempus aliquod sua in potestate haberet: quo Henricus intelligeret, nihil sibi in ducatum iuris esse, regimenque ad reginam feudi dominam pertinere; ac quietius inde ageret, & benigniore ipsa ea item ratione uteretur. Quumque in arcem hanc ob causam Margareta, quasi illam acceptura accessisset, atque consedisset paulum, mox admonitam a ministris, plenam milite turrim esse, illico exsurrexisse indignatam, fideique negligentiam accusasse. Rex Ericus, quum Flensburgum accepisset, propere munit; & adiectum illi collem, cui arx imposita erat, fossa cingit. Unde Holsati, toti eum ditioni imminere arbitrati, ipsi quoque se CIↃCCCC IX. respicere. Ac suspicionem augebat, quod in suam potestatem Margareta paulo ante Openradam redegisset. Hinc Ericus Crommedicius, Timaeus, & Eilerus Ronnovii, denique Otho Hoestenus, viri ordinis equestris in Holsatia, regi pariter, ac reginae a consiliis, sacramento, quo utrique fidem obstrinxerant, praeterhabito, ad Henricum Episcopum Osnabrugensem, & Adolphum Scouwenburgicum transiere, obtendentes nisi id mature facerent, ac remedia tempestiva circumspicerent, metuendum, ne ducatus e Gerhardi filiorum manibus extorqueretur. Quare Elisabetha mater, dictis horum fidem habens, ac consiliis se permittens, evocat Flensburgo consules, detinetque in custodia; dum promitterent, se Holsatis urbem reddituros esse; atque ita, illis iuramentum suum, quod Erico exibuerant, negligentibus, eam in potestatem redigit. Nec contenti hoc Holsati, arcem Episcopi Slesvicensis, regii consiliarii, ac praefecti, item Stubbam, Suavestadiamque invadunt; & mox, arcem diruentes, supellectilem diripiunt. Quae Ericus postquam facta accepisset, Arram, Alsiamque insulas, ceu ad regnum pertinentes, & iniuste ab Holsatis tunc possessas, statim occupat. Inde foedus cum Dithmarsis quoddam init, & auxilia contra hostes stipulatur, ac promittit. Paulo post ad invadendos Eidoram CIↃCCCC X. accolentes Frisios, atque agrum Tunderanum copias rex Ericus mittit, sub ductore Magno Munccio; cui aderant, Ioannes Scarpenbergius, Nicolaus Thuo, & Henricus Caboltius, viri ordinis equestris, & exercitati bello; sed eventus admodum infelix fuit; nam Adolphus Scouwenburgicus, quum ad Husam, & Brestedam, magnam praedam coegissent, ac referre pedem vellent, ad Soltorpium, eos improviso adortus, praelio commisso stravit. Cecidere Magnus Munccius, atque Nicolaus Thuo, ac cum illis mille fere quadringenti; Scarpenbergius, & trecenti quinquaginta, vivi in hostis potestatem pervenere, qui mox, pretio persoluto, libertati restituti. Inde Ericus, & Gerhardi vidua Elisabetha, arbitris negotium suum permisere. Ac Erici quidem nomine constituti, Margareta, Vratislaus Stetinensis, & Vandaliae princeps Balthasar, qui Brunsvicae, & Luneburgae rursum duces Ber-

(a) *Philippam*] Diarium Vazstenense, a Reverendiss. D. Erico Benzelio editum *pag.* 35. „ Hoc anno (1406.) celebratae fuerunt nuptiae Dn. Regis cum filia Regis Anglorum, nomine Philippa in civitate Lundensi. „ Chronicon Anonymi (inter *Danica* Dn. de Ludewig *num.* v.) *pag.* 120. „ An. Dom. 1406. Ericus Rex celebravit nuptias in curia Lundensi, in crastino Crispini cum Regina Philippa Regis Angliae filia. „ Ericus Upsalensis *lib.* v *Histor. Svec. pag. m.* 151. „ Accepit Regina nepoti suo uxorem, filiam Regis Angliae Philippam, pro qua adferenda missus est de Svecia, tamquam principalis, Dominus Thuro Bengtson, qui virginem eamdem Regis nomine desponsabat, & cum eo duo Milites de Dacia, cum quibusdam Praelatis, & decentissima Comitiva. Quam venientem in Daciam Rex Ericus, & Regina, cum favore, & honore debito subsceperunt, & Regali magnificentia Lundis nuptias celebrarunt circa festum omnium Sanctorum, magna nobilium multitudine ad nuptias convocata. „ Tho. de Walsingham *Ypodigm. Neustriae pag.* 567. „ Hac aestate (1406.) Rex, & Regina perduxerunt puellam virginem Regis filiam ex priore coniuge procreatam ad villam de Lenna, ut inde transfretaret in Daciam ad sponsum suum Regem. Hanc comitabantur nobiles, inter quos Episcopus Bathoniensis erat, & D. Richardus, frater Ducis Eboraci, qui redeuntes expleto negotio, parum vel nihil boni de patria retulerunt. „ Superius *pag.* 565. in ann. 1405. dixerat nuncios Danicos venisse in Angliam, ut eam peterent, & inter hos praecipuum *Episcopum Solviensem*, ubi haud dubie *Slesvicensis* intelligendus. Pomeranici scriptores, inque his Valentinus ab Eikstet (quondam Ducum Pomeraniae Cancellarius, anno 1579. mortuus,) in *Epitome Annalium* patriae *pag.* 86. scribunt falso, Philippam nostram Portugalliae Regis filiam fuisse, adplicantque ei fabulam illam, a nonnullis de Eleonora Lusitana, Valdemari III. sponsa, proditam, quod marito in dotem adtulerit unum dumtaxat nummum aureum, pondere, & valore centum millia aureorum aequantem. Idem habet Micraelius *Histor. Pomeran. lib.* 3. *pag.* 393. Sed praeivit quoque Alb. Crantzius *Vandal. lib.* XI. *cap.* 18. Num ergo e Crantzio acceperit Iosephus Teixera, qui in *Arbore Genealog. Regum Portugalliae*, in eumdem scopulum impegit, Philippam nostram Rege Portugall. Ioanne I. genitam contendens; an, quemadmodum Duardus Nonius *Censur. in Teixeram* (*Hispan. Illustrat. Tom.* 2. *pag.* 1242.) opinatur, Lazium sequutus sit, haud operae pretium est discutere. Vid. Viti Beringii *Observ.* ad *Ius Aul. Petri Resenii p.* 722.

(b) *Alii referunt*] Crantzius hic notatur. Vid. Pontan. *pag.* 539.

CIↃCCCCX. nardum, & Henricum fratres; tum & Megapolitanos Ioannem, ac Magnum elegere. Atque hi, si convenire inter se haud ipsi possent, arbitrum superiorem constituerent, qui de causa universa iudicaret. Interim & Alsiam, & Arram, Ericus Vratislao Stetinensi; Stubbam, atque Suavestadiam, Elisabetha, & Henricus Brunsvicensi in manum traderent, dum de illis arbitri pronuntiarent; quidquid autem hi statuerent, id utrimque ratum foret. Per id tempus rex Ericus, illud quoque uti erat, regni munimentum ratus, Sophiam (a) sororem suam, cui quidam Catharinae nomen tribuunt, coniugem Ruperti regis Romanorum filio Ioanni spondet (b), Bavariae superioris, atque Neoburgi duci; ac cum ea, quadraginta mille florenorum (c) dotem. Pro qua ipsa, si marito superviveret, quam diu superstes foret, dignos reditus acciperet; nuptiaeque inde Ripae celebratae. Inter ista rex Ericus, & regina Margareta, animum ad pietatem advertentes, Monasterium ad australem Sebuensis municipii partem condunt, Monachisque Carmelitis e Germania advocatis, illud incolendum tradunt. Insuper ad Visbuam urbem in Gothlandia, arcem permunitam CIↃCCCCXI. struunt. Postea Ericus Saxo, & Elisabetha uxor, comitis Nicolai filia, cuius arcem Oppenradam ante annos istos septem, dote eius exsoluta, Margareta vendicaverat, urbem eam, atque arcem, tum Aslovam (d), Varmsiam, Sedorpiumque, item Quarnam, & Stenbecam, pro selibrarum Lubecensium tribus millibus, Margaretae in quinquennium pignorarunt. Quae dum fiunt, res Holsaticae, paulo ante memoratae, quamquam arbitris permissae, quum eorum etiam iudicium exspectaretur, tamen varia contra pacta evenerunt. Ac nonnulli Holsatorum, quamquam fidem regi suam obstrinxissent, eius arcibus, & munitis locis aliis, quae in ista ditione obtinebat, imminere non cessabant. Itaque respicere se ille cepit, ac perfidia ipsos sua beneficio ducatus excidisse, arbitrari. Sed conventus mox Coldingae institutus, ac transactum in priorem fere modum, ut nimirum Nienhusa, ac Flensburgum, quaeque eo pertinerent, tum arx Tunderae, atque eius praefectura, in quinquennium a vicesimo quarto die instantis Iunii computandum, regi, & reginae cederent; Slesvicensi vero Episcopo, Stubba, atque Suavestadia; at Holsatis, Alsia, Arra, & Soudveda (e) redderentur; quique in partibus fuissent, ii, si quae amisissent, omnia recuperarent. Per id tempus Vdalaricus, & Ioannes duces Megapolitani, Vortingburgi sese in stipendium regis, ac reginae, sive terra bellum foret, sive mari, certa lege obstrinxere. CIↃCCCCXII. Idem etiam Vdalricus, quando arbiter captus esset, inter regem, & reginam, viduamque Holsatiae ducis, Elisabetham, & Henricum Brunsvicensem eius fratrem, mox pronuntiat: *quod Flensburgum attineret, id reginae uti iure pignoris permitteretur: de imposita colli arce, post cognitionem causae ampliorem itidem iudicium laturum esse. Inter ista pacem colerent, ac sententiam de negotio universo ad vicesimum quartum diem mensis Iunii exspectarent.* Hinc regina, nomine Erici regis, capto Flensburgum itinere, se in arce duci Vdalrico sistit; ac testatur, *quum Erico Brunsvicensi, & sorore Elisabetha, iure agere paratam, is proferret, quidquid pro sorore haberet.* Nec multo post senatus urbis Flensburgensis, consulesque, regi, ac regno fidem suam, & obsequium addixere. Rebus vero in Holsatia constitutis, quum Flensburgo in Daniam traiicere Margareta vellet, eam in navi nihil tale exspectantem, quum vixisset annos quinquaginta novem, mors invadit, quum testata etiam supremo opere pietatem suam esset. Ante enim, quam Flensburgo navem solveret, Monasterio Campensi, quod ad urbem est, ut quotannis sacra illic pro se fierent, argenti triginta selibras est largita. Funus, in Sialandiam advectum, primo Sorae adservatum fuit; hinc Roschildiam translatum monumentum e candido marmore splendidissimum ab Erico rege accepit. Regnaverat cum Olao filio, inde sola, ac nepote sibi Erico adoptato, per sex & triginta annos. Male numerum quidam minuunt, & triginta duos tradunt; nam Olaus regnum adiit anno CIↃCCCCLXXVI. Regnavit autem summa moderationis (f), sapientiaeque laude, variisque animi dotibus inter paucas praedicanda. Daniae, Norvagiaeque, quas exhaustas,

(a) *Sophiam*] Quamvis a nonnullis sic adpellatam noverim, minime tamen dubium esse potest, vel debet, quin vero nomine *Catharina*, neque aliter dicta fuerit, ipsa ea scilicet, cui Regina Margareta in hereditate regnorum proximum ab Erico destinabat locum. Neque rationem video, qua adductus Pontanus (eum enim hic sequutus Meursius) auctoritatem Hvitfeldii, qui *Catharinam* recte adpellat, vocarit in dubium. Exstant in Archivis Danorum Regiis pacta ipsa matrimonialia, anno 1406. conclusa, & *Catharinae* nomen confirmantia. Extant nonnullae litterae Regis Romanorum Ruperti ad negotium illud spectantes; nec non ipsa, ut vocatur, *Instructio*, seu mandatorum tabula ab eodem Ruperto data Legatis suis, *Nobili Hadmaro Domino in Laber*, Iohanni *Truchsessio de Baldersheim*, & *Conrado Castener Scribae provinciae Ambergensis*, secundum quam se dirigere debent, & negotiari cum Regina Daniae, lectu haud parum iucunda, in Martene, & Durandi *Veterum monumentor. ampliss. Collect. Tom. IV.* a *Col.* 133. ad 138. In omnibus autem nomen effulget *Catharinae*; quemadmodum & in *Chronicis Pomeranicis*. Habetur praeterea Viti Arnpeckhii Prioris Ebersperg ensis *Chronicon Boiariae* in P. Bernardi Pezii *Thesaur. Anecdotor. noviss. To.* 3. *Part.* 3. ubi *lib.* 5. *capp.* 38. *&* 39. pariter est *Catharina*, *Ducissa Pomeraniae*, *soror Erici Regis Daciae &c.* ibidemque memoratur fato functa anno 1425. IV. Non. Martii, sepulta in novo Foro, in quo & *Monasterium* fundaverat *Gratiae de Ordine Salvatoris, qui & S. Brigittae dicitur.* Itaque errat Daniel Cramerus in *Histor. Ecclesiast. Pomeraniae lib.* 2. *cap.* 38. obiisse eam scribens ann. 1427. d. 4. Martii.

(b) *Ioanni spondet*) Ita quidem & Hvitfeldius *pag* 195. Sed praeter monumenta illa apud Martene, & Durand, iam citata, ipsi pactorum codicilli, qui apud nos servantur, evincunt, desponsationem factam anno 1406. nuptias vero ad annum 1410. dilatas, quamvis iam anno 1407. d. 18. Iulii Rupertus Rex scriptis litteris ad Margaretam Reginam, (quam *dilectam suam amitam* adpellat,) significasset, se filium suum *Iohannem* mox in Daniam expediturum ad nuptias confirmandas.

(c) *Quadraginta millia floren.*] Legatis quidem fuerat in mandatis datum, ut *postularent* centum millia florenorum; attamen *insisterent* in *septuaginta*; & ultimo *permanerent* in sexaginta millibus; ita ut illa in parata pecunia ante festum Nativitatis B. Virginis solverentur, sponsa vero suis expensis versus Coloniam, aut Erfordiam conducenda traderetur. Martene, & Durand. loc. cit. *pag.* 135.

(d) *Aslovam*] corrig. *Alslovam*.

(e) *Soudveda*) corrig. *Sundveda*.

(f) *Summa moderationis*) Non omnino eamdem a Svecis moderationis laudem, quam a Danis consequuta. Ex illis enim nimis multos videas, qui adplaudant elogio ei ab Erico Vpsalensi scripto *pag.* 149. *edit. Scheffer*. „ Haec Regina tantae „ celebritatis extitit apud Danos, ut eam aestiment sanctam, & „ canonizatione dignam; apud Svecos vero putatur profundissimo digna inferno. „

CIↃCCCC XII. stas, & oppressas aere alieno acceperat, decus pristinum restituit; tum & Sveciam, armis vindicatam, addidit. Quin exemplo suo ostendit, etiam committi regna suo sexui tuto posse. Nec iniuria pater eius Valdemarus, quum in filia virtutes maximas consideraret, proloquutus aliquando memoratur: *aberrasse in hac naturam, feminamque protulisse, postquam virum statuisset*. Nobilitati inprimis Danicae, paulo infestior, tres familias, quae in ea eminebant, Abilgardiam, & Lymbekiam, ac Beggeram maxime pressit. Nec dissimulavit odium; quum *pomarium* concussuram, ac *torrentem* repressuram, *scyphum* se fracturam diceret: per pomarium priorem; uti alteram per torrentem; tertiam per scyphum notans. Ea itaque quum e vita excessisset,

ERICVS X. (a)

qui per annos fere sedecim regni socius illi fuerat, solus inde per sex, & viginti annos CIↃCCCC XIII. istud tenuit. Isque ipso in principio, dum Stocholmi commoratur, Scaniae oppidum Sebyam, cui Monasterium Carmelitarum adhaerebat, privilegiis, quibus Lundia, ac Malmogia tunc gaudebant exornatum, Landescronam adpellari deinceps iubet. Mox Flensburgi Vladislaus Stetinensis (b), ut dissidium componeret inter regem, & Henricum Brunsvicensem, nomine sororis viduae antea commemoratae Elisabethae, atque eius liberorum, ita censuit: *ut Holsati, qui post pacem, ab Vdalrico Megapolitano factam, ab Erico capti essent, liberi dimitterentur; ac vicissim hi Erico, quos cepissent etiam ipsi restituerent; ita tamen, ut conventu proxime Flensburgi habendo ad Novembris diem quintum & vicesimum, de his ipsis, nisi si qui violatae pacis essent accusati, plenius statueretur*. Sed Ericus, qui non tantum caussam suam iure agere, verum & armis experiri statuisset, quum clientes ipsi sui regnum armis infestassent, & ducatum Slesvicensem, vacuum Gerhardi morte, intra annum, ut debebant, denuo conferri sibi postulare neglexissent; & indignum existimaret, uti in clientum forum ipse dominus traheretur; mox Henricum, & sororem Elisabetham, liberosque Holsatiae comites Henricum, Adolphum, & Gerhardum, Neoburgum in Fioniam ad se vocat; ac senatui regni sui ius dicturo sistere se omnes iubet. Vbi, postquam convenissent, in comitiis plenis regni, de sententia senatorum, excidisse beneficio iudicantur; idque quum adessent coram e Germania finitima, Boguslaus Pomeranus, Vdalricus Megapolitanus, Vratislaus Stetinensis. ac Ioannes item Saxo, & Henrico Brunsvicensi exponente, *Gerhardum nepotum patrem, quorum ipse tutor esset, ducatum pridem Slesvicensem, velut regis, atque regni, beneficium accepisse; & nunc filios eiusdem idem orare;* respondetur, *olim quidem Margaretam Assenaci hunc ducatum instar beneficii Gerhardo duci obtulisse, verum eum recusasse*. Ac negante id Henrico, rex *& certum esse* dixit, *& probari multis posse; sed vel satis hinc constare, quod stipendio Gerbardus, bello exorto, militare maluisset, quam ducatum modo semper usitato beneficio regis capere*. Hinc, prolatis in hanc rem confectis tabulis, quum Henricus, quod reponeret, non haberet, rem componi postulavit. Arbitrisque a sua parte nuncupatis, quum & pacis inter alia, ab Vdalrico Megapolitano factae meminisset, rex haec, ut contractus tabulis minime convenientia, non admisit. Et citavit eum denuo per Roschildiensem Episcopum, Cancellarium, & iustitiae summum Praesidem, & adiunctos illi testes Megapolitanum, Stetinensem, Saxonemque antea commemoratos, nec hunc tantum, sed Elisabetham item, liberosque, uti & consiliarios, complicesque Ericum Crommedicium, Othonem Sestedium, Othonem Cnophium, Thunnonem, & Eilerum Runnovios, & Laurentium Hoestenum, aliosque viros per Holsatiam equestris ordinis, atque eos sistere se tribunali regni sui tempore praestituto iubet. Quumque dies advenisset, rex pro tribunali infit: *matrem suam Margaretam, post Gerhardum, qui haberi Slesvicensium dux voluerat, interfectum, ab Erico Crommedicio, ceterisque, quos iam dixi, ad tuendam Elisabetham eius viduam, liberosque vocatam esse, atque eam, salvo iure beneficii, quod in hunc ducatum habebat, etiam tutelam istam haud gravate statim in se recepisse. Qua de causa, constituta per Holsatiam, ac ducatum illum, pace Elisabetham, liberosque adiuvisse; & Gottorpium, ac Flensburgum, suo imposito praesidio servasse, & communiisse: Insuper & Crommedicium, & Sestedium, caeterosque in clientibus habuisse, & stipendio liberali honorasse: illos tamen, nulla habita sacramenti ratione, postea Gottorpiensi eam arce exclusisse: ac per dolum captos consules Flensburgenses in custodia tenuisse; aliisque regnum damnis, admodum multis, affecisse; unde & Flensburgum inde, aliaque item loca pignorare oportuerit: quae acceperit quidem ipsa, sed, ut ius haereditatis, atque feudi, quod obtenderet, nihilominus illibatum retineret. Ad haec, neque pignora repraesentata bona fide; dum eripere ea regno, aut eludere varie conati essent; ita ut, quae intulissent regno damna, etiam ducenta millia Lubecensium selibrarum superarent. Insuper maiora multo detrimenta accessisse; postquam pace, quam Coldingae iniisent, violata, tota res in bellum pene manifestum erupisset*. Denique ad Roschildiensem rex Episcopum conversus, pro humanitate sua, ut potentius iuberet, rogat eum; *ut de istis, quae in medium attulisset, ipse tunc sententiam suam, iuxta regni Daniae leges, universis explicaret*. Ad quae ille, singulis consideratis, hoc potissimum Danici iuris caput urget, quo sancitur; *ut qui regno excessisset, ac iunxisset se extraneis; &, reversus in id postea, praedam inde abduxisset, eius bona publi-*

(a) *Ericus X.*) *Decimum* vocat, quia Christophori II. filium Ericum *Nonum* adpellarat, eum scilicet, quem pater in consortium regni adscitum, postea mortuum luxit. Vid. supra.

(b) *Vladislaus Stetinensis*] Error est. Scribatur *VVratislaus*, sicut mox inferius.

CIƆCCCC XIII. *publica essent: atque ipse laesae maiestatis crimine teneretur.* Tum pronuntiat; *viduam Elisabetham, & tutorem eius, Henricum, liberosque, ac consiliarios eius, antea commemoratos, nihil iuris recte obtendere: & Erico, feudi domino, praeter omne ius, & aequum, fidem suam, & obsequium denegasse: tum & in hostilem modum terras eius infestasse; itaque & a ducatu illos removendos esse, ac teneri quoque in damna, quae dedissent.* Quae quum ita acta essent, adiit Henricus regem, filius Gerhardi maximus, & ab eo, quanta potest animi demissione, supplex petit, ut ducatum Slesvicensem loco beneficii sibi largiatur. Sed rex, antequam concederet, eum sibi universum reddi voluit; & arbitrii sui esse quicquid collaturus foret: maxime quod neque ipse, neque quisquam eius nomine antea id petiisset. At, quum quidam e Germanicis principibus, feudi Danici rationem ignorantibus, istum conferendi modum improbarent, vicem etiam Holsatorum miserantes, in eorum quoque partes transierunt. In his erant, Balthassar, Vandaliae princeps; Henricus, dux Brunsvicensis; aliique. Holsatiae comitum, & avunculi, & tutores; tum Albertus etiam Megapolitanus, Sveciae rex ante Ericum [(a)]; qui ereptum sibi regnum etiam tum aegre ferens, ultionem agitabat. Atque ita factum fuit, ut induciae, quas regina Margareta antea constituisset, sensim mox dissolverentur.

CIƆCCCC XIV. Hinc, ut pietatem ostenderet, & Pontificem in principio regni sui demereret, ad Concilium, quod Constantiae [(b)] tunc indictum, Petrum Luckium ablegat, ac Ioannem item Schonlevium; illum, Episcopum Ripensem; istum vero, Slesvicensem [(c)]; moxque Ericus Crommedicius, Otho Sestedius, Thunno & Eilerus Ronnovii, Marquardus & Nicolaus Wiscii, in quos & sententia superior prolata erat, ab Elisabethae partibus discedentes, ad Ericum, qui egregiis eos omnes praefecturis exornavit, transierunt; neque parum ea res consilia Elisabethae, comitumque Holsatorum perturbavit.

CIƆCCCC XV. Inde literas Sigismundus Imperator ad Ericum regem scribit; &, quandoquidem senatum Lubecenses ante annos fere septem per tumultum removissent, eum uti restitueret, tamquam a vicino Principe, serio petit. Verum, quum per literas hoc conaretur, & contemnerent Lubecenses, rem differre animum induxit. Post quae, dum Constantiae agit Imperator, ne is comites Holsatiae, ceu Imperii dynastas, sibi defendendos sumeret, per legatum eum rogat, ut sententiam Neoburgi per senatum regni sui in eos latam ipse ratam esse velit: idque haud difficulter obtinet [(d)]. Hinc, coacta magna manu, in ducatum Slesvicensem arma vertit; copiaeque Holsatorum, ceteris relictis locis ad Slesvicum, & Gottorpium se collegerant; & Ericus, qui putabat, facile excludi Holsatos, ac ducatum universum redigi in potestatem suam posse, binis locis Sliae amnis ripam munit; item facit [(e)] ad ducatus latus alterum, iuxta Tream: & hic Fresenbergam excitat, ac Wildspangam; illic autem, Sliesmundam, & Coninsburgum. Fidem eius retinebant Eckelforda, ac Flensburgum; & adiecit loca alia, intra limites ducatus ad Episcopum Slesvicensem pertinentia: in quis erant Stubba, atque Suavestadia: quae iam pridem Vdalricus Megapolitanus ei addixisset. Hinc in Lubecenses versus, ut, quod Caesar postulaverat, motos nuper ordine suo senatores hoc facilius restituerent, cives urbis quadringentos, dum in Scania piscantur, nihil exspectantes, detinet. Id quum factum indicaret, nuntiat item, si senatui, quem eiecerant, dignitatem suam redderent, bona erepta omnes recepturos esse, simul etiam Ioannem Kroppelinum in Norvagiam ablegat; ac, mandata Bergae ei praefectura, illic quoque detinere Lubecensium bona iubet. Causa facti duplex erat; nam & Caesar, uti dixi, postulaverat; & Co-

(a) *Sveciae Rex ante Ericum*) Verum anno 1413. quo haec inter Ericum Regem, & Holsatos Comites agebantur, Albertus Megapolit. olim Rex Sveciae haud in vivis erat, utpote anno praeterito, mense Aprili, mortuus; ita ut semestri integro fatum praeverterit Margaretae. Erravit igitur Hvitfeldius, quod Holsaticis rebus a morte Margaretae actis Regem Albertum immiscuit, (*Tom. Chron. Dan. IV. pag.* 253. *s.*) eoque auctor fuit Pontano, & Meursio, huic loco ut intruderent.

(b) *Ad Concilium quod Constantiae*] Tradunt Pomeranici, inque iis Micraelius *lib.* 3. *pag.* 393. ipsum Ericum Regem hoc anno Constantiam ivisse, ut cum Sigismundo Imp. cognato suo, de componendis Holsaticis turbis praesens ageret. Sed ignorant illud iter nostri, neque verisimile, potuisse a tot Scriptoribus, qui amplas, & locupletes memorias celebritatis Constantiensis nobis reliquerunt, praeteriri.

(c) *Istum vero Slesvicensem*) Vtriusque tam Ripensis, quam Slesvicensis nomina occurrunt apud Bzovium in annis 1415. & 1416. & in *Actis Concilior.* sed mendis deturpata. Nam apud Labbeum, & Cossart. *Tom. XII. pag.* 184. sic exprimuntur: *Petrus Archiepiscopus Rigensis, pro se, & Rege Daciae* &c. *Ioannes Sileticensis pro Rege Daciae, Norvegiae* &c. Posterioris emendatio cuivis prompta, quum nemo non perspiciat legendum esse, *Sileticensis*. Prius illud facile incautos deceperit, eos scilicet, qui nesciverint, haud ullum *Petri* nomine *Archiepiscopum Rigensem* isto aevo vocatum, sed qui Concilio Constantiensi interfuit, Rigensem Praesulem, dictum fuisse *Ioannem*, ex nobilissima *Wallenrodiorum* gente, virum celebrem, & a Concilii Scriptoribus insigniter commendatum. Vid. Herm. von der Hardt *Praefat. Tom. I. P. I. Actor. Concil. Const.* item *Tom. IV: P. I. pag* 23. Itaque locus ille mancus, & vitiosus in Labb. & Cossart. *Concil. Tomo XII. pag.* 184. sic restituendus. *Ioannes Archiepiscopus Rigensis pro se, & suis Ecclesiis, Petrus Episcopus Ripensis, pro se, & Rege Daciae, Sveciae, & Norvegiae.* Quemadmodum enim *Ioannis Rigensis* nomen saepius, ita neque raro Petri Ripensis sese obfert in *eodem volumine* ex. grat. *pagg* 29. 50. 149. 1480. 1517. &c. Reliqui ex tribus septemtrionis regnis ad Concilium missi, praeter Episcopos Ripensem, & Slesvicensem, apparent sub eisdem *concordatis Capitulis ann.* 1415. *d.* 13. *Decembr.* sic nominati: *Abbas Stoxii* (v. l. *Steyn*) *pro Rege Norvegiae, & Monasterio suo, & Episcopo Lincopensi: Elsinus, Archidiaconus Scarensis, pro Episcopo Scarensi: Laurentius Gnoda Canonicus Lincopensis, pro Episcopo Lincopensi* &c. Sed ultimi huius nomen fuit *Laur. Gedda*, ut liquet ex *Diar. Vazsten. pag.* 57. Omnino autem hallucinati Vlricus Reichenthal, & Gebhardus Dacherius, quamvis solertissimi celebritatis Constantiensis spectatores (ut vocat Herm. v. d. Hardt *Tom. IV. P.* 2. *pag.* 39.) quando in canonizatione S. Brigittae *d.* 1. *Februar.* sacra memorant facta ab Archiepiscopo Dano. Certissime enim nullus Archiepiscopi titulo, & dignitate sive ex Dania, sive Svecia, ibi adfuit. Ceterum, quantum nobis constat, praecipua nostratium negotia, & forte unica in hoc Concilio spectabant ad augendum Sanctorum numerum. Neque enim Brigittae honoribus adquiescentes, pro tribus insuper Sveciae nationis aliis, intensissimo laborabant studio, Episcopis scil. Nicolao Lincopensi, & Bryniulpho Scarensi, atque Ingride moniali Skeningensi, (quam omnia Concilii Acta *Nigridem* vocant) Conferri de iis possunt litterae, & monumenta varia *Tom. XII. Concill. cit. pag.* 1586. Raynald. ad ann. 1416. §. 23. Bzov. ad *d. a.* Herm. von der Hardt *Tom. IV. P.* 8. *pag.* 706. *ss.* Append. *Diar. Vazsten.* Er. Benzel. *pag.* 200. *seq.* &c. Confer. idem laudatiss. Benzelius in notis ad Vastovii *Vitem Aquilon. pag.* 73. *seq.*

(d) *Haud difficulter obtinet*) *Laudum* vulgo vocatum, editum a Sigismundo Constantiae *d.* 14. *Iunii* 1415. & ex authentico integre repraesentatum a Hvitfeld. *Tom. IV. pag.* 259. Pontano *pag.* 556.

(e) *Item facit*) Corrig. *idem facit*.

CIƆCCCCXV. Costantiae Lubecenses quidam regem apud Caesarem traduxerant. Illud autem ea re effectum fuit, ut senatui mox eiecti redderentur, &, obstrictis sibi iis, amicitia inter Daniam, & Lubecam certior esset (a). Quae dum fiunt, comitum Holsatiae res, in discrimen summum adductae, vehementer laborabant. Hanravam (b), Plonam, Hasseldorpium, eorum avunculus Brunsvicensis, in stipendii aureorum florenorum quadraginta millium pignus possidebat: & hanc summam per id tempus, sane admodum iniquum, exhiberi postulabat; quin Erico has munitiones tradere destinabat: ita tamen, ut Ericus, dux Saxoniae, dum exsolveretur debitum, eas sua in potestate retineret. Neque alienus erat a negotio regis animus, nisi Ericus Crommedicius suggessisset, facile adeo, & minore multo impensa capi loca ista posse. Et Erico Principes finitimi addicti erant, ac Vandalicae civitates, praeter unicum Hamburgum. Accedebat, quod Ericus etiam Saxo Oldesloam exussisset, ac per loca circumiecta varie grassatus esset; tum Albertus (c), & Ioannes, duces Megapolitani, debita selibrarum argenti duo millia, neptis suae Annae (d) nomine, quae Adolpho, comitum ultimo, nupta fuerat, postulabant; ac, ni ea solverentur, arma item non obscure minabantur. CIƆCCCCXVI. Nec multo post, propositum Ericus urgens, maximis adductis copiis, denuo Slesvicum advehitur; atque illud, una cum Gottorpio arce, arcta obsidione premit; quasque ante arces ceperat, porro munit. Quin Gottorpium etiam ut a Slesvico separaret, ac facilius utrumque ad penuriam adigeret, exstruit in medio munitionem quamdam novam, Hattersburgum adpellatam; sed obsessi, superato noctu amne, impetum in castra regis facientes, multos illic contrucidant; & Albertus item Megapolitanus, qui exciderat regno Sveciae (e), ac Vandaliae Princeps, Balthasar, cum cohortibus, quas collegerant in Saxonia, & Westphalia, ad ferendam Holsatis opem accessere. Ac, dum Dani in obsidione coepta perseverant, Fresenburgum evocati ab Holsatis Frisii vicissim obsident: &, occiso, qui praesidium agitabat, Reinero Sestetio, tamdem eo potiuntur. Henricus quoque Osnaburgensis, ut Ericum ab incepto avocaret, Tunderae minori imminet; quam tum Nicolaus Thymius (f), Crommedicii legatus, cui arcem rex commiserat, tuebatur. Verum ea, quum non sat munita esset, & obsidioni impar, statim deditur. Rex Ericus, gnarus Frisios Fresenburgum occupasse, & ad Tunderam transire, ocyus Gottorpio abducit castra, & in Frisios contendit, ut reprimeret successum; sed Henricus, adventare regem certus, ut transire prohiberet, Eidorae citeriorem ripam capit. Inter ista, quum Ericus infeliciter Frisios adgressus esset, ac videret, nihil amplius geri posse, praesidiis, quantum satis esse existimaret, confirmatis, mox in Daniam regreditur. Hinc Holsati, nullo ultra hostis metu, Fimbriam, subiectam regi, totis viribus invadunt; ac, diluculo quum in eam traiecissent, insulani, qui viderent se resistere non posse, quamquam initio se parassent, per Burgensem sacerdotem pacem petunt. Interim Ivarus Brussius (g), qui Glambecam tum tenebat, obfirmato ad defensionem animo, arma, atque commeatum, qui in oppido, importari in arcem iubet; & Holsati animose aliquoties oppugnant: sed repulsi, quum conatus non succederet, trahere obsidionem, & obsessos fame cogere ad deditionem statuunt; iamque obsidionem eam aliquot hebdomadas continuaverant; ac, minuto commeatu, quum e Dania plane nil submitteretur, Bruschius, ut subveniret, commendata suis arce, navem nactus, propere in Daniam abit: & paratis necessariis, cum instructa classe redit; sed, exscendere prohibitus, quum obsessis laborantibus opem ferre nullam posset, tandem illi, vitam pacti, se arcemque dedidere. Insulani fidem Holsatis iuramento obstrinxere; & sex millia selibrarum argenti pendere sunt coacti. CIƆCCCCXVII. Rex Ericus repetit consilium prius; ac, coactis novis copiis, atque iis longe maximis, (nam ad centum millia virorum in armis habuisse memoratur,) quum in mari aliquamdiu obhaereret, & excendere nusquam vellet, ut Holsatos mora sua fatigaret, ac dissolveret; atque illi, id quod erat metuentes, ut eluderent consilium, militem in Cimbriam australem mitterent, qui se praeda sustentaret; tamdem excensione facta, & exercitu bipartito, iterum Slesvicum, ac Gottorpium obsidione arcta cingit; nec multo post Slesvicum capit; & in eo Albertum Megapolitanum, Sveciae, ante id tempus (h) regem, atque captam quidem urbem praesidio imposito munit; cum Alberto ita transigit, ut is ipsi, aut regnis eius, non dumtaxat minime adversaturum unquam esse, sed auxilia adlaturum, coram regni senatoribus sedulo pol-

(a) *Lubecam certior esset*) Herm. Cornerus, ipse Lubecensis, in *Chronico pag.* 1205. ad ann. 1315. haec enarrans prolixas impendit laudes Erico Regi, quod hac via & ratione, quamvis violenta, Lubecenses ad id, quod ipsorum civitati maxime esset salutare, compulisset, impediens hoc facto *multiplex discrimen & nimiam ruinam civitatis illius*. Locum, quia nimis longus, non exscribimus.

(b) *Hanravam*) Gottorpium inter haec quoque nominandum. Vid. Hvitfeld. *pag.* 267. Pontan. *pag.* 358. Excidit forte vitio rypographi, aut librarii e testu Meursiano.

(c) *Tum Albertus*) Erat is *Albertus V.* Regis olim Sveciae *Alberti*, in ordine Ducum Megapolitanorum *Tertii* dicti, filius; Ioannes etiam, qui hoc loco nominatur numero XIII. Albertum Sveciae Regem habuerat patruum natus fratre eius *Magno I.* Vtriusque (Alberti V. & Ioannis XIII.) avus fuerat *Albertus II.* sive *senior*, anno 1379. mortuus.

(d) *Neptis suae Annae*) Sumsit hoc ex Pontano noster, sed hallucinante. Non enim neptis fuerat, sed amita Alberti V. & Ioannis XIII. ista *Anna*, Alberti III. Regis Sv. & Magni I. soror, filia Alberti II. olim nupta Adolfo VII. Comiti Holsatiae; quod & ipse agnoverat Pontanus in *Schemate Geneal. pag.* 537. Confer. Io: Frid. Chemnitz. *Geneal. Ducum Meklenburg.* in Illustr. Cancellarii de Westphalen *Scriptorum Vol. II. Col.* 1686.

(e) *Qui exciderat regno Sveciae*) Idem error, qui supra animadversus (*pag.* 105. *b. v.* 7.) Scil. patrem Albertum III. cum filio Alberto V. confuderant ante Meursium Hvitfeldius, & Pontanus. Vid. laudat. Chemnit. *Col.* 1688.

(f) *Nicolaus Thymius*] Corrig. *Thynius*, vel a *Thinen*. Vernacule, *Claus von Thinen*. Est familiae illustris nomen in Holsatica nobilitate hodie num florentis ut cum maxime.

(g) *Ivarus Brussius*] Rectius *Bruschius*.

(h) *Sveciae ante id tempus*] Castigandi hic denuo Meursius, & Pontanus, non item Hvitfeldius, utpote qui hoc loco (*pag.* 272. *& seq.*) Albertum illum tantummodo vocat *Ducem Mecklenburgi*.

CIƆCCCCXVII. polliceretur. Dum autem Gottorpium simul, & Slesvicum obsidentur, Hamburgum excurrens Henricus Osnaburgensis, enixe magistratum rogat, ne desereret populares: utque oratio vim haberet, quae, vicino adeo rege, urbi suae imminerent, verbis acribus repraesentat; etiam tum, dum Slesvicum, & Gottorpium, repugnarent, frangi eius vires posse, aut repelli. Verum, quum pecuniam tantum, neque copias obtineret, atque id non satisfaceret, populum in pleno foro allocutus, id effecit apud ipsum, ut & bellum regi indiceret, & auxilia expediret. Ac, dum ibi commoratur, deditum Slesvicum accipit; sed Gottorpio, & auxiliis novis fretus, Rendesburgum sese confert, atque hic Elisabethae, & Henrico eius filio, quae ab Hamburgensibus referret, indicans, animum firmat. Inde, adlatis Hamburgensium ad Ericum regem literis, quum in maius, uti solet, omnia augeret fama; ac Holsati, & Dithmarsi cum exercitu ingenti adfuturi putarentur; ille, motis ultra Sliam flumen castris, mox in Daniam se recipit. Quae Holsati quum acciperent, coactis undequaque copiis, & auxiliis, Hattersburgum vi aggressi, id expugnant, ac praesidium trucidant; etiam Slesvicum occupant, & praesidium expellunt; inde Coningsburgum obsident; quod ad Sliae ostium a rege pridem structum erat: Stubbam autem, muncipium Episcopi, plane diruunt. Dum id bellum etiam fervet, Ioannes Dulmannus, Lubecensium Episcopus, a Pontifice ablegatus, auctumno adulto in Daniam venit; cum mandato, uti pacem inter regem, & Holsatos constitueret; &, Ericum adloquutus, satis ad negotium hoc propendentem eum offendit. Itaque sancitae induciae in Septembrem exeuntem anni proximi. *Inter quas, ad mensis Iunii diem quartum, & vicesimum, ad Gottorpium, ac Slesvicum, qui legendi utrinque essent, convenirent; & contentio de ducatu Slesvicensi, Germaniae duorum principum, ac legatorum urbium Vandalicarum quatuor arbitrio permitteretur: qui si minus convenirent, tamen dicerent sententiam; & haec ipsa ad Bernardum Slesvicensem, ac Bugislaum Pomeranum mitteretur: quodque hi pronuntiarent, ratum foret; interim deponerent utrinque arma: nec munitiones usquam ullas struerent: nec agrorum item cultum, aut commercia perturbarent.* Et induciis quidem istis comprehendi etiam Ericus voluit dux Saxoniae, Angriae, Westphaliaeque. CIƆCCCCXVIII. Anno proximo, postquam tempus constitutum advenisset, ac legati regis Daniae uno die serius comparuissent, nec Holsati accessere: insuper hoc obtendentes, quod nec ipse rex adesset; quamquam Danici legati, vento adverso se prohibitos, & a rege plenam potestatem adferre, testarentur; itaque legatio nequicquam fuit; posteaque glaciem transgressi Frisii, Slesvicensium Episcopo; qui Erici regis partes sequebatur. Suavestadiam eripere per insidias sunt conati; sed negotium non successit. Per id tempus, quum regnorum ornamenta Academias esse sciret, nec se nomen alia re magis clarum ad posteritatem item reddere posse; ac iam ante per legatum rex condendae potestatem a Pontifice petiisset, nunc diploma a Martino V. (a) accipit, quo concedit, ut, quo vellet regni loco, Academiam constitueret; ac largitur privilegia, & immunitates caeteras, quales essent Parisinae, aliisque: nisi quod Theologiam solam exciperet, quam hauriri in Italia cupiebat. Sed Ericus, bello implicitus, quum differre cogeretur, inde etiam omisit: &, quod ipse voluisset, postea Christianus I. ut in eius rebus dico, felicissime effecit. CIƆCCCCXIX. Rex, Holsatos animis plane obstinatis pacem aspernari videns, bellum instaurat; & in Fimbriam copias ingentes ducit: sed repulsus, Helgehaviam classem vertit; &, exposito illic milite, Oldeburgum, ac Volstadium, & propinqua quaeque vastat. Inde rursum Fimbriam aggredientem, iterum, qui propugnabant, reiecere; cum protervia, ac ludibrio. Itaque invadit tertium, contumelia irritatus; & post praelium atrocissimum, amissis suorum mille, ac quingentis, tandem expugnat. Tum, ut fere in talibus solet, victor miles, pro libidine sua agens, cuncta diripit, nec profani, neque sacri ullam rationem habet: quicquid masculum trucidat: muliebrem sexum stuprat; adeoque tristis rerum facies erat, ut rex ipse, quoties diei huius, atque stragis meminisset, lacrimas non contineret (b). Verum est hoc ipsum exemplo; numquam hosti, quamvis, etiam profligato, aut depulso, insolenter insultandum; nec convitia in eum, quae mulieres potius, quam viros decent, iacienda: siquidem irrisa virtus iram capit, & ad contumeliae vindictam accenditur. Insulae potens etiam Glambecam expugnat, & praesidium imponit; abducto Hennequino Ratlovio, cui Holsati eam commiserant; imperatum & tributum vicies mille argenti selibrae: ac pro iis obsides viginti dati. Inter ista Lubecenses, & Hamburgenses cum equitibus octingentis, ac peditibus bis mille, Bergerdorpium ad deditionem adigunt: idem Razeburgo faciunt; & Ericum, Saxoniae ducem, in ordinem cogunt. Quae dum fiunt, Vladislaus, rex Poloniae, & Lithuaniae dux Vitoldus, cum Erico in quemcumque partis utriusque hostem, & in primis in Crucigeros, foedus sempiternum feriunt; ea quoque cautione, *si deserere forte illud quispiam eorum vellet, uti tamen subditi obstringerentur; neutra tamen pars Crucigeris bellum inferret, nisi altera illud gnara*: De urbibus, quae caperentur, visum fuit, *ut ad eos pertinerent, quorum antea fuissent: praeda vero, omnium communis foret; qui auxilium submitteret, sua id impensa faceret*; comprehensi & pagani; *ut, eorum ditionibus subiugatis, cultus Dei latius diffundere-*

(a) *Diploma a Martino V.*) Datum est Florentiae *VII. Cal. Iunii* ann. 1418. exstatque integrum apud Hvitfeld. *pag.* 284 *seqq.* & Pontanum *pag.* 561. *ss.*

(b) *Lacrimas non contineret*) Testantur Herm. Corner. *Col.* 1241. Chron. Slavic. *pag.* 231. Crantzius *Saxon. lib.* 10. *cap.* 35. qui & horribilis vastationis, cum abominandis sceleribus coniunctae, meminit *Dan. lib.* 8. *cap.* 2. ut alios omittam.

CIƆCCCC XIX. *retur; neque tamen bellum iis ideo intentandum esse, nisi prius inter se consilia communicassent. Quod si quisquam inter illos vita excederet, tamen foedus subditi continuarent*. Non multo post Nascovia tota, urbs Lalandiae, nulla tanti incendii causa apparente, conflagravit; & Ericus rex Philippae, uxori suae, iis bonis, quorum ipsi usumfructum tribuisset, commutatis, alia in Sialandia, quae ad regnum pertinebant, assignavit; donec eius patruelis Bogislaus, aut, defuncto forte illo, qui tunc proximus in familia ista foret, dominus regnorum trium a senatu legeretur: atque tum, eorum vicem, alia Sveciae territoria, quae in literis ipse suis expressisset, traderentur; unde facile, qui prudentiores essent, colligebant; id Ericum astu agere, si decederet sine liberis, ut haec regna in patrueles, atque eam Pomeraniae familiam transferrentur. Quae res ei, uti postea referemus, male vertit. Sub id tempus Findemarci per legatos querebantur;

CIƆCCCC XX. *se a Moschis* (a) *quam gravissime infestari: neque hieme, aut aestate tutos esse usquam posse, quin & agros universos populari, & uxores, liberosque, nulla pacis constitutae ratione, passim clam palamve abducere: itaque auxilia adversus eos postulare; insuper, Anglorum duas illuc naves ad commercia exercenda advenisse; ac testatas, iterum se anno proximo adfuturas; quod quandoquidem nunquam ante factum esset, & aerario quoque regis, populoque damnum non exiguum ferret, enixe orare, ut deinceps caveretur*. Nec multo post haud leve praelium inter Danos, & Holsatos ad Immersuadam est commissum; nec exiguam Dani stragem accepere: uti vulgo diceretur, *Daniam ad Immersuadam cladem plane diabolicam passam esse*. Anno inde inclinante factae sunt Slesvici induciae (b) inter regem, & Henricum, Holsatiae comitem, atque fratres: quas eorum nomine Adolphus, comes Sconvvenburgicus, & Vandaliae princeps Balthasar, certas fore spoponderunt. Mox Ericus operam

CIƆCCCC XXI. dedit, ut Ioanni Megapolitano, Vratislao Stetinensi, & Alberto Eversteinio controversiae cum Holsatis arbitrandae ius daretur. Qua in re quum documentis ad ducatus Slesvicensis clientelam approbandam opus esset, primi omnium Sialandi, inde Scani, atque Cimbri, palam illud sunt testati, *populum australis Cimbriae, in qua is ducatus esset, iure Danico semper usum; inde privilegia etiam, & immunitates omnes, quis Slesvicum, Hadersleviа atque Ripa, tum collegia illic sacra, atque templa, fruerentur, reges Daniae concessisse: tum ostendi quoque limites Daniae, Holsatiaeque: & australium Cimbrorum linguam quoque Danicam esse; neque eam ditionem quemquam unquam possedisse, nisi solo regis Daniae beneficio, ac clientis tantum nomine. Primum autem exstitisse regem Valdemarum III. cum quo controversiam de ea Holsati instituerint; ac, defuncto inde ipso, illos per vim tenuisse; dum tutelam Olai filii Margareta in se reciperet; neque locum ius Imperii, aut Saxoniae hic habere, ubi feuda ad haeredes transmittantur. Daniae feuda nec personis inhaerere; & a regibus, quotiescumque visum fuerit, etiam adimi: certe nulli umquam dari ultra vitam consuevisse; ac, defuncto illo rege, qui concessit, denuo a successore, renovata obsequii fide, repetenda*. Hinc *commercia exerceri in Norvagia, nisi ab iis, qui argenti selibras quindecim possiderent*, repetita constitutione vetuit: & edixit, *uti quisque mercatorum, literis a praefecto acceptis, sua esse bona illa, quae venalia circumferret, testaretur*. Mox, Septembri desinente, Osiliam insulam, & Episcopum item eius, quum ex decessoris iure, tum Pontificis mandato, in tutelam suam accipit; ac deinde, instructa classe, quum depopulari Alsiam statuisset, sub praefecto Ivaro Bruscio, ille quidem, ea in expeditione diem obiit; ista vero, primo insula prohibita, mox vexata tempestate, parum abfuit, quin periret. Rex & iis imminebat, qui halecibus capiendis operam in Scania dabant; sed id gnare urbes aliquot Vandalicae, classem, quae suppetias ferret laborantibus, submisere; & ab alia quoque parte Hamburgenses, duodecim instructis navibus, Albi flumine egressi, Cimbriae Borealis latus varia excensione populantur; quasque rex obiiciebat, pugna inita, profligantes, tres ex illis captas mergunt; militemque, pretio mox redimendum, secum abducunt. Hinc ad Haf-

CIƆCCCC XXII. niam ordinandam animum vertit; ac constituit, *ne opifices in senatum legerentur, consulesve unquam fierent: neve cuiquam magistratum abrogare cives possent, nisi sibi atque regni senatoribus causam suam approbassent*. Moxque etiam alia privilegia donat; quibus Scania, Falsterboa, ac Malmogia, aliique, apud quos captura piscium haberetur, fruerentur. Post haec, arcem Tunderam qui obsidebant, duce Erico Crommedicio, quum propositum urgerent, & ad moenia etiam scalas admovissent, quiescente tum praesidio, & in curiam aliquam praeseferente, mox repleta muri exterioris fossa, in confertos milites praesidiarii trabes magnas summo nisu provolventes, multos ex his obtrivere: caeteros stravere telis. Etiam Dorningam Dani per id tempus obsidebant; sed, illato per Henricum Brunsvicensem commeatu, recessere; isque postea Haderslevia occupata, grave ei tributum imperat. Inter ista, Orcadum Episcopo, Thomae, comitatum ceu in praefecturam tradit; isque datis VI. Idus Iulii litteris, publice testatum facit: *Se a rege Kirkevogiam, Orcadumque comitatum universum accepisse; non ut pignus, aut pecuniae debitae loco, sed quo modo*

arces

(a) *A Moschis*) Sic etiam Pontanus nominat. Sed in Finmarchorum litteris, mihi inspectis, neutiquam legitur *Moschorum* vocabulum (nunquam isto aevo apud nos vel auditum, nedum usitatum,) sed *Russorum*. Atque ita quoque recte habet Hvitfeldius hoc loco, *pag* 299.

(b) *Slesvici induciae*.] Non Slesvici factae sunt, sed Flensburgi: & huc quidem circa Martiui festum magnus numerus Principum, & Nobilium convenerat ad compositionem inter Regem, Holsatosque faciendam. Quorum nomina, & a quibus partibus steterint singuli, legantur in *Chronico* Herm. Corneri 1245. & *seq.* ubi diligenter fuseque enarrata huius conventus Acta. Finem iste habuit, quemadmodum & Hvitfeldio *pag.* 294. notatum, *die S. Nicolai*, seu *VIII. Id. Decembr.*

CIↃCCCCXXII.

arces, atque praefecturas capere a dominis clientes solent; ac vicissim polliceri, se eamdem bona fide integram conservaturum, incolisque iuxta leges ius dicturum; neque item commissurum, ut iniuriam ipse iis unquam inferat; aut passurum, ut ab aliis idem fiat; praeter haec, se arcem eam, aut comitatum, si reposcat aliquando, sine mora regi reddíturum esse; &, si ante vita excederet, quam repetere forte posset, tum Philippae, uxori eius, Bogislai, Pomeraniae ducis, nomine, ubi primum id postulaverit, traditurum: Quod si etiam regina ante id tempus diem obeat, Bugislao patrueli, aut, defuncto quoque illo, eius proximo agnato, Norvagiae nomine; quive, procerum consensu, tribus regnis rex perficiendus foret; denique & liberam ab aere alieno arcem, ac comitatum, sicut ipse accepisset, haud cunctanter redditurum.

CIↃCCCCXXIII.

Hinc reginae Margaretae, cui regna tot debebat, ut vel eo modo gratum se ostenderet, in Roschildiensi aede, quod spectatur etiamnum, monumentum suum struit; tum, Flensburgi inchoatum, cum Vandalicis urbibus foedus Hafniae icit; quod & posteros, & haeredes comprehenderet: ita tamen, *ut officia urbes quaeque sua exciperent, quae principibus deberent; qui si tamen Daniae inferrent arma, eae urbes, quae his ipsis subiacerent, fidem caeteris servantibus, & auxilia, quae ex foedere hoc deberent, exhibentibus, adquiescerent*. Mox & Orcadum praefecturam, quam superiore anno Thomae Episcopo concesserat, eo & adsentiente, in Davidem Meinerum, hominem gente Scotum, transfert; qui tamen, haud recte praefectura usus, ut indignus postea remotus fuit. Postquam autem controversia inter regem, & Holsatos de ducatu Slesvicensi, aliquanto tempore iam tenuisset; bellum quoque, cum ingenti partis utrisque damno, inde excitatum esset, pacem praeferens Ericus, scriptis literis ad Pontificem, Caesaremque, ac vicinos item Principes, & Dithmarsos, de iniuria conqueritur; qua Holsati, praeter omne fas, & aequum, occupatum Slesvicensium ducatum per vim sibi vindicarent: ac querelae rationes omnibus se probaturum promittebat, & effecit, ut non pauci inter principes, ac pleraeque civitates, animis in eius partes propenderent; adeoque Luneburgici vetuere; *ne suorum quis Holsatis contra regem militaret: quique faceret, civitate sua excideret*. Lubecenses, cum Holsatis in Vtiniano templo colloquuti, edixere senatoribus, qui convenerant; *uti causam Caesari arbitrandam darent; se testari, urbium Hansaticarum omnium nomine, quando rex nil praeter ius, & aequum, petere videretur, atque ipsi nimium praefractis animis refragentur, sibi plane certum esse, aequitatem adiuvare; satis hactenus bellatum, nec id ultra ferre posse*. Ad quae a Schaccone Rantzovio, ordinis equestris viro, nomine Holsaticae nobilitatis universae, est responsum: *exploratum sibi esse, dominos suos Slesvicensium ducatum, quem parentis sui morte veluti haereditarium accepissent, iuste sane possidere: ideoque nil omnino opus esse, ut cognitionem causae ullam Caesari permittant*. At Dithmarsi literas ad Holsatos scribunt, & hortantur; *ut ducatum Slesvicensem, ac Gottorpiensem arcem, quando iniuste detinerent, regi Erico restituerent: nisi faciant, se in causa, summa aequitate nixa, minime illi defuturos*. Quibus respondere Holsati, petereque: *ne quid temere parti adversae adsentirent; se quod aequum existimarent, postulare; neque ultra quicquam velle, quam ducatus, quem haereditarium clientis iure pater ipsis reliquisset, uti sibi traderetur*: atque, illis reponentibus; *equum, commodato acceptum, reddi, neque retineri, velut proprium*: mox & ipsi regessere; *aliud esse, commodato equum dare, aut accipere; & ducatum, iure clientelae proprium, restituere: adeoque huius rei iudices quoque ipsos capere*. Quae Dithmarsi quum egissent, operae suae certiorem regem faciunt, nuntiantque: *nihil se hostile in Holsatos posse, quum & ipsi nihil praeter ius, & aequum velle sese testarentur*. Eamdem causam Hafniae coram rege agebat Lubecensium Episcopus, Ioannes Schelius; quum id Pontifex, ad quem datas quoque a rege literas commemoravi, demandasset: verum ille, postquam undique viros principes controversiae decidendae convocasset, illis varie inter se dissentientibus, frustra fuit. Itaque, ut aliquid egisse tamen videretur, qui Ecclesiae sibi bona vendicassent, neque ea restituerent, sacris prohibet; idque adeo animum Erici regis asperavit, ut mandaret evestigio Lubecensibus; *evocarent praesulem suum, nisi controversiae involvi etiam ipsi vellent*. Caesar, ut praestaret operam, quam Ericus imploraverat, Rumpoldum legat, Silesiae ducem, qui negotium componeret; atque is, Lubecae primum honorifice exceptus, quum Flensburgum perrexisset, vix in oppidum advenerat, quum Henricus mox Holsatus, Gulielmus Brunsvicensis, & Adolphus Schouvvemburgicus, fractis portis, manu armata id invadunt; ac legatus, illis obviam procedens, plane inermis, blanda oratione ait: *se a Caesare ablegatum, ut conciliaret pacem; & imprimis regem ipsum conveniri oportere: neque dubium ullum esse, quin res bonum sit eventum habitura*; simul eos adhortatur; *uti pacem ipsi quoque sectarentur, & principibus Holsatis studium eiusdem item serio inculcare vellent*. Quae quum illis persuasisset, iter ad Ericum capit; comite Ioanne Schelio, Lubecensium Episcopo, quem iam ante memoravi; & efficit, ipso statim in principio, ut, benigniore animo in Henricum Holsatum sumpto, eum Ericus haud gravate ad colloquium admitteret [a], ac dimitteret perbenigne; etiam do-

(a) *Ad colloquium admitteret*) Herm. Corner. *Col.* 1255. „ Dictus Dux Rumpoldus praesentiam Regis accessit, ac Sigismundi Regis Romanorum, cuius legatione fungebatur, intentionem eidem expressit, & singulis studiose masticatis, breviter circa ipsum tantum effecit, quod ipsum Regem (Ericum) & Henricum Ducem ad amicitiam singularem retraxit, ita quod Rex Henricum Ducem in suam gratiam recepit, & in favorem specialem munera speciosa sibi tribuit. „ Subiungit idem Cornerus, „ Ericum Regem dedisse Rumpoldo filiam Ducis Pomeraniae, consanguineam suam, in recompensationem laborum suorum, nec non regalia clenodia, & magnam auri summam. „

CIↃCCCC XXIII. donis, uti ceteros oratores, honoratum, & perduci ad optatum res eventum potuisset, nisi Caesaris legatum intempestiva mors [a] negotio pertractando subduxisset, quamquam monito ante obitum suum rege, & Holsatis, ut, quas pacis rationes indicasset, ne reiicerent, Caesaremque, & Imperii quosdam principes arbitros dissidii facerent. Nec multo post submisit alium Imperator iureconsultum, qui acciperet documenta ad negotium pertinentia, & ad Caesarem referret. Cui quum rex promte admodum, quae habebat, universa (B) tradidisset, & Holsati idem facere detrectarent, protestatur, noxiam ipsis hanc negationem fore, & recedit. Per id tempus etiam Dorningam Holsati, arcem regiam obsidere instituerant; sed, re arbitris permissa, a proposito destitere. CIↃCCCC XXIV. Anno proximo, quum Ericus in vicinam Pomeraniam, rebus illic ordinandis excurrisset, post nonnullam ibi moram, ac curatis, quae volebat, aliquos e comitatu mox in Daniam remittens, proficisci

Meursii Tom. IX.

(A) Hierosolyma [b] ipse statuit. Budam itaque [c] in Pannoniam, Caesare vocante, abit; citato quoque huc Henrico, fratribusque; qui quum illuc accessissent, cognita causa, mox pronuntiat Imperator [d], *Slesvicensium ducatum, de quo inter se contenderent, ad regnum Daniae pertinere*. Voluitque ad conciliandas partes, ut Holsatis rex Lalandiam, & trecenta millia selibrarum daret, qui accipere tamen ea recusabant. Post quae, quum propositum iter rex Ericus maturaret, quidam in aula (B) Imperatoris, illo solo oriundus [e], qui regnorum trium regem esse sciret, pictam in tabella effigiem ad amicum quemdam mittit, tunc in Syria, quae Sultano subiacebat, habitantem. Et ex ea, postquam illuc advenisset, a praefecto cursus publici, quamquam veste principem dissimularet, adgnitus, captusque fuit [f], pretiumque viro ingens, ne Sultano proderetur, pendere necesse habuit. Ac, dum abest, lis Philippae eius coniugi, cum Arhuriensi Episcopo, Vlrico Stigeo super ratio- (C)

Xxx

(a) *Intempestiva mors*) Cornerus *l. l.* „ Princeps ille illustris, & „ Angelus Pacis Rumpoldus epidemiae labe tactus, lectum aegri- „ tudinis incidit. Qui sentiens sibi mortem imminere, Regi „ seriosis verbis, & monitis salubribus imposuit, ut pacem, & „ concordiam per ipsum inceptam ad effectum perduceret. Quod „ cum Rex, cum effusione lacrymarum, & suspiriis profundis „ indubitanter se facturum promisisset, Dux spiritum efflavit, „ non sine maxima assistentium perturbatione. Quem Rex cum „ solennibus exequiis tumulari fecit in Hadersleve, licet sui vas- „ salli ipsius corpus libenter ad suas partes reduxissent. „

(b) *Proficisci Hierosolyma*) Invenio apud Pomeranicos Scriptores, peregrinationem hanc subscepisse ex voto, quo aliquot ante annos se obstrinxerat, ut horrendam vastationem, quam in Fimbria (alias Femaria insula) exercitus eius perpetrarat (vid. (D) Meursius sup. *Col.* 549.) totque innocentum hominum caedes expiaret. Sic Micraelius *Histor. Pomeran. lib* 3. *pag.* 394.

(c) *Budam itaque*) Pontani hic vestigiis (*pag.* 570.) more suo insistit noster, sed omisit nonnulla, quae is posterius (*pag.* 577.) haud indigna memoratu iudicavit, ante iter Hierosolymitanum Regi nostro, eodemque anno subscepta. In his primum, quod ex Pomerania in Poloniam profectus, Regem Wladislaum inviserit, atque una cum Sigismundo Romanorum, & Hungarorum Rege adfuerit inaugurationi Reginae Sophiae, Wladislai coniugis. Festum hoc summa magnificentia die 12. Februarii celebratum fuisse testatur Dlugossus, qui & Regem Ericum sub ipsum anni 1424. initium Poloniam intrasse, Sigismundum autem serius advenisse memorat. Vnde sequitur ex Dania profectum Regem Pomeranos suos invisisse iam anno 1423. non vero primum sequenti, ut Hvitfeldius (E) ceterique habent. Actum in Cracoviensi conventu inter Reges, de pace Regnorum, ac de Hussitis, quorum invalescebant vires, extirpandis. Propositum insuper Wladislao, ut filiam suam Hedwigem ex priore matrimonio natam, desponsaret Boguslao Pomerano, Duci Stolpensi, Erici nostri patrueli, (non, ut Dlugossus habet, *nepoti germano*,) quamvis ea iam ante promissa esset filio Electoris Brandenburgici. Sed inanem sumserunt operam Polonis datam Brandenburgico fidem praeferentibus utilitati, quae ex Pomeranico matrimonio ostendebatur. Inde regressum in Hungariam Sigismundum Rex Ericus comitatur, mense ipso Martio, modo vera sit Dlugossi narratio *lib.* XI. *pag.* 477. At Hvitfeldius *pag* 339. Ericum nostrum in Hungariam profectum scribit ipsis *Calendis Iunii*. Certumque est, tabulas decreti illius, sive *Laudi*, (F) quod Sigismundus tunc Budae praesens, pro Erico contra Comites Holsatos edidit, adscriptum habere *diem* 28. *Iunii*. Ex Hungaria Dlugossus ait Daniae Regem *vice altera Hierosolymam adiisse*: Sic enim ibi legitur; sed mendosum esse, pro *via altera*, nullus dubito. Mox tamen idem Scriptor *pag. seq.* narrat, ipso illo tempore Ericum nostrum, una cum Petro Regis Portugalliae germano, Sigismundum contra Hussitas belligerantem copiis, & auxiliis suis auxisse, atque obsidioni *Luthembergi* Moraviae oppidi adfuisse. Quod quidem totum ex Eenea Silvio desumtum esse, patebit conferenti huius *Historiam Bohemicam*, *cap.* 44. ex qua, & eadem exscripserunt Abrah. Bzovius ad ann. 1423. §. 12. & Cochlaeus in *Histor. Hussit. lib.* 5. *pag.* 213. queis addatur Raynaldus ad ann. 1425. §. 12. Interim, quotquot ex Scriptoribus Bohemicis evolvi de *Iudenburgae* (sic enim vocanda) obsidione, (quam & Balbinus, & Zachar. Theobaldus, in anno 1422. collocant, Sylvius vero sine anni nota relinquit, Cochlaeus, & Raynaldus reiiciunt ad 1425.) nullo verbo mentionem Regis Daniae faciunt. Observamus praeterea, urbis, de qua agunt, vocabulum diversimode scriptum reperisi, a Bohemis quidem Balbino, & Theobaldo *Iudenburgam*; a Sylvio *Iutenbergam*, a Dlugosso *Luthembergum*, ab Odor. Raynaldo *Intembergam*, a L' Enfantio denique in *Historia belli Hussitici*, *&* *Concil. Bas. lib.* XI. *pag.* 198. *Luntenbourg*. Sed hoc parvi, ut credo, momenti. Plus aliquid est, quod, praeter Sylvium, cuius verba ex Dlugosso repraesentavi, persuadere nobis volunt Bzovius, & Raynaldus, ille ad an. 1424. *num.* 30. hic loc. cit. nempe Ericum, monitu Pontificis *ex septentrione contra Hussitas non contemnendas copias comparasse*, *quas etiam* (verba sunt Raynaldi,) *eduxisset*, *si Germani*, *ut conventum erat ex foedere*, *in Bohemiam eodem* (D) *tempore irrupissent* De quo, quum altum est in omnibus nostris monumentis silentium, nihil habeo, quod dicam, praeterquam quod nullus dubitem, liberalem oppido fuisse Regem nostrum in copiis, & auxiliis contra Hussitas promittendis; verum ne praestaret, continua, quae cum Holsatis, Vandalicisque urbibus habebat, bella intercessisse; quorum & excusatione usum, & culpam in Vandalicos, seu Hanseaticos reiecisse, fidem faciunt legationes Michaelis Honningeri, & Nicolai Stochii, de quibus legantur Hvitfeldius, *pag.* 528. *seqq.* Pontanus *pag.* 587. & Meursius inf. *Col.* 574. Atque hoc modo nescio quid illud fuerit, quod ad Bohemiam, & vicinas regiones peste illa liberandas contulerit Rex noster, quamvis tunc *cruce signatorum*, ut Bzovio adpellatur, *primarius*. Subvenisse tamen credo pecunia, & collecta per regna sua stipe; nimirum illa, quam Cardinalis Iulianus (E) Caesarinus anno 1431. in Conventu Norinberg. (Vid. Odor. Raynald. ad h. an: §. 1.) propositis indulgentiarum praemiis efflagitavit, non tantum ab universis Germanici Imperii civibus, sed & aliis extra Imperium, quotquot nimirum sacro iamdudum foederi contra Hussitas accesserant; quo in numero erant Ericus noster, & Vladislaus Rex Poloniae. Hincque est, quod hi duo Reges nominentur in *Actis Comitiorum Noriberg.* eiusdem anni apud Dattum *de Pace Imper. public. cap.* 25. *pag.* 173. inter eos, quorum *denarii* in usum Hussiticae expeditionis collecti adportandi essent Wratislaviam. Ceterum illorum *Actorum* verbis abuti, & aliquid inde aucupari velle, ad probandum tributarium quemdam nexum inter Imperium Germanicum, & regna aquilonaria, [quemadmodum non nemini inter seculi huius Scriptores in mentem venit,] est revera operam ludos facere, & retia. Simili (F) enim ratione possunt & omnes alii inter tributarios censeri, quicumque ad celebres illas in Terram sanctam expeditiones olim quidquam contulerunt. Et quis umquam audivit, tributa, Imperio debita, propositis, atque a Pontifice impetratis indulgentiarum praemiis pensari? Vt taceam perrarum εὕρημα, nescio an alii ex Iuris publ. Doctoribus, praeterquam illi, revelatum, inter vectigalia Imperii Rom. regna etiam Sveciam, & Norvegiam numerari.

(d) *Pronuntiat Imperator*) Sententiae apographum habes apud Hvitfeld. a *pag.* 340. ad 356. & Pontan. *pag.* 571. *seqq.*

(e) *Illo solo oriundus*] Herm. Cornerus *Col.* 1260. dicit, fuisse filium Imperatoris Constantinopolitani, tunc Sigismundi militiae deservientem, qui effigiem Erici clam miserit Soldano Damascenorum. Idem Scriptor nonnulla ibidem alia commemorat, de hac Regis nostri peregrinatione, nostris historicis praeterita, aut, ut credo, ignorata.

(f) *Captusque fuit*] Aliter tamen Cornerus; captum fuisse haud dicens, sed persoluto ei, qui effigiem habebat, pretio, statim peri-

[CIƆCCCC XXV.] tionibus, ac ditionibus, quas a rege acceperat administrandas (a), tamquam tutor, est exorta. Verum paulo post composita ita, *ut ius suum utrimque obtinerent, quaeque ad dioeceseos sorum pertinerent, illic ut disceptarentur; quae ad regni, haec senatus iudicaret.* Holsati vero, quibus lata a Caesare sententia non probaretur, quamquam ea se staturos promisissent, de iniquitate eius conquerentes, mittunt ad Pontificem Martinum V. obtinentque, *uti Cardinalis quidam, una cum Episcopo Coloniensi, causam denuo cognosceret; aut, si posset, operam daret, ut arbitrio ea suo traderetur.* Inter ista, quum Ericus rediisset, ultro ipse, & Holsati consensere, ut Flensburgum convenirent, & adducerent arbitros utrimque quatuor, qui dissidium componerent. Sed nec ita res successit; quum pertenderent Holsati, *non ex gratia regis Daniae temporaneum hunc ducatum, ut pronuntiarat Caesar, & iam olim obtinuerat, verum ex hereditate, & successione certa possideri.* Rex Holsatos quum videret pertinaces, ius & ipse suum urgere, & sententiae insistere, quam tulisset Imperator; itaque, quum ius negarent, arma parat. Vndique conscribit militem; & Slesvicum, ac Gottorpium vi subiicere sibi statuit. Id Holsati, quia gnari, praesidio utrumque firmant, ac Slesvicum vallo quoque, & fossa muniunt. Tum praetexunt item causae, quod Pontifici placuisset, ut Coloniensis praesul eam denuo cognosceret. Insuper Vandalicas compellant urbes, & auxilia, ut putabant, iusta petunt; etenim censebant novum, contra Germanorum morem, feuda personalia a Caesare pronuntiari. Ac iuvabant Hamburgenses; idque occulte operam dabant, ut a rege has abducerent. Nam *Holsatiam Dania propinquiorem*, inquiebant; *ac constare Holsatorum in easdem beneficia, tum hoc modo citius finiri item bellum posse, graviter alias adflicturum.* Itaque relicta regis amicitia, in quam, icto pridem foedere, iusiurandum omnes dederant, ad Holsatos transiere. Quam ob causam quum Rostochii convenissent, ablegandos aliquos ad regem censent, qui ad pacem adhortentur; & ostendant, quantum ipsi in discrimen bello hoc adducerentur. Sed legati, postquam regem compellassent, & hunc persequi ius suum, iuxta Caesaris sententiam, plane certum invenirent, qui amici, ac foederati advenissent, hostes eius recessere. Per id tempus, quum ex aere Cyprio pecuniam rex, vilem admodum, cudisset, laborare apud omnes fama cepit. Sed Philippa, ut peccatum emendaret, eo ignaro, aliam meliorem dedit (b). Vetitum quoque, ne Germani, exterive item alii, quibus in Norvagia ius nullum civitatis esset, neve habitandi illic etiam potestas data, tractum illum borealem navibus suis frequentarent. Facta & urbs Helsingora, ante pagus, & accepit privilegia. Quique e ligno aedes struerent per decennium, qui e lapide, hi vicennium a tributis omnibus immunes forent, liberaque ex inferiore silva ligna haberent, praeter tamen quercum, fagum, & virgulta. Ac praefectus illic primus, Petrus Oxius, arcem item Orecragam, ubi nunc est Croneburgum, quum ad boream munimentum, Flundesburgum adpellatum, haberetur, tenuisse memoratur. Inde bellum Holsatiae infert; [CIƆCCCC XXVI.] & Slesvicum, ac Gottorpium statim obsidens, fossam a colle Caballino (c) in Sliam usque, valde latam, quae non parum copias suas tueretur, duci iubet; quum Holsati, quibus milites sexcentos Hamburgenses in auxilium submiserant, ripa altera occupata, castra illic sua ponunt; id agentes, ut, obstructo Sliae ostio, aliquot depressis navibus commeatum, mari illuc advehendum, prohiberent. Verum Dani, summa ope obnitentes, aditum illum vindicarunt. Sed, dum rex propositum urget, literae ipsi a Vandalicis civitatibus adferuntur, quae illata per hoc bellum, & in pace detrimenta quererentur; tum denuntiarent etiam, quando pacem monitus non admisisset, se deinceps hostes fore. Quare, quum & arma eas iam parasse intelligeret, domum copias reducit. Recedentem navibus suis Gerhardus, minimus fratrum Holsatorum, & Vandalicae civitates infestare in Fimbriae freto cupiebant; sed consilium hoc tempestas anni adversa impedivit; ac, quum id non successisset, Fimbriam invadunt astu, capiuntque; & Glambecam illic arcem. Parte altera Wilspangam, opere, ac situ loci munitissimam, pridem ab Erico structam, dux Henricus vi expugnat, diruitque (d). Rex, quum literas, quas iam dixi, a Vandalicis civitatibus accepisset, ita civibus, incolisque earum scribit: *se dissidii minime auctorem esse, itaque commercia sua intermitterent (e), & a mari abstinentes, domi sese continerent. Potiusque magistra-*

periculum evasisse. Verba eius: „ Quumque devotione sua „ (apud sepulchrum Domini) expleta Rex ad navem reverteretur, dixit Nobilis ille, qui salvum conductum eis exhibuerat, Erico Regi secreto: Credis homo, quod nobis ignotus sis, qui in forma clientis apud civem istum vagaris? tu „ enim es trium regnorum princeps, & Danorum Rex nuncuparis. Et ut scias me te optime cognoscere talem esse, ecce „ imago faciei tuae, nostro Domino Soldano destinata. Quam „ cum Rex videret, consternatus valde, fertur dedisse Nobili „ illi pecuniae summam satis largam, ut ipsum in pace transire permitteret. Quo navem adscenso cum sua comitiva, non „ per Venetias, sed per aliam viam reversus in Vngariam, & „ inde in regnum suum. „ Ex Cornero, ut videtur, accepit Crantzius *Dan. lib.* 8. *cap.* 8. Eodemque fere modo ex nostris rem narrat, sed paulo fusius, Io. Svaningius in *Hist MS.* Omnes, si non in tota Historia, certe in ultima eius parte falsi; siquidem Venetias in reditu adpulisse, neque per aliam viam regressum esse diserte testatur *Diarii Veneti MS.* auctor apud Odor. Raynaldum ad ann. 1425. §. 12. adnotata etiam die, qua Venetias attigit, scilicet tertia Ianuarii.

(a) *Administrandas*) Non acceperat administrandas Vlricus, sed decessor eius Bohetius Episcopus Arhusiensis; nunc vero a successore *Vlrico Stygaeo* reposcebantur.

(b) *Aliam meliorem dedit*] Corner. *Col.* 1266. „ Ericus Rex Danorum, astutia mundana usus, inconsueta tamen, monetam „ fieri fecit novam ex toto cupream, & illam solam recipi „ praecepit, ut vulgabatur, & non aliam ab incolis regni, sub „ poena privationis omnium bonorum. - - - - Videntes autem „ mercatores, & advenae prudentiam hanc mundanam non in „ bonum eorum vergere, merces suas apud se retinuerunt, & „ res i pro rebus commutare studuerunt. Regina tamen non „ valens audire detractiones, & obloquutiones hominum, in „ dedecus, & vituperium honoris Domini sui Regis, & mariti sonantes, statim post dictam monetam cupream abiecit, „ & bonam monetam, cum civitatibus maritimis aequivalentem „ fabrefecit, ac eam recipi ab omnibus mandavit. „

(c) *Colle caballino*) Locus dicitur vernacule, *Hesteberg*.

(d) *Vi expugnat, diruitque*] Multo plura ad belli hoc anno gesti Historiam suppeditat Cornerus a *Col.* 1270. ad 1274.

(e) *Commercia intermitterent*) Heic ad contrarium plane sensum ver-

CIƆCCCC XXVI. *gistratum quique suum accusarent, qui a foedere constituto, praeter omne ius, & aequum, discessissent.* Quibus verbis moti plures, & infesti senatoribus passim facti, eos partim occiderunt, partim ordine moverunt [a]. Sub id tempus cum Iacobo, nominis istius primo, Scotiae rege, foedera vetusta omnia, quae Norvagiam concernebant, renovavit. Inter quae id antiquissimum censebatur, quod sancitum inter Magnum, atque Alexandrum III. super insulis Aebudis; ac praeterea certa quadam pensione, quam pro Manna, ac Sudora, Alexander regi se Norvagiae persoluturum annis aliquot promiserat. Exceptae selibrae argenti centum, quas quotannis idem ille, quique successuri essent, propter Orcadas exhibere tenebantur. Verum eas, quia dudum propter bella, aliaque item incommoda, quae inciderant, minime solutae essent, rex Iacobo liberaliter condonavit [b]. CIƆCCCC XXVII. Interim id operam dabat, uti urbes, post has literas, magis inter se committeret; ac discordes quas fecisset, ad se traheret, Pomeraniaeque duces Casimirus, Vratislaus, ac Barnimus, Stralesundiam accedentes, consules, & senatores, convenire in curiam iussos, adhortantur: *ut ad foedus pristinum redire vellent, aut exponerent, cur ab eo discessissent. Sibi regem concessisse potestatem, ut, negotio rectius examinato, ad commercia repetenda universos invitarent.* Ad quae Stralesundienses quum responsum reddidissent: *ita se obstrictos ceteris, uti, illis inconsultis, nihil possent.* Ac regererent rursum duces: *nihil esse, quod de reliquis ipsi obtenderent;* tamdem se explicuere: *nihil aliud causae esse, quam, quod variis se, suosque classis regia detrimentis adfecisset.* Quae quum illis Casimirus se ad regem relaturum promisisset, & in Daniam paulo post profectus esset, domi se continuere. Primo vere civitates Vandalorum, classe maxima comparata, sub Gerhardo Holsato duce, mare Balthicum, Danicasque in eo insulas divexarunt [c]; fratre Henrico terra omnia tentante, ac Flensburgum, bello admodum sive mari, sive terra gerere vellet, opportunum expugnare cupiente. Iamque ad expugnationem, praeter grandia tormenta, omnia in promtu erant. Inter quae, dum mora nectitur, & Henricus sepem adscendit, inde quidnam hostis ageret adspecturus, miles Danus, qui post eam latitabat, lancea percussum occidit. Atque interfecto illo statim copiae dilabi; frustra Adolpho eius fratre retinere cupiente: adeoque istic quoque exploratum; fortunam exercitus universi in unius ducis capite sitam esse. Ac non Hamburgenses tantum, verum etiam Lubecenses, quamquam antea totis animis, viribusque bello intenti, mox a castris discessere. Instruxerant caedem urbes classem aliam, quae servaret Oresundam, navibusque fretum istud transeuntibus, contra Danos opem ferret. Sed Ericus, cui gnarum isthoc esset, aliquot e suis obiicit, quae repulsae primo praelio, postquam manus iterum conseruissent, totam mercam profligarunt. Vixque haec ita gesta erant, quum triginta Lubecensium oneratae cibus pretiosis naves, post conflictum satis acrem superatae, in Danorum potestatem devenere. Inde Orcadum praefectura, quam ablatam ab Episcopo, in Davidem Meinerum Scotum rex transtulerat, uti supra memoravi, quum is illa minus recte uteretur, huic eripitur, & Episcopo restituitur. Inter ista Sigismundus Imperator scribit ad Rostochienses, Vismarienses, Lubecenses, Hamburgenses, aliasque Hansaticas urbes: *missum Norimbergam Vrsinum Cardinalem a Pontifice Romano, uti arma in Bohemos perduelles, & haereticos caperentur; ac iam reges item aliquos, & respublicas operam suam promisisse. Et in istis regem Ericum, ad quem pridem Michaelem Honningerum ablegasset; verum, eum quam indigne excepisent, minime se ignorare. Tum hoc quoque satis scire; quam inique, contra latam a se sententiam, bello ipsum divexare instituerint. E qua re cum haeresis non parum incrementi capiat, monitos velle, uti sumta in illum arma tamdem ponant. Quod ni faciant, poena usurum in obsequium recusantes usitata.* Scribit quoque ad Ericum: *accepisse, quas dedisset ad se literas; tum intellexisse item ex Michaele Honningero, bello ipsum cum Hansaticis civitatibus iniquissimo involutum se invito, & ignaro; atque ea ratione se subsidio privari, quod utrimque exspectaret. Ideoque, literis ad illos scriptis, exhortari universas, uti pacem amplectantur. Insuper & Nicolaum Stochium nunc ablegare, virum iuris peritissimum, ac consiliarium suum, qui negotium adiuvaret.* Quae quantumvis hunc in modum se haberent, tamen Vandali, & in his Vismarienses ante omnes, literas ad regem Ericum plane inimicas scribunt, & nil nisi bellum spirant; accusantes, quod tam varie adflictos magis etiam infestaret, neque rationem ullam privilegiorum haberet. Inter ista, Stochius Lubecam venit; qui, senatu statim dato, Caesaris mandata exponit: *abhorrere illum a bello; ac praesertim, quod Erico, cum ingenti reipublicae Christianae detrimento intulissent. Non habere ullum dubium, quin se dominum adgnoscerent; itaque mirari magis, quod invito, & ignaro, contra foedus, quod pepigerant, & Imperii constitutiones omnes, rege Erico nihil iuris recusante, in hoc bellum consensissent. Tum & hoc videri mirum, quod Holsatis opem ferrent; qui fas omne, etiam promissa sua contemnentes, quam sententiam tulisset, adspernari ausi essent. Si Hol-*

verba, ac mentem Regis trahunt duo Historici nostri, Pontanus, & Meursius, illum scilicet hic sequutus. Sed Pontanus perperam intellexit, ac cepit Hvitfeldii phrasin; quae omnino sic reddenda: „ Regem civibus urbium Vandalicarum „ scriptis literis significasse, sese dissidii, & incommodorum, „ quae ex eo derivata, minime auctorem esse, neque causam „ dedisse, ut commercia Vandalici intermitterent, & a mari „ abstinentes &c. „

(a) *Ordine moverunt*] Huc pertinent, quae fuse persequitur Cornerus *Col.* 1282. *seq.*

(b) *Liberaliter condonavit*) Foederis huius, & transactionis cum Rege Scotiae apographum integrum, ex Archivis nostri Regis prolatum, exhibet Thormodus Torfaeus in *Histor. rerum Orcadensium* a *pag.* 198. ad *pag.* 205.

(c) *Insulas divexarunt*] Lege haec, & sequentia fusius enarrantem Cornerum *Col.* 1276. *seq.*

CIↃCCCC XXVII. *Holsati aliquod in regem tamen ius praetenderent, id Pontificis arbitrio, Caesarisque, non gravate hunc permittere.* Post haec suadet: *uti classem, militemque revocarent, & inducias, per quas controversia omnis tolleretur, in sexennium constituerent.* Simul monet: *ne Imperii maiestatem vilipenderent.* Denique addit: *ad Hericum, & Holsatos itidem mandata habere.* Ad quae dum responsum differunt, in Reinfeldiam Monasterium, ubi tunc Holsati erant, sese confert; sed cum illis colloquutus, nihil refert, quam, *se nolle cum Erico ullo modo convenire, nisi, quod hereditate deberetur, ipsis daret, & commerciorum iura restitueret.* Quae quum ille pro responso accepturum se negaret, Lubecenses, ad quos tum revertebatur, quum deliberassent paulum, respondere: *se paratos ad obsequium, iret modo ad Ericum, & ipsius quoque animum, an in pacem propenderet, exploraret, nec se ante revocare militem, aut classem posse. De induciis, facile conventum iri; dum captivi interim dimitterentur, & antiquis privilegiis etiam daretur frui.* CIↃCCCC XXVIII. Hinc in Daniam profectus, quae responsa ab Holsatis, ac Lubecensibus accepisset, regi narrat. Simul aperit, quae mandata Caesaris ad ipsum ferret, & hortatur, ut ad pacem animum inclinare velit. Ad quae ille: *gratum sibi pacis nomen, ac paratum in Caesaris gratiam, commodumque reipublicae Christianae, quidquid ratio suaderet, perlibenter effecturum.* Hinc conventui constitutus dies pariter, locusque, ac diei proferendi Stochio potestas data. Qui Slesvicum quum se inde recepisset, & Holsatis animum benignum regis, & in pacem inclinatum indicaret, maximus Holsatiae comitum petulantius respondere: Stochioque varia interponente, pro Flensburgo, quod conventui destinatum, Falsterboam sibi Holsati elegere. Qua re Stochius intellecta, quum in Daniam proficisci instituerer, aliud Holsati ingerunt; & cum iis urbium quoque delegati: *mare infestum valde esse, nec piratas divagantes revocari statim posse. Insuper & vitio sibi datum iri, si inducias constitutas ulla ex parte violarent; tum & tempus, quo deberent convenire iam elapsum.* Ad quae respondere Stochius: *antea id indicari debuisse, neque iuri facile locum inter arma ullum esse. Ac sciendum, nullo metu adductum regem, ut in pacem consentiret; verum solo in rem Christianam adfectu, & ne haeresis per hoc bellum incrementum aliquod, aut robur caperet. Quod ad diem attineret, quem elapsum esse dicerent, se illius proferendi plenam potestatem habere.* Itaque mox iterum causa in senatu apud Lubecenses acta, placuitque, *ut a festo Paschatis octavus dies caperetur, eo se, si ventus ipsis adspiraret, literaeque commeatus mitterentur, adfuturos.* Sed ad regem quum regressus esset Stochius, quantum passim detrimenti urbium, & Holsatorum, naves darent, intellexit. Quumque nihilominus eum hortaretur, uti ad conventum indictum ire vellet, *se libenter id facturum esse* dixit, *Caesaris causa, & utilitatis publicae, non in gratiam Holsatorum, aut Vandalicarum urbium, dummodo Holsatica classis suo nomine ituris literas commeatus daret.* Inde cum praefectis classis, Gerhardo Holsato, ac Ditlevo Alefeldio, colloquutus, *indignationem illis Caesaris* interminatur, *nisi morem ipsi gererent; ac, depositis statim armis, ad conventum, in quem civitates ipsae, principesque, quorum ea classis esset, consensissent, una adessent.* Erant vero in hac classe naves ducentae sexaginta, & in istis hominum duodecim millia; praeter alios piratas, qui Vitaliani [a] vulgo adpellati, octingentos. Eae naves, quum se ad Vismariae portum collegissent, vento observato prospero, urbem Hafniam petiere. Sed rex suas ita instruxerat [b], provideque ordinaverat, ut exscendere nusquam possent. Ac regina per absentiam Erici, item cives, & iuventutem universam, armis aptam convocaverat, praemiisque constitutis, ad virtutem excitaverat. Et Vandalici, etsi quidlibet tentarent, tamen, conatorum irriti, retrocedere sunt coacti. Vitaliani, qui seorsim militabant, Landescronam Scaniae urbem populantur, & incendunt. Hinc Norvagiam petentes, Bergam invadunt; & ingenti inde praeda comportata, se Vismariam recipiunt. Quae in mari dum geruntur, Adolphus Holsatus, quique ei se coniunxerat, Gulielmus Brunsvicensis, borealem Cimbriam diripuere. Inter haec Philippa Hafniae, uti animos iuventutis, quae se fortiter pridem gesserat, porro ad virtutem incenderet, epulum in arce instruit; ac commendaturam se Erico eam pollicetur; qui, quam meruissent, gratiam postea redditurus esset. Per id tempus Lubecenses in conventu, qui Slucopii habebatur, coram Razeburgensi Episcopo, sunt testati: *nullum sibi cum Erico, Hussi causa, quod vulgatum, bellum esse; sed ob privilegia sua, aliasque immunitates, quibus ille aliquoties vim fecisset. Etiam se paratos esse, quod Ericus obtulisset, ut magister equitum Teutonici ordinis per Borussiam causae arbiter caperetur. Nec per se stetisse item, cur id minus factum foret; verum regis illud culpa, qui legatos illuc mittere neglexisset, evenisse. Nec Pontificis mandatis, Caesarisve, aut Imperii Electorum de subscipiendo bello in Bohemos, defuisse. Michaelem Honningerum sicuti relatum Caesari, non a se, sed a piratis se ignaris, captum esse, inde in Daniam misisse; quaeque officia potuissent, praestitisse. Quin & morem Stochio gesturos esse, si rex item auscultaret; ac, quod Falsterboam quidem non venissent, ventis illud adversantibus, non malignae voluntati imputandum. Itaque maiorem in modum Caesarem oratum velle, ne ira-*

(a) *Vitaliani*) Vocabulum, iam a tempore illo, quo Alberto Rege Sveciae victo, & in captivitatem abducto, Mecklenburgici, & Rostockienses piratae aliis sibi adsociatis Vrbium Vandalicarum incolis, in ultionem excitati, mare Danicum habere infestum coeperant, insulasque nostras passim diripiebant. Hoc scilicet ab anno usque 1288. factitatum esse supra *Col.* 547. indicatum. Piratae id genus *Vitalianos* sese adpellitabant, Danice *Fetalie-Broedre*, a vocab. *Fetalie*, quod a *victualium* illo, quod praedones isti passim de commeatu, & annona sibi ipsi prospicerent, ut ait Pontanus *pag.* 520.

(b) *Res suas ita instruxerat*) Multo sunt copiosiora, quae suppeditat Cornerus *Col.* 1287. *seq.*

CIƆCCCC XXVIII. *iratus aut proscriberet immerentes, aut qua alia poena adficeret. Denique adfini Caesari in negotio regis Daniae non iudicium tuto sat permittere posse; ideoque animo demisso orare, uti iudicem ex Imperii principibus alium quemvis, in quo adquiescere possint, constitueret.* Interim, diplomate edito, querebatur Imperator, *quod negotium illud Pontifex, quum humani, non divini iuris esset, suum in forum pertraxisset. Atque ne Pontificem Romanum quidem, nedum alium quemquam principem in negotiis civilibus se superiorem adgnoscere; ideoque serio velle, ne iudicium aliquis Ecclesiasticus sibi isthic vendicaret. Ac rogare Brandeburgicum, Saxonem, & Luneburgicum, ut Ericum adiuvarent; ac sententiam, quam tulisset, si Holsati contumaces morem gerere detrectarent, illico exsequerentur.* Quibus Pontifex permotus, literas, quas ad Coloniensem dederat, revocare statim instituit, irritasque esse iubet. CIƆCCCC XXIX. At conventus, qui Nicopiae (a) Falsterboae indictus erat, anno demum proximo habitus; ad quem postquam coiissent, diu frustra disceptatum est; quumque initio placuisset, ut Imperii principes quatuor arbitri eligerentur, & sententiae diffiderent, mox in unum inclinarunt; quem quum Caesarem rex Ericus, Pontificem Holsati vellent, ne sic quidem animi conciliari potuere. Quam ob rem manente bello, regina Philippa, prospero ad Hafniam successu pridem excitata, & ulcisci contumeliam regis viri foemina animosa cupiens, classem parat, & imponit viros mille quadringentos: sed non par eventus fuit; nam, quum statim impetum in Stralesundienses facerent, hi praemoniti, & quid molirentur gnari, naves alias obiecere: quae pugnantes magno animo, ac superiores factae, maximam Danorum partem cecidere, aut captivam abduxere (b). Tum, & ut calamitatem nova fere comitatur, alia reginae navis, Svecicum tributum vehens, in Vitalianos incidit: & post pugnam, quamvis acrem, superatur. Quam rem quum aegerrime Ericus ferret; ac reginam, forte uterum tunc ferentem, inclementius exciperet; ea, monasterium Vadstenіense (c) mox ingressa, vita paulo post excedit: princeps admodum laudata, quaeque magnis animi dotibus excellebat; quarum nomine sicut vivam universi adamaverant, ita mortuam lugebant. CIƆCCCC XXX. Rex Ericus poenitentia, ut videtur, post excessum succedente, quum exequias, illa dignas celebrasset, plurima coenobio isti, & Calmariae largitur: ut solennia utrobique, in memoriam ipsius, ac maiorum, sacra fierent. Quibus rite constitutis, primae ex urbibus Vandalicis Stralesundia, ac Rostochium (d), pacem cum Erico ineunt; quae tentata & cum caeteris, cum Nicopiae Falsterboae, tum deinde Helsingburgi, CIƆCCCC XXXI. verum frustra. Nec multo post Broderus Sueno, e nobilitate Svecica, mari rem pro rege Erico bene gessit; Lubecensiumque naves, Riga venientes, quatuor, pretiosis admodum onustas mercibus, magno animo aggressus, tres earum in potestatem suam redigit, quarta vix in Travae ostium evadente. Per id tempus, & legati e Britannia ad Ericum advenere, ab Henrico, nominis istius sexto; ut antiquam inter regem utrumque pacem stabilirent: ac privatim tamen questi, quae Norvagi damna Anglis intulissent; & respondit perbenigne rex Ericus. *Gratum sibi, tam amice ab Henrico compellari: ac nil certe studio pacis, & vetustae amicitiae, quam a matrimonio Philippae uxoris sedulo continuasset, prius ducere; quod de damnis subditos suos accusarent, se Norvagiae senatores, ad rem istam inquirendam, convocasse; & ex illis tres dumtaxat accessisse: caeteros in mari ab Anglis interceptos, & in vinculis teneri; eos vero, qui venisent, quum Anglorum postulata accepissent, graviter vicissim quaestos, quod in insulis, ad Norvagiam pertinentibus, ipsi etiam commercia, semper hactenus peregrinis interdicta, exercerent; idque eos, contra omne ius, & aequum (e), annos circiter viginti factitasse; nec id tantum, verum & Norvagiae portus in hostilem modum ingressos, eam ferro, atque flamma devastasse: naves quoque populatos, in naucleros seviisse; tum notatum speciatim; quaenam damna, ubi loci, & qui dedissent (f).* Inter ista, pacem Holsati desperantes, ut Flensburgo, oppido peropportuno, seu gerendum terra bellum, sive mari, potirentur, nihil sibi non tentandum existimabant, neque ante quievere, quam id ipsum, opera eiecti civis, dum intersunt sacris omnes oppidani, introducti, quamquam arce aliquando repugnante, occuparent (g). Dum in modum hunc Holsati, & Vandalicae civitates, cum Erico pertinaces bellum gerunt, ab Hollandis, aliisque, occidentem habitantibus, mare Balthicum paulatim magis frequentari caeptum est. Quod Vandalici quum viderent, idque detrimentum sibi non exiguum sane esse intelligerent, tandem pacem, hactenus contemptam toties, postulare sunt coacti. CIƆCCCC XXXII. Itaque, quum Horsenam Augusto mense convenissent, inducias in quinque annos paciscuntur: *per quod tempus de constituenda pace, in conventu, anno proximo Svincburgi sub initium mensis Maii indicendo, ageretur; ubi si negotium finiri haud posset, ut induciae in quinquennium constitutum permanerent: ac commercia inter haec exercerentur, salvis partis utriusque privilegiis. Interim utrimque Na-*

(a) *Conventus, qui Nicopiae*) Acta huius conventus possunt ex Pontani narratione *pag.* 590 cognosci.

(b) *Captivam abduxere*) Infelicem hanc Danis expeditionem plenius, quam nostri, describit Cornerus, *Col.* 1291. *seq.*

(c) *Vadstenense*] Monasterium SS. Mariae, & Brigittae Virginum, Dioeceseos Lincopensis in Svecia. *Diarium Vazstenense*, a Reverendissimo, & rarae virtutis, ac eruditionis Viro D. Erico Benzelio olim editum *pag.* 73. haec de Regina nostra exhibet: „ Anno 1430. in nocte Epiphaniae Domini obiit Il-„ lustris Principissa, Domina Philippa, Regina Sveciae, Daciae, „ & Norvegiae, sepulta hic Vazstensis in choro S. Annae, quam „ ipsa fundavit, & construi fecit. Haec fuit mater, & fidelissi-„ ma protectrix monasterii huius, & totius ordinis nostri. „

(d) *Stralesunda, & Rostochium*] Primi Rostochienses pacem ab Erico oblatam acceptarunt, proditionis idcirco, & malae fidei a ceteris urbibus accusati. His tamen postea Starlesundenses accessere. Copiose atque ampliter de his negotiis agunt Cornerus *Col.* 1297. *seq.* & Hvitfeldius a *pag.* 453. *ad* 482.

(e) *Contra ius, & aequum*] Imo & contra ipsius Angliae Regis editum. Vid. Ryneri *Foedera*, & *Acta publ. an.* 1415. *Tomo IX. pag.* 322. & *ann.* 1429. *Tom.* X. *pag.* 416.

(f) *Et qui dedissent*] Ad hanc legationem pertinent *Acta* & *Literae* in Rymeri *Tom.* X. *pag.* 477. & 487.

(g) *Occuparent*] Brevitatem Meursii, & ceterorum nostratium perlonga narratione compensatam habemus apud Cornerum *Col.* 1302. *seqq.*

CIↃCCCC XXXII. *ves revocarent, quae si intra undecimum Novembris diem non redirent, & interea damnum aliquis ab his ipsis pateretur, id haberet; insuper inducias si quis infringeret intra tempus Suenoburgi praefinitum, eius, & si quis deinceps tale quid ausurus esset, poena constitueretur;* placuitque, *uti foedere eodem, qui in partibus fuissent, tenerentur.* Quum haec ita gesta essent, Nicolaus Crommedicius, eques, & senator regius, breviter, quae ante acta, repetitis, de conventu, Suineburgi mox habendo, universis aurem vellens, nomine Erici regis id indulget: *si fortasse nec tum convenire possent, uti denuo, principes, amicos sibi quos putarent, adsciscentes, ad negotium redirent.* Seorsim Lubecenses consules rex percunctatur, *an staturi pactis essent;* quod quum illi affirmarent; *atqui*, inquit, *multa hactenus ego, urbesque pacti sumus, quae quo modo rata fuerint, nemo ignorare potest.* Tum & denuo ab his petit; *si non sedulo agi scirent, indicarent:* atque illis, iuramento interposito, id negantibus, gratiam maiorem ipsis si sincere secum agant, pollicetur. Ac, finito sic conventu, Callemburgum Octobri proximo convenere regis Angliae legati, Henrici VI. Robertus Schotbrochus [a], eques, & Gulielmus Sprenius, iureconsultus; qui cum iis, quos Ericus delegaverat, controversias inter regem utrumque exortas, pertractarent, placuitque inter ipsos; *ut iniuria reparetur qua superiore anno affecti essent, Anduornus, Episcopus Stavangriensis, & Endretus item Erlandus, e Norvagiae senatoribus, Hafniam tunc ablegati, & in via ab Anglis capti; utque inquireret rex Henricus, e quo portu Angli illi, qui deliquerant, discessissent: detque operam, uti contumeliae causa, quam perpessi senatores isti essent, ipsis plane satisfieret; quaeque accepissent damna, sarcirentur; tum ostenderet, se invito factum esse; neque quicquam regis amicitia habere prius, quod commercia in probibitis insulis exercuissent, & Norvagiae item portus infestassent, in auctores itidem inquireretur; & inventi, ad terrorem aliorum punirentur. Si qui ex commemoratis insulis abducti essent, eos rex, in regno suo ubicumque deprehensos, & reduci imperaret, &, mercede persoluta, pro impensa illic opera, liberos abire sineret: Quod si Norvagi ab Anglis, aut a Norvagis item Angli, caesi essent, daret rex uterque operam, ut haeredibus occisorum satisfieret; si ab Anglo praedam Norvagus abstulisset, ut cum eo, cuius illud damnum esset, quam aequissima ratione ageretur, rex curaret, & Norvagiae senatus; denique, si detrimenti aliquid hac occasione rex Ericus accepisset, id benigne, datis ad Henricum literis, indicaret; loca, quae probibita essent, nemo accederet, nisi tempestate actus; nec commercia ibi ulla, dum moratur, exerceret: si quis deprehensus foret, capite, & bonis lueret. Porro amicitiam inviolatam utrinque fore; neque armis quemquam aliquid contra alterum tentaturum: sed auxilia tamen ferre postulanti haec Pontifici, Caesarique, aut Hungariae, & Poloniae item regibus, ac Teutonico etiam ordini, regi Erico integrum esset: idque Henrico cum Pontifici, tum Hispaniae, Lusitaniaeque regibus facere permitteretur.* In haec se legati utrinque obstringebant; ita tamen, si uterque regum ea rata vellet. CIↃCCCC XXXIII. Inde, sub initium Maii, sicut antea constitutum, Suineburgum convenere Episcopi, Othoniensis, Arhusiensis, Roschildiensis, Scarensis, Vexoviensis, Slesvicensis, aliique senatores; tum Adolphus Slesvicensis, & legati Lubecensium; verum nec tum quicquam actum; Danis nempe aegre admodum ferentibus, quod Vandalicae civitates suas Holsato suppetias, quibus arcem Flensburgensem expugnaret, submisissent: ne res tamen desperata videretur, in sequentis anni festum Pentecostes est dilata; ac tunc omnes, animos interea ad pacem magis paraturi, denuo reverterentur. Quae dum fiunt, mittunt Stralesundienses ad Ericum, postulantque, ex contractu, ante hos tres annos inito, *ut commercia in regnis suis libera ipsis indulgeret:* ac respondet per Ericum Crommedicium; *non se pace potius habere quicquam: verum ipsos meminisse oportere, se in Danos quadraginta gladio animadvertisse; quorum etiam tum propinqui, & amici, turbas certe obiecturi, superessent; si qui tamen suo id periculo tentare vellent, se nequaquam probibere.* Inde motus apud Svecos, in principio, ut in talibus fere solet, satis levis, sed neglectus, nec repressus tempestive, mala graviora dedit. Dani illic, & Germani, quos rex passim imposuerat potestate nimium superbe usi, ius, & aequum conculcabant; inter omnes Iesso Asdalius [b] Vesterosiae [c] praefectus, excellebat, & quaerelas, quae ad regem deferrentur, contrariis ad ipsum literis eludebat; quod indignum quum putarent Dalecarli, aliique quidam ex his Engelbertus, animi vir generosi, instituto in Daniam itinere, compellare regem audet, & Iessonem in maiorem modum accusat. Rex per literas dat mandatum regni Sveciae senatoribus, ut, profecti in Dalecarliam, rem cognoscant, referantque: nec in praesens quicquam in Iessonem statuit. Senatores, ut mandatum regium exequerentur, abeunt ad Dalecarlos, & inquirunt in querelas: cognitasque, per eumdem Engelbertum regi scribunt. Ille acceptas literas transfert, exhibetque; & Ericum, ut Iessonem puniat, rogat: idque tanta libertate, ut offensus ea Ericus, hominem facessere iuberet statim, nec redire in conspectum. Quo responso irritatus Engelbertus, animi, & oris liber; *Ibo*, inquit, *at revertar aliquando.* Quum ad suos rediisset,

(a) *Schotbrochus &c.*) In litteris Regis Angliae nominantur *Robertus Stotesbroke* Miles, & Magister *Vuillielmus Sprener.* Acta hoc negotium attinentia habentur in Rymeri *Tom. X. pagg.* 503. & 521.

(b) *Asdalius*) Nomen Viro erat *Iesse Erichsen de Asdal.* Scilicet ultimum hoc vocabulum praedii, quod Iutia habebat, erat. Eius hominis tyrannidem, iniquumque, & crudelem agendi modum pessimis coloribus, atque, ut persuasum habemus, veris depingunt Sveci. Vid. Eric. Upsal. *lib. 5. pag. 154. seq.* Chronic. *Rythmic. Svec. pag.* 187. *seq.* Messenius, &, quem Hvitfeldius inprimis laudat, ut *probum, candidumque historicum*, Olaus Petri in *Chronico Svec. MS.*

(c) *Vesterosiae*] Ericus Upsal. ait, *Arosiae resedisse, Vallesque, & Vestmaniam nomine Regis procurasse.*

CIↃCCCC XXXIII.

set, & indigne habitum a rege se exposuisset, Dalecarli, animo, & manu prompti, potius honeste mori, quam, mancipiorum in modum divexatos, vitam peracerbam trahere arbitrati, vires colligunt; & sub Engelberto duce Vesterosiam invadunt; ubi quum e senatoribus primi quique se obiicerent, & sedare motum vellent, ita tamdem quievere, ut Iessoni obsequium deinceps ullum universi praestituros se negarent. Postea

CIↃCCCC XXIV.

comitia regni celebrata Vortingburgi [(a)], sicut anno praecedenti constitutum, mense Iunio, Iulioque; ac convenerant, praeter regni senatores, dux Christophorus Bavariae, Bugislaus Pomeraniae, & Bernimus Stetinensis; Bernardus Saxo, Henricus Megapolitanus: tum Episcopi, Hildesheimensis, Razeburgensis, ac Verdensis. Sed nec ullum is conventus fructum habuit; nec decretum quicquam fuit, nisi ut negotium remitteretur in mensis Iunii, anni proxime insequentis, diem quartum & vicesimum: atque tunc, penitius examinatum, semel tandem finiretur. Mense Augusto rex Ericus Gulielmo Sancto Clario, e nobilitate Scotica, Hafniae Orcadum comitatum titulo clientis confert, & obsequii fidem recepit [(b)]. In Svecia, quum arma sua, senatorum interventu, Dalecarli posuissent, Iesso eos, contumelia, ut censebat, irritatus, etiam vexare gravius, ac tributum singillatim imperare; itaque rursum arma rapiunt; ac, senatu denuo intercedente, rursum ponunt; ita tamen, uti praefectura Iesso illico exueretur; quaeque peterent, iuxta leges, potius quam per tumultum, impetrarent. Neque mora; quam tenebat arcem Iesso, ac praefecturam accipit comes Eversteinius; sed, quum neque sic Erici, quod sperarant, mitiorem animum experirentur, arma tertium corripiunt; & mox arces, Bergenessam [(c)], ac Copinghusam solo aequant: vix praefecto, Ioanne Wallio, Stekeburgum evadente. Inde, tractis in societatem armorum Vestermannis, sub ductore Engelberto, arcem Vesterosiam petunt; cui Eversteinius tum Melchiorem Godefridum [(d)] imposuerat: eoque exacto, in Nicolai Gustavi manus illam Engelbertus tradit; tum & ditionem istam universam adhortatur, uti secum arma iungeret, & expelleret praefectos, tam superbe dominantes: ac tributa, quae praefecti imperassent, ut facilius permoveret, de sententia senatus, remittenda pollicetur. Tenebat arcem Caresholmiam Ericus Puccius, generis, & animi clarus; ad hunc Engelbertus scribit, & hortatur, *ut se virum, ac Svecum ostendat: & Nortlandos, inter quos auctoritate eminebat, ad libertatem, adeo indigne oppressam, armis item vindicandam excitaret*. Iique facilis, etiam Helsingiam in partes trahit; ac, Saxholmia solo aequata, Castelholmum quoque obsidet. Eam arcem foemina tenebat nobilis, Ida Galdsaxia; ac tutelam Othoni Poviscio, e nobilitate Holsatica, commendaverat: sed is, lingua potius, quam manu validus, vix tentata obsidione, illam dedit. Quae quum Puccius in Nortlandia peregisset, Engelberto se adiungit, &, Gripsholmiam contendens, Hartvicum Flugium, praefectum, sola adventus sui fama ita terret, uti, propere convasatis rebus omnibus, ac navigio impositis, arcem incenderet, & Stocholmum se reciperet. Quo sequutus cum exercitu universo Engelbertus, ac locatis in adverso monte castris, eum obsidet: &, Ioanne Cropelino, arcis praeside, evocato, de dedenda urbe, & arce, illum affatur; isque vir honesti amans, ac modeste praefectura semper usus [(e)], temere hoc a se fieri posse negat: &, instante Engelberto, tamdem placuit, ut res in Novembris proximi diem undecimum differretur. Inde deserit Stocholmum, obsidetque Orebroum, quod tenebat Ketelburgius; atque is deditionem facere iussus, eam spondet, ni auxilia intra sex hebdomadas submitterentur; ac Nicopiae postquam copias admovisset, a praefecto, Alberto Styggaeo, simile responsum refert. Inde Ringstadholmum petens, a praefecto, Henrico Styggaeo, non eodem modo exceptus, oppugnationem parat. Quod dum facit, nuntiatur, quosdam regni senatores, sacri, & equestris ordinis, ab Erico rege iussos, ad Vadstenium monasterium convenisse, ut tumultum hunc componerent; itaque, relicta ad obsidionem persequendam parte copiarum maxima, eo propere se confert; &, admissus in colloquium, animi decretum exponit: *certum sibi, patriae suae libertatem, foede adeo divexatam, forti manu vindicare; etenim a Magno usque sub tyrannis Sveciam ingemuisse; ac tributis gravioribus, quam aut leges, aut statuta regni vetera permittebant, oneratam, vix iam item suspirare ultra posse*. Quibus verbis Engelbertus quum, ut patriam miserari tandem vellent, proceres exhortaretur, atque illi responderent: *se a rege, cui fidem, & obsequium sacramento obstrinxissent, haud decore abire posse*; mox regerere: *multa regem etiam cum iuramento promisisse, nec servasse tamen quicquam; ideoque nec se ultra obligari; nam, quod dederant iusiurandum, regio inniti maxime; quo is sese ad administrandum*

CIↃCCCC XXXIV.

(a) *Celebrata Vortingburgi*) Praeter Hvitfeldium *pagg.* 570. *& seqq.* pluribus, & amplioribus verbis de hoc conventu commemorat *Col.* 1334. Herm. Cornerus, saepe nobis hucusque laudatus, auctor, quamvis non adeo magis, quam plerique alii, a naevis, & erroribus liber, tamen historiae Danicae Studiosis apprime utilis, ac praesertim a tempore Christophori II. qui Valdemari IV. pater ad annum usque 1435. (qui Cornero ultimus,) ad illustrandum hinc, & inde Hvitfeldium perquam necessarius.

(b) *Fidem recipit*) Literarum quibus se obstrinxit Villielmus, argumentum ex apographo desumtum, habet Torfaeus *Histor. rerum Orcad. pag.* 183.

(c) *Bergenessam*) Corrig. *Borgenessam*.

(d) *Melchiorem Godefridum*) Rectius vocandus hic erit *Melchior Giordesenius*. Nomen proprium parentis eius *Giord*, latine potius *Gothardus* erit, quam *Godefridus*.

(e) *Modeste praefectura usus*] Ericus Vpsalensis quoque *Histor. Svec. lib.* 5. *pag.* 158. (ubi haec omnia persequitur,) vocat *Ioannem Kroepelinum* hunc, *virum industrium, & sagacem, & in omnibus prospere, & rationabiliter agentem*. Prolixius vero, & pulchrius elogium ei tribuitur in *Chronico Rhythmico Svecico pag.* 196. edit. Hadorph. Itaque non omnes praefecti Dani Svecis adeo fuerunt exosi, & execrabiles, sed tantum mali, improbi, & avari, quorum etiam, atque eos protegentium culpae tot calamitates, tot quaerelae, atque tota illa coniunctionis dissolutio inter Daniam, & Sveciam prorsus imputanda. Lege & h. l. Hvitfeldium idipsum candide agnoscentem.

CIↃCCCC XXXIV. dum regnum iuxta leges, Sveciaeque iura antiqua obstrinxisset. Insuper, iurasse etiam, se munitiones regni, atque arces nisi indigenis commissurum: qua in re quum fidem datam violarit, nec teneri illos sua. At respondent Senatores: fide homini honesto nihil prius arbitrandum; neque a rege, si delinquat, statim discedendum esse; quod si fiat, nullum imperium permansurum; neque convenire populo, ut de regis actionibus suum is iudicium putet, aut illius abrogandi potestatem sibi sumat: nec staturam privatorum hominum societatem, si delictis aliorum venia numquam concedatur; quod si iure inter pares requiramus, multo magis regibus faciendum esse; quin omnino subditos componere se sic debere, si consistere regnum velint, ut tyrannum aliquando unum saltem tolerare, dum evadere plures possint, animum inducant suum; si imperium evertant, aut recusent, mox confusionem fore; ac multorum dominatum, etiam deteriorem. Engelbertus, quum nil verbis promovere se videret, minas addit, &, quandoquidem libertatem patriae desertum irent, se pro hostibus universos habiturum. Quibus territi, & invadi metuentes, quamquam inviti, acquiescunt, & in partes eius transeunt: simul ad Ericum scribunt: omnia se conatos esse, uti maiestatem eius apud Svecos tuerentur: sed impensam frustra operam; nunc, quum patriae libertati minime deesse possint, ne eversam eam videant, ab obsequio discedere. Quibus actis, Engelbertus mox recedens, Ringstadholmum, antea obsideri coeptum, ac post illud Stekeburgum, ad deditionem cogit. Hinc, vocatis Sudercopiam Ostrogothis, Stegelholmum castra ducit; quod quum acriter Lago Rudius, e familia inter Danos clara natus, tueretur, res protracta est in Novembrem: Suemlaburgum, Trulleburgum, ac Pickisburgum, Hermannus Bermandus, cum Ostrogothorum manu, expugnavit, & iniecto igne exussit. Engelbertus, cum exercitus parte caetera, rursus Orebroum aggressus; praefecto eius Ketelburgio exhibet argenti puri mille selibras, & in potestatem accipit; inde Axelvaldam capit; & per literas Vermelandos ad tuendam patriae suae libertatem exhortatur; simul Petrum Vlphonem mittit, virum apud Svecos nobilem; ac per eum mox Edsholmum, Agnaholmum, & Daleburgum suam in potestatem redigit, & incendit; ipse vero, Oppenstenio occupato ignem iniicit. Orestenium, eo minime exspectato, quum relinqueret praefectus, ipse exussit. Inde in Hallandiam ducens, borealem Scaniae tractum universum occupavit: uti etiam Varebergam, Falckenburgum, & Halmstadium. Qua re excitati Scani, illico parato exercitu, ad Langholmum (a) castra ponunt; quibus quum obiiceret se Engelbertus, praeliumque Albis amnis (b) prohiberet, pace utrique constituta, tandem in Sveciam regreditur. Mox indicta ad Vpsaliam comitia; & Ioannem Cropelinum, qui Stocholmo praesidebat, rex obire suam illic vicem iubet, sed hic nihil actum video; quam quod acriter disceptatum (c), quando Engelbertus quidem arces passim solo aequaverat, aut exusserat; utrum eae regno magis expedirent, an nocerent: ac sententias dissedisse: his dicentibus, regni illas contra ingruentem hostem certa munimenta esse; istis vero, subditorum, contra principes rebellantium, firmamenta adpellantibus: aliis rursum, quorum rectius iudicium, asserentibus; in amore subditorum maximum principibus praesidium esse. Rex, quum ea, quae in Svecia gererentur intelligeret, bellum parat, & Stocholmum cum instructa classe tendit. Verum Deus, qui per vim vexatos diu vi reduci ad obsequium Svecos nollet, gravi immissa tempestate, naves dissipat, perditque, & consilia regis turbat; qui, periculo vix ereptus, quum Stocholmum pervenisset, ab exercitu Engelberti sine mora obsidetur; ubi quosdam e proceribus convocatos percunctanti, cur a fide, & iuramento, recessissent; respondetur, minime id factum esse; quae fecisent, ideo fecisse tantum, quod antiqua regni iura, in quae iusiurandum dederant, violari non ulterius pati possent; cupereque, uti ea illibata servarentur: se factorum rationem orbi adeo universo reddere paratos esse. Hinc induciae in aestatem proximam sunt constitutae; &, praesidio sexcentorum urbi imposito, rex in Daniam est regressus. Paulo post comitia Aboae indicta; iisque Engelbertus princeps universae Sveciae renuntiatur. Scribere & ad senatum Cropelinus; esse sibi, quae ex re ipsius putet, ne ignoret. Quam ob causam quum Sigtunae dies illi dicta esset, cum Borussiae magistro eo venit; & hoc unum imprimis agit, ut negotium Erici placide componi possit. Verum proceres, quum iniurias, quas perpessi diu essent, quererentur; ac, paratos nihilominus se iudicibus non iniquis rem permittere, indicarent; accepta ab illis capita quaedam, in quae convenire vellent, ocyus ad regem defert; qui, quum haec senatui communicasset, mox Halmstadium convenire trium proceres regnorum omnes iubet, atque ibi congregatis circa diem Maii tertium, placuit, ut rex Ericus ad vicesimum nonum Iulii se reciperet Stocholmum; &, adscitis senatoribus duodecim, quicquid controversum foret inter ipsum, subditosque, id componerent; inter ista, conquiescerent; &, negotio peracto, arces omnes, praefecturas, ac ditiones denuo Erico restituerent: tum & eum, sicuti fecissent dudum, regem agnoscerent; redderentque, quae ad regnum pertinerent, ac vicissim Svecis ipse iura sua, atque leges indulgeret; sicut olim, iuramento interposito, promisisset. Engelbertus, quod CIↃCCCC XXXV.

(a) *Langholmum*] Corrig. *Laugholmum*, vel *Lauholm*.
(b) *Albis amnis*] Amnes maiores, seu fluvii, in Svecia, Norvagia, Hallandia, vocantur vernacule *Elfuer*, in singulari Elf. Vnde & in Svecica Bibliorum versione *Elfuer* pro fluviis leges. Et cum idem sonat vocabulum vernaculum fluvii Germanici, quem *Albim* dicimus, hinc latinum illud nomen nostris fluviis applicandum duxit Meursius.

(c) *Quod acriter disceptatum*) Disceptatum quidem fuit, utrum recte fecisset Engelbertus, tot arces diruendo; multis factum laudantibus, aliis excusantibus. Sed argumenta, & rationes, pro utriusque partis sententia allatae, perperam hic Svecis tribuuntur, cum ab ipso sint Hvitfeldio, ita *pag.* 528. proprio ex ingenio ratiocinante.

CIƆCCCCXXXV.

quoad viveret, veluti clientis titulo Orebroum retineret; sed ad regnum reducendum, postquam vita excessisset: Eadem lege Ericus Puccius possideret ditionem Ratziensem. Atque rata ista fore praesules regnorum trium, proceresque item alii sua fide promiserunt. Hinc Stocholmum rex accedit, non vicesimo nono Iulii, sicut constitutum erat, sed Octobris decimoquarto; ubi senatores Sveci, quae Halmstadii decreta, perfecere. Ac Sveci quidem, in Portu Virginis, quem dicebant, congregati, in propinquum S. Spiritus, ubi rex commorabatur, monasterium per legatos, quae proposita ipsi vellent, transmittebant; inde & praesentes illum adloquuti ;& complures, nomine totius populi, per libellum quiritati; *dum a regno ipse abest, quique ius administrare tenerentur, forum, quod vocabant regium, multis annis, ut debebat, minime celebratum esse; ideoque saepenumero coactos, magno sumtu, ac detrimento, iudices, quos domi habere debuissent, foris quaerere; tum reversos, etiam negotiis non expeditis, a praefectis ditionis, pecunia, aut carcere mulctatos esse: nec senatum item regni, frustra semper imploratum, illis multum praevalentibus, adiuvare potuisse. Insuper, praefectis istis imputandum quoque esse; desolatos passim pagos, & negotium monetae, magno populi dispendio, extra limites translatum: permanente interim tributi onere, atque aucto; quum aut tolli universum, aut imminui debuisset; nam, quum domi annuum dumtaxat pendere consuevissent, idque olim, nulla umquam immutatione facta, tenuisset, novum etiam, ad gerenda bella externa, imperatum, & exactum. Praesules per fas, ac nefas, loco motos, summo dioeceseos Upsaliensis detrimento; regni item ditiones, atque arces, contra datam olim fidem, ad indigenes opprimendos, exteris commissas esse; longo in Holsatos bello, &, quae arma coniunxissent, civitates, populum exhaustum plane opibus, ac consanguineis: quorum multi, diuturno carcere adflicti graviter, ad extremum paupertatem sint redacti*. Quibus omnibus intellectis, rex Ericus, & senatus in hunc modum convenere: *uti Svecia universa regem suum Ericum adgnosceret, iuxta datam, quum coronaretur, fidem; ac vicissim ille Svecis iura sua, privilegia, & immunitates quasvis, sartas tectas conservaret: sicut ipse, quum adiret principatum, se facturum, dato in id iuramento, promisisset. Arces regni, & ditiones restitueret indigenis: qui secundum leges Svecicas praefecturam quisque suam exercerent; nisi quod ex arcibus exciperentur, Stocholmensis, Calmariensis, Nicopiensis: quas, cui vellet commendare integrum foret. Iudices per territoria, satrapaeque, de consensu senatorum, iuxta leges ponerentur: tum oblivione quaevis, ante acta, delerentur*. Insuper duodecim lecti e proceribus, qui minutiora alia, quae restabant, prout aequum videretur, iudicarent; atque hi constituerunt: *ut, quae Sveci inter Svecos commisissent, iis, rex, & senatores regni Sveciae, aut supplicium decernerent, aut benigne veniam darent, pari poenae, gratiaeque potestate. Quae ablata per has turbas cuiquam forent, seu hereditaria ea, sive pignorata essent, vero domino redderentur; ut & regno, quae ad illud pertinerent. In negotio Engelberti, Pucciique, quod Halmstadii placuisset, ratum porro haberetur: quod captivos attineret, ipsi, aut eorum nomine rex Ericus ageret cum Lubecensibus. Onera agricolarum, ac tributa, ita rex, & regni Sveciae senatores temperarent, uti tolerari possent: & rex inde, ac regni status nihil detrimenti caperent. De Gothlandia, documenta inspicerentur, ad negotium pertinentia; idque deinde a regnorum singulorum senatoribus, uti aequum existimarent, censeretur: at Hallandia, regi statim, & regno Daniae redderetur. De infracta pridem pace in Hallandia, antequam Halmstadii conveniretur, rex, & Sveciae Senatores iudicarent: Quod ad praefectorum autem rationes, arciumque, ac ditionum, Sveciae gubernatores, de his, ut Halmstadii decretum esset, ita forent. Olaus vero, Archiepiscopus, aliique, qui per literas ad exsternos principes, respublicasve, famam regis minuissent, quae scripsissent, revocarent*. Quibus hunc in modum actis, statim Ericus, ex sententia Svecorum, & praefectos, satrapasque, ius dicturos, ordinavit: ac vicissim regnum ipse universum in potestatem mox recepit, constituta omnium praeteritorum oblivione. Verum tamen, ut, recuperata Svecia, merito gavisus fuit, ita, temere insolescens, istius felicitatem temporis corrupit plane, & evertit; nam, quum fidem in comitiis, quae iam dixi, renovatam, non servaret; &, ut fere reges solent, maiestate sua indignum maxime existimaret, subditorum, in quas iurasset, legibus uti; ideoque praefecturas, quibus vellet pro arbitrio demandaret, indignati iterum Sveci, decem ex proceribus Daniae mox ablegant; qui orarent, *uti memor promissorum esse vellet;* ac, quum nec sic promoverent, ipsi, coram alloquentes, obtestantur; *ut regnorum pacem publicam, per tot bella, atque caedes, nimis graviter concussam, porro illibatam vellet*. Ad quae ille gravi vultu respondere; *se pendere ex ipsorum nutu nolle: &, quae acta ab Engelberto pridem essent, ea ordine equestri instigante evenisse*. Sic Ericus, post sancitam omnium praeteritorum oblivionem, suae offensae nimis memor, neque cogitans, quam indigna Sveci a suis, se auctore, annos circiter triginta passi essent, studium vindictae quoddam, in interiore animo occultatum, non obscure ostendebat, ac Stocholmo inde abiens, removet a praefectura Cropelinum, nulla alia de causa, quam quod virum, animi moderati clarum, ideoque gratum Svecis, nimis quoque in hanc gentem propendere existimaret: subrogatque Ericum illi Nicolaium, gente Danum; ac praesidium milites quingentos addit; & in mari, quas praenavigaret arces, littori partim adiacentes, obiter praesidia illarum mutans, Svecos, qui tenebant, eiicit; pagos quoque, & vicina loca alia populatur, & exurit: variaque passim damna multis infert. Sed, iniquitatem tantam non inultam sinens Deus, mare mox ingressa classe, partem maximam, tem-

CIƆCCCCXXXV. tempestate immissa, perdit; tum & Sveci tractum illum incolentes, illico ad Engelbertum se recipiunt; ac queruntur, quam indigne habiti essent. At Ericus, hinc in Daniam reversus, apud animum suum reputans, vix post haec obsequium a Svecis sibi exspectandum; tum & bellum cum Holsatis novem & viginti annis, novem item cum Vandalicis civitatibus nullo prospero successu gestum esse; nec se resistendo parem, si fortasse undique eodem tempore peteretur; pacem cum Holsato facit, ea lege: *ut is, quicquid eo tempore ex ducatu Slesvicensi possideret, tum & Fimbriam, Frisiamque etiam deinde haberet quoad viveret. Idem liberis, aut haeredibus, iuris esset primo ab obitu biennio; quo elapso, ius utrinque in ducatum integrum utrique foret. Additae conditiones, de obsequio, & fide, quam Adolphus regi, ac regno, velut cliens, exhibere teneretur, tum commercia ne deinceps turbarentur.* Ac, quo pax constantior esset, placuit; *ut controversias, quae incidere forte possent, bini arbitri componerent, ex utraque parte lecti; interim urbs Haderslevia, Arra insula, Vesterense territorium, Lysta, Silda, regno cederet. Quod si tamen de his forte conveniri deinde posset, & Adolphus regno se obsequio ulteriore aliquo obstringere vellet, aut haeredes item eius, illud faciendum fore, quod quam commodissime posset:* Actum & cum Lubecensibus, Hamburgensibus, Luneburgensibus, & Vismariensibus; qui, peccatum suum fassi, quod, a foedere discedentes, spreta fide, iuramento obligata, bellum regi intulissent, & offensam summa cum demissione deprecati, gratiae sunt restituti; atque iura, privilegia, & immunitates omnes, ac commerciorum quoque libertatem receperunt: gratiasque pro insigni beneficio regi egerunt; se promptissimo id obsequio agnituros promittentes; In damna vero, quae utrinque accepissent, aliquid quotannis penderent; sed in Daniam antequam reverterentur ad piscatum exercendum, per legatos, quicquid ibi etiam tum controversum, disceptarent, ac componerent. Sub id tempus comitia Sveci, Aboae habenda, ad vicesimum diem mensis Ianuarii imminentis indixere. Nec multo post Ericus Daniae senatores Vortingburgum convocare, & exponere; *aetate invalidum; ac regnandi, exactis annis quadraginta, etiam saturum, cupere exonerari; itaque rogatos velle regni proceres, idem sibi in patruelem Boguslaum nunc concederent, quod reginae Margaretae olim in se permisissent; quippe eum, aetate vegetum, animi praeterea robur, par negotiis tot regnorum, ac prudentiam, ad tuendam principatus maiestatem allaturum: fidique item hactenus specimen exhibuisse.* Sed respondent senatores; *id in votis sibi esse, ut incolumis diu regnet: se, quam diu vita ista frueretur, regem alium non cupere; si exuere principatum tamen velit, eligendi novi regis potestatem, atque curam suam esse; neque, quod reginae Margaretae tempore factum foret, permissuros, ut imponeretur sibi novus princeps; nec passuros, legem regni, ac fundamentum aut everti, aut labefieri; & arbitrium eligendi in haereditatem verti. Etiam se existimare, nihil esse, quod de fide in ipsum sua, & obsequio quereretur.* Itaque quum, quod petebat, minime concederetur, illud rogat; *an & sibi in administrando regno, uti hactenus, adiutorem indulgere gravarentur?* Ad quod illi respondere: *minime id recusare, nisi ipse in spem regni beneficium id convertat.* Atque addunt; *se deinceps etiam patere arces regni illi omnes velle.* Paulo post regnorum omnium, ut putatur, depositionem agitans, in Borussiam, omnibus ignaris, abit, ac sequuti quidam procerum, orant eum: *ne sic regnum destitueret, aut dissidio ullam occasionem daret; potius reverteretur, animoque confirmato, ad conventum Aboensem, quem non ita pridem Sveci indixissent, se conferret.* Quamvis autem exiguam regnorum curam praeseferret, facto tamen foedere cum Stetinensibus, ac collecta militum in Pomeriana manu quadam, mox revertitur; sed non sine magna clade, duodecim ad Hedensoam fractis navibus; ac confestim Bugislao arces tradit, Neoburgum, Hagenscoviam, & Hindisgavelam; Barnimo, Alholmum; Eversteinio, Tranekieram; Vratislao, qui in Pomerania coactas copias adducebat, Ravensburgum. CIƆCCCCXXXVI. Inter haec, comitiorum quum iam dies, de quo dixi, advenisset, Sveci Aboam perfrequentes accessere; placuitque universis; *ut per literas regem iuramenti sui, & officii admonerent: ac, si porro etiam neglectum iret, se vicissim ab obsequio recessuros indicarent.* Sub id tempus nuntiatum Svecis fuit, simul hiems remisisset, iter capturum Stocholmum regem Ericum, atque una patruelem Boguslaum, cui regnum tradere constituisset: iamque illum a praefecto arcis eius symbolum, & iuramentum accepisse. Quae dum ita agitantur, ac senatus arces regni Svecis eripi contra leges indignatur, clam nonnulli oppidani adhortari Engelbertum, ut Stocholmum suam in potestatem redigat: nisi faciat, plane metuendum esse, ne nunc denuo patiantur, quod Alberto olim regere passi essent. Neque a re alienus animus Engelberti erat; quin confestim ipse, & omnes quotquot aderant Aboae, regni Sveciae senatores, propere collecta manu, illico Stocholmum petunt, ut praefecti in se animum explorarent. Qui quum portas venientibus occlusisset, illi, id indignum rati, nec ferendum, pileo confestim erecto [a], consulem [b] utrumque urbis evocatum percunctantur; quid in pace velut hostes, arcerentur? cumque hi, praefectum sibi arcis esse alloquendum, responderent; & introitum porro ille pernegaret, ac ne senatoribus quidem, id seorsim po-

(a) *Pileo confestim erecto*) Loccenius *Hist. Svec. lib.* 3. ad hunc annum, sic interpretatur: *Imposito perticae pileo, hoc veluti publico signo cives ad libertatem vocarunt*. Sed dubito eum recte id assecutum. Credo enim, praeferendum prorsus esse, quod habet Ericus Vpsalensis *pag.* 168. pileum, ut *pacis signum* erectum fuisse: cui etiam expositioni favet *scholion*, ad oram *Chronici Rhythmici pag.* 222. edit. Hadorp. Et conquesti postea iidem Senatores apud Ericum Nicolai, arcis praefectum Regium, sese ideo accedentes, ut quae ad pacem regni pertinerent, in commune consultarent, iniuste fuisse exclusos.

(b) *Consulem utrumque*) Hic Consules natione Germani erant, a Rege constituti Vid. Ericus Vpsal. l. c. & Hvitf. *pag.* 565.

CIƆCCCC XXXVI.

postulantibus, indulgeret, ocyus sublato pileo, consules detinuere. Tum praefectus evestigio portas urbis communire, militemque in propugnaculis collocare. Verum Sveci, quotquot urbem habitabant, minime ferendum rati, senatores prohiberi, impetu in portas facto, vi recludunt: & ingressi regni proceres, posito in foro signo, omnes illud, qui rempublicam, patriaeque libertatem salvam vellent, sequi iubent. Eo facto, oppidani, paucis admodum exceptis, se proceribus coniunxere; tum eiectis, qui in portis, propugnaculisque urbis, excubabant, alios locant: ac, munita undique urbe, Engelbertus, & Carolus Canutus, regni equitum tribunus, ad praefectum Ericum mittunt; qui expostulent, quod, clausisse urbis portas senatoribus non contentus, displosis etiam tormentis insuper vim intentasset: quum non alio tamen animo edvenissent, quam ut ea, quae ad pacem regni publicam confirmandam pertinerent, in commune consultarent. Sed, ferocius eo ad haec respondente, arx obsessa est, a tribuno equitum Carolo, & Erico item Puccio, quibus id negotii mandatum fuit; qui quum operam dividerent, & sinistrum arcis latus Carolus aggrederetur, Ericus Puccius australe, iam turbata pace regni, de constituendo duce agitatum est. Quumque Carolus plurimis suffragiis eligeretur, maxime nobilitatis, praesulumque, & agricolae Engelbertum anteferrent, ita demum convenere, ut communi uterque cura regni res administrarent; Carolusque, qui Stocholmi tunc agebat, porro arcem obsideret; Engelbertus, regno caetero Danicos praefectos pelleret: quasque possiderent arces, expugnaret, Sveciaeque restitueret. Isque mox, in munus demandatum incumbens, castra admovet Nicopiae, Stekeburgo, & Calmariae; quum interea Brimshusiam per insidias Nicolaus quoque Steno in potestatem redegisset. Engelbertus, quum Blekingiam subegisset, ac praefectum Nicolaum Langium constituisset, ad Laholmum obsidendum se convertit; cui rei quum Boetio, ac Brodero copias sufficientes tradidisset, Scaniam impugnare statuit; sed repulsus, occurrente Petro Oxio, & induciis constitutis, mox Laholmum, ante obsideri coeptum, uti dixi, & Halmstadium, Elsburgumque, ad deditionem cogit; tum Varbergam, atque Axelvaldam obsidet: moxque a Magno Benedicto, ordinis equestris viro, a quo graviter diffidebat, quum, curandae valetudinis suae caussa, Orebroi moraretur, ac Stocholmum se recipere iussus esset, in Goxholmiensi (a) arce nocte intempesta occiditur. Quo e medio sublato, omnibus consentientibus, principatus in tribunum Carolum translatus fuit; isque, opibus, atque clientelis, potens, ut plenissime reliquis omnibus praevaleret, arces sibi, item ditiones quasque meliores reservavit. Quare quum invidiam equestris ordinis, maximeque Erici Puccii, rebus multis antea cum Engelberto gestis clari, concitasset, mox dissidium est exortum. Inter quae Calmariam convenire placuit: quo quum etiam rex Ericus accessisset, decrevere senatores: *ut, servata arcium sibi praefectura, regnum illi restituerent; caetera comitiis reservarentur, Sudercopiae habendis, ad Septembris imminentis diem nonum, & vicesimum: quibus rex interfuturum se promisit*. Hic profectus in Gothlandiam, quum conventus tempore iam ingruente, Sudercopiam rediret, magna oborta tempestate, ac disiecta misere classe, perditaque, in periculo praesentissimo constitutus, & ad Carelsoam expositus, vix naufragium evasit. Pauci quidam, qui in sinum Sudercopiae forte appulerant, an rex etiam superesset, ignorabant; itaque, quum mox equester ordo Sveciae, ac Canutus (b), Sudercopiam, ut Calmariae pridem constitutum fuerat, ad Octobris diem quintum convenissent, de exstincto ea tempestate rege acceperunt; placuit tamen, *ut decreta iam comitia nihilominus haberentur; ea lege, ut Canutus, atque item regni satrapa, regi Erico, sive vivo, sive mortuo, iuramento se obstringerent*. Quod quum illi praestitissent, ceteri obsequium ipsis, regis nomine, iuravere. Mox Canutus a praefectis arces, quas tenebant, repetit; ac negantibus, comminatur, nisi facerent, non se inde discessuros. Itaque quum recepisset Stekeburgum, Stocholmum, Axelvaldam, Elseburgum, Vesterosiam, & Aboam, Stekeburgo adfinem praeficit Nicolaum Stenonem; Aboae Ioannem Cropelinum, exacto prius iuramento, se Svecorum in fide fore; ceteras arces dividit nobilitati, ea lege, uti sibi, satrapaeque (c), ac defuncto forte utroque, senatoribus servarentur. Post quae Puccius, nimiam potentiam Canuti haud ferens, armis sumtis, obiicit se, verum frustra; nam superior Canutus, quos armaverat agricolas, mox reducit ad obsequium; &, quibusdam in terrorem igne exustis, alios tributo premit; ipse Ericus, renovato mox tumultu, praelioque, ac iam victor, dum se fidei inimici imprudentius committit, circumventus, capite luit. Hinc comitia iterum Calmariae habita, ac perpetuo tria regna foedere inter se unita, paxque olim, cum Ericus principatum ordiretur constituta, renovata est, & capitibus quoque novis, ad utilitatem Sveciae pertinentibus, confirmata. Nam, *quod Sveci bellum gererent, non id in Ericum regem, aut regnorum unionem inchoatum, sed ad libertatem suam defendendam*, inquiebant. Tum & *legem vindicari, quae committi praefecturas peregrinis, quum indigenis deberentur, non permitteret*. Capita, quae addebantur, ius re-

(a) *Goxholmensi*) Arcis nomen erat *Gioksholm*, non longe ab Orebroa distantis.

(b) *Ac Canutus*) *Carolum Canutium* (vel *Canuti filium*) intellige. Et sic semper in *seqq*.

(c) *Satrapaeque*) Satrapam hic vocat eum ex Senatoribus regni, qui princeps Senatus erat, Regisque, ac regni primus (ut vocant,) Minister; alias *Drotsetus* aut *Dapifer*. Id munus tunc temporis gerebat Christiernus Nicolai. Ad *Satrapae* vero (seu *Dapiferi*) nec non ad *Equitum Tribuni*, (seu *Mareschalli*) officia, & functiones, quae spectabant, habes mox infra exposita, sed a nostro, & Pontano nimis breviter, & imperfecte; apud Hvitfeldium vero, ubi integra illa *Sanctio Calmariensis* huius anni legitur, plenissime, *pag*. 577. *seq*. Vid. etiam Loccenii *Antiquitt. Sueo-Goth. cap. XI.*

CIↃCCCCXXXVI. regnorum singulorum, & consuetudines cernebant; placuitque, *ne quis regum leges novas ipse conderet, neu condendi potestatem aliis daret, nisi indigenae universi consentirent*. Etiam de satrapae cuiusque regni munere, ac potestate est statutum: *eum a rege proximum esse, ac iudiciis quibuscumque, ubicumque interesse, & iudicibus universis anteponi; tum absente quoque rege, maiestatem regiam repraesentare. Huius vero tamquam adiutorem esse, regni equitum tribunum, operamque illi dandam, regis nomine, ne quid leges negligantur* (a). *Aulae magistri, & cancellarii, tales constituerentur, qui ingenia regnorum, atque vires, quaeque alia ad haec ipsa pertinerent, bene explorata haberent. Rex quotannis regna singulatim inviseret; &, adscitis e senatu uniuscuiusque regni senatoribus duobus per bimestre, aut trimestre, illic ageret; ac querelas subditorum iudicaret. Si quae bella immínerent, & regnorum aliquod externus hostis incursaret omnia, unius instar, vires iungerent; & iniuriam, quasi omnium, una opera propulsarent. In electione regis illud semper servaretur, ut, praeter cuiusque regni Archiepiscopos, & Episcopos item duos, satrapae, ac tribuni equitum, ceterique etiam proceres, centum & viginti numero convenirent; ac, si filius regi foret, & id sine detrimento fieri posse proceres existimarent, is omnino regno proximus censeretur. Quod si autem plures forent, libera electio esset, nec aetatis ulla ratio haberetur. Ac si plane nulli essent e legitimo matrimonio, centum, ac viginti viri, quos iam dixi, legerent, quem demum vellent, peregrinum, aut indigenam. Si indigenam tamen cuperent, ad dissidium prohibendum, tres acciperentur schedae magnitudine aequales: & in harum una quaque nomen regni unius perscriberetur; tum anniculo infanti, fraudis per aetatem ignaro, eae omnes traderentur; isque quam e tribus istis extulisset, cuius regni in hac nomen scriptum esset, inde rex eligeretur. Si nec ita res procederet, tum ex eo senatorum centum & viginti numero quatuor e quoque regno, bini praesules, totidemque e proceribus, ut duodecim omnes essent dignitate, opibus, prudentiaque excellentes legerentur; hique in unam aliquam domum, dato prius iuramento, convenirent; nec discederent, nisi cuncti in eumdem consensissent, quemque ita statuissent, eum sibi universi sine contradictione regem acciperent*. Ericus vero, quum in Daniam, CIↃCCCCXXXVII. post amissam tempestate, uti dixi, classem suam rediisset, hiememque in quiete exegisset, vere proximo denuo Gothlandiam petit; veluti propinquior futurus Sveciae, ac facilius eam illic ad societatem regni reducturus. Ac, quantumvis ad cogendos eos vires non suppeterent, tamen multi ex istius regni indigenis studium in ipsum suum retinebant. Ac discedens regni opes, & thesaurum universum, a maioribus magna cura conquisitum, secum avexit. Vbi innotuisset passim, regem vivere, Sveciae proceres mense Martio convenere; ut, quo modo tuerentur, quae comitiis Sudercopiensibus, absente, eo statuissent, in commune consultarent; placuitque, quae tunc acta rata haberi, maxime quum iam Calmariae decrevissent, uti arces, ac munitiones regni universae in Svecorum potestatem traderentur. Verum tamen, ut praesente rege haec repeterentur, iterum Calmariae comitia indicta, ad vicesimum quartum diem mensis Iunii celebranda. Ad quae quum rex convenire noluisset, mittunt ad Senatum Daniae Archiepiscopum, satrapamque, & Episcopum Aboensem, ac Ioannem Cropelinum, id sperantes, ut in Sveciam regem non invitum adducerent; isque tamdem, quae iam toties promisisset, etiam servare vellet. Sed, quum illuc advenissent, alienos, & Danorum animos experiuntur; ac querentes item eos, quod obtrudere Boguslaum (b) Pomeranum, patruelem, regno vellet; insuper iam cogitasse, nisi dissentirent Sveci de Christophoro (c) Bavariae duce, eius ex sorore nepote, ad suscipiendum regnum, iterum desertum ab ipso, evocando. Quae quum laeti accepissent, domum recessere. Post haec insulam CIↃCCCCXXXVIII. Rugiam, Ericus patruelibus suis, Boguslais, Pomeraniae ducibus, tradit. Hinc comitia Vortingburgi celebrata. Quo legati regii quum advenissent, Ioannes Laxmannus Archiepiscopus Lundiensis, in frequenti procerum coetu, omnium nomine, post adsertam luculenta oratione regni Danici libertatem, & ius eligendi regis, quod proceribus compete-

(a) *Negligantur*] Additur porro in Sanctione, de Mareschallo: *Eum, quandocumque bellum incidet, Ducem, & Imperatorem fore, & omnia, quae ad regni praesidium, & defensionem spectant, ex bonorum, & prudentum virorum consilio ordinaturum*.

(b) *Obtrudere Boguslaum*) Hunc utique nullo iure Ericus, quocumque etiam modo intellectum illud velis, poterat nostris obtrudere. Minime, si plena potestas eligendi penes Senatum, populumque esset; sed multo minus, si ratio sanguinis, & hereditatis habenda; quam notum est nostros, sicut in aliis regnis factitatum, semper respexisse. Ergo iniusta, ut quae maxime, erat Erici postulatio, qua exclusum volebat sororis suae filium, ex Regio Danorum sanguine oriundum, & Valdemari IV. abnepotem, idque in gratiam patruelis sui Boguslai, Principis, cui cum Regum Danicorum prosapia nullus, aut nonnisi perquam multis, ut loquuntur, gradibus remotissimus erat nexus. Interim Scriptores Pomeranici non verentur adserere, solam Danis adfuisse causam reiiciendi Boguslaum, quod metuerent Regem habere ad interdicta, & censuras Ecclesiasticorum impavidum; quippe qui fulmina sacra parentibus suis, sibique ab Episcopis Caminensibus, ipsoque Papa impacta, per integros sedecim annos fortiter substinuisset, magnoque habuisset ludibrio. Ita scilicet Micraelius *Histor. Pomer. lib.* 3. *pagg.* 391. & 398.

(c) *De Christophoro*] Sic quidem Hvitfeldius *pag.* 586. cuius verba Pontanus *pag.* 607. Latine exscribit, nempe „ profectos „ in Daniam Olaum Archiepiscopum Vpsalensem, Christiernum „ Nicolai, regni Sveciae Dapiferum, Magnum Episcopum „ Aboensem, & Iohannem Cropelinum, eo consilio, ut deli„ berata re cum Danici regni Senatoribus, modum invenirent, „ iusta, & aequa Regi persuadendi, nempe ut haud invitus „ in Sveciam veniret, ac promissionibus toties ab eo factis „ staret. Illos autem ipsos Sveciae proceres, quum ad Danos „ venissent, intellexisse, hos non minus, quam Svecos contra „ Ericum Regem irritatos esse, eique infensos esse; atque tum „ isto in colloquio inter utrosque (Danicos, & Svecicos pro„ ceres,) secreto actum de abdicando Erico; quippe qui non „ modo inique imperaret, sed etiam Boguslaum eis obtrudere „ Regem tentaret; nec non indicatum, ut, si ita Svecis vide„ retur, sibi voluntatem stare, Christophorum Principem Ba„ varicum, sorore Erici genitum, ad regnum vocare. Hisque „ acceptis, Svecorum legatos plurimum gavisos, domum re„ vertisse. „ Hucusque narratio Hvitfeldii. Verum Svecici Scriptores haec tantum commemorant, quae Erici Vpsalensis verbis referemus: „ Laborabat Olaus Archiepiscopus Vpsalensis „ pro viribus extremis, ut Rex Ericus quoad viveret honora„ retur

CIↃCCCC XXXVIII.

peteret, in maiorem modum rogat: *ne Ericus hanc ereptum regno, atque illis eat; neve Boguslaum obtrudere, aut ad eum confirmandum, regni arces, milite externo imposito, in potestate retinere, porro velit.* Ac legati, postquam regis nomine polliciti essent, ante Iulium adultum cuncta restitutum iri, quamquam factum id non fuerit, recessere. Post haec motus est exortus, maximeque in Vendsyssela, & in dominos passim populus insurgebat. Pars negare sacro ordini, quam debebat pensionem; dum decretum Synodi Basileensis (a), quae tum ab Eugenio Pontifice indicta erat, & peccata quoque eius correctura dicebatur, intelligeret; alii imperium nobilitatis nimis grave incusare, neque sibi minus causae ad seditionem esse, quam aut Norvagis, aut Svecis. Rex Ericus, ut sedaret concitatam multitudinem, monuisse se auctores persuadere senatoribus cupiebat; quamquam sane etiam magis incitasse crederetur. Atque eo est deventum, uti plures e nobilibus, utriusque inprimis Cimbriae, Holsatorum in tumultuantes opem advocare cogerentur; adeoque Haderslevia, Cimbriae australis oppidum, non ignobile, insulaque item Arra, in Adolphi Holsatiae ducis, potestatem mox concederint. Apud Svecos equitum tribunus Carolus, quas iniurias ipse, ac praefecti sui passi essent, vindicare secum statuit. Ac iam pridem facere illud constituerat; sed obstiterat regni satrapa, Christianus Nicolaus, atque dehortatus fuerat. Itaque seorsim hunc consilia habere sua, ac moliri aliud quiddam subspicatus, postquam Dalecarlos iam, & Vermelandos ex sententia castigasset, hunc adgressus ex insidiis, opprimi in lecto iubet, & abduci, sicut erat sine vestibus Orebroum, atque ibi compellatum, ecquid arces, quas tenebat, tradere vellet, percunctatur. Quumque is, correptus metu, non dumtaxat arces omnes, sed obsequium quoque suum in quacumque re promitteret; ac Nicopiam mox ab eo accepisset, instaurata amicitia, Viburgum, ac Finlandiae partem, uti antea tenuerat, porro etiam relinquit; & praeterea Ringstadholmi praefecturam filio illius donat. Inter ista Nicolaus quoque Steno sororius eius, satrapaeque, quem iam dixi, consobrinus, varie ab ipso monitus, uti mitius Ostrogothiae, atque arcis Stekeburgi, quam tenebat, praefecturam exerceret, quum omnino non desisteret, ideoque obsideretur, astu elapsus, in Gothlandiam ad Ericum regem transiit. Isque exceptum perbenigne, veluti remoto Carolo equi-

„ retur pro Rege, & ei tamquam vero Regi obedientia servaretur. Ad quod rationibus, monitis, & minis Nobiles, & „ regni Consiliarios efficacius inducebat. - - - Pausantes ergo „ longo tempore Lundis, (Olaus Archiepisc. cum Episcopis „ aliis, & Militibus) miserunt ad Regem honorabiles Nuntios, „ & solennes, Dominum Magnum Episcopum Aboensem, & „ Iohannem Kroepelin, virum fidelissimum Regi ipsi, significantes ei per ipsos propositum, quod habebant; sed nihil „ responsi accipientes ab eo, audita eius tyrannide, qua etiam „ tunc in Dania cepit insanire, recedentes a Lundis, velociter „ ad patriam sunt reversi. „ *Chronicon Rhythmicum pag.* 290. & Messenius *Tom.* XII. *pag.* 242. adserunt, „ postquam „ Svecici legati a Danis comperissent Erici in hos etiam perfidiam, ac tyrannidem, Archiepiscopum quidem, & Dapiferum reditum in patriam maturasse, sed Aboensem Episcopum „ cum Cropelino ad Regem iter prosequutos esse, subiectionem nomine totius regni obferentes, dummodo vellet pactis „ adhaerere. At Regem nequidem responsione eos dignatum; „ tamdem tamen consensisse, ut Calmarniae ad Calendas Augusti anni 1338. conventus celebraretur pro tentanda transactione; sed neque ibi comparuisse. „ Igitur Hvitfeldium fraudis accusat Messenius, quod, (ut ille ait) *probe sciens, primariam ferme desertae a Sveonibus unionis causam fuisse, quod Dani, Svecis insciis, Christophorum, contra foederis conditiones, Regem acceptarint, adfirmet* tamen *Svecorum proceribus anno* 1337. *in Dania propositam fuisse Christophori electionem*.

(a) *Synodi Basileensis*] Mirum videri posset, quomodo ad rusticos nostros provinciae Vendiliae, quam noster, cum Pontano *Vendsysselam*, vocabulo vernaculo exprimit, pervenisset notitia Concilii Basileensis, nisi hoc constaret, eo etiam ex his regnis oratores, seu legatos fuisse missos; testante Abrah. Bzovio ad ann. 1434. § 50. etiamsi hucusque nullius eorum, qui istuc ablegati, nomen se nobis obtulerit, praeter Nicolaum Ragvaldium Svecum, Episcopum tunc Vexionensem, postea ann. 1438. ad Archiepiscopalem Vpsaliae sedem evectum. Huius viri non tantum prudentia, sed & doctrina magnis laudibus extollitur. Missus fuit a Synodo Basileensi cum aliis in Galliam ad componendas inter Francorum Regem, & Burgundiae Ducem diuturnas dissensiones. Orationem eius, quam de *praestantia Gothorum*, & *Scandinaviae Regum* προεδρίᾳ in Concilio habuit, multi passim laudavere; de qua allegatis a Mollero in *Hypomnematt.* ad Loccenii *Script. Svec. pag.* 357. addendi Reverendiss. D. Ericus Benzelius in *Prolegom. ad Monum. vetera Ecclesiae Sveo-Goth. pag.* 25. *seqq.* Grotii *Epist.* ad Axel. Oxenstiern. *num.* 709. *pag.* 296. Alphonsus de Carthagena *Anacephal. Lusitan. cap.* 7 Chiffletius de *Ampulla Remensi cap.* 18. qui Nic. *Ravvallum* vocat &c. Constat vero biennium, & amplius effluxisse ab inchoata Basileae Synodo, antequam eo legati e Dania mitterentur. Nam & ex Launoii *Historia Regii Navarr. Gymn. pag.* 146. discimus Concilium decrevisse *Ambassiatam ad Regna Daciae, Gotiae, & Norvegiae, tam pro bello periculosissimo illic vigente sedando, quam pro praelatis habendis dictorum regnorum*; quod verisimile puto anno 1332. factum; & in *Scriptorum veterum Ampliss. Collectione* per Mart. & Durand. *Tom.* 8. *pag.* 617. *seq.* habemus Epistolam Erici Regis ad Concil Basil. scriptam *Kopenhaune anno* 1333. *ipso die BB. Petri, & Pauli*, qua indicat, se litteras Concilii per manus *Reverendorum Virorum Magistrorum Nicolai Gimeister, Decretor Doctoris, Praepositi VVratislav. & S. Palatii Auditoris, & Matthiae, Provincialis Saxoniae Ordinis Minor. Sacrae Theologiae Magistri*, accepisse, solicite exhortantes, ut exemplo aliorum Regum, & Principum suos *Ambassiatores* ad Concilium mittere curaret. Promittitque eadem epistola Rex, se quantocyus poterit, eos missurum, supplicans interim, ut *attentis remotissima terrarum distantia, viarum discriminibus, ac guerrarum insultibus, quibus terra, marique undique circumseptus est, ac multiplicibus laboribus. & expensis, quas ipsi Praelati pro guerris huiusmodi sedandis, ac pace quaerenda saepius adhibuerant, dignetur Synodus ipsis Praelatis parcere, quod ad ipsam venire, ac mittere, prout tenebantur, distulerint &c* Ceterum quod ad plebem Vendiliae nostrae spectat, nae illa nimium erat simplex, & incallida, si id agere Patres in Concilio congregatos crediderit, ut aliquid pensionum, quas a populo sacer ordo exigebat, imminuerent, aut abrogarent, aut Oratores e Dania istuc missos, cum huiusmodi decretis, quavis scilicet haeresi peioribus, reversuros esse. Sola ea, quae reperire potui, ab his acta esse, inque fructum scilicet, ac emolumentum Ecclesiarum Septentrionis, domum reportata, haec fuere. 1. Spes facta confirmationis Ordinis Brigidini. & Revelationum eius, quas nempe nonnulli sugillaverant, tantummodo quia credere nequibant, eumdem Spiritum Sanctum, sanctis duabus feminis Catharinae Senensi, & Brigidae Svecicae, dogmata de una, eademque re directe inter se pugnantia revelasse. Proque illa confirmatione impetranda duas habemus epistolas ad Concilium Basil. anno 1334. die 3. Iulii scriptas Worthingborgi, unam ab Erico Rege, alteram ab Episcopis trium regnorum, legendas integras apud Bzovium d. an. §. 51. 52. atque in *Concilior. Tom* XII. Labb. & Cossart. *pag.* 984 *seq.* Conf. & Spondani *Annall. Tom.* 1. *pag.* 829. Num vero umquam insequuta sit confirmatio, mihi incompertum. 2. Concordata inter Regem, & proceres Sveciae, de libertatibus Ecclesiae, & personarum Ecclesiasticarum; quorum mentio fit *Constitutione* illa Vpsalensi, memorata Ioanni Magno *Histor. Eccles. Vpsal. pag.* 97. *seqq.* aliisque: 3. Privilegium Sedi Vpsaliensi datum, ne ulterius cogeretur Pallium a Lundensi Archiepiscopo accipere. Vid. idem Ioann. Magn. *pag.* 101. & Messen. *Chron. Episc. Svec. cap.* 5. Reliqua, de huius vel illius hominis electione ad sacrum munus, aut Sedium Episcopalium permutatione, ut nullius res momenti, praeterimus.

CIƆCCCC XXXVIII. equitum tribunum creat. Quumque Caroli frater Tucho (a) Elseburgum cum praesidio obtineret, Norvagos item obsidere illud iubet. Qui quum id conati essent, mox a Svecis repelluntur. Dum haec fiunt, Nicolaus, milite a rege accepto, Ostrogothiam invadit, & crudeliter populatur. Verum Carolus, postquam copias obiecisset, eum sternit, & Nicopiam captum abducit; ubi, seu moerore animi, sive morte procurata, triduo post vita excedit. De praefectis, ac familiaribus eius, capitis supplicium sumtum est. Postea & Broderus Sveno, qui cum Engelberto multa, ac praeclara vindicandae patriae libertati gesserat, quum expostularet acrius, de collatis non ex merito cuiusque, sed privato suo adfectu, praefecturis, ceu rebellionis auctor comprehenditur; ac, supplicio festinato, die postero gladio percussus, tollitur. In hunc modum postquam regnum universum Carolus in potestate sua haberet, nihil non conatus fuit, ut Ericus regnis suis restitutus, dignum illis se praestaret; ac deinceps iuramenti toties iam renovati rationem habere vellet. Quam in rem comitia quum plurima indicta essent, tum legati varii adlaborassent, isque obniteretur semper, nec obstringi ullo sese iuramento, rege id indignum ratus, pateretur; congregati Morastenii senatores decrevere, *nisi intra proximum trimestre adesset, redderetque rationem, non deinde eum sese regem habituros esse*. Ac decretum statim ad ipsum transmisere. Sed Olaus Archiepiscopus, aliique e senatu, quum viderent impotentius equitum tribuni imperium, qui per caedes ad perniciem plurimorum grassaretur; ac diffidiis domi Sveciam, foris bello contra regem perituram, ut ruinam patriae suae prohiberent, operam omnino dabant, uti rex reduceretur; &, quod antea dedisset, iusiurandum sine dolo praestiturum se promitteret. Atque id tamdem effecere, ut Calmariam paulo post regnorum trium senatores convenirent. Moxque Olaus, quum Vpsalia discedens, eo proficisceretur, ac Nicopiam pervenisset, a praefecto, infuso in amygdalinum lac veneno interimitur. Itaque comitia, illius morte, fructum nullum habuere. Qui e Dania regis nomine eo venerant, saltem tres Erico arces, quas mandaret pro arbitrio, quibus vellet, indulgeri postulabant. Verum equitum tribunus nihil aliud concedere, praeter liberam redeundi potestatem, & introitum in arces, quando, quotiesque vellet; dum earum praefectura penes Svecos permaneret. Inter haec, quum in Gothlandia rex haereret, neque Daniae ullam ultra curam habere videretur, regni Daniae senatores Christophoro Bavariae duci, eius ex sorore nepoti, datis literis Corsorae, ad vicesimum octavum octobris diem regnum obferunt. Post haec rex, quum Stekeburgum traiecisset, mittit ad tribunum equitum, qui adventum nuntiaret, & habere, quae cum eo de re publica cuperet communicata; itaque rogare enixe, ut venire ad se velit. Verum eo respondente exspectandum, dum senatus ad negotia, quae ad omnes pertinerent, universus conveniret, aliquantisper etiam post haec Stekeburgi commoratus, in Gothlandiam recessit. Dani vero, quum Christophorum e Bavaria advocassent, mox, Novembri ineunte, ad Ericum Episcopum Viburgensem ablegant, nuntiantque. *regni res praesentiam eius postulare; itaque oratum cupere, ut accurrat quam citissime: nisi faciat, alia consilia sibi, quum non ultra connivere ad ruinam patriae labantis possint, deinceps capienda fore*. Ac, quum emaneret tamen, mox Lubecae congregati, datis litteris, ad vicesimumquartum diem mensis Iunii, fidem Erico, & obsequium renuntiant. CIƆCCCC XXXIX. Addunt causas, *quod extraneis, & inprimis Bugislao patrueli, arces regni tradidisset; quo facilius, cui obnixi semper essent, regno ipse aliquando potiretur. Item, quae regnorum trium senatores in Calmariensibus comitiis constituissent, rata habere noluisset; ac thesaurum quoque regni, quem priores ipso reges magno studio collegissent, abduxisset. Tum, quae in comitiis supremis Daniae, Vortingburgi celebratis promisisset, de recipienda Svecia, & e Dania ablegandis peregrinis, omnibusque regni rebus in antiquum statum suum reducendis, non servasset; ac se in Gothlandiam, ignaris ipsis contulisset; unde mox, seditione toto regno concitata, Haderslevia, & Arra insula, cum ingenti regni Daniae detrimento, in Adolphi Holsatiae ducis, potestatem concessissent. Denique, superiore anno in regnum revocatus, ut ruenti subveniret, & redire noluisset, & discrimen reipublicae praesentissimum plane insuper habuisset*. Ad has literas Stekeburgo rex rescripsit, ad vicesimum quintum diem mensis Iulii insequentis: *nil se tale exspectasse, neque ipsos coram umquam rerum earum incusasse*. Exprobratque. *quod se plane inconsulto, & ignaro in suum regnum advocaverint Christophorum sororis filium, & auctores ei fuerint, ut per literas regno abstinere iuberet. Se non ita aut de ipsis, aut de illo meruisse; neque item convenire, capereque testem Deum, iusti, & iniusti arbitrum. Et nec hominum iudicia, quibus aequi cura esset, declinare. Ac paratum coram regni senatoribus, populoque non obnoxio, tum principibus, ac dynastis, urbibusque, ac spectatis viris aliis quibuscumque loco, & tempore opportuno, ad obiecta respondere, ac concedere illi, ipsisque quidquid ius, & aequum foret. Itaque per fidem illos, quam dedissent, obtestari, ut consilia nepoti rectiora posthac suggerant; atque ipsi quid cepissent secum reputent; neque regnum, quod secundum leges eius accepisset, summa cum iniquitate ereptum eant*. Hinc seorsim eodem die, ad Scanos scribit, & Fionios, literasque senatorum, quibus ab obsequio discedere se testarentur, illis mittens, percunctatur: *an & ipsi consentirent: se hoc quidem, uti causam non praebuerit, ita nec sperare posse. Itaque* roga-

(a) *Tucho*) Mendum est. Corrig. sic *Turo*.

CIↃCCCC XXXIX. *rogatos cupere, id deinceps apud proceres efficerent, ut consilia meliora amplectantur, neque finant, datum sibi a Deo regnum adeo iniuste eripi*. Hinc, reversus in Gothlandiam, literas dat ad Christophorum decimoquarto proximi Septembris die, *se ad literas senatorum regni Daniae, quaeque in istis obiecissent, respondisse, & exemplum item mittere. Ac, quantumvis alium se in avunculum praebuisset, quam ius fasque postularet, se in ipsum animum eumdem tamen, quem tam dudum habuisset, servaturum; nec suadere destiturum, quod decorum existimaret. Quam ob causam monitum velle, quamquam rem nunc ipse suam in vado putet, se adspiciat; & exemplo suo sapiat, caveatque, ne a Daniae proceribus, quod iam sibi factum esset, ipse quoque aliquando patiatur. Se tot annos in negotia regni cuncta sedulo incubuisse, ac iam pretium, quod persolvant adeo fideli operae, adparere*. Quamquam autem iam & Scanos, & Fionios, uti dixi, compellasset, tamen etiam Fionios, quos sciebat in obsequio Bugislai patruelis universos permanere, scriptis die eodem literis, porro hortatur, *ut iuvare causam suam contra regni senatores ne desistant*. Tum responsi sui exemplum, quo refelleret intentata sibi crimina, istud mittit [a].

I. *Quod in iura, privilegiaque regni, in quae semet iuramento obstrinxisset, deliquisse diceretur, id non actum isthoc modo oportuisse, neque, quando numquam ante quidquam coram questi essent, tam indigne se habendum*.

II. *Nec munitiones regni, atque arces peregrinis credidisse, neque ipsos ignorare, patruelem sibi Bugislaum esse; ideoque peregrinum minime adpellari posse. Ipsi leges, atque arces summo omnium consensu traditas esse, multo ante quam Christophorum quisquam natum audivisset, neque eum umquam tamen abs se regem salutatum*.

III. *Iam quod regna ad id tempus coniunctissima, separata querebantur; non a se id factum esse, qui nihil prius habuisset, quam eorum unionem conservare. Sed ex iis, quae Stocholmi, alibique, in comitiis acta essent, contra demonstrari posse, & in culpa potius esse inquieta Danorum ingenia, neque Svecis toleranda*.

IV. *Neque sua item culpa Hadersleviam, Arramque in Adolphi Holsatiae ducis potestatem transiisse; sed utramque, uti Sveciam, & Norvagiam, tum australem quoque Cimbriam, ipsos sua avaritia, iniustitia, & perfidia, ac superbo dominatu inter sese disiunxisse*.

V. *Septem quoque regni arces, quae praecipuae fere essent, minime se peregrinis, quique hostes potius, quam amici forent, commisisse; nisi peregrinos sibi, atque hostes eos adpellandos ducerent, qui praeclari semper operae, vitam pro salute eius toties periculis ingentibus exponere non dubitassent. Inter hos Barnimum ducem, bello contra Vandalorum civitates, ita valetudinem imminuisse, ut restituendae eius nulla ultra spes supersit. Ac Ioannem item comitem, quum se in discrimen saepe praesentissimum coniecisset, sedem etiam intra regnum, ut pro eo summa quaevis conaretur, posuisse. Neque alium Vitislao animum esse, aut fuisse. Arces vero, ac munitiones regni, de sententia senatorum, inter quos cum alii essent, tum inprimis Axillus Petreius, Benedictus Povifcius, & Ioannes Cropelinus, ipsis demandatas esse. Eodem modo & Fioniam, insulaeque eius arces, ac Lalandiam, traditas agnatis suis, & potissimum Boguslao patrueli; idque procerum codicillos, quos se penes adservaret, adtestari. Quodque arces, atque ditiones regni, ut conventum Vortingburgi, non continuo tradidisset, sibi illud necessario imputarent, qui promissa, de securitate sua contra Olaum Axillum, neglexissent*.

VI. *Nec Calmariae decreta exsequi nunc recusare, neque abnuisse umquam. Quin se etiam Stekeburgi, in Svecorum ditione, nunc versari, ac paratum quidvis agere, & admittere, quod honeste modo possit*.

VII. *Motus, quorum incusarent, neque a se concitatos, neque quemquam probaturum, aliquid umquam detrimenti ordinem sacrum, aut equestrem, populumve, se auctore, accepisse*.

VIII. *Quod thesaurum item regni abduxisse quererentur, id sciendum ipsis esse; se, ingressum pubertatem, regni res administrare incepisse; ac iam annos, a contracto matrimonio, circiter triginta esse: nec mirandum, si interea multa ipse sibi fieri curasset: tum Philippam quoque coniugem plura secum attulisse; itaque ab iis petere, uti mitterent, qui reginae mundum nossent, Ericum Nicolaum, Ioannem Grenium, & Ioannem Cropelinum: atque illi si quid regni invenirent, id paratum, si ex aequo, & honesto, ipsi agant, restituere; contra vero, si nil ipsi, nisi suum, aut uxoris deprehenderent, maximae temeritatis eos manifestos esse, qui iam foedum innocenti crimen palam intentassent. De reditibus porro regni, tabulas aerarii examinarent; & ex illis certum fore, quid, quo modo, in quem usum, erogaverit: tum, de se plus expendisse in regni bonum, quam acceperit. Eapropter & sperare, quando aliis arces regni, & ditiones nunc permittant, neque, quod alterius sit quicquam cupiant, se pro regno toleratos tot labores, operamque, tot annorum, summa fide impensam hactenus, respecturos, nec passuros, quum expensi rationes antecellant, ut privatum ex re publica detrimentum ipse capiat. Satis exploratum habere, qui tam magnum odium in se conceperint, plane nihil curaturos, unde vitam, regno eiectus, deinceps tolerare possit; neque pensi habituros, si rogare ostiatim stipem debeat: id non ignorare tamen eos velle, si quid habeat, Dei, & ipsorum, esse: ac paratum, illud ipsum inter eos, liberosque item eorum, quam diu quidem aliquid sit habiturus, distribuere: idque tam libenti animo, atque antehac fecisset*.

IX. *Quod, insalutatis cunctis, & ignaris, regno ipse*

(a) *Istud mittit*] Synopsin dumtaxat responsi apologetici Regis repraesentat Meursius; neque aliter Pontanus. Integrum, & unde plura addiscantur, exstat apud Hvitfeld. a *pag.* 610. ad *pag.* 624.

CIƆCCCC XXXIX.

ipse excessisset, ac deseruisset eos, uti interpretabantur, frustra illud criminari; nam id factum bono publico; & ut desiderio absentis aliquo tangerentur, quem praesentem gravabantur: animumque nunc infensum, cum benevolo commutarent; ac sic discessisse tamen, ut relinqueret praesidia toto regno, quae id contra vim quamcumque tuerentur; unde promptum iudicare sit cuique, non se regnum, quod incusent, destitutum, ut abdicatum voluisse.

X. *Neque animum in regnum, neve ipsos, inimicum habuisse; cupereque eius rei testem Ericum Nicolaum; quamquam is nunc inter primos rerum earum auctor esset, quae quemadmodum evenirent, ita quidam eventuras pridem etiam praedixissent; quin testatum apud universos velle, non affectum alium se erga regnum, incolasque, habuisse, nec fecisse quicquam secus, quam honestas postularet.*

XI. *Quod ob ista, aliaque, fidem, & obsequium, renuntiarent, id se neque expectasse, nec admittere; siquidem amice ab ipsis, atque sicut aequum erat, discessisset ob negotia magna regni, ipsorumque; quin, si alibi deliquisse se putarent, non hunc rectum accusandi modum esse; nec se tamen id mirari; quando eos neque Deum revereri, neque homines animadvertat; & iam sibi ipsi faciant, quod qui antecesserint reges a maioribus eorum passos esse, ex historia didicisset. Quod se de constituendo rege alio agitare indicarent, neque nomen tamen adderent, facile, quem designarent, se coniicere; scilicet Christophorum, Bavariae ducem, qui sororis filium se esse dicat; ac per literas moneat, quae non deberet; quum nil ante per legatos, literasve obnuntiasset: neque literae ipsorum, aut illius, prius sibi allatae fuerint, quam in regnum acceptus esset: idque etiam sine voluntate sua, aut consensu. Quum is tamen sancte sibi aliquando promisisset; nil se unquam in avunculum tentaturum, nec in Daniam accessurum, nisi illo advocante; quam ob causam minime se dubitare, quin, ab ipsis incitatus, animum hic ad audendum tantum facinus obfirmaverit: nec meminerit, quibus olim beneficiis matrem, ipsumque obstrinxisset; & oblitus fidei fuerit, quam sanctissime obligasset.* Post haec, aliaque, addit; *petere se, ut coram principibus, & equestri item ordine, urbibusque, neutri partium obnoxiis, causam agere suam sinant: ac, si neque hoc permittant, se querelam primum ad Deum, hinc Pontificem, Caesarem, reges, principesque, & dynastas, equites, nobiles, ac respublicas toto orbe Christiano universas delaturum: ea spe, non neminem se inventurum, qui ab ipsis id dumtaxat impetraret, uti sibi, quod ius atque aequum foret, largirentur.* Ac seorsim inde adiicit: *Postquam ista perscripsisset, sibi nuntiatum esse, alia Lubecae ipsos criminationis capita, quam quae ad se transmisissent; ad templorum passim valvas affixisse; quam agendi rationem qui probaret, virum bonum, & honestum, neminem inventum iri existimaret: insuper omnino sibi persuaderet, haec, & ista, quae iam ante retulisset, improbe afficta sibi, unicuique facile perspectum iri; nec promiscue se tamen Danos omnes accusare; sed dumtaxat, qui haec in se commisissent: ceteros oratos cupere, uti inimicos suos ab incepto iam facinore dehortentur, & iniuriam prohibeant: nec permittant, ut legitime relictam sibi a matre haereditatem, quam tot annos possedisset, se invito, alius praeter fas invadat.* Istis autem ille literis nihil aliud effecit, quam ut rustici, & clientes concitati, arma in heros suos caperent; & tributa, quae debebant, recusarent. Ipse, exactis in Gothlandia annis decem, hominis privati sorte, Svecis pariter, ac vicinis divexatis, post excessum Margaretae variam fortunam expertus, gravi cum Holsatis bello novem ac viginti annorum, novem etiam cum Vandalicis civitatibus conflictatus, neque fere unquam felix, & excussus quoque tandem tribus regnis, reges alios docuit exemplo suo, nihil certi in fortuna, quamvis maxima, reperiri; neque ullam in fastigio qualicumque fidem esse: tum & levi saepe motu maximorum principatuum fundamenta plane everti. Ita ille, quum obtrudere senatoribus Boguslaum patruelem contra leges regni vellet, eo excidit, atque ipsi, ut iustitiam causae suae exteris, indigenisque approbarent, varie item accusarunt. Ac profecto minus recte contra leges, atque iusiurandum suum nitebatur; dum conatur Bugislaum successorem constituere, Sveciaeque imponit Danos, Daniae Germanos suos; nec eorum avaritiam, aut libidinem coercet: & sunt haec omnino gravia; sed, ad exuendum tamen eum regno an sufficiant, iudicabunt, qui momenta quaeque rerum suo pretio aestimare didicerunt, nec affectibus tenentur; etenim, quae alia obiiciebant, & refellit ipse satis, & invalida apud aequos rerum arbitros, censebuntur: quum, ad reges solio deiiciendos, iustum pondus omnia habere debeant. Verum, sicuti in regna, quorum leges violaverat, admodum deliquit graviter, ita in se imprudentia, dum excedit sponte sua, atque illa, seque adeo ipsum, deserit: minime eiciendus aut omnino difficulter, si mansisset. Sed volebat vindicare culpam Deus; & eripere potestatem, qua indigne usus erat. Ac sic fere usu venit, uti, cuius magnitudinem sibi evertendam statuit, huius & consilia corrumpat prius. Quum decennium in Gothlandia exegisset, atque eam, Svecis graviter infestantibus, in Danorum potestatem tradidisset, in Pomeraniam traiiciens, duas naves, cum thesauro, regiaque supellectile, more solito infelix, dissipata tempestate classe, amisit: ac Rivoldiae, totidem exactis annis diem obiit: quum vixisset annos septuaginta quatuor, regnum quadraginta duos [a] tenuis-

(a) *Regnum quadraginta duos*) Computando scilicet ab anno 1396. ad ann. 1438. Nam quod ad Valent. ab Eikstedt attinet, in *Epitome Annalium Pomer.* is neque in annorum calculo, neque in magnifico illo Regis huius elogio, nostros assentientes habebit, quando haec scribit *pag.* 86. „ Annos quinquaginta regnavit, nihil eorum praetermittens, quae ad laudem, decusque Serenissimi Regis pertinerent. Tandem post multa insignia, & praeclara facinora, quae Danorum historiis luculenter expressa sunt, in patriam novum rediit Vandaliae decus. „ Multo fusior in laudatione Erici est Micrelius, longamque contra Io: Magnum, Crantzium aliosque defensionem eius instituit haud veritus etiam *pag.* 403. Regem innocentem.

CIↃCCCCXXXIX.

nuisset, ac viginti post hoc ipsum in exilio transegisset. Illud autem merito in eo cuncti praedicaverint; quod, ad cultum animorum ampliorem in haec regna borealia inferendum, Daniam, erecta illic Academia, illustrare constituerit; ac fecisset, nisi fatum regni publicum, & privata item eius gravi bello implicati infelicitas adeo laudabile propositum intercepisset. Neque istud sine laude memorandum; quod Historiam gentis Danicae [a], quamquam breviter, inde a primo usque rege, ad millesimum ducentesimum octogesimum octavum annum contexuerit; ad quam porro absolvendam non tam otium, ut nonnulli arbitrantur, quum viginti totos annos postea privatus vixerit, quam, averso a Danis animo, quod a regno removissent, voluntatem defuisse, recte quis existimaverit. Habet vero, in exiguo quamvis Opere, multa passim, quae nequicquam alibi quaeras. Sed has laudes plurimum corrupit certe, quum in Dania, Sveciaque, contra datam semel, iterumque fidem, arcium, ac munitionum praefecturas peregrinis, qui superbe regnum utrumque divexabant, demandaret. Qua in re dum maiestatem ipse suam subditorum privilegiis, in quae iusiurandum dederat, multo potiorem habet, mox superbiam, ac perfidiam clare ulciscente Deo, solio deiectus fuit.

CHRISTOPHORVS III.

Exuto in hunc modum Erico, Christophorus III. dux Bavariae, eius ex sorore Sophia [b], quae nonnullis Catharina dicitur, nepos, regnum accepit. Erat vero ea Sophia Margaretae, pridem reginae, ex sorore Ingeburga pronepis; quippe Ingeburga illa, Henrico Megapolitano uxor data, filiam enixa est Annam, quam Mariam alii nuncupatam tradunt. Ea Vratislao VI. Pomeraniae duci nupta, peperit Ericum X. Daniae regem, de quo dictum, & Sophiam, seu Catharinam, Christophori matrem. Tanta enim apud regni Daniae proceres reverentia regum erat, uti, stirpe mascula deficiente, quamquam legere peregrinum quemvis possent, tamen foeminam maluerint, & ex foeminis prognatos, quam discedere a prosapia. Ita, mortuo Valdemaro, ac nepote eius Olao, Margaretam, ipsius filiam, Olai matrem, elegerunt; inde Ericum, ex Ingeburga, filia maiore natu, pronepotem: & nunc etiam Christophorum, ex eadem abnepotem: ac mox Christianum I. itidem eius abnepotem; cuius nunc prosapia, continuata diu serie, ad ducentos fere annos floret; ac florebit porro, quoad PIETATEM colet, unam omnium REGNORVM FIRMAMENTVM [c] validissimum. Itaque, quum regnum Ericus ex antiqua regum domo suam in familiam transferre vellet, & in ea patruelem Boguslaum elegisset, merito se proceres opposuere: & Christophorum, Valdemari, uti dixi, abnepotem, obiecere. Is in Daniam dum ad capessendum regnum, iam oblatum, iter parat, magna piratarum classis, sub Bartholomaeo Voetio [d], e Vismariensi sinu oram solvens, impetum in Norvagiam facit; ac, quamquam se Norvagis obiicientibus, fortiterque repugnantibus, Bergam diripit, & ingentem praedam abducit. At Christophorus quum in Daniam advenisset, declarati a senatu hostes regni, quotquot aulam aliam, quam ipsi, aut forum frequentarent; itaque mox discessere, Bugislaus, Barnimus, Vitislaus, Vratislaus, patrueles, aut agnati Erici regis; cui sese, in Gothlandiam profecti, coniunxere. Solus mansit Eversteinius, qui uxorem ibi duxerat, & Gripsholmiam in Svecia pignoratam possidebat, nec iam ultra peregrinus censebatur. Hinc ad Svecos ablegantur, illud sedulo curaturi, *uti sub antiquum foedus regna haec reducerentur; ac sancita a regina Margareta unio renovaretur*. Qui quum Enecopiam mox advenissent, etiam Sveci accessere; placuitque, *ut inprimis rata essent, quae Calmariae a triennio ipsis Martiis Kalendis statuissent; praeter unum illud caput, quo Ericum, quoad viveret, regem agnoscendum vellent*: idque omnium consensu abrogatum; atque constitutum porro, *ut legati e tribus regnis denuo Calmariam ad diem quartum & vicesimum mensis Iunii anno proxime insequenti convenirent; ac de rebus, ad utilitatem omnium pertinentibus, iuxta leges uniuscuiusque regni, quae censerent expedire, constituerent; interim pax coleretur, & commercia, more dudum solito, exercerentur*. Haec Novembri ineunte postquam Enecopiae acta, denuo in regem Ericum quaedam regni senatores accusationum capita per Vandalicas civitates pro-

cordatum, pium, eruditumque adpellare. Haec autem discutere nequaquam nostri est instituti, uti neque Senatus Danici cum Erico Rege acta defendere, vel approbare. Dicemus tantummodo, Micraelium, probum alioquin virum, & Theologum, varia tum Erici rebus, tum alias in historia sua intexuisse, parum accurate enunciata. Qui aliter porro sentire, aut qui veterem de Erico Pomerano Rege opinionem tueri velit, is prodit, sese exiguam in pagellis istis perlegendis attentionem adhibuisse. Nota quidem res est, & monumentis nostris prodita, Ericum Menvedum fuisse patriae rerum perstudiosum; conicere tamen non audeo, nedum affirmare, laborem hunc vel suis auctoritate susceptum, vel ad *Congesta Menvedi* spectasse, eorumque partem aliquam constituisse. Ceterum numquam inficiabor, in suppellectile libraria extitisse Erici Regis, quem Pomeranum dicimus, ut quem historiarum nostrarum lectioni otium suum impendisse, tum communis fama loquitur, tum & ipsum eius scriptum apologeticum *Cap. XI.* (vid. Hvitfeld. *pag.* 621.) indicat.

(a) *Historiam gentis Danicae*) Sed hanc ab Erico Rege concinnatam esse iamdiu est, quod nemini fere amplius persuaderi potest. Ferunt vetustum codicem, qui olim in Bibliotheca inclyti, & excellentis Herois Henrici Ranzovii extabat, (eundem, ut puto, quem Erpoldus Lindenbruch ad suam editionem adhibuit,) haec verba praetulisse, involucro aut primo membranae folio inscripta. LIBER ERICI REGIS: Eoque, & nullo alio argumento Ericum Regem libri existimatum auctorem; quem alius, in ea incidens, tantummodo libri agnovisset possessorem. Nam illud in calce: *Hactenus Ericus Rex Daciae*, neutiquam ab antiqua manu. Chronicon istud certissime conscriptum est ab homine, haud Germanicae nationis, qualis Ericus Pomeranus erat, sed Danicae; neque a Rege est, sed a Monacho, & quidem, nisi omnia me fallunt indicia, e Monasterio Ryensi, nomine *Ruris Regis* olim adpellato Desinit in anno 1288. quo tempore Ericus Menvedus regnavit. Neque serius confectum opusculum, plane mihi persuasum.

(b) *Sophia*) Catharinam adpellatam fuisse, & errare, qui Sophiam nominent, supra demonstratum.

(c) *PIET. REGN. FIRM.*) Grandioribus haec litteris scripta, quia respiciunt ad Symbolum (ut vocant) Regis Christiani IV. cuius iussu Meursius historiam scripsit. Erat autem: *Regna Firmat Pietas*.

(d) *Barthol. Voetio*) Ille Vismariensis pirata iam antea Norvegis, & Bergensium urbi gravis fuerat, quemadmodum Hvitfeldio annotatum ad an. 1329. *pag.* 444. fusissime vero narratum ab Herm. Cornero *Col.* 1290. *seq.*

CIƆCCCC XXXIX.

promulgarunt; quibus illi obiecta *bella, per tot annos cum Holsatis, ac Vandalicis civitatibus summo cum dispendio continuata: quae finire saepenumero honestissime potuisset, si consiliis senatorum salutaribus auscultare voluisset; monitumque ab iisdem, uti, post Philippae mortem, alteram uxorem duceret, e familia regno digna, itidem id aspernatum, in amore inhonesto, magno cum opprobrio & suo, & regni, vitam agere maluisse; tum conatum etiam esse antea coniuncta regna separare; ut, exortis hinc dissidiis, Bugislao, ad auxilium evocato, gradum ad haec negotio minore strueret. Quin seorsim, de senatus voluntate, monitum a Lundiensi Archiepiscopo, uti principes peregrinos, quibus arces quasdam regni, insulasque, Langelandiam, ac Lalandiam, tum Fioniam, & Monam, contra iuramentum suum, leges regni, fas, & aequum, item invitis senatoribus, commisisset, qua benignitate posset, abdicaret, atque regno omnes eas praefecturas restitueret; nisi mallet, iusta procerum offensa, ipse postea destitui, & a regno removeri: tamen eam praesulis monitionem contempsisse. Insuper, quum in comitiis, Vortingburgi celebratis, illud ageret, uti regnum, se defuncto, Bugislao traderetur; ac senatus fieri nequaquam posse id ostenderet, quod electionis illud, non haereditatis esset; ac, si foret, alium propinquiorem multo haberent, regio Danorum genere oriundum, quem non vellent praeterire, admodum superbe sane respondisse: nihilo se minus tamen, etsi vitae cum periculo, Bugislaum successorem habiturum; ac mox etiam Fioniam tresque arces, vel senatu refragante, eius fidei commisisse; tum Gothlandiam, regno in principum exterorum potestate constituto, petiisse: ac nunc quoque, sine ulla eius cura, illic agere. Praeter ista, varie regnorum omnium sacrum ordinem divexasse; tum indicta item causa, & non raro innocentes in custodiam coniecisse: senatores quoque regni contumeliose admodum habuisse: item e sacro ordine virum, qui, pontifici a manu, literas ipsi minus gratas attulisset, os sigillo illarum plumbeo eum in modum verberasse, ut e naribus cruor flueret; ac, quum eum ad has ipsas exedendas cogere vellet, neque morem alter gereret, diu in arctissimo conclusum carcere tenuisse. Denique praefectos quoque variis regni ditionibus posuisse, homines, superbos plane, & avaros, ideoque suis graves; tum pecuniam corrupisse; & comitia suo tempore, atque loco celebrare neglexisse Diu etiam ius indigenis denegasse; & erepta insontibus bona ab iniustis possessoribus per vim item possideri; cum non parva regni adeo universi, & eorum, quibus iusti & aequi cura, studiumque, contumelia, & opprobrio.* Mox Christophorus, quum iam regnum accepisset, de consilio senatus, eos omnes, qui munitiones regni, sive arces, ab Erico olim datas, possiderent, statim regni senatoribus, constituta in recusantes vitae, famae, ac bonorum omnium, poena, reddere iubet. Tum seorsim harum literarum exemplum ad Corsorae etiam praefectum mittit; admonetque, *uti ipse quique eam habitarent, quam Erico pridem obstrinxissent fidem, mox exuerent; & in verba senatorum iusiurandum die praestituto darent, ni pro regni hostibus censeri vellent.* Hinc Viburgi

CIƆCCCC XL.

anno statim insequente iuramento se obstringit, *homines omnes, cuiuscumque demum ordinis, atque loci, sedulo se defensurum, & cum iis pacem regni, privilegia, iura, & immunitates, quas maiores tradidissent, summo studio illibatas servaturum: neque proximis comitiis quicquam item omissurum, quod ad subditorum omnium publicam utilitatem pertinere videretur.* Haec peracta postquam essent, & comitia, quae Calmariae celebranda, ut superiore anno Enecopiae constitutum, iam adessent, ac vix pauci accessissent, Carolusque, regno Sveciae praefectus, eo cedere cunctaretur, in conventum pleniorem res dilata est. Itaque comitia non multo post Arbogae habita; quibus nomine Danorum interfuere, Archiepiscopus Lundiensis, Ioannes Laxmanaus, & ex ordine equestri, Nicolaus Ronnavius: qui Christophori virtutes, rege dignas sedulo Svecis commendantes, summa ope nitebantur, ut & ipsi hunc eligerent, & in unum foedus regna, sicuti sub Margareta, & Erico, ea fuerant, restituerent. Quod facilius ut efficerent, tradunt iuramenti exemplum, quo Viburgi regni Daniae proceribus fidem suam obstrinxisset: ac promittunt, itidem facturum ipsis. Carolus, quum in Christophorum animos cunctorum fere propendere animadverteret, plurima de libertate novi regis eligendi, & potestate praeloquutus, mox exponit: *quos labores pro utilitate regni publica sustinuisset, ac quum multum aeris item alieni contraxisset, ex quo sibi rerum summam demandassent:* tum enixe quoque orat, *ut suorum meritorum rationem habere velint.* Nec displicuit iusta oratio: ac decretum, *ut Finlandiam, & Olandiam, veluti clientis jure possideret: ita tamen, ut Olandia, datis quadraginta millibus Stocholmensium selibrarum, regno restitueretur.* Addunt Dani, *ratum etiam Christophorum hoc decretum habiturum; neque item permissurum, ut cum eo, ob quaecumque ante acta, iure quisquam experiri, aut administratae hactenus reipublicae rationes postulare deinceps possit, quin & ipsum cum eodem plura Halmstadii anno proximo coram acturum.* Inter haec Christophorus, quum regem eum Dani sibi elegissent, Adolpho Holsato dat ducatum Slesvicensem, ceu clienti ritu in istis usitato: postulatque a senatu regni literas, quibus id ipsius iussu se fecisse testaretur. Vt autem ea, quae Arbogae pridem constituta erant, implerentur, petunt Sveci, ut Christophorus regnum mox ingrederetur; & comitia indicunt, quae Calmariae, ad vicesimum quartum diem mensis Iunii haberentur: illic regnum, dato in eius privilegia iuramento, traditurі. Ante tamen, quam in Sveciam iter caperet, cum tribuno equitum, Carolo, iuxta pactum, Halmstadii colloquium benigne habitus ad finiendam aequa compositione litem illam, & controversiam cum Comitibus Holsatiae.

(a) *Litteras ipsi minus gratas*] Verisimile est eas fuisse litteras, quas ad Ericum Martinus PP. V. dederat anno 1425. adhortatus ad finiendam aequa compositione litem illam, & controversiam cum Comitibus Holsatiae.

CIϽCCCC XL. habet; ac Finlandiam, & Olandiam, quas senatus promisisset, ipse quoque ut traderentur adquiescit: tum indulget, ne quis gesti ad id tempus magistratus rationem petere ab eo posset. Sed quo minus ad comitia, quae indicta memoravi, die dicto ipse proficisceretur, motus Cimbrici vetuere. CIϽCCCC XLI. Nam in Cimbria rustici [a] mox concitati ab Erico, uti vulgo credebatur, heris debitum negabant; vivere etiam regem suum, dominumque iactitantes: apud quem, si quid deberent, exhibere nullo modo detrectarent; ac fuisse circiter viginti quinque millia commemorantur; & conserta cum his manus die mensis Maii tertio, ad Agardiam; ceciditque Eschillus Brocius; quem, invisum ob saevitiam, rustici in frusta mox dissecuere. E Christophori militia unus ducum interfectus; & duodecim e nobilium numero capti, qui mox capite luerunt [b]. Verum insolentiam, ut coerceret rex Christophorus, arma sumsit; ac congressus ad octavum diem Iunii, & superior Henricum Tagonem, unum e senatu regni, sed addictum partibus Erici regis, Hellum, Herulphum [c], & Andream item Holstios, vivos cepit, ac deinde rotae imposuit; uti sex cum iis alios. Interfecti e promiscua multitudine mille circiter octingenti; alii sexcentos tradunt. Ceteri, vix fuga elapsi, aut in gratiam recepti, pretio se redemere. Collem quemdam occupaverant, curribusque circumpositis, se muniverant, ut invadere equitatus nusquam posset. Itaque nonnulli e nobilitate, suis inde evocatis, gratiam delicti eius, si desistant, & abscedant, pollicentur. Quam ob rem quum plurimi digrederentur, & haud parum numerus minueretur, qui restabant, facto impetu, profligati. Ac tumultu hoc represso, mox Christophorus, Carolusque quum Halmstadii convenissent, una ambo ad comitia concessere. Et acceptus honorifice hic Christophorus Sveciae rex ad Morasteinum, usitato gentis more, salutatur. CIϽCCCC XLII. Vnde quum Stocholmum mox reversus esset, Christianus, regni satrapa, Carolum tribunum equitum, ob iniecta ante vincula, accusare statuebat; & rex ipse, nimia potentia eius deprehensa, iam nonnihil etiam sibi formidare. Verum Carolus Christianum eludebat, & Christophorum, ne in eum quid tentaret, quae pollicitus pridem erat, prohibebat. Dum CIϽCCCC XLII. in Svecia autem abest, ne quid Dania per tumultum rusticorum pateretur, promulgato Ludosiae edicto ad undecimum diem Iunii, ut ferociam praefectorum, quae superioris motus causa fuerat, coerceret, praecipit severe admodum: *ne quid contra leges facerent, neve vim cuiquam ullam intentarent*; populo mandat, *uti sedulo pacem coleret, si qui gerere morem nollent, his in promtu poenam fore*. Inter ista e Gothlandia rex Ericus & piraticam exercere, & inprimis Svecos proximos infestare. Ac Christophorus rogatus, ut compesceret insolentiam, excusavit, & respondit: *fieri id aegre posse, dum dissidia ipsi Sveci intestina agitarent, neque eos pacem umquam, ni redirent ad concordiam, habituros* [d]. Ne nil tamen agere velle videretur, in Gothlandiam, de sententia senatorum, proficiscitur cum Erico de piratis coercendis loquuturus. Verum, an in hoc colloquio de piratis cohibendis aliquid sit constitutum, id incertum est. Illud pluribus vulgatum convenisse, ut Ericus ea insula, posita regnorum cura, quoad viveret, frueretur. Inde postquam discessisset, inter viam acta in latentem quemdam scopulum navi, ac confracta, rebus omnibus amissis, vix naufragium scapha evasit. Hinc contendens in Norvagiam, rex Ansloae a proceribus eius regni salutatur. Moxque in Daniam re- CIϽCCCC XLIII. versus, in principio ipso anni, Ripae regno inauguratur [e], & corona ab antistite Lundiensi insignitur; operam praestantibus Germaniae principibus aliquot. Quippe gladium dux gerebat Slesvicensis; sceptrum Silesius, pomum Bavarus, & coronam Brunsvicensis. Pompa, ut in talibus magna, & equestres ludi habiti; tum relati inter equites, e nobilitate varia, viri septuaginta duo. Hinc, converso animo ad regni cura, Hafniensibus, ceterisque item urbibus, iura sua, & leges firmat; &, abolita decimaquinta, ad id tempus solvi [f] solita decimam, quae olim pendi consuevisset, rursum instituit; utque, tribus eius partibus ordinatis, una Ecclesiae, altera Episcopo, tertia Pastori Ecclesiae, solveretur. Actum quoque, ut Roschildiensis praesul urbem Hafniam, quae ad illum eo tempore pertinebat, regno traderet. Bergae etiam

(a) *In Cimbria rustici*] Erant reliquiae seditionis in Vendilia, extrema Iutiae borealis provincia, gliscere iam anno 1436. coeptae, nunc autem acrius exardescentes, neque solis Ecclesiasticis, sed & universae fere nobilitati, quantum eius non Erico Regi adhaereret, exitium minitantes.

(b) *Mox capite luerunt*) Factum hoc, non a rusticis, sed mandato Senatoris regni Henrici Tagonii, qui Regi Erico addictissimus, ut mox dicetur, ducem rebellium rusticorum agebat.

(c) *Herulphum*) Corrig. *Herlusum*.

(d) *Ad concordiam habituros*] Ex Pontano hoc; qui tamen subiicit illud, quod neque dissimulat Hvitfeldius *pag.* 654. quoties ereptum aliquid mercatoribus, & naucleris Svecis nunciaretur, quippe quos Vitaliani, & emissi ab Erico piratae continuo incursabant, dixisse iocabundum, *aliquid etiam avunculo suo, unde vivat, deberi*; vel ut Ericus Vpsal. refert: *avunculum suum vitae necessariis indigere, nec vitam posse agere absque congruis alimentis*.

(e) *Ripae regno inauguratur*] Actum hunc inaugurationis descriptum habemus, atque illustratum in egregio monumento, ex eorum genere, quae *Instrumenta Notarialia* vocant, inserto Broderi Boissen Chronico Slesvicensi, (Menckenii *Scriptor. Germ. Tom.* 3. *pag.* 620. *seq.*)

(f) *Ad id tempus solvi*) Conquerebantur Episcopi, loco decimae tamdem, quindecimam partem Ecclesiis, & sacro Ordini dari; contra vero Senatores seculares, nomine incolarum regni adlegabant patriam consuetudinem. Rex itaque sententiam pro Episcopis, & Ecclesiis tulit, adlegatam consuetudinem, *imo verius* (ut est in diplomate) *corruptelam* condemnando, edicendoque, ut decima posthac omni anno solvatur, in tres aequales dividenda partes, quarum unam Ecclesia Parochialis, alteram Episcopus, tertiam Plebanus accipiat. Atque haec sententia vim, & auctoritatem Legis ab eo tempore obtinuit per totum regnum, usque ad emendationem sacrorum a Rege Christiano III. anno 1536. subsceptam. Tunc enim is ordinavit, ut pars illa Decimae, quae Episcopalis erat, Regi universa cederet in usum, & compensationem sumtuum, ac redituum, quibus Vniversitatem Hafniensem, ludosque litterarios in omnibus regni urbibus erectos, nec non hospitalia, seu valetudinaria auxerat, & locupletarat, atque ut ex ipsa illa Decimae Episcopalis parte, Superintendentibus Dioecesium, quos idem Rex Episcoporum loco ordinavit, sua constituerentur salaria, seu annuae pensiones. Vid. *Additam. I. ad Histor. Regis Christiani III.* per Nicol. Crag. & Stephan. *pagg.* 17. & 19.

CIϽCCCCXLIII. etiam Norvagiae privilegia rata facit, reditusque regno debitos, ac iam dudum intermissos, quaeque alia imperaturus deinceps esset, mercatores peregrinos solvere iubet. Ibidem, ac Norvagia tota, libera Amstelodamensibus in Hollandia, uti & Ziriczeanis, Belgicam Zelandiam inhabitantibus, dat commercia. Hinc Visenaci (a), quod est oppidum ditionis Brandeburgicae, conventum indicit, principesque plurimos Germaniae benigne invitat: inter istos, Fridericum Brandeburgicum, Henricum Megapolitanum, Othonem, Gulielmum, & Henricum Brunsvicensem, Adolphum etiam Slesvicensem, aliosque. Sed Adolphus princeps pacis studiosus, non comparet. Ipse quidem, non indutus veste regia, verum qualis est eorum, qui religionis ergo peregre (b) proficiscuntur, sese sistit. Ac, quae acta, clam fuere. Verum vulgo ferebatur, de potentia urbium Hansaticarum, quae non pauca regno detrimenta dederant, coercenda agitatum tunc fuisse, & consiliis Christophorum (c), potius quam vi armorum experiri antea constituisse. CIϽCCCCXLIV. Hinc intelligens mercatores peregrinos privilegia Bergensium, quae maiores concessissent, ac superiore anno ipse quoque, uti dixi, confirmasset, varie insuper habere, cum indigenarum damno, denuo statuit, ut commercia universi iuxta antiqua regni iura, atque leges exercerent. Nec multo post Dorotheam uxorem ducit, CIϽCCCCXLV. Ioannis Brandeburgici filiam (d), cui dotem pater dixit florenos Rhenenses tricies mille, quamvis numquam persolutos. Ipse nuptiarum causa, sponsae addixit, in Dania quidem, Haralsburgum ad Roschildiam; tum Ringstadium, atque arcem Schildenessam (e) apud Svecos, Orebroum, Nericam, & Vermelandiam; in Norvagia, Romerigam. Nuptiae Hafniae celebratae celebri conventu principum, aderantque, praeter Brandeburgicum parentem sponsae, Gulielmus Brunsvicensis, Ludovicus Hessus, Fridericus Bavarus, Balthassar Silesius, Ernestus Honstenius, aliique; tum legati urbium Vandalicarum, ac complures e proceribus regnorum. Nuptiis autem celebratis, quum adessent etiam tum regni proceres, *privilegia, quae Teutonibus in emporio Bergensi decessores indulsissent, atque ipse nuper quoque confirmasset, rata se habere* edicit; *ita tamen, ut antiquis Norvagorum privilegiis nuspiam detraheretur, legibusque regni ipsi, & indigenae pariter subiecti essent.* Tum Elburgo, aliisque Gelriae ducatus urbibus ius piscandi apud Falsterboam, & Scaniam, quod antiquitus tenuissent,

(a) *Visenaci*) Rectius scribendum *Vilsenaci*, quamquam scio, non raro utrumque, *Vilsnacum*, & *Visnacum* apud Crantz. aliosque occurrere:

(b) *Qui religionis ergo peregre*] Crantzius: *peregrina veste*, hoc est, quali utuntur religiosam peregrinationem obeuntes. Siquidem Vilsnacum ex iis erat locis, quae religionis ergo frequentabantur propter hostiam prodigiosam, seu cruoris Christi revelationem, cuius peculiari libro historiam scripsit Matthaeus Ludecus, Decanus olim Havelbergensis. Plurimi eamdem fabulam compendio retulerunt, ex quibus nominare sufficit *Chronicon Slavicum pag.* 228. Herm. Corner. ad annum 1384. (tunc enim miraculum percrebuisse dicitur,) *Col.* 1147. *seq.* Crantzium in *Vandal. lib.* 9. *cap.* 11. ac in *Metropoli lib.* 10. *cap.* 34. Io. Wolfium in *Lectionib. Memorab. Centur.* XIV *pag.* 689 *seq* Nicol. Leutinger. *Commentar. de Marchia Brandenb. lib.* 7. §. 27. *seq.* Zach. Garcaeus *lib.* 2. *de gestis Marchion. pag.* 200. *seq. &c.* Atque vix dici potest, quantus ex Septentrione nostro isthuc confluxus, & omnibus annis peregrinationes fuerint obitae, ac donaria adportata, de quibus neque paucas Reginae Margaretae, & aliorum illius tempore, nec non Erici Pomerani litteras vidi.

(c) *Consiliis Christophorum*) Consilia illa, quomodo deliberata fuerint, & instructa, tunc, quum exhaurienda essent, successu frustrata, nullum credo Scriptorem plenius exposuisse, quam Ericum Olai Vpsalensem *Hist. Svec. lib.* 5. *pag.* 189. *seq.* & ex eo Loccenium. (Nam Iohannis Magni ineptias recte castigavit Pontanus *pag.* 624.) Haec autem narrationis Erici summa: Convenerat inter Christophorum nostrum, & nonnullos Germaniae Principes, de invadenda clamque occupanda urbe Lubecensi, qua capta, facile futurum ceteras Vandalicas civitates subiugare. Doliis igitur, quasi vino plenis, sed armorum omni genere refertis, in urbem illatis, Rex habitu religioso, quasi ad Vilsenacensem peregrinationem, habuit in procinctu classem, numerosumque exercitum, atque a Lubecensibus transitum petiit pro 5000. armatis, obtendens tanto numero Principum, regionumque insidias. Verum repulsam a Lubecensibus passus est. Itaque Vismarienses simili petitione tentat, nec non Sundenses, utrobique frustra. Obtinuit tamdem a Rostockiensibus. Interim, dum moras nectit, atque in mari vicino extra portum Lubecensium classem circumducit, accidit, ut Lubecae domus quaedam fortuito correpta igne, Principes, & Nobiles, qui in urbe adventum Regis praestolabantur, in opinionem adduceret, Regem Lubecam intrasse, atque incendium illud ab eius militibus procuratum. Itaque ad arma prosiluerunt, cursumque ad portas urbis accelerarunt, ut eas aperirent, vel adhibita vi frangerent. Heic a civibus deprehensi, & interrogati, cur arma adduxissent, responderunt, sese ea pro exercendis hastiludiis habere, nec aliud quam ut succurrerent periclitanti urbi, intendisse. Cives illos iubent ocyus e civitate sua egredi, atque alio abire ad militaria exercenda studia. Rex vero, hoc audito, in Daniam cum exercitu remeavit. *Chronic. Slavic. pag.* 236. „ Anno Domini 1343. convocatis per Regem „ Christophorum ad Wilsnac, oppidum Prignitz, Friderico „ Marchione Brandenburgi, Henrico Duce Megapolitano, Ot- „ tone, Wilhelmo, & Henrico Ducibus Brunsvicensibus, ac „ multis aliis Principibus, ad faciendum confoederationem mu- „ tuam contra civitates, quibus Rex infestissimus fuit. Circa „ festum Purificationis in habitu peregrini cum 80. equis in- „ travit civitatem Lubicensem, continuato ulterius itinere. Sed „ Adolpho Duce Slesvicensi, etiam vocato, venire renuente, „ frustrati fuere Principes in malo eorum proposito. „ Eadem exscribit Andreas Angelus in *Annalib. March. Brandenburg. lib.* 3. *pag.* 217. imperite Helmoldum citans more suo. Cautior multo, ac modestior Alb. Crantzius *Daniae lib.* 8. *cap.* 23. istam foederum, & consiliorum contra civitates initorum famam tribuit coniecturis *maligni vulgi, facta infectis miscentis*, & absentiam Adolphi Slesvicensis multum opinionem vulgi confirmasse, quippe per hanc creditum subversa fuisse consilia ceterorum. Attamen idem Crantz. *cap.* 25. ea commemorat, quae, modo explorata satis habuerit, non leve pondus addunt subspicioni; haec scilicet: „ Meditari ferebatur „ (Rex Christophorus) bellum in littora Germaniae, & prae- „ sertim in civitatem Lubecensem, quam non aequis oculis ad- „ spicere solitus credebatur, quod olim Danici iuris, nunc in „ eam videbatur arrogantiam erecta, ut bellum Danicae aude- „ ret coronae intentare. Quumque ad annum nonum regni sui, „ in arce Helsingburg, adversa valetudine desperabiliter labora- „ ret, fertur advocasse proceres, quos habere potuit, & cum „ illis de regni negotiis egisse. Et inter alia, quae aegrescens „ indies magis, atque magis, illis praesentibus imperat, fertur „ dixisse: Malevolis me oculis intuiti, inquit, soletis exem- „ plum avunculi in me formidare, quod acervatis undecum- „ que de regno thesauris enavigem. Numquam ea res in ani- „ mum descendit meum, utinamque non vestra culpa magis, „ quam de suo sensu avunculus fugam parasset. Ego quantos „ potui subducere thesauros quotidianis sumtibus, eos compo- „ sui, bello aliquando, pro regni gloria, ad Lubecae muros „ gerendo. Ea urbs, quo sit regnis nostris fato edita, mecum „ videtis &c. „ Eadem fere, sed brevius, habet *Chronici V.* auctor, in *Danicis* Dn: de Ludewig *pag.* 134. ad an. 1345. ex Crantzio, ut videtur, accepta.

(d) *Brandenburgici filiam*] Huius coniugii conciliandi causa credit Pontanus *pag.* 625. institutum biennio ante Vilsenacensem conventum fuisse. Neque improbabile, tunc inter cetera de illo actum. Imo, si Io. Paulo Gundlingio credendum, in *Histor. Electoris Brandenburg. Frider. II. pag.* 72. ad an. 1443. exstant, quae id probent, monumenta in Archivis Brandenburg. Sed ut tot Princeps eius solius rei gratia convenirent, quae necessitas? Ceterum Dorotheam, cum Christophoro nuberet annos XIV. natam fuisse scribit auctor *Chronici rhytmh. Svecici pag.* 368. Ericus Olai, & alii Sveci, nescio qua fide, referunt, Regem haud maritali illam adfectu dilexisse, sed in alias mulieres effusum, promiscue libidinem explevisse.

(e) *Schildenessam*] Corrig. *Schioldenessam*.

CIↃCCCC XLV. sent, porro firmat. Quumque plurimos Germanos, qui in Daniam abeuntem pridem comitati fuerant, & in aula retineret, & ornaret praefecturis, & id aegre Dani ferrent, ac Erici abdicandi illam exstitisse causam dictitarent, quum dimittit a se omnes, quamquam invitus, tum indigenis praefecturas mox committit, & ostendit, proprias se caritates regni legibus posthabere: claro admodum animi moderati exemplo. CIↃCCCC XLVI. Anno proximo in Lalandia illis, qui in ius vocati, sistere se neglexissent, poenam statuit; tum & iis, qui alterius silvam caederent. Agit etiam de armentis, prohibetque, *ne quis capras in alterius detrimentum pastum mitteret, neve vulpes, aut quamcumque demum feram rusticus quis venaretur. Qui delinqueret, & venabulo, & venationis cetero instrumento mulctaretur; tum tres etiam selibras penderet soli domino, in quo deprehensus foret, ac tres alias item regi*. Agit etiam de hortis colonorum, & viridariis, & agrorum sationibus; ac decernit, *ne colonum, cui suum praedium esset, praefectorum aliquis vel comprehenderet, vel abduceret in custodiam, nisi postquam iudex de re cognovisset, & sententiam protulisset*. Hinc in Sveciam contendens, edito Stocholmi in hanc rem diplomate, decimosexto die Iulii praesulem Osiliensem, & Osiliam universam, uti sub antiquis regibus ea fuerat, suam in fidem, atque clientelam accipit. Quibus actis, dum in Daniam renavigat, iterum naufragium passus, & thesauro omni amisso, vix evadit. Atque ut naufragio hunc annum tristem, ita & sororis Annae morte habet. Quae Dorotheam ad maritum commeantem comitata, dum in gyneceo eius porro haeret, diem obit, & in aede sacra Sorae, iuxta regum, CIↃCCCC XLVII. ac reginarum monumenta sepelitur. Postea exorta quaedam controversia inter regem, & Hollandos, ac Zelandos, Frisiosque, quod conventa neglexissent. Itaque detentae, & earum naves, edicto regis, ad vicesimum quintum diem mensis Iulii promulgato, quam ob causam a Philippo quoque Bono, Burgundiae duce, comite Hollandiae, Zelandiaeque, missi ad rem componendam, Samson Labanius Opperbosius (a), Arnoldus Gentius Gasemburgius, Ioannes Heinaeus, Ioannes Rosa, & Gerhardus Nordovicius; rexque, qui cum iis agerent, ordinavit, Archiepiscopum Lundiensem Ioannem Laxmannum, &

Benedictum antistitem Anderschoviensem, ex sacro ordine: ex equestri, Martinum Ionam, CIↃCCCC XLVII. ac Stenonem item Bassium. Atque illi in hunc modum convenere: *uti mercatores quique, qui iniuria se adfectos aliqua existimarent intra proximum triennium suum ius persequerentur; ultra actio nulla foret. Ac Danis quidem, Svecis, Norvagis, si Hollandi forte quidquam, aut Zelandi commisissent, in Hollandiensi curia, Hagae Comitis, sistere se tenerentur, si quid Dani peccavissent, eos Hafniae, si quid Sveci, hos Stocholmi; Norvagos autem, Ansloe convenire oporteret*. Post haec, scripto publicato, ad Novembris diem quintum & vicesimum, mercatoribus Hollandis, ac Zelandis, Frisiisque, vetera commercia inviolata esse voluit; tum ob merita in haec regna borealia, quibus ea antea iam devinxissent, tum & quibus devincire porro possent. Quibus hunc in modum actis, quum Christophorus Sveciae proceres Ienecopiam convocasset, & itineri ipse quoque se accingeret, iamque in Scaniam traiecisset, opprimente Helsingburgi subita invaletudine, die sexto Ianuarii vita excedit (b): Princeps, uti multae laudis apud Danos, ita culpae apud CIↃCCCC XLVIII. Svecos (c). Sed in Danicis Archivis, quorum fide vitam eius, inter octo regni annos recte actam exhibemus, nihil adeo reprehensione dignum invenimus. Illud vero non iniuria quis accuset, quod Erico avunculo suo, postquam fidem obstrinxisset, numquam se, invito ipso, aut in Daniam adventurum, aut id regnum accepturum tamen venerit; &, legitime quamquam oblatum, sceptrum acceperit. Verum ita principum fere comparatum est ingenium, ut in ceteris fidei sat diligentes, in imperio adquirendo, aut firmando, non gravate eam negligant, & prudentiam id existiment. Sed perfidiae nullus sane principatus, nulla causa est, quae patrocinari possit. Ac videtur vindicasse factum Deus, qui quantumvis datum iuxta leges sceptrum, & modeste usurpatum, diu tamen non permisit. Corpus mortui mox Roschildiam est translatum, deducentibus universis regni Episcopis, & nobilitate tota; ac, depositum in primario urbis templo, mox successor regio sacello intulit. Eo vero sic defuncto, & sorore item Anna, uti paulo ante dixi, regnum Dani in Christianum Oldenburgicum, nominis istius primum, illum quoque Valdemari abnepotem, transtulere.

(a) *Labanius Opperbosius*) Mendose expressum hoc nomen, corrigendum ex Pontano sic: *Samson Lalaing, Dominus de Opperboys*.

(b) *Vita excedit*] Nescio quid nonnullis exterorum subspicionem iniecerit, nostris ignoratam, fuisse hunc Regem veneno interemtum, nisi forte cum Christophoro I. confuderint. Sic enim *Chronicon* Elwangense] (Freheri *Tom. I.*) ad an. 1448. *Intoxicatus fuit Christophorus Dux Bavariae, Rex Daniae, Sveciae, Norvegiae*. Nec non Scriptores Bavarici recentiores, ita ut Tolnerus *Genealogiae Comitum Palatinor. lit. D.* idem inseruerit.

(c) *Ita culpae apud Svecos*] Sveci, ut luxuriosum, aleatorem, comessatorem, praecipitem irae, multorumque auctorem malorum describunt. Talia passim occurrunt apud Ericum Olai, Iohannem Magnum, Messenium, ac praesertim auctorem *Chronici Rhythmici*, ubi etiam corpore valde obeso fuisse dicitur.

HI-

HISTORIAE DANICAE

CONTINVATIO

IN QVIBVS RES COMMEMORANTVR GESTAE

A CHRISTIANO I. AC IOANNE, EIVS FILIO ET NEPOTE, CHRISTIANO II.

LIBRI TRES POSTERIORES.

SERENISS. AC POTENTISSIMO PRINCIPI

CHRISTIANO IV.

DANIAE, NORVEGIAE, GOTHORVM, ET VANDALORVM REGI.

Duci Slesvici, Holsatiae, Stormariae, & Dithmarsiae, Comiti Oldenburgi, ac Delmenhorsti, &c.

REGI, ET DOMINO CLEMENTISSIMO.

R*EGVM Sortem reputanti*, Rex Serenissime, *illud verum apparebit, quod a Tito Imperatore olim coniuratis dictum;* Principatus fato dari. *Ne exempla mihi petam ex Historia, sacra pariter, ac profana, quae per multa illic obvia, ex his tribus, quos humillime Maiestati tuae offero, duo abunde fidem facient. Ecce enim, mortuo Christophoro Bavaro, quum Adolpho Slesvicensi, regis Valdemari III. pronepoti, regnum proceres deferrent, studium praeseferentes in prosapiam illam regiam, Deus Christianum ostendit, Diderici Oldenburgici filiorum natu maximum, itidem a matre Heduige, Adolphi sorore, genus regium contingentem, & hunc solio imposuit: nempe ut virtutem eius, quam legatis etiam pater commendabat, muneraret. Ille vero, sicut regna, quibus artibus parantur, iis optime asseruntur, quod a Deo ob virtutem accepisset, per eamdem cum ingenti laude sua diu habitum, mox decedens, filio Ioanni tradidit: isque rursum, in vestigiis patris haerens, Christiano, item filio, eius nominis secundo. Verum hic, neglecto Deo, per quem reges omnes regnant, quum deflecteret a virtute, illo animum, & consilia, perturbante, regno temere ipse excedens, nec redire in id potens, didicit experiendo; regem nullum adeo potentem esse, quin iratus illi Deus, quando ita visum fuerit, sceptrum frangat. Itaque ab isto solo, rege regum, dominoque dominantium, regna universa pendent. Ille ea dat, & adimit, ineffabili consilio, & arcana providentia, quam humana ratio nulla comprehendere, aut investigare valet. Nec dat tantum, eripitque; verum etiam nec deponere permittit, semel data. Sic Augusto, his rempubl. reddere animum inducenti, quia monarchiam eam diuturnam esse vellet, cogitationem eripuit, ac, quod posse ei dederat, non concessit uti faceret; & invito conservavit. Alios autem sic tuetur, ut eripere nemo unquam externus possit: quod Maiestas quoque tua nuper admodum est experta. Nam, quum hostis potentissimus extorquere conaretur, iam redacta in potestatem Cimbria, Holsatiaque pene omni; exiguo freto interposito, velut obice obiecto, regno reliquo prohibitum, stitit Deus, vetuitque ultra progredi. Nec hoc solum; verum & coegit reddere, quae biennium tenuisset: etiam pacem ultro offerre, adeo certe gloriosam, quam id bellum grave fuerat. Nempe Maiestatis tuae pietati id acceptum referendum; quae ut rara est in regibus, ita in Maiestate tua sic excellit, ut Davidem nostro seculo repraesentes. Atque ea Maiestatem tuam movit, ut Germaniae libertatem, ac religionem in ea, qua nil piis viris prius, illa opem implorante, defendendam existimares. Ac successus quamquam animo non responderit, deserentibus foederatis, ac proden-*

dentibus etiam tuis, maxime in pugna Lutherensi, ac Bremensi Episcopatu, dum Germaniae peccata, Daniaeque castigare Deus cupit; tamen pietatem eximiam tota adeo posteritas, quae sine odio gratiaque iudicabit, ex conatu tam insigni metietur: sicut animi illam invictam magnitudinem praesens aevum, & in primis ipse hostis, admiratur, praedicatque. Habes vero, Rex Serenissime, *qua belli casum levius feras, bonam omnino conscientiam; tum exempla Principum quoque aliorum perillustrium, qui, eodem plane modo magnum aliquid agitantes, votum non obtinuerunt. Ita enim comparatum est, ut divina providentia, etsi interdum bonae causae, quam odisse nunquam potest, minus aequa videatur, eam tamen, propter hominum peccata, non deserere quidem velit, sed differre: atque ita evenire est necesse, ut consilia humana, quamvis recta, male cadant. Quod quandoquidem ita habeat, nulli tamen unquam regum ideo* Pietas *deserenda: quae, ut habet Maiestatis tuae symbolum, illud longe augustissimum, ac dignissimum rege vere Christiano, una maxime* Regna Firmat. *Testimonium unum, atque alterum dabo, omni exceptione maius. Ob hanc David vir secundum Dei cor pronuntiatur, minimusque natu fratrum rex eligitur; &, invito quamvis Saule, plurimumque obnitente, confirmatur: atque regnum annos quadraginta tenet. Eius filium Salomonem cum offensus, quod a pietate ipse defecisset, solio Deus deturbare statuisset, in Davidis patris gratiam vivo parcens, poenam distulit in filium: & huic etiam unam tribum de duodecim reliquit, idque ipsum item in Davidis gratiam. Audiant ergo reges omnes, principesque; & a Maiestate tua istud discant, qui ignorant,* Regna Firmari Pietate. *Neque ea tantum est in Maiestate tua plane singularis, sed iustitia, caritasque in subiectos, pari passu comitantur. Et ut illa Deo te,* Rex Serenissime, *gratum facit, ita istae populo tuo. Cuius sic vicissim adfectum universi obstrictum tenes, ut in sinum uniuscuiusque etiam reclinare caput liceat, ac secure somnum capere. Quod profecto quotusquisque regum unquam ausus fuit? O felices Maiestatis tuae subditos, quibus a tam pio rege, populique sui amante, numquam male esse poterit! o beatum regnum tuum, quod ingenti sine dubio gloria Deus coronabit, &, divina benedictione sua cumulatum, tamdem quoque in filium Christianum transferet, cui olim,* Rex Serenissime, *vitae plenus, atque satur lampadem regnandi trades. Ita vovent Maiestatis tuae subditi; & in illis etiam ego. Quem Historiae regni tui conscribendae quum praeficere clementissime sis dignatus, ut hoc meae operae specimen clementissime item excipias, admodum demisso animo Maiestatem tuam rogo. Facies id,* Rex Serenissime, *regnum maximorum exemplo: qui ut viros eruditos in honore habuerunt, sic ingeniorum quoque monumenta, sibi oblata, blanda fronte acceperunt. Et profecto, quantum studiis tua Maiestas pretium ponat, satis clare in hoc ostendit; quod ut ipsa egregie Latinis Literis est imbuta, ita Principem Serenissimum, Christianum, successorem designatum, atque duces illustrissimos, Fridericum, & Vlricum, filios suos, iisdem imbui summo studio curaverit. Nec contenta ea laude, ut nobilitas quoque regni adolescens itidem instrueretur, Academiam hanc Soranam erigendam existimavit; ut deberet Christiano Quarto Dania, quantum antea Primo debuit, qui instituit Hafniensem quam, & ipsam maxime Maiestas tua exornatam plurimis quoque beneficiis obligavit. Adfirmo,* Rex Serenissime, *unum istud non minorem Maiestati tuae gloriam apud exteras nationes & inpraesens peperisse, & deinceps pariturum, quam praeclare belli gesta: immo ista per hoc ipsum famam suam habitura. Etenim sic constitutum est, ut cognitio nulla rerum, quamvis praeclarissimarum, aut memoria apud posteros sit futura, nisi Literarum eae monumentis consecrentur. Illud Archelaus scivit, rex Macedonum; & ut scire, atque dignitatem quoque Lite-*

Literarum aestimare se ostenderet, Iovi Musas exaequavit; & commune ipsi, illisque festum instituit: quod per novem totos dies celebratum, de earum singularum nomine in dies singulos diceretur. Nempe sic existimabat rex egregius; regna quidem summi Dei, quem credebat Iovem esse, beneficio, a maioribus obvenire, verum morte fere obscura terminari: at virtutum gloriam tum demum sempiternam esse, quum victuris eam scriptis viri docti ab oblivione vindicant: Etenim quis nunc Achillem, Alexandrum, licet cognomento Magnum, Iulium Caesarem, aut heroas plures alios, fortitudine, ac gestarum rerum laude excellentes, unquam natos esse sciret, ni memoriam eorum Literae ad posteritatem transmisissent? Quantum regum, etiam sua quondam aetate maximorum, pariter cum rusticis ignobilissimis ignoratur? quorum sceptra & hac in parte mors ligonibus vere aequasse dici potest. Apud Romanos Fulvius Nobilior, allata Ambracia Musarum signa Herculi, communi aede constituta, dedicavit; ea re testatum cupiens, hunc, & illas mutua omnino opera indigere: &, ut Herculis virtutem illarum ore praedicandam, sic earum dignitatem illi defendendam esse. Ac, ne vetera tantum dicam, quae proferre multa possem, avorum memoria, Galliae rex Franciscus I. celebratur; & inter laudes eius plurimas illa sibi primas vendicat, quod in Literas, & earum studium praeseferentes, maximopere propenderet. Convocavit Professores, qui Lutetiae, in Collegio Cameracensi, omnis generis scientias iuventutem edocerent. Bibliothecam quoque struxit luculentam; missis per Italiam, Graeciam, Asiamque, qui impensa longe maxima libros quosque, alias incomparabiles, undequaque quaererent, describerentque, & in Galliam importarent. Insuper, quia sine typis, plane uti sine libris, Literae subsistere nequeunt, etiam Typographiam, toto orbe adeo celebratam, instituit, & Robertum Stephanum illi praeposuit. Eoque facto, industria huius, maius multo ad ipsum decus, quam ex tot praeclare bello, ac pace gestis redundavit: sicut iudicat & vir maximus Iacobus Thuanus, Operis nunquam sat laudati lib. XXIII. *Ac profecto istis rebus id omnino est adeptus, ut, quum principes fere alii titulis ambitiosis, aliunde conquisitis, vanam gloriam sectarentur; ipse, veram solidamque consequutus,* PARENS LITERARVM *dici meruisse censeretur. Huius haeres, quamquam aliquo intervallo, Henricus IV. iure Magnus cognomento adpellatus, cuius vim invictam animi, & peritiam rei bellicae, Maiestas tua raepresentat, quum Petronius Cardinalis, ut narrantem ipsum audivi, Lutetiae Parisiorum ante annos duos & viginti agens, admoneret, eum hoc solo a Francisco I. vinci; quod non Literas, quarum ille summum sese Maecenatem praebuisset, promoveret; ut impleret tamdem gloriam, quam & imperfectam esse agnoscebat, & ingenue fatebatur, animum quoque huc advertit: & in Academia Parisiensi, quasi novam Academiam, regium Collegium aedificare mox constituit; in quo viri, fama clari, undecumque stipendiis amplissimis evocati, iuventutem erudirent. Sed propositum tam praeclarum execrandus parricida intercepit. Tu verò,* REX SERENISSIME, *qui in aliis non iniuria comparari ipsi potes, hac in parte superas felicitate: qui absolveris, quod huic cogitare potius, quam perficere datum fuit. Vnum restat, quod demisso, quantum possum, animo precor, ut Maiestas tua Soram, adeo a se illustratam, meque in ea, cui, e patria evocato, aliquem illic inter Professores locum clementissime esse voluit, porro regia clementia complectatur. In hoc desino; & Deum Opt. Max. veneror, uti Maiestatem tuam diutissime incolumem in vera pietate servet ad nominis sui sanctissimi gloriam, & regni tui incrementum. Sorae, ad diem* VII. *Augusti* CIƆ IƆC XXX.

MAIESTATI TVAE

Humillime subditus
IOANNES MEVRSIVS.

HISTORIAE DANICAE (a)

LIBER I.

Qui complectitur Regnum Chriſtiani I.

HISTORIAM DANIAE ſcribere conſilium cepi, ſine gratia, odioque: quorum cauſas, homo Batavus, nulli caritate obnoxius, aut offenſa inimicus, procul habeo. Principium vero a Chriſtiano I. erit, qui regnorum plurium ſceptra in familiam Oldenburgicam primus intulit; & virtute ſua effecit, ut proceres Danici, quibus nil virtute prius, eam in ipſo amplectentes, regnum, quamquam electione ſemper ſolitum conferri, quaſi haereditarium facerent. Quippe homines animo plane generoſo, quique regibus ipſi ſuis, quibus regna tribuiſſent, nil debere cupiebant. ſic omnino exiſtimabant: non ſe gratiam meliorem reddere bene meritis poſſe, quam ſi filios eorum, quos, praeter paterna merita, virtus quoque, regibus digna, commendabat, ad faſtigium idem eveherent. Qua re factum, ut plus minus centum octoginta annis familia una Daniam omnem, & coniunctas regiones ſua in poteſtate habuerit; tanta quidem moderatione animi, ut res duas, vix coniungi poſſe creditas, libertatem, ac principatum coniunxiſſe cum ingenti ſua gloria viſa fuerit: niſi quatenus nebulam quandam interſparſit ſolus Chriſtianus alter, primi, a quo mihi initium, ex Ioanne filio nepos. Ille enim nec fortunae, neque animi ſui potens, quum, virtutem inſuper habens, quae potiſſimum regum omnium firmamentum eſt, poteſtate abuteretur, regno excidit. Sed de eo proprius dicendi locus ſeſe dabit, quum ad iſtud tempus venero: nunc ad Chriſtianum I. noſtra ſe oratio vertet.

Mortuo Chriſtophoro III. in Elſinburgenſi arce anno CIↃCCCCXLVIII. mox tumultuari Sveci. Siquidem illi, qui Chriſtophori mandato Ianicopiae convenerant, quum de morte eius rumor increbeſceret, perturbati, & conſiliorum incerti, comitia Stocholmum transferunt; illic die praeſtituto adfuturi, & ſuffragia de conſtituendo ſibi novo rege collaturi. Prius tamen, quam diſcederent Ianicopia, Benedictum, & Nicolaum, Ionae FF. dum id tempus exſpectarent, regnum gubernare iubent: ac Ioannem Saliſtaeum (b), Benedicti eius F. in defuncti pridem Nicolai locum, ſummum praeſulem conſtituunt. Iſque ſtatim ipſam arcem Stocholmenſem, regum ſedem, & munitiones quaſque validiſſimas regni, invadit. Ad haec Sveci, Carolo Canuti F. qui Finlandiam tunc tenebat, ſummae ambitionis homine, concitante, quae regina Margareta de regnorum unione ſtatuiſſet, abolere moliuntur. Quae ut Dani accepere, magis ſerio de creando novo rege in ſenatu conſultatum eſt Etenim nec liberi ulli a Chriſtophoro relicti; nec Dorotheae, eius viduae, Svecia tumultuante, tuto regnum ex decreto tradi poſſe videbatur. Erat quidam vir equeſtri dignitate, opibuſque inter danos, & auctoritate, praeſtans: is & nuptias Dorotheae, & per eas etiam regnum appetebat. Verum, quia exemplum hactenus nullum erat, eligendi ex nobilitate regis; & Dorothea, generoſi animi foemina, nuptias plane recuſaret, aut e principum ſanguine virum dari ſibi poſtularet; ac nupturam ſe promitteret, cui regnum a ſenatu datum foret, fruſtra fuit. Itaque, Svecis iam ſeceſſionis ſuae manifeſtis, quum nec ſpei quicquam eſſet de concordia ſarcienda, ſenatus e re publica cenſuit, regem externum ad regnorum Daniae, Norvegiaeque gubernacula advocare; habi-

CIↃCCCC XLVIII.

bi-

(a) Hiſtoriae noſtrae pars ea, quae nunc incipit, erat, quantum ad tres Reges, *Chriſtianum I. Ioannem*, & *Chriſtianum II* attinet, ſexennio integro ab auctore elaborata prius, quam ceteras duas, vetuſtos complexas Reges, haberet paratas. Indicavit etiam ipſe, cum in *Dedicatione* parti *primae* praefixa, tum in ultimae huius ingreſſu ſcriptionem ſuam primitus ab hac ſuſceptam. Prodiit nimirum prior huius editio Hafniae apud *Ioachimum Moltkenium anno* 1630. in forma, ut vocant, *quarta*. Eſt in manibus noſtris eiuſdem exemplar, quod habuit olim poſſeſſorem Virum inſignem, Fridericum Guntherum, Regi glor. mem. Chriſtiano IV. a conſiliis & ſecretis, atque nonnullas Guntheri ipſius manu oris paginarum adſcriptas continet animadverſiones, ex diligenti cum Hvitfeldio comparatione enatas. Filius Guntheri, Theodoricus, (qui, abdicato, quod in Cancellaria Regis Daniae habebat, munere, conceſſit in Angliam, ibique ad extremam ſenectutem privatus vixit, nonagenario tandem maior fato functus,) dono iſtum librum dederat Dn. Ivaro Roſencrantzio, tunc, ante hos triginta annos, Regiae Maieſtatis Dan. & Norv. ad M. Britanniae Reginam Legato, nuperrimeque inter eos, qui arcanis Regis conſiliis aſſiſtunt, primo, immortalibus in patriam meritis, inque litterariam rem beneficiis fulgentiſſimo. Faciam ergo, ut pleraque ibi ſe, quae offerant, annotata, heic fideliter repraeſententur meis qualibuſcumque obſervationibus, ad vitas trium priorum Oldenburgicae Domus Regum interſperſa.

(b) *Ioannem Saliſtaeum*) Saliſtaei cognomen huic Praeſuli adhaeſit a praedio paterno *Saliſta*: cum alias *Ioannes Benedicti filius* (in vernaculis ſcriptis *Ioens Bengtſon*) vocetur. Succeſſerat celebri illi Nicolao Ragvaldi filio, de quo ſuperius occaſione Concilii Baſileenſis meminimus. Refert Ericus Vpſalenſis *Lib.* 5. *pag.* 191. Nicolaum, percepta Regis Chriſtophori morte, lacrymas fudiſſe, moxque in aegritudinem lapſum, paucis inde diebus vitam finiviſſe. Moeroriſque cauſam fuiſſe, quod praevideret, nobilitatem Sveciam in patriae deſolationem ruituram, ait Io: Magnus *Hiſtor. Eccleſ. Vpſal. pag* 102. *ſeq.* Mox ad vacantem ſedem electus ille Benedicti Ionaei filius Ioannes, confirmationem a Papa Felice quaeſivit, atque impetravit: ſed coactus poſtea a Nicolao Pontifice, qui Felici abdicato ſucceſſerat, nova emptione pallium acquirere, increpatus haud leviter, quod illud a Papa ſchiſmatico petiiſſet. Sic Pontanus in *Hiſt. Chriſtiani I. MS.*

CIↃ CCCC XLVIII.

bitoque mox concilio, in Adolphum, ducem Slesvicensem, inclinat; qui accepto a Christophoro hoc Ducatu, regno iam obnoxius esset. Verum ille, impar sibi ipse visus, & sub Margareta pariter, atque Erico, bello diuturno fractus, raro principum exemplo, honorem oblatum quum modeste recusaret, ut gratificari tamen Danis se paratum ostenderet, Christianum his commendat, Diderici comitis Oldenburgici filium, ac nepotem e sorore Hedwige suum, quem a puero educasset. Hac de causa quum legati Didericum adiissent, is respondet: *tres se filios habere* (a), *sed ingenio differentes. Vnum enim, aleae pariter, ac luxuriae studiosum; alterum, ad bella iusta, aut iniusta, animo, & manu promptum: tertium, metiri ratione cuncta, nec quid inconsulto gerere; bella, nisi necessaria, detrectare; pacem ante omnia ferre; liberalitate denique, fortitudine, & clementia, nemini secundum esse. Haec senatui referrent; se, quem ipse praetulisset, mox missurum.* Quae legati quum reversi nuntiassent, Christianum, cuius hae virtutes erant, adeo a Diderico ipsis patre praedicatae, postulare visum fuit. Nam, dum haec a Danis fiunt, Sveci, qui defectionem instituerant, ac, praefectis iam duobus constitutis, a decreto Margaretae sese palam segregaverant, ad comitia, quae Stocholmi indicta erant mense Maio, perfrequentes convenere. Inter illos Carolus Canuti F. etiam fuit, regno inhians, militumque, ac clientum magno numero stipatus. Atque quum hospitium gubernatoris sibi in arce apud novum Archiepiscopum Salistaeum occupasset; omnia urbis aedificia, magis ampla, & munita invadebat; specie quidem, ut familiam in his suam collocaret; sed revera, uti adversantes sibi in petitione regni, si res arma forte posceret, ex iisdem oppugnaret. In conventu, dum consilia agitantur, dissedere; parsque sic existimabant, *neque utile, nec honestum in praesens posterumve esse, ut electio novi regis eo tempore, sine ullo procerum Daniae, ac Norvegiae consensu haberetur. Quin hanc differendam esse, dum regnorum trium proceres, iuxta foedus sub regina Margareta constitutum, convenirent, idque omnino faciendum; quum ut ista ratione publicae tranquillitati, tum ut etiam conscientiae, quam obstrinxerant, consulatur. Etenim iurasse omnes uti, decedente rege trium horum borealium regnorum, mox Galmstadium eorundem quoque proceres, ad creandum successorem convenirent; & hoc conscientiae vinculum non tam temere negligendum sibi esse. Si quis inhoneste agat, eum famae apud homines suae detrimentum ferre: at periurii certo Deum ultorem fore. Quod si tamen contra fidem, & iusiurandum seorsim sibi regem constituere velint, saltem ne tam calide agant: siquidem in re tam gravi, in qua subditorum salus, aut pernicies versaretur, nil praecipitandum esse. Itaque sedulo providerent, ne quid imprudenter statuant, cuius postea partim ipsos, tum indigenas regni omnes paenitere semper possit.* Hanc sententiam tuebantur Benedictus, unus e gubernatoribus, & Ioannes Salistaeus, eius filius, Archiepiscopus Vpsaliensis designatus, & Episcopus Strengenesius; aliique item plures, viri cum auctoritate, tum prudentia excellentes. Verum contra vehementer contendebant, Carolus Canuti F. & Ericus, alter e gubernatoribus (b); isque primo invehi in Salistaeum; *quod negotium, toti Sveciae salutare, impedire conaretur: nam electionem regis, quo celerius peragatur, hoc utilitatis amplius universis allaturam. Periculum in mora esse; & paratis nocuisse, quod differrent: nec deinceps alium conventum ullum expectari oportere. Ita Danos, quum Ericus Pomeranus, regno profugus, in Gothlandiam se reciperet, in decretum hoc peccasse: & Christophorum, nec comitiis indictis, nec consensu Sveciae procerum exspectato, e Bavaria advocasse.* Et haec quidem cum contentione tanta animorum agitata, ut se partes in apertum saepe campum, ad rem pugna dirimendam, provocarent. Tandem quum hi praevalerent, qui creari novum regem, neque moram interponi cupiebant, novo exemplo constituti

Qua-

(a) *Tres se filios habere*) Nihil horum apud Hvitfeldium, uti neque apud Oldenburgicos scriptores legitur. Meminit tamen Pontanus in *Tomo altero Historiae Danicae*, adhuc inedito, his verbis: „ Tradunt alii, auctore, quem sequuntur, non „ addito, patrem Christiani Didericum a delegatis hoc nomine „ conventum, omnium primo respondisse, esse sibi tres filios, „ & quidem iuniorem utrumque, hunc ad aleam & commessationes, illum ad iusta iniusta bella aeque promptum paratum„ que: at tertium consilio magis, quam impetu duci „ &c. Ea vero Pontanum aliunde, quam a Meursio accepisse non crediderο. Erant enim Meursii iam tres illi libri editi, quando Pontanus, absoluto priore suo volumine, quod in Christophoro III. desinit, ad alterum scribendum se accinxit. Meursius vero auctorem colloquii Diderici cum legatis Danicis habuit Ioannem Svaningium, in cuius *Historia Christiani I. MS.* iste locus sic conceptus: „ Theodoricus, princeps inprimis sapiens, „ postquam legatos Danorum audisset, magnifice tractatos, at„ que a se dimissos, Senatui per eos renunciat, tres quidem se „ habere filios, virtute, robore, atque statura insignes, sed natu„ ra, ingenioque dispares; Primum aleae, atque gulae imprimis „ studiosum: Secundum ad gerenda bella iusta, vel iniusta pari „ animo, atque manu promptum: Tertium omnia ratione me„ tiri, cunctatiorem, quam velociorem ad res gerendas esse; „ qui contemptis illecebris corporis omnibus, ac bella non ne„ cessaria defugiens, pace, & quiete nihil duceret antiquius, for„ titudine, clementia, & liberalitate nulli cedens. -- Danis inte„ rim liberam permittit optionem, ex tribus unum filiorum, „ quem maxime cupiant, missurum se pollicitus. - - Dani, etsi „ a iocis ludisque penitus non abhorrerent, nec militiae laborem „ subterfugerent, tamen praeterito lusore, ac posthabito bella„ tore iniusto, *Christiernum* pacificum, & natura sobrium Re„ gem sibi petiverunt. „ Haec Suaningius. Cui vero ut fidem habeat nemini tantisper suadebo, dum nullum prorsus modum video narrata haec conciliandi cum historicis Oldenburgicis, qui Didericum Christierni patrem multis ante annis, quam de filio ad regnum vocando cogitari posset, fato functum referunt. Nonne enim Io: Schippowerus expresse disserteque dicit, „ Anno Dn. 1440. ipso die Valentini Archi-Comitem „ Didericum in castro Delmenhorst subitanee mortuum, & nocte „ in Oldenburg ad Ecclesiam S Lamberti delatum, illique apud „ Coniugem suam sepultum, quae dudum antea defuncta fue„ rat. „ Hermannus quidem Hamelmannus in utroque opere *de Comitibus Aldenburg* tam Germanico, quam latino, notat alios nonnullos mortem eius referre ad an. 1444. verum nullos serius. Igitur si quid veri insit colloquio illi, & deliberationi cum legatis Danicis, nec pro mera fictione habere velis, oportet ut Adolphus Dux Slesvicensis loco Diderici intelligatur, qui Sororis suae filiorum talem descriptionem dederit.

(b) *Ericus alter e Gubernatoribus*) „ Miror, unde hic novus gu„ bernator; nam ipse paulo ante nos docuit, constitutos Bene„ dictum, & Nicolaum, Ionae filios. Neque aliter etiam Hvit„ feldius. „ *Frid. Grunther*. Ericus revera gubernator non fuit, sed filius alterius fratrum, regnum administrantium, Benedicti scilicet. Isque Ericus tam a patre patruoque, aversos a Carolo Canutio regni Mareschallo animos gerentibus, quam a fratre Archiepiscopo dissentiens, in hunc invectus fertur oratione heic a Meursio inserta, cui haud absimilem refert Loccenius.

Quatuor viri (a), duo Episcopi, totidemque e proceribus, quibus cura, & potestas novi regis eligendi demandata. Ac, quum illi tres legissent, atque inter istos Carolum tertio loco; is, ut erat maxima cupiditate regni flagrans, clam effecit (b), ut suffragia, & cum iis regnum quoque interverteret: Salistaeo, qui habendam patris sui Benedicti rationem hic fuisse ante caeteros censebat, indignante, & Vpsaliam abeunte, neque regem salutare cupiente. Quanquam tamen, ut collegii sui sodalibus, valde illud postulantibus, morem gereret, & Stocholmum mox redierit, & in verba item eius iusiurandum exhibuerit; etsi presso potius in tempus odio, quam deposito. Quae Stocholmi postquam gesta, Vpsaliam profectus Carolus, mense Iunio extremo eiusdem anni, ad Morasten, ubi Svecis reges suos olim legere usitatum, rex Svecorum, Gothorumque salutatur; Iulioque insequente ineunte, Vpsaliae a Salistaeo Archiepiscopo coronatur. Inde, Stocholmum regressus, milites bis mille legit, ac his duces, Magnum Grenum, ac Birgerum Trollum imponit; simul mandat, ut Ericum pridem regem, in Gothia insula commorantem, adgrediantur. Iam Ericus nonum illic annum agebat, ex quo Dania excesserat; quin & multa inde damna Svecis dederat; ideoque iubet Carolus, *si succederet conatus, in id sedulo incumbere, uti arma, & thesaurum omnem regium, quem is secum exportasse credebatur, recuperarent; neque pacem, aut inducias ullas facerent, nisi se, & sua omnia sine exceptione dederet* Summa cum alacritate expeditio haec suscipitur; atque laetabantur Sveci, tamdem advenisse diem, quo suorum tot iniurias ab Erico rege illatas, spoliaque ultum irent. Itaque, conscensis navibus, quum in portum Flenavicum adpulissent, ocius in terram excendunt; & obiectos ab Erico, qui exscensu prohiberent, levi pugna in fugam agunt. Inde longius progressi, profligatis quotquot arma contra ferrent, demum ad Visburgum urbem castra ponunt, eamque obsidione cingunt. Inter ista, postquam accepissent Dani, quae in Gothia gererentur, Carolo legatos mittunt, in Holandia tunc agenti; quo auxilia, si res posceret, suis promtiora essent. Postulatum a legatis, *uti copias revocaret, neque porro Gothiam infestare vellet. Quippe eam a rege Valdemaro III. bello victam, ac redemtam a Margareta, postquam illam rex Albertus ordinis Teutonici militibus oppignorasset, Daniae, non Sveciae iuri subiacere. Itaque, si postulata recusaret, neque exercitum deduceret, Christianum ad iniuriam propulsandam armis experiri certum.* Quibus Carolus respondere: *Gothiam, de qua contendebant, Svecicae ditionis esse. Itaque religione iuramenti, pridem regno Sveciae dati se teneri, si quae interversa essent, aut erepta, nec restitui aliter possent, ea armis ut repeteret. Qua de causa ita nuntiarent suis, se exercitum revocare neque posse, neque velle, antequam Gothiam, quam ad Sveciam pertinere, & ademtam ei esse, persuasissimum haberet, recepisset.* Quo responso, placuit proceribus Daniae Christianum, paulo ante regem electum, advocare. Isque postquam advenisset IV. Kalend. Octobris, ante Lundiam, in Trollebarolbio colle (c), prisco electionis loco, frequentissimo conventu, acce-

(a) *Constituti Quatuorviri*) „ Haec aliter Hvitfeldius. Tres in „ electione fuisse, & constitutos duos Episcopos, & totidem E- „ questris ordinis, qui suffragia colligerent; tulisse autem Caro- „ lum maiorem suffragiorum partem „ *Frider. Gunther.* Recte animadversum. Neque enim res aliter gesta, quam narrat Hvitfeldius, ipsis Svecis adtestantibus. Nempe, quum constitutum esset, non exspectato Danorum consensu statim ad electionem procedere, plerique procerum Holmiae congregati „ tres designarunt candidatos, quorum primus Carolus Canuti, „ regni Sveciae Mareschallus, reliqui duo, sive Benedictus, & „ Nicolaus Ioansoni fratres, sive Ericus, & Christiernus, ho- „ rum filii. Itaque suffragiis a Praesulum binis, & totidem E- „ quitibus iureiurando obstrictis, quantocyus cumulatis, 63. Ma- „ reschallo, ceteris dumtaxat quinque obtigerunt. „ Verba sunt Messenii *Analectorum lib.* 2. *seu Tom.* XII. *pag.* 258. Neque aliter *Chronicon Rhythmicum pag.* 379. Loccenius Carolum 66. virorum suffragiis electum, scribit.

(b) *Clam effecit, ut suffrag.*) Testatur & Loccenius, non defuisse, qui ambitu, & suffragiorum corruptione evectum adfirmarent.

(c) *In Trollebarolbio colle*] „ De hoc colle, ubi sit, quamvis „ diligenter inquisiverim, nihil potui rescire, nisi quod eodem „ die, quo ista ante Lundiam gesta hic narrantur, Hvitfeldius „ refert Christianum Wiburgi subditis, & Ordinibus regni iu- „ ramento se obstrinxisse, *pap.* 7. Sed Hvitfeldius in vita „ Friderici I. narrat status Daniae ei Regi iuramentum praesti- „ tisse sub dio in Lybershoey, *pag.* 42. „ *Frider. Gunther.* Certum puto, nullum alium hic intelligi collem, quam *Lybershoy*; cuius tamen loco Svaningius heic *Trollebarolhoy* posuit. Vnde aliquis existimarit, geminum colli nomen fuisse; nam ultima utriusque vocabuli pars *Hoy*, Danice *collem* significat, ac Meursius in Svaningii scriptura lectu satis difficili *h*, pro *b*, cepit. Svaningii verba sic habent: „ Anno „ eodem, quo fato functus est Christophorus - - die 38. „ Septembris ante Lundiam in colle *Trollebarolhoy*, antiquo ele- „ ctionis loco, in frequenti regni conventu, iuramento ab „ omnibus praestito, atque a summo regni Antistite D. Tuone, D. Iohannis Laxmanni successore, regni vexillo accepto, Daniae, & Norvegiae Rex salutatur. „ Idem tamen Svaningius in eodem libro versus finem, agens de electione Regis Iohannis, factam eam dicit ante Lundiam, oppidum in colle, „ quem vulgari lingua *Leyebordhoy* nominant. „ Iam olim, (ne de Frid. Gunthero miremur,) duos celebres antiquarios, Olaum Wormium, & Steph. Ioan. Stephanium, solicitos ea habuerunt cum loca tum vocabula, sicut videre est ex Wormii *Monum. Danic. lib.* 1. *cap.* 12. *pag.* 88. *seq* Hic vir patriae rerum studiosissimus, qui & Canonicus Lundensis fuit, totamque eius urbis viciniam tam bene, quam domum suam noverat, dicit tamen se diligentius in haec loca inquirentem, Mercurium invenire haud valuisse, ea qui discrete demonstraret. At vero Svaningio auctoritatem minus defuisse, plane liquidum ex *Chronico Episcoporum Lundensium*, quod Thomas Bartholinus nepos anno 1709. ex duobus Cod. MSS. Bibliothecae Acad. Hafn. edidit. Ibi enim ex uno MS. sic exhibetur: „ Anno Domini MCCCCXLVIII. in profesto B. Mi- „ chaelis Archangeli Dominus Christiernus Comes in Oldenburg „ & Delmenhorst in Regem Daciae in placito generali Lundis „ eligitur, & in monte *Treleiebardhoy* confirmatur. „ Ex altero autem Codice: *in monte Treloyeborg*. Nam quod in editione Ludewigiana est *Reliquiar. Tom.* IX. *pag.* 173. *Freloyeborg*, mendosum. Doctissimus editor *Bibliothecae Sveticae*, Rostochii anno 1729. editae, testatur *pag* 202. sibi Codicem visum eiusdem *Chronici*, in quo legatur *Troloyebantzhoey*. Interim aliud & incerti quidem auctoris *Chronicon*, sub Christierno II. Rege, ut adparet, conscriptum, in eadem *Sylloge Danicorum* Dn. de Ludewig *num.* V. *pag.* 134. memorat *Christiernum I. in Parlamento generali Lundis electum*, & in monte *Liberrigshoygh* confirmatum. Recte, ut puto, *Lyberrigs*, unde scilicet alterum illud *Lybers* contractum. De altero vocabulo mea est coniectura, genuinam scribendi eius rationem fore *Trollebarashoy*, ac fortasse ortum traxisse a plebeia, & ad affanias priscorum seculorum referenda fabula, de daemone illo (vernacule *Troll*) vicinum Lundiae collem inhabitante, qui sancto viro, in aedificio templi Lundensis occupato, operam suam locavit, ac mercedis loco oculos eius poposcit, filiolo suo, quem in colle nutriebat, adportandos; sed spe sua frustratus, sanctique illius viri miraculo in lapidem, quem hodienum ostendunt, figuram daemonis referentem, conversus. Exstat vetus illa fabula in Iani Laurentii Wolfii *Encomio regni Daniae*, libro vernaculo, Hafniae an-

CIↃCCCCXLVIII.

pto ab omnibus iuramento, & vexillo item regni ab Ivone Archiepiscopo [a], rex a cunctis Daniae, Norvegiaeque salutatur. Dum haec fiunt, Sveci oppidum Visburgum, item arcem, arte, & natura loci permunitam, obsidere non desistunt. Rex Ericus, qui exilii voluntarii sedem sibi hanc elegerat, & futurum id praeviderat, ut tueri sese posset, commeatum non exiguum, & praesidium imposuerat. Itaque, quamquam summis viribus oppugnatus, diu impetum substinuit; verum tamen, quum deficere commeatus tamdem inciperet, civibus tueri urbem suam iussis, ipse in arcem hanc, quam posset diutissime defensurus, se recepit. Eo facto, fatigati tot laboribus, & vigiliis oppidani, animis quoque fatiscentes, neque ultra hosti pares, cuncta negligentius agere, nec frequentes, uti ante, in munitionibus suis adparere. Quae ut Sveci advertere, pridie nonas Decembris, quarta iam vigilia noctis, scalis clanculum admotis, muros scandunt, & in potestatem suam urbem redigunt, antequam id scirent cives, aut ad arma convenirent. Quin & arcem expugnassent, ni Ericus hostium clamore excitus, illico iussisset suos arma capere, & pro vallo excubare. Itaque illi, capto oppido contenti, arce adeo munita abstinuere. Rex, quum dies illuxisset, urbem in hostis potestate esse videns, neque sibi ad ferendam obsidionem commeatus sat restare; convocatis statim suis, quid deinceps faciendum quisque putet, percunctatur. Ac, collatis mox consiliis, ipse statuens, quod periculo tam praesenti expedire videretur, quum exercitus Svecici duces ad colloquium evocasset, in hunc modum verba facit: *Non exiguam se debere Danis gratiam, qui quum regnum suo potius consilio, quam illorum ulla iniuria reliquisset; & quietis suae causa, post labores tot annorum in hanc insulam secessisset, numquam bellum intulissent, neve inde eiicere conati essent, contra, de Svecorum in se pervicacia pariter, atque levitate, non immerito queri posse, qui in ipsum, modo Engelberto duce, modo aliis concitantibus, toties insurrexissent; idque nulla iuramenti, quod dedissent, ratione. Denique, nunc item Carolo, in opprobrium ingens Sveciae, violato iuramento, regni decus adfectanti adhaerentes, quietem suam medio degentis mari, procul regno perturbare voluissent. Multo melius, & honestius illis fore, si quietem cupienti regi suo, cui fidem, & obsequium olim omnes obstrinxissent, pacem darent, neque insulam tam exiguam, quam ad vitam ex dignitate transigendam elegisset, manu armata ereptum irent.* Quumque responderent Sveci: *non misericordiam ullam, aut effugium dari posse, nisi se, & sua omnia statim dederet;* blandiore oratione ita eos delinivit, ut inducias concederent. Per quas undique comportato commeatu, ita arcem communivit, ut obsidionem inde, quamvis longam, facile substinere posset; Magno Greno, uno e Svecorum ducibus, fortem regis miserante, & ad omnia connivente. Quumque finem iam induciae pene habiturae essent, pacem ipsi conditione aequiore obtulerunt. Nempe, *ut excederet arce, seque cum thesauro suo, aliisque rebus omnibus, ac familia, in quemcumque vellet locum, transportaret.* Quippe Carolus, postquam suos oppidum cepisse accepit, crebris literis imperaverat, *ut de arce cum Erico qualibet conditione paciscerentur.* Etenim sic existimabat, *hac recepta, gloriam insulae regno Sveciae restitutae suam fore.* Sed Ericus, qui iam arcem commeatu copioso instruxisset, ideoque etiam animum confirmasset, insuper habitis, quae obferrent, clam a rege Christiano auxilium petit: *quod si mittat, multo se libentius Danis, ad quos insula ipso iure pertineret, arcem dediturum esse. Nullo modo in Svecos animum inclinare, qui, quum a communi foedere contra iusiurandum suum desciviessent, etiam sibi curis, ac laboribus fracto, arma infesta intulissent.* Aliae praeterea causae, cur Ericus arcem tradere Danis mallet, ferebantur. Quidam, *Caroli arrogantiam, odiumque in Ericum* memorabant. *Quippe ducibus eum suis imperasse, uti, arce, insulaque expugnatis, diligenter providerent, ne Ericus quoquam evaderet; quin captivum cum thesauro universo ad se ducerent. Insuper in Bornholmio arce* [b]*, in Oelandia generum suum Ericum, quod favere regi Erico videretur, comprehendi, & custodia detineri praecepisse. Denique ipsius quoque odium Erici in Carolum, qui rebellionem varie, quum sub eo, tum Christophoro successore, & nunc etiam Christiano concitasset.* Christianus, cognito Erici studio, non id negligendum ratus, neve ipsum adeo graviter laborantem deserendum, expedita statim classe, & instructa, Olaum Eschilli [c] equitem auratum, magnae tunc auctoritatis, ducem addit; cum mandato, *ut in Gothiam eam duceret, & Erico illic regi, arcte admodum obsesso, opem contra Svecos ferret; tum ab eo arcem acciperet, ac praesidio*

no 1654. impresso. Hinc *Trollebarnshoy*, i. e. *Daemonis pueri collis*. Atque, si sancto illi viro *Liborii* nomen dederis, (quum inepte hic fingatur S. Laurentius, templi quidem patronus, sed qui in Scania haud vixit) facile ad alteram collis adpellationem provenies *Libershoy*. Testes insuper habeo, qui adserunt, collem eumdem a rusticis vocitatum *Slibershoy*, forte, quod antiquitus scriptum invenissent *S. Libers hoy*. Sed haec gerras sapere germanas, atque putidas dices; egoque haud contradico, modo concedatur, dari, & aliorum locorum adpellationes, haud utique speciosiores, veras tamen, & ab insipida plebe, penes quas talium utplurimum est arbitrium, impositas. Ceterum quis meliorem expositionem a nobis deposcat, locorum Scaniae prorsus imperitis, praesertim quum Wormius, adprime eorum gnarus, nihil quod ad rem faceret, valuerit expiscari?

(a) *Ivone Archiepiscopo*) Manifestus error; sed in una litterula *I*, pro *T*. Nam *Tuo* vocabatur, vel *Tuve*; seditque ab anno 1443. ad 1472.

(b) *Bornholmio arce*) Corrig. *Borkholmio*. Sic enim dicitur arx illa Oelandiae. *Bornholmia* vero nomen insulae, haud paulo celebrioris, ac prorsus diversae ab Oelandia. Quod non satis adtendentes Meursius, paucique alii saepe offenderunt, in duobus illis *Bornholmia*, & *Borkholmia* confundendis, eumdemque errorem crebro observabis in sequentibus.

(c) *Olaum Eschilli fil.*) „Hvitfeldius *Olaum Axelson* nominat.„ *Fr. Gunth.* Recte. Sed credebat Meursius, male formatos Svaningii characteres hoc loco *Eschilli* nomen repraesentare, cum *Axilli* scriptum. *Axel* nomen proprium apud Danos, solet modo *Axelius*, modo *Axillus*, *Accilius*, nec raro *Absalon* latine reddi. Ericus. Olai Upsalensis virum, de quo hic agitur, *Olaum Axelson* vocat. Vid. de eo Messenius *Chronol. Scond. Tom. 4. pag. 4.*

CIↃCCCC XLVIII. *dio communiret; ipsum vero cum familia, ac thesauro, sarcinisque quibuscumque, vel in Daniam, vel in suam Pomeraniam, si id* CIↃCCCC XLIX. *mallet, salvum abduceret*. Atque is, ut iussus erat, anno proximo circa Pascha oram solvens, quum ad insulam adpulisset, evocato in navem suam Magno Greno, Svecici exercitus duce, ac sermone perbenigne aliquamdiu collato, mox ad portum classem adplicat, & in arcem inde adscendit. Quam Ericus postquam ei tradidisset, is acceptam, commeatu, ac praesidio communit, classem B repetit, & abductum inde Ericum Burundiam vehit (a). Vbi paullum quiescentem proceres Daniae quidam adeunt, ac demissis verbis orant, ut redire illuc velit, Falstriamque insulam (b) multo fertilissimam, silvis, agris, pabulo, pecore excellentem, ac ad vitam, uti rege dignum erat, transigendam sufficientem, aliaque multa obferunt. Et adquievisse eum in principio sunt qui tradant, sed mutasse mox sententiam; atque parvo cum suorum comitatu, sive, uti alii volunt, Da- C nis ipsum honorifice deducentibus, Rugenwaldiam Pomeraniae concessisse; ac, quod vitae reliquum erat, in tranquillitate summa, nulla umquam cuiquam lite de regnorum iure mota, exegisse. Et est certe verosimile animi generosi principem, abdicato semel regno, noluisse huc redire; ut, contentus parva quadam eius insula, quamquam bona, ac foecunda, prius universi dominus, lege aliena viveret, ubi sua consuevisset; ideoque terram patriam, quae, quantumvis inamoena, D sterilisque fere gratior esse solet, ad privatam illic vitam sine curis exigendam praetulisse. Postquam vero, abducto e Gothia Erico, Dani acceptam ab illo arcem muniissent, iterum eam arcte Sveci obsedere, frustra Carolum admonente Christiano, ut a sui iuris arce vim, & arma abstineret. Dani, qui praesidio erant, quum in mediam usque aestatem tenuissent, ac deficere commeatus iam inciperet, nuntiant regi, *in quo rerum statu essent: si mature subveniret, tolerari* E *obsidionem aliquamdiu ultra posse; sin diutius cunctaretur, in discrimen omnes summum abductum iri; & evadere minime posse, quin se, atque arcem dedant*. Indignatus Christianus, armis coercendum statuit, cui nulla ratione persuadere potuisset, ut deponere arma vellet. Itaque conscripto exercitu, quem ad hostem debellandum satis esse existimaret cum ducentis navibus (c) bellicis pariter, atque onerariis Gothiam petit. Adducebat veteranum regni militem, & Holsaticae iuventu- F tis etiam florem, cum Adolpho duce Slesvicensi avunculo. Quum adpropinquaret insulae, Olaum Eschilli F. (d) quo in liberando Erico, & accipienda arce, uti dixi, usus fuerat, ad Svecorum duces mittit exploratum, *an ad se transire vellent; sin id obtinere posset, saltem insula decederent sine iniuria incolarum*. Isque, sicut iussus erat, mox in portum Vestergarnium (e) navem adpellit; ac, vocatis ad se ducibus, & in istis Magno Greno, quae mandata a rege exponit. Illi postquam intelligerent, advenisse cum armata manu regem, inducias sibi in XXIV. Iunii (f) dari petunt, hac conditione quidem, *uti Sveci urbem, & insulam, Dani arcem, ut possidebant, sic interea possiderent; tum utrimque dandos iudices, qui de iure partium pronunciarent. Id si ratum ipsi vellent, se habere; sin abnuerent, alias conditiones, quas vel ferrent, vel acciperent, nullas esse*. Irritatus hoc responso Christianus, ferro experiri statuit; itaque arma expedire, & ad pugnam se parare suos iubet. Tum, admotis propius ad arcem navibus, copias in terram exponit, & in hostem, qui subiectam arci urbem occupaverat, inde ducit. Diu utrimque acriter pugnatum fuit; donec tamdem Christianus ignem iniicere in urbem iubet. Vnde, quum haec passim arderet, consternati animis Sveci, stationibus discedentes, in munitiora quaeque aedificia, quae permulta illic erant, solido exstructa lapide, cum fenestris, ianuisque ex ære factis, se recipiunt. Inde Dani, muro effosso, nullo prohibente, irrumpunt, & in potestatem suam urbem, atque hostem redigunt; caesis mille octingentis, captis pluribus, & in his non paucis item e nobilitate prima. Quos benigne quum haberet Christianus, & ad foedus Margaretae reparandum hortaretur; atque illi adiuturos se spondérent, si incolumes dimitteret, induciis in Maium anni insequentis (g) constitutis, ut benevolentiam eorum omnium sibi obstringeret, sine pretio liberos abire sinit. Post quae, rebus ordinatis, & praesidio opportunis insulae locis collocato, Daniam suam victor repetit. Atque haec gesta mense Iulio desinente, & Augusto ineunte. Insequuto inde Octobri ad XXXVIII. diem (h) a Tychone (i) summo Daniae antistite, rex sacratus Christianus, & Dorotheam viduam Christophori regis, matrimonio sibi iungit; celebratis magno adparatu nuptiis, in conventu legatorum principum extraneorum, & Vandalicarum urbium, procerumque item regni frequentissimo. Quae dum fiunt, Carolus, uti cladem pridem in Gothia acceptam vindicaret, militum parata manu, in Norvegiam magnis itineribus tendit, atque ibi, concitata in nobilitatem plebe, id effecit, uti ea Sve-

(a) *Burundiam venit*) Intelligit *Bornholmiam* insulam, cuius nuper meminimus, alias *Borringhoim*, ac in priscis Norvegorum, & Islandorum scriptis *Borgundarholm*.

(b) *Falstriam insulam*) Nihil de hac oblata conditione Hvitfeldius, aut ceteri nostrates. Sed in *Chron. rhytmico Svec.* inter alias memoratur *pag.* 385. nec non Messen. *Tom.* XII. *pag.* 259. & *Tom.* IV. *pag.* 3.

(c) *Cum ducentis navibus*) Hvitfeldius tantum 150. numerat maioris, minorisque ordinis.

(d) *Eschilli f.*) Corrig. *Axilli f.*

(e) *Vestergarnium*) Parvae insulae nomen, ex multis iis, plusquam viginti numero, Gothlandiae adiacentibus, ubi plerumque portus commodi. Vid. Io. Nic. Sterlovii *Chron. Guthilandiae pag.* 209. ac praeterea eiusd. libri *pag.* 2. ubi cum *Vestergarnium*, tum & oppositam ei aliam *Ostargarnium* habes. Conf. & huc *Chron. Rhytm. Svet. pag.* 387.

(f) *In* XXIV. *Iunii*) Scil. anni MCCCCXLIX.

(g) *In Maium anni inseq.*) Error est. Nam pactae omnino induciae sub conditione, ut ad festum usque S. Martini anni insequentis durarent. Ita non solum Hvitfeldius, sed & litterae super hac re confectae habent.

(h) *Ad* XXXVIII.) Corrig. XXVIII.

(i) *A Tychone*) Corrig. *a Tuone*, sicuti superius adnotatum.

CIƆCCCCXLIX.

ea Svecorum exemplo usa, contra priscum regni foedus, quamquam valide obnitente nobilitate, in Nidrosiensi urbe regem ipsum constitueret, fideique iusiurandum exhiberet. Quo peracto, quum Danorum in Sveciam irruptionem pertimesceret, ordinatis omnibus rebus, ac mandata Ivaro Flogae (a), & Aslacho Turonis F. praefectura, qua celeritate venerat, retro cedit. Haec quum essent Christiano nunciata, isque, Danis bello Holsatico sub Erico, ac discordia intestina sub Christophoro valde adflictis, nihil magis pace expedire crederet; & hanc ipsis in principio regni sui procuratam plane cuperet, a Carolo per legatos petit, *ut Halmstadii ad consilia de constituenda pace conferenda, fide publica adesse velit. Se paratum, si accedat, & conditiones aequas non recuset, pacis, ac concordiae causa quidvis facere; nec futurum dubitare, quae iniqua nunc putentur, si exacte in conventu perpendantur, quin utrimque aequiora sint censenda. Quod si ipse adesse haud posset, tum e suis plena potestate instructos ablegaret, quorum fidei, ac prudentiae universam rem committeret. Id si faceret, sese curaturum esse, ne concordiae sarciendae defuisse iudicari a quoquam possit.* Insuper mandatum addit: *agerent cum senatoribus, ut ad eam amplectendam Caroli animum conformarent; tum suaderent, ut ad praestitutum tempus, aut adesse sine mora ipse vellet, aut legatos suos mitteret.* Quae quum illi in senatu exposuissent, is respondet: *Carolum quidem, quominus adesset ipse, negotiis regni prohiberi, at legatos tamen adfuturos esse.* Haec reversi quum referrent, Christianus mox ad iter se parare; Carolus vero evocare regni proceres Arbogam, & duodecim ex his legere, qui Halmstadium (b) ad conventum ibi indictum, se conferrent. Postquam utrimque convenissent, graviter expostulare Christianus: *quare Carolus, non necessitate ulla, sed libidine dominandi, contra foedus, literasque omnium ordinum iuramento confirmatas, regnum Sveciae occupasset. Ea re effectum esse, ut deinceps factionum, & bellorum intestinorum semina sint habituri. Etenim exemplo isto, unumquemque inter ipsos, ut potentia eminuerit, ita, ceteris oppressis, regnum invasurum esse. Praestitisse, si concordia inter tria ista regna sarta tecta, & decretum Margaretae, de coniunctione eorum, in quod sese iuramento obstrinxissent, inviolatum permansisset. Ita futurum fuisse, uti domi, melius legum maiestatem a superbia, & contemtu transgressorum vindicarent; foris vero propulsatis hostium armis, aut cohibitis, publicam quietem suam, & existimationem tuerentur. Insuper iniuria summa nuper adeo Norvegiam. quae hereditario iure ad coronam regni Daniae pertineret, occupatam; ut adpareat, quando nulla belli causa iusta exstet, etiam iniustam quaeri. Quasi vero, qui a Carolo pridem in Svecia concitati motus essent, contra procerum voluntatem, regno in potestatem suam per suorum vim, & fraudem redigendo, ad movendum bellum aliquod intestinum non sufficerent. Potius cogitandum fuisse, tria haec regna a regina Margareta, summo omnium consensu, non idcirco foedere tam sancto iuncta, uti, dissoluto illo, homo aliquis privatus, avaritia, & ambitione praeceps, pro libidine animi sui haec disiungeret, ac seorsim sibi quaereret; verum, ut defuncto rege, lecti e singulis regnis viri quadraginta, loco ad id designato convenirent; ac, collatis mox consiliis, unum universis regem, de sententia plurimorum, constituerent; qui & subditos certis legibus gubernaret, & adversus vim externam qualemcumque tutaretur. Itaque hortari ipsos, ut in medium consulentes, bellum imminens, quaeque illud fere comitari solent, caedes, atque vastitates, pro prudentia sua egregia averruncent.* Haec quum gravi oratione Christianus explicasset, Sveci iam pertaesi Carolum, qui ad solium vi, & fraude etiam invitis plurimis, certe non consentientibus, pervenisset; ac si regnum administraret, publicae utilitati, ut privatam anteferret; potiusque vi imperium stabilire, quam benevolentia vellet; Christiano sic respondent: *Pace sibi, & concordia nihil sane prius esset & facturos, ut Norvegiam nullo iure occupatam, Carolus reddat; tum & Sveciae regno cedat, modo praefecturam eius indulgere ipsi velit.* Ad quae rursum Christianus: *se, inprimis publicae tranquillitatis studiosum, eius causa quidvis cupere, modo ipsi, quod promiterent, mox in Sveciam reversi, etiam effectum darent.* Illi, qui se plenam a Carolo potestatem accepisse reputarent, & haec Sveciae expedire existimarent, iterum ea pollicentur, atque addunt: *aut se Carolum, ut subscribere hisce abs se actis velit, inducturos, aut in Daniam ad custodiam redituros.* Sed ad Carolum reversi, postquam gesta retulissent, ille in maiorem modum ira incensus, apud omnes clamitare, *in negotio regni publico minus bona fide actum, & muscipulam sibi positam, ut vel caperetur ea, vel quocumque vellent tempore, Svecia eiiceretur. Itaque cavendum sibi summo studio, ut insidias, quas parassent, evitaret.* Inde, palam eos taxans,

CIƆCCCCL.

quos Halmstadium ablegaverat, Calmariae conventum indicit; ac, neglectis iis omnibus, ceteros regni senatores, quos addictos sibi sciret, illic convenire iubet. Tum & novo eos iuramento obstringit, neque quidquam, muniendo principatui necessarium, praetermittit. Inde Nicolao Ionae arcem primo Orebroensem, paulo ante ipsi traditam, mox Nicopiensem adimit. Quam rem quum & Archiepiscopus, & complures optimates regni alii aegre ferrent, capta hinc occasione, ad Christianum transiere. Erant in eorum numero Magnus Grenus, copiarum contra Ericum pridem ductor; Tycho Episcopus Scarensis, Benedictus Ionae F. ante coronationem Caroli gubernator regni; Gustavus Olai, Gustavus Laurentii, aliique viri, loco, & or-

(a) *Ivaro Flogae*] Loccenius *Edvardum Muscam* nominat. *Chronic. Rhytm.* Ervar. *Ftuga*, in Hvitfeldii *Chron. pag.* 21. praenomen ei *Einer*, mendose.

(b) *Halmstadium*) Conventui Halmstadii habito perperam heic annus adsignatur 1449. quum ad ann. 1450. pertinet. Videatur Hvitfeldius *pag.* 21. & omnes Sveci.

CIↃCCCC L. & ordine summi. Qui deinceps, bello in Carolum concitato, opere clari evasere. Protestati, *non se perfide quidquam egisse, sed, ut causae nihil erat, cur a sacrosancto foedere, quod maiores pro se, posterisque suis ad regnorum borealium firmamentum sempiternum voluissent; ita iure longe optimo ab obedientia Caroli omnia ad suam tantum utilitatem referentis, & extorto iuramento, recessisse.* Christianus, dum responsum super iis, quae Halmstadii gesta erant, exspectaret, Rothnabii, quae urbs est Scaniae, aliquamdium commoratus, postquam nihil adferretur, hinc in Sialandiam redit. Vbi habito Senatu, dum deliberat, quanam ratione posset indies crescentem Caroli insolentiam coercere, visum fuit, non aperto bello petere, sed excursione varia terras eius infestare [(a)]. CIↃCCCC LI. Itaque anno insequente, adulta hieme, admodum intenso frigore, duce Olao Eschilli [(b)], terra ac mari copias ingentes mittit, Sveciam, quacumque possent, vastaturas. Quae, excursione facta, quum Stocholmum usque ipsum iam progressae, praedam ingentem coegissent, Sveci sumtis propere armis occurrentes, facto in palantes impetu, postquam eos cecidissent, aut cepissent, mox in reliquum agmen versi, illud fugant. Verum id, regressum a fuga, postquam sese collegisset, plurimis incensis pagis, & abducta inde praeda non exigua, mox in Daniam pedem refert. Dum haec fiunt, peregre Vilsnaci [(c)] agere Christianus, quae urbs Megapolitana, sive voto exsolvendo, quo se ante obstrinxisset, sive ut Germaniae principes, quibus ibi diem dixerat, conveniret; & cum illis contra Carolum foedus faceret, ut Vandalicas civitates, quarum opem ille literis, ac legatis etiam missis imploraverat, ne a tergo forte invaderent, prohiberent. Itaque, dum regno abest Christianus, & constrictum magno gelu mare Balthicum, Carolus illatae sibi pridem cladis ulciscendae occasionem dari ratus, ocyus collecto milite, CIↃCCCC LII. anno CIↃCCCCLII. mense etiam Februario Scaniam invadit, diripitque, & incendit; omniaque pro libidine sua agit, nulla sexus, aut aetatis ratione. Qui evadere rabiem hostilem poterant, trepidi in rupes sese, & quae alia inaccessa loca erant, conferebant, ut saluti sic consulerent. Nec direpti pagi tantum, & exusti, verum ipsae quoque urbes, inter quas tam Helsingburgum, quam Landscrona, aliaeque. Quin metropolin item Scaniae, Lundiam, eodem impetu adgressus, quum suburbii aedes quasdam incendisset, & in urbem vi erumpere conaretur, a Tychone Archiepiscopo, qui ad primam rei famam se praesidio communiverat, fortiter repulsus fuit. Inde, magna clade accepta, in Daleboensem agrum castra movet; &, suorum strage asper, mercatores, qui tutandi sui causa huc confugerant, contrucidat. Eo facto, copias suas retro ducit, tam festine, ut similior fugienti videretur. Inter viam monasteria duo incendit; & Veschaeflam arcem adgressus oppugnare, cum clamore horrendo obsessos perterrere conaretur, domina arcis, animi virilis femina evestigio arma capere, & in hostem tela iacere suos iubet. Qui quum impigre iussa exsequuti essent, reducere copias obsessorem, & omittere oppugnationem coeptam coegere. Isque, velut panico terrore actus, nusquam restans, prius sibi, quam in fines regni Sveciae pervenisset, quiescendum non putavit. Et sic finem expeditio illa habuit; ut initio impetu tam repentino, ac saevitia formidabilis, ita exitu ridicula. Quippe quam retuderit primum Archiepiscopus, inde cum maiore opprobrio etiam femina; iste, vitae suae genere, & haec sexu plane armorum insolentes. Christianus, postquam nuntium huius rei accepisset, angi quidem vehementer in suorum subditorum tanta clade; verum, peregre profectus, uti dixi, neque opem laborantibus ipse ferre, neque etiam illi posse, quibus curam regni sui, & tutelam, per absentiam demandaverat; quum, constricto gelu freto Scania prohiberentur. Quam ob rem, eiusdem anni proxime insequuta aestate magnam classem, sub Olao Eschilli F. & Magno Greno, in Sveciam mittens, hanc Stocholmum, regni caput, mari oppugnare iubet; ipse, terra exercitum ducens, & ingressus Visigothiam [(d)], mox Ludosiam, non munitam per id tempus, propere fossa, ac vallo munit. Vbi dum diutius paulo ad perficiendum opus inchoatum commoratur, evocatis ad colloquium praefectis, quos vicinis arcibus Carolus imposuerat, cum his pacem hac conditione facit: ut, quum Sveciae bonam partem armis sibi subiecisset, ipsi quoque sese dederent. Quod quum illi se facturos recepissent, quidam etiam sine mora praestiterunt. Inter ista nil omittit, quod ad Caroli detrimentum pertinere existimaret; missis saepe, qui infesta excursione terras eius, & eorum, qui addicti ipsi erant,

(a) *Eius infestare*] „ In hunc annum reponit Hvitfeldius coronationem Christiani I. in Norvegia ad diem 29. Iulii, de „ qua noster primum meminit ad annum 1458. *Frid. Gunther.* Recte; & habuit Hvitfeldius, quos sequeretur. Sic enim *Chronicon* in *Sylloge Danicorum* Dn. de Ludewig. *num.* 5. *pag.* 135. „ CIↃCCCCL. Christiernus coronatus est in Regem „ Norvegiae in Trundhem in die S. Olai. „ Idem hoc confirmat Messenius *Tom.* IV. *pag.* 5. & ex nostris Magnus Matthiae in *Serie Regum Dan. MS.* cuius verba: „ Anno 1450. „ Nidrosiae coronatur Christiernus Norvagiae Rex, scil. ipso „ die Olai Regis, seu, quod alii malunt, Dominica proxime „ praecedente id festum. „ Et quid levia adeo proferimus argumenta, qualia Annalium Scriptores subministrant? quum extet omni exceptione validius in litteris Senatorum Norvegiae, de ipsa illa coronatione attestantibus, huncque annum (1450.) praeferentibus, quarum ex authenticis apographum produeit Hvitfeldius loc. cit. Adnotavit Magnus Matthiae eodem anno natum Regi filium primogenitum, cui Olai nomen imposuit. Credo, ut cultum suum, & venerationem erga S. Olaum testaretur, hocque Norvegos, quorum animis, praeter religionem illam, etiam Olai Margaretae filii maximum inhaerebat desiderium, sibi devinciret. Io Schiphowerus in *Chron. Archi-Com. Oldenb. pag.* 173. „ Circa „ finem anni Iubilaei invictissimus Rex Danorum Christianus „ Archi-Comes de Oldenborg Ammirorum de Regina coniuge „ prolem procreavit, & ad nutum Consiliariorum regni eius- „ dem filium Olaum vocari fecit, & multi Archiepiscopi, & „ Episcopi regnorum compatres effecti sunt. „

(b) *Olao Eschilli*) Corrig. *Axilli*, vel *Axelii*, sicut bis superius, ubi idem error.

(c) *Peregre Visnaci*) Sed hanc peregrinationem ad ann. 1452. refert Hvitfeldius.

(d) *Visigothiam*) Sic nostro placuit adpellare saepius, quum tamen Sveci Scriptores *Vestrogothiam* vocant. Paulo inferius; eadem provincia nostro est *Gothia ad Occidentem*.

CIϽCCCC LII. erant, devastarent. Sveci, adventu hostis territi, undique profugientes, se in silvas, quibus tutiores essent, abdidere; unde interdum, postquam per exploratores, de Danorum multitudine cognovissent, in palantes, pabuli, aut praedae causa erumpentes, non minorem, quam acceperant, cladem illis intulerunt. Qui, edocti malis suis, ut insidias vitarent, in apertum eos campum ad certamen provocabant, acriterque loco aequo contra ipsos dimicabant; ac postremum debellatis, qui potissimum resistebant, Caroli praefectis, tota ad occidentem Gothia potestati Christiani se submittit, & in eius verba iurat. Id quum Carolus accepisset, ocyus collecta manu, partem in Tiwedia silva, per quam transiturus foret Christianus, in insidiis esse iubet; sed de classe, quae Stocholmum oppugnare iussa erat, & tunc forte imminebat, certior factus, pedem ipse retro ferre, & insidias revocare, ut primariam regni urbem, in qua adeo regni summa vertebatur, ante omnia tueretur. Quum ad eam accessisset, latus illud, quod ad mare adiacebat, iam ab hoste oppugnari deprehendit. Itaque ab altera parte intromissus, naves instruit, &, imposito illis milite, ad vim repellendam educit. Sed, quum Dani, partim navium magnitudine, partim numero pugnatorum antecellerent, prope urbem, ut paratum contra impetum hostilem auxilium esset, anchoras iaciens, eminus tormenta belli sine fructu ullo explodit. Quumque illi pugnae copiam facturi, propius naves admoverent, haerentibus ad urbis suae muros Svecis, nec movere inde ausis, retro in apertum mare vela flectunt, obviasque eorum naves depraedantur. Dum haec ad Stocholmum fiunt, Christianus, occupata Visigothia, & praesidiis passim positis, Ianicopiam pervenit, inde in Daniam copias suas reducturus. Quumque ad silvam Holowediam, valde insidiis opportunam, accessisset, cum maiore exercitus parte paullum subsistit; & cohortes levis armaturae aliquot, ac locorum gnaros duces, viam tentaturos, mittit. Qui, ut silvam ingressi erant, quum non satis circumspecte latebras investigarent, periculum aliis praedicturi, ipsi in illud imprudentia sua incidunt. Quippe Ericus Niparius, qui cum rusticorum manu insidebat, impetu in illos facto, amplius trecentos caedit, ceteros capit, & in his nonnullos ex equestri ordine, quos ad Carolum sub custodia duci iubet. Ille, quod Erico insidiae successissent, & in Daniam Christianus recessisset animosior, mox profectus ad Vastenium Monasterium, evocat Tardonem (a) Bondium, imperatque, ut cum lecto peditatu in Visigothiam contendat, & Ludosiam recuperet, paullo ante a Christiano occupatam, ac munitam. Neque ille segnis imperata facit; scribit militem expeditum, Visigothiam magnis itineribus petit; &, ut fallere hostem posset, per silvarum opaca ducit, rupiumque inaccessa. Hinc nec opinantes opprimit, & Ludosiam noctu invadit. Quadraginta e praesidiariis primis, quorum nutu, ac consilio geri omnia Christianus imperaverat, altum dormientes capit; praedam diripit, quam ingentem comportaverant, & militibus distribuit; denique in verba Caroli cives iterum obstringit. Carolus ad rei nuntium, Bundii (b) fortuna usurus, mox cum copiis Visigothiam ingressus, arces quasdam limitaneas a praefectis Christiano pridem traditas, bello repetit, ac recuperatas munit. Quibus cognitis, Christianus non tam Visigothiam recuperare, quam ad foederis communis observantiam revocare Sveciam totam animum inducit. Itaque, ut sine bello deinceps Svecos debellaret, solers princeps, fama potius, quam armis bellum gerere constituit, subditosque, qui in regni limite essent, accolas rumore sparso, brevi sese cum exercitu adfuturum, perterrere semper iubet; ut perpetua exspectatione belli trepidantes, atque ad tutelam regni usquequaque concurrentes, fatigaret; ac postremum, summa adeo rerum necessariarum egestate divexatos, taedio praesentis status, ad defectionem impelleret. Erant quippe Christiano milites quidam veterani, cum in Scaniae confinio, tum in Gothia. Hi, ut iussi, se in Sveciam magno agmine irrupturos minabantur. Idque serio dictum rati, qui tuendo limiti praefecti erant, saepe auxilia ab extremis usque finibus advocabant. Quod quum crebro eveniret toties, tam longo itinere, & id frustra, ad suppetias evocari, & molestum ipsis erat, & damnosum valde incolis, qui a copiis transeuntibus insolentia militari vexabantur. Praeter ista, equi Caroli magno numero pabulatum toto regno ducebantur ab ingenti stabulariorum turba, qui non minus quidvis postulare ausi, & per vim, si recusarent, extorquentes, tristem rusticorum sortem adfligebant. Tum praefecti quoque ipsi, sine ulla iusti, aut aequi observantia, miseros exagitabant; &, si arma capienda pro tutela regni forent, pedem domo non moventes, prius bonis spoliatos, hosti porro trucidandos obiiciebant. Ad haec mala accedebat rerum omnium summa caritas, & cum ea pestis ingens, quae in homines, pecudesque pariter desaeviebat. In hunc modum Svecia dum annis aliquot adfligitur, quiescente laeta semper pace Dania (c), Bergis in Norvegia tumultus surgit, anno CIϽ CCCCLIV. Quidam Olaus Nicolai, vir equestri dignitate, novas res moliri visus; & superbia nondum cuiquam usitata, uxor eius in navigii (d) sui velo regni insignia gerere ausa. Ipse

(CIϽCCCC LIII. — CIϽCCCC LIV.)

(a) *Tardonem*) Mendum est. Legatur *Tordonem*.

(b) *Bundium*] Corrig. *Bondium*. Idemque est *Tordo Bonde*, qui supra.

(c) *Laeta semper pace Dania*) Pacata quidem ipsa fuit Dania per hunc annum; sed multa tamen referri in Annales digna vidit peracta, in quibus celebris illa transactio cum Svecis, *Dominica Septuagesimae* inita Vadstenis, nec non alia Stockholmiae facta *festo Corporis Christi*. Praeterea expeditionem fecerunt Norvegi in Sveciam, duce Colbiorno Gastio, satis infelicem, qua Colbiornus captus, ceteri a Tordone Bondio profligati. Et haec, aliaque ex Hvitfeldio facile supplebuntur.

(d) *Vxor eius in navigii*) „ Huius tumultus Historiam longe „ aliter narrat Hvitfeldius *pag.* 44. & refert ad an. 1455. Olaum „ ad instantiam Episcopi decimas a mercibus exigere voluisse, „ Mercatores Germanos contra, tumultu excitato, & Episco- „ pum,

CIↃCCCC LIV. Ipse vero mercatores, ea in urbe mercaturam exercentes, divexare; naves, mercibus onustas, diripi iubere, & ad crimen aliorum idem exemplo, si non iussu facientium connivere; mercatores, qui indigna pati sese quaererentur, irridere. Quam ob rem, quum praeter damna etiam ludibrium ferre se viderent, mox querelam ad regem deferunt. Atque is quum respondisset, nullo modo hominis se insolentiam adprobare, sic responsum illi sunt interpretati, tamquam aegre minime laturus foret, si quid forte gravius ei eveniret. Itaque, quum modum ille insolentiae, ac superbiae nullum poneret; arbitrati mercatores, non se regem offensuros, si vim toties inferentem, semel tamdem ulciscerentur; eum in urbe tunc agentem circumsistunt, & iniuste erepta sibi reddi postulant: ille, initio nil benignior; sed, ut crescere numerum tumultuantium, & audaciam animadvertit, nec se amplius parem esse, ut periculum evitaret, in Birgittae Monasterium vix evadit. Aderat ipsi Episcopus urbis; &, placare seditionem cum blanditiis, tum auctoritate nisus, plane nil proficiebat. Rogabatur, ut abire animum induceret, nec fortunam hominis adeo scelerati suam faceret: quumque, nimis casum amici miseratus non secederet, speraretque populum ei propter se parsurum esse, iniecto in monasterium igne, utrumque exurunt [a]. Interim sub rege Carolo Sveci graviter, uti dictum, vexabantur; & ingenti cum exercitu insuper eos Christianus invadebat, anno CIↃCCCCLV. & Elsburgum expugnabat. Inde, anno CIↃCCCCLVI ne in Scaniam porro irrumperent, arcem Deneholmum munit, & praesidium imponit; ac, congressus aliquoties magna illos clade adficit. Nec multo post, sequente anno, Grenum copias in Oelandiam ducere iubet. Isque gnavus, expedita statim classe, insulam petit; & adpellens, insulanis, qui advenienti sese opponebant, profligatis, ad Bornholmum [b] unicam ea insula arcem, castra ponit. Quam continua verberatione postquam adeo graviter concussisset, ut perfractus pluribus in locis murus iam ruinam minaretur, pacem obsessi petiere. Ac concessa illa fuit, ea lege, uti, rebus suis salvis, inde exirent, nec quid amplius efferrent: si quis contra facere ausus, capite lueret. Ita arcem Grenus capit, & thesaurum in ea magnum, quem seposuisse ibi pridem Carolus, ad gerendum contra Christianum bellum, ferebatur. Iam recuperata Oelandia, quum inferioris Sveciae magnam partem Christianus occupasset, proceres regni, animis iam pridem a Carolo alieni, invitante tunc fortuna, mox in illum inclinare. Inter hos Ioannes Salistaeus erat, CIↃCCCC LVI. summus toto regno praesul, pariterque ut dignitate, ita genere excellens, cui offensae plures causae. Nam, materno eius avo Nicolao [c] iniuste capto, non contentus tam insigni contumelia, plurimarum quoque arcium, quam tenebat, praefecturam, etiam equitum tribunus, neque regiam dignitatem consequutus, eripuerat; auxeratque contumeliam rex creatus, & Orebroensem arcem paullo ante ipsi traditam, ac Nicopiensem inde item ademerat. Et, quum pater Benedictus, post Christophori decessum, Ianicopiae regni gubernator lectus, in conventu, quem Stocholmi habitum commemoravi, a regnorum trium foedere, sub regina Margareta constituto, recedendum non censeret; contra nitens, eligendum esse regem, totis viribus contenderat, & suffragiis plurimorum, vi, aut fraude occupatis, ipse solium invaserat. Ad haec Caroli insolentia, potestate pro libidine abutentis, accedebat. Itaque occulta primum odia, mox palam habet; &, consilio cum suis communicato, regno deturbare statuit. Quod dum agitat, Christianus classem instruit; &, ductore Magno Greno, in Finlandiam transmittit. Ea quum Viburgum urbem, eius regionis caput, vento prospero adpulisset, miles postquam exscendisset, sine mora oppugnatam facile capit. Inde in arcem adiacentem se convertit; ac, dum acrius repugnat, ignem iniicit, & exurit. Quae quum accepisset Carolus, & videret potiorem regni partem, in qua spem potissimum suam, CIↃCCCC LVII. ac fiduciam collocaverat, Christiani in potestatem pervenisse; seque adeo in periculum amittendi universi adductum esse, proceres Stocholmum evocat. Qui quum illuc convenissent, ipse Nicolai Sturae nuptias celebrare instituit. Hisque actis, eum accedens Archiepiscopus, damnum, quod in mari pridem praelio cum Danis habito accepisset, resarciri sibi petit. Quod quum aegre admodum ferret, irae praeceps, primo, non se obligari ad solvendum respondere; inde ordinare quosdam e senatu, qui negotium disceptarent. Atque isti, quum examinata causa secundum Archiepiscopum pronuntiassent; ille, valde indignatus, palam iudices malae fidei accusare, nec iudicium dedisse ex aequo, aut bono, sed privato suo adfectu. Ita postquam discessissent, mutua utrimque offensa, facile prudentiores praevidebant, brevi fore, ut res illa aliquem tumultum daret. Neque mora, Carolus adesse militem die constituto iubet, in Oelandiam ducturus, quam pro rege Christiano Magnus Grenus obtinebat. Statim etiam Archiepiscopus copias parat; ac paratis

„ pum, & Olaum, qui nomine Regis praeerat urbi, trucidasse, & ignem iniecisse monasterio; Regemque eo nomine „ adcusasse Germanos apud Pontificem. „ *Frid. Gunther*. Sic est; neque ullum de Hvitfeldii narratione dubium, quin vera sit. Sed nonnulla omisisse eumdem, non tantum credibile, sed & aliis ex monumentis, praeter Crantzium, & Lubecensium Scriptores, ostendi potest; quemadmodum vicissim quaedam hic omisit, aut potius nescivit Svaningius, Meursii auctor, eas scilicet, quae inter Episcopum, & Mercatores Germanos de decimis agitabantur, lites. Itaque ad tumultus Historiam coniungendus uterque auctor, Hvitfeldius, Meursiusque, alterque ex altero supplendus. Namque & minus dissimulat Hvifeldius, uxorem Olai Nicolaidae piraticam factitasse, atque mercatorum naves spoliando adeo illos irritavisse, ut contra eius & mariti vitam coniuraverint.

(a) *Vtrumque exurunt*) „ Hvitfeldius ita narrat, quod primo „ trucidarint Episcopum, & quum Olaus se occultasset in Mona„ sterio, ignem illi iniecerint, & hoc modo extractum ex „ latebris itidem trucidarint. *Frid. Gunther*.

(b) *Bornholmum*) Corrig. *Borkholmum*.

(c) *Avo Nicolao*) Rectius dixisset *Christierno Nicolai*, regni Sveciae olim Satrapa, seu Dapifero, de quo in Christophori III. regis Historia saepius memoratum.

CIƆCCCC LVII. ratis aperit quid agitaret. Caroli praefectum Haquinum Svenonis F. comprehendi, & Saliſtam arcem ſuam adduci iubet. Inde maius templum ingreſſus, collegii ſodalibus ad ſe vocatis, ad altare ſummum accedit, atque ibi, coram iis, quum ſumſiſſet veſtem ſacram, & ornamenta dignitatis, mox in genua provolutus preces fundit. Quibus dictis, ponit veſtem, arma capit, & edicit, non ſe ante poſiturum, quam antiquum regni ſtatum, quem a Carolo perturbatum omnes ſcirent, reduxiſſet. Quin poſtridie, ſcripto ad valvas templi adfixo, publice teſtatum facit, non ſe tantum fidem in Carolum, & obſequium omne exuere; verum etiam manifeſtum deinceps hoſtem profiteri. Ac praeterea per libellos criminatus, plebem, quae mandato eius arma ceperat, & primarios item quosdam ordinis equeſtris viros, contra ipſum concitatos, ad ſe traxit. Quae Vpſaliae quum egiſſet, properanter Enecopiam, & Aroſiam, facto itinere, illic quoque praefectorum, civiumque animos tentat; qui ſe, Carolum pertaeſi, coniunxere. Arcem vero Aroſienſem, quum praeſidium tueretur, ideoque obſideret, Carolus ex Oſtrogothia, quo exercitum convenire omnem iuſſerat, ocyus Nicopiam tendit; atque, capto ibi Erico Abſalonis (a) malae fidei ſuſpecto, nil cunctatus, copias Strengeneſam ducit; hinc Aroſiam moturus, praeſulemque inopinato adgreſſurus. Verum ille, per exploratores certus, ut praeverteret, miſſa ſtatim obſidione, ſumma cum celeritate Carolo obviam proficiſcitur; ac, priuſquam adventus ſui nuntius adferri poſſet, diluculo eum apud Strengeneſam occupat, urbem irrumpit, militeſque adhuc dormientes opprimit. Carolus vero ad tumultum excitatus, ſuis capere arma iuſſis, quum occurreret, vulnere accepto, quamquam longe militum numero ſuperaret, fugam capit; ac pugnantes acriter ſuos, & a fuga revocantes, turpiter deſerit. Qua re illi animadverſa, ſeu victoriam deſperantes, ſeu pugnare, rege ſuo fugiente, non ulterius cupientes, ocyus & ipſi in fugam ſe coniiciunt, ac Stocholmum, Carolum inſequuti, petunt. Archiepiſcopus, nil cunctandum arbitratus, ut recenti adhuc clade conſternatum porro etiam percelleret, mota caſtra propere Stocholmum ducit, & arctiſſime urbem cingit. Carolus, quum nemo obſeſſo opem ferret, neque civibus item fideret, clam theſauro omni regio apud monachos Franciſcanos occultato, ſuo in navem comportato, nullo quicquam ſuſpicante, nono regni ſui anno, ſub initium menſis Mar- CIƆCCCC LVIII.

tii, acerrimo frigore, in Boruſſiam excedit; & Gedanum, impetrata fide publica, ſeſe recepit: atque ibi per exilii annos ſeptem commoratur. Rex Poloniae Caſimirus, cui foederatus erat, arcem dedit, in confinio regni ſui, quae familiae ſuſtentandae neceſſaria exhiberet; & hanc tenuit, donec Sveci revocarent. Stocholmenſes, cognito diſceſſu Caroli, urbem dedunt; & mox arcem etiam praeſidiarii. Cuius rei poſtquam fama dimanaſſet, proceres Sveci, qui in Daniam profugerant, ſine mora in regnum redeunt: illicoque ad Chriſtianum ablegantur oratores, qui & ſtatum ei Sveciae nuntiarent, & ad regnum capeſſendum invitarent. Chriſtianus, vacuo per diſceſſum Caroli regno Sveciae, non cunctandum ſibi ratus, ocyus inſtructa claſſe, multis regni utriuſque ſenatoribus comitatus, ſub initium menſis Maii illuc tendit. Quumque in Stocholmi portum appuliſſet, ſenatores, qui frequentes huc convenerant, & adventum Chriſtiani exſpectabant, ubi advenisse eum acceperunt, mittunt, qui adventum primum gratulentur, inde capita quaedam offerant, libertatem, & antiqua privilegia, atque conſtitutiones regni Sveciae concernentia: quibus ſi ſubſcribere vellet, promptos ſeſe ipſum ſibi regem capere. Ille itaque, nil iniquum Svecos petere animadvertens, poſtquam lectis ſubſcripſiſſet, ſolenni pompa primo in urbem, inde in templum, atque arcem, univerſis fauſta omnia acclamantibus, a ſenatu eſt deductus, ubi dum res regni ordinat, varie querebantur Sveci: iſti, bonis ſe a Carolo exutos; iſti, iniuria affectos; omnes vim, ſuperbiamque accuſabant, & ab eo fraude circumventos eſſe, ut arma contra ipſum caperent; non, ut patriam, quod iactabat, ſervitute, quae tunc nulla plane erat, liberaret: ſed ut rerum ſolus adeo potiretur. Chriſtianus, univerſos perbenigne conſolatus, bono eſſe animo iubet, & tutelam pariter cunctis, ac iuſtitiam pollicetur. Mox Moraſten ſeſe confert; ubi, poſtquam ſeſe ipſe in leges regni ſacramento obſtrinxiſſet, rex ſolenniter a proceribus, qui frequentes illic aderant, ſalutatur. Hinc Vpſaliam profectus, ad XXIV. Iunii (b) a Ioanne Saliſtaeo Archiepiſcopo coronatur. Hunc in modum Svecia recuperata, in Norvegiam, eius quoque regni inſignia petiturus, iter capit; ac, Nidroſiam advectus, ſumma omnium gratulatione excipitur: & XXIX. die menſis Iulii (c) corona quoque ab Archiepiſcopo inſignitur. Poſt quae quum in Daniam regreſſus eſſet, anno proxime inſecuto diem obiit ſine haerede Adolphus avunculus, dux Sleſvi- CIƆCCCC LIX.

(a) *Erico Abſalonis*) Is *Olai Axilli*, vel *Axelii f.* (noſtro toties perperam *Eſchilli f.* adpellati,) germanus, vernacule dictus *Ericus Axelſon*. Nam *Axel* nomen proprium apud Danos ſaepe latine reddebant *Abſalonis* illo. Erat autem iſte Ericus Axelſon ſororius Regis Caroli Canutii.

(b) *Ad diem XXIV. Iunii*] Hvitfeldius multo accuratior, electionem ſcribit factam d. 24. Iunii, ſed coronationem demum feſto SS. Petri, & Pauli inſecutam.

(c) *Et XXIX. die menſis Iulii*) „ De hac coronatione nihil Hvitfeldius ad hunc annum; Multa autem interſerit de accuſationibus in Svecia contra Carolum inſtitutis, & de ſententia a Senatu contra eum lata; de tractatibus cum Polono, & Dantiſcanis, eiuſdem Caroli cauſa; item & de litteris, quas dederit ad Regem Scotiae Iacobum II. pro repetendo tributo, nomine inſularum Suderoſe, & Mano-erpendi ſolito &c. „ *Frid. Gunther.* Ita eſt. Plenior omnino eſt Meurſio noſtro Hvitfeldius. Neque tantum in annis, quos Guntherus nominat 1457. & 1458. ſed in omnibus, qui praeceſſere. Quaedam vice verſa, ſed pauca, deprehendes, Meurſio commemorata, quae apud Hvitfeldium fruſtra quaeſiveris. Sed rationem, & cauſam ſterilitatis in Chriſtiani I. hiſtoria Meurſiana ſupra indicavi. Nullum enim habuit, unde diſceret, praeterquam Svaningium, linguae inſuper, qua Hvitfeldius utitur, imperitus, ac Pontani labore, utpote nondum in hac Hiſtoriae noſtrae parte inchoato, deſtitutus. Attigimus ſupra, ad annum 1453. nonnulla in eo anno Svaningio, atque Meurſio praetermiſſa: Nunc quae in ſequentibus uſque ad 1458. deſiderantur, ex Hvitfeldio ſupplenda, ſummatim perſtringemus: Ita anno 1454. Chriſtianus Im-

[CIↃCCCCLIX.] vici, comes Holſatiae, ac Stormariae. Et quum quidem de ducatu Sleſvicenſi, quem in feudum ille olim a Chriſtophoro Bavaro acceperat, nullum omnino dubium eſſet, quin coronae iterum Danicae ipſo iure iungeretur; de Holſatiae, ac Stormariae comitatu plane controverſum fuit. Nam & feudum Imperii eſſe, & ad ſtirpem maſculinam, genere proximam, pertinere videbatur. Ac ſupererat Otho, comes Scouwenburgicus: filiique eius octo, Adolphus, Ericus, Erneſtus, Bernardus, Otho, Henricus, Antonius, Ioannes. Hi defunctum agnatione, quamvis longa, contingebant: Chriſtianus, ex ſorore nepos erat. Anceps diu hic nobilitas; & in regem multi adeo propendebant, defenſorem quaeritantes: alii rurſum in Othonem Sconvvenburgicum inclinabant, ob maiorum in eam terram beneficia, & quod e virili ſtirpe cenſeretur. Hanc ob cauſam quum nequicquam aliquoties conveniſſent, & ius ſuum rex tueri armis velle praeſeferret; tandem, opera potiſſimum Arnoldi, Epiſcopi Lubecenſis (a), cui pro Caeſare conferendi ius competeret, comitatu Chriſtianus rex donatur; quum Othonem prius comitem, filioſque, quadraginta tribus millibus aureorum perſolutis, ut iuri ſuo renunciarent, induxiſſet. Inde etiam Gerhardo, ac Mauritio, fratribus ſuis, de ſucceſſione illa pari iure contendentibus, altera quadraginta millia ſe pollicitus daturum, plene denique ſibi univerſum acquirit, anno cIↃ CCCC LX. [CIↃCCCCLX.] Quumque mox ſolemni ritu omnes ad obſequii fidem ſacramento obligaret; & Hamburgum, Stormariae urbem antiquiſſimam, maximamque adveniſſet, fidem dare cives non detrectant quidem, ſed, *ne iusiurandum ipſi exhibere cogerentur*, deprecantur. Tum oſtendunt, *veterem ſuam, ac maiorum obſervantiam non obſtringi, niſi ſolis verbis, ſolitam: & hanc pluribus privilegiis muneratam*, Orant inſuper, *ſetis ſibi eſſe duceret, quod maioribus ſuis fuerat*. Itaque motus rex benignus, animique moderati, non iniqua oratione, acquievit: ea nihilominus lege, *ut quocumque demum tempore, ſive ipſe, ſive ſucceſsores ſui, iusiurandum poſtularent, ſine mora, aut exceptione ulla exhiberent*. Inde ad Reinefeldenſe monaſterium, in Holſaltiam ſe recepit. Hic dum agit, Lunaeburgenſis ſenatus, quum, ſubductis rationibus, animadverteret, civitatem aere alieno premi; neque ad ſalinas ſuas, quibus ſalus publica fere niteretur, conſervandas ſat aerarium facere poſſe, ut neceſſitati ſuae ſubveniret, multa templis, ac coenobiis, per

Imperatori Romano Friderico excuſat, ſe neque poſſe conventum, belli Turcici gratia indictum, obire, neque ſocia arma iungere, (quarum litterarum exemplar extat inter Aeneae Sylvii *Epiſtolas num.* 128. nec non Reuſneri *Epiſtolar. Turcic. lib.* 4. *pag.* 152.) Eodem anno in Norvegiam profectus, a Gedanenſibus, illuc mercaturae gratia qui appulerant, portu Bergenſi excluditur, quod obiectum ſibi in proprio regno ludibrium poſtmodum, ut dignum erat, in civitatem, nimis inſolentia illatam ultus eſt. Anno 1455. Iohanne filio augetur, brevi poſt regni ſucceſſore declarato. Varia per eundem annum inter Regem noſtrum, & Romanum Pontificem actitata. Etenim cum Carolus Rex Sveciae arcem Orebroam, quae Reginae Dorotheae ad vitam conceſſa fuerat, occupaſſet, Chriſtianus bullas, ut vocantur, Papales contra illum impetravit, queis reſtitutio arcis ſub graviſſima comminatione imperata. Cumque non ſolum eius rei cauſa, ſed iuris praeſertim Regii in Eccleſias Norvegicas tuendi, atque Sedi Romanae, quae praeter fas illud imminutum ibat, exponendi ergo, miſiſſet Romam Marcellum quendam, Epiſcopum apud Islandos Skalholtenſem, idemque legatus Regius in reditu per Germaniam a Colonienſibus ſpoliatus eſſet, Rex de iſta iniuria cum Theodorico Archiep. Colon. civibuſque eius per litteras acriter expoſtulavit. Eoque nec non ſequenti anno 1456. multis, tum apud Nicolaum PP. V. tum apud ſucceſſorem eius Calixtum III. eadem de re conqueritur, & cum nulla ablatorum reſtitutio fieret, mercatoribus Colonienſibus, eorumque intra Daniae, & Norvegiae fines, quae reperiebantur bonis manum iniici curavit. Quod vero ad ius Regium in Eccleſias Norvegicas attinet, cum praecipue in eo cauſa verteretur, ut in ſede Archiepiſcopali Nidroſiae Virum Rex haberet fide ac rerum peritia ſibi, univerſoque regno utilem, Papa vero in hanc ſedem intruſiſſet peregrinum hominem, Henricum Kaldiſon nomine, tanto muneri tum ob Norvegicae linguae ignorantiam, tum ob alias cauſas, ac praeſertim inimicorum Regis ſtudium, prorſus inidoneum, Rex eum revocari, & Marcellum, quem modo nominabamus, in Archiepiſcopatu Nidroſienſi, cui ipſum deſtinarat, confirmari, ſummo opere variiſque ad Pontifices, Cardinaleſque miſſis litteris expetiit; ſed fruſtra. Cumque nihil apud eos proficeret, ſolicitavit Fridericum Imperatorem (hunc in epiſtola vocans *ſupremum ſanctae Eccleſiae Advocatum*,) nec non Alphonſum Arragonum Regem, alioſque Principes, ut Pontificem ad corrigendam, qua erga Regem & regnum uteretur, iniuſtitiam permoverent. Non paucae de iſto negotio reperiuntur adhuc epiſtolae, quas, cum aliis eiuſdem Regis nomine ad diverſos ſcriptis, aliquando, ſi Deus vitam conceſſerit, in lucem proferemus. Eodem anno 1456. foedus iniit Chriſtianus cum Carolo Francorum Rege, Coloniae ad d. 28. Auguſti; cuius foederis capita repraeſentat Hvitfeldius *pagg.* 50. -- 53. anno 1457. obortis apud Boruſſos motibus, Chriſtianus Ordinis Teutonici Equitum, quemadmodum & Caeſaris, & Principum Germaniae precibus inſtigatus, conatur Caſimirum Poloniae Regem ad deſerendas tumultuantium Boruſſorum partes permovere. Quod cum minus ſuccederet, Gedanenſium merces ubique in regnis ſuis detineri iuſſit, conqueſtoque de iniuria Caſimiro cauſas detentionis expoſuit, in quibus, praeter vectigalium, quae Regi debebant, ſubtractionem, etiam illa fuit de illata anno 1454. ſibi in portu Bergenſi contumelia, nec non de direptione bonorum, quae ſubiectorum ſibi civium erant, ſubinde per eoſdem Gedanenſes facta. Hinc ad ſopiendum diſſidium, commerciis permoleſtum, habitus Stockholmiae conventus; ubi & Legatus Caſimiri, & Gedanenſium comparuit, nullo vero ad rem ſucceſſu. (Quibus quidem illuſtrandis nonnulla ſuppeditat Caſp. Schutzius in *Chronic. Boruſſ. lib.* 5. *&* 6.) Igitur eoſdem motus, & turbatam per eos ſecuritatem, inter alias cauſas Rex praetexuit, a Papa de coniungendis contra Turcam armis compellatus; nihilominus ad ſacrum illud bellum admodum ſe propenſum eſſe per legatum ſuum Pontifici teſtatus. Erat autem Legatus a Rege hoc anno Romam deſtinatus, (tum iſtius, tum & plurium negotiorum cauſa, quae nimis hic longum enumerare,) Paulus Iuſtinianus, e clariſſima eius nominis apud Genuenſes familia, quam ſingulari favore Chriſtianus noſter proſequebatur, huncque Paulum Eccleſiae Bergenſis in Norvegia Epiſcopum nominaverat. Denique ad ſuperiorem huncque annum ſpectant controverſiae ſatis graves, cum Iacobo II. Scotiae Rege agitatae, de penſione annua, quae ex inſulis Suderoa, & Manoa Regi Norvegiae a quadraginta annis debebatur, nec non de Praefecto Islandiae a Scotis ſpoliato; Extat ea de re Chriſtiani I. ad Carolum VII. epiſtola, anno 1457. *Dominica in ramis palmarum ſcripta*, ac publicae luci bis expoſita, primum in D'Acherii *Spicilegio* (nov. edit. *Vol.* 3. *pag.* 803.) deinde in Leibnitii *Codice Iuris Gentium Diplomat. pag.* 414. in qua hoc pariter notabile, quod Rex noſter exemplar a Francorum Rege petit: *Pragmaticae Sanctionis ſub ſigillo Regio*, una cum *copiis approbationis ſacri Concilii & Apoſtolicae Sedis*. Ceterum controverſiae illae cum Scoto, opera eiuſdem Francorum Regis, utrique confoederati, per annos ſequentes compoſitae. In anno denique 1458. commemorat Hvitfeldius, praeter Svecica illa, multo maiore cura, quam a noſtro perſcripta, immunitates urbi Hafnienſi conceſſas, atque etiam ſolennem procerum, populique declarationem de Iohanne, filio Regis, iam tertium agente annum, in Dominum & Regem, a parentis morte ſuſcipiendo. Quod & ſimiliter a Norvegis factum. Sub finem anni inter Chriſtianum, & Caſimirum Polonum induciae pactae; verum Gedanenſibus, ſequenti demum anno, ac poſt multas diſceptationes, libera illa navigatio, & mercatura, qua hactenus eis interdictum, aliquo modo indulta. Atque haec ea praecipua, quorum notitia Meurſium noſtrum fugerat, (in eo ſcilicet quinquennio, quod nobis nunc perluſtratum; unde apparet, haud optimo eum conſilio hiſtoriam huius Regis fuiſſe aggreſſum, antequam ſibi de meliore ductore, quam Ioanne illo Svaningio, proſpexiſſet.

(a) *Arnoldi Epiſc. Lubecenſis*] Huius opera non acceſſit, priuſquam cum Othone Com. Scouwemburgico, & filii eius eſſet tranſactum; quod demum factum eſſe anno 1460. publica monumenta docent. Itaque omnia haec acta in anno ſequenti, minime vero in 1459. locum inveniunt. Conf. Hvitfeld. in *d. a. a p.* 102. *ad* 119.

CIↃCCCC LX.

per iniuriam ademit. Id Episcopi Sverinensis pariter, atque Lubecensis, postquam aegre adeo ferrent, &, tutelam cleri sui suscipientes, quererentur, hunc in modum rebus suis multum detrimenti dari, nec proficerent tamen quicquam, deferunt rem ad Pontificem: qui sacrorum ipsis usu, dum ablata restituerent, interdicit. Id quum fieret, magnus illico tumultus tota urbe est exortus. In patritios, & senatum plebs insurgere; ac mutare magistratum, abditis viris sexaginta, qui invigilarent pariter, ne res publica aliquid detrimenti caperet. Sed in illos itidem mox concitata, rursum deiicit, & prioribus dignitatem suam reddit. Ad exemplum mox Lubeca, & Hamburgum, vicinaeque urbes aliae perturbari: & ubique cives a senatu suo clam, aut palam diffidere: dum censurae pontificiae hi gerendum morem censent, illi negant. Et Ioannes, Episcopus Verdensis, itidem sacris a Pontifice prohibitus, quod clam in Lunaeburgenses propenderet, regem Christianum adit; & sollicitat, ut se inter civitatem, & Episcopos nominatos pro sequestro interponat: ac diffidium, diu sat continuatum, magno partium damno dirimat. Qui quum mox, responso accepto, rediens per urbem Hamburgum veheretur; pueris eum petulantius luti, lapidumque iactu incessentibus, pene etiam de curru, magno adspectantium risu, deturbantibus: misso nuntio, de illata in subiecta ipsi urbe contumelia, regi queritur. Sed, querelam quum is insuper haberet, irae plenus, illico armatos mittit, qui colonos Hamburgensium, Albim flumen accolentes, divexarent. Verum

CIↃCCCC LXI.

anno insequente (a) litem totam rex composuit, in coenobio Reinefeldio, arbiter sumptus, cum Episcopis Lubecensi, & Sverinensi. Hinc, promissam ut pecuniam Schouvvemburgico, fratribusque exsolvere posset, tributum indicit Slesvicensibus, & Holsatis. Qua de caussa quum nonnulli dictitarent, colligi hanc summam posse e thesauro regis Caroli; quem is, Svecia profugiens, in coenobio, quod Stocholmi apud fratres praedicatores occultasse ferebatur, mox in Sveciam traiiciens, quosdam ex his evocatos compellavit. Qui quum diu pernegassent, tandem extorsit, ut depositum faterentur (b), proderentque. Per id tempus, quum in Svecia reperiret Marium Fregenum (c), Pontificis Romani legatum, qui, in caussam expeditionis Turcicae promulgatis indulgentiis, pecuniam maximam collegerat; partem eius dari sibi, cum Schismaticis vicinis pugnaturo postulavit, & accepit: reliquam, inclusam vasis, Lubecam avehere permisit: ibique postea, quum captivum accepisset, per legatos detineri suos iussit. Qui

CIↃCCCC LXII.

sequutus annus fuit, eius seculi sexagesimus secundus, litem dedit, inter Gerhardum (d), & Mauritium, regis fratres; quum uterque comitatum Delmenhorstium sibi asserere conaretur: tanto animorum ardore, ut in bellum res erumperet. Ac Gerhardum rex fovebat, quamvis postea ingratum. Quumque, rebus gravioribus, & potissimum *bello Svecico* impeditus, opem ferre laboranti *minime* posset, Gulielmum Brunsvicensem, & Monasteriensem Episcopum, ut hic vicem suam obirent, per legatos imploravit. Pro Mauritio, Bremenses, & Hoiani comites erant. Gulielmus, qui gratificari regi cupiebat, quum Gerhardum obsideri Delmenhorsti comperisset, arma in obsessores capit. Qui id gnari, castra movent, & occurrunt ad

Si-

(a) *Verum anno inseq.*) Hvitfeldius ad annum 1462. refert: quemadmodum & *Chronica Slavica pag.* 243. iniuriam illam Episcopo Verdensi illatam ad annum 1467.

(b) *Vt depositum faterentur*) Adfirmat praeter Svaningium auctor *Chronicae Slav. pag.* 244. Christianum in illo Regis Caroli thesauro haud reperisse plus quam *septem millia marcarum*, & *pocula argentea viginti duo*; Svecici vero scriptores longe maiora commemorarunt, ut rebellioni suae tanto graviores obtenderent caussas.

(c) *Marium Fregenum*) Rectius *Marinum Fregenum*. Io: Magnus *Hist. Eccles. Vpsal. pag.* 106. *lib.* 5. venisse in Sveciam dicit ad iudicandum in caussa dotis Reginae Dorotheae, cuius pars in Sveciae regno erat sita. Inter ea facultatem a Rege obtinuit, indulgentiarum pro bello Turcico distribuendarum, ea lege, ut dimidium stipiis Regi traderet. Hoc dimidium ad 8000. marcas ascendisse testatur Messenius *Chron. Episc. Svec. cap.* 13. *pag.* 121. & *Chronol. Scond. Tom. IV. pag.* 22. At Marinus cum ex Svecia in Lubecensium urbem venisset, sacculum cum 4240. florenis perdidit; quem paupercula mulier inventum coacta fuit tradere Henrico Duci Megapolitano: ab hoc vero Marinus frustra eum repetiit, testante *Chronica Slavorum pag.* 246. Neque sola haec fuit calamitas; nam anno 1465. Christianus noster Rex Daniae patentes edidit publiceque affigi iussit literas, hac sententia: „ quoniam ante annos „ paene quatuor Marinus quidam de Fregeno, verum se Pon- „ tificis nuncium pro colligendis contra Turcas subsidiis asserens, „ pecunias ex regnis suis contra iuramentum asportatos, in usus „ proprios, *velut fur & latro*, converterat, *ut ex litteris Apostolicis Regi cognitum*, eaedem pecuniae, ubicumque inveniri possent, arresto subiicerentur. „ Ac tradit Alb. Crantzius *Vandal. lib.* 12. *cap.* 33. nec non *Chron. Slav.* Lubecae comprehensum, cum parte thesauri, inque eo libris quibusdam veteribus, quos a Danis, & Svecis argute abstulerat. Rediisse tamen Lubecam anno 1467. repetitum bona *sua*, sed frustra, legimus in *Chron. Slav. pag.* 250. & Io: Bugenghagii *Chron. Pomeran. lib. IV. pag.* 186. Neque mitiorem in Polonia sortem expertus est, libertate pariter ibi, & corrasis numis mulctatus. Tot tamen adversis haud absterritus, verum lucri, quod praeponderabat, dulcedine illectus, Papae etiam reconciliatus, rediit in septentrionem anno 1475. ut patet ex litteris, quas Monialibus utriusque Monasterii Roskildiensis, S. Clarae, & S. Agnetis, dedit mense *Octobri* eius *anni*. Confer. & Hvitfeld. *pag.* 260. Tunc certe etiam in gratiam redierat cum Rege nostro, conciliatrice, ut moris erat, pecunia. Sed & operam eius sibi opportunam credidit Rex contra Svecos; quos & Pontificis nomine Marinus cum hortatibus, tum minis impellere studebat pristina ad obsequia revocare. Messenius *Tom. IV. pag.* 38. „ Anno 1480. ineunte Marinus de Fegreno, Caminen- „ sium nunc in Pomerania Episcopus, ex commissione Ponti- „ ficis, quem Christiernus nuper in subsidium vocasset, diem Sueo- „ nibus, & Danis dicit, mandans satis imperiose nostratibus in- „ tra spatium sex hebdomadarum, coram suo Grypsvoldiae tri- „ bunali comparere, Christierno responsuris, & ultimam contro- „ versiae sententiam percepturis. „ Nempe Episcopus tunc Caminensis factus erat Marinus iste; verum quomodo, quibus viis, ac meritis, quoque tandem fato, & exitu, nec non quali ad posteritatem fama, docet auctor *Chronicae Slavicae* ad annum 1481. *pag.* 265. *& seq.* his verbis: „ Anno eodem, „ Gregorii (die) quidam Gripswaldanses in coemiterio *digne lapidabant Episcopum* suum Caminensem, qui fuit eis intrusus per „ Papam. Fuit enim diebus priscis legatus indulgentiarum in Da- „ ciam, Sveciam, & Holsatiam, & miro modo explumavit popu- „ lum, & dominum, erat enim insatiabilis vorago, ut dictum est „ supra. Baptizabatur enim Marinus de Frageno Italus, & anhe- „ lavit ex Episcopatu ad Cardinalatum, eo quod *Papae manus* „ *pecunia indulgentiarum repleverat*. Qui dum urbem remearet „ Romanam, acturus contra suam dioecesim, dum diutius es- „ set litis pendentia, die octava Iulii cum moerore spiritum in „ urbe efflavit: & Astaroth tenet eum. Fecit enim magnam sua „ in dioecesi partialitatem. „ Ceterum illustrari haec possunt ampliter ex Dan. Crameri *Hist. Eccl. Pomeran. lib.* 2. *cap.* 46. unde discimus, Pontificis nominatione Episcopum Caminensem factum, atque a Capitulo receptum, anno 1479. confirmationem Ducis Pomeraniae Boguslai X. impetrasse; anno vero 1486. excitatas inter ipsum, & clerum dioeceseos lites, ac dissensiones illas fuisse, quae quum clerus ad Pontificem adpellasset, Marinus vero fulmina Ecclesiastica intenderet, huic lapidum imbrem a plebe Gryphiswaldensi attraxerunt. Mortem tandem, qua anno 1488. Romae interceptus fuit, finem liti imposuisse.

(d) *Litem inter Gerhardum*) Rectius haec ad annum 1463. pertinent.

CIƆCCCC LXII. Siburgum. Acre diu, variumque praelium commissum fuit; ac tandem victor Gulielmus, comites Hoianos capit, aliamque armatorum item manum. CIƆCCCC LXIII. Verum anno insequente, in Verdensi civitate, lis diremta: &, captivis liberatis, interveniente rege, Delmenhorstum in Mauritium transfertur. Qui mox tamen, vita fungens [a], id Gerhardo fratri [b] tradidit. Dum haec fiunt, in Megapolin profectus, principes vicinos evocat; qui deinde quum Vilsnaci, claro veteris Marchiae oppido, convenissent, illuc quoque se recepit. Ac Lubecam quum transiret, atque cives, velut parum confidentes, anxie custodiam adhibuissent, proconsulibus extra urbem honoris causa deducentibus, vanum ipsorum metum ridens exprobravit. Quae hic acta clam fuerunt. Vulgo creditum, de Vandalicarum urbium magnitudine, ac potentia, quam iniquis fere oculis principes adspicere soleant, coercenda agitatum. Verum, foedus tantum ictum, de iungendis contra eas omnes armis, si cui e foederatis, ob quamcumque demum causam, ipsae unquam bellum inferrent. Neque enim animus Christiano erat vim inferre; sed cavere, ne ad Carolum, quem iam arma ad recuperandam Sveciam comparare intellexerat, se adiungerent. Vbi in regnum rediisset, oratores Lubecensium accessere, postulantes, *ut antiqua in regnis eius privilegia firmarentur*. Simul questi, *damna multa, & iniurias mercatoribus suis illatas, cum in mari a piratis; tum in regnis etiam suis a praefectis*. Quibus ille respondere: *si quae, ipso nondum rege, passi forent, horum culpam sibi non imponi posse: de piratis quae obtenderent, aut praefectis; quum incerti illi rei, nec in potestate essent, temere crimen memorari, quod nec ipsum quicquam ad se pertineret. Sed deinceps curaturum, ne quid iure queri possint; & eorum privilegia sarta tecta esse velle*. Sic dimissi, recessere. Inter haec rebellionem Sveci incoeptant; indignantibus proceribus, *regni sui praefecturas, sibi iure committendas, tamquam minus certa in regem fide essent, Danis dari*: vulgo vero, *absentiam regis* accusante: *per quam nec ius fere unquam diceretur, & praefecti pro libidine agerent, ferrentque omnia. Tum, abduci extra regnum opes publicas, atque iis pro arbitrio Danos uti*. Eadem querela fuerat item de Christophoro Bavaro; & haec Svecis prima descisscendi causa. Ac profecto, non pro caetera prudentia ab utroque rege factum; quipe haec regnorum lex est, ut per proceres indigenas unumquodque gubernetur; & in fide se eorum acquiescere rex ostendat: si praeficiat peregrinos, detrectare fere obsequium cives solent; ac, si fidem in dubium vocet, ad perfidiam irritantur. CIƆCCCC LXIII. Christianus, ut comprimeret tumultum, per initia nondum validum, ire in Sveciam instituit: classem instruit, & militiae Danicae, Holsaticaeque florem imponit. Quum Stocholmum appulisset, quidam eum, homines infesti maxime, ut circumvenirent astu, accedentes, Salistaeum, regni antistitem primarium, & conspectae in ipsum fidei, per calumniam accusant, velut omnis mali auctorem: ac futurum esse aiunt, ni mature provideret, ut, quemadmodum pridem Carolum, ipsum quoque regno exigeret. Haec fingebant, ut, si rex, indignitate rei motus, quod futurum praevidebant, Salistaeum comprehenderet, aut suspectum porro haberet; consanguineos, toto regno potentissimos, ad sumenda in eum arma concitarent. Princeps optimus, nimia credulitate, qua plerumque, ut quis bonitate praestat, ita maxime laborat, dum existimat vera dicere delatores, in suspicionem adducitur. Quam ut porro confirmarent, etiam libellos spargunt, famam viri innocentis magis quoque impulsuros. Ac traducunt tamquam regis proditorem, quique hoc conatu omni moliatur, uti Carolum, ab exilio revocatum, restitueret. Denique tantum effecere, ut consiliis eorum callidissimis se permittens Christianus, nihil tale agitari suspicatus, comprehensum mox in Daniam transmitteret. Summa erat eius viri in regem fides [c], summa merita; neque regno deiici Christianus poterat, nisi prius hoc remoto, qui consilia factiosa unus maxime impediret. Itaque ab eo primum subruendo initium factum, ut minore post negotio ipse rex everteretur. Quare, quum id effecissent, inchoatas iam insidias persequuntur; & amicos capti accedunt, incitantque in vindictam. *Non ferendam iniuriam esse, quae ad omnes pertineret: ac tentari in Salistaeo, quid passuri ipsi essent. Nulli dubiam eius fidem, meritumque; &, si sanguinis communis nulli cura afficiantur, saltem viri innocentia moverentur: cuius si periculum spernant, idem omnes aliquando subituros. Quare, si constare sibi deinceps dignitatem vellent, arma caperent, Carolumque ab exilio revocarent: & in regnum, pridem*

(a) *Vita fungens*] Io: Schiphower. *pag.* 181. „ Anno 1464. in „ vigilia Laurentii obiit Dominus Mauricius in pestilentia, & „ sepultus est in Huda, & Domina Catharina uxor eius statim „ post eum obiit. „ Eadem tradit Hamelmannus in *Chron. Oldenb. germ.* Quid ergo est, (dicet aliquis,) quod in tabulis foederis Segebergensis, inter Regem, Episcopos Slesvicensem, & Lubecensem, Proceres Holsatiae, civitatesque Lubecam, & Hamburgum anno 1469. initi, cuius exemplum lingua Danica Hvitfeldius attulit *pag.* 197. §. 5. mentio fiat *Mauritii, Comitis Oldenburgensis*, tamquam primi inter eos, quibus Rex per absentiam suam res in Ducatibus curandas committit? Respondeo, Hvitfeldium vel ipsum hallucinatum, vel corrupto exemplari fuisse deceptum: nam in genuino quin lectum fuerit, quemadmodum est apud Lunigium (*Collect. nov. privilegior. Equestris Ord. Imp. Rom. n. XVI. pag.* 855.) ita scilicet: *Mauricius Grevetho Paremundt*, nullum dubium. *Paremundt*, vero idem, ac *Peremundt*, vel ut crebrius vocatur, *Pyrmont*. Vid. Hamelman. in *Geneal. Comitum & Baronum* &c. *Opp. pag.* 406. ubi & *Mauritii* huius, Comitis *Pyrmontani* meminit.

(b) *Id Gerhardo fratri*) Inter hos fratres rara fuerat concordia, sed perpetuae fere simultates, & aperta nonnumquam bella. Mauritius aetate prior, litteris in adolescentia operam Rostockii, & Erfurti dederat, creatus etiam in utroque iure Baccalaureus, hincque Canonicus Coloniensis factus, locum videbatur fecisse minori fratri Gerhardo meliorem ditionis paternae partem occupandi. Verum postquam ille (Mauricium dico,) sepositis litterarum studiis, militaribus apud fratrem Regem contra Svecos bellantem initiatus esset, brevique post animum ad coniugium adplicuisset, ducta anno 1458. Comitis Hoiensis filia, coepit inter eos discordia, quae non nisi cum Mauricii morte cessavit. De his multa Schiphowerus in *Chron. cit.* nec non Hamelmannus.

(c) *Summa in Regem fides*] Magnam illam fidem, & innocentiam destruere ex parte videntur ipsa, quae Svecici Scriptores prodiderunt, acta eiusdem Praesulis, atque eius confessio, apud Hvitfeldium *pag.* 144.

MCCCCLXII. *dem ereptum, restituerent. Quod si facerent, suum exemplum omnes incolas sine dubio secuturos.* Neque mora, arma sumunt (a); & cum iis passim incolae. Iamque aperta rebellio erat, & in regem incursatur: qui, commisso acri praelio, diu ancipiti, tandem victus, classem repetit, & in Daniam enavigat. Ea in pugna multi ex regiis cecidere, multi capti; neque pauci, dum in naves fugam capiunt, trepidatione nimia, aquis mersi. Sveci, post victoriam illam etiam magis alieni a rege suo, fidem in eum, & obsequium plane exuunt. Insuper Dantiscum mittunt, ubi Carolus tunc agebat; & ablatum ante regnum rursus offerunt. Isque nil cunctandum, ratus; post exilii annos septem, ocyus in Sveciam redit, magna ab iis, qui a partibus eius steterant, gratulatione exceptus. Verum nulli, alternante dein fortuna, gaudium diuturnum fuit. Ipse enim, dum illorum fluxam iterum in se fidem experitur, sponte sua regno cedit (b): vel hoc uno in postremo vitae actu celebrandus, quod, ambitionis potens, etiam contemnere sese regnum posse omnibus testatum faceret. Christianus, quum in Daniam rediisset, fraudem, quanquam sero, agnoscens, libertatem Salistaeo mox restituit; &, iniuriam ut compenset, summo in honore habet: inde in Sveciam remittit cum honesto comitatu. Vbi, rursum offensus Carolo, pristinum in regem affectum conservavit. MCCCCLXIV. Haec quum ita gesta essent, Pius Pontifex, eius nominis secundus anno proxime insequente, concilio Mantuae generali convocato (c), quum ad bellum contra Turcas principes cunctos excitare conaretur, Christianum, cuius virtus singularis, animique magnitudo, & peritia armorum, fama iam illustri esset, minime sibi negligendum existimavit. Itaque legatum mittit, & ad arma coniugenda exhortatur. Sed, implicito rebus suis Christiano, frustra haec Pontificis legatio fuit. Anno proximo, Gerhardus, alter Christiani frater, quum Mauritius decessisset, in Holsatiam se recepit: ac pecuniam, pro renunciatione sibi debitam, ad quam fratris, iam defuncti, etiam pars accessisset, exhiberi postulavit. Aberat longius Christianus in extremo regni limite, rebus gravibus occupatus. Neque inter Holsatiae proceres quisquam erat, qui pecuniam expenderet, aut cum eo regis nomine transigendum existimaret. Hinc Gerhardus, astu sibi agendum ratus, arces, in quas divertebat, sensim occupat, & in suam fidem cogit; dein pro comitatus se gubernatore palam gerit, prona plebe: cui, nobilitati adversus, se benigniorem semper exhibuerat. Proceres vero, vim opponere non ausi, quum consilia contulissent, rem per literas regi nuntiant. Is, quid moliretur frater postquam accepit, rem periculosam ratus, etsi maximis regni rebus impeditus, reditum parat. Ac respondet, se venire, & Chilonem ad negotium componendum convenire omnes velle. MCCCCLXV. His comitiis, ius Gerhardus suum urgere: & aut terrae partem aliquam, aut pecuniam, quae promissa, flagitare. Aequa postulare viso, postquam literae cautionis, & fideiussores dati, res composita in praesens fuit: ac Gerhardus Delmenhorstum, rex in regnum se recepit. Quo negotiis iterum Svecicis occupato, continere se Gerhardus minime potuit, quin recurreret in Holsatiam, & munitiones rursum comitatus occuparet; ac in illis arcem, urbemque Rensburgensem, quam Dorothea, vidua Adolphi ducis, dotis nomine possidebat. Quae iniuriam quum principibus consanguineis questa esset, atque hi ad Sigismundum Imperatorem detulissent, missi ab eo duo comites Hennebergici, ut rem universam inquirerent, & componerent. Illi vero, quum Lubecam advenissent, & Gerhardum isthuc ad se evocassent, sistit ille quidem sese, verum, ut desisteret coeptis, ac Dorotheae urbem, arcemque restitueret, nec auctoritate Caesaris, neve ratione ulla impelli potuit. Quod regina quum acciperet, non ulterius viduae iniuriam ferens, pro dotalibus istis bonis aureos ei bis mille, & ducentos repraesentat; annuosque in futurum, quo ad viveret, octingentos pollicetur. Hunc in modum postquam res transacta esset, & Gerhardus Delmenhorstum rediisset, mox Bremensibus bellum infert: qui quod mercatoribus suis inter viam merces varias, nullo persoluto pretio, ademisset, praesulem in illum suum concitarant. Quo ipso tempore, quum Dorothea, vidua Adolphi ducis, e Thuringia rediret, quo profecta visendorum amicorum causa fuerat, comitemque itineris sui Ernestum Honsteinium haberet, virum illustrem, ac cognatione iunctum, Benedictus Aleveldius, e primoribus Holsatiae, manum illi, incerta causa, iniicit, & captivum abducit. Alii aiunt, quod sine ulla fide publica, quam vir nullo modo hostis non petendam existimaverat, accessisset. Dorothea apud regem questa est, *se in eius ditione, quem cum fratribus in mariti Adolphi aula educasset, nihil tale metuisse; neque dubium habere, quin memoria beneficii, gratiaque ipsi constet: itaque enixe orare, uti hominem innocentem, quem e sua secum domo viae comitem eduxisset, esse liberum iuberet. Idque, si non meritis in ipsum suis, at communi peregrinantium iuri daret.* Iusta haec oratio erat; itaque MCCCCLXVI. captivum rex dimittere iubet. Verum ea rerum tunc conditio erat, ut non, nisi promissis prius quatuor aureorum millibus, libertati redderetur. Dorothea vero, quum Rensburgo, ubi in sequentem usque annum egit, virum equestris dignitatis praefecisset, in Thuringiam recessit. Ac Gerhardus, in Holsatiam reversus, Frisios, astu circumventos, ostensis literis, quas a rege fratre sese accepisse iactitabat, ad praestandum sibi fidei iuramentum mox pellexit, quod ut regi gnarum

(a) *Arma sumunt*) Duce Episcopo Lincopensi Ketillo; qui ob captivitatem Archiepiscopi, aliasque causas offensus, obsequio Regi renunciato, infulam galea, ut ait Messenius, permutavit. Atque haec bello isto gesta ad annum omnino 1464. spectant.

(b) *Sponte sua regno cedit*) Hoc fecit demum 1465.

(c) *Mantuae convocato*) Mantuanum illum conventum celebraverat Pius II. anno 1459. sed ex eo tempore aliquoties, tum etiam hoc anno 1464. Chistianum ad socianda contra Turcas arma adhortatus.

CIↃCCCC LXVI.

rum fuit, acriter per literas obiurgat eos; & accusat levitatem, quod ad dominum alienum, sine voluntatis suae certiore testimonio, transiissent. Quibus postquam parum sese profecisse animadvertit, indignatus, cum Dorothea uxore, & selecto comitatu in Holsatiam proficiscitur. Quumque illic Segebergum pervenisset, statim habito delectu, militem civitatibus imperat; tum Lubeca, & Hamburgo auxilia petit: quae submissa sine mora. Animus erat, armis fratrem, saepius seditiosum, coercere: quamvis tamen, dissuadente id senatu, qui committi, illo imprimis tempore, fratres, non censebat e re publica, mox sententiam mutavit; potiusque visum fuit, ad reddendam ante actorum rationem evocare. Quod ut factum, ille, conscientia anxius, consilium cum suis capit, quidnam facto usus foret: tandem placuit, ut fraternae benevolentiae se permitteret. Itaque parvo comitatu regem adit; cui modeste postquam sese excusasset, is, ut erat amans fratris, & natura perbenignus, non tam rigide animadvertendum ratus, subsistere Segebergi iubet, donec redeat, & custodiam clam apponit: ipse se Chilonem confert, ad indicta hic comitia, cum Dorothea uxore. Interim Gerhardus illic diligenter asservatus, sub custodia tam occulta, ut nec ipse captum sese intelligeret: & Dorothea regina, prudens foemina, quum discederet, regem maritum ad comitia secutura, blande abiens compellat; *ne taederet paullum illic, dum reverteretur frater, commorari: nam mandatum, ita uti haberetur, ac si Delmenhorsti esset*. Inter ista, in conventu Chiloniensi rex pertractat de pecunia, quae Gerhardo debebatur, persolvenda; placuitque in certum tempus dispertiri; atque sic Holsatiam ille missam faceret, nec reverteretur unquam: eo quidem, quo advenerat pridem, animo. Frisii vero, qui, per fraudem circumventi, se Gerhardo obstrinxissent, dicto denuo Christiano sacramento, in gratiam recipiuntur. Verum tamen mox a fide recessere. Nam Gerhardus, altero ab hac transatione anno, sive revocatus clanculum, sive sua spe excitus, posse rem praeclare geri, per absentiam Christiani, in limite Sveciae occupati, navigio Husium adpellit: militem vehens, bellicumque instrumentum; cum silentio excendit, propereque loca opportuna munit, ante quam ad regem nuntius perveniret. Frisii perfidiam iterant: & a rege descifcentes, cum Gerhardo se coniungunt: extruunt munitiones; quaeque bello necessaria, ocius parant; ac rebellio gravior priore fuit. Christianus, postquam nuntium accepisset, reprimendum fratrem ratus, ante quam mora longiore vires sibi compararet, firmaretque, illico, delectu habito, & auxiliis, uti pridem, Lubecensium, Hamburgensiumque accitis, rursum in Gerhardum movet. Qui, adventu intellecto, fugam capit, & evadit: indulgente Christiano, qui elabi, quam prehendi [a] fratrem mallet. Ita depulso Gerhardo [b], comprehensi principes rebellionis, capite luunt. Vnus horum, Henningus Lupus, in Dithmarsiam profugit: nec multo post ob insolentiam interfectus, non effugere poenam potuit, quam meruerat. Interim Carolus, a proceribus regni Sveciae, contra fidem, Christiano regi datam, revocatus; certus, illum non passurum, Svecia sese per rebellionem eiici, communire sibi principatum satagit: orans suos, quando ultro revocassent, ut in fide, & obsequio perseverent. Tum auxilia undecunque per legatos item parat; & nonnullos e primatibus regni Daniae, qui in limite habitabant, ad se pellicit: inter quos Ivarum Axelium, magna virum dignitate, & potentia Solvisburgi, & Lilloi; in Hallandia praefectum. Is, infensus Christiano, cum affinitate Caroli [c], tum repulsa quoque fratris, qui Episcopatum pridem Othoniensem obtinere non potuerat [d], postquam arces, quas iam dixi, commeatu, ac praesidio muniisset, & obsequio renuntiat, & ad Carolum palam transit. Quibus rebus Christiano nunciatis, nihil ille prius duxit, quam movere in Hallandiam, ne, firmato per absentiam suam hoste, spe impunitatis capta, plures ad defectionem traherentur. Itaque vere insequente, magnis copiis coactis, postquam eo appulisset, ut nutantes in obsequio retineret, & perculsos confirmaret, praesidia ubique locat. Inde castra arcibus Ivari admovet; & ex iis Solvisburgum, proximo autumno recipit; sed Lilloum in sequentem usque annum obsidionem toleravit; ac tunc de-

CIↃCCCC LXVII.

CIↃCCCC LXVIII.

CIↃCCCC LXIX.

(a) *Elabi quam prehendi*] Comprehensus tamen, sub custodia ad breve tempus detinebantur Segebergae anno 1467. testantibus Io: Schiphowero *pag.* 182. ac Hvitfeldio *pag.* 210.

(b) *Ita depulso Gerhardo*) Illa, quae hic noster in annum 1466. conclusit, Gerhardi negotia, cumque eo acta, haud sane ad unum cuncta, sed diversos annos spectant, nempe, praeter hunc, qui indicatur, etiam 1469. 1470. ac demum 1473. quo ultimum ex Holsatia pulsus, ad exteros Principes se contulit. Et Gerhardus quidem, postquam signa Caroli Audacis aliquamdiu secutus erat, ac deinde in bellis Anglicanis contra Gallos fortitudinis signa ediderat, tandem in Hispania diem supremum obiit. Quia vero acta eius in Holsatia Ioannes Svaningius in unum collata, continua narratione prosecutus est, Meursius perpetuo Svaningianis insistens vestigiis, nihil immutandum duxit; in eo forte accusandus, quod apponere admonitionem neglexit, prudenter a Svaningio h. l. adiectam; hanc scilicet: *Ea quamquam per intervalla annorum ab Gerhardo Comite in Holsatia gesta sunt, tamen brevitatis causa ordine hoc loco commemorare libuit*. Ceterum ad praetermissa Svaningio, atque Meursio pertinet compositio inter Christianum, ac duos alios Reges, Casimirum Polonum, & Georgium Podiebradum Bohemum, in causa ab anno usque 1462. inter eos controversa, ob iniustum bellum, quo ambo Reges Fridericum Electorem Brandenburgicum, affinem Christiani, persequebantur. Atque lis illa, quae ad publicam etiam armorum denunciationem inter Danos, Polonos, & Bohemos pervenerat, anno 1466. sopita, Caesaris interventu. Pauloque antea Foedus inter Christianum, & Angliae Regem sancitum, cuius apographum sistit nobis Rymerus *Tom. XI. pag.* 551.

(c) *Affinitate Caroli*) Nam Ericus Axelius, Ivari frater, Caroli Regis sororem in matrimonio habebat; ipseque Ivarus, priore coniuge orbatus, hoc anno nuptias cum Caroli filia celebravit. Horum (Erici & Ivari) frater fuerat Olaus ille, de quo superius meminimus: patrem autem habuerant Axelium Petraeum, virum in equestri ordine apud Scanos, & Hallandos sua aetate eminentem, multorumque liberorum patrem. Equidem eorum neminem invenio, uti nec patrem, familiae illud cognomen usurpasse, quod filii, ac nepotes assumserunt, *Tottiorum* scilicet. Interim ex ea certissime fuerunt gente, hodienum tum apud Danos, tum Svecos florentissima, atque ut insignia [seu gentilitia arma] docent diplomatum sigillis impressa, permagnam vetustatem habente.

(d) *Non potuerat*] Praecipua vero causa erat, quod Ivarus, tutor liberorum defuncti fratris sui Olai Axelii, Tranekeram Langelandiae arcem, Olao olim pignori a Rege Erico Pomerano oppositam, a Christiano vero, postquam creditori e reditibus plane iamdudum esset satisfactum, ex sententia Senatus regni ereptam, nunc reposceret, ac repulsam esset passus.

CIϽCCCC LXIX.

demum expugnatum, ſolo aequatur. Iſtis in Hallandia geſtis, & recuperatis his munitionibus, Chriſtianus, quum in Svecos rebellantes, Carolumque revocatum, proficiſci ſtatuiſſet, ne legitimo ſucceſſore regnum Daniae careret, ſi quid forte humanitus ſibi in hac expeditione eveniret, filium ſuum Ioannem, annos iam duodecim plus minus natum, in conventu Scanienſi, ante Lundiam, loco regibus eligendis dudum proprio, ſummo procerum conſenſu, ad diem VI. menſis Iunii regem deſignari curat (a). Per quod tempus, quum Islandiae praefectum, grandius vectigal (b) forte extorquentem, mercatores illic Angli occidiſſent (c), irritato ea caede in gentem univerſam animo; tum quod donativum item, proavo materno Henrico, Holſatiae comiti, nomine militiae debitum, necdum tunc ſolutum eſſet, quatuor eorum naves detinet, capit, & impoſitas merces diſtrahit. Hinc Vandalicis mercatoribus, qui in Anglia, ingens malum concitatum; quippe capti, ac carceribus mancipati, & rebus omnibus ſpoliati graviter affligebantur; quum inſimularent Angli, ipſorum inſtinctu Chriſtianum haec egiſſe: neque perſuaderi ſibi paterentur, non commune iis quicquam cum Danorum rege eſſe. Mox in bellum res erumpit: quod, quum multa paſſim damna Angli acciperent, vix componitur. Hinc in Sveciam claſſem armat, quae quum navem Lubecenſem, plurimis onuſtam mercibus, ceu hoſtilem, quod e Svecia adveniret, alteramque e Livonia, invaſiſſet, Lubecenſes mox commercia ſuſpendunt, & legatum ad regem mittunt, qui erepta reddi poſtulet; ſed, quum id, diſtractis multifariam mercibus, fieri nullo modo poſſet, nequicquam legatio fuit: cautum tamen, ne deinceps damnum ullum paterentur. In Svecia duae arces erant, quae obſequium in regem retinebant. Has Ivarus, de quo paullo ante dixi, magna comparata manu, oppugnare eſt aggreſſus: ſed, praeſidio validiſſime repugnante, & immiſſo a rege auxilio, diſcedere ab obſidione coactus fuit; quumque poſtea, ignominia irritatus, Daniam ipſam armis peteret, ibi ſe felicius pugnaturum ratus, rex, accepto rei nuntio, in campo Herlingo, ad Elinsburgum, ei occurrit. Diu acris pugna fuit; & victoriam in principio pugnans fortiter Ivarus ſatis dubiam faciebat: ſed poſtremum, inclinante eius acie, in fugam actus, totum ſecum exercitum traxit. Dani vero, fugientes perſequuti, magnam ſtragem edidere: captis, & occiſis plurimis. Fracti ea clade Sveci, ne rex copias promoveret, & in totum porro regnum impetum faceret, pacem petunt: Sveciam offerunt, Carolumque ſe honeſta aliqua tranſactione amoturos pollicentur. Eam in rem mox Lubecam affuturos, qui cum plena poteſtate, de communi omnium procerum conſenſu, hoc negotium tractarent. Si eodem rex venire non gravetur, ſe ſperare, facile controverſiam diremptum iri. Ideo vero Lubecam ad conventum deſtinare, quod, ob mutua gentis utriuſque odia, neutro in regno locus dari tutus poſſit. Rex, ut pronum in pacem animum teſtaretur, accipit, quae offeruntur, arma ponit, & in Daniam regreditur. Vbi quum res ordinaſſet, Gerhardo fratre, & Epiſcopis item tribus, plurimiſque regni procerum comitatus, Lubecam tempore conſtituto proficiſcitur. Sveci, diu exſpectati, poſtquam tamdem acceſſere, ventum adverſum cauſati, moram aequo longiorem excuſarunt. Vt conventum aliquoties, nil effectum tamen fuit; certis Svecis, quamquam id diſſimularent, ad obſequium non redire. Etenim ſic ſtatuebant, facile ſe mediam inter duos reges libertatem tuituros; ſi potentiam Chriſtiani formidandam Caroli obiectu frangerent, Carolique inſolentiam rurſum metu Chriſtiani coercerent. Itaque mox, re infecta, diſceſſere. Dum autem illi exſpectantur, rex querentes damna accepta terra pariter, marique mercatores benigne admittere, & audire; ac, putato uniuſcuiuſque damno, partem eius ære praeſente ſarcire, de cetero vero cavere, Chilone urbe, atque arce pignerata. Quod a Lubecenſibus admodum callide actum, uti portu eius urbis, qui id temporis ob commercia omnis generis, multo celeberrimus erat, potirentur. Ideoque, conſtituto paullo poſt ibidem loci publicano, pecuniam ex mercimoniis more priſco redire ad ſenatum ſolitam, ipſi totam intercepere. Qua de re quum Chilonenſes apud regem quererentur, ita eum permoverunt, ut mox & redimeret urbem, & ſenatui reſtitueret.

CIϽCCCC LXX.

Sveci, rege ſic deluſo, poſtquam domum abiiſſent, Chriſtianus, non ferendam ſibi contumeliam ratus, comparatis propere copiis, rurſum Sveciam tentavit; ſumma hieme, quum venturum nemo crederet; itinere in montoſa plane regione, tranſitumque tantum anguſtum exhibente difficillimo. Quod quum

(a) *Regem deſignari curat.*) Hvitfeldius quidem primo Ioannem, Regis filium, 1455. eodem ſcilicet, quo natus erat, anno, Regem a Danis deſignatum memorat. Deinde ann. 1458. ſi etiam in Sveciae, & Norvegiae regna ſucceſſorem declaratum ſcribit. De ſolenni vero aliqua declaratione poſtea facta cum Ioannes duodecimum annum attigiſſet, aut circiter, nuſquam meminit. Attamen de hac ultima, quod & expetita fuerit, & ab ordinibus regni praeſtita, nullo modo dubitandum. In tempore ſaltem nonnullus diſſenſus deprehenditur. Noſter, ex Suaningio ſuo de anno 1469. loquens, & tamen duodecim tantum annos Ioanni tribuens, ſibi ipſe contradicit. *Chronicon Epiſcoporum Lundenſium*, (tam in editione Th. Bartholini, *pag.* 48. quam in Ludewigiana *pag.* 175.) refert ad an. 1467. ſedente Archiepiſcopo Tuvone. Verba ſunt: „ Item huius (Tuvonis] tempore anno MCD.LXVII. ſabbato Trinitatis Sereniſſimus „ Rex Chriſtianus fecit filium ſuum Dominum Iohannem eligi „ in Regem, ſi ipſum eundem ſupervivere contingeret, in placito „ generali Schaniae. „ Magnus Matthiae in *Serie Regum Daniae MS.* dubius eſt inter ann. 1466. & ſequentem, ſic ſcribens: „ Anno Domini 1466. vel proxime ſequenti, ſub feſtum Trinitatis, in Regem eligitur Daniae Iohannes Chriſtierni filius. „ Olaus Wormius itidem annum 1467. indicat, quippe Ioannem tum duodecennem ſtatuens, *Monumentor. Dan. lib. I. pag.* 89. „ Eodem in loco (inquit) Lybershoy Ioannes iam duodecennis Rex deſignatus eſt, atque iterum a Broſtorpio Archiepiſcopo repetito iuramento Rex ſalutatus, „ ſed hic omnino erratum in Archiepiſcopi nomine, cum Broſtorpius primum ſedem hanc adierit anno 1472. Tuone eodem anno *fer.* 3. *poſt Dominic. Quaſimodogen.* extincto.

(b) *Grandius vectigal*) „ Non vectigalibus grandioribus oneratos, „ ſed praefectum noluiſſe ipſis concedere negociationem, eo quod „ contra pacta inter Reges inita abſque litteris permiſſionis a Rege Chriſtiano impetratis illuc veniſſent. „ *Frid. Gunther.*

(c) *Angli occidiſſent*] Contigere haec anno 1468. ut ex monumentis authenticis confirmat Hvitfeldius. Sed anno 1469. conventu Lubecae inter Danicos, & Anglicos legatos habito, res ad inducias in biennium duraturas venit; tota vero controverſia demum anno 1474. Traiecti ad Moſan terminata.

CIↃCCCC LXX. quum Sveci accepissent, in paludes, atque silvas confertissimas, cum uxoribus, liberisque sese abdunt, & munitiones struunt, densa arborum concaede. Christianus, postquam eos insequutus, ad Tyvvediam usque silvam pervenisset, statim insidias Petrus Oxius deprehendit. Itaque cohortes aliquot levis armaturae mittit; & nonnullos e peditibus, qui explorent, hostiumque numerum pariter, & consilium speculentur. Sveci vero, quum deinde impetum in munitionem Dani facerent, sine ullo sane negotio propulsantes, plurimos interfecere; &, mox etiam erumpentes, atque in latus incurrentes, quum non parvum item numerum cecidissent, mox regressi, intra munimentum sese recepere. Ita cum suorum clade rex recedere coactus, partim adsperitate hiemis, partim pabuli inopia, copias demum reduxit. Vix haec gesta, quum e vita excessisse Carolus adnuntiatur. Quo defuncto, rursum proceres, de constituendo illi successore agitantes, dissedere. Salistaeus, aliique (a) revocandum Christianum; alii, obniti pertinaciter, & Svantonem (b), Caroli e sorore nepotem, quem is moriens designasset, eligendum existimare. CIↃCCCC LXXI. Christianus, cui Sveciae vindicandae tempus opportunum esse videretur, magno undique militum collecto numero, & instructa in portu Lubecensi classe, eo tendit. Vbi postquam adpulisset, Brunchebergum, editum ad Stocholmum montem, statim occupat; positisque ad radices eius castris, urbem obsidione cingit. Sveci, quod desperant armis, dolo obtinere posse, animum inducunt. Itaque, subspensum eum per blanditiam detinentes, moras nectunt; dum absumto commeatu, & redacto ad extremam inopiam milite, minimo suo discrimine; fractos viribus, animisque integri ipsi invadentes, debellarent. Sensit dolum, quamquam sero Christianus; nam, consumto pene omni commeatu, Dalecarlos, qui fortissimi inter Svecos censebantur, adventare nuntiatur. Ac vix aderant, quum erumpunt oppidani, atque a fronte regem invadunt, Dalecarlis contra tergo imminentibus. Rex, ut erat animo magno in periculis, & intrepido, ocyus ordinata acie, suos ad virtutem hortatur, & alacriter pugnam init. CIↃCCCC LXXI. Anceps diu praelium fuit; ac rex ipse quum gregarii militis instar quam fortissime dimicaret, sagitta ab hoste (c) immissa, dentes anteriores duos ei excussit; &, in fauces usque penetrans, adeo inhaesit, ut deinde non minore cum periculo, quam dolore extracta fuerit. Itaque fatiscentem aciem porro impellentes Sveci, tamdem vincunt, & ingentem stragem edunt; multi caesi; multi, dum in classem suam fuga evadere connituntur, aqua mersi, neque pauci etiam capti. Christianus cum reliquiis domum repetit; neque ex eo tempore quidquam ultra in Sveciam molitur, sive bellandi pertaesus, & parcendum deinceps sanguini subditorum arbitratus, cuius potissimum rationem bono principi habendam sciret; sive cum animo suo reputans, regna quaevis fato dari, & auferri; denique etiam, ut fortuna adhuc integra, quae corrumpi clade aliqua maiore plane poterat, ius in regnum illud suum heredi illibatum traderet. Itaque otio, & quieti (d) sese dedit; CIↃCCCC LXXII. animoque ad pietatem applicato, aedibus sacris, & egenis, ac invalidis multa passim elargitur. Sacrorum antistites, partim summa liberalitate fovet, CIↃCCCC LXXIII. partim etiam magno in honore habet; eos maxime, quos doctrina eminere intelligeret; multis illud in non erudito principe, demirantibus. Post haec etiam Romam ire, voti reus, animum inducit; & adiungit sibi comitem Ioannem Saxonem Lavvenburgicum, principesque, ac praesules extraneos alios; tum e suis ditionibus, nobilissimo quosque genere, viros centum quinquaginta. Iter incipit ineunte Ianuario; ac, profectus Segebergo, inter viam Imperatorem Fridericum III. adit, CIↃCCCC LXXIV. Rotenburgi tunc agentem. A quo exceptus honorifice, & pro regis tam potentis dignitate, post sermonem de regnorum suorum statu, ac ceteri orbis Christiani, de Dithmarsis mentionem illi iniicit: *esse in suis ditionibus, intra Imperii Romani fines, gentem admodum ferocem, finitimis gravem, nulli principi subie-*

(a) *Salistaeus, aliique*) Ex praecedentibus notum est hoc *Salistaei* nomine intelligi Archiepiscopum Vpsalensem Ioannem Benedicti filium, cuius pater Benedictus Ionae, ex familia *Bielkiorum*. Eidem autem viro aliquam rerum partem anno 1470. gestarum adtribuere, mera hallucinatio. Nam Antistes ille iam anno 1467. mense Decembri vitam cum morte commutarat. Successor eius Iacobus Vlphonis filius, quamvis haud volente Carolo, ad sedem Vpsalensem evectus, tamen ab obitu eiusdem Roma reversus, Christiano haud magis favebat, in partes Stenonis Sturaei, novi Sveciae gubernatoris, prorsus inclinatus. Vid. *Chron. Scond.* Messenii *Tom.* IV. *pag.* 31.

(b) *Svantonem*) Erravit Svaningius, Meursiumque hic seduxit, Svanaonem, qui serius, & quidem sub Ioanne Rege vixit, pro Stenone nominando. Steno enim Sturaeus fuit, quem ex sorore sua natum moriens Carolus civibus suis commendavit; hi vero ducem exercitus, & gubernatorem regni brevi post constituerunt. Idem Steno postmodum in historiis dictus fuit *senior*, postquam alter eodem nomine *iunior*, Svantonis filius, tempore Regis Christiani II. exstitit.

(c) *Sagitta ab hoste*) „ In narranda hac expeditione non con„ venit Hvitfeldio cum hoc nostro, in particularibus: vulne„ ratum Christianum ambo narrant, quod vero hic sagitta fa„ ctum dicit, ille ait, *med & Lod*, hoc est, *globo sclopeti* „ *vel bombardae*. *Frid. Gunther*. At, si Svecicos Historicos consulamus, pariter incerti erimus, utro teli genere excussi aliquot dentes Regis ore fuerint. Io. Magnus Gothus, Regem ait *ictu muralis tormenti, quod bombardam vocitant, impetitum, quatuor dentes una cum magno exercitu amisisse*, *lib.* 22. *cap.* 10: Chronic. Rhythm. Svec. *pag.* 511. similiter habet; sed alia eiusdem editio tres tantum dentes memorat. Cum Meursio, (haec sua cum ceteris ex Svaningio describente,) plane facit Loccenius, nisi quod numerum dentium excussorum e Ioanne Magno desumat.

(d) *Otio, & quieti*) Sunt tamen, quae commemorare ad hunc annum, nullus, modo instructus fuerit, Historicus omittet. *Primum*, pactio inter utriusque regni Daniae, Sveciaeque Senatores inita, & ab ipso Stenone Sturaco adprobata; qua conventum, ut esset inter regna, eorumque incolas pax perpetua, neque sibi ulterius molesti essent, sed auxilia contra alios mutua praestarent; libere frequentarentur ab omnibus hinc, & inde regna; omnia denique adhuc controversa quae haererent, tam de praefecturis, quam de ipso Sveciae regno certis iudicibus demandarentur, Calmarniae proximo anno diiudicanda. *Alterum*, Foedus inter Christianum, & Ludovicum XI. Regem Francorum, defensionis perpetuae causa, ac ut alter alteri contra quoscumque bello invadentes succurreret; Regisque Daniae filio Ioanni filia Regis Galliae Ioanna in matrimonium daretur, sancitum Edinburgi die 7. Septemb. 1472. Scilicet foederis conciliator fuerat Rex Scotiae, iam anno 1469. Christiani I. gener factus. Attamen successu caruit, incertum quibus de causis illud cum Ludovici XI. filia coniugale pactum. Scotici matrimonii mentionem Meursius ad Historiae Christiani I. calcem reiecit.

CIƆCCCC LXXIV.

biectam, & libertate usurpata insolentem. Eam sibi, quando non sit e re publica, populum sine principe agere subiici petit; tum Holsatiae, ac Stormariae comitatum, ac Dithmarsiae regionem in ducatum commutari. Nec gravatus Imperator, adnuit amici regis postulatis; &, exstincto vetere comitatus titulo, ac ducatu ex tribus illis ditionibus uno facto, regi hunc solenni in talibus more confert; literisque in rem istam requisitis donum firmat. His acceptis, iter institutum urget; & magnifice passim adceptus ab Italiae principibus (a), urbibusque, mense Aprili ineunte, Romam venit. Summum tunc Pontificatum Sixtus IV. obtinebat; qui regnorum trium regem potentissimum, cuius fama iam adventum (b) anteverterat, obviam misso Cardinalium senatu (c), summo cum honore excipit, & hospitium in palatio suo (d) tribuit; ac, sermone aliquoties collato, plurimis eum donis ornat. Inter quae ex auro rosa (e), tantum maximis principibus, quorum sibi gratiam obstrictam cuperet, dari solita. Atque haec reversus postea in sacello aedis summae Roschildensis, ad australe latus sito, dedicavit. Insuper, quum literarum dignitatem, quamlibet indoctus ipse, apud animum reputaret; & obscuram ceterarum rerum gloriam sine literarum luce, committendum non putavit, quin per hanc occasionem erigendae in sua Dania Academiae potestatem a Pontifice impetraret. Idem sibi ante ipsum Ericus X. proposuerat, & licentiam a Martino V. Papa annis ante quatuor, & quinquaginta obtinuerat. Verum bella mox exorta, & tumultus rem praeclaram protraxere, ut virtuti Christiani laus haec, quasi fato quodam, reservata videatur. Votum quoque de visenda terra sancta nuncupaverat; sed hoc eum Papa Sixtus liberavit. Inde, dies unum & viginti in urbe commoratus, domum redit. Et, Alberto marchione, cuius e Ioanne fratre neptem sibi uxorem duxerat in itinere salutato, quum adpropinquaret Rheno, evocatis ad se ducibus Friderico Brunsvicensi, Magno Megapolitano, & comitibus Iacobo Ruppino, ac Gerhardo item fratre, gravem illam controversiam inter Carolum Burgundum (f), qui Novesium eo tempore obsidebat, & Coloniensem Ecclesiam com-

(a) *Adceptus ab Ital. Principibus*) Haec ex Diario itineris Regii excerpta fusius legenda exhibet Ioannes Petersen in *Chron. Holsat.* exque eo Hvitfeldius. Occurrunt quidem nonnulla apud Italos Scriptores, sed pauca; ex. gr. Vmbert. Locat. de Placentiae origine *pag.* 154. „ Anno 1474. d. 29. Martii „ Christianus Rex devotionis gratia Romam petens, Placentiam „ ingressus est. „ Leander Albertus *Descript. Ital. pag. m.* 608. de Ludovico Mantuae Principes loquens, inter praeclara eius facta hoc ponit, quod „ Fridericum III. Imperatorem, una„ que Daniae Regem hospitio splendidissime excepit. „ Annales Bononienses, in Muratorii *Scriptor. Rer. Italicar. Tom.* XXIII. *pag.* 900. „ Eodem anno (1474.) Rex Daciae, vel Daniae „ Christiernus, qui trium regnorum erat Rex, venit Bononiam, „ Romam tendens, & ibi existens visitavit arcam Beati Do„ minici, & sepulturam Regis Hentii, qui & fuerat Rex Da„ ciae, vel Daniae, & ibi, scilicet in hac Ecclesia, Equitem „ fecit Annibalem Bentivolum, sexennem filium Domini Ioan„ nis. Ludov Cavitelli *Annall. Cremon.* (*Thes. Ital. Tom.* III. P. 2.) *pag.* 1461: „ Anno natalis Dominici 1475. Cremo„ nae Praetore Philippo Petrasancta Mediolanense, celebrato Ro„ mae Iubilaeo, Christiernus Rex Daciae, Sveciae. Norve„ giae, & Gothiae, die x. Martii Cremonam adplicuit, & „ illinc accessit Romam, ubi adnixus est Principes Christianos „ adversus Turcas unire. „ Bartholom. Dulcinus de *Vario Bononiensium Statu* (*Thes. Ital. Tom.* VII. P. 1.) *pag.* 31. „ Memorabile factum Christierni Regis Daciae, qui Romam „ petens, cum omnia ferme litterarum gymnasia peragrasset, „ excellentia, dignitateque motus Bononiensis Studii, delegit „ tantum in eo duobus ex suis, alteri in Iure Civili, alteri in „ Medicina Doctoratus insignia conferri; ubi Rex veneratus „ Gymnasii dignitatem, adduci non potuit, ut eminentiori loco „ sibi parato sederet, indecorum ratus sibi fore, si eminentior „ eo in sapientum consessu sederet, sed pari subsellio cum eis „ adsidere gloriosum sibi esse respondit, quos universus Orbis „ summa veneratione prosequebatur. „ His addantur duae illae Orationes Augustini Dathi, quibus Reipubl. Senensis nomine Regem nostrum, tum quum Romam iret, tum inde regressum salutavit; inveniendae Orationum eius *lib.* IV. *num.* 65. *&* 66. edit. Senens. ann. 1503. *fol.* 96. *a*.

(b) *Cuius fama iam adventum*) ipse Pontificem de suo adventu Rex edocuerat, quod ex responsione illius manifestum: „ Co„ gnovimus (inquit Papa,) ex litteris Tuae Serenitatis in „ itinere Te esse, ut ad sancta Apostolorum limina venias, & „ successorem Petri in terra hac visites, martyrum sanguine con„ secrata. Laetati eo nuncio plurimum sumus &c. „ Et inferius: „ sine incommodo venies, sine incommodo abibis, „ discrimen nullum in domo patris tui erit; timendum ubi„ que, si non pro meritis, at pro studio nostro praesto erit „ laetitia, & charitas. Ingressus vero urbem adcipieris obviis „ manibus, & paterno sinu fovebere, nullaque pietatis, & de„ votionis officia, quae praestari Catholicis Regibus soleant, a „ nobis, venerabilibusque fratribus nostris, sanctae Romanae Ec„ clesiae Cardinalibus tibi bene merito deerunt. Veni ergo in „ benedictione patris, fili charissime, & pium propositum fe„ liciter imple. „

(c) *Cardinalium Senatu*) Haec & alia Regi nostro cumulate praestita officia narravit in epistola ad amicum data Cardinalis ille Papiensis, qui rebus interfuit, Regisque interdum lateri adhaesit. En verba, unde plura etiam, quam haec addiscimus: „ Nos hic Dacorum Regem honoribus summis ac„ cepimus. Turba omnis curialis egressa est obviam; patres ad „ portam congressi medium illum per urbem ad Basilicam Pe„ tri, inde ad Pontificem perduxere, iuri dicundo tunc publi„ ce praesidentem. Religio summa in summo Rege enituit; „ procubuit in genua ante illius pedes, nec ante se elevari est „ passus, quam sermonibus suis esset responsum. Redeunti in „ cubiculum Xysto, exeuntique ad divina horum dierum, gre„ mia eius semper portavit; lavanti manus pelvim substinuit. „ Inter duos primos Cardinales sessum receptus, non prius se„ dere, non prius tegi voluit, quam utrumque ab utroque „ factum esset. Me hodie ex duobus illi adsidentem rogari per „ interpretem fecit, ut pateremur post omnes Cardinales ad „ osculum crucis eum adscendere; est enim hoc die Para„ sceve. Quum rogarem, cur ita deposceret, ut habeatur, in„ quit, iustus honos summo Senatui. Plura huiusmodi hoc „ solo triduo sunt ab eo praestita Apostolicae Sedi, in quibus „ trium magnorum regnorum Rex a Septentrionibus veniens, „ nobis Italis, quo animo esse in summum Sacerdotium de„ beamus, exemplo suo edocuit. Romae IV. April. MCCCCLXXIV. „ Vid. plura apud Raynald. in h. an. *num.* 1. *&* 2. Btzovium *num.* 10. 11. 12. Wadding ex *Diario Sixti IV.* Ciaccon. de *Vitis Pontificum Tom.* 3. *pag.* 6. & Victorell. ad eum *pag.* 13. Oldoin. *pag.* 37. Plurimos illos Historicos, & Annalistas, Germanos, Flandricos, alios, qui eius itineris meminerunt, sciens praetereo.

(d) *In palatio suo*) Btzovius in ann. 1484. §. 6. ubi Sixti IV. gesta recenset: „ Christiernum virum religiosissimum, Da„ niae, Svetiae, Norvegiae, & Gothorum Regem, voti „ causa ad limina Apostolorum, & ad se salutandum, mira „ cum devotione venientem, magnificentissimis sumtibus in „ Palatinis aedibus excepit. „

(e) *Ex auro rosa*] Non tantum Nauclerus, Crantzius, Ioan. Schiphowerus, Hamelmannus in operibus notissimis, atque Felix Fabri *Histor. Svev. lib.* 1. *cap.* 9. imo plures Germanorum, hoc testantur, sed & ex ipso Regis *Diario* referunt Petersenius, & Hvitfeldius. De Btzovio nihil dico, quum is solos de *Rosa* testes habeat Nauclerum, & Alb. Crantz. Miror autem Svaningium in *Historia MS.* nullo de ea verbo meminisse, tam prolixum alioquin in ceteris enumerandis donis, quibus a Papa Rex adfectus. Ecce enim ipsius verba: „ Potagium pretiosissimum, thoracem, pileum, vestes, „ quas ipse consecrarat, Sixtus ei donavit. His addidit mulam „ auratis phaleris cum ephippio ornatam; & caput aureum, se„ ptingentorum ducatorum valore aestimatum. His superadiecit „ aureas cruces, & in his de ligno Sanctae Crucis portionem, „ imagines de puro auro, quos Agnos Dei vulgo adpellant; „ item mantilia, sudaria sacrata, atque gratias, tot, quot & „ quantas Rex postulare maxime voluit. „ Add. Mersen. *Tom.* IV. *pag.* 35.

(f) *Carolum Burgundum*) Permulti sunt Scriptores, qui hoc testimoniis suis confirmant, Meyerus *Annal. Flandr. lib.* 17. *pag.* 414. Reiner. Snous *Rer. Batav. lib.* XI. *pag.* 165. Pon-

tus

CIƆCCCC LXXIV. componere nisus, quum conatus frustra esset, tamdem in Daniam regreditur. Vulgo creditum, ideo ipsum ad Burgundum deflexisse, ut cum eo foedus iceret, ad Vandalicas civitates post id bellum iunctis viribus oppugnandas (a). Per id tempus in Norvegia Berga civitas, incertum unde, aut quo modo coepto incendio, pene tota conflagravit; adeo grassante flamma, ut vix eripi quidquam posset. CIƆCCCC LXXV. Anno proximo ad struendam Academiam, cui rei privilegium Romae pridem a Pontifice impetraverat, animum vertens, quum dispiceret de loco, advocatis in consilium senatoribus, urbem Hafniensem legit; ratus, Musis neque dignius domicilium dari posse, quam in ipsa Regum sede; nec commodius, quam in urbe regni prima, ubi CIƆCCCC LXXVI. omnia vitae commoda abundarent. Quo peracto, quum biennium summa in quiete egisset; CIƆCCCC LXXVII. & Ioanni filio suo, regni heredi, matrimonium circumspiceret; e Saxonia id petendum arbitratus, mittit ad Ernestum ducem, ac septemvirum Imperii, Albertum Episcopum Lubecensem, Ericum Oxium (b), aulae praefectum, & praepositum Hamburgensem Albertum Clitzingum. Hi, mandata exsequentes, quum Christinam Ernesti filiam, sex & decem annos natam, in uxorem regis filio petiissent, perhonestam orationem facile obtinuerunt. Itaque mox illam Albertus, Marchio Misniae sponsae patruus, cum Episcopo Mersburgensi, & magnifico comitatu, anno proxime insequuto, Rostochium dedu xit. Vbi exceptus a supremo regni antistite Ioanne Brocstorpio, & primatibus viris aliis, ordinisque senatorii, inde in adversam Fal striam mox deducitur, atque hinc in Sialandiam. In quam postquam adpulissent, Christianus cum equitibus quingentis, venientes honorifice valde excepit, Hafniamque sic de duxit. Vbi porro extra urbem obviam procedens sponsus cum equitibus trecentis (c), eodem vestium colore, post amplexum sponsae suae, reliquum eius comitatum perbenigne salutavit. Atque inde in urbem, & arcem itum fuit; moxque in primaria aede, ad diem VIII. Id. Septembris, confirmato CIƆCCCC LXXVIII. matrimonio, nuptiae magnifico admodum adparatu celebratae. Acti & equestres ludi, quibus Marchio Albertus, sponsae, uti dixi, patruus, magnam laudem reportavit. Post haec novae Academiae, cui ante tres iam annos locus Hafniae designatus, & interea etiam paratus fuerat, curam repetens Christianus, CIƆCCCC LXXIX. dat mandatum Petro Alberto, ut futuros professores convocaret. Qui, quum iussa perfecisset, anno proximo universos introduxit, & inauguratio facta est ipsis Iunii Kalendis coram Rege, & Episcopo Roschildensi, item aliis praesulibus, ac nobilitate regni. Quibus actis, mox Rensburgum Holsatiae urbem proficiscitur; ac Dithmarsos convenire illuc iubet, & legatos Lubecensium, Hamburgensiumque vocat. Quumque convenissent omnes, Friderici Imperatoris literas promens, petit: *ut Dithmarsi obtemperent, ac coniuncti cum Holsatia, & Stormaria, se deinceps ducem adgnoscant*. Verum illi respondere: *male doctum Imperatorem, aliena elargitum sibi terram suam esse; & dominum, temporale* (d) *pariter, ac spirituale, ad Bremensem Archiepiscopum pertinere ab eo tempore, quo Dithmarsiae ultimo comite decedente, Hartvvico ipsos Archiepiscopo Bremensium, Fridericus, nominis istius primus, subiecisset; & deinde in illius potestate permansisse*. Regerente Christiano, *ex eo die saepe dominium mutasse, Daniaeque aliquando sub secundo VValdemaro, aliquando Holsatiae comiti, paruisse*; atque his contra dicentibus, *etiamnum praesulem illum praefectos ipsis imposuisse, quae res plane dominatum testaretur, neque se passuros esse, ut a domino tam vetusto separentur*; nec contentionis eius finis esset; tamdem illis annum indulgere placuit, intra quem, quod e re sua videretur, consultarent. Inter ista, adsperatus Christianus, praeter solitam mansuetudinem, multa inclementius agere (e); quodam etiam e nobilitate prima in exilium ire iusso. Qui mox, ad Albertum ducem Megapolitanum profugus, morbo ex dolore animi comparato,

tus Heuterus *Rerum Burgund. lib. 5. pag.* 139. *b*. Francisc. Haraeus *Annal. Ducum Brabant. Tom.* 2. *pag.* 440. Chron. Slavic. *pag.* 258. Io. Schiphower. *Chron. Oldenburg. pag.* 184. Paralipom. ad *Chron.* Conr. de Lichtenau *pag.* 427. Vbbo Emmius *Rer. Frisicar. pag.* 410. Hamelmannus denique, & alii, quos enumerare haud opus.

(a) *Iunctis viribus oppugnandas*) Iuvat ipsum audire Svaningium ex quo haec desumta: „ Spargebatur praeterea vulgo fama de „ adventu Regis in castra Caroli Ducis, quod Rex cum eo „ foedus, tum inierit, ut praesenti bello fine imposito, du„ ctis per Westphaliam copiis, ad oppugnandas urbes Vanda„ licas Regi auxilio veniret. Sed quid non somniat vulgus, „ quod pro suo captu omnia fingit, atque interpretatur? „

(b) *Ericum Oxium*) Mendose *Oxium* vocat, cognomine quidem alii ex nobilitate Danica familiae, non autem Erico, de quo nunc agitur proprio. Ac sane in Manuscripto Svaningii exemplo, quod mihi ad manus est, non tamen eius manu exarato, idem vitium cernitur. Sed Svaningius, quod ex aliis eius scriptis constat, malo charactere usus, facile quemvis librarium potuit in talibus haesitantem, atque errantem facere. Neque dubito ipsum hoc loco scripsisse *Ericum Otsen*, quod latine sonat *Ericum Ottonis filium*, tum temporis Suriae regni Magistrum, ac Senatus principem, virum antiquitate generis, & meritorum amplitudine sui aevi clarissimum. Erat autem e Rosencrantziorum gente, Dn. Ivari Rosencrantzii de Rosenholm Equitis Ordinis Elephantini, & S. Reg. Mai. hodie a Consiliis Status intimis &c. Magni Musarum, & bonorum hominum patroni, tritavus.

(c) *Equitibus trecentis*) Hvitfeldius, cui *Diarium*, ut vocant, ipsum ad manus fuit, obviam processisse sponsum ait, cum equitibus septingentis, quibus eiusdem formae, & coloris erant vestes, virides nempe, fimbriis versicoloribus, spadiceis. caeruleis, atque albis obsitae. Ceterum de his nuptiis, aliisque ad sponsae genus, natales, fata &c. spectantibus, egit peculiari dissertatione Doctiss. Vir Herm. Vlr. de Lingen *Opusculor. Germanicor.* anno 1730. editor. *Part. I. Diss. V.*

(d) *Dominam temporale*] Corrig. *dominium*.

(e) *Inclementius agere*] Haec ex Crantzio nostri, Svaningius, Meursiusque exscripsere. Sed iniuria fit optimo Regi. Vir enim ex nobilitate Holsatica, quem in exsilium expulit, mitiorem sane poenam haud promeritus, sine dubio passus fuisset graviorem, si in alia incidisset tempora. Erat is Henningus Pogwischius, qui immanis crudelitatis, & tyrannidis in colonos (quorum nonnulli ad arcem Lutke-Tunderam, a Rege ipsi oppignoratam, spectabant,) accusatus fuerat. Iusserat enim (verba sunt *Chron. Sclav. pag.* 264.) „ cuidam „ colono abscindi nasum, & aures, alios quoque capitari, eo „ quod contribuere nolebant ad vota sua; cuidam etiam mu„ lierculae villanae, filius Henuingi Wulfardus nomine, abscidit „ ubera, eo quod noluit proprium filium abdicare, & filium „ suum lactare &c. „ Conf & Hvitfeld. *pag.* 178. Hinc anno 1468. bonis suis mulctatus, Gustroviam concessit. Sed anno 1480. in conventu Kiloniensi postulare a nobilitate Holsatica est ausus, ut ex pactione, & foederis formula anno 1469. sanciti auxilia sibi adversus Regem praestaret. Qua viri temeritate comperta, Rex foederis codicillos sibi exhiberi iussit, atque Segebergam allatos, discidit. Hvitfel. *pag.* 278. Petersen *Chron. Holsat.*

CIƆCCCC LXXIX. Gustrovii, ubi sedem fixerat, diem obiit. Eius filii varie placare regem, sed nequidquam tentaverunt, neque recipi in gratiam, nisi a Ioanne filio, post annorum plurimorum intervallum, multa propinquorum opera, potuere. Irae adeo pertinacis, in mansueto alias rege, causa latuit; quum nonnulli atrox quoddam viri facinus (a); alii linguae inconsultam libertatem offendisse existimarent. Post haec nobiles Holsatiae, qui debere sibi regem praetendebant, Segebergum evocatos, literas exhibere iubet, quibus ipsum sibi obligatum dicerent, ut cognosceret, in quem usum, quonam loco, item tempore, expendissent. Quas quum illi protulissent, separata inter se usura, ac sorte (b), hac promissa, illa vero denegata, universa aeris sui alieni documenta abolevit. Quemdam ferunt indignantem, ita se reiectum esse, petiisse, ut admitti ad regem posset; quumque non admitteretur, vi submoto ianitore, in coenaculum irrupisse, & inventum ibi regem accessisse; tum pecuniam ubi, & quando expendisset, declarasse; ac *pericula memorasse, quae pro ipso bellis Svecicis adiisset; insuper, ab hoste captum aliquoties, ingens libertatis pretium solvere coactum esse. Quod si nunc, pro homine ignoto, & obscuro expellatur, nec benignum sibi regem experiatur, iniuriae, quam pateretur, caelum pariter atque terram sese testes vocaturum*. Haec constanti adeo animo quum dicentem Christianus animadverteret; ac fiduciam verborum veritatis testimonium certum interpretaretur, blande virum adloquutus, bono esse animo iubet, & pecuniam, in tempus quoddam distributam, pollicetur. Quibus in Holsatia actis, CIƆCCCC LXXX. quum in Daniam rediisset, Ioannem Brocstorpium, regni praesulem primarium, cum nonnullis e senatu, Halmstadium in Scaniam (c) mittit, ubi & de renovando reginae Margaretae foedere, & de ipso in regnum rursus admittendo, cum legatis Svecis ageret. Ac in foederis negotio facile Sveci consensere; in recipiendo eo diffidebant. Tamdem isthuc inclinatum, ut Ioannem eius filium, quem consortem regni Danici iam fecisset, regem Sveciae designarent; & pollicerentur regnum simul atque e vita pater Christianus excessisset. His peractis, & soluto mox conventu, brevi interiecto tempore, Lundiam Ioannes venit, atque illic a Brocstorpio Archiepiscopo ante urbem, loco ei rei proprio, repetito iuramento, iterum rex (d), summo populi adplausu, salutatur. Vtque festum hunc annum habuit, ita proximum gaudio, & luctu varium. CIƆCCCC LXXXI. Quippe, ad secundum diem mensis Maii (e) filio auctus Christiano, regni postea herede, ad vicesimum primum (f) eiusdem patrem amisit. Diem ille arce Hafniensi obiit, anno regni tricesimo tertio; ac sepultus est Roschildae in sacello a se exstructo in australi templi latere, in quo & Christophorus Bavarus, cui successerat, tumulatus. Erat princeps, nullis quidem imbutus literis, quod & merito in tam magno Rege Papa Sixtus IV. cum religionis causa, uti dixi, Romam viseret, mirabatur; sed, in Deum pietate, & iustitia, animique magnitudine, moderatione, fide, armorum gloria, munificentia, nulli principum secundus (g). Gothiam extorsit Svecis, inde Sveciam quoque ipsam

(a) *Atrox quoddam facinus*) Ignoratum non dubito fuisse Svaningio, cui solus de eo Crantzius, ut videtur, inspectus. Sed palam fecerunt alii, quos laudavimus.

(b) *Separata inter se usura, ac sorte*) Crantzii fere verba heic retinuit noster, relicta Svaningio longa sua παραφράσει, qua res per se clara haud adeo indigebat. Nude etiam exposuit Auctor *Supplementi Chronicae Sclav. pag.* 264. his verbis: „ Anno Domini 1480. Bartholomaei, Rex Christiernus, praesente Episcopo Lubecense Alberto, & civitatibus, in Zegheberge habuit calculum, & rationem cum suis nobilibus, suas urbes possidentibus, & suis fideiussoribus: & inventum est, quod foeneratorie adauxerant calculo Regis contra fas ducenta millia quadraginta quinque millia marcarum; & dixit Rex, iustum debitum certis terminis solvam, usuram vero numquam; & sic factum est. „

(c) *Halmstadium in Scaniam*] „ Hvitfeldius negat, post tractatus ann. 1476. institutos apud Rodneby, quidquam amplius cum Svecis, vivente Christiano, actum fuisse. „ *Frid. Gunther*. Recte. Nullus etiam, quantum reperire potui, hoc anno conventus Halmstadii, inter Danos, & Svecos, habitus. Nam post annum 1476. quo utriusque regni Senatores Calmarniae in vigilia Assumtionis Mariae mutuo colloquuti sunt, ac deinde die Veneris post S. Bartholomaei festum, quo quatuor e Senatu Svecico delecti ex pactione Conventus Calmarniensis Regem accesserunt Rotnabuae, a quo litteras in Hadorphii *Diplomatum Sylloge*, *Chronico Rhythmico* subiecta, inveniendas obtinuere, haud quidquam ulterius cum Svecis tempore Christiani I. actitatum. Itaque Rex an. 1477. post Epistolam Svecis die 23. scriptam, (apud eumdem Hadorphium *pag.* 300.) Mense Augusto, insequente dari sibi a Senatu Danico litteras postulavit; quibus is testabatur, „ Regem nulla in re officio defuisse, ut pax utrimque coleretur, utque tollerentur illa, quae tot annis Sveciam, Daniamque miserrimum in modum adflixissent, internecina dissidia, bellique incommoda; ac praeterea, ex quo Sveci contra fas, & aequum regnum, quod Christiano Regi prorsus debebatur, retinerent, hunc tamen, ut a caedibus, & sanguine, omnique devastatione supersederetur, consensisse in pacem, atque in diem Comitialem Calmarniae habendum, ubi a duodecim Svecicae, totidemque Danicae partis Senatoribus, plena potestate donatis, ac sacramento obstrictis, super iure, quod Christiano in Sveciam esset, pronunciandum foret &c. „ Et hoc ultimum est, quod sive ex Archivis Danicis, sive Svecicis constat, vivente Christiano fuisse in negotio illo actum. Nec dubito, illud, quod Meursius de colloquio Halmstadiensi anno 1480. refert, plane confictum esse, etiamsi idem Pontanus memorat. Hvitfeldio utique ignoratum fuit, quemadmodum & Svecicis. Ac Pontanus non alium eius habuit, quam Meursius auctorem, nempe Svaningium, crebro in talibus hallucinatum.

(d) *Iterum Rex*) Imo tertium; modo vera prodiderint Hvitfeldius, Svaningius, aliique. Videantur, quae superius observavimus. Sed & novae, atque ultimae electionis testis nobis est Magnus Matthiae Canon. Lund. in *Serie Regum MS.* non quidem anno 1480. ut Svaningius, sed biennio ante repetitae. „ *Anno*, inquit, 1478. *Iohannes Christierni fil in Regem Daniae, & Norvegiae eligitur denuo; ducta simul in coniugem Christina Ernesti filia*.

(e) *Ad secundum diem Maii*) Error est sine dubio, pro 2. *Iulii*. Nam & ipse Svaningius, qui Meursium hic decepit, *in Historia Regis Iohannis* diem 2. *Iulii* recte posuit; & Hvitfeldius eumdem diem clare nominavit in *Christierni II. Hist.* Nam quod idem in *Ioannis* illa *pag.* 1. diem *Conceptionis Mariae* scripsit, (quae d. 8. Decembris celebratur,) lapsus est; voluit enim scribere *Visitationis Mariae*.

(f) *Vicesimum primum*) Ita non solum Svaningius, sed & *Chronicon V.* in *Sylloge Danicorum* Ludewigiana, Magnus Matthiae in *Serie Regum MS.* „ Christiernus moritur Hafniae „ *die* 21. *Maii*, quae est 12. *Kal. Iunii*, vel *die Lunae ante* „ *Vrbani*, *anno* 1481. Hvitfeldius *vicesimum secundum* habet, „ cum h. l. tum initio *Historiae Regis Iohannis*. Continuator *Chronici Lubec.* Alb. Krummedikii, apud Meibom. *Tom.* 2. *pag.* 404. obiisse dicit *anno* 1481. *die* XXIX. *Maii*. Sed forsitan ultimum x. typothetae, aut librarii culpa hic nimium. Ceterum, qui mortem eius ad ann. 1482. reiiciunt Crantzius, aliique, non attendendi; quos refutare, si opus esset, nullus labor foret.

(g) *Nulli Principum secundus*) Incerti auctoris *Chronicon*, inter *Danica* Dn. de Ludewig *num.* V. *pag.* 142. „ Princeps semper humanissimus, & qui, praeter profusionem suarum rerum, non haberet, quod in eo carperetur. „ Alb. Krummedikius Episc. Lubec. in *Chron. pag.* 402. vocat Regem mau-

CIϽCCCC LXXXI. ipſam ſubiugavit; tum Holſatiam, aere maximo redemtam, Daniae addidit. Hinc Dithmarſiam, quamquam plane refragantem, cum Holſatiae, ac Stormariae comitatibus, ducis nomine ſub imperium ſuum accepit. In toto vero eius regno annis tot adminiſtrato nihil adeo eſt, quod culpes; quam, quod Archiepiſcopum Vpſalienſem, ac primatem regni Sveciae Ioannem Benedicti F. Saliſtaeum, tam praeclare de ſe meritum, nimis temere delatoribus aurem praebens, dignitate deturbavit, & captivum in Daniam miſſum aliquamdiu indigne habuit. Sed hoc regum fere fatum eſt, ut, fortuna eminente, cum periculis non exiguis, plurimiſque ſint expoſiti, omnia ſaepe, etiam tuta metuentes, facile, quod timent, credant; & praecipites crimina, nec cogitata, ulciſcantur. At delictum nihilominus emendavit; quum deinde explorata eius viri innocentia, adgnitaque ſua culpa, perbenigne, maximoque cum honore priſcae libertati reddidit; & oſtendit, infelicitate potius, tam excelſae poteſtati quaſi propria, quam malitia ſe peccaſſe. Liberos e Dorothea uxore quatuor ſuſtulit; Olaum in prima aetate mortuum, Ioannem in regno ſucceſſorem, Fridericum Sleſvici, & Holſatiae ducem; ipſum quoque poſt nepotem e fratre regem, & Margaretam Scotiae regi Iacobo IV, elocatam, cui dotis loco datae, praeter cetera, inſulae Orcades; ſed hac lege (a), ut redimere liceret Daniae regi cuicumque, quovis tempore.

HISTORIAE DANICAE

LIBER II.

Qui complectitur Regnum IOANNIS.

Poſtquam diem Chriſtianus obiiſſet, Ioannes filius regnum adiit. Quando vero Sveci pridem, mortuo Carolo Canuti F. nepotem eius, Stenonem Sturam ſeniorem, regno Sveciae praefeciſſent, legati a proceribus Daniae miſſi ad illos petierunt, uti ipſe, cum proceribus regni aliis, convenire Halmſtadium vellet, ad conſilia de communi illic rege eligendo conferenda. Oppidum id eſt Hallandiae, prope ipſum Sveciae limitem, conſtitutum a regina Margareta, ut deinceps trium borealium regnorum proceres, mortuo rege, illuc ad conſtituendum ſucceſſorem convenirent. Steno, quum legationem accepiſſet, ut ambitioſus erat, quique regno quidvis etiam poſt haberet, quamquam nihil ſane minus cogitabat, quam Halmſtadium proficiſci, tamen ne, quae animo agitabat, proderet, blando vultu tempeſtive adfuturum ſe reſpondet. Sed, quum tempus praeſtitutum adveniſſet, uti ſerio a ſe agi fidem faceret, iter init. Verum, ut Alvaſtrum venit, ac recolligendi ſui, aliquam ibi moram ducit, morbum vehementem ſimulat; quem ne quiſquam fictum eſſe exiſtimaret, ſiti pariter, & inedia ſemet conficit. Et, ut porro omnem fraudis ſuſpicionem amoveret, optimatibus, qui cum eo illuc venerant, ſigillum ipſe ſuum tradit; ſimul rogans, quando ne Halmſtadium iret valetudo prohiberet, illi tamen ſe conferre eo vellent, quaeque de communi rege proceres trium regnorum conſtituerent, ea ut ſigillo ſuo confirmarent. Verum illi, qui in ſpeciem tantum iſta dici ſcirent, accepturos ſe negarunt, & mox etiam dilabentes, re infecta, domum quiſque redierunt. Haec quum Danis nuntiata, ipſi, una cum Norvegis (b), qui in foedere perſiſtebant, ele-

manſuetum, liberalem, ac munificum. Auctor *Supplement. Chron. Slav. pag.* 267. „ Chriſtiernus Rex Daciae ſpiritum „ ultimum in Koppenhavenis efflavit 22 Maii, non cum moe„ rore multorum. Fuit tamen naturaliter manſuetus, & bo„ nus; ſed lupi ſibi praecinuerunt, & ipſe ſuccinuit. „

(a) *Sed hac lege*) Olim hanc fuiſſe legem adiectam, inficiari palam auſi ſunt Scotorum Hiſtorici, aut etiam in dubium vocare. Sed exemit popularibus ſuis omne dubium Thomas Ruddimannus in *notis ad Buchanani lib.* XII. *cap.* 27. atque ante eum Thormodus Thorfaeus, prolatis ex autographo ipſis tabulis pacti coniugalis *Hiſtor. rer Orcad. pag.* 191. Confer. etiam Nicholſoni *Biblioth. Scot.* edit. Angl. in fol. *pag.* 8. *ſeq.* Atque de nuptiis Iacobi Regis, & Margaretae Danicae agunt, praeter Patricium Albercrombium, Luddimanno loc. cit. laudatum, Hvitfeldius, & Pontanus noſtrates, ad an. 1468. & 1469.

(b) *Vna cum Norvegis*) Non ſane. Atque haud parum hic deflectitur a veritate, minime Meurſii culpa, ſed Ioannis Svaningii. Huius enim verba in *Chronico Regis Ioannis*: „ Haec „ in Daniam poſtquam allata ſunt, Dani adiunctis ſibi Nor„ vagienſibus, qui in foedere ſolenni conſtantes permanſerant, „ Ioanni Chriſtierni Regis filio natu maximo, electionem anno „ priore Halmſtadii factam ratificantes, Regium nomen con„ ferunt. „ In quibus, (ut nihil nunc ſuperius dictis addam, de electione illa Halmſtadienſi anni 1480. quam neſcivit Hvitfeldius, tacent Sveci, ignorant Archiva noſtra,) id quod de Norvagienſibus in anno 1481. traditur, vanum eſt, omnique fundamento caret. Nonne enim ipſe Hvitfeldius in *Chronico* Ioannis *pag.* 5. docet, (quamvis paulo ſuperius *pag.* 2. videatur a Svaningio ſeductus) „ Danos, & Svecos „ anno demum 1482. Halmſtadii conveniſſe, ut novum, qui „ tribus regnis, ex pactione Calmarnienſi ſub Chriſtiano I. fa„ cta, praeeſſet, confirmarent Regem, propoſito ad hoc Ioan„ ne, Chriſtiani filio natu maximo; ſed cum Norvegi, etiamſi „ per litteras invitati, neutiquam comparerent, Svecico Senatui „ viſum, Hafniam aliquos ſuorum mittere, ut ibi de loco & „ tem-

CIƆCCCC LXXXI.

electionem, Halmstadii superiore anno factam, ratam habentes, Ioannem omnes uno ore regem dicunt. Mox Calundeburgi etiam (a) proceres regni, quibus urbium, arciumve demandatae praefecturae, fidem suam cuncti sacramento obstringunt. Fratrem habebat, & hunc unicum Fridericum; cui ut defuncto patre, ditionum paternarum quaedam pars adsignaretur, comitia Chilone indixit. Quo frequentes quum venissent (b), de Slesvici successore, & Holsatiae, ac Stormariae, quos ducatus iure sibi hereditario Christianus adquisiverat, diu consultatum fuit. Aderat Dorothea illic vidua defuncti regis, quae adfectu in Fridericum multo magis, quam Ioannem propendebat. Et Holsatis arbitrantibus, *quando duo regna amplissima Dania, ac Svecia, quamquam haec iam defecisset, in Ioannem recidissent; aequum esse, ut Friderico integri ducatus cederent; Slesvicum quidem instar feudi, unde regno obnoxius deinceps foret; Holsatia vero, ac Stormaria in regnorum tam insignium compensationem quamdam*: illa id probare valde, & urgere. Sed regni proceres sic censere: *quando duo illa regna non successione certa, verum electione varia in quemcumque transferrentur, & Ioannes fortuito haec teneret, non iniquum existimandum, ut Fridericus, aut Norvegiae sibi regnum (c) totum sumeret, inque vicem integros ducatus eos fratri traderet; aut, si illud displiceret, facta distributione, quanta aequitate posset, sorte fratres inter sese partirentur*. Sed sententiae huic alii adversari, adserentes, *eiusmodi divisionem litium, ac bellorum item, quae ex illis nasci solent, fomitem perpetuum fore. Fratribus in praesens quidem recte consuli; verum, postquam vita ipsi excessissent, tum nepotes semina dissidiorum maximorum habituros*. Contra optimates regni, quum contenderent, *si id forte aliquando eveniret, facile componi posse* reginam, & Senatum Holsaticum in sententiam tamdem suam pertraxere. Quippe sic existimabat prudens femina, *incerta admodum regna esse, & precaria quodam modo, quae electione obtinge-*

„ tempore alio statueretur, quo adesse, & comparere trium
„ regnorum proceres plena cum potestate eligendi Regem certo
„ possent. „ Haec Hvitfeldius, qui tamen fallit in loco, *Halmstadium* nominans pro *Calmarnia*. Verissimum enim est, conventum, de quo loquitur, celebratum fuisse Calmarniae. Supersunt in utriusque regni Archivis Danicis, & Svecicis, codicilli authentici hoc testantes; & litteras quidem a Danico Senatu editas produxit Hadorphius *pag.* 308. suntque eae scriptae *Calmarniae anno* 1482. *feria sexta infra octavas Assumtionis B. Mariae Virginis*. Alterae vero, a Svecis Danico Senatui traditae, similes eisdemque verbis conceptae, ibidem, *sabbato infra octavas* eiusdem festi. In utrisq. illud, quod Hvitfeldius exponit, continetur. Ceterum absentiae Norvegorum causa haud melius addisci potest, quam ex ipsis illorum litteris ad Svecos scriptis, quarum, & quidem numero senarum, itidem apud Hadorphium apographa exempla extant a *pag.* 302. ad 312. unde palam fit legentibus, haud multo maiorem inter eos, atque Danos, quam inter hos ipsos, & Svecos, fuisse consensum, ante annum 1483 Tunc enim primum (scilicet initio anni 1483.) conventus ille Halmstadiensis a Danis pariter, ac Norvegis celebratus, Svecis frustra ibi exspectatis. Ac in eo conventu primum coniunctio trium regnorum, de qua tum nihil controversiae fuisse legimus, confirmata est; deinde, post longas, ut satis conspicuum, disputationes, in varia capita, tam a Regis, quam a Norvegorum parte consensum; ita quidem, ut hi non solum suis, sed etiam Svecorum commodis consuluerint. Quae capita in tabulas redacta, atque signata fuere *in festo Purificationis Mariae*, in *Chronico Ioannis* Hvitfeldiano, a *pag.* 11. ad 28. invenienda; sicque demonstratum credo clarissime, falli omnino cunctos, qui hunc actum Halmstadiensem, & Norvegorum accessionem, consensumque ad tempus biennio anterius retraxere, fide scilicet innixi Petri Parvi, aut rectius Ioannis Svaningii. Hic enim verus, & certissimus libri Auctor, qui sub *Petri Parvi Rosefontani* nomine anno 1560. publicatus fuit, cuius adsertionis (a nullo hucusque evulgatae, neque Messenio olim, quamvis de supposito Rosefontani nomine satis esset certus, patefactae,) si quis probationem a me desideret, spondeo utique eam me allaturum, quam nemo non statim adgnoscet inexpugnabilem.

(a) *Calundeburgi etiam*) Sed haec comitia primum habita fuisse anno 1482. testatur Hvitfeldius *pag.* 3. nec non *Chronicon*, vulgo *Skybyense dictum*, (cuius apographum, aut verius excerptum, extat in *Sylloge* Ludewigiana *num.* 2.) verba huius: „ Anno 1482. celebratus est solennis dominorum regni
„ (non, ut male legitur in impresso *Regum*) couventus in ci-
„ vitate Calundeburgensi, ubi fides castrensis omnium regni ca-
„ strorum resignata fuit Dn. Ioanni electo regi, nondum co-
„ ronato. „

(b) *Frequentes quum venissent*) Etiam anno 1482. in Novembri, ut Hvitfeldius *pag.* 6. & Petrus Parvus *pag. N. b.* & quidem diu ante constitutum a Ioanne tempus, Regina Dorothea illud antevertente, ut rebus minoris filii Friderici maturius provideret.

(c) *Aut Norvegiae sibi regnum*) „ De hoc etiam regno litem
„ motam fuisse prorsus non meminit Hvitfeldius, neque ve-
„ rosimile est, propter foedus inter tria regna, quo omnis separatio exclusa. „ *Frid. Gunther*. Sed, quidquid sit de foedere, opinor tamen Ioannem Svaningium (aut, ut creditum hucusque, Petrum Parvum) vix ausurum fuisse, praeter veritatem, & absque idonea auctoritate diserte adeo scribere: „ suasisse proceres regni, quoniam Dania, & Sve-
„ cia regna essent electiva, quo Ioannes non per successionem,
„ sed electionem consequutus erat, Fridericus aut regnum Nor-
„ vagiae totum sibi sumeret, & in compensationem eius regni
„ Ducatus integros fratri concederet, aut si id expedire non
„ videretur, partitis aequaliter Ducatibus una cum regno Nor-
„ vagiae, sua utrique fratri portio per sortem distribueretur. „ Haec, inquam, vix substinuisset litteris mandare Svaningius nisi in comitiis tale aliquid in deliberationem venisse constitisset. Et venisse satis indicat Hvitfeldius, dum *pag.* 7. dicit, *controversiam de Norvegia in aliud tempus reiectam*. Sed nihil adeo extra dubium rem ponit, quam quod postea inter Ioannem, & Fridericum fratres agitatum de illo regno fuit; quippe cuius, tamquam legitimae hereditatis ex antiquo more portionem Fridericus sibi postulabat, Ioannes etiam aliquando paratus fuit dimidium eius cedere, hac lege, si auxilia alter ad regnum, quod tunc ad Svecos defecerat, communibus subigendum auspiciis submisisset. Qua de re tum Hvitfeldius testatur ad ann. 1502. *pag.* 195. (Vid. & Meurs. infra) tum inprimis Corn Scepperus in *Defensione Christierni* Ioannis fil. *pagg. C. 4 b. & D. 1.* neque diffitetur ipse Fridericus in utraque *Responsione* ad Christiernum. Extat enim duplex *Responsio* huius nomine confecta, una scilicet impressa, (sine anno, sed quem 1525. esse multi arguunt,) altera MS. auctore personato *Pio Servilio Ligurino*. Isque in capite illo de Norvegia Fridericum sic inducit loquentem:
„ De Norvegiae interim regno agemus. Et quando non pe-
„ tere, Christierne, partem a patre tuo nostram institimus? An
„ vero non tunc etiam, quum suppetias a nobis postularet?
„ Imo & tunc, & ante saepiuscule; sed nihil profecimus um-
„ quam. - - - Rebellantibus illis (Norvegis) a patre tuo
„ de suppetiis compellati sumus, qui pacis tempore, neque
„ pervenire ad iura partis poteramus nostrae, neque ad tribu-
„ torum annuorum partem admitti ullam &c. In illa vero,
„ quae typis excusa, haec legas, etiam Friderici nomine pro-
„ lata *pag. C. 4. a.* „ Quid? quod ne praescriptione quidem
„ a Norvegia possumus repelli. Dicet Christiernus triginta an-
„ nos effluxisse, quibus ad hereditarii regni successionem, ne-
„ gligentia quadam nostra, ius antiquaverimus. Recte sane
„ proponeret in eam sententiam, nisi vi magis, quam con-
„ temtu caruissemus parte nostra hactenus. An vero umquam
„ iusto titulo, quemadmodum iuris periti loquuntur, Norve-
„ giam totam possedit frater? Sciebat regnum in aequales par-
„ tes sectum, ex altera ad me pertinere. Qua tamdem ratio-
„ ne potuit, tam corpore, quam animo germanum (si unam
„ habendi cupiditatem excipiatis) ab, hereditate reiicere? - - An
„ vero pro derelicto habui, quod toties a fratre primum, dein-
„ de etiam a patruele, ut mihi daretur contendi? &c. Et talia in eamdem sententiam plura, tum ante, tum & postea in eodem libro occurrunt; neque enim parce, aut obiter sive a Sceppero pro Christierni causa scribente, sive a Friderici defensoribus materia haec tractata. Attamen nusquam mentionem fieri videbis foederis inter regna, quasi separationem hoc Norvegiae, aut partitionem eius excluderet; usque adeo, ut secure adfirmare possimus, neutrius Regum Ioannis, & Christiani II. tempore subiisse nostrorum ullius cogitationem, ut ista exceptione contra Fridericum uterentur.

CIↃCCCC LXXXI.

gerent, ac stabilia demum ea, quae hereditate accepta, ad posteros transmitti possent. Et experta ipsa erat; quum non ita multo ante Sveci fidem, quam dedissent coniugi suo Christiano exuentes, bellum grave, & per istud mala plurima, in his oris concitarent. Eapropter de sententia decedens, ac testata, *utrumque sibi filium esse, & aequali caritate*, in aequales item partes dividi ducatus petiit; parvam inde inter fratres de Norvegia controversiam fore rata; cui rei, quotquot aderant optimates, adsensere. Sed quam recte novo regi, & regno Daniae consuluerint, qui ducatum Slesvicensem, sub Erico Pomerano separatum, nec recuperari facilem, vixque per Adolphi mortem restitutum, iterum tunc disiungendum censuerunt, iudicent prudentes rerum. Quae Chilone dum geruntur, proceres Holsati quidam a Christiano pridem in exilium acti, ut in eius rebus dixi, deprecantibus amicis, mox conciliati regi revocantur; redditaque illis bona, fisco addicta. Rex Ioannes, alteram ducatuum duorum partem suo iure consequutus, alteram tutoris nomine, fratris vicem administraturus accipit; & in Daniam reversus, regna insignia sibi petit. Quae in *Meursii Tom. IX.* tertium usque annum nihilominus dilata; sive, quia novi regis mores prius explorare proceres vellent; sive; quia existimarent exspectandum, donec Sveci, qui secesserant, iterum coniungerentur. Interim vero, ut ingenti beneficio suos sibi devinciret, quum ducatus Slesvicensis urbes pene universas, atque arces, vectigaliaque regni oppignorata intelligeret; ad Holsatiam, & Stormariam, mortuo Adolpho duce, ab Othone Scouwenburgico coemendam; ut exsolveret patris debitum, & redimeret pignorata, subditis toto regno suis pecuniam in hanc rem imperat.

CIↃCCCC LXXXII.

Et Holsatiae optimatibus quum Rensburgum, tum Flensburgum convocatis anno proxime insequuto, inter alia summo omnium consensu id obtinuit, ut pro vomere unoquoque (a) bini aurei penderentur. Hac pecunia, ceteraque, quam e regno comparaverat, urbes, arces, vectigaliaque cuncta, quae Holsatis pignori data sic redemit, ut omnino universis satisfaceret, neque quisquam iniuste sibi quidquam ademtum quereretur. Verum, quia rex tutelam fratris sui eo tempore gerebat, de pecunia eadem (b), & ducatuum item distributione, tamquam nimis inaequali (c), ingens postea inter fratrem, filium-

Kkkk

(a) *Pro vomere unoquoque*) Vocabulum census; in Ducatibus Slesvici, & Holsatiae receptum, ubi singula praedia, pagi, oppida, certo *vomerum*, seu *aratrorum* numero censentur, tributaque imponuntur *vomeribus*. Sed Conventus hic Flensburgensis, ac tributum tunc communi nobilitatis consensu indictum, a Scriptoribus Holsaticis, nec non Hvitfeldio rectius ad ann. 1483. refertur. Auctor *Supplem. Chron. Sclav. pag.* 271. „ Eodem anno 1483. facta est diaeta maxima in „ Vlendisborg, Catharinae Virginis, per Regem Daciae Iohannem, praesentibus civitatibus, & tota Militia, ubi tractatum „ est de privilegiis Comitatus, & Civitatum, quae tamen Rex „ non sigillaverat; sed in precariis laborabat, ut quilibet villanus, *vomerem* habens, daret duos florenos. Et intentum „ obtinuit, & omnibus florenis istis congregatis, irruit ventus „ vehemens a facie Aquilonis, & ventilavit omnes, ita ut Rex „ paucos, aut nullos videret. „ In his autem *Precarias* tributa, seu census significare, vernacule *Bede*, non opus, ut moneamus, post amplam eius vocis illustrationem in nova edit. *Glossarii* Du-Cangiani, *pag.* 802. *seq.* ubi & *Precatio* eadem notione.

(b) *De pecunia eadem*) Scilicet dimidiam huius pecuniae partem reposcebat postea Fridericus. Audi verba eius in *Responsione ad Christiern. pag. D.* 3. „ Christiernus primus, pater noster clarissimus - - - quum domi pacata omnia haberet, sive „ prorogatum imperium maximorum Regum more cupiens, „ sive gravibus iniuriis vicinae gentis permotus, ut bello Svedos invaderet - - - ducentena aureorum millia ex ducatibus Holsatiae, Slesvici, ac Stormariae mutuo accepit, quibus voti compos haud ita multo post redditus, titulum, „ sceptrumque Ioanni filio morte felici per manus tradidit? „ - - - - Adpellatus est paterni debiti frater Ioannes, iam „ Rex, & nostrae pueritiae tutor. Itaque exactione publica „ Principatus oneravit, usquequo creditoribus regiam fidem sequutis satisfieret. Ibi nostrae partis subditi (quod in bona „ adhuc hominum memoria est,) dimidiatam crediti summam „ dependerunt. At si diligentius rem expenditis, quid nobis & „ Regiis debitis, ad augendam Cimbrorum gloriam contractis? „ Vobis, mi Christierne, vobis, inquam, ludebatur, quum „ Svecia appendicis vice Cimbris tanta nummorum profusione „ adiiceretur. Vos aequum erat id pendere, quod ad honoris, „ commodique vestri augmentationem gestum fuerat. Mihi toto „ illo bello nec satum, nec messum adserere poterit quispiam, „ & quasi paternae gloriae particeps fuissem, ita nostrarum ditionum expilationem non patitur, ut repostulem Patruelis? „ An vero hic quoque Iurisconsultorum vulgatissima regula servata videtur, iudices: *Qui sentit commodum, debet sentire „ & damnum*? Idne aequum esse iudicabit quisquam, ut filius „ paterna morte ditatus, debitoribus una cum imperio ad se „ transeuntibus, ex pupilli possessionibus, suae fidei commissis, „ tantum desumat, quo ad privatim utilitatem abutatur. - - „ - - - Avus enim Patruelis nostri, quo filio Ioanni relinqueret imperium augustius, quam ipse per electionem acceperat, propterea alienum aes contraxit, & succedaneo in locum, sedemque Regi necessitatem redimendae fidei prius „ datae imposuit. Egone sceptro, coronaque insignis, tria „ regna dicto audientia habui, quod ita subservire ad propagandos Imperii terminos nostros homines oportuit? Egone „ cum fratre communicato nomine Rex salutabar? Egone gravissimorum proventuum particeps umquam fui? Cur ergo ad „ gestum bellum contribuerem? &c.

(c) *Tamquam nimis inaequali*] De hac etiam re multis conquerentem habemus Fridericum in utraque *Responsione*, tam edita, quam inedita. Non vacat, neque locus patitur, omnia illa ut exscribamus. Tantum ex illa, quae impressa est, sequentia dabimus ex *pag. A* 2. *b. & seq* legenda: „ Memoria adhuc recens passim manet multis, quomodo pater „ tuus armata manu me novem annorum puerum prohibuerit, „ ne soli, quemadmodum voluerat avuus tuus, & principatuum „ privilegium expostulat, potestati debitum sacramentum a subditis praestaretur; quinimo Regia praerogativa non contentus frater Ioannes, contra paternas litteras, & firmatam, „ subsequuta morte, voluntatem in suum, & nostrum verbum „ provincias iurare coegit. Equidem haec unus omnium invitissimus recenseo, iudices, nec facerem, nisi publica insultatione eo provocaret patruelis, ut fratris cineres, quos tueri cupiebam, publicitus deferre cogerer. Factumne hercle, quod „ nunc dicam, & ut ipse taceam, permulti tamen novere. Ducatus, testamento patris, & primorum iusta postulatione ad „ me unum pertinentes, nimis inaequali partitione dividuos fecit „ Rex Ioannes, parvulo portionem reliquit, quam voluit, de „ qua mihi per aetatem iudicium nullum dabatur. Cur mirum „ videatur quod dicimus? Consiliarii nulli aderant; frater praesentia exercitus confisus, nihil non adversus parvulum audebat. Ibi vero meo nomine mater elegit, quod solum impetratura videbatur; frustra enim aut omnia, aut multa „ postulatura erat, ubi periculum imminuit, ne si contenta non „ fuisset, nihil consequeretur &c. „ Et nonnullis interiectis: „ post multa huc exitur, ut omnia cicatricem ducerent; Ego „ Canonicus Coloniensis, si Diis placet, sum factus dati „ praeceptores, additum Musis conveniens secretum. Sed factus „ ipso tempore & animo, & corpore grandior, non potui „ literas non odisse, per quas non tam salutem meam, quam „ hereditatis portionem, quantumvis illa parva adhuc restabat, „ quaeri perspexeram. Sub paedagogis aegre persisto, usque „ dum desperatae institutionis signa de me dedissem. „ Porro: „ Quid commemorem, quam saepe divisionis iniquitatem diligentiori examine vestigandam rogaverim? Quam solicite centum millia aureorum ex nostris ditionibus pro fratre soluta, „ mihi reddi postulaverim? Vbi vero precibus magis, quam „ iure aliquid huius exegi, quod tamen iure petere licuisset, „ nihil praeter minas retuli, nisi meo contentus essem, dum „ plura quaererem, fore, ut nihil omnium retinerem. Quid „ facerem? Frater erat, Rex erat. Quoties ad ius provocabam, „ se unctum Regem praedicabat, neminem habere, cuius iudicio sisteretur. Atque haec sub fratre pertulimus, magna de „ patruele spe concepta, quod precibus, & sanguinis vinculo „ flecti posset; quibus frater non est adeo umquam commotus. Ille vero degenerem, ut coniicimus, se existimans fore, „ nisi patris duritiam superaret &c. „

CIↃCCCC LXXXII. liumque Christianum lis exorta est; de qua suo loco dicam. Porro Daniae senatores, postquam regem in regni curas toto animo incumbentem animadvertunt, coronam etiam, quod distulerant iam in tertium a defuncto patre annum, deferendam illi censent. Itaque Hafniam evocatis universis regni ordinibus, etiam Norvegiensibus, ac nonnullis Germaniae principibus, confluentibusque ultro ad solennitatem tantam urbium maritimarum oratoribus, CIↃCCCC LXXXIII. ipso Pentecostes festo, quod in diem xv. Kalend. Iunii incidebat, in primaria urbis aede, a supremo regni antistite, cum Christina uxore sua, coronatur. Vbi ante summum altare cum nonnullis mox equestrem dignitatem, ut in talibus usitatum, contulisset, magno in arcem comitatu est reductus. Aliquot tunc dies acti inter epulas, & equestres item ludos. Per quod tempus Lubecensium, & Gedanensium oratores, de Iacobo Comite Oldenburgensi (a), tunc piraticam exercente, ac multa damna civibus suis inferente, apud regem conquerentes, coerceri virum petunt; simul etiam privilegia a prioribus Daniae regibus varie data confirmari. Isque, ut privilegia quidem confirmaret, facile animum induxit, quamquam eius facti postea, quum ingratitudinem eorum summam bello Svecico comperiret, poenitudo illum cepit; sed, ut in Iacobum absentem, indicta causa, quidquam durius statueret, minime adduci potuit; siquidem, priusquam mare infestum redderet, isthoc se facturum esse, missis literis, certos fecerat, quod ereptam sibi arcem Delmenhorstum opera ipsorum diceret. At Ioannes, regni Daniae iam coronam consequutus, mox Norvegiam classe petit, & Asloiam adpellit. Qua in urbe, rebus regni ordinandis, aliquamdiu commoratus, terrestri itinere Nidrosiam abit; ubi summa gratulatione exceptus, corona quoque ad vicesimum diem Iulii decoratur. Quo peracto in Daniam redit. Hic quibusdam ad bellum Svecis, quod a foedere Margaretae defecissent, inferendum incitantibus (b), facile aurem praebuisset, ni Dorothea ipsum mater revocasset. Illa enim, ut erat animi plane moderati foemina, & prudentia supra sexum suum excellens, sedulo monere filium: *ne cum gente inconstanti, quae promissum patri obsequium, &, obstrictum iuramento, vix septennium tenuisset, armis experiri vellet. Quippe etiamsi vinceret, & iurare in sua eos verba denuo impelleret, nihilominus admodum incertum fore, utrum fidem quam parenti violassent, ipsi servaturi essent. Itaque quietem amaret; & contentus gemino regno, parceret suorum sanguini, ac futurum forte esse, ut, defectionis taedio, ac pudore, sive malis intestinis fatigati ultro ad antiquum foedus revertantur: melius fidem servaturi, quam, non ullis armis acti, verum suo animi motu, tunc obstringerent.* His reginae matris monitis acquiescens, quamdiu quidem illa vixit, nullum in Svecos bellum movit. Interea vero regni Daniae primates omni cura in reducendam ad foedus Sveciam incumbentes, missis saepe ad proceres eius regni literis, ut concordiam, & decretum Margaretae pro virili restituerent, adhortari non cessabant; & id tamdem effecere, uti Sveci ad regnorum unionem sarciendam inclinarent, & Calmarniam eo ipso quoque anno (c) ad diem III. Id. Novembris (d) convenirent. Quo quum Daniae item proceres advenissent, plurimaque ad concordiam conservandam inter sese contulissent, Sveci capita quaedam proferunt, quibus si rex stare vellet, nullam in ipsis moram fore, quin corona etiam Sveciae decoretur. Inter ista callide Steno, qui tunc regno toti praeerat, ut promissa eludere posset, interuerat: *uti debitum qualecumque* (e) *patris Christiani solveret, tum conventus, ut Calmarniae aestate proxima haberetur: atque hic statueretur, cui potissimum borealium regnorum Gothia, quae tunc Daniae suberat; & Schordalia, ac Svvertovia subiaceret.* Quae Ioannes etsi minime admissurus putaretur, nec passurus, ut electio sub conditione fieret: aut ut Gothia (f), belli iure acquisita, iterum in quaestionem vocaretur, tamen quum, concordiae sanciendae causa, proceres Stenoni quaedam concessissent, etiam ipse acquievit (g). Atque ita uno omnium consensu Sveciae rex salutatur. Quibus actis, postquam omnes discessissent, Steno, in Sveciam reversus, quum spe sua excidisse se videret, ac Ioannem, quod futurum non putarat, postquam in proposi-

(a) *De Iacobo Com. Oldenb.*) Filius is erat Mauritii, maioris natu fratrum Regis Christiani I. Vid. de eo Crantz. Metropol. *lib.* 12. *cap.* 12 Hamelmann. *Chron. Oldenb. P. III. cap.* 8.

(b) *Inferendum incitantibus*] Praepostere hoc refertur, quippe quod locum habere nequit, nisi demum anno 1484. iam ad finem vergente, atque post duos conventus cum Svecis habitos, priorem anno 1483. & alterum sequenti anno mense Septembri.

(c) *Calmarniam eo ipso anno*] „ Hvitfeldius hunc conventum „ reponit in annum 1484 „ *Frid. Gunther.* Sed Hvitfeldius meminit tam huius conventus, ad annum 1483. spectantis, quam alterius, anno 1484. celebrati, nec non in utroque actorum. Et uterque Calmarniae fuit habitus. Sed Svaningius, (Meursii nostri auctor, sub persona Petri Parvi) unum tantum nominavit, atque ad eum posterioris acta retulit; unde Gunthero subspicio illa iniecta. Quae vero in priore pertractata fuere, comprehensa extant peculiari libello, *Recessu* vulgo dicto, scripto, & obsignato Calmarniae, *Vigilia Nativit. B. Virginis* 1483. Sveci eumdem publicarunt integrum in Hadorphii *Sylloge pag.* 318. *seqq.* Hvitfeldius praecipua eius capita *pag.* 37. & 42.

(d) *Ad diem* III. *Id. Novembr.*) Rectius fuerit III. *Id. Septembr.* Namque Codicilli in hoc conventu (qui posterior intelligendus scilicet ad ann. 1484. pertinens, ut modo dictum) scripti, & obsignati, alter *feriam sextam post festum Nativitatis Mariae*, alter vero *Dominicam infra octavam eiusdem festi* exhibent. Vid. Hadorph. *pag.* 334. & 337.

(e) *Vti debitum quale cumque*] Sed ad haec omnia capita Rex iam superiore anno 1483. in duobus sic dictis *Recessibus*, primo *Halmstadiensi* illo, inter Daniae, & Norvegiae Senatores in *festo Purificat.* facto, ac deinde *Calmarniensi*, in *profesto Nativit. Mariae*, sese obligatum reddiderat. Igitur lis omnis, & controversia nunc (anno 1484.) erat de tempore exsequutionis capitum istorum, urgentibus Svecis, ut ante coronationem ea omnia a rege praestarentur, Danis autem illud ex verbis pactorum sequi, & quidem rectius, pernegantibus.

(f) *Gothia*) Hoc nomine significatur, & fere ubique in sequentibus, insula *Gothlandia*.

(g) *Etiam ipse adquievit*) Caput de *Gothlandia*, *Scordalia*, & *Svvarte*, *querna* (seu *Svvertovia*) non tantum pactioni Calmarniensi cum Svecis factae, sed & Halmstadiensi cum Norvegis, in Svecorum gratiam, insertum fuerat, atque his verbis conceptum, ut *Svecis hac in parte, secundum illud, quod iustam foret, satisfieret, quandocumque illi Ioannem pro Rege, ac Domino suo adgnoscerent*. Hocque inter alia probat illud, quod superius diximus, Norvegos initio regni Ioannci Svecis maxime studuisse.

CIƆCCCC LXXXIII. posita capita consensisset, regem declaratum esse; fidei negligens, qua se pridem in conventu tam solenni obstrinxisset, & obsequium promissum ipse exuit, & complures item alios, quos natura factiosos didicisset, ambiendo, largiendo, supplicando, ad se trahit; &, ut facinus specie honesti tegeret, culpam in Ioannem confert: quasi ille neque solvere patris debitum statuisset, nec permittere, ut de Gothia proceres sententiam ferrent. Sed utrumque quam a veritate esset alienum, ipsi quoque Sveciae primates viri, quibus aliqua honestatis, fideique suae ratio habebatur, & Stenonis animus ambitiosus notus erat, facile intelligebant. Itaque eum accedentes; saepius obtestabantur, *debitum Ioanni regnum, & promissum, ne quid porro intervertere conaretur: neve existimationem ipse suam, procerumve ceterorum, perditum iret*. Sed incassum laborabant. CIƆCCCC LXXXIV. Annus proximus summa rerum caritate, fame, peste Daniam gravissime adflixit; ut dimidia amplius parte homines pariter, ac iumenta toto, regno interirent. CIƆCCCC LXXXV. Qui sequutus, admodum tranquillus fuit; nec Ioannes per hunc quicquam omnino passus, neque fecit: CIƆCCCC LXXXVI. verum, qui excepit illum, laeta adversis temperavit, quippe filium Christianum, annum agentem aetatis sextum, postquam sibi, regni procerum consensu, successorem designasset, animumque ad quietem, & in ea ordinationem rerum adplicare statuisset, pacis cupido causam belli Galli, Angli, atque Scoti obiecerunt. Nam piraticam exercebant; Daniaeque mercatores, quos in mari deprehenderent, bonis suis spoliabant. Cuius rei quum querelae ipsi crebrae adferrentur; isque in Galliam, Angliamque, missis literis, de iniuria quaestus esset, ac nequicquam expostulasset, iustam adeo querimoniam insuper haberi cernens, regni sui senatores Hafniam vocat, in commune consulturos, quicquid ad stabiliendam publicam quietem regni pertinere videretur. Qui, frequentes postquam illuc convenissent, & consilia de negotio gravis adeo momenti contulissent (a), visum fuit, iusto bello latrocinia coercere, & petendae ipsis pacis, quam proterve recusassent, sic necessitatem imponere. Nec cunctatus classem parat; milite, commeatu, implet; addit duces, militia navali claros, sub parente Christiano, Pytchehorsium, & Piningum. Ac successum tam felicem bellum habuit, ut mox hostes per legatos pacem petere sint coacti. His confectis ex sententia, iterum Hafniam senatores convenere. Agitatum est de Gothiae praefectura; quam Ivarus, Axelii F. olim sibi a Christiano demandatam, obtinebat. Is & genere, & auctoritate excellens inter Svecos, postquam coniugem duxisset Caroli Canuti filiam, quem, deiecto Christiano, regnum Sveciae invasisse memoravi, merito subspectus erat inclinati etiam in Stenonem animi, qui quum, contra quam Calmarniae promiserat, regiam sibi dignitatem vindicare decrevisset, minime sane quieturus credebatur, antequam in potestatem insulam hanc redegisset. Itaque visum & periculo obviam ire, & a praefectura eum removere. Ac Steno quidem, qui perspectum sat haberet, quantum ad gerendum cum Ioanne bellum; in hac insula situm esset blande cum Ivaro agere, uti Gothiam, ac Finlandiam, quasque alias tunc gerebat praefecturas, permutare cum nonnullis Sveciae arcibus animum induceret; & efficere tandem etiam, adiutantibus hic amicis, ut Finlandiam, quamvis aegre, ipsi traderet; qua potitus, quum ambitioni suae necdum satis factum esset, uti Gothiam quoque ab eo impetraret, ipse illuc proficiscitur; & promissis quam amplissimis quum nequicquam permovere studuisset, itidem amicos adhibet, & navare operam iubet. Sed Ivarus, quem Finlandia iam extorta offendisset, uti Gothiam quoque traderet nullo modo adduci potuit. Quippe animo reputabat, contra quam rex, proceresve expectarant, se in verba Christiani, cum primatibus regni Sveciae, iuravisse; ac, post mortem Olai fratris, pignori illam ab eodem accepisse: tum in filium Ioannem, regem Sveciae cooptandum, consensisse. Quem affectum confirmante insuper Stenonis odio, mox Stocholmi, in conventu regni procerum cum nonnullis, quorum animos in Ioannem propendere exploratum ipsi erat, id enixe agitabat; ut, Stenonem ab adfectato temere regno submoventes, fidem, quam Ioanni obstrinxerant, semel tandem liberarent. Et hoc quidem tanta sane vehementia conabatur, ut verborum libertate cum Stenonem, tum fautores eius omnes graviter exasperaret; Steno etiam, ut reprimeret adversarium, latrocinia obiectaret, quae in Gallos, atque Anglos pridem is exercuisset: qua re illud effecisset, ut, quae illis damna dederat, ea incolis regni Sveciae universis rursum exspectanda essent. Ac profecto isto crimine adeo certe eum pressit, ut periculum non exiguum compararet. Quanquam neque ille cederet, atque palam minaretur, nisi aliter porro secum agere vellet, novos brevi se in Sveciam hospites introducturum, nempe Russos. Tandem, post sat longam altercationem, amicorum interventu, inter se conciliati, ac Stenoni regni Sveciae gubernatio, idque Ivaro assentiente, iterum permissa fuit. CIƆCCCC LXXXVII. Quae quum, ita gesta essent, Steno, nil Ivaro fidens, licet reconciliato, in proposito de cogenda in potestatem suam Gothia perseverans, quum Calmarniam magno suae factionis comitatu, excurrisset, eum ex Oelandia insula, quam & ipsam obtinebat, ad se vocat. Verum postquam, aliquandiu expectatus non veniret, in Oelandiam traiiciens, misso nuntio, adventum indicat, & colloquium eius poscit. Quumque ille etiam tum cunctaretur, generum suum, Aruidum Trollium, & Ioannem Achonis mittit: qui persuadeant, ne colloquium

(a) *Momenti contulissent*) Addi quoque oportebat, quod Hvitfeldius, neque minus Svaningius habent, Regem produxisse litterarum exempla, queis ad Reges Angliae, & Galliae saepius missitatis pacem, & violentiae cessationem suo civiumque suorum nomine petierat, sed quibus adeo nihil profectum fuerat, ut piratae multo quam antea facti essent mercatoribus nostris formidabiliores.

CIↃCCCC LXXXVII. quium detrectaret. Istis quoque operae irritis, arcem cingit; praecipitque, ita arcte obsidere, ne evaderet poenam etiam minatus, si elabi paterentur. Verum frustra cautio fuit, & Ivarus, quum praesidium ordinasset, nocte proxima clanculum ingressus scapham, Gothiam petiit. Quae in Daniam postquam nuntiata essent, anxium habuere regem, ne Ivarus, ut Finlandia pridem cesserat, nunc eadem imprudentia Gothiam traderet. Etenim sic statuebat; si hanc insulam, quam a Valdemari III. tempore Dani possedissent, etsi semel ab Alberto Sveciae rege occupatam, interverti pateretur, non dumtaxat regni illud detrimentum, verum etiam ignominiam suam fore. Itaque, re in senatu agitata, placuit, non tantum Ivaro eam praefecturam adimere, sed & Svecis, ni promissum exhiberent, bellum inferre. Quo decreto, statim rex delectum agere, & classem navium quadraginta expedire; copias in Gothiam suas, sub Erico Othonio duce, transmissurus. Huius rei postquam nuntium proceres Sveciae accepissent, metuentes ne, praetextu insulae eius vindicandae, rex in ipsos vires universas duceret, & opprimeret imparatos, ut procellam imminentem evitarent, praevertendum censuerunt. Itaque quum convenissent, visum pluribus; *ut Ioannes, iuxta acta Halmstadiana, & in Sveciam vocaretur, & habenas regni acciperet*: alii contra contendebant, *minime committendum esse, ut, quantumvis rebus asperis, se desererent: aut extraneum potius sibi, quam indigenam, regem caperent*; ac sententia horum obtinuit. Mox in Gothiam quum Ioannes appulisset, Ivarus, sive fidei memor, sive odio in Stenonem, ultro portas venienti reserare; vel, ut alii sunt auctores, exspectantem ad Drachoram regem adire; insulamque ei suam, & arcem tradere. Qua recepta, & praesidio confirmata, ac praefecto novo imposito, Ioanne Holgero; quum Stenonem Boringholmum[a], insulae Oelandiae arcem, obsidere, & obsessos graviter premere intelligeret, ocyus opem ferre statuit. Quumque illuc appulisset, consilii incerti obsessores, ad Stenonem, tunc Calmarniae commorantem, & eventum expectantem, litteras mittunt: ac, quid facere ipsos velit, utrum porro urgere obsidionem iubeat, an omittere sciscitantur. Verum ille, ubi regem, cum ingenti adeo belli instrumento, copiisque advenisse intellexit, non iam rebus suis fidens, per legatos eum rogat; *ut colloquio diem, & locum constitueret: se paratum iussa facere, neque etiam dubitare, quin magnatibus regni caeteris idem omnino facile sit persuasurus, si venire in conspectum, atque coram verba facere patiatur*. Quod Ioannes postquam ipsi concessisset, ille, dato mox colloquio, *breviter rebellionem excusare*; *&, quo minus voto eius hactenus satisfactum esset, ut Calmarniae convenerat, eam procerum regni culpam potius, quam suam dicere; nam regnandi legem sibi ab illis dari: neque tam, quod ipse velit, quam quod istis videatur, facere posse*. Inde fidem sacramento rursum obstringit, & promittit, *operam se daturum esse, ut exemplum quoque suum tota Svecia imitetur*. Rex, qui rerum novandarum cupidum Stenonem sciret, & potentia apud Svecos eminentem, uti magis virum sibi devinceret, controversiae inter ipsum, & Ivarum ei arbitrium permittit; efficitque, ut, composito mox negotio, Steno Oelandiae praefecturam, idque Ivaro concedente, obtineret. Sed haec astu a Stenone acta esse, uti regem imminentem a proposito sibi bello dimoveret, impetumque, mora aliqua callide interiecta, frangeret, postea compertum fuit; nam, reverso in Daniam rege, simul loqui suis datum, in contraria cuncta ivit. Quippe animis iterum in spem libertatis, ut vocabat, concitatis, rerum summam denuo deferri sibi procuravit: ita totum se componens, ut cum omnibus modis clanculum regiam sibi potestatem vindicare conaretur; palam tamen fidem in regem retinere videretur. Quod ut regi nuntiatum, scribit ad senatum Sveciae, hortaturque; *ut in fide perseverent, & electionem factam primum Halmstadii, vivo adhuc patre suo Christiano, hinc Calmarniae, eo mortuo, confirmatam, suffragiis consentientibus, porro ratam esse velint; nec perfidiae, tam insignis notam sibi inuri sinant: simul Deum vereantur, qui periuros graviter ulscisci soleat. Famam rei, totum orbem pervasuram; & convitio, posteritatis universae obnoxios fore, non se totam gentem arguere, sed paucorum culpam scire: quos si ipsi comprehensos noxae dedant, aut castigent, ex officio facturos. Pace, & otio nihil sibi prius esse; atque cunctas vitae suae rationes eo sese relaturum, ut tranquillam eam agere, procul bello, voluisse, & regnorum publicae tranquillitati ante omnia studuisse, cognoscatur; quam tam bonam voluntatem ne turbarent, aut ereptum ipsi irent*. In hanc sententiam multa saepius a Ioanne ad Svecos scripta, verum nullo operae fructu; quum Stenonis illi instinctu rem de die in diem semper protrahendo, nihil aliud conarentur, quam suspensum ut perpetuo tenerent, & ab armis capessendis, quae timebant maximopere, submoverent. CIↃCCCC LXXXVIII. Inter haec, exorta Othoniae controversia, quum ad eam componendam, operam Ioannis regis Olaus, abbas Soranus, imploraffet, isque summo regni antistiti Ioanni Brocstorpio rem mandasset, ille, negotium subterfugiens, se ab eo excusavit, & in regem id reiecit. Sed historia eius rei universa paullo altius repetenda est. CIↃCCCC LXXIV. Anno CIↃCCCCLXXIV. quum rex Christianus Romae pietatis causa ageret, quidam e comitatu eius, ipso ignaro, aut conniventе, clam Pontificem Sixtum adeunt, & exponunt; esse Othoniae, in Fionia, monasterium S. Canuti, quod Canonicis secularibus a fundatione prima proprie dicatum esset: verum, a Canuti caede, exturbatis possessoribus, monachos illud invasisse. Itaque enixe rogant, ut excedere eos iubeat; & antiquis, ac legitimis possessoribus restitue-

(a) Boringholmum) corrig. Borckolmum. arcem scil. Oelandiae.

CIƆCCCC LXXIV.

tuere. Sixtus, qui id Christiano non invito fore crederet, dat diploma postulatum, quo coenobio per iniuriam occupato, emigrare monachos iubet; ac canonicis, quibus olim eripuerant, illud reddere. Ae reversi, istud vulgant; & coenobium, olim suum, sine ulla mora repetunt. Monachi, re inopinata consternati, supplices Dorotheam reginam primum, inde ipsum regem orant, obsecrantque, ne coenobio, a maioribus concesso, eiici se tam indigne patiantur. Sed, edicto potiore, quo & sacris interdictum Pontifex pronuntiabat, si quis se opponere auderet, cedere coacti, in aerumnis longe maximis annos totos quatuordecim vitam egere. Quum Dorothea regina, ad exemplum coniugis sui Christiani, tum defuncti, Romam etiam ipsa ire (a), pietatis ergo, instituit, terram quoque Palaestinam aditura, ni Sarracenorum metus a proposito abduxisset. Cuius rei postquam fama spargeretur, adeunt Soranum abbatem, & Schoffensem; simul orant, quando nunc occasio futura esset, per reginae matris iter, quod haec Romam ad Pontificem adornabat, adiuvare ordinis sui restitutionem vellent. Illi, minime a negotio alieni, quum consilia inter se communicassent, Matthiae Lupo, qui reginae a sacris erat, pecuniae summam non exiguam largiuntur, ac persuadent, ut is, siquidem reginam comitaturus Romam esset, restitutionem illorum apud Innocentium VIII. tunc Pontificem, procurare ne gravetur. Ac profecto, postquam Romam advenisset, nil

CIƆCCCC LXXXVII.

cunctatus, rem exsequitur. Insuper regina quoque operam navat, atque praeces suas iungit. *Quanquam ante annos aliquot, a Pontifice Sixto IV. coniugis sui Christiani interventu, sub aeternae maledictionis poena edictum esset, ne Otboniensis sedis cathedralis praesens status deinceps unquam a quocumque mutaretur; tamen se, & regem filium, maximopere exoptare, ut in pristinum ea statum reducatur.* Innocentius, non iniqua postulari a regina arbitratus, non gravate annuit petitioni; itaque Matthiae Lupo dat diploma, quo praeceptum: *ut canonici, qui instructo male Sixto, monasterium S. Canuti occupaverant, monachis, quos per iniuriam eiecissent, illud redderent: si parere recusarent, sacris sibi omnibus interdictum scirent.* Itaque, quanquam aegre, admodum res peracta; & canonici monasterio, ante annos quatuordecim occupato, excessere (b), postridie Idus Decembres CIƆCCCCLXXXIX. Questa erat

CIƆCCCC LXXXIX.

& regina, qua iniuria a Stenone affecta esset; qui Orebroensem arcem, propter nuptias donatam, per vim ipsi eripuisset; itaque in hanc rem etiam literas dat ad Stenonem Innocentius, quibus mandat: *ut reginae Orebroum sine ulla mora reddat: nisi faciat, sacris secludendum fore.* Has reversa statim ad Stenonem mittit; qui in Russos tunc profectus, postquam eas accepisset Pontificis Romani minas (c) nihili fecit. Annis aliquot post haec per quietem (d)

CIƆCCCC XCIV.

actis, rex in frenesin delapsus (e), simul atque ad mentem sanam rediisset, quum Stenonis dolus magis atque magis elucesceret, literas ad eum scribit, ac senatum regni Sveciae universum, postulatque: *semel tandem, sine verborum ambage, aut fallacia testarentur; anne ea, in quae vivo patre Halmstadii, hinc Calmarniae, inde etiam in Oelandia convenissent, rata vellent.* His acceptis, Steno regni optimates Stocholmum convenire iubet; &, consilio prius cum suis collato, inde aliis, in Ioannem regem pronis, non tam quaerit, quidnam respondere debeat, quam affectum singu-

(a) *Romam etiam ipsa ire*) Chronicon Skibyense: „ A. D. 1488. „ Regina Dorothea secuta mariti sui pietatem, profecta est Romam magno comitatu nobilium virorum, abitura etiam Hierosolymam nisi metus grassantis pestis obstitisset.„ Petrus Bembus *Hist. Venet. lib. I. fol.* 8. *a*. (edit. Ald. an. 1551.) „ Post „ eos dies Regina Datiae Roma domum rediens, Venetias & „ ipsa se contulit: acceptaque regio apparatu, urbe inspecta, suburbisque perlustratis, viae se reddit. „ Bzovius illud iter perperam ad an. 1492. retulit §. 14. *pag.* 357. *a*.

(b) *Excessere*) Sed inviti excessere, diuque repugnantes, ut qui maxime. Multumque temporis effluxit, antequam sententiae Regis, secundum bullam Pontificis latae, paruere. Quomodo etiam Matthiae Wulfio (is est, qui latino hic cognomine *Lupus* dicitur,) insidiati sint, quem coegerunt tandem patriam deserere, & apud Ernestum, Archiep. Magdeb. Reginae Dorotheae fratrem, asylum quaerere, legatur fusius in Petri Parvi (h. e. Io. Svaningii) *Chronico Ioannis Regis, fol.* Q. 4.

(c) *Pontificis Rom. minas*) Steno, & Sveci, a prima Pontificis sententia, anathematismis ad Sedem Apostolicam, melius informandam, provocaverant. (Primi autem decreti Pontificii, Romae *anno* 1489. *prid. Non. Iul.* editi, excerpta habentur apud Raynald. in *d. a.* §. 16. 17. 18.) Hinc in sequente an. 1490. Papa, ad Stenonis petitionem, Breve ad Dorotheam misit, hortatus ad pacem cum Stenone, & cessationem ab impetu armorum, indicansque idem sese scripsisse Stenoni. Denique idem Pontifex bullam emisit longissimam, (cuius apographum penes nos extat) qua Episcopis nonnullis mandat, „ ut cum XXIV. „ Consiliarius Daniae, & Sveciae, causam, quae tot per annos in„ ter Dorotheam Reginam, & Stenonem Sture, super parapher„ nalibus bonis Reginae, & castro Orebro verterat, terminarent. „ In qua Bulla, omnes fere ceterae in eadem causa, & a Sixto IV. ipsoque Innocentio datae, summatim repetuntur. Apparet quoque, Innocentium tunc magis Stenoni favisse, & Dorothaee omnem culpam adscribere.

(d) *Annis aliquot per quietem*) Neque pauca tamen memoratu digna per quadriennium illud acta, historico minime praetereunda, sed quae, utpote Svaningio omissa, ignorare coactus Meursius. Potuisset autem ex Hvitfeldio discere, anno 1490. 1. Divisionem Holsatiae, quae hucusque dilata fuerat inter Regem eiusque fratrem institutam fuisse. 2. Pacem cum Angliae Rege, Henrico VII. post tanta iam pluribus annis certaminum, & praedationum maritimarum mala initam, cuius capita legi possunt non solum apud Hvitfeldium *pag.* 95. *seq.* sed & in Rymeri *Foederibus Tom. XII. pag.* 381. *seq.* 3. A Stenone Sturaeo, Sveciae gubernatore, Lubecenses, ceterasque Vandalicas Civitates ad societatem, & pactionem de mutuis praestandis auxiliis pellectas: atque eas pactiones deinde anno 1493. repetitas, confirmatasque. 4. Fimbriae denique insulam, quae Lubecensibus quondam fuerat a Duce Adolpho oppignerata, a Ioanne Rege, exhibita argenti summa, redemptam. Et haec quidem in anno 1490. Anno vero seq. 1491. Conventum habitum Lubecae, inter Legatos Regios, & deputatos Lubecenses aliarumque urbium Hanseaticarum, de damnis mari illatis, & navigationum, commerciorumque securitate. Anno 1493. pactum a Rege cum magno Russorum Duce initum, praesertim Norvegiae eiusque limitum causa, quos Regis Christiani I. tempore admodum infestarant Russi, quo inter utrosque pax deinceps, quemadmodum antiquitus fuisset culta, coleretur, utque alter alteri amicus, hostibus vero hostis foret. Vnde Steno Sturaeus, de hoc pacto edoctus, illud in suam rem vertere, eoque nomine Ioanni inter populares invidiam creare, imo cum Russi pro more, atque ut vicini solent, ex intervallo Finnos Sveciae subiectos invaderent, dictitare irruptiones illas Regis nostri instigatu factas; quum tamen, (ut Hvitfeldius ait,) nullum ille adversus Sveciam foedus pepigisset. Denique aliud cum Scotorum Rege Iacobo IV. foedus ictum, cuius itidem capita Hvitfeldius recitavit *pag.* 111. *seq.*

(e) *Rex in phrenesin delapsus* Suaningius in *Ioannis Chronico fol.* R. *b*. „ Hac aegritudine in ultionem suspensi scribae (hunc „ furti & peculatus convictum supplicio affici iusserat,) Regem „ laborasse vulgo ferebatur. Sed revera redundantia melancholiae „ morbi causa erat. Id quod & in liberis eius etiam hoc aevo „ nostro superstitibus, qui eiusdem humoris vitio quandoque de„ liraverunt, observatum est. Sic & idem Suaningius in *Historia Christierni II. pag* 497. „ ut pater eius non raro delirarit, „ interdum etiam in maniam lapsus sit, quemadmodum in vita „ eius monstratum est. „

CIↃCCCC XCIV. gulorum callide explorat. Placuit meliori parti; *tamdem regnum, quod iam tertium pro misissent, idque cum iureiurando, in Ioannem transferendum*. Inter hos Iacobus erat, regni Sveciae summus praesul, qui tam acriter hanc sententiam tuebatur, ut verborum libertate odium in se Stenonis concitaret: qui palam quidem pacis studium praeseferre videbatur, clam tamen, cum tota sua factione, hostilia omnia agitabat; neque deerant, qui sine ulla simulatione, ac fuco rem agentes, cum Iacobo se coniungerent: quin aperte etiam dicerent: *nisi Steno, ea quae Ioanni dudum promisisset, quamprimum impleret, a regno amovendum esse, & in ordinem cogendum*. Alii, contrariis inter se sententiis diffidentes, ad arma, more gentis suae, provocabant. Verum parti potiori ita visum: *nullo modo regni Sveciae coronam Ioanni denegari posse, ac conventis standum esse; sed indici iterum comitia publica oportere, quibus denuo de capitibus, ad electionem regis pertinentibus, a regnorum senatoribus primum Halmstadii constitutis, ageretur*. Placuit etiam, *ut Calmarniae, ubi secunda super hac re comitia fuerant, convenirent*. Hoc decreto, Steno, praesules, caeterique regni proceres, quid egissent, statim nuntiant; simul *petunt, ut in proximum mensem Iunium, ad* XXIV. *diem, mittat suos, plena potestate instructos, & Norvagiae senatum eodem vocet. Ac, capitibus accurate examinatis, & consensu approbatis, liberum futurum ipsi, quandocumque animum inducturus esset, se in Sveciam conferre ad accipiendum regni diadema*. Verum postquam tempus illud immineret, iterum morbum fingens Steno, mittit nuntium Calmarniam, qui & valetudinem significaret, & absentiam excusaret. Qua de causa quum comitia in Novembrem proximum dilata essent, ingruente eo tempore, rex Ioannes, qui spem certam de concordia sancienda concepisset, mittit eo summum regni Daniae praesulem, Ioannem Brocstorpium; Ericum Othonium; Paulum Laxmannum, aulae praefectum; Eschildum Gevaeum [a], regni equitum tribunum; ac plures alios, plene instructos: ipse cum octodecim navium classe paullo post subsequitur. Ac delatus Egesundam, consiliarios, in Espesundensi portu commodum tempus expectantes, ad se vocat; qui quum, uti iussi erant, convenissent, una navium regiarum, incenso pulvere tormentario, sive fulmine, sive forte, in incerto est, conflagravit; remigesque dum restinguere ignem cupiunt, male habiti; alii, fumo evestigio suffocati; alii, flamma ustulati, vix per biduum vitam plane miserandam protraxere: alii denique, quum in mare se praecipites deiecissent, aquis hausti, periere. Ad hoc malum aliud accessit maius. Nocte proxime insequuta orta valida tempestas, ita classem universam dissipavit, ut, quo loco quaeque esset, nulla navium sat compertum sibi haberet. Ac, sedata tempestate, postquam classis iterum in portum suum convenisset, nulla est inventa navis, quae non esset quam gravissime adflicta. Vna, in qua regia supellex erat, literaeque, item documenta alia, quibus regi in conventu hoc maxime utendum erat, vado alibi illisa, aut submersa, nunquam postea est conspecta. Praecessere haec signa bellum; quod mox coeptum ob Stenonis contumaciam, in his borealibus regnis formidabiles tumultus excitavit: & civilis sanguinis utrinque plurimum effudit. Postquam vero rex Calmarniam, & regnorum Senatores, convenissent, frustra laboratum fuit. Aberat Steno animosus, ob afflictam tempestate classem regiam: & conventum, quem indixerat, negligebat. Tandem, quum adventum eius amplius mensem expectassent, literas mittit, quibus nuntiat: *per se integrum regi fore, sive pacem inter regna facere velit, sive nolit. Nil se hic praescriptum cupere*. Vnde quum rex sat deprehenderet, aliud omnino nil Stenonem agere, quam ut astu coronationem suam impediret, dimissis iis, qui convenerant, retro pedem in Daniam refert. Vbi postquam bello Svecos aggredi constituisset, ac Stenonem cum Vandalicis civitatibus ante proximum quinquennium, uti supra memoravi, foedus pepigisse sciret, ut cum altera tantum parte hinc negotium sibi foret, inducias triginta annorum pollicetur, si a foedere hoc recederet. Verum Steno, qui potentiae illud suae munimentum non exiguum reputabat, quum id facere gravaretur, ne egisse nihil tamen, aut oblatam temere conditionem tam honestam reiecisse videretur, de unius tantum anni induciis agere animum induxit; quas legati nihilominus concessere. Qui simul reversi essent, Russi, ut Ioanni regi foederato contra Svecos opem ferrent, magno agmine in Finlandiam irrumpentes, incendiis passim, caedibusque cuncta implent: &, occisis quotquot arma contra ferrent, arcem Viburgensem obsident. Quam quum frustra aliquoties oppugnassent, plurimis desideratis, cum praeda regrediuntur. Nuntiata hac Russorum irruptione, poenitere Stenonem coepit, quod inducias tricennales, a Ioanne pridem oblatas, reiecisset. Consilio tamen pro re capto, scribit statim Lubecensibus, ut Ioannem, quantum possent, distinerent, ac, conscriptis ipse copiis, in Finlandiam magnis itineribus tendit: ubi Russos, frustra arce Viburgensi oppugnata, recessisse intellexit. Itaque, milite in hyberna distributo, & praesidio limitaneo constituto, pedem refert in interiorem Sveciam; cum maiore mox exercitu primo vere reversurus, & acceptam cladem ulturus. Verum Russi, CIↃCCCC XCVI. nil cunctandum sibi rati, ut Stenonem anteverterent, mense proximo Februario, magnis viribus per Careliam in Tavastiam irrumpunt; &, itinere octoginta milliarium, obvia quaeque igne, atque ferro vastant, hominumque supra septem millia caedunt. Hinc celeritate eadem, qua advenerant, se recipiunt. Steno, cum maioribus copiis, quas interea collegerat, in Finlandiam reversus, ut iam recessisse Russos intellexit, relicto in ea-

(a) *Eschildum Gevaeum*) corrig. *Goyaeum*.

CIƆCCCC XCVI. eadem exercitu, duces praeficit, Suantonem Nicolaium, Ericum Trollium, & Stenonem Turlonium; praecipitque, ut ibidem reditum suum exspectarent; vimque, si irrueret hostis, propulsarent; si quiesceret, non inferrent. Ipse, in Sveciam profectus, copias maiores cogit: sed, dum a praesidio regis circa fines distinetur, per aestatem insequentem diu a ducibus, quos reliquerat in Finlandia, exspectatus, postquam minime adveniret, hi consiliis inter se communicatis, sub Augustum desinentem in Russos movent. Quorum ubi regionem ad novam usque Narviam pergrassati essent, atque arcem Ivangradium expugnassent, ocyus reducunt copias in Finlandiam; idque magna adeo celeritate, uti recessisse prius, quam venisse sit compertum. Post haec tandem venit Steno cum auxiliari milite; qui, quae gesta a Suantone, caeterisque item ducibus ut accepit, iterum in Russos ire cupiebat. Sed, Suantone ob hiemem iam ingruentem refragante, ideoque in Sveciam potius redeundum contendente, irae utrinque exarsere; quae vix procerum aliorum interventu, anno proximo, in comitiis regni publicis, mense Martio celebratis, deleniri potuere. Inter ista & Dorothea regina, Christophori primum, inde Christiani uxor, quum utroque in matrimonio pariter, & viduitate annos quinquaginta unum exegisset, diem obiit; ac Roschildiae, in mariti Christiani monumento, sepelitur. CIƆCCCC XCVII. Post haec iterum monitus Steno, ut se ultro gubernatione regni abdicaret, quo & suam, & aliorum procerum fidem liberaret, neque tunc induci potuit; ac respondit: *se non tantum a proceribus, verum etiam a plebe principatum accepisse: nec, si maxime vellet, eum, illa non consentiente, exuere posse*. Quin & magno equitatu, quem reliquerat in Finlandia, ad custodiendos fines, evocato, regnum obequitans, dignitatem se tueri certum ostendit. Adeo nempe nemo fere imperio cuiquam unquam volens cedit; & cupiditas dominandi vix cum vita etiam ponitur. At Ioannes, convocato Hafniam senatu regni, filium suum Christianum, sedecim fere annos natum, iterum regem designari ab eo curat: simul & decernit bellum in Stenonem. Inde exercitum conscribit copiosum, e Germanis, Gallis, Anglis, & Hispanis; adiutantibus cum Alberto marchione Misenensi, tum principibus vicinis: quibus laetum per occasionem istam ea hominum colluvie liberari. Nam conduxerat pridem Magnus, dux Saxoniae inferioris, ut Hathleriam, ac Vorsaciam imperata detractantes, coerceret: verius latronum manum [a], quam legitimorum militum. Hi in Sveciam auctorati, praeda potius quam stipendio, quum in Daniam advenissent, rex mature expeditionem agitat, auxilia foederatos poscit, Norvagosque item iubet, quam ingentibus queant copiis, impetum in Sveciam facere, loca bello opportuna occupare, & latissime excurrente omnia depopulari. Ipse, classe in Calmarniam praemissa, copias terrestres ducens, per Hallandiam in Svecorum fines tendit. Ad diem XI. Kalend. Sextileis ad Calmarniam classis applicat; & Ioannes ante moenia eius urbis castra metatur, quae quum graviter premeretur, neque Steno opem ferret, oppidani ad regem mittunt, qui deditionem spondeant, si & vitam, & fortunas, sint illaesas habituri. Quae rex postquam promisisset, quamquam essent, qui contrarium suaderent, mox primiores civitatis ad se vocat: & accepto iuramento, universis dat praeteritorum veniam. Inde, effusa civium magna multitudine, praeeunte sacro ordine, introductus, quum res urbis ordinasset, validum praesidium in arce locat. Quibus ad Calmarniam gestis, qui praefecti classi erant, in Oelandiam navigantes, arcem Boringholmum [b] capiunt, & praesidio eam firmant. Cuius rei quum rex nuntium accepisset, prospero successu laetus, iubet suos loca proxima, quae deseruissent incolae, devastare, ut ad veniam postulandam citius caeteri cogerentur. Inde ulterius progressus, nullum ipse populandi finem facit, antequam egressi silvas suas Sveci, in quas metu se abdiderant, veniam rebellionis diuturnae praecarentur. Id quum in interiorem Sveciam praelatum esset, consternati metu incolae ad Stenonem se recipiunt; obsecrantque, *ut consuleret vitae, ac fortunis, omnium; seque populi consensu rerum summam, publicae salutis causa, quam ne temere sua nunc ambitione pessum daret, consecutum meminisset*. Per id tempus is Iacobum, antistitem Vpsaliensem, quod Ioanni clam favere cognovisset, obsidebat. Verum ille de consilio Stenonis certior factus arcem Stegam in eventum qualemcumque commeatu, & praesidio, communierat. Erat & cum eo Suanto, vir supremae auctoritatis, qui & ipse regi addictus, illuc cum plerisque aliis se receperat. Quae rex postquam accepisset, ut periculo homines sui studiosos liberaret, fert auxilium laborantibus. Iam obsessi in necessitatem hanc ad-

(a) *Verius latronum manum*) Svaningius in *Chron. Io. Regis fol. S. 2. b.* vocat magnam gregariorum peditum multitudinem, ex „ variis provinciis in Saxonia inferiore collectam, nam eo loci „ convenerant Hispani, Galli, Angli, Scoti, Svevi, Bavari, Franci, Saxones, diversissimarumque provinciarum milites, quos „ spes sola praedae faciendae in regnum arcessivit, manum militum omnino impiam, quae nihil pensi habuit, nihilque sacrum „ putavit, a Magno inferioris Saxoniae Duce per idem tempus „ conducta, ut Hatheleriam, & Vorsaciam imperata facere negantes armis subigeret. *Guardiam* vulgo eam adpellabant, seu „ custodiam publicam finium, quod se custodes tutoresque illorum dicerent, qui iniuriis affecti operam suam implorarent. „ Sed revera pestes terrarum, atque execrabiles vastatores erant, „ omnibus ob ferociam formidabiles, ac quasdam Germaniae terras etiam graviter tum vexantes. Qua in re Albertus Marchio „ Misnensis, affinis Regis, & vicini Principes, magnam cum primis regi operam navabant, idque ultro ac libenter, quo ea hominum perniciosa colluvie terras suas quam primum levarent.„ Crantzius *Metrop. lib. XII. cap. 25.* gregarios milites pedites vocat, quos *Guardiam* dixere; - - - ex omni natione concurrebant; Inerant Germani, & hi potissimum ductores, & maior numerus ex Superiori, & Inferiori; Sveci, Bavari, Swizeri, Franci, Saxones, Brabanti, Geldrli; tum Lombardi, Hispani, Galli, Scoti, Aethiopes aliquot, promiscuum genus, cuius iam clarissimum erat ubique nomen. Catal. *Episcopor. Brem.* in Menckenii *Rer. Germ. Tom. III. pag* 811. *seq* eiusdem *Magnae Guardiae* meminit, planeque uti Crantzius, eam describit. Vid. & Hamelmann. *Chron. Oldenb. pag.* 220. *seq.* Chytraeus *Saxon. pag.* 66. & alibi. Istos milites iam ante Maximilianus in bello Belgico adhibuerat, ubi ductores eorum fuere Georgius Slentzius, nobilis Coloniensis, & Nithardus Fuxius. Hic brevi antea occubuerat, quam in Daniam, duce Slentzio, pervenere.

(b) *Boringholmum*) Corrig. *Borkholmum*

CIↃCCCCXCVII.

adducti erant, ut non ultra sustinere hostem possent: verum Steno, qui advenientem regem exspectare non auderet, deserens obsidionem, motis properanter castris, copias Stocholmum transfert. Inter haec Norvagi, ut iussi, magna manu in Svecorum fines ruunt; & Elsburgum, arcem permunitam, obsident; ac post multam, arduamque oppugnationem capiunt: simul totam eam oram ad deditionem cogunt. Rex, tam prospera rerum fama incitatus, ne Stenoni spatium recolligendi sui daret, cum exercitu universo magnis itineribus Stocholmum petit, urbem regni maximam, & munitissimam; atque in Brunchonis monte, ubi ante annos aliquot pater eius Christianus, castra locat: alteram vero urbis partem, mari cinctam, classe obsidet. Atque ita terra pariter, marique acriter obsessos premit, velites subinde immittens, ut Stenonem, intra moenia latitantem, ad conferendam manum eliceret. Verum ille, imparem se pugnae gnarus, clam ad Dalecarlos mittit, inter Svecos gloria fortitudinis primos, edocetque quo nunc patria in discrimine versaretur. Exaggerat *potentiam hostis, & ferociam; qui in illud totis viribus incumbat, uti regno, occupato, omnes incolas servituti manciparet. Vnam tantum superesse civitatem, quae excludere ausa fuerit: hac si etiam potiatur, de communi libertate actum esse. Plane unam huius sortem, atque regni universi; quod consistere, hac cadente minime possit. Itaque publicam libertatem in virtute sua sitam cogitarent; ac venirent quanta possent multitudine, & in castra impetum facerent: urbe se ab altera parte egressurum, & in terga repugnantium invasurum. Neque dubium habere, quin, fortuna paullum modo adspirante, quae audentes fere adiuvare soleat, aut, direptis hostium castris, eos omnes plane sint profligaturi; aut ita fracturi saltem, ut continuando bello post id tempus vires non sint suffecturae*. Quibus verbis facile gente bellicosa excitata, statim regi nuntiatur, esse eam in procinctu. Itaque sine ulla mora convocatis belli ducibus, rem exponit: *neque consultum videri, ut exspectent, donec illi advenirent, & a fronte, ac tergo pariter, arduo & ancipiti loco, dimicandum sibi foret; minore negotio separatum adhuc hostem vinci posse. Qua de causa, in periculo tam praesenti, ne se ipsi destituerent, sed virtutem animi solitam adhiberent*. Placuit ergo, *Dalecarlis, antequam ad castra veniant, totis copiis obviam ire: quibus caesis, aut fugatis, mox victoria in proclivi sit futura*. Ac quum staret haec sententia copiosiore coena se reficere militem iubet: atque ad iter, sine strepitu ineundum, simul ac daretur signum, apparare. Ipse, rebus pro arbitrio ordinatis, praemittit equites, imperatque, ut se paullum extra castra praestolentur. Mox silentio, ne, quid ageret, persentiscere hostes possent, cum peditibus subsequutus, se coniungit (a): ac diluculo, qua venturos esse Dalecarlos noverat, se obvertit. Vix illuxerat, quum ab iis, quos praemiserat speculatum, nuntiatur, in propinquo hostem esse. Itaque subsistens paullum, alacer suos cohortatur, *ut virtutis meminisse antiquae velint: quippe advenisse tempus, quo, si fortiter praelientur, bello, alias diuturno, ac gravissimo, paucis horis finem imponant*. Inde hostem recta ducens, ad Rodensem pontem occurrit. Acre praelium committitur. Magno Dani impetu in hostem eunt; nec minore cum virtute Dalecarli se tuentur. Tela vero, quae Schitas lingua patria (b) adpellant, non directe, verum in sublime mittunt, ut in praeliantem hostem desuper cadant. Quibus sauciati Dani, praelio excedere cogebantur; aut traiecti, in ipsa acie concidebant. Nihil autem illis ad virtutem deerat, praeter solum equitatum; quem si item habuissent, certe dubiam victoriam Danis facere potuissent: quorum equi, nuda latera invadentes, postquam dissipassent ordines, totam aciem profligarant. Edita strages ingens fuit; adeoque caesi fere universi, pauci fuga evasere. Dani, nulla ex occisis praeda capta, statim a pugna in castra sua revertuntur, signa hostium praeferentes. Quae quum inde erexissent, idque Steno e speculatoribus accepisset, ratus, Danis profligatis, Dalecarlos, quos auxilium allaturos expectabat, castra eorum occupasse, ocyus effusus urbe, neque acie ordinata, tanquam ad amicos properat. Sed, quum propius accessisset, contra atque existimabat, hostes esse est expertus. Quippe Dani, quamquam adhuc a recenti pugna fessi, in turbatos, ac perculsos impetum faciunt; eos fugant, & ad ipsam urbis portam persequuntur. Multos inter fugam caedunt; multos & praecipites in mare agunt, & in his Stenonem ipsum; qui, nisi navicularius a periculo tam praesenti liberasset, cum quamplurimis suorum suffocatus periisset. Vt victoriae, ad Rodensem pontem partae fama increbuit, Sveci, qui Stenonis partes hactenus sequuti erant, ultro regem accessere: &, rebellionis crimen deprecati, sua omnia, seque ipsos ei in manum tradidere. Quae in urbem postquam nuntiata essent, Steno, tot iam cladibus fractus, ac cogentibus, qui in urbe secum erant, nuntium ad regem mittit, & colloquio locum petit. Rex, quantumvis fame se redigere in potestatem suam posse civitatem sciret, tamen facilem se praebet, nuntiumque dicere Stenoni iubet: *longe sibi gratius futurum fuisse, si hanc mentem ante effusum utrinque sanguinem habuisset: nihilominus, quo testatum cunctis faceret, se hoc bellum suscepisse, non ut perditum iret subditos, sed servaret, indulgere, ut extra urbem fide publica ad se veniat*. Quum venisset, accusare rex Stenonem; *quod, neglecto iuramento, non necessitate actus, sed libidine dominandi, se, suosque in discrimen longe maximum adduxisset*. Steno, sese excu-

(a) *Se coniungit*) „ Hvitfeldius Regem pugnae interfuisse non „ meminit, sed nuncium victoriae allatum fuisse, in coenobio „ S. Clarae tunc agenti, per quendam Senatorem Hafniensem. „ *Trid. Gunther.*

(b) *Quae Schitas lingua patria*) Suaningius *pag. T. b.* vocat *Scheitas*; Loccenius *iacula*; Hvitfeldius danico vocabulo *Pile*, quod *sagittas* sonat.

CIↃCCCC XCVII.

excusare; *neque suam culpam esse, sed suorum, qui invitum ad id bellum impulissent*. Inde aliae querelae de utrinque dato damno: ac decretum denique fuit, ut post triduum in S. Clarae monasterio, prope urbem, convenirent. Vbi postquam de conditionibus pacis denuo agitatum esset, tandem Steno, proceresque, qui cum eo illic aderant, se, ac sua universa, urbem item, & iura regni regi tradunt. Postero die portas pandunt; & effusi urbe omnes, regi obviam ivere. Antecedere sacer ordo; ac plerique cereos accensos ferre. Quumque regem excepissent fausta acclamatione, ac tubarum, & Campani aeris sonitu, primum in templum introducunt: ibique sacra re peracta, mox in arcem comitantur. In qua postquam consedisset, Steno, ad genua provolutus coram regni utriusque senatoribus, ius castrense, quod adpellant (a), illi tradit. Quo accepto, surgere iussum, rex hortatur, ut deinceps fidem servet; quaeque in id usque tempus admisisset, clementissime condonat. Tum &, ut secure porro vivere inter suos posset, quos gravissime in administratione regni offenderat, decreto sancit, ne cuiquam rationem gesti principatus reddere teneretur. Haec Octobri mense gesta. Mox Novembri, ad xxv. diem (b) ordinibus Sveciae universis evocatis, a Iacobo, summo eius regni praesule, regium diadema accipit: cunctis pro se, ac posteritate sua in verba regis iusiurandum exhibentibus. Quae quum ita acta essent, rex convivio splendidissimo Svecos proceres excepit, diesque aliquot festos egit variis ludis, ac spectaculis: idque impense operam dedit, ne omnino quid omitteret, quod ad oblectandos eos, aut conciliandos sibi pertinere existimaret. Post haec, quum primates Sveciae urbe discessuri essent, aiunt regem, more sibi usitato, a cibo sumto cum familiaribus suis colloquentem, quaesivisse; ecquid Sveci satis digne; ac magnifice habiti esse viderentur: &, convivio anne quicquam defuisse iudicarent. Vbi cunctis conticentibus, aliquem, Germanum gente, regi magis caeteris familiarem ob navatam eo bello insignem operam, respondisse: *Vnum quidem, rex, si pateris, ego defuisse censeo*. Quumque rex interrogaret, *hoc quid* esset: *nempe*, aiebat, *postquam omnes quam lautissime excepisti, spiculatorem advocasse, te oportuit, qui in veste holoserica, humi strata, eos gladio feriret; ut, perfidia sua dignam poenam nacti, caeteros exemplo terreant, ne deinceps datam regi suo fidem violare unquam ausint*. Quo responso rex obstupefactus plane, deiectisque in terram oculis, quum conticuisset paullum, mox, attollens rursum oculos, hominemque torve intuitus; *ego vero malim*, inquit, *tecum hoc consilio tuo tam immani, hinc ad corvos relegari, quam ut ego tanto scelere innocentiam meam foedem; aut hoc regnum, libera electione mihi debitum, detestanda adeo crudelitate partum, aut firmatum, eam*. Cum hoc dicto, sede surgens in conclave se recepit; neque eum ex illo tempore ulla gratia est dignatus. Vox egregia, & praeclaro adeo rege certe digna! sed indignus Steno erat, toties perfidus, cum quo ea lenitate ageretur.

CIↃCCCC XCVIII.

Initio anni Daniam repetit; eoque per quietem acto, redit proximo in Sveciam cum uxore, filioque Christiano: quem

CIↃCCCC XCIX.

Stocholmi, in conventu regni publico, tertio die Pentecostes, a proceribus regem nominari petiit. Quod & sine exceptione omnium consensu factum; tradito, pro more veteri, regio plane apparatu, regni Sveciae vexillo. Nec id tantum; verum & Christiana coniux Sveciae regina dicta; & corona regni insigni exornata. Quin & publicae in rem eam literae datae a Iacobo, praesule Vpsaliensi, & Stenone, quibus hanc electionem Christiani omnium consensu ordinum, & consilio etiam deliberato factam, esse testarentur: insuper pollicerentur, se inviolatam eam in perpetuum habituros. His peractis, rex Ioannes, constitutis qui in Svecia suo nomine summam rem administrarent, mox in Daniam revertitur, ac Stenonem secum abducit. Quem, ut sibi devinciret, & fidelem deinceps redderet, muneribus & multis afficit, & praeclaris: inde in Sveciam remittit. Sed profecto, apud animum, ad malitiam obstinatum, idem valent beneficia, quod iniuriae; & irritant, non obstringunt: plane ut nonnulli morbi per remedia asperantur. Ita Steno, nihilo in regem aequior, qui tot eum beneficiis ad praestandam sibi fidem, mutuumque item affectum exhibendum obstrinxisset, quum reversus domum esset, vetera in ipsum hodia praeferulit: adeo se pridem victum, ac deiectum de fastigio, quod invaserat, aegre ferens, ut ad belli, infeliciter a se gesti, mentionem indignabundus barbam velleret, ac vix lacrymas contineret. Ioannes, sumptis semel armis, & bellare, & vincere suetus, coepit bellum in Dithmarsos agitare: quod Dorothea regina, eius mater, faemina virilis animi, pariterque pacis studio, & prudentia antecellens, donec viveret, omni cura impedierat. Ac nonnulli e proceribus animum eius, velut certa spe victoriae, accendebant: malo admodum consilio; & Ioannes, quod aggreditur imprudenter, uti fere usuvenit, multo infelicius gerit: ac, translata alio arma postquam minus bene occupat, dat Stenoni, quam captabat, rebellandi occasionem. Verum prudens rerum princeps, quisquis

(a) *Ius castrense, quod adpellant*). Sic quoque interpetratur Suaningius vocabulum Danicum *Slots-laghen*: quo olim summa illa adpellata potestas, quae Regis aut reipublicae nomine in quacumque munita arce exercebatur, comprehensis simul eadem notione praesidio militari, telorum, armorumque apparatu, annona aliisque ad defensionem necessariis. Hinc loquendi modi in historiis nostris frequentes: *tradere, accipere, & restituere Glots-Laghen*, a *manu*, vel *in manum Regis*. Veteres nostri Annalistae nonnumquam *fidem castrorum* vocant.

(b) *Ad XXV. diem*) „ Non hoc die qui D. Cahtarinae sacer, sed „ seq. Dominico coronatum scribit Hvitfeldius. „ *Frid. Gunth. Ger.* Festum S. Catharinae fuit eo anno dies Saturni. Ergo in uno tantum die hic nostro erratum. Habuit tamen consentientem auctorem *Chron.* inter *Danica* Dn. de Ludewig. *num. V.* in quo legitur: A. D. 1497. „ Rex Sveciam devicit poten„ ter, ubi & coronatus tandem est die Catharinae in Stockolm. „ „ Magnus Matthiae in *Serie Regum MS*. „ Die Novembris 26. „ Holmiae coronatur Ioannes a Iacobo Archiepiscopo. Annum „ victoriae, & coronationis quidam complexus est his versiculis:

„ *M. D. sed abs tribus I. dum subsunt regna Iohanni*,
„ *Steno caput Sveciae vi premitur Daciae*. „

CIƆCCCC XCIX. quis hostem debellatum, & inprimis, propter fluxam ante fidem, merito suspectum etiam, continere in officio deinceps volet, nunquam illi metum eripiet; sed parata ad formidinem arma habebit, quae ostentet e propinquo. Belli autem, de quo dixi, capessendi illa ei causa erat. Donarat patri Christiano, Romam pietatis ergo invisenti, ut in eius rebus ante memoravi, Fridericus Imperator, nominis illius tertius, istam terram nulli domino subiectam; sed ecclesiae Bremensis, si quandoque urgeretur, dominatum praetendentem; & a multis ante seculis Daniae regibus, quibus subdita olim fuerat, rebellantem. Ac domare is statuerat; verum isthaec cogitantem mors inhibuit. Itaque non negligendam imperii amplificandi occasionem adeo iustam arbitratus, re cum fratre Friderico, Holsatiae duce, communicata (a), ni submitterent se Dithmarsi, vi subiicere sibi statuit. Sed prius, quam id incipiat, per legatos ad obsequium blande invitat. Quo constanter denegato, quamquam essent, qui, tranquillitati publicae consulentes, exhibendum id suaderent, mox denuntiat: *quando principem recusarent, hostem sese habituros*. Inde CIƆ IƆ. initio Februarii arma infert, sibi admodum funesta, & ingloria: fratrem suum Fridericum secum trahens, & lectissimam iuventutem e regnis suis, ac Germania circumiecta, qua non ita pridem Sveciam debellaverat. Ad vicum Hammam, in confinibus Dithmarsorum, aliquamdiu commoratus, copias auxiliares exspectavit: ut nimirum, ostenso belli apparatu, hostibus terrorem incuteret. Et profecto, postquam copiae exspectatae advenissent, tantae omnibus videbantur, ut Dithmarsos, rebus suis diffidentes, arma statim abiecturos, atque pacem petituros nemo non persuasum haberet. Neque dubitari poterat, quin futurum hoc fuisset, si ad manum conferendam ordinate itum esset. Sed, quae res victorias fere maxime impedire solet, nimius contemptus hostium, causa exitii Danis fuit. Etenim, quum ad exiguam terram illam, vix in septem milliarium longitudinem excurrentem, atque fossis intercisam, Sveciae vastissimum regnum, montibusque editissimis, & paludibus, atque lacubus profundissimis invium pene, & inaccessum compararent; facile se, & suorum nulla clade subiugare eam posse existimabant. Quin victoriam sibi certam promittentes, antequam vicissent hostem, spolia distribuebant; neque illud, quod potissimum debuissent, apud animum reputabant; Martem belli partibus communem esse, & eventum nusquam minus respondere. Multi e nobilitate, non induti ullis armis, verum aureis monilibus exornati, ac si non ad pugnam irent, sed aut epulum, aut opima sine praelio spolia reportaturi, praedabundi incedebant, ac plerique, ad manubias e devicto hoste domum avehendas, currus suos adducebant. Etiam CIƆ IƆ. pars magna civium, ac colonum, qui ad bellum hoc praedae studio ultro venerant, cum pecuniae vim ingentem, tum sigilla afferebant, ut quaecumque vili praetio, quod in talibus usitatum, coemissent, eorum omnium emptionem literis statim, ac sigillis confirmarent. Adeoque opes sibi quisque amplas proponebat; sed pericula, & incertos belli casus nemo animo perpendebat. Quin complures regni proceres avaritia, & ambitione, coeci, huc amentiae devenerant, ut, priusquam in militiam istam proficiscerentur, sacerdotia regni quaeque opimiora, quae mox, hostibus profligatis, ut aiebant, domum reduces invasuri ipsi essent, inter sese partirentur. Et iam, nulla verecundia, se abbatum, alisque dignitatum ecclesiasticarum titulis salutabant. Verum homines vecordes, ubi praedam exspectabant, ibi vitam pars eorum non exigua amisere: ut non inconcinne postea dictum fuerit, nullo praelio tantum abbatum, capitumque sacratorum cecidisse, quantum hoc Dithmarsiensi. Insuper primates quoque, qui in castris regis erant, diffidebant; nam quibusdam, displicere nimia cupiditas regis arbitrantibus, si eventus eius votis in Dithmarsia, ut in Svecia, respondisset, ne sic quidem finem armis positurum ipsum esse, & iturum in Vandalicas civitates. Atque novis hinc molestiis, & periculis exsurgentibus, post aerumnas belli plurimas, & labores exantlatos, nunquam sese ad quietem perventuros metuebant. Alii, quos bello Svecico, per rigorem disciplinae militaris, sive re quacumque alia, offendisset, occulto in ipsum odio, sublatum e medio, perditumque cupiebant: idque ita clandestino, ut insidias, nisi puer indicasset, vix deprehensurus fuerit. Et Danorum quidem exercitus hunc in modum se habebat; at Dithmarsis pro fortuna animus, & cura erant. Reputabant, imminere sibi hostem, trium regnorum potentem; perpendebant molem belli, & periculi magnitudinem, paucis sibi cum quamplurimis dimicandum. Cuncta secum agitabant; atque circumspiciebant, ne omnino quid negligerent, quod curatum oporteret. Denique & consultabant, quomodo hosti, etiam tum a devictis pridem Svecis insolenti, se opponerent; itaque, versato in omnes partes animo, visum fuit, ut nec oppido Meldorpio, non ab arte, neque a natura loci sat munito se includerent; neu cum hoste aequo loco pugnam inirent; sed, desertis locis aridis ad Holsatiam obiacentibus, quando plane equitatum nullum haberent, cum coniugibus, liberisque in interiora loca, quae paludibus, atque fossis aestuariis, & aggeribus tutiora; vel in Butzam item insulam, quam reciprocatio maris ambientis muniebat, se reciperent; ac tormenta, commeatum, quaeque alia belli instrumenta

(a) *Holsatiae Duci communicata*) Fertur regem, suopte quidem motu proclivem ad Dithmarsos rebelles subigendos, magis tamen exstimulatum fuisse a Duce Friderico fratre, & Holsatica nobilitate. Nam constat, gravissimas superioribus annis fuisse Friderico simultates cum Ditmarsis, quae ad apertam hostilitatem increverant, partim ob vectigalia in insula Heiligolandia, partim aliis de causis, ita ut vix satis ille Eiderstadienses suos ab incursatione Dithmarsorum defenderet, docentibus Hvitfeldio *pag.* 143. *Chron. num. V.* inter Ludevvigiana *pag.* 144. Hamsfortio in *Chron. MS.* Danckwertho in *Descript. Slesv. Holf. &c.*

CIↃIↃ. menta essent, huc conferrent. Etenim Dithmarsia tota oppidum munitum in se nullum habet; sed, depressiore solo, eoque molli ob vicini maris aestum, aestuariis, & aggeribus exundationi obiectis, atque fossis, & paludibus intercisa, satis undique munita est, incolaeque, si quis bello eos petat, patefactis derepente emissariis, agros omnes aquis implent, ut immensi stagni speciem quoquoversum circumspicias, terra interior universa, aquis supra eam exstantibus, praeseferat. Inde fit, ut peregrini viae ignari, ac regionis, inundatione facta, aut haerere uno in loco compellantur, aut, si moveant, in occultas passim fossas se praecipitent. Incolae vero, longo usu viam etiam latentem cognoscentes, longis contis, in hunc usum comparatis, facile fossas transmittentes, impetum in hostem faciunt non minore agilitate, quam si in planitie aliqua dimicarent; ac celeritate eadem quoties opus est, resiliunt. Quibus rebus nil deterritus a proposito rex Ioannes, ubi copiis contrahendis, uti dictum, se ad Hammam aliquamdiu ostendisset, ac moturum illas esse simulasset; a Dithmarsis, qui sub eo militabant, per latentem in aquis viam in vicum Winterbergum ductus, ipsis Idibus Februarii, quosdam illic nuptias celebrantes opprimit: quibus caesis, aut fugatis, mox Meldorpium progreditur, & non difficulter capit. Vnde, qui profugiebant, perdita cuncta divulgabant. Et haec fama quam celerrime adeo dispersa fuit, ut postridie per Vandalicas, ac vicinas nationes plane ita evenisse crederetur; & Dithmarsi, tamquam in summa desperatione rerum constituti, pars in Butzam fugiendum, pars deditionem esse faciendam existimarent, & equitatum, quem exiguum in Germania conscripserant, nulli amplius externo confidentes, procul agmine removerent; omnes vero adeo consternati essent, ut quid agerent, aut quid caperent consilii incertum haberent. Quod si rex diutius se aliquanto in oppido continuisset, credebatur ultro hostem abiectis armis, pacem petiturum fuisse. Sed, refecto illic milite, mittit, qui, quo loco hostes consedissent, ac consilii quid cepissent, explorarent. Quibus partim interfectis, partim, qui reversi erant, nuntiantibus, quae acceperant, ipse ad diem XVII. Februarii, relicto in oppido praesidio, infelici valde auspicio castra movet. Erant, qui id dissuaderent, sive quod is dies vulgo in nefastis haberetur, ideoque ad rem prospere gerendam inauspicatus videretur, sive quod mutato derepente aere, gelu, quo constricta terra iam remitteret; atque viam pugnaturis non dumtaxat impeditam, sed & lubricam, adeoque inequitabilem pene fecerat. Qua de causa hortabantur, *ut differre pugnam vellet, quae quum anceps admodum futura esset, mora aliquot dierum, sine suorum discrimine debellatum hostem iri.* CIↃIↃ. Sed tribuni praetoriani, quibus plurimum ob praeclaram Svecico pridem bello operam tribuebat, in contrarium propendebant; ac dicebant uno ore, *rerum bene gerendarum tam praesentem occasionem minime negligendam esse; ceteroquin mox futurum, uti gelu paullo magis remittente, glacieque infirmata, aut soluta, ac per id erepta hostes invadendi facultate, domum inglorii redire, nullo operae suae pretio, cogerentur.* Itaque, consilio horum collaudato, iterum rex exploratum quosdam mittit; quos Dithmarsi interceptos caedunt omnes, praeter unum, gente Frisium, hunc servatum indicare sibi cogunt, quanam via regii venturi essent. Ex quo postquam comperissent, Hemingstadium destinari viam impeditam valde, & angustam, nocte pugnam praecedente propere effossa terra, aggere, ac fossa muniunt, & praesidii item aliquantum adponunt. Tum vicinis quoque locis, atque hosti opportunis, quia fidem exploratori non omnino adhibendam existimabant, idem faciunt. Quarum rerum rex ignarus, infelici plane die, caelo nebuloso, ac turbido, copias in hostem ducit. Ante ibant milites praetoriani, crates ad tegendas fossas, pluteosque praeferentes; illos reliquus peditatus, istum equites sequebantur. Hinc impedimenta erant. Tormen- CIↃIↃI.* torum una pars a fronte trahi, altera a tergo sequi. In hunc modum, per angustam sane viam, & utrimque fossa septam, recta in hostem tendebatur. Ac, quum iam praetoriani aliquatenus processissent, & periculum iam sequentibus evasisse viderentur, equitatus, conferto ob angustiam agmine, ocyus vestigia premit; nullum hic discrimen ratus, ubi copiae pedestres sine negotio transiissent. Quumque ad mediam usque viam pervenisset, pone sarcinis, & tormentis, ita interclusus erat, ut, si isthoc usus foret, sine incommodo evidenti retrocedere non posset. Hic Dithmarsi, qui se hactenus ante aggerem continuerant, quum viderent hostem, loci iniquitate circumventum, non se expedire posse, primum excussis tormentis, tela in eum iaculantur. Ac initio aliquamdiu eminus pugnatum fuit; mox, quum largus imber caderet, mixtus grandine madescentibus tormentis, nec incendi iam facilibus, cominus pugnari coeptum. Et Dithmarsi effusi aggere, in viae exitu Danis se obiiciebant, ne prodire in apertum campum possent, atque illic copias suas explicare, ausi & in primos ordines impetum facere, ad tormenta, si perrumperent, evertenda. Dani contra, quamquam repentino insultu, & iniquitate loci premerentur, tamen summa vi adniti, uti, propulsato hoste, ex angusto illo loco in planitiem adiacentem pervenirent; velut, ea occupata, magis facilem, ac periculosam minus, dimicationem essent

* Ponitur ad supremam paginae oram annus CIↃIↃI. atque sic continuatur idem numerus ad sequentium Paginarum Columnas, vitiose. Namque haud potest locum habere anni illius (1501.) nota, nisi ubi, post cladem Dithmarsicam, de profectione Regis in Sveciam agendum, sive ad *Col. 689. d.* ubi haec verba habentur: *Accingit itaque se itineri* &c. Ergo delendus numerus 1501. ex quatuor Columnarum capitibus, numerusque prior CIↃIↃ. usque ad verba indicata continuandus.

CIƆ IƆI. essent habituri. Itaque fortiter pedes facere, & acuere virtutem, cum periculi magnitudo, tum iniquitas item loci, e quo neque sibi exire, neque equiti liceret, nisi per submotum hostem ferro viam aperiret. Verum tamen, quamquam per subiectos pluteos viae partem difficiliorem exegerant, neque longo intervallo a planitie arcebantur; nihilominus adeo arctus locus erat, ut nec aciem explicare, neque commode praeliari, nec procurrere in hostem propter aggerem oppositum, neque locum equitatui dare possent. Qua re admodum impediti, capto in arena consilio, extenso, quantum angustia loci permittebat, in utramque partem agmine, includere hostem, & in aggerem impetum facere incoepere. Sed Dithmarsi, ocyus inductis copiis universis, acres in adversos ruunt, nec minore Dani animo vim excipiunt; &, fortissime dimicantes, semel iterumque hostem propulsatum, in fugam vertunt. Qui recolligens tamen sese, rursum eos in angustias, quas evaserant, retro agit. Dani, luto, & pluvia madidi, frigore insuper obrigebant; at Dithmarsi, mira agilitate corporum, quam in intersecta fossis regione longo usu comparaverant, contis in hoc adparatis, huc, & illuc circumlati, saucios in circumiectam fossam egere; inde, eadem agilitate retrogressi, quoties opus, tela Danica quam facillime vitavere; Danis contra, arcto in loco condensatis, & in luto crurum tenus obhaerentibus, non tam facile Dithmarsorum item tela declinantibus. Quibus saucii, neque acie excedere, neque in locum tutiorem efferri poterant. Ad haec mala ventus quoque accedebat, qui contrarius, & vapore, fumo, pluviaque mistus, ita ora, oculosque infestabat, ut prospicere nihil possent. His incommodis, & vulneribus impediti, multis etiam interfectis, & in fossas praecipitatis, tamen diu resistentes, nil virtute sua indignum committebant. A fronte enim occisorum cadaveribus; a tergo, impedimentis septi; quae, in latus per tumultum pugnae obversa, retro cedere cupientibus valli instar obstitere; & incluso equitatui nulla neque dimicandi, neque se recipiendi copia erat. Insuper ab utroque latere fossa cinctus, neutram in partem commovere sese poterat. Hinc exorta primum trepidatione; mox consilium, animumque perdidere. Et, incerti quo se vertant, dum periculum plerique devitare incaute volunt, partim in fossas provolvuntur, partim, necdum stricto ferro, in angustia a commilitonibus suis obteruntur; & inglorii sine specimine fortitudinis ullo cadunt. Quo praetoriani territi, primi omnium fugam capiunt. Ac quum reliquus peditatus his succederet, atque hosti se obiiceret, immittentibus undique Dithmarsis tela, clamor ingens, strepitusque formidabilis excitatur; & sollicitum illud maxime quemque habet, quo se pacto extricare ex angustiis istis possit. Coarctati in unum omnes, graviter tumultuantur; fremituque, & vociferatione, tum equorum quoque hinnitu plena omnia. Quibus rebus magis animosus hostis, vehementius connisus, undique circumventos premit; ac prostrato peditatu, acriter in equitatum, qui victoriam solus adhuc morabatur, statim invadit: missis etiam, qui apertis emissariis, aquam immitterent. Qua re factum, ut, tellure aquis undique ingruentibus cooperta, scrobium discrimen omne, ac fossarum, antea conspicuum satis, brevi temporis momento tolleretur. Inde equi, densis telis impetiti, quasi in furorem acti, & excutere sessores, & in pedites incursare. Post haec summa trepidatio tota castra occupavit; neque Dani ulla amplius spe victoriae tenebantur; qui impedimenta aggressi, ea evertere, &, qua venerant via, evadere nitebantur. Quod dum strenue moliuntur, milites, quos rex Meldorpii in praesidio esse iusserat, subvenisse laborantibus, exitumque aperuisse interclusis memorantur. Eoque facto, omnibus in fugam effusis, plurimi in illa obtriti, integri occubuere: multi etiam a Dithmarsis persequentibus interfecti. Ac tam magna strages fuit, ut per fossas, obtritorum, aut caesorum cadaveribus oppletas, multi clade elaberentur. Dithmarsi hostem superasse non contenti, varie in profligatum etiam saeviunt; semianimes, labris, naribus, auribusque amputatis, obtruncantes: ac iam caesos, repetitis saepe ictibus, confodientes. Denique vix sepulturam, & hanc tantum peditatui, largiuntur: in equites asperiores, ultimum iis pietatis hoc officium non concedunt. Numerus interfectorum ignoratur; aliique alium tradunt; at plerique ad quatuor millia cecidisse sunt auctores. Inter illos duo comites Oldenburgici; Adolphus, & Otho: ac trecenti sexaginta e nobilitate alii. Capta signa longe plurima, & tormenta universa. Rex, cum fratre Friderico, & reliquis in Holsatiam concessit; ubi suos perbenigna oratione consolatus, adhortatur; *ne, ingenti quamquam clade, nimium demittant animos. Neque enim hostis se virtute victos, sed iniquitate loci, ac tempestate; quam arcere, aut compescere non humanae potestatis esse scirent: & errare, qui in bello prosperos eventus semper exspectarent. Certum sibi, brevi denuo hostem cum maioribus copiis adoriri, & acceptam cladem ulcisci.* Nec ingrata, aut invalida regis haec oratio erat; & in spem erigebantur universi, fore, ut non multo post suorum caedem vindicarent. Ac constabat illi animus; iamque novas sibi copias comparare statuebat: quum, quorundam interventu, tandem pax est constituta. Quae obtinuit inde usque ad annos quinquaginta novem; post quos, repetito bello, Fridericus, eius nominis II. Ioannis huius e Friderico fratre pronepos, gentem eam fregit plane, ac subiugavit; ut dicemus, quum ad illa tempora perveniemus. At in Svecia iterum exortae turbae; & mox bellum subsequutum est. Steno enim, quem devictum pridem illic summae rerum rex praefecerat, ut rescivit, praelio eum a Dithmarsis, gente exigua, superatum, veluti pudore actus, quod, amissa libertate, se, & regnum, dedere coactus esset, res moliri novas coepit:

CIↃ IↃI. pit: non iam ultra beneficiorum memor, quae tam multa, atque magna nuper adeo acceperat. Sed initio, callide consilia celans, literas ad regem mittit, quibus orat; *ut quamprimum proficisci in Sveciam velit perexiguo comitatu, ad levandos sumptu incolas, quando rerum necessariarum omnium caritas solito maior esset: se in finibus adfuturum, atque illic venientem excepturum; nam negotia multa esse, nec exigui momenti, quae praesentem ipsum poscerent. Agitari simultates perquam graves inter se, & optimates ob decretum, tam benigne sibi indultum; insuper a Russis iterum bellum Sveciae imminere, cui quamquam pares essent, tamen hic consilio eius opus esse.* Ac de simultatibus sane verum erat; quippe Sveci, quos in principatu suo quam gravissime divexaverat, & in his Iacobus quoque, regni Sveciae summus praesul, Romam miserant: qui decreti in Stenonis gratiam a rege facti, ne quis ipsum gesti antea principatus, uti dixi, reddere rationem cogeret, a Pontifice antiquationem peteret. Qua deinde impetrata, exstitere, qui iniuriarum agerent; aut, accepta damna questi, aequam horum compensationem poscerent: alii perfidiae eum; rursum alii repetundarum postulabant. Ac per haec interdum in discrimine vitae praesentissimo constitutus, manus certe violentas nullo modo evasisset, nisi regis reverentia, & obsequium tenuisset. Rex, omnino nil sinistri suspicatus, ac Stenonem bona fide agere censens, postquam cum proceribus deliberasset, statuit primo quoque tempore, uti postulatum erat, cum exiguo comitatu se in Sveciam conferre: ne, vocatus si venire detrectaret, Sveci sibi occasionem rebellandi inde caperent. Accingit itaque se itineri primo vere; coniuge sua, & ministris quam paucissimis comitatus; obviusque in regni finibus, ut promiserat, Steno occurrit, cum caterva hominum audacissimorum, & patrare quidvis certa. Nuntiat pacata omnia; quod & rex, progressus ultra, verum comperit: admodum laetus, quod, conciliatis partibus, atque rebus ex sententia constitutis, mox in Daniam rediturum se speraret. Interim Steno, iam adductum in insidias regem cernens, mittit literas quoquoversum, ad eos proceres, quos addictos sibi maxime, & aversos a Ioanne satis exploratum haberet, operam eorum clam implorat, atque orat, uti circumspecte agant; ac cum armis, si res postulet, praesto adsint: rursum aliis mandare, ut silvestribus in locis, & remotis clandestino plebem convocatam arment. Quae Stenonem agitare quum familiares regis comperissent, monent sedulo, *uti eum observaret, & insidias caveret: nisi faceret, fore ut, opinione sua citius circumventus tolleretur.* Rex, qui fidem non haberet, nec inducere animum posset, ut Stenonem scelus in se concepisse tantum crederet; tamen illis admonere, & obtestari, ut habere sui rationem vellet, nullo modo desinentibus, tandem victus, aurem praebuit (a): ac, quum observare eius actiones diligentius incoepisset, vera esse, quae amici retulissent, deprehendit. Itaque, quum vires iustas, quibus sese tueretur, non haberet; nec consultum existimaret, in auctorem insidiarum animadvertere, quod tutissimum videbatur, rem dissimulat; atque, ut evadere posset, causas fingit, ob quas sibi festinato in Daniam redeundum diceret. Itaque Stenonem iubet currus sibi praeparare. Atque ille sine mora iussa facit: non obsequio, verum quod consiliis suis exsequendis tempus sese opportunum nactum crederet. Emissis itaque suae factionis ducibus clam ex agris tria circiter hominum millia ocyus convocat, cum mandato, ut in curribus tecte secum arma ferant; hisque eosdem, quos emiserat, duces tribuit; praecipitque, ut, qua regi in Daniam transeundum esset, undique vias obsiderent; &, ad lacum nigrum currus exspectantem, noctu per tumultum invaderent. Ipse, ne proditionis alicuius apud quemquam in suspicionem incurreret, numquam quoquam ab eius latere concedebat. Cuius rei rex per suos certior factus, quum, obsessis viis omnibus, qua in Daniam iter esset, interceptum se cognovit, exituque prohiberi, consilium in arena capit: & Stocholmum cum uxore eadem nocte, qua patrandum scelus erat, magnis itineribus petit; ac vigilia noctis prima eam intrat. Steno, quum insidias non processisse animadverteret, spe se sua excidisse indignatus, clam de regis comitatu se subducit. Rex, Stocholmum ut evasit, mox senatum, & nobilitatem regni ad se vocat; qui frequentes quum venissent, praeter solos coniuratos, ac Stenonem eorum ducem, quos flagitii destinati conscientia, ne auderent convenire, deterrebat: rex, seorsim missis ad Stenonem literis, monet eum, *ut & ipse ad comitia adesse velit.* Verum ille respondere; *se paratum isthoc facere, sed accepta fide publica, atque obside: aliter, non tutum sibi arbitrari.* Post quae rex, praefatus quaedam in senatu de perfidia Stenonis blande, compellatos singulos rogat; *num ex eo die, quo habenas regni Sveciae gubernare primum coeperat, quicquam contra ius, aut aequum, vel antiqua privilegia, consuetudinesque regni commisisse videretur: tum, an gravis cuiquam publice, aut privatim extitisset: aut, abusus potestate, perperam rempublicam administrasset. Quod si quis illarum rerum merito insimulari eum posse existimaret, se paratum respondere, atque etiam regno cedere. Quin senatum universum iudicem capere, eique quidvis statuendi liberam potestatem facere.* Haec dicentem quum audirent, moti omnes, porro cupientem loqui interpellant; *graviter dolere sibi, quod, perfidiam unius omnibus communem esse suspicari videretur.* Tum hortantur; *uti bono animo esset: sibi a fide, & obsequio, etiam contra Stenonem, non discedere deinceps certum.* At rex, ut Stenonem de se queritantem coram audiret; studioque, ac comitate potius, quam armata manu perduellem ad

(a) *Tandem victus, aurem praebuit*] Loccenius Hist. Svec. lib. V. „ *Rex ingenio probus, ab improbis aliquot in transversum actus est.* „

CIↃ IↃI. ad obſequium reduceret; datis publicae fidei literis, quas petierat, iterum eum ad ſe vocat. Quas quum ille accepiſſet, gnarus, regem in civitatem cum exiguo comitatu perveniſſe, ipſe cum maiore multo, ac Suantone, Henningo Gaddio, Canuto Alſonio (a), aliisque factionis ſuae ſociis, & equitibus ſeptingentis mox advenit; &, priuſquam adveniſſe rex reſciſceret, aedibus munitioribus occupatis, conſilium eius accuratius perpendentibus, merito ſuſpectus fuit, quod accepta fide publica, adveniſſet, non tam ad colloquium amicum regis, quam ut locis opportunis, atque adeo medio foro contra eum caſtra ſua collocaret. Qua re cognita, rex, quo propius iam periculum imminere animadvertit, eo magis providendum ſibi ratus, ita res in arce ordinat, uti, ſi rebellionem manifeſtam, ac vim etiam intentare Steno auderet, propulſare eum poſſet. Tum Stenonem ad ſe vocat; ac proferre, ſi quid accuſaret iubet. Quumque ille, tutum iſthic non videri, ſine obſide, reſponderet; atque rex, cui bona fide agere certum, non gravate hunc concederet, poſtquam tandem acceſſiſſet, comparata oratione, *ſe nullius ſibi ſceleris conſcium*, ait; *ſed, quum inimici ipſum apud regem traduxiſſent, ideo clam ſeceſſiſſe, ut in tuto collocatus, ſuam ei innocentiam approbaret. Nec mirandum cuiquam eſſe; ſi, priuſquam ſe ſuſpicione tanta liberaſſet, minime fuiſſet auſus ad iratum regem accedere: qua in re ſi quid imprudens offendiſſet, id ut ſibi ignoſcatur, etiam atque etiam petere. Non ſe hominum coercere linguas poſſe, ac pro ſuo fere arbitrio quemque loqui: caeterum non ulli culpae ſe affinem, id illeſa conſcientia affirmare in proclivi. Quin, pro dignitate regis, & ſalute quidvis promptum facere, ac pati: unum vero etiam aliis regni Sveciae optimatibus aliquantum diſplicere, quod Calmarnienſe pactum non omnino ſervaretur*. Hic interrogante rege, *qua in re id violatum exiſtimaret*? regerebat; *arces regni, fidei indigenarum committendas, Danis, aut Germanis datas. Id peccatum ſi emendet, nihil reliquum magnopere, quod vel ipſe, aliive queri poſſent: ac futurum, ut deinceps omnium ſibi fidem obſtringat*. Atque hic conſenſus caeterorum fuit; gratiaeque illi ab univerſis actae, cum iuſtitiam, tum clementiam, temperantiam, ac manſuetudinem collaudantibus; & teſtantibus, *illud ſibi ſummum ſane votum eſſe, ut incolumis diutiſſime regnum teneat. Nec ſe regem alium cupere; nec carere eo facile ſine magno ſuo damno Sveciam poſſe. Et orare ob hanc cauſam, ne, ſuſpecta hominis unius fide, temere forte ab inimicis accuſati, eundem affectum univerſis eſſe crederet. Interim, quo tutior foret, in ſalutem ſuam incumberet, & praeſidium adhiberet; ſe paratos, quandocumque videretur, praeſto ad auxilium eſſe: nec tueri incolumitatem eius, quanquam certo vitae ſuae cum periculo deſtituros*. Rex, ſenatu collaudato, quum Stenonem cupidum novarum rerum, atque regnum affectantem, & auctoritatis magnae inter ſuos cognoviſſet; neque poſſet, quin ſuſpectum nihilominus porro haberet, verbis pluribus hortatur, *ut, in fide, & officio, toties iam deſciviſſe deprehenſus, ſemel tandem perſeveret*. Omnes vero ad convivium ſuum vocat; neque quicquam praetermittit, quod ad animos in amore, & obſequio confirmandos pertinere exiſtimaret. Verum fruſtra humanitas fuit; neque Steno modum ambitioni ſuae, ac conſiliis turbulentis ponere potuit. Et paullo poſt, cum aliis item factioſis, quorum primus Suanto erat, per praeſidia ſua audax, quibus urbem in poteſtatem redegiſſe videbatur, iterum nobilitatem concitare in regem coepit, quique in arcem ipſe aſcendere, niſi dato prius obſide, recuſaverat, mox, contemptum manifeſtum praeſeferens, ab eo petit, ut in urbem ad ſe veniat, & conſilium ad negotia quaedam conferat. Sed ſuperbiam hominis rex indignatus, partim & inſidias agitari gnarus, intra arcem ſe continuit, nec prodire in urbem voluit; qua re incitatus Steno, huc, & illuc curſitare; ac conſilia, ſemel capta, porro urgere. Rex, quo ſeſe, velut contra hoſtes ſuos, tueretur, communiri arcem iubet. Inter iſta, quum regina, faemina inprimis pia, aliquando ad audienda in urbe ſacra deſcendendi veniam a rege peteret; rex, qui ſuos antea prohibuiſſet univerſos, quod inſidias vereretur, reſpondere: Si ad hoſtem ire velit, id licere; ſed, ſi eo comitata revertatur fore, ut non admittatur. Quo reſponſo, poſtquam moeſta diſceſſiſſet, & in lacrymas erupiſſet, rex, a fletu abſtinere ſtatim iuſſam, in templum deduci mandat. Quumque eo deſcendiſſet, ocius conſcenſo muro, tormenta locis opportunis, & praeſidia paſſim collocari iubet: ut, ſi forte, quod futurum praevidebat, reginam Sveci magno numero comitantes, una intrare niterentur, fortiter repellerentur. Poſt peracta in templo ſacra, quum regina regredi in arcem vellet, Steno, ac Suanto perbenigne conſalutant: &, ceu eam ex officio deducturi, mediam ambo prehendentes, magno numero comitantur. At quum arcem acceſſiſſent, militemque in muris cernerent, aditu prohibiturum, ſubſiſtentes, ac reginam dimittentes, illico indignabundi, & gravia quaeque comminati, urbem repetunt. Inde Steno mox excedit; &, in loca tutiora quum veniſſet, nulla ultra ſimulatione uſus, hoſtem ſeſe manifeſtum profitetur; ac ſollicitare regni ſingulos primates incipit, hortarique, ut deficerent a rege. Conciones pluribus in locis habet: quibus graviter ad invidiam, odiumque con-

(a) *Canuto Alſonio*) Rectius foret *Canuto Alfsonio*, h. e. ut in latinis quibuſdam monumentis eſt, *Adolphi filio*. In Scepperi *Apologia Chriſtierni II. pag. D. a.* mendoſe legitur *Kamiti Allonis*, cuius loco in altera Friderici Regis *Reſponſione* habetur *Canutus Allonis*. Erat iſte vir gente Norvegus, magnae inter ſuos dignitatis, & Svecicis affinitatibus potens. Occurret eiuſdem poſthac mentio *pag. 40. a. v. 8.* ubi *Canutus Adolphus* dicitur. Chronicon Skibyenſe: „ A. D. 1502, conati ſunt etiam „ Norvagienſes quidam adverſus Regem Ioannem rebellare, cu„ ius rebellionis auctor dicebatur Canutus Adolphi, in Norve„ gia eques primarius, ſed ſimplici ingenio magis, quam perver„ ſo, cuius ſimplicitate ad rebellionem abuſi ſunt Sveci quidam „ proceres. „

CIↃ IↃI. concitandum, debacchatur. *Non id temere factum esse, quod Stocholmi in conventu procerum publico adeo sese diligenter rex purgaverit, animosque item omnium benevolentia simulata devincire studuisset. Ita enim cum natura, tum industria comparatum; ut, quibus se imparem impraesens videat, blanditiis tamdiu teneat, donec, armis comparatis, viribusque confirmatis, eos improviso opprimat. Ac, nunc tempus advenisse, quo libertas regni Sveciae, nisi eam armis vindicare auderent, plane peritura esset.* Insuper consilia regis, illa valde salutaria, & ad pacem, ac concordiam pertinentia, passim apud credulam per plebem calumniam traducit: praefectorum quoque eius avaritiam, & crudelitatem exaggerat, querimonia etsi forte non iniusta, tamen nimia. Tum *respicere Norvegiam* iubet; *quae, cum Dania postquam foedus iniisset, prisca libertate exuta, in extremam servitutem misere deiecta esset*. Etiam iusiurandum poscit, quo promitterent universi in commune consulturos, quod ex usu regni esse existimarent. Quibus verbis concitatis passim animis, subito tumultu orto, undique ad arma itum: ac Stenonem bona pars nobilitatis, ad periculum commune, ut credebant, patriae suae depellendum, ducem petere. Ad hanc Suanto se adiungere, vir primaria inter proceres dignitate; & Stenonem, satis, per se incitatum, magis etiam instigare. Steno itaque, suo ingenio dominandi cupidissimus, pronis adeo animis tumultuantium, vindicandae, ut vocabat, contumeliae dari occasionem ratus, neque eam negligendam, denuo invadit regnum, bellum parat. Atque illud ut legitimum videretur, ad diem Calendarum Augusti conventum Alvastri indicit. Quo quum Suanto, caeterique factiosi convenissent, ad Ioannem, etiam tum Stocholmi agentem, suo, omniumque nomine literas mittit, nuntiatque: *hostem se deinceps fere, & ad bellum capessendum a suis cogi: qui tyrannidem praefectorum, quos praeter ius, atque fas imposuisset regno Sveciae, non ulterius tolerandam, vindicare statuissent* Rex, acceptis illis literis, quum Stenonem rursum fidem exuisse intelligeret; & se neque bello parem, nec obsidioni item tolerandae animadverteret; cedere furori certus, reginam gravidam, ut in regno regni successorem pareret, relinquere in arce cum praesidio; ipse vero, cum nonnullis regni Sveciae proceribus, quos constanti in se fide existimaret, in Daniam recedere statuit: mox cum iustis inde copiis reversurus, ac Stenonem manu armata in potestatem redacturus. Quae quum sic constituisset, civibus in concionem advocatis, multa de Stenone queritur: *quod, oblitus fidei suae, & iuramenti, bellum iterum moveret; a quo, toties perduelli, quidnam exspectandum esset, neminem se adeo rerum imperitum arbitrari, quin id satis intelligeret. Sibi in Daniam proficisci certum esse; ac, parato iusto exercitu, ad liberandam ab obsidione urbem quam celerrime reversurum. Quin, ne quicquam de affectu suo in ipsos dubitarent, pignus se in arce certum, uxorem gravidam relicturum: ac vicissim cupere ex ipsis scire, quid de illis polliceri sibi debeat.* Illi, quum consilium regis accepissent, primum enixe rogare; *ne desereret ipsos vellet; neque enim arbitrari, has Stenonis vires esse, ut perficere coepta possit: quin futurum, ut, elanguescente primo furiosae plebis impetu, armis sua sponte positis, veniam rebellionis iterum petitum veniat*. Caeterum, perseverante in proposito suo rege; nec, *praesidio tam exiguo obsideri se passurum*, affirmante; fidem omnes obstrinxere, *se mansuros in obsequio, neque hostium ullo metu, aut periculi magnitudine defecturos*. His pro concione actis, rex postridie Daniam navigio petit. Eiusque abitu multo iam ferocior Steno, arces regni, quas praesidio communitas rex tenebat, recuperare animum inducens, primum Orebroum tendit; ira in praefectum eius, Ioannem Falsterum, quod is Haraldum Plattingum, antea Norreschogensi praefectura a se donatum, quum gubernatorem regni Sveciae ageret, in furcam egisset. Itaque recuperata post continuam oppugnationem arce, ignominiosam mortem hominis amici ulturus, Falsterum captum Arbogam duci, &, in vincula coniectum, ad supplicium aliquod gravius asservari illic iubet. Quo peracto, mox Stocholmum castra movens, arcta id obsidione utrinque cingit; cumque armis expugnare sese posse desperaret, astu aggressus, sat feliciter perfecit. Quippe, immissis ad primarios quosdam cives, & auctoritate validos, qui largitionibus eos, ac promissis luculentis ad dedendam sibi urbem permoverent, bene opera successit. Atque illi, spe maioris libertatis, quam prolixe Steno fecerat, primum occulte, inde palam res moliri novas ausi, non reginae ulla ultra comitate retineri in officio potuere: consulesque, ac nonnulli consularis dignitatis, paullo post in castra egressi, ut de pace cum Stenone ineunda consultarent. Qua in re dum occupantur, incendium, incertum unde, magnum in civitate exortum est. Ideoque trepidatione subita, ut in talibus usitatum, captis statim armis cives, quum in foro convenissent, mox validiore flamma procurrentes, portas civitatis petunt: ac Stenoni, foris cum armata manu exspectanti, eas pandunt. Qui irrumpens, & praesidia locis opportunis ponit; & concurrere ad incendium exstinguendum cives iubet: oppidoque sic potitus, arcem, ac reginam in ea porro obsidet. Atque, aliquot cohortibus in vicina loca missis, plebem in praefectos regios, regni arcibus impositos, passim concitat: quosque illorum comprehendit, graviter excruciatos, in suorum aspectu necat. Inter illos & Falsterum; quem Arbogae, uti dixi, in tormenta exquisita asservatum, eo tempore maxima crudelitate Svecis discerpendum dedit. Ita vero Steno saeviit; quo & poenae immanitate metum caeteris incuteret, & saevitiam aliorum suae factionis principum hoc exemplo incitaret. His in Daniam perlatis, ulcisci quidem rex suorum indignam caedem cupiebat; sed terrestris expeditio, sine classe, nihil profutura erat; atque illam apparare hyems ingruens

CIↃ IↃI. gruens non finebat. Igitur cunctante rege, atque classi instruendae idoneum tempus exspectante, Steno occasione usus, graviter saevire in eos, quos in regem propendere intellexerat. Interim regina arcem, amissa urbe, quam fortissime tuebatur; &, ut etiam capiendae spem eriperet, tamquam cibo abundante, quamquam fame nihilominus satis magna laboraret, &, absumto commeatu universo, reliquum nil praeter carnem equinam haberet, egregio astu obsessorem eludebat. Etenim suem pinguem unam asservari, ac, diebus semper aliquot interpositis, identidem produci in vallum; tum & vinculis constringi, iuguloque cultrum veluti feriendae intentari imperabat: quae dum fierent, eiulante in maiorem modum sue, ut facillime exaudiri in urbe posset, coniecturam oppidani faciebant, necdum illic fame ulla, aut inopia CIↃ IↃII. commeatus laborari. Atque ita, quando arx munita adeo armis expugnari haud posset, obsidionem in biennium protrahebat. Elapsa hyeme, rex *Elizabetham* filiam Ioachimo, marchioni Brandeburgico, Imperii Septemviro, dat uxorem; nuptiaeque celebratae cum illustri apparatu ineunte mense Maio; per quae postquam fama eius laborare incoepisset, ac, si, coniuge neglecta, quae Stocholmi obsidebatur, alio animum transtulisset; adeo nihili falsum hunc rumorem fecit, ut, purgandi sui causa, numquam quicquam contra dixerit: nec hoc nomine delatos redarguerit, aut severius unquam in eos animadverterit. Eodem tempore monachus quidam, ordinis Ierosolymitani, Hermannus (a) nomine, gente Danus, a Pontifice summo missus, in Daniam venit; populares ad militiam contra Turcas capessendam hortaturus: sed Ioannes, quum & ipse hostes Svecos rebellantes domi haberet, nec Vandalicis civitatibus satis fideret, apud Iulium Pontificem, cur auxilia eo tempore nulla mitteret, per legatum se excusat. Quae dum fiunt, Steno, nihil sibi actum esse ratus, nisi etiam Norvegos ad rebellionem impelleret; missis literis, nuntiisque, libertatem sempiternam, onerumque publicorum immunitatem pollicetur, si communia secum arma sumere in regem velint. Atque illi, mentione libertatis, quae dulcissima est mortalibus, ad defectionem illecti, coeunt primum, ac deliberant: hinc, Canuto Adolpho duce, magnae auctoritatis viro, tandem etiam Svecis se coniungere statuunt. Quae rex postquam accepisset, in Norvegiam ablegat Ioannem Ibsonum, Episcopum Roschildiensem, & Henricum Crummedicum: qui expostulent cum Canuto, quod a fide in regem suum descivisset. Hi navigio profecti, quum in portum Eggerhusium (b) appulissent, Canutum ad se fide publica accersunt: &, accensi criminatione mutua, quum utrinque incaluissent, incertum an mandato regis, interficiunt. Quam ob caedem post exorta controversia, factum fuit, ut cadaver per duodecim annos totos insepultum servaretur. Paullo ante etiam Paullum Laxmannum, aulae regiae praefectum, & auctoritate quoque excellentem, quidam Ebbo Strandisonus (c), & Biorno Andersonus, Hafniae, ex arce regia venientem in civitatem, in ponte alto, quem adpellant, contrucidant. Primum Ebbo, occurrentem stricto pugione invadit; &, inflicto in pectus vulnere, procidentem, e ponte in subiectam forte scapham deiicit, ne spes vitae superesse ulla posset: insuper insultat caeso; ac quemadmodum Salmo ipse diceretur, nempe prima nominis istius sillaba piscem illum denotante in aquis potius, quam in terris degere eum oportere, per ludibrium improperat. Ea caede perpetrata, percussores, nullo illos persequente, extra urbem effugerunt, qua re factum, ut rex vulgo, si non auctor, saltem conscius putaretur: quod in urbe quum adesset, percussores comprehendi non curaverit. Atque ille, etiamsi nullum omnino magistratum se superiorem adgnosceret; tamen, ne obiiceret quisquam, quod, quum ipse reus esse crederetur, sua in causa partes iudicis desumsisset, in Imperii Electores compromittit: ac, quod illi censuissent, eius deinde confirmandi camerae Imperialis assessoribus plenam potestatem facit. Ad haec etiam literas addit, quibus caedis eius culpam ab Ebbone, & heredibus, in se, Daniaeque reges successuros transtulisse fateretur. Verum aiunt, adeo illum huius mox sententiae poenituisse, ut, iam morte propinquante, saepius nomen Laxmanni ingeminare audiretur. Inde, vere ineunte, classem parat liberandae uxori suae: quae iam huc redacta erat, ut diutius tolerandae obsidioni fine no- CIↃIↃIII. vo commeatu, & praesidio par non esset. Id quum Steno rescivisset, quod iam dudum intermiserat, denuo se ad arcem oppugnandam vertit: sed obsessis non minore fortitudine repugnantibus, rursum destitit. At, cunctante nimis rege, atque vento adversante retardato, quum non ultro tolerari fames posset, ac praesidium universum deditionem flagitaret; metuens regina cogi, nisi sponte morem gereret, incolumitatem suam, & suorum, liberumque in Daniam discessum pacta, tandem se, arcemque dedit: post obsidionem arctissimam, paullo minus annos duos, constantia in sexu isto multo magis admiranda, toleratam. Verum Steno, qui iam toties fidem

(a) *Hermannus quidam*] Chronicon *Skibyense* „ Eodem anno venit „ in Daniam a Pontifice Rom. missus Legatus, Danus quidam „ Doctor Hermannus, professor ordinis Divi Ioannis Monasterii Otteniensis, praedicaturus quam vocant Cruciatam adversus Turcam, quae suis remissionibus, & bullis, hoc est, mera licentia, extinxit multam pietatem. Neque docebant huiusmodi legati, eorumque vicarii, homines poenitentiam agere, sed intrepide peccare. Atque tunc primum aperta fuit Lutheranismo „ fenestra; neque unquam potentior factus est Turca, quam dum „ coepta est praedicari adversus illum cruciata, qua expilata sunt „ Christianorum regna, auctaeque facultates cognatorum Romani Pontificis, Turca magis, ac magis triumphante, posterioribus „ prioribus semper deterioribus. Hanc enim cruciatam non persuasit „ pietas, sed avaritia. „ Ita locus iste integre, & incorrupte legitur in omnibus nostris MSS. ita ut quam mancus, & vitiosus Codex Domino de Ludewig adfuerit, (conf. eius *Reliquiar. Tom. IX. pag.* 51.) facile inde perspicias: atque, ut vere dicam, non nisi Epitome est *Chronici Skibyensis*, quae in eius *Danicorum Sylloge num.* 2. se offert.

(b) *Eggerhusium*) Sic & apud Petrum Parvum occurrit scriptum. Hvitfeldius prope Opsloam urbem, alias Asloiam adpellatam, factum dicit, *pag.* 184. Istic autem arx Aggerhusia, & portus, cuius heic noster meminit. Vid. & Messen. *Tom. IV. pag.* 61.

(c) *Strandisonus*] Corrig. *Strangisonus*, h. e. Strangonis filius.

CIƆIƆIII. fidem regi fefellisset, nec reginae hanc servavit. Nam ex arce descendentem, neque fraudem, aut perfidiam suspicantem, manu iniecta, in coenobium Alvastrum (a) captam abduxit, atque illic in sequentem annum tenuit. Ex praesidiariis eius, qui initio mille erant, noningenti morbo, e corrupto cibo, aut inedia comparato, periere. Vix deditio facta erat, quum rex, suis subventurus, classem adplicat. Qui, ut urbem, atque arcem, coniugemque in Stenonis potestatem pervenisse intellexit, graviter affectus animo, suam partim tarditatem, partim adversam tempestatem incusare; inde, ad senatum regni tunc praesentem misso nuntio, quum is non admitteretur, indignatus, naves suas retro ducere, ac repetere Daniam suam, ampliorem mox exercitum paraturus. Sed Vandalicarum urbium levitatem quum perspectam sibi haberet, veritus ne, quod futurum iam prospiceret, in Svecorum partes irent, ac cum illis se coniungerent, primum id curandum statuit, uti eas a consilio hoc averteret. Et, quantumvis animo ab ipsis alieno esset, quod Stenonem ad rebellandum impulisse crederentur; tamen, ne quid prior eas lacessisse, aut dedisse inferendo bello causam videretur, stabilire pacem voluit. Itaque Lubecam mittit Ioannem Calvum (b) praesulem Othoniensem, cum duobus e nobilitate aliis, ac senatui exponit: *quibus dolis, & insidiis a Stenone, contra fidem iureiurando obstrictam, pridem in Svecia prope circumventus esset: quibus nisi eum Deus manifesto eripuisset, plane futurum fuisse, ut, nefario scelere oppressus, prius caderet, quam illius in se machinationes deprehendere potuisset. Eum vero non contentum insidias semel posuisse; insuper palam perduellem contra fidem, quam nunc toties adiuraverit, Sveciam in se universam, & Norvegiam concitasse. Denique, ne intentatum quid relinqueret, positis ad Stocholmum castris, urbe prius, inde arce occupata, etiam reginam uxorem, quae discessum sibi liberum pacta fuerat, non minore cum perfidia detinere. Quibus causis quum in bellum necessarium compellatur, quo & suis in discrimine tam praesenti opem ferat, redigatque in potestatem perduelles, orare sese, id largiri regis amicitiae velint, ut interea conquiescant; nec Stenonem commeatu, aut armis iuvent. Quod si dandum ipsi putent, gratiam vicissim eius sibi obstricturos esse; neque illum quicquam item omissurum, quod ad dignitatem eorum, commodumve pertinere existimarent: contra vero, si quos commeatum Svetis, resve alias necessarias importantes deprehenderit, hostium loco habiturum.* Ad haec ita Lubecenses responderunt. *Causam eam ad se minime pertinere; non placere sibi quidem contumaciam Svecorum; sed iniuriam regi ab iisdem factam vindicare nullo modo in sua potestate esse: itaque viderent ipsi, quo-*

A *nam pacto ulciscerentur; se, obnoxia neutri parti, mercaturam exercere; ideo neque liberi navigatione interducere quenquam posse.* Quo responso, postquam satis appareret, quidnam animis Lubecenses agitarent, oratores, quae praeterea iussi erant, porro exponunt, & discedunt. Neque multo post legatus a Iacobo IV. adest, Scotiae rege; isque primum Lubecensibus, hinc Vandalicis quoque aliis civitatibus, quae legati pridem Danici exposuerant, ea ipse item refert: B *herum suum Ioanni avunculo, contra Svecos perduelles iusta arma capienti, opem ferre statuisse. Ac proinde civitates illas omnes monitas velle, ne in Sveciam quicquam inferant, quod rebellioni gentis confirmandae usui ulli esse possit; si quae contra quid auderet, eam hostis loco fore.* Atque huic responsum fuit. *postquam merces, & pecunias, ac negotiationis suae socios toto illo regno haberent, maxima suarum rerum se iactura affectum iri, si commerciis usitatis excludantur: tum inique secum agi, si fortunis* C *istis suis, ob discordiam utriusque eius regni, evertantur.* Ad haec etiam, se cum Svecis plane nil commune habere, persuadere conabantur: quum constaret nihilominus, anno seculi praecedentis nonagesimo cum Stenone hac conditione foedus iniisse, ut pars neutra absque voluntate alterius, ac consensu pacem cum Ioanne rege ullam faceret. Rex, legatis mox reversis, postquam animum Lubecensium cognovisset, naves statim aliquot armat, & in mare Balticum mittit; ac praefectis harum mandat, D *providerent, ne quid Svecis rerum necessariarum Lubecenses, aut Vandalicae civitates aliae quaevis apportarent: naves vero, quae id facerent, universas interciperent, ac in proximum quemque regni portum abducerent: & intactas asservarent, dum de voluntate sua certiores facti essent.* Neque mora, statim mare obsidetur: Svecicasque merces vehens navis quaedam Lubecensis, Riga e Livonia veniens, intercipitur. Quod Lubecam ut perlatum, illico tumultuari, ac vociferari cives; E *non ferendam vim Danorum; quaeque iniuste abstulissent, bello repetenda esse. Senatum ad iniurias civium nimis diu connivere: non facturum, si privatim res ipsius rex invaderet.* Et is quidem ad suscipiendum bellum, quod ex foedere tenebatur, inclinabat: sed, aerario nimis tenui, rem gerendam per legatos potius existimabat: itaque mittit, qui restitui navem interceptam petant: hisque rex responsum dedit. *Nolle se cum Lubecensibus, aut Vandalicis item aliis civitatibus simultatem exercere, nedum* F *etiam bellum aliquod incoeptare; ac testatum sat fecisse, cum, legatis pridem missis, indicaverit, se evadere non posse, quin cum Svecis bellum gerat: & orare hanc ob causam, ut tantisper suam in gratiam regno Sveciae abstineret.* *Qua in re non tantum postulatis suis* CIƆIƆIII.

Oooo *nullo*

(a) *In Coenobium Alvastrum*) Petrus Parvus (seu Svaningius) *fol. Ee. b.* „ Regina Vadsteno, seu Alvastro coenobio captiva. „ Quasi Vadstenum idem cum Alvastro foret, quae tamen diversissima. Hvitfeldius omnino rectius scribit *pag.* 184. Reginam in coenobium Vadstenense ita petentem deductam. Consentiuntque *Chronicon Rhythm.* Svecic. *pag.* 565. & Messenius *Chronol. Tom. IV. pag.* 60. Nam singulari ergo Wadstenum pietate, & religione fuisse patet ex *Diario Monasterii* eius, ab Illustri & Reverendiss. D. Erico Benzelio olim evulgato, ad ann. 1499. *pag.* 157.

(b) *Ioannem Calvum*) Vero nomine Ioannem Andreae dictum, sed cui a calvitie vulgus cognomentum dederat *Beldenak* h. e. *calvo occipite*. Eius viri multa postmodum occurrit mentio, maxime in *Historia Christiani II.*

 nullo modo acquievisse, sed ferocius respondisse. Quod an sat prudenter fecerint, & convenienter tempori, nil iniquum expetenti, ipsis id diiudicandum se relinquere. Non dissidium cum Vandalicis civitatibus ullum velle: sed, quae sui nunc fecisent, de quibus conquererentur, id futurum, nisi Svecia abstinerent, per legatos, quos neglexerant, monuisse. Itaque si vel deinceps facere postulata velint, navem suam, & res omnes illibatas, redditurum; atque mandaturum suis, ne posthac committere quid tale ausint: contra vero, si persistant in proposito, non dumtaxat, quae adempta iam querantur, minime restitutum iri, sed maiora etiam damna porro accepturos esse. Ad haec, scire sese Lubecenses velle, quae priores Daniae reges olim ipsis privilegia concessissent, ideo indulta esse, ut honorem regno haberent, idque contra vim hostilem qualemcumque adiuvarent: non ut illud, se cum hostibus coniungentes, impugnarent. Ac, si pergant, facile futurum esse, ut haec ipsa, ceu ingratis, & indignis adimantur. Hoc responsum quum Lubecam allatum esset, statim cives arma capienda clamant: sed senatus moderatior, cetera omnia prius experiri statuit. Missis itaque aliis, atque aliis literis, quum nil rex pro expectatione ipsis responderet, tandem se ad bellum parat; ocyusque militem legit, naves instruit: idque festinato valde, uti regem praeveniret; qui & ipse mox promptissime se vicissim ad mox affuturum hostem propulsandum praeparabat. Sed, dum pariter utrinque magno animorum impetu bellum agitant, Fridericus, dux Slesvici, & Holsatiae regis frater, medium se rebus componendis inserit, ac Lubecam parvo comitatu abit. Verum operam princeps optimus omnem lusit: obstinatis Lubecensibus, atque ea postulantibus, quae promittere, sine regis voluntate, neque vellet, neque posset. Acta aliquot diebus, magno civium tumultu, causa fuit, sed nequicquam. Tandem illud constitutum, ut, si regi videretur, ac quo ipso loco vellet, iterum ad rem eandem peragendam convenirent; mittitur ad regem quidam ex primoribus Holsatiae, qui & acta Friderici, & postulata Lubecensium explicaret. Ea autem ista erant. *Lubecenses multis causis regno Sveciae abstinere omnino nolle; inde liberam navigationem cupere, & accepta a regibus Daniae privilegia sarta tecta conservari: denique navem, & ablata bona reddi; quae si rex promittere velit, arma posituros esse: si recuset, quae iniuste pridem ademerit, bello mox repetituros.* Sed verborum hac ferocia rex in primis magni animi multo magis irritatus, misso statim navium maiore numero, diligenter mare totum observare suos iubet: & cavere, ne quid regnum detrimenti a Lubecensibus usquam capiat; tum auxilia a confederatis regibus Galliae, Angliae, Scotiaeque, & Principibus vicinis sibi petit; ac quantumvis praeter regem Scotiae, Iacobum IV. per sororem Margaretam [(a)] sibi affinem, socerumque Ioachimum, Electorem Brandenburgicum, nemo quid suppeditaret; tamen animi, sparsa apparatus fama, Lubecensibus cecidere: ita ut classem, pene instructam, intermitterent; militemque iam collectum exauctorarent. Regii vero, ut iussi erant, mare arcte obsidentes, seduloque excubantes, & maiorem in dies formidinem hosti incussere; & alteram quoque earum navem, quae in Sveciam contendebat, interceptam, in portum proximum adduxere. Post haec Scotiae rex Iacobus, quod non ita multo ante civitatibus Vandalicis se facturum indicaverat, naves duas, bene instructas, regi affini [(b)] contra rebellantes Svecos auxilium laturas mittit: ac septemvir Brandenburgicus peditum item aliquot signa. Hinc Norvegiam coercere, quam ad arma Sveci pridem concitaverant, postquam rex constituisset, cum senatu rem communicat; qui sententiis quum inter se dissideret, visum fuit, ut a Friderico fratre, partem [(c)] sibi eius regni vendicante, auxilium posceret. In quam rem quum nil legati impetrassent, quod contentus sua in ducatibus sorte, Fridericus de Norvegia non magnopere laborare videretur; constitutum, ut totius regni curam rex susciperet, copiasque illuc mitteret, subductore [(d)] Christiano, filio suo. Atque is, mandato patris obsequutus, quum Asloiam processisset, iussis hic subsistere copiis, variaque excursione in hostem facta, Hermolaum Hudfadum cepit, perduellionis ducem; ac damnatum, ad Bahusam rotae imposuit. Nec multo post, quum missa a Stenone auxilia profligasset, & Canutum Caroli F. qui ducebat, cecidisset, mox Norvegiam universam ad obsequium redegit. Quo peracto, belli molem Christianus universam in Svecos vertit: &, exercitu in illorum fines ducto, Losam urbem expugnatam quum diripuisset prius, mox incensam solo aequavit. Inde Elsburgum, & Orstonum [(e)] arces prope adiacentes, circumsedit. Praeerat his Ericus Erici; isque, adventu Christiani intellecto, quum nec sat munitum sese ad vim propulsandam sciret; nec instructum commeatu ad obsidionem aliquam longiorem tolerandam; rebus, quantum angustia temporis permittebat, ordinatis, se periculo subduxit, idque illi, ut dicemus suo loco, postea exitio fuit. Christianum, ut maiorem Svecis proximis metum incuteret, veniam praesidiariis, dedere sese vita salva cupientibus, denegavit. Qua de causa, quum salutem desperarent, & extrema quaeque sibi exspectanda animadverterent, clam emittunt noctu nuntium, qui Stenonem de suarum rerum statu universo certum faceret; &, ni propere subveniret, actum de se, arcibusque istis diceret. Quae quum Steno accepisset, ut

(a) *Margaretam sibi affinem*] „ Duplex hic error. Erat Iacobus „ IV. filius Margaretae, quae soror Ioannis: Eoque non affinis, „ sed nepos, ut vulgo dicitur, ex sorore. Neque socer erat Ele- „ ctor Ioachimus, sed gener Ioannis. „ *Frid. Gunther.*

(b) *Regi affini*] „ Scribendum potius, *Regi avunculo*. „ *Fr. Gunth.*

(c) *Friderico fratri partem*) Vid. quae supra, ad *Col.* 664. *a*. annotavimus. Hvitfeldius *pag.* 195. refert, conditionem Friderico tunc temporis minus placuisse, quia vires ipsi nimis ex clade Ditmarsica attritae essent; itaque in supplementum petiisse, ut praeter regni partem etiam media pars omnium tributorum, quae per decennium ex Norvegia percepta essent, sibi cederetur.

(d) *Subductore*] Legendum separate, *sub ductore*.

(e) *Orstonum*] Corrig. *Orestenum*.

CIƆIƆIII. ut periculo tam praesenti suos liberatum iret, ceterosque metu hostium consternatos confirmaret, statim magnum peditum pariter, equitumque numerum ex agris cogit. His Achonem Ioannis F. gentis Ostrogothicae praesidem, ducem imponit, qui per saltus, atque rupes, aere caliginoso obliquatis itineribus in Danorum, hostem nullum exspectantium, ante Elsburgum improviso castra irrumpere constituerat. Quumque iam non longe abesset, ac cum suis consultaret, quo in loco castra hostium maxime adorienda viderentur, eminus pascentem equos rusticum quemdam conspicatus, missis aliquot equitibus, ducere eum ad se iubet, si quid forte de castrorum Danicorum statu scire ex ipso posset. At is, equites in se irruentes videns, ac ne caperetur metuens, illico conscenso equo, vix ad Danos fuga evasit. Quem citato cursu in castra venientem quum vidisset Canutus Thymaeus (a), iuvenis claro loco natus, e familia Christiani, advocatum, quid novarum rerum ferret, & quid adeo properanter adveniret, percontatur; atque is, ut animo erat consternato, magnam hominum armatorum multitudinem, quam vix equo concitato effugisset, in propinquo esse ait. Ac Canutus, quae acceperat, sine mora ad exercitus ducem refert. Forte pridie Elsburgenses se dediderant, & in arce Christianus ea nocte somnum ceperat; atque illud tempus erat, quo excubiae fere commutari solent; &, nocturnis iam digressis quae succederent diuturnae, nec, dum adhuc stationem occupaverant. Itaque, priusquam convenire Dani, & locum capere, aut, quam prope hostis esset, scire possent, Sveci, densa nebula tecti, iam ad ipsa castra erant; & excelsum iuxta montem, ac praesidio, ob digressas, uti dixi, inde excubias, destitutum occupaverant; unde, quidnam Dani gererent, facile prospicere poterant. Acho, qui maiorem in castris, quam speraverat, solitudinem animadverteret, plurimis adhuc, ut diluculo dormientibus, neque hostem omnino ullum exspectantibus, ratus etiam Christianum, quod de arcis deditione nihil plane accepisset, somno in castris indulgere; ut virtute, ac non dolo, se cum hoste experiri velle ostenderet, canere tubicinem iubet. Qui, miratus id mandatum: *atqui*, inquit, *dux illustris, non nunc classico ullo opus, sed silentio potius invadendus hostis, & victoria in proclivi est*. Verum is mandatum iterat, malum quoque, ni pareret, comminatus: *neque enim filium regis, & nobilitatem tantam, aliter quam Marte aperto adoriri, aequum, aut decorum esse*. Quippe vir ingentis animi, quamquam peditatu carens, quem reliquerat in via, festinantem sequi invalidum, solo sese equitatu profligare hostem posse existimabat. Itaque quum classicum tuba cecinisset, impetu in castra facto, magnam initio Sveci stragem ediderent, antequam Dani somno suo experrecti, hostem advenisse scirent. In tumultu isto Acho, cum equitibus nonnullis castra obequitans, incidit forte in tentorium Othonis Rudii, cum quo somnum ea nocte ceperat Andreas Bildius. Ac Rudius quidem equitatui universo; Bildius tormentis praeerat, stirpe ambo nobilissima; dumque Rudius cum Achone manum conserit, muneris sui memor Bildius in periculo repentino, quum se inde expediisset, ocyus ad tormenta abit. Rudius vero, aliis mox, atque aliis ad suppetias adcurrentibus, hostem e tentorio expellit. Quo ad suos recurrente, signifer Danus, quod praeceptum in eiusmodi casu erat, in media castrorum area derepente signum tollit. Quo conspecto, concurrentes illuc Dani, & ingenti statim numero, facto agmine, hostem alacres invadunt, contrucidant, dissipantque, ac regium item signum capiunt. Propulsatis autem hunc in modum Svecis, atque vindicatis castris, Christianus, interfecto, quia pertinaciter admodum repugnasset, milite praesidiario, incendi arcem utramque iussit; ac, quum agmen universum in Ostrogothorum fines perduxisset, ferro eos, atque flamma populatus, mox in Scaniam revertitur. Postea Andreae Bildio litem movit Otho Rudius, quod is ipsum, irruentibus in castra, & tentorium suum hostibus, turpiter deseruisset: quod exaggerante illo, adeo utrimque animi exarsere, ut pacari intercessione ulla amicorum non potuerint. Itaque delata tamdem ad regem causa, is pronuntiat: *neutiquam peccasse Bildium, qui non metu, aut proditione aliqua socium deseruisset, sed ad munus obeundum discessisset: oportere, uti suum in bello locum unusquisque tueatur, seduloque illud curet, ne officio usquam desit*. Per id tempus Otho Rudius Bahusae praeses, arcem Olsburgum, structam a Svecis, ad defensionem agri adiacentis, ac praesidio non exiguo communitam, clam de nocte, quae natalem Servatoris antecedit, strategemate quodam cepit. Postquam sciret, more olim iam recepto, milites praesidiarios passim in arcibus pridie istius festi largius se invitare; ille suos sub vigiliam noctis primam arma capere, & indusia, quibus sese internoscerent, linea superinduere iubet; atque sic Bahusa egressus, summa cum difficultate per exstantem alte nivem ad Olsburgum nocte intempesta venit. Vbi postquam excubias nullas animadvertit, cunctis intus compotantibus, moenia scandit, & oppressos universos inter vinum, ac somnum capit, aut occidit. Praefectus arcis, vix in turrim fuga evasit, quam quum fortiter in sequentem usque diem defendisset, ac spes nulla liberationis esset, tamdem quoque in Rudii potestatem venit. Qui, abducta insigni praeda, & captivis cum successum rei omnem, & pericula, quae in expugnanda arce adiisset, regi postea memoras- CIƆIƆIII.

(a) *Canutus Thymaeus*] A praedio hereditario *Thymaeum* vocat. Nomen vero fuit *Canutus Petri filius Guldensternius* [h. e. *de aurea stella*] dominus praedii in Iutia, *Thym*. vocati. Is sub Regibus postea Christierno II. Friderico I. & Christiano III. Senator regni fuit, virtute, ac meritis insignis. Diversus a coaevo altero *Canuto Guldensternio Henrici filio*, Episcopo Fioniae, & legatorum Friderici I. in Norvegiam anno 1532. contra Christiernum II. missorum principe.

CIↃ IↃIII. rasset; is, virtute, & industria perbenigne collaudata, arcem, & adiunctum agrum ipsi, ac deinde heredibus in perpetuum possidendum liberali manu donat; literasque, quibus hanc donationem deinceps ratam esse velle testaretur, scribi iubet. Quae & postquam aliquamdiu latuissent, post Eschilli Bildii mortem, regni equitum tribuni [(a)], in eius scrinio repertae, demum ad heredes veros rediere. Ostrogothi, paullo post Elsburgum captum, in Ericum Erici F. quem praefectum arci utrique, quum diffideret rebus suis, se periculo subduxisse, supra dixi, mirum in modum saevierunt; accusantes, quod propenso in Danos animo, praefecturam reliquisset; ac dixisset; *recte istud accidisse, quod in potestatem eius arces hae redactae essent, ad quem iure pertinerent*. Qua de causa, impetu in eum facto, crudelissime lancinatum conciderunt, frustra obnitente Achone, qui in humi stratum diu corpore procumbens suo, & iacentem protegebat; &, ut innocenti parcerent, plurimum obtestabatur. Lubecenses, postquam de Svecorum clade accepissent, naves sex e grandioribus, bene instructas submisere; quae secundo vento usae, sine ullo impedimento, felicissime mox Stocholmum adpulerunt. Postquam vero Steno, caesis, aut in ordinem redactis, passim regiis praefectis, iterum sibi arces Svecicas subiecisset, videretque omnia ardere bello, ut recuperare posset etiam reliquas, atque tempus ad id sibi necessarium callide consequeretur, de regina, quam captivam etiam tum detinebat, dimittenda cogitare secum cepit. Quae dum agitat, Raymundus Cardinalis [(b)] a Pontifice legatus, Iubilaeum per Germaniam universam praedicabat; ac discordes ditiones ad concordiam revocare satagebat; ut, pacato inde orbe Christiano, bellum Turcis, hostibus nominis Christiani infestissimis, inferretur. Ille, sive a Lubecensibus advocatus, sive animi sui motu, etiam Lubecam venit. Quumque primum ingressus esset, pompa sacrorum solenni tota urbe instituta, invocare auctorem pacis Deum cepit, ut negotium adiuvare, & consilia salutaria partibus inspirare vellet. Inde literas ad Ioannem regem scribit; postulatque, ut legatos, plena potestate instructos, ad constituendam pacem inter ipsum [(c)], ac Lubecenses designaret, mitteretque. Rex, quum literas accepisset, etsi aegre induceretur, tamen, sibi persuaderi a suis passus, praesuli Othoniensi, & cuidam e nobilitate Holsatica, dat negotium. Ad hoc ipse Cardinalis advocare principes [(d)] vicinos duos, Fridericum regis fratrem, & Magnum Megapolitanum, tum

(a) *Regni Equitum tribuni*) Ioannes Svaningius, a quo haec accepta, vocat *fol. Dd. 2. b. regni Daniae Archimarscalcum*. At sane isto loco haud idem denotatur officium, quod alias Meursio nostro solenne *regni Equitum tribuni* illo indicare. *Marescalcus regni* proprie ille erat ex Senatoribus, qui copiis regni, & militiae summo cum imperio praeerat, ac penes quem erat viros equestris ordinis, regnique nobilitatem ad arma, ingruente bello convocare; unde ei *Equitum regni tribuni* nomen apud nostrum; vernaculum autem erat, *Rigens Marsk*. Verum qui nostratium monumenta, latino olim sermone scripta, paulo diligentius triverunt, neque possunt ignorare, saepe *Marescalci regni* nomen usurpari de illo, quem vernacule dixerunt *Rigens Hofmester*, h. e. *supremum Curiae regni Magistrum*. Cuius observationis occurrunt in seculorum xv. & xvi. scriptis exempla. Adeoque non erravit Corn. Scepperus in *Respons. pro Christierno II.* quando Magnum Goyaeum vocavit *Marescalcum regni*; uti neque Svaningius, aut alii; nam communem loquendi morem suae aetatis sequuti. Ac quod attinet ad eum, de quo nunc sermo est, Eschillium Bildium, fuit ille, non quidem *equitum Tribunus*, sed *magnus Curiae regni Magister*, (quod officium in Senatu regni semper primum, sicut alias notavimus.) Mortuus est ann. 1551. sub Christiano III. in cuius historia celebre habet nomen.

(b) *Raymundus Cardinalis*) Nomen & titulos suos in litteris solebat sic exprimere: „ Raymundus miseratione divina sacrosanctae Romanae Ecclesiae, & sanctae Mariae Novae Presbyter Cardinalis Gurcensis, ad universam Germaniam, Daciam, Sveciam, Norvegiam, Frisiam, Prussiam, omnesque & singulas illarum provincias, & civitates, terras, & loca etiam sacro Romano Imperio in ipsa Germania subiecta, ac eis adiacentia Apostolicae Sedis de Latere Legatus. „ Hvitfeldius; *pag.* 203. & Dav. Chytraeus in *Chron. Saxon. lib. 5. pag.* 145. vocant *Raymundum Payrandum Cardinalem, & Episcopum Gurcensem in Carinthia*. Sed verum, & natalitium cognomen habuisse *Peraud* (quod a Scriptoribus varie transformatum, aliis *Periaudi*, nonnullis *Pegerandi*, quibusdam *Pairaudi*, imo *Peraululi* vocantibus) confirmavit Launoius in *Hist. Navarr. Gymn. Paris. lib.* 3. *cap.* 2. *pag.* 605. atque in epitaphio Viterbiensi nominatur *Raymundus Perauldi*. Vitae eius summam exhibet laudatus Launoius loc. cit. unde discimus Gallum fuisse, apud Sanctones natum, nec aliis praesidiis, quam scientia, & virtute sibi viam ad Cardinalitium honorem munivisse. In Romanam delatus Curiam, ab Innocentio PP. VIII. in Germaniam ablegatur ad colligendas pro bello Turcico pecunias ann. 1489. Postea commendante Imperat. Maximiliano Episcopus fit Gurcensis, quam Sedem deinceps cum Sanctonensi commutavit; inde Cardinalis factus, Gurcensis tamen adpellationem retinuit. Anno 1501. iterum ab Alexandro PP. VI. in Germaniam, Daciam, Sveciam &c. missus fuit; eaque est legatio, cuius nostra historia meminit. Rara viro illi elogia hinc inde Scriptores, quibus σύγχρονος vixit, tribuunt. In eis Trithemius in *Chron. Sponheimensi* hoc refert: „ Anno 1505. septima die Septemb. „ obiit Remundus Presbyter Cardin. S. Mariae Novae, Gurcensis Episcopus, Viterbii sepultus, qui per triennium continue Sedis Apostolicae fuit de Latere Legatus, per universam nationem Germanicam, vir moribus, & vita sanctissimus, & omni integritate conspicuus, iustitiae cultor magnus, & honorum simul, ac divitiarum mundi contemtor omnium constantissimus, cui similem non habebat aetas nostra. „ In epitaphio praedicatur *adeo opulentiae contemtor, ut elargiendo sibi nihil relinqueret*. Ex legatione Germanica, & Septentrionali reversus, Romae querimonias nationum, quas ob Cardinalium vitia substinuerat, exposuit, illosque ad vitae, morumque emendationem vehementer hortatus est. Scripta quaedam reliquit, in quibus & unum fuisse *De Actis suis Lubeci, & in Dacia*, olim in Germania excusum, testatur Gesnerus in *Biblioth.* Mihi tam felici esse hucusque non licuit, ut in illud inciderim. Messenius *Tom. IV. pag.* 60. adnotat, habuisse quemdam eum in Holsatia, & Scondia subdelegatum, *Iohannem Sperlingium, illa quidem* (ait) *lege aeruscantem, ut dimidium collectae cederet Regi Iohanni, cum Svecis belligeraturo*. Sed Hvitfeldius *pag.* 186. vocans *Ioannem Speling*, adserit, tertiam tantum partem collectae ad Regem, ac Ducem Holsatiae rediisse. Habui in manibus litteras, ab isto Subdelegato datas, in quibus sese vocat *Ioannem Speglin, Abbatem Altae Ripae Ordinis Cisterciensis*.

(c) *Constituendam pacem inter ipsum*) Quod & optime, ac laudabiliter perfecit, ut ex seqq. patet. Auctor *Continuat. Chron. Lubec.* (Meibom. *Tom.* 2. *pag.* 409. *seq.* „ Anno 1503. „ in septimana sancta Quadragesimae Dominus Reverendissimus „ Cardinalis Presbyter Ecclesiae S. Mariae Novae, Guerceius „ dictus, Apostolicae Sedis per Germaniam, & Daciam Legatus de latere, civitatem Lubecensem intravit, & honorifice a „ Dn. Episcopo, ac Consulatu, & civibus fuit subsceptus, & „ post Paschalia cum debita Divini Numinis invocatione differentiam magnam inter Regem Daciae, & eius fratrem Fredericum Ducem Holtzatiae ex una, & civitatem Lubicensem, „ ac alias civitates de Hansa ex altera parte, nimis execrabilem, concordavit.

(d) *Cardinalis advocare Principes*) Rem totam eodem fere modo, quo noster, commemorat Alb. Crantzius σύγχρονος, *Vandal. lib.* 14. *cap.* 30. Vid. & Odor. Raynald. ad ann. 1505. §. 24. *& seqq.* ubi duo Brevia Iulii PP. II. adferuntur, ad Regem Ioannem, & ad Ducem Holsatiae Fredericum scripta, post conclusam cum Lubecensibus pacem, tertiumque eiusdem Papae §. 29. quo Ioannem *Daniae, Svetiae, Norvegiae, & Gothiae Regem*, una cum *Christina Regina*, nec non *Episcopo Othoniensi*, qui, (verbis Scriptoris,) *gerendarum rerum peritia in Danica aula florebat*, (ipsum scilicet supra memoratum Ioannem Calvum) pluribus sacris beneficiis ornavit.

tum ecclesiastici ordinis alios quosdam gerendae rei peridoneos. Magno initio tumultu agitata caussa fuit; clamitantibus sine intermissione Lubecensibus, *liberam se, iuxta vetera privilegia, navigationem cupere, neque adduci ullo sane modo posse, ut omittere eam velint; & inprimis postulare, ut illata pridem damna sarciantur*. *Ad quae alii respondere, non idcirco navigandi libertatem, ac privilegia a Danorum regibus concessa esse, ut per illa auctis opibus, & potentia, reges ipsos bene adeo de se meritos, oppugnarent; quin sciendum illis esse, ideo se haec beneficia accepisse, ut vicissim, quandocumque usus foret, officia redderent. Quae quum ipsi perduelles adiuvando, maleficiis nunc compensent, non inique regem facere, si cum hoste conspirantibus privilegia sua adimat. Quod si postulatis eius adquiescant, Sveciaque abstinere animum inducant, dum rex armis rebellantes coercuerit, non dumtaxat privilegia recepturos, verum etiam, si quae damna accepissent, ea ipsum vel cum foenore redditurum, atque sic acturum esse, ut, quam optime secum actum sint fassuri*. Haec quum animos Lubecensium etiam magis adsperarent, perindignum visum fuit, eos regis postulatis, longe aequissimis, tam praefracte repugnare, neque habere honorem ullum Cardinali, aut Principibus evocatis, summa cura dissidentes ad concordiam revocare adnitentibus, atque ea proponentibus, quae ex re ipsorum esse, & honore, aequis animis merito videri possent. Ideoque a negotio, frustra hactenus tentato, discedendum statuebant; rati fore, quod non multo post evenit, uti pacem, quam nunc adeo obstinate recusarent, tamdem bello fatigati, ultro peterent. Id quum exploratum haberet Cardinalis, viros quosdam consulares, quos in pacem proniores animadverterat, sevocatos adhortatur; *ut, quocumque modo possent, suis suadeant, ne consilia temeraria pertinacius tuerentur, sed fideliter e re publica consulentes sequerentur, animoque reputarent, quum periculosum esset, hostem multo viribus superiorem, & conditiones pacis non iniquas offerentem, irritare*. Sed, quum neque ita se proficere quidquam intelligeret, animo commotus paullum, ut reprimeret factiosos, palam edicit: *se missurum in Sveciam esse, qui reginam e captivitate sua mox educeret, tum & Svecis, nisi ad obedientiam regis priscam revertantur, sacris omnibus interdiceret*. Quibus minis quum sedatiores essent, tamdem in hoc convenere: *ut, quemadmodum Cardinalis, ita suos ipsi quoque oratores ablegarent, qui cum Svecis de regina liberanda pertractarent; inde peterent, ut legatos ad Augusti diem decimum Sundam mitterent, quo & rex missurus esset, atque porro de capitibus istis agerent*. Nempe, *ut rex Lubecensibus, pro illatis pridem damnis, octo millia aureorum repraesentet; &, quas eius classiarii naves illis abstulissent, quaeque superessent merces, restitueret; tum & priscis privilegiis frui sineret, si a Svecia abstinerent. Quidquid porro quererentur, in Holsatia suo tempore per legatos commode transactum iri. Octo vero illa aureorum millia, Fridericus dux Holsatiae, praesulesque Othoniensis, Lubecensis, Slesvicensis, ac plerique Daniae, & Holsatiae proceres exhiberent; idque nisi die constituto facerent, Lubecae omnes evocati comparerent, neque urbe, nisi debito persoluto, egrederentur*. Quibus rebus ita gestis, non gravate Lubecenses Sveciam petunt cum legato Cardinalis; qui, quum primum in senatu de reginae liberatione egisset, perbenigne est auditus. Quippe Sveci, qui iam in dies exspectabant, ut Ioannes manu armata coniugem suam reposceret; nisi darent sponte sua, vi eamdem erepturus; dimittendae occasiones, sine redemtionis pretio, vestigabant. Itaque quum adquiescerent, ingerunt se Lubecenses, iterumque compellatis de eadem caussa Svecis, petunt insuper, ut, quo loco statuissent, quoque tempore oratores suos mittant, cum consiliariis regiis de constituenda pace loquuturos. Quae quum Sveci se facturos recepissent, e coenobio Alvastro [(a)], in quo contra datam fidem hactenus custodita fuerat, a Stenone in Hallandiam deducta, & Halmstadii aliquantisper commorata, a primaria Scaniae nobilitate, magno eam cum honore excipiente, usque ad fretum comitata est. Quo traiecto, occurrens filius Christianus cum lectissima iuventute, Hafniam porro deduxit. Lubecenses eius liberatae gloriam sibi palam vendicantes, gratiamque apud regem eo nomine singularem inituros se sperantes, Hafniam prosequebantur; verum, aliquamdiu ibi commorati, adeo non gratiam ab eo ullam retulerunt, ut ne quidem in adspectum sint admissi. Steno, postquam a regina discessisset, Ienecopiam reversus, circiter natalem Christi [(b)], repentina morte obiit, quam celatam in aliquod tempus, ne in Daniam referretur, Svanto volens, clam cadaver Stocholmum deferri iussit. Inde, longa disceptatione habita, aliis Ioannem in regnum revocandum, aliis gubernatorem novum esse eligendum contendentibus, ad XXI. diem Ianuarii Svanto, equitum tribunus ad id tempus, regni deinceps gubernator constituitur. Inter haec regina redux, verso ad pietatem animo, velut Deo gratias ob liberationem actura, monasterium unum Hafniae strui curat; alterum Othoniae destinat, postquam diem obiisset [(c)] exstruendum; idque ex his ipsis aedibus, in quibus defuncta esset, utrumque autem in sacrarum virginum usum, S. Clarae dedicatum. Inde Sterneburgum [(d)] abit, voti caussa, atque ibi filiam Elizabetham, Marchioni Bran-

(*a*) *E coenobio Alvastro*] Rectius omnino *Vadstenensi*. Vid. sup. & add. *Chron. Rhytm. Svec. pag.* 567. ubi eductio Reginae ex coenobio Vadstene describitur.

(*b*) *Circa Natalem Christi*] Excessit e vita die 13. Decemb.

(*c*) *Postquam diem obiisset*) „ Hvitfeldius exstructum hoc ab „ ipsa post Regis mortem, ipsamque in eo usque ad obitum „ vixisse. „ *Frid. Gunther*. Sed Meursius presse, ac diligenter auctoris sui (Svaningii) verba exprimit, sic scribentis *fol. Ee.* 2. *b.* „ Alterum ex aedibus, in quibus consenuerat, eisdem puellis „ Othoniae post mortem suam poni curavit. „

(*d*) *Sterneburgum*] corrig. *Sterneborgum*. Locus erat miraculis isto aevo percelebris, & quo multae peregrinationes religiosae fiebant.

CIƆIƆIV. Brandenburgico pridem nuptam, quum Stocholmi obsideretur, ad se vocat, cuius quum se mox colloquio oblectasset, ad maritum regem redit. Quae dum fiunt, Svanto, Sveciae gubernationem adeptus, statim se pro hoste gerere, & Calmarniam obsidere: insuper Henningum Gaddium in Oelandiam, Boringholmo (a) oppugnando, cum armata manu mittere. Vtrumque locum rex praesidio satis valido communierat; iam ex eo, quo in Svecia regni insigne diadema accepisset. Incitabat & Svantonem, quod Ioanne cum Vandalicis civitatibus occupato, commodam gerendae rei occasionem nactus esse videretur; quamquam sane, ipso semper nova auxilia submittente, spes haec eum frustra habuit. At Ioannes animadvertens, bellum Svecicum longius fore, quam speraverat; & Bornholmum item insulam, atque arcem Hamarensem plurimum momenti habere, ad Svecorum excursionem in mare Balthicum prohibendam; sedulo in id incumbebat, uti, quem in modum Gothiam, sic & illam in potestate sua haberet. Itaque, quum in Archivis invenisset literas quasdam Nicolai Archiepiscopi Lundensis, quibus ille testaretur, se hanc arcem, insulamque a Valdemaro III. rege accepisse, repetenti, quandocumque id liberet, redditurum; a Birgero eius loci tunc antistite, ceu successor Valdemari, ideoque iure in se devoluto, reddi sibi postulavit. Quod dum agit, Lubecenses, concitatis in se Megapolitanis, quum nequaquam duplici se bello pares satis scirent, pacem a Ioanne petunt, obtinentque. Iubebantur Segebergum oratores suos mittere, atque ibi res tractata (b), istis legibus: *Nihil ipsi, neu Vandalicae civitates ad continuandum bellum Sveciae suppeditarent Tum Svecorum naves ullas, sive merces suis portibus, urbibusve, ne reciperent. Svecos istic adpellentes comprehenderent; ac, dum ipse constitueret, quidnam factum illis vellet, detinerent. Naves regiis occurrentes, demissis velis, cursum sisterent, literasque, & merces suas inquirendas exhiberent; iterum mox dimittendae, si nil rerum Svecicarum vehere deprehensae essent. Denique ereptae naves, quaeque superessent merces, redderentur*. Atque has conditiones Lubecenses accepere, & promisere, *etiam se effecturos, ut iisdem mox subscriberent Dantiscani* (c), *Revalienses, ac Rigenses*. Quamquam illud frustra fuit; iis istud recusantibus, ac negantibus: *adprobandum sociis id civitatibus universim, quod privatim Lubecenses in rem suam pacti essent*. Quibus actis, denuo in Svecos rex exercitum ducit, Scaniae confinem oram quam gravissime adfligens. Qua calamitate pariter ac secessu Lubecensium, qui seorsim pacem sibi impetraverant, motus Svanto, proceresque regni alii, sibi quoque pacem petere statuerunt. Itaque legatos mittunt, postulantque; ut Calmarniam ad xxv. Iunii, rex adesse illis velit. Quod si facere non detrectet, se sperare rationem inventum iri, qua regnorum ruptam toties concordiam stabilire tamdem aliquando possent. Rex, quantumvis nihil minus constituerat, quam Svecorum, qui iam toties fidem suam fefellissent, postulatis aurem dare; tamen, quum legatus Scoticus, qui ad pacem adiuvandam tunc advenerat, intercederet, passus est se permoveri. Postquam vero dies pridem ad negotium pertractandum constitutus advenisset, rex Calmarniam se recepit; quo legatus quoque Scoticus, & Norvegiae senatores, tum legati Electoris Brandenburgici, ducum Megapolitanorum, aliorumque vicinorum, & Vandalicarum urbium convenere; soli Sveci, qui conventum postularant, minime comparuere. Quum, sat diu exspectati, non venirent, rex ablegat, qui citarent, monerentque: *ne committant, ut negotium adeo grave, borealibusque regnis universis salutare, verbis tantum ad fallendum comparatis, agitasse videantur; itaque adesse velint, & tranquillitatem publicam suis etiam consiliis adiuvare. Ipsos beneficii loco haec comitia petiisse, se benigne concessisse, quae in praesens si contemnant, notam sibi levitatis, nullo modo excusandae, sempiternam inusturos. Cogitarent suam hic existimationem verti, cuius tantum fere habere quisque soleat, quantum fidei*. Nil legati potuere, nisi, ut venturos se pollicerentur; quamquam tamen ne sic quidem praestitere. Itaque rex, nequidquam ipsis exspectatis, cum ludibrio se haberi animadverteret, convocatis Daniae pariter ac Norvegiae senatoribus, literas Svecorum profert, quibus illi fidem suam obstrinxissent. Quibus lectis, quum constaret universis, Svecos neque fidei suae toties datae, neque etiam literarum, ullam plane rationem habuisse, ac praeterea, iam iudicium aliorum de se subterfugiendo, reos sese perduellionis esse, absentia sua manifesto testarentur; ne in causa ipse propria iudicare voluisse videretur, senatores, quos iam dixi, sententiam rogat. Hi pronuntiant, CIƆIƆV. *quum Stenonem, tum Svantonem, aliosque, qui his literis subscripsissent, perduelles, fama, & bonis excidisse*. Quam sententiam, ne in gratia ita suam protulisse viderentur, Maximiliano Caesari, quamquam ei non subiectus (d), porro disquirendam mit-

(a) *Boringholmo*) Corrig. ut saepius supra, *Borkholmo*. Mox vero infra nominatur *Bornholmum* insula, recte; atque haec in vulgari pronunciatione, plerumque *Boringholm* effertur; *Sceppero* ea insula est *Borundia*, qui vicissim *Borckholmum*, Oelandiae arcem (more Svaningii, Meursiique *Bornholmum* vocat.

(b) *Atque ibi res transacta*) Hoc non contigit anno 1504. sed biennio post, scil. anno 1506. Tunc enim non solum Regii Ministri, atque Lubecensium Oratores, sed & aliarum urbium delegati, pacis conciliandae causa Segebergam frequentes advenere, atque aliquales pacti sunt inducias, *die Lunae post festum S. Nicolai*. Verum leges, & capita pactionis, quae hoc loco a Meursio recitantur, non ad Segebergensem, sed ad alium Conventum, Nicopiae anno demum 1507. habitum, prorsus pertinent. Hisque in praesentia legatorum a Regibus Galliae, & Scotiae missorum sese obstrinxerunt Lubecenses, Vismarienses, Rostockienses, Sundenses, atque Gedanenses delegati. Vid. Hvitfeld. *pag*. 246. & 248. *seqq*. Vtriusque etiam Conventus, tam Segebergensis, quam Nicopiensis, acta exstant apud nos authentica.

(c) *Mox subscriberent Dantiscani*] Hec & sequentia verba priorem conventum, scil. Segebergensem anni 1506. respiciunt. Mira enim Svaningii ad talia confundenda proclivitas.

(d) *Quamquam ei non subiectus*) Cautio plane supervacanea; tametsi a Meursii auctore *fol. Gg*. 4. adhibita, in his verbis: „ Hanc sententiam Rex paulo post, ne iudicem se in sua causa „ face-

CIↃIↃV. mittit. Iique, rite examinatis rebus omnibus in iudicio prolatis, & probavit, & in suo quoque Imperio promulgavit, illic quoque tamquam a se lata esset, ratam eam esse volens, eamque in rem diploma edidit ad secundum diem Octobris anni proxime inse CIↃIↃVI. quuti. His peractis, rex sententiam typis primum excudi curat; inde, exsequi eam cupiens, bona damnatorum omnia, quae in Dania, aut Norvegia, fisco addicit; literas quoque Imperatoris per Vandalicas civitates omnes publicari iubet, & edicit: *ne quid rerum necessariarum in Sveciam deinceps mittant, neu stipendia illis faciant, aut commercia ulla habeant, si posthac in regno Daniae privilegia sibi sua sarta tecta esse velint*. Sveci, accepta tam insigni contumelia, quum se tamquam perduelles, atque reos maiestatis, per Imperium universum iam traduci intelligerent, pudore acti, ut opprobrio se eximerent, regem Hafniae adeuntes, iterum de impetranda pace agunt; sed, quum toties fidem suam fefellissent, vix inducias, atque CIↃ IↃ VII. has in paucos menses, acceperunt. Quae dum fiunt, Lubecenses, pace iam cum Megapolitanis (a) facta, novi contra Daniam belli occasionem quaesivere, invidia in regem moti, cui felicius, quam optaverant, res cum Svecis successisset. Itaque, ut impedimentum aliquod transversum obiicerent, contra pacta pridem inita, non Svecorum tantum naves, atque merces clam in portus receperunt; sed subsidiorum etiam quidquid poterant submiserunt, ac quum naves tradi sibi iuxta pacta rex exigeret; urbium Vandalicarum eas esse respondebant. Quibus rebus nuntiatis, rex praefectis classiariis rursum mandat: *providerent, ne quid sive Lubecenses, seu Vandalicae urbes aliae fraudis facerent*. Itaque captae naves multae, & in portus proxime adiacentes ductae, venditis vili pretio mercibus, magnum Hafniae, ac Malmogiae incrementum adtulere. Quae ut postea Lubecenses, & Vandalicae civitates, acceperunt, mittunt, qui ereptas naves reddi sibi postularent; quibus hoc responsum datur: *quando ipsi contra pacta Svecis merces submisissent, eas iure captas esse*. Qua de causa iterum tumultuantes Lubecenses, arma poscunt; verum, bellum dissuadentibus, qui prudentiores erant, paullulum conquievere. Ne deseruisse tamen ideo Svecos viderentur, clam confirmant illis animum, ac praesidium, quaeque alia belli instrumenta essent, pollicentur. His promissis incitatus rursum Svanto ante finem induciarum, quas non ita pridem a rege satis anxie postulaverat, facta in Blegingiam irruptione, arcem CIↃ IↃ VII. Lycham capit, diripit, & incendit; ac cum praeda propere in Sveciam redit. Quod ut Severinus Norbius, classis regiae praefectus intellexit, in Finlandiae portum invectus, omnia vicissim ferro, ac flamma perdens, Castelholmum, igne iniecto, aequat solo; tum & Stenonem Tursonum, unum e primatibus regni, cum uxore sua capit, & in Daniam cum ingenti praeda abducit. Qua re plurimi optimates, sanguine Stenoni iuncti, cum propinqui sui vicem, ac tot item aliorum deplorarent, iterum sibi adnitendum existimarunt, ut negotium denuo pacis ageretur. Neque tunc avertit animum rex benignus, quamquam merito tam multiplici offensa alienus esse posset. Itaque comitia complura habet; Helsingburgi, & Vorbergi, inde Hafniae, & Malmogiae (b). Ac inducias rursum admittit in undecimum Novembris, ea lege: *uti regem ipsum Sveci vel acciperent, vel adferrent rationes, propter quas prohiberentur. Quas adferre si non possent, tum aut ipsum, aut filium eius Christianum, quem Stocholmi, annis aliquot elapsis, regem ipsi unanimiter adpellassent, patris loco Sveciae gubernatorem constituerent. Aut si neutrum horum vellent, tredecim selibrarum Holmensium millia quotannis penderent, operasque militares, quotiescumque poscerentur, exhiberent. Calmarnia insuper, & Oelandia, tum adiunctae illis arces, quas praesidio communierat, porro in eius potestate permanerent, integrumque ipsi esset, per induciarum tempus, novo eas commeatu, ac praesidio magis etiam firmare. Quidquid vero harum rerum fieri vellent, id Malmogiae per legatos ante diem III. Kalend. Octobris declararent, interimque interdictum, quo vetuerat, ne res ullas necessarias quisquam in Sveciam importaret, nihilominus servaretur*. Quo edicto certe Svecos, Lubecenses, sociasque civitates in angustiam hanc redegit, uti fame partim acti, partim armis superati, pacem petere cogerentur. Sed, quum dies constitutus advenisset, neque Sveci, uti pactum comparerent; rex delusum se ab illis indignatus, denuo Decembri mense ineunte, in Westrogothiam arma movet; ac, direpta, incensaque urbe Losa, & abducta magna praeda, mox in Scaniam revertit. Quibus Svanto intellectis, ut ulcisceretur cladem, rege in Daniam regresso, ipse in Scaniam excurrit; ac vicissim urbem Weum, obviasque in illo tractu arces quasdam diripit partim, & incendit, spoliisque opimis ovans, nil cunctatus, retro in Sveciam copias ducit. Inde oratores mittit,

„ faceret, (quamquam alias omni Imperiali iurisdictione, atque „ adeo omnis superioris Magistratus auctoritate exemtus est Rex „ Daniae,) ad Maximilianum Imper. transmittens, facile im- „ petravit, ut ex compromissorem confirmaret &c. „ Scopus certe Ioannis fuit, quem etiam aliquatenus obtinuit, ut Sveci non tantum in Dania, sed & per totum Imperium Germanicum pro proscriptis haberentur, quali quoque formula in Maximiliani diplomate condemnantur, vocibus *in Acht und Aberecht* saepius repetitis. Exhibent illud, Graecii editum die 2. Octobr 1506. Petri Parvi *Chron.* loc. cit & Hvitfeld. *pag.* 236. *seq.* Rexque idem decretum postea in omnibus Vandalicis civitatibus publicari, affigique fecit, ut ita omne genus commerciorum cum Svecis, omnemque subsidiorum ex Germania advectionem sisteret.

(a) *Pace cum Megapolitanis*] At pacificatio haec non contigit anno 1507. sed 1508. Vid. Chytraei *Chron. Saxon.* & Hvitfeld. *pag.* 244.

(b) *Hafniae, & Malmogiae*] Haec omnia comitia celebrata fuere annis 1508. & 1509. (nullumque ex iis anno 1507. quemadmodum refert Meursius,) & hoc quidem celebrata ordine: *Hafniense* proxima feria ante Dominicam Palmarum anno 1508. *Vardbergense*, Dominica post SS. Petri, & Pauli eodem anno. *Helsingburgense*, Dominica post octavas Epiphaniae anno 1509. *Hafniense alterum*, die Veneris post Assumptionem Mariae eodem anno. Singulorum acta fideliter exhibent Hvitfeldius, & Hadorphius *Malmogiae* vero aliud habitum fuisse iam anno 1506. patet ex Hadorphii *Diplomatib.* *pag.* 403. sed ann. 1507. nullum.

CIↃ IↃ VII.

tit postulatum: *ut conventus, qui Malmogiae pridem indictus, ad vicesimum quartum diem mensis Iunii, anni proxime insequentis, repetatur; habeaturque seu Calmarniae, sive etiam Scheris Suecicis, loco ita nuncupato, quod angustum illic mare rupes facerent, hic regnorum trium proceres novam pacem constituerent, in perpetuum valituram, eamque in rem captivi utrimque lueventur; & dissidiorum auctores dederentur; quaeque pars conventis istis stare nollet, ante proximi Decembris diem quintum, & vicesimum alteram certiorem faceret*. Neque rex haec recusabat, nisi quod Calmarniae comitia haberi vellet. Sed Vandalicae civitates ne hanc quidem pacem diu ratam esse voluere; nam ut Svecos suo exemplo confirmarent, primi bellum Lubecenses inchoarunt; quinque navibus (a), omni rerum necessariarum copia instructissimis, Revaliam in Livoniam missis, ubi commutatis mercibus, ac cum Svecis novo foedere clandestino constituto, prius domum revertuntur, quam ad regem fama rei perveniret. Qui quantumvis admodum indignaretur, temere adeo ruptam pacem, quam vix pridem multis precibus impetraverant, tamen id dissimulandum in praesens duxit; dum, quae porro agitarent intelligeret; ac, quid sibi in hoc negotio statuendum circumspiceret. Illi vero, nil cunctati anno proximo, in consilio persistentes, naves octo in Sveciam (b) mittunt. Quod rex postquam intellexit, cum senatu rem communicat. Quippe sic existimabat, *sua illos lenitate, ac conniventia contumaciores fieri; quasi metu, potius quam pacis studio, cunctaretur*. Placuit itaque, hunc contemtum vindicare. Qua re ita constituta, mox profectus in Holsatiam, quum pertrahere in societatem belli fratrem Fridericum vellet, alieno eius animo, quod cum Lubecensibus ipse pacem recens iniisset, non successit hoc consilium. Inde, ut magis iure se, quam armis experiri velle, omnibus testatum faceret, caussam arbitrandam obfert, ac significat: *iudices capere Archiepiscopum Lundensem, & Episcopum Roschildensem, tum Senatum Hamburgensem, ac Luneburgensem: ad haec Angliae item Regem, aut Imperii, si quem Electorem mallent, quibus quidquid videretur, ratum se deinceps velle:* Placuitque Lubecensibus in principio haec conditio, & accipere eam sese, missis litteris, sunt testati; sed sententia mox mutata, a proposito recessere; idque solum aliquorum interventu constitutum, ut pax quidem in ducatibus servaretur, sed cum regnis bellum esset. Quae quum ita se haberent, rex ab Anglia, Scotiaque (c) auxilium navale petit; tum, ut mercatoribus quoque Lubecensium, quotquot intra regna sua deprehenderent, & eorum bonis omnibus manum iniiciant, se propediem missurum, qui cum illis iure agant. Neque cessant Lubecenses; &, firmandis rebus suis, nuntium ad Imperatorem Maximilianum mittunt, obtinentque, ut is literas ad Germaniae principes daret, iuberetque, *in tutelam Lubecensium contra regem excubare, nec permittere, uti in stipendium eius milites ulli ditiones suas transeant*. Quin ad regem etiam scribit, postulatque: *ne commercia Lubecensium, quae in mari Balthico ipsi hactenus libera habuissent, ullo modo impediret, aut turbaret*. Sed haec Caesaris intercessio, Galliarum regis opera (d), irrita fuit.

CIↃ IↃ VIII.

Adsperatis in hunc modum partium utrimque animis, rex, ut navigatione Lubecenses prohiberet, & commercia impediret, adparatis rebus omnibus, navium viginti quatuor classem instruit, ac praefectis dat mandatum: *ut, invecti Travemundam, Lubecensium ad Travae fluminis ostium portum providerent, ne in urbem rerum necessariarum aliquid importaretur*. Ea res non parum animos Lubecensium perturbavit, uti, ceu obsessa urbe concurrentes, in tumultu arma poscerent; quum non multis post diebus, naves, quas Revaliam missas paullo ante memoravi, rerum omnium ignarae, iuxta Danicas adpulere, quae in eas inter Dassum, & Wernoum facto impetu, facile omnes expugnassent; nisi, praedae nimia cupiditate, in praetoriam incurrentes, tresque alias minores, quas cepere, ceteris effugiendi potestatem concessissent. Quibus hunc in modum gestis, classis regia, captas naves secum abducens, domum abit. Contra vero Lubecenses, ut acceptum nuper damnum repararent, Danos omnes, nautas, atque mercatores, tunc in urbe deprehensos, statim adripiunt, & obstringunt vadimonio, ne discedant inde prius, quam soluto pretio redemtionis abeundi potestatem impetrassent. His in Daniam nuntiatis, rex vicissim omnes toto passim regno Lubecenses, & eorum bona detinet; inde edicit severissime, *ne Lubecam post id tempus quisquam quidquam importare, aut commercia illic ulla habere ausit qui contrarium admisisset, capite, & bonis lueret*. Lubecenses, quum & suos passim a rege detineri, & edicto tam severo Danos urbe prohiberi, accepissent; literas ad regem mittunt, & dimitti mercatores suos petunt; quibus ille respondere: *si iniuriam incoepisse sese ipsi faterentur, liberosque in regnum Danos, quos iniuste detinebant, redire sinerent, tum se id facturum esse*. Inde, ad confoederatos sibi reges datis literis, de iniuria Lubecensium graviter queri; moxque Sveci, qui proscriptionem Caesaris animo iniquo ferrent, ut honorem, quo priva-

(a) *Quinque navibus*) Hvitfeldius *octo* habet, bis *pag.* 262. & 263.

(b) *Naves octo in Sveciam*) Hic autem *octodecim naves* ponit Hvitfeldius, easque eductas ait a duobus urbis Lubecae Senatoribus; atque ex ea classe, postquam Bornholmia insula direpta, Gothlandiam frustra tentaverat, unam navem periisse, reliquas domum salvas evasisse.

(c) *Rex ab Anglia, Scotiaque*) Non dubito, quin hoc etiam anno 1508. Anglos, & Scotos Rex solicitarit, licet Hvitfeldius eius rei primum in anno 1509. mentionem faciat. Ceterum nonnulla in annum 1508. congessit Meursius, quae facile demonstrare possumus spectare ad sequentem annum. Sed minute omnibus discutiendis nolumus immorari.

(d) *Galliarum Regis opera*) Cum Ludovico XII. foedus habebat Ioannes, ab anno usque 1498. idemque foedus an. 1506. fuerat renovatum. Praeterea agitatum fuisse de coniugio inter Christianum, Ioannis filium, & cognatam Reginae Galliarum Annae Britannicae, nomine Magdalenam, cuius sororem Dux Albaniae in Scotia coniugio sibi iunxerat, testantur monumenta authentica, nec non Hvitfeldius *pag.* 245.

CIↃ IↃ VIII.

privatos se videbant, repararent, rursum in Daniam ablegant, pacem a rege oraturos. Qui quum ipsum Helsingburgi adiissent, eam accipiunt, illis legibus, quae Vorbergi dictae erant. Quibus gestis, quum in Sveciam (a) rediissent, Svanto ita oratorum acta invertit in senatu, ut in bellum denuo suorum animos concitaret. Quumque gravi rerum necessariarum egestate premeretur, Lubecenses, sociaeque civitates, auctumno proximo naves bellicas octodecim, panno, sale, mercibusque item aliis, quibus maxime indigerent, oneratas submiserunt. Quae Stocholmum quum feliciter pervenissent, ac retrorsum se reciperent, orta gravi tempestate, quinque ex iis grandiores periere; ceterae, amissis armamentis, pars Dantiscum adpellentes, ibi hiemem exegerunt; pars vix domum sunt reversae. Cuius rei postquam fama in Daniam adlata esset, rex in tanta consternatione omnium, rei prospere gerendae occasionem datam ratus, ocyus triginta naves, remigumque, ac classiariorum militum, magnum in iisdem numerum, versus Travemundam mittit. Qui quum, vento aquilone paullo vehementius flante, portum urbis, sicut iussi, minime intrare possent, sinum maris, cui a nova civitate nomen datum, subeuntes, postquam illic exscendissent, pagos aliquot Lubecensium populati, cum ingenti inde praeda Oldesloum se recipiunt; ubi dum exspectant hostem, si fortasse is erumperet, Lubecensibus commovere se non ausis, urbis Travemundae cives, solis octo scaphis vecti, naves aliquot onerarias, nullo tunc praesidio tutas, capiunt partim, aut incendunt; &, his actis, sine ulla sua clade urbem repetunt. Tandem, motis inde castris, postquam Dani domum suam rediissent, rex Ioannes ab Anglorum, & Scotorum regibus confoederatis, scriptis literis, iterum auxilium navale petit; tum & postea, ipsis ad haec conniventibus, toto utriusque regno per praeconem palam edicit: *si qui nautae, militesve, ad navale contra Lubecenses bellum, & eorum foederatos, sua fortuna gerendum, comparare sese vellent, ut quamprimum, mare Balticum ingressi, piraticam libere exercerent, habituros non dumtaxat liberos omnes Daniae portus, verum ipsum quoque regem, horum, quae in Lubecensium detrimentum perpetrassent, defensorem*. Id

CIↃ IↃ IX.

Decembri desinente actum fuit, moxque tanta piratarum (b) multitudo mare Balticum infestavit, ut non tantum Lubecensibus, sociisque civitatibus, sed & Svecis interclusum illud fuerit. Quae in mari dum geruntur a piratis, classem etiam rex instruere, eamque in Finlandiam mittere, ducibus Severino Norbio, ac Tilemanno Giselio. Atque illi, commoda tempestate usi, postquam istuc adpulissent, militemque exposuissent, urbem Abonem (c), Sede Episcopali insignem, populati, cum ingenti inde praeda mox in regnum revertuntur. Quibus malis acti Sveci, uti se, suosque omnes a direptionibus istis liberarent, Hafniam legatos mittunt (d), qui decretum pridem Helsingburgi factum, revocarent. Ac Ioannes, quamquam toties rebellantibus, fidem habendam non censeret, tamen, regni utriusque optimatibus id suadentibus, adquievit. Itaque induciae datae, in has leges: *Sveciae proceres ex reditibus eius regni Ioanni regi annis singulis tredecim selibrarum Holmensium millia penderent, eamque summam in Calmarniensi arce circa desinentem Iunium, sine mora ulteriore, exhiberent. Idque facerent, donec de consensu regis, procerumque, aut Ioannem Sveci solio, de quo per vim deturbaverant, restituerent; aut, si illud potius vellent, filium eius Christianum, quem Stocholmi anno* CIↃ. CCCC. XCIX *unanimiter elegissent, regem facerent; conventum vero in Sveciae limite, ubi mare inter rupes coarctatur, loco admodum opportuno, celebrarent. Ac, si proceres regni Sveciae ad* XXIV. *Iunii hunc conventum esse vellent, ea de re ante Domini natalem regem certiorem facerent, quod vicissim a rege fieret, si is forte impeditus ad conventum illo die adesse haud posset. Neque tamen prorogationem istam summae rei quidquam detracturam esse. Actum autem illic iri, de negotiis, litibusque, & petitionibus regis, regni Sveciae optimates, ceterosque item incolas concernentibus; tum de arcibus, Bornholmo (e), ac Calmarnia, insulaque item Oelandia; porro & nobilium bonis, passim in Dania publicatis. Arcibus vero, insulaque, quae iam dictae, cum advectione libera, uti & evectione rerum necessariarum, regem fruiturum esse, dum conventus finem suum consequatur. Contra reditus, & possessiones omnes, quae pertineant ad Calmarniam, arcem pariter, oppidumque, in Sveciae procerum potestate deinceps fore. Bona vero, ad Oelandia Monasteria, & Ecclesias pertinentia, illuc reditura esse, ac mansura, dum conventus finiatur. Ac, quam diu bellum foret inter regem, & Lubecenses, Sveciae incolas qualescumque nec auxilium adlaturos, neque quidquam subvecturos, antequam in regis gratiam revertantur. Inter ista, regem classiariis suis, & militibus edicturum, ne quod ultra Svecis damnum dare audeant, neu commercia quoque eorum interturbent. Denique, dum haec aguntur, si rex forte vita excederet, Christiano eius filio ius in Sveciam universum, quod electione libera nactus esset, integrum, & illaesum fore*. His capitibus pax statuta, sed non diu rata fuit.

(a) *Quibus gestis, quum in Sveciam*) Hic adponendus ad marginem columnae paginae huius annus CIↃIↃIX. atque porro continuandus. Quid? quod nonnulla prius narratorum huic itidem anno adsignanda forent, nisi fastidiosum foret, singula nimis curiose perquirere, & separare.

(b) *Moxque tanta piratarum*] Adponatur hic annus CIↃIↃX. nam edictum, de quo iam loquutus est, piraticae incentivum, prodiit anno 1509. die 20. Decembr. exstatque in Petri Parvi Chronico *fol.* KK. 3. Bellum etiam Finlandicum omnino ad ann. 1570. pertinet.

(c) *Vrbem Abonem*) Potius *Aboam*, aut; quemadmodum Svecis, aliisque fere semper scribitur, *Aboam*.

(d) *Hafniam legatos mittunt*) Haec de induciis acta fuerunt Hafniae, die Veneris post festum Assumptionis Mariae anno 1509. integras tabulas descriptas inseruit Hvitfeld. *pag.* 256. *seq.* ideoque ante edictum de piratica, & expeditionem Finlandicam collocare oportuisset.

(e) *Bornholmo*) corrig. *Borkholmo*.

CIↃ IↃ X. Quippe anno insequente Lubecenses, ac pleraeque foederatae civitates, ut, quae acta inter regem, & Svecos erant, perturbarent, bellum pridem palam gestum regi, indicunt ad diem Maii XII. in quod tamen Hamburgenses, non se causam iustam habere protestati, nullo modo consensere. Sed praecipites odio suo Lubecenses, postquam Svecos de consilio certiores reddidissent, nullo auxilio sociorum exspectato, statim post indictum bellum, quum rex nullam etiam tum irruptionem pertimesceret, navium sex bellicarum classe instructa, mare Balticum infestant. Vbi postquam ad Gessoram cum excubitoriis navibus regiis tribus aliquamdiu dimicassent, tamdem sese subducentes, Langelandiam cursu celeri contendunt. In quam ubi exscendissent, &, incensis villis proximis, hac, atque illac grassarentur; insulani, raptis armis, occurrentes, eos fortiter propulsant; tum, ad ipsas usque naves persequentes, sepositam in littore praedam rursum extorquent. Rex, quo suos tueretur, naves Gallicas, Scoticasque, & Anglicanas in mari suo deprehensas detinet, & bello parat. Quod dum lentius molitur, Lubecenses, expedita rursum classe, circa Iunium ineuntem, Monam insulam invadunt. Hanc tenebat regis nomine Andreas Bildius, vir, ut genere, sic virtute militari iuxta praestans. Qui quum hostem advenisse accepisset, statim insulanos cogit; tum & tela, commeatum, quaeque ad vim propulsandam, aut obsidionem etiam tolerandam necessaria in oppidum, & arcem Stegam, oppido coniunctam, infert. Muros quoque ocyus reficit, & cuique, si ad urbem oppugnandam accedat hostis, stationem suam adsignat. Quin & magnam copiam ferventis aquae, ac permistae calce picis, oppidanos intra moenia in lebetibus, & caldariis adparare item iubet; ut mulieres, senes, pueri, quos seu aetas, sive sexus a militia prohiberet, in oppugnantes ea effunderent. Ita rebus intra urbem ordinatis, exscendere in terram hostes sinens, suos intra vallum cohibet. Hostes, metum esse rati, summa cum securitate excurrentes, cuncta ferro, ac flamma vastant; inde ad oppidum accedentes, oppidanos, tamquam non prodire ausos, ad conferendam manum provocant. Qui quum sese nihilominus continerent, illi multo audaciores, mox contemnere etiam eos plane incipiunt. Itaque invadunt urbem magno impetu, ipso duce Storterbolio, ut exemplo incitaret, praeeunte. Subire vallum conabantur, ne tormentis, si quae essent, laedi possent. Proruebant sine ordine, tamquam urbe sine negotio potituri. Id praefectus quum videret, dato signo, illico tormenta explodit; inde in vallum enitentes, quibus id mandatum erat, aquam effundunt ferventem, ac permistam calce picem. Qua re postquam multi caderent, tamdem animum despondentes, caeso duce Storterbolio, pedem ipsi retulere. Oppidani, fugientes insequuti, plures etiam trucidarunt; adcurrente passim ad caedem adiuvandam magna ex agris multitudine, cuius domos ipsi incenderant. Quarum rerum quum rex nuntium accepisset, mittit illico, qui praefecto, & insulanis, pro virtute, atque fide gratias ageret; tum memoriam rei tam praeclarae gestae sempiternam sibi fore pollicetur: insuper praefectum monet, ut excubias toto littore, sicut olim usitatum, deinceps ordinet, ne iniuriae porro faciles opprimi ab hoste possent. Hac in Insula nova clade nil deiecti Lubecenses, Langelandiam iterum tentare statuunt; sed, ut pridem propulsati, quum ne exscendendi quidem, nisi cum ingenti strage, copia esset, in mare Balticum deflectentes, classem ad Elsingoram sistunt. Quumque excursione illic etiam prohiberentur, undique munito littore, & praesidio excubante, postquam aliquot tormenta, nullo oppidanorum damno explosissent, naves quasdam onerarias, ante urbem sine custode fluctuantes, partim incendunt, partim capiunt, & abducunt Travemundam. Vbi dum, exiguo adeo operae pretio, aliquantisper commorantur, copias maiores sibi collecturi, classiarii in tumultum proruperunt; ac, senatum de suscepto temere in regem bello accusantes, missionem flagitarunt; quidam etiam postularunt, ut direptio, praeter sumtum, ac stipendium, toto regno libera permitteretur. Quam tametsi mox senatus indulgeret, non blanditiis nihilominus, aut promissis permoveri potuerunt, uti denuo navigationem in Daniam infestandam instituerent. Postquam vero Lubecensibus, sociisque civitatibus, res pro voto non succederet, aliud consilium capiunt. Itaque legatis missis, rogant Svecos: *quando mari minus prospere hactenus bellum gestum esset, uti terra hostem invaderent; se, quod possint, omni ope, & consilio adiuturos, nec in mari interea quidquam cessaturos*. Hanc legationem Sveci, more suo, pronis animis acceperunt, & Achonem cum equitibus septingentis in Hallandiam immisere. Cuius nuntiato adventu, Tucho Crabbius, vir nobilitate generis, & peritia rei bellicae inter primos, cum proceribus Scaniae reliquis, iussu regis ocyus collectis copiis, sese obiicit. Antequam vero arma conferat, consilia hostis, numerumque copiarum explorandum sibi censet. Itaque Tordonem mittit, rusticum quemdam, Achoni notum, cui pridem operam eamdem dederat in prodendo Scaniae statu. Is Achonem, cum exercitu occurrentem, propere adit, & salutat; tum precatur fausta omnia, ac sperare de successu bene iubet, facile hostem, si maturet, opprimi posse. Acho, vera eum memorare ratus, quanta potest mox celeritate utitur; interim Tordo, clam dilapsus, recipit se ad Tuchonem, nuntiatque, hostem in propinquo esse; &, itinere festinato, parum ordinato agmine, commeare. Quo audito, Tucho suos, pabuli parandi causa palabundos, statim cogit; hostem, ubi primum occurreret, adgressurus. Tum deliberat, quonam illud loco faciat, utrum in aperto campo adventantem operiatur, an vero incautum invadat. Erat media inter utrumque exercitum

CIƆ IƆ X.

tum silva, & in hac profunda vallis, rivo quodam intercisa: hic subsistere Tuchoni, & hostem exspectare placuit. Acho, inordinata acie, inter primos silvam ingreditur; quumque in vallem pervenisset, Tucho classicum canere tubicinem iubens, impetu in eum facto, pugnam orditur. Acriter certatum utrimque, aequo aliquantisper Marte, donec mox Laurentius Frostius Birgeri filius [(a)], summi Daniae antistitis, vir equestri dignitate, & strenuitate clarus, dimicantem in laevo cornu Achonem invadit, & adacta in adversum hasta, sternit. Quo cadente, consternati caede ducis sui ceteri, statim in fugam se coniiciunt, in qua a persequentibus Danis multi caesi, plures capti; plurimi, silvae beneficio, evasere. Achonis cadaver inquisitum, & repertum, ante Helsinburgum arcem in Monasterio illic sito, tumulatum. Abducta inde signa aliquot militaria, una cum vexillo regni, quae mox Hafniam adlata, cum captivis, laeto vultu rex accepit, &, virtute singulorum collaudata, gratiisque item actis, proxima Dominica die, praeferente regni Svecici vexillum Tuchone Crabbio, qui & praelio eo ductor quam fortissime sese gesserat, & captiva signa abduxerat, pompam ex arce in primarium templum duxit; ac, peracta re divina, gratiisque pro victoria tam egregia Deo dictis, subspensa e fornice capta signa, seu opima ex hoste spolia, dedicavit. Svecos vero, ut hanc cladem audivere, tantus illico metus cepit, ne in regnum totis copiis Dani irruerent, ut Antonium Tursonum ad Georgium Baalium Russiae principem ablegarent, qui inducias sexaginta annorum peteret; ne utrimque hostibus septi, tanto gravius premerentur. Contra rex, quum imparem se navibus adhuc sentiret, undique tot in se hostibus concurrentibus, a confoederatis regibus Galliae, Angliae, Scotiaeque emtas magno aere naves Hafniam traduci iubet, atque ipse, ne cessaret, domi interea duas parat, multo opere munitas, ut telorum nulla vi aut lacerari, aut perfringi facile possent. Insuper & in Lalandia arcem Engelburgum [(b)] struit, undique circumfluo mari, ut refugium insulanis ea esset, contra Lubecensium, & sociarum civitatum incursionem. Naves rex quum exstruxisset, id potissimum adcuravit, ut instructas milite iuxta, ac commeatu, mox in hostem educere posset. Item, edicto renovato graviter vetuit, ne e subditis suis quisquam commeatum Lubecensibus, aut eorum foederatis ullum adferret; si quis contra admisisset, is delictum capite, bonisque lueret. Qua re factum, ut Lubecenses, atque Sveci, brevi tempore rerum necessariarum egestate quam gravissime laborarent. Cui malo id incommodi accedebat, ut non tantum nihil Dani, edicto regio prohibente, importarent; verum etiam, si quae ipsi aliunde adportari curavissent, ea omnia classiarii, qui per mare iussu regis excubabant, saepe intra urbium portus, in conspectu habitantium, interciperent. Porro, quum Svecorum cladem, in Hallandia pridem acceptam, Lubecenses rescivissent, pacatis illico militibus, aliquamdiu iam in urbe tumultuantibus, denuo iis contra regem opem suam pollicentur, postulantque, quoniam terra non successerat, uti mari etiam bellum adiuvarent, quo communem sibi hostem melius superare possent; cuius vires, quae paullatim incrementum capiebant, ni celeriter frangerentur, mox ex aequo universis merito formidandae essent. Sveci, qui Calmarniam, Svantonis iussu, contra pacta obsidebant, interfecto duce Achone, ac deleta magna copiarum parte, quum periculum partim suum, partim sociarum urbium animadverterent nec se diu tutos fore, admittere promissa civitatum auxilia non recusant: mox deliberant de legatis ad senatum Lubecensem amandandis, qui de belli ratione in commune consultarent. Inter ista Lubecenses, non cunctati, dum legati advenirent, adiutantibus foederatis civitatibus, navim sex & viginti classem mittunt: ac praefecto dant mandatum, ut, quum primum Svecis sese coniunxisset, impetum in regem faceret. Hic, quum classem mox solvisset, ac Bornholmo propinquaret, sistit cursum; & ablegat, qui in insulam exscenderent, & indicerent tributum, nisi graviter incolae infestari mallent. Qui quum illud denegassent, mittit aliquot cohortes, praedam acturas. Insulani arma sumunt, & in littore occurrunt; & exscensione quidem prohibere, quantum possunt, annituntur: sed, nec numero, neque apparatu pares, interfectis primo praelio nonnullis, in interiorem insulam se recipere sunt coacti. Vbi dum, incensis pyris, more patriae usitato, hostium adventum indicant, atque suos undique ad pugnam cogunt, longius progressi hostes, pagos quosdam iuxta litus populati, & abducta in naves praeda, in Calmarniensem sinum iter institutum capiunt: quo quum classem appulissent, Svecis, arcem eius urbis obsidentibus, promissa pridem auxilia ferunt. Qui, ne sociis deessent in periculo communi, naves paucas, quas instru-

(a) *Birgeri filius*] Non profecto. Birgerus, Archiepiscopus Lundensis, vir gravis, & severus, si quis umquam, canonum observator, qui nullam umquam habuerat coniugem, nullius incontinentiae, aut id genus delicti ab adversariis, queis constat haud ipsum caruisse, adcusatus fuit; verbo, nullum, quantum novisse licet, filium genuerat. Sed hic merus est error Meursianus; ad quem induxisse eum videntur verba haec Svaningii. *Laurentius cognomine Frost, Birgeri, summi regni Daniae antistitis, eques haud impiger*; in quibus putavit noster, ad nomen *Birgeri* intelligendum ex ellipsi *filium*. Nihil vero minus, neque aliqua in his verbis ellipsis. Voluit enim auctor dicere, Laurentium illum fuisse *unum equitum Birgeri*; quales haud mediocri numero solebant alere Episcopi, tum praesidii, & magnificentiae ergo, quando per dioeceses suas excurrebant, tum etiam in Regis, regnique utilitatem, quoties expeditiones id exposcerent. Hvitfeldius *pag.* 274. Laurentium Frostium vocat *en af Bispens Hofmend*, h. e. *unum Episcopi aulicorum*. Recte, additque Frostium ob insigne facinus fuisse a Rege insignibus nobilitatis donatum; quod neque tacuit Svaningius loco cit. dicens *libertate donatum*, more scilicet loquendi istius aevi, quo soli nobiles adpellabantur *homines liberi*. Ergo Laurentius ante hoc editum virtutis specimen, & acceptum a Rege nobilitatis decus, non erat *equestri dignitate*; qui alter in Meursii verbis error; tantummodo in aula Archiepiscopi vivebat equestri satellitio adscriptus; eques sane, sed nobilitatis expers.

(b) *Engelburgum*) Prope oppidum Nachskoviam, arce veteri, quae in vicinia stabat, Ravensburgo, diruta. Sed posteris temporibus etiam arx Engelburgi in ruinas abiit, oppido ipso Nachskoviensi operibus munito.

CIϽ IϽ X. instructas tunc habebant, sub ductore Henningo Gaddio Lubecensibus submittunt: plures etiam pollicentes, postquam urbem expugnassent. His acceptis Lubecenses, mox Blegingiam praetervecti, pagos littori adiacentes igne exurunt. Hinc delati in interiores sinus maris Baltici, Svecis sese coniungentibus, in Lalandiam adpellunt. Vbi quum cohortem unam exposuissent, quam latissime se diffundere, & clamore omnia implere iubent, ut perculsos metu incolas dissiparent; & efficerent, ne coire in unum auderent. B Mox, cum copiis universis excendentes, Nachscovium oppidum, nec praesidio, nec munitione firmum, improviso invadentes, populantur, & incendunt. Nec religio monasterium, illic adsitum, tuebatur. Incolae, clamorem hostilem audientes, quum incendia item passim, & direptiones cernerent, consilii inopes, trepidant primo, fugiuntque; mox ortantibus, quibus paullo maius animi robur erat, diuturnitate belli comparatum, colligunt se, & arma capiunt. Interim, coa- C cta praeda non exigua, dum ad naves hostis properat, forte rumor increbescit, adventare classem regiam. Quo perculsi, ita quique properanter navem petunt, metu ne intercludantur, ut, quo expeditius fugerent, magnam praedae partem abiicerent. Quumque in naves evasissent, duces suos circumstantes, uno ore omnes iubent, ut Lubecam se reducant; gravia quaeque comminantes, nisi statim illud faciant. Neque illis confirmare animum potuit, quod sub isthoc ip- D sum tempus naves aliquot onerariae Lubecensium commeatum, ac mille militum supplementum apportarent. Etenim, quum hac occasione duces persuadere conarentur, ut Fioniam, rebus omnibus necessariis abundantem, incursarent, praedam illinc sine periculo luculentam abducturi, iterum clamore inconditio se Lubecam abduci postulant: ac, si nolint, sese vim facturos esse, palam edicunt. Itaque Lubecam redeunt. Interim Sveci per legatos denuo cum Lubecensibus de E gerendo deinceps bello consilia agitant. Qua de re quum inter ipsos convenisset, uti viribus coniunctis terra pariter, marique simul hostem impugnarent, Lubecenses hos legatos ineunte mense Octobri octo navibus reduxere. Quumque eos ad Bornholmum, tamquam nullum amplius periculum foret, dimisissent, regiae occurrunt totidem; quae cum illis diu acriter praeliatae, aegre tandem nocte interveniente dirimuntur. Ac, quantumvis aequo satis marte dimicatum esset, Lube- F censes nihilominus, non tentare belli aleam ultra ausi, noctis eius beneficio in vicinos Sveciae portus se recipiunt. Dani vero, postquam hostem aufugisse postero die animadvertunt, rati, quod res ipsa erat, in Sveciam cepisse fugam, qua celeritate possunt, insequuntur: at, quum nusquam apparerent, verso inde in Gothiam cursu, atque ibi pauca quaedam cum praefecto colloquuti, Hafniam redeunt. Ac tum demum Lubecenses, redi-

A tum iam tutum nacti, ipsi quoque domum CIϽ IϽ XI. suam circa brumam petierunt. Proximo deinde vere, magnis iam acceptis damnis, nullam educere classem ausi, civibus tumultuantibus, ac fortunam belli iterum experiri cupientibus, liberam in regni incolas praedam iis permisere. Itaque Cunradus quidam, cui Regulo cognomentum (a), quum navigia sibi aliquot speculatoria instruxisset, oneraria, ac vectoria, amplius triginta capit, aut exurit. Qua de re quum quererentur B apud regem, quorum id detrimentum erat, is, suorum damno motus, ut excursione hostem prohiberet, mense Maio navium viginti classe comparata, sub Ioanne Holigero, occupare Trevemundam (b), & exurere omnes illic naves iubet. Sed, quum Danos imminere comperissent Lubecenses, quicquid ibi navium erat, e portu in interiorem urbis sinum subduxere, ubi tutiores essent, ac defendi facile possent. Itaque direpto portu, & incensis aedificiis suburbanis, sinus omnes ma- C ris Baltici diligenter Dani explorant; ac Vandalicarum urbium mercatores, ubicumque deprehensos, intercipiunt: bonis horum inter sese distributis, aut vilissimo etiam pretio venumdatis. Quin maiora quoque ausi, in Vismariensem portum invadentes, naves quatuordecim capiunt; inde, in terram descendentes, domos omnes usque ad portas civitatis, igne iniecto, solo aequant: civibus se intra moenia continentibus, nec prodire ad pugnam ausis. Quibus ita illic gestis, Warne- D mundam mox petentes, prius eo deferuntur, quam cognosci fama posset, quo in loco res Vismariensium essent. Et expositis ocyus copiis, Warnemundam primo impetu diripiunt; hinc ulterius progressi, & agros passim populati, magna ad littus praeda acta, pagos plures Rostochiensium igne exurunt: nullo facto praedae, & incendii fine, antequam Rostochienses, fumum e moenibus circumquaque conspicati, arma civibus imperarent. Qui dum se ad pugnam parant, comportata in na- E ves praeda, Dani retro pedem ferunt, & in Rugiam devehuntur. Vbi facta ad Iasmundam exscensione, ac praefecto profligato, qui cum paucis se obiecerat, Stralsundensium pagos vastant. Qui ad famam huius rei, ut auxilium laborantibus suis ferrent, statim pedites octingentos, modicumque equitatum, cum tormentis aliquot bellicis, in insulam transmitti curant; ea spe, dum ipsi a fronte hostem occupant, fore, ut praefectus insulae cum suorum aliqua manu tergum invaderet: F sed, iam illo profligato, postquam soli dimicarent, nec auxilium insulani, quod speraverant, ullum ferrent, pugnae impares, mox in fugam se coniiciunt, in qua intercepti multi, & occisi. Tum tormenta quoque omnia, sarcinaeque in victoris potestatem pervenere. Multi quoque, quum ad naves trepidatione summa se reciperent, nec ad has admitterentur, metu imminentis hostis, in mare se praecipitantes perierunt. Hunc in modum dum Vandalicae civitates divexantur, Sveci, ali-

(a) *Cui Regulo cognom.*) vernacule *Cunrad. Koening.*

(b) *Trevemundam*) Corrig. *Travemundam.*

aliquamdiu liberi ab hostili incursione, recuperare, quae amiserant, animum inducunt: ut sic tandem plenam sibi libertatem vendicarent. Itaque, post obsidionem annorum aliquot, quum Calmarniam recepissent, Bornholmum etiam in Oelandia [a] circumsederant. Qua de causa classis regiae praefectus, profligatis Stralsundensibus, quum e Rugia discessisset, in Oelandiam, opem obsessis laturus, properavit. Praefecerat Bornholmo rex Othonem Rudium, clarum belli, qui Canutum fratrem suum, Hierosolyma pietatis ergo petens, substituerat, ea lege, ne cuiquam, nisi regi, arcem commendatam traderet. Quam ob rem, defuncto Othone in itinere, quum de morte eius fama afferretur, Canutus, ut servaret fidem, quam obstrinxerat pridem fratri, iam in arcem, metuens obsidionem, se receperat; atque eo secum adduxerat Petrum Vrium [b], antea arcis Hafniensis sup praefectum, cui praefecturam arcis rex mandaverat. Verum ille, quia plurimos e praesidio Hafniae graviter offendisset, parum obsequii pronos habuit. Hac de causa, supervenientibus Svecis, quos firmandae obsidionis Suanto miserat, Canutus, cum praesidio inclusus, diffidentes adhortatur, *ut privatam offensam suam reipublicae condonarent: facile hostem propulsari foris posse, si concordes intus forent*. Hinc paratis, quae ad repellendos Svecos opus essent, oppugnationem exspectat. Dederat iis duces Suanto, Henningum Gaddium, Bremum Oestrium [c], & Ericum Abrahamum. Tolerata in quintum usque mensem obsidio, a vicesimo quarto Iunii ad Novembris diem quintum, & vicesimum: quum rex, in Vandalico bello occupatus, nullum interea commeatum, aut auxilium laborantibus submisisset. Itaque, exhausti viribus, siti pariter, & inedia postquam aqua semisalsa, ac farina crassiore aliquandiu vitam utcumque substentassent, necessitate impellente, liberum discessum pacti, arcem Svecis tradidere. Alibi quoque eo anno est pugnatum Quippe in Gothiam occidentalem rex Ioannes copias pedestres misit; quae, progressae Scaram usque, late agros devastarunt: &, occisis plurimis indigenarum, domum cum ingenti praeda redierunt. Quum interea regni gubernator Suanto nihil contra conaretur, nisi quod submitteret equitum turmam unam, quae palantes passim Danos commeatu, pabuloque, prohiberet. Lubecenses, moti damno sociarum civitatum, quod a Danis, uti iam commemoratum, accepissent, quum hae opem implorarent, naves omnes grandiores, e navalibus productas, ocyus reparant, instruuntque. Sedecim universae erant, quae progressae, ad Iasmundam cursum sistunt; exspectantes octo dies, donec Stralsundensium naves advenirent. Quibus nimium cunctantibus, nec ad tempus praestitutum venientibus, mox Bornholmum se recipiunt. Vbi itidem dum adventum earundem praestolantur, duces copias exponere, & agros populari iubent. Quo peracto, & abducta pecorum magna multitudine, nuntioque eius rei ad regem allato, ille statim classem parat, imperatque, ut quam primum hosti ad Bornholmum occurrat. Duces illi dat Ioannem Holigerum, Severinum Norbium, Tilemannum Giselium, ac fortissimos quosque alios: ita tamen, uti summa praefectura penes Holigerum esset, virum animi magnitudine, ac peritia rei bellicae praeter caeteros excellentem. Ille, ventum commodum nactus, quum solvisset, nono Augusti mensis die classem hostium conspicatur. Itaque hortatur suos, ut intrepidi pugnam inirent contra illos, quos iam toties devicissent. Quumque, eo haec dicente, clamor nauticus tolleretur, atque omnes postularent, pugnae sibi signum dari, sponderentque, ita se gesturos esse, uti nec degenerasse a virtute gentis suae, nec spem eius fefellisse dici possent; ne pugnandi ardor mora elanguesceret, propius in hostem advectus, se ad dimicandum parat. Inde naves suas ordinat, & maiores in utroque cornu locat; inter illas, mediocres: reliquas, post has constituit, ad ferendam, si quae laborarent, opem; tum, quae quamque sequi debeat, & quae cui subvenire, dat mandatum: Neque cessant Lubecenses, & productam ocyus classem hosti opponunt Primi impetum Dani faciunt; quem exceptum Lubecenses diu quam fortissime sustinent. Quumque eorum naves quinque, sauciis multis, & occisis, graviter laceratae essent, incitati, non servato ultra ordine, maiore audacia, quam prudentia, hostem invadunt, ac promiscue praeliantur. Mox eodem quoque modo Dani pugnant, & utrinque non in-

(a) *Bornholmum in Oelandia*] Corrig. *Borkolmum*: Et sic etiam post paucos versus.

(b) *Petrum Vrium*] Corrig. *Petrum Vroum*. In quo vocabulo *V* est littera consonans, paullo molliore sono efferenda, quam *β* in *βρῶμα*.

(c) *Bremum Oestrium*) Ridiculus error; sed Meursio, & cuivis, vel eruditissimo, non satis Danicae linguae gnaro, facile, & omnino condonandus. Multam sane, & cum lingua, & cum historia nostra, familiaritatem contraxisse eum oportet, qui Suaningii legens narrationem, eam quam heic Meursius expressit, non tres, sed duos tantum duces concludat missos fuisse ad Borkolmi oppugnationem. Haec enim verba Suaningii (Petri Parvi *Chron. Ioann. Regis pag. Nn.* 4. *b*.) „ Duces „ exercitus Svetici - - qui oppugnatum arcem, ac oppidum a „ Suantone, missi venerant, erant *Henningus Gaddius*, Electus „ Lyncopensis, partium Suantonicarum summus semper fautor, „ *Brens* ab *Oestro* seu *Tabano* nomen consecutus, & *Ericus A*„ *brahamson*. „ Quis, inquam, non dixerit, imo, si res postulet, non deieraverit, hic ternos nominari, *Kenningium Gaddium*, *Bremsium Oestrium*, & *Ericum Abrahamson?* Ac tamen non nisi duo sunt. Henningus Gaddius scilicet, & Ericus; neque plures quam hi duo verborum auctori Suaningio intelliguntur. Namque illud, quod interseritur, (*Brems ab Oestro &c.*) quasi alterum quendam indicans, mera est cavillatio de cognomine Henningi. *Gad*, septentrionalium lingua, *aculeum* vel *stimulum* significat. In hoc ergo cognomen Henningi luditur; nempe quia manu, & lingua pugnax, technarumque artifex, & quia virulentus erat osor Danici nominis gravissimusque insectator, voluit hoc scomma Suaningius iacere in cognomen eius, pro more suo, nec non ex imitatione, ut credo, aliorum, eum, loco *Gaddi*, per iocum *Bremsium* adpellitantium. Tabanus enim seu Oestrum, insectum aculeatum, a Danis, & Svecis *Brems* vocatur. Huc pertinet, quod eundem Henningum Suaningius (sub P. Parvi nomine) in *Refutatione Ioannis Magni Gothi*, saepius vocitat *Ioannis Magni stimulum*; & quod *pag. C.* 2. scribit, „ Ioannem ipsum profiteri, Henningum Gaddium a„ cerbissimo in Danos odio semper flagrasse, eosque maledictis „ atrocissimis semper incessisse, - - - quo per omnia *cognomini* „ suo, quod a *stimulo* adpellationem accepit, *abunde* satisfaceret, „ Facessat igitur ille novus, & incognitus ductor *Bremus Oestrius*. Neque enim vel Hvitfeldius, vel Messenius, aliive Svecorum, plures nominant expeditionis duces, quam hos duos, Henningum Gaddium, & Ericum Abrahamidem.

CIↃ IↃ XI. industria militari, sed virtute dimicatur. Maxima diei parte telis eminus res gesta; quum Danorum una navis propius in hostem fertur. Ad quam postquam opprimendam magno impetu plures ruerent, circumventam facile capiunt. Quo conspecto Dani, ut hanc contumeliam vindicarent, magno animi ardore in hostilem classem irruunt; vincere, aut mori certi. Neque diu restitere Lubecenses; ac salutem fuga sibi quaesivere: in qua etiam intercepti pene omnes caesi penitus fuissent, nisi densae ingruentis noctis tenebrae fugientes insequi prohibuissent. Etenim dux classis regiae Holigerus, non se credere mari ausus, quum receptui cecinisset tamquam victor, locum capit, e quo ipsi profugissent; & ibidem diem exspectat. Qui quum postea illuxisset, rursum profugum hostem quaerit: quem nequicquam aliquamdiu quaesitum quum non posset invenire, in eundem locum redit. Vix pervenerat, quum tres Stralsundensium naves; quas hic exspectasse antea Lubecenses memoravi, procul adventare vident. Illi, quiescentibus Danis, & quo cursum instituerent expectantibus, sociorum classem esse arbitrati, prope adnavigant. Sed, quum hostem esse cernerent, retro versi, fugam instituunt. Insequuntur ocyus Dani, atque duas naves capiunt, tertia vix elabente. Haec dum ad Bornholmum gerunt, quaedam Hollandorum classis, e Livonia revertens, fugientibus Lubecensibus inter Reschovidam, & Heilam forte occurrit. Erat navium ducentarum quinquaginta: ac dumtaxat quatuor bellicae his adiunctae, quae deducerent. Quumque antiqua de commerciorum iure in has orientis partes controversia inter Hollandos, & Vandalicas civitates necdum tunc dirempta esset, iusta iniuriae inferendae causa visa est, quam occasio invitabat. Itaque eam invadentes, totam capiunt, dissipantve. Quatuor bellicae, impares pugnae, ad Bornholmum, ubi regia classis stabat, se subducunt, & ad Heilam a Lubecensibus acta nuntiant. Quibus cognitis Holigerus, convocatos statim suos iureiurando obstringit ad recuperandam praedam, aut ad mortem oppetendam. Nec difficile illud erat, apud pugnam sua sponte postulantes: & ardentes propria virtute animos, quatuor Hollandorum naves, quae accesserant, magis etiam incitabant. Itaque quum multo mane a Bornholmo discessissent, meridie ad Heilam veniunt; ubi Naves Hollandorum dissipatas, ac plerasque sine rectore fluctuantes, alias adhuc fumantes ex incendio, conspicantur: & non procul inde classem Lubecensium, qui, ob praedae magnitudinem insolentes, victis etiam tum superbe insultarent. Ideo visum, propius advehi, atque eam adoriri. Verum illi, quod instructas bello naves tantum undecim haberent, caeteris quinque ad Bornholmum misere adeo laceratis, ut inutiles pugnae essent; nec captivis, quamvis militem ipsi suum imposuissent, satis fiderent, explicatam toto prius mari classem statim contrahunt, praelium plane detrectantes. Qua re animadversa Dani, ut protraherent vel invitos ad certamen, telis declinantes petunt. Quibus quum non parum certe laederentur, tela tamdem ipsi quoque retorquebant; ita tamen, ut non tam pugnare velle, quam periculo subterducere sese ostenderent: fugam, in qua sola sibi spem salutis esse cernerent, tempestive inituri. Quod ne possent, Dani naves suas explicant, intercludere hostem certi. Verum, eo animadverso, Lubecenses, veriti, ne circumventi simul omnes hostium in potestatem devenirent, ocyus fugam capessentes, Travemundam se recipiunt: paucas tantum Hollandorum naves secum abducentes. Ac sequuti fugientes eos Dani facile intercepissent, ni praetoria classis regiae, rupto forte pede (a) nautico, in media insectatione cursum sistens, hac re caeteras item naves, quae se isto velut signo revocari arbitratae, inhibuisset. Mox praetoria reparata, quum ad Heilam rediissent, sparsas Hollandorum naves colligentes, dominis eas suis reddunt, quos desertis pridem iis metu hostis fugientes excepissent. Quamquam sane multae ex his desideratae: partim incensae a Lubecensibus, aut abductae: partim quoque a mercatoribus, dum pugnatur, forte intervenientibus, & in fluctuantes eas incidentibus, interversae. Post victoriam hanc Dani (b) non dumtaxat mare Balticum tutum ab excursione urbium Vandalicarum praestiterunt; sed, interiores quoque eius sinus perlustrantes, mercatores earumdem, ubicumque deprehensos, invaserunt: & illorum merces inter se partiti, vili pretio vendiderunt. Qua re factum, ut, quamtumvis gesto per decennium bello, non annone tamen ulla, aut aliarum rerum necessariarum caritas fuerit; quin & contra, ex allatis toties in regnum spoliis, rerum omnium tanta exstiterit abundantia, quanta pace quamvis florentissima esse potuisset. Anno proximo, CIↃ IↃ XII. Suanto, qui pro rege Sveciae sese gesserat, diem obiit Arosiae: nihilo feliciorem vitae exitum consequutus, quam decessor eius Steno. Nempe fatum hoc Ioannis regis erat, uti, victor in tam longo, ac difficili bello factus, hostibus suis, quos rebelles, perfidosque toties expertus esset, quique graves admodum seditiones contra ipsum concitasent, superviveret: atque post proscriptionem, cum infamia sempiterna, sine ullo suo scelere, Dei manu e medio sublatos cerneret. Mortuo vero Suantone, Sveci, quamquam in Ioannem, eiusque filium Christianum iusiurandum suum dederant, nulla tamen eius

ra-

(a) *Rupto forte pede*] Hvitfeldius *pag.* 242. memorat, gubernaculum navis praetoriae fuisse tormenti globo excusum, eoque coactum Ioannem Holigerium ad contrahenda subito vela navemque sistendam; ceteras vero naves classis Danicae, hoc viso, eum fuisse imitatas. Hinc Lubecenses elapsos, praedam secum abstulisse.

(b) *Post victoriam hanc Dani*) Non magna fuit Danorum victoria ob causam modo expositam. Contra ingens lucrum & spolia ampla domum reportarunt Lubecenses, multas mercibus onustas Hollandorum naves secum abducentes. Vnde & haec victoria Lubecae publicis gratulationibus excepta, teste Hvitfeldio *l. c.* Chytraeus *lib. 6. pag.* 197. atrox istud praelium aequo fere Marte commissum scribit, perque noctem, & eurum vehementer aspirantem diremptum: Cumque classis Danica eadem nocte ex conspectu Lubecensium discessisset, hos victoriam sibi vindicasse, eamque persequendam arbitratos, Hollandorum onerarias naves partim dissipasse, partim captas abduxisse.

CIↃ IↃ XII.

ratione habita, in Stenonem, illius filium, regnum transferunt (a). Inter ista Lubecenses: postquam, obsesso undique mari, commeatus destitueret, atque cives ea de re apud senatum quererentur, alterutrum faciendum fuit: ut aut aliunde eum procuraret, aut a rege pacem peteret. Ac, quum prius minime posset, alterum praestandum erat. Itaque, crescente indies magis fame, literas ad regem mittit, postulatque, *locum sibi idoneum dari, & fidem publicam; se habere quae cum ipso agere velit: neque frustra, si concedat, operam collocatum iri*. Rex, ad pacem a natura, quam ad bellum magis pronus, *se Flensburgi brevi adfuturum* scribit; *illuc, si quos velit, mittat; nec periculum ibi ipsis ullum fore*. Mox venere duo consules, qui cum eo de constituenda pace, pro se, sociisque urbibus clam colloquium instituere velle dicerent. Quod quantumvis rex gravate primum admitteret, cupiens consiliarios quosdam suos adhibere; tamen, ne deesse ipse uspiam paci videretur, tamdem eorum postulatis acquievit. Itaque statuto die, quum rex ad colloquii locum, qui in arce Flensburgensi designatus, iturus esset, gladio suo se accingens, quosdam e familiaribus sequi iubet. Quibus ipsum percontantibus, qua de causa ita armatus ad colloquium procederet: *quia*, inquit, *longa mihi consuetudine sic iam noti Lubecenses, ut inermem me committere ipsis non consultum putem*. Hinc cubiculum, in quo illi convenissent, ingressurus, ad sequentes se convertens, subridenti ore ait: *vos hic foris paullulum me exspectate dum cognoscam ipse intus, quidnam mihi Lubecenses novi ferant: qui si forte vim intentent, contra duos strenue solus, quoad potero, me tuebor: sed si opem acrius pressus imploravero, tum accurrite, & auxilium laboranti ocyus ferte*. Iocus erat; sed quo tamen non obscure indicabat, quantum ipse eorum fidei tribuendum existimaret. Mox, finito hoc colloquio, quum ad suos rediisset, ad senatum postulata illorum refert. Inde pax decreta fuit; & commerciorum iis reddita libertas prisca, iis legibus: *ut, si Sveci* (b) *nec Ioannem regem reciperent, neque filium Christianum; nec quotannis tredecim selibrarum Holmensium millia penderent, quae promiserant: tum Ioannem, ad redigendum in potestatem regnum Sveciae adiuvarent. Nullum quoque eius hostem, aut haeredum, urbe exciperent, foverentque: ac detentae utrinque bona redderentur. Insuper, quocumque bello, post id tempus commovendo, portus regni Norvegici immunes essent: & commercia quilibet ex occidente libera illic exerceret. Denique, si controversiae deinceps aliquae inter regem, & Lubecenses nascerentur, eas quatuor, huic negotio deputati, disceptarent*. Sveci, postquam convenisse inter regem, Lubecenses, & Vandalicas civitates accepissent; viribus suis iam diffisi, ipsi quoque ad regem oratores mittunt, qui Malmogiae inchoatas pridem pacis rationes retractarent. Quos rex postquam, repetita toties rebellione irritatus vix admittere dignaretur; senatorum tamdem intercessione & admissi, & auditi, etiam pacem, quam petebant, impetrarunt, ea lege: *ut intra vertentem annum ipsum in regnum restituerent; filiumve Christianum, cui pariter omnes sacramento dixerant, patris loco pro gubernatore acciperent: iusque illi suum in Sveciam illibatum conservarent. Aut, si neutrum ex his vellent, tredecim selibrarum Holmensium millia quotannis solverent, seu Ioanni, sive filio Christiano: si defuncto eum patri superesse eveniret*. Hunc in modum etiam cum Svecis tamdem pax sancita; quam, perfidia usitata, paullo post defuncto rege, denuo quoque violarunt. Rex, confecto bello Svecico, & Vandalico, ac, firmata ubique pace, regno penitus tranquillo, animum ad pietatis opera advertere coepit. Ac, legato Romam misso ad Pontificem Ioanne Wolfio, viro sibi ab epistolis, praeposituram Othoniensem, quam Episcopus eius urbis suam fecerat, regiae iurisdictioni vindicavit, & Andreae Globo dedit. Franciscanis tria monasteria struxit: unum Coagii, alterum Malmogiae, tertium Halmstadii. Tum enixe item egit per legatos ad Pontificem Romanum, ut initiatus sacris Christianorum princeps Russiae in Ecclesiam (c) admitteretur,

(a) *In Stenonem regnum transferunt*) „ Post eum (Suantonem) „ gubernator regni ad longum tempus fuit Ericus Trolle, teste „ Hvitfeldio. „ *Frid. Gunther*. Ita est. Sed Svecici heic historici sequendi, qui commemorant, a morte Suantonis dissensionem acerrimam fuisse ortam inter seniores, & iuniores regni proceres, de novi gubernatoris electione: his Stenonem Suantonis filium, iuvenem, propter multas quoque virtutes populo gratum; ast illis Ericum Trollium, senem, prudentia, & scientia praestantem, reipublicae provisorem nominantibus, ac pro tempore praevalentibus: ut verba habent Messenii *Tom. IV. pag.* 71. quae fusius legantur exposita a Io: Magno *lib.* 24. *Cap. I.* Olaus Verelius in *Hepitome H. Svec. pag.* 102. „ Maior pars Senatus in Ericum Trolle propendebat. Erat enim & prudentia, „ & morum, atque literarum commendatione conspicuus. Sed „ has praerogativas publicum familiae odium ob Danicae factionis studia destruebat Eo igitur reiecto, Steno, Suantonis filius, regni moderator designatur. „ Et Loccenius, Erico Trollio, ait, senectutem exsanguem laboribus imperii, militiaeque imparem, magis tamen Danicarum partium studium apud populum impedimonto fuisse.

(b) *Iis legibus, ut si Sveci*) „ Hvitfeldius haec ita Flensburgi acta „ & ipse narrat, tamen solenniter demum Malmogiae conclusa, „ ubi & Christianus Electus praesens fuerit, nec solum cum iis, „ sed & cum reliquis civitatibus Vandalicis. Habet & alia Hvitfeldius plura capita, quae tamen ad haec, tanquam praecipua, „ referri possunt, *pag.* 284. „ *Frid Gunther*. Rectissime. Et conventus quidem Malmogiensis fuit, quo absoluta fuit pacificatio; de qua tres authentici lustrati nobis codicilli. Horum *primus* leges. & capita pacificationis continet, nec non privilegia, quibus de novo Lubecenses, eorumque foederatos se donaturum Rex promittit, plane sicut eorum summam Hvitfeldius *pag.* 284. *seq.* satis accurate exhibet *Alter*, de xxx. millibus aureorum agit, ad quae Regi propter belli sumtus solvenda Lubecenses sese obligant. *Tertius*, de suspendendo omni cum Svecis commercio, donec Regi, vel filio eius sese illi submiserint. Omnes vero Malmogiae scripti, signatique *die S. Georgii an.* 1512. Et cum in primo Codicillo mentio extat colloquii, tanquam antea cum ipso Rege Flensburgi habiti, horque Colloquium Hvitfeldius referat ad diem 22. Novembris, necesse omnino fuerit, non solum Meursium, sed & ipsum Cancellarium Hvitfeldium erravisse, quando uterque illud in anno 1512. collocat.

(c) *Princeps Russiae in Ecclesiam*) Res ita se habet. Imperator Maximilianus, & Ludovicus Rex Galliae, de Concilio contra Iulium PP. II. convocando, Pisisque habendo, agitantes, legatis in Daniam, atque Scotiam missis, Reges Ioannem, & Iacobum eo invitarunt. Ioannes vero, tam Caesari, quam Gallo respondit, Concilium quidem sese haud improbare. tantummodoque optare, ut in Germania haberetur, de quo ad Germaniae Principes se scripturum, nec non operam daturum, ut Russorum Princeps eodem pertraheretur, pro stabilienda inter Ecclesias Romanam, atque Russicam coniunctione. Mox Oratores suos Rex noster Romam mittit, tres numero, Canonicos omnes, quorum unus erat Ioannes Wulfius, Regi a secretis, ceteri duo nobiles, Regisque cubicularii, quod ex Paride de

CIↃ IↃ XII.

tur, quamquam, morte impeditus, non peregit [a]. Erectam a patre Academiam Hafniensem verie auxit [b], ornavitque, & stipendia professorum luculentiora fecit; longa experientia doctus, in bellorum, ac negotiorum mole deesse sibi idoneos viros, quibus in legationibus, & negotiis regni aliis uteretur: eosque deinceps inde legere constituerat. Quin, haec ipsa uti magis efflorescceret, etiam ante, anno CIↃ CCCC XCVIII. admodum severe edixerat, ne ad exteras Academias, sola excepta Vpsaliensi, ipsi quoque tum subiecta, quisquam iret, nisi qui triennium prius in hac sua Hafniensi exegisset. Posthaec, rebus in Selandia ordinatis, ineunte Ianuario, una cum Christina coniuge, filioque Christiano, plurimisque senatorum, in septentrionalem Cimbriam, ius dicturus loci incolis, proficiscitur. Quo itinere, quum traiiceret mare Balticum, orta subito tempestas in discrimen praesentissimum eum abduxit. Quo vix tamdem liberatus, quum Niburgum appulisset, & in terram exscendisset; *Vale mare*, inquit, *vale*, ad id conversus: *ita enim in nos hodie saeviisti, ut, deinceps non te nobis transitum concessurum esse sat ostenderis*. Ac profecto, quasi mortem imminentem praesagiret, verum dixit: neque enim posthac transiit. Inde, facto per Fioniam itinere, Ripam venit, Cimbriae oppidum; ab Ivaro Muncio illuc invitatus, loci Episcopo: qui iam annis aliquot ante inauguratus, ac facturus primum sacrum, & in hoc Lagonem Vrnium, praesulem Roschildiensem, etiam consecraturus, studio in illud tempus rem distulerat. Vbi dum rex commoratur, derepente adeo exundavit mare, ut obsessus quasi aquis plures dies hic subsistere cogeretur. Aliquando, paullum extra urbem egressus, quum ad mare accessisset; & hanc, aquis undique cinctam, illis ipsis quasi innatare cerneret, admiratus, & conversus ad astantes: *ecce*, inquit, *regem regum, dominumque dominantium! merito eum supra omnes potestates, quae in terris, veneremur; qui non ullo telo bellico, machinave, sed hoc uno elemento, nos invitos oppido hoc clausos tenet. Igitur, quas hostibus nostris numquam dedimus, nunc altissimo, cuius terra, atque mari, infinita est potentia, ultro victi manus demus. Huic sit laus, honos, gloria usque in infinita secula.* Quibus verbis summam in Deum pietatem non obscure testabatur. Subsidente inde aqua, Oleburgum [c] se recepit; quo mox aeger ad vicesimum quartum diem Ianuarii pervenit: quod, prolapso in paludes Tarmicas equo, se nonnihil offendisset. Vbi dum e via fessus, & e casu item languens, se recolligit, octavo ab adventu die, morbo laborare coepit. Qui quum indies ingravesceret, ipse sibi summum vitae suae tempus imminere praedicabat. Ea re quum universi, quibus salus regis curae pariter, ac regni erat, animis consternarentur, luctus ingens tota urbe exortus fuit. Verum ille, nihil motus, summa animi constantia, & in Deum pietate ad excipiendam mortem se parabat. Dum versatur in agone, neque longe ab extrema meta abest, filium suum Christianum accersiri ad se iubet; ac, praesentibus e senatu regni pluribus, adhortatur. primum: *ut regnorum omnium largitorem, ac conservatorem Deum, atque reges qualescumque in sua potestate habentem, ante omnia veneretur; atque ab eo sapientiam, & consilium in administratione regni petat*. Deinde, *uti regni ordines debito favore suo prosequatur: nulli per vim quicquam eripiat; sed, legitime regnum exercens, ius ex aequo locupletibus, ac pauperibus semper dicat*. *Tum, quos in honore habeat, homines indigenas legat, non extraneos; neque novos, sed prosapiae vetustae: nec peregrinorum potius, quam suorum, opera in pace, ac bello domi, ac foris, uti velis. Quorum etiam summam fidem, & industriam singularem, aut obsequium, in administrando regno expertus esset, eos post excessum suum digne habeat. Ita fore, ut ad eadem haec praestanda illos sibi quoque obstringat*. Denique, *felicem regni gubernationem* optat: & supremum vale dicit. Haec cum filio lo-

CIↃ IↃ XIII.

de Grassis Odor. Raynaldus refert. Isti litteris a Rege exhibitis, (scriptis *die X Aprilis* 1512.) Pontifici exponunt, Regem Ioannem ab Imperat. Maximiliano, & Francorum Rege Ludovico invitatum esse ad concilium Pisis congregandum, nihil autem constituere decrevisse, nisi consulto Romano Pontifice, utpote quem Rex Daniae verum Conciliorum ordinatorem agnosceret. Quod si autem Papae placeret Concilium celebrare, Regem in votis habere, ac petere, ut in aliqua parte Germaniae circa Rhenum haberetur. Verum nunc, postquam comperissent, Concilium Lateranense inchoatum, sibi videri expetendum, ut Pontifex Regi illud per litteras indicet, haud dubie cuicumque Concilio, per ipsum Papam sive indicto, sive indicendo, suum assensum praebituro. Deinde, quod ad Scotiae Regem attineret, Ioannis ex sorore nepotem, eum quidem in cunctis ad Concilium spectantibus avunculo suo consentire; interim tamen Ioanni placuisse, ut suos & ipse Scotus Oratores ad Papam destinaret. Denique dandam fore a Ioanne Rege operam, ut *Princeps Ruthenorum*, & *Caesar Tartarorum, ac Gothorum, qui numquam ante ad ullum Concilium condescendissent, nunc Concilio per Papam indicendo adhaererent, & indicto consentirent, petentes, se in illius decretis sanciendis, & in reformatione tam urbis, quam orbis, & Ecclesiae admitti debere*. Atque haec maximam partem ex Paridis de Grassis narratione (apud Raynaldum an: 1512. §. 83. & 84.) desumpta, hic apponere haud abs re duximus, Hvitfeldianae utpote, *pagg.* 289. & 294. plane congruentia. Neque minus congruunt, quae a Laudato Raynaldo §. 85. subiiciuntur: „ His consentanea repetit Petrus Cordier. Parisiensis Doctor (in „ Actis suae legationis,) qui ad Daniae, Scotiae, Sclavoniae, & „ Gothorum Reges missus fuerat a Gallo - - - - testaturque Da„ norum Regem Pontificiam auctoritatem defendisse, ac polli„ citum daturum operam, ut Moscovita in Ecclesiae gremium „ reverteretur, mitteretque Oratores ad Concilium indicendum a „ Pontifice, si in loco commodo celebraretur „ &c. Vid. & Spondan. *Contin. Annall. Baron. Tom. II. pag.* 294 *seq.*

(a) *Morte impeditus non peregit*) His consona ex ipsa Prussorum Relatione scribit Paulus Iovius, aut potius ex Demetrii illius ore, qui Basilii Prussorum Principis legatus cum in Daniam, tum ad Maximilianum Caesarem fuerat, ac denique ad Papam Clementem VII. Nempe retulit ille, Basilium, iam antea legationem ad Hadrianum PP. VI. misisse cum litteris, quibus ille, *cum multo verborum honore, egregiam voluntatem erga Romanum Pontificem ostendebat. Paucis enim ante annis Basilius, ardente cum Polonis bello, quum Lateranensis conventus haberetur, per* Ioannem Daciae Regem, *huius Christierni, qui nuper regno expulsus est, patrem postularat, ut iter tutum Legatis Moschovitis ad urbem Romanam praeberetur. Verum quum eodem forte die,* & Ioannes Rex, *& Iulius Pontifex ab humanis excessissent, sublato ad id sequestro, consilium mittendae legationis omisit. Exarsit subinde bellum inter ipsum, & Sigismundum Poloniae Regem, quod cum insigni ad Borysthenem parta victoria a Polono feliciter confectum esset, Romae supplicationes sunt decretae, veluti devictis caesisque Christiani nominis hostibus, quae res, & Regem ipsum Basilium, & universam gentem ab Rom. Pontifice haud mediocriter alienavit*. Haec omnia Paul. Iovius in libro, quem *Moschoviam* inscripsit, haud longe ab initio.

(b) *Verie auxit*] Corrig. *varie*.

(c) *Oleburgum*] Solet rectius scribi *Alburgum*, una praecipuarum Iutiae, seu Cimbricae Chersonesi urbium, sinui Limico, toties in historia Danica celebrato, adiacens.

CIƆ IƆ XIII. locutus, lacrymantibus, qui astabant, universis, maximo coelorum regi se commendans, inter horam nonam, ac decimam vespertinam, decimo Calendas Martii diem obiit; peste, ut nonnulli volunt; vel, ut alii quidam, febre. Corpus eius, in Fioniam deportatum, & Othoniae sepultum est, in coenobio Franciscano, quod nunc summum urbis templum. Regnum tenuit annos duos, & triginta; vixit quinquaginta octo. Imminentem sibi mortem ipse sat praesagiebat; itaque anno ineunte, integra adhuc valetudine, Hafniae testamentum fecit: ac, familiaribus suis multa legans, plura templis, ad colendum rite Deum, consecravit: pietatem excellentem, quam intento semper studio exercuerat, etiam supremo illo vitae actu palam faciens. Signa quoque mortem eius praecessere. Condito testamento suo, postquam cum familiaribus quodam die hilaritati indulgeret, inter pocula Calendarium e Germania est allatum. In quo quando referretur, eo anno quemdam magni nominis principem moriturum, idque forte legeretur, siluisse aliquandiu illum ferunt; mox, silentio interrupto, quum interpellaret nemo, circumstantes percontatum; *ecquem illi ibi principem, cui mors praediceretur, designatum existimarent?* Quumque omnes respondere cunctarentur, ipsum inde suggessisse: *Ego quidem me non designari puto: valeant somnia, & inepti illius hominis vaticinia: nos speramus vitam adhuc longiorem, summi Dei beneficio.* Alii, & in Christianum filium iocatum ferunt, ac dixisse: *etiam in iuniores principes mortem incursare: nec aetatis ullam rationem habere.* Quin & noctu canum in arce Hafniensi formidabiles latratus sunt auditi, sese quasi in provocantes irritantium. Ac sacelli, quod in arce, foribus subinde noctu sponte sua patefactis, vox audita lamentantis: tum insoliti strepitus alii magno metu audientes perculere. Denique & sacrae vestes, in sacelli summa ara, secus, atque aedituus eas pridie straverat, convolutae cernebantur. Erat princeps plurium virtutum laude maximis quibusque regibus comparandus: ac, gestarum rerum gloria, paucis minor. Bellis quamquam plura gessit, nusquam victus, si Dithmarsicum exceperis: in quo ducum potius culpam, quam illius reprehendas. Summa in verbis eius fides; &, ut ipse diligens promissi erat, ita graviter negligentibus succensebat: facilis tamen, & offensae, ultra debellatum hostem, nunquam tenax. Vnde factum, uti totum eius regnum nihil aliud, quam perpetua quasi quaedam lucta fuerit cum perfidia & Stenonis, & Suantonis, sociorumque, ac Lubecensium. Quibus, toties ignoscendo, animos, & vires semper ad rebellionem novam confirmabat: raro exemplo, nec principibus imitando. Nam in talibus ut non licet bis peccare, ita neque bis ignoscere: & crudelis est in subditos, quisquis hosti, postea non nisi illorum sanguine rursum coercendo, gratiam delicti eiusdem iterum facit. Sed in eo etiam in regnandi legem deliquisse merito censeri potest, quod subactis a se Svecis, contra pacta, Danos suos, ac Germanos, peregrinos potius praeficiendos, quam indigenas Svecos (a), duxerit: nec eorum in dominatu non ferendam impotentiam tempestive compescuerit. Nam gens quaeque paullo erectioris animi eo plane est ingenio, ut imperiis suorum non gravate morem gerat, externorum irritetur: &, quum se de fide eorum dubitare ostendit princeps, eam facile per occasionem exuat. Adde, quod, praefecti externi dum plerumque, debellatis pro libidine, dominantes, fas, ac nefas iuxta estimant, pristinam virtutem victi revocare, & excutere nullo modo tolerandum viris iugum, tamdem audeant. Itaque id curare sedulo princeps debet, qui subiectos armis populos retinere in constanti obsequio volet; ut praefectos, aut indigenas illis ponat, quorum fidem sibi exploratam habeat; aut suorum dominatum sic coerceat, ut, imperium iuxta leges exercentes, asperatos clade sua illorum animos, blande ac comiter habendo, mox demulceat. Ita demum est futurum, ut eorum voluntates in perpetuum sua sit in potestate habiturus. Gravitate tanta erat, uti, dignam magno rege maiestatem praeseferens, omnibus se venerandum exhiberet: quam vicissim ea quoque humanitate temperabat, ut amorem omnium in se subditorum provocaret. Legatos regum, principumque externorum excipiebat honorifice, & expediebat cito; ne, diutius commorantes, statum regni explorarent: saepe dicens, minime expedire regi, ut legati externorum regni sui arcana discant. Et favorem subditorum tantum sibi comparaverat, ut, quod cupere se ostenderet, summo omnium consensu consecutus semper fuerit. In delictis puniendis ut severus, quum res posceret, ita mira comitate nimos deliniebat, ut ob istud nemo ab eo tamen alienus esset. Iudicio sic excellebat, uti, quum deliberatio de gravissimis regni rebus haberetur, ad consilia sese eius, velut multo potiora, alii accomodarent. Ac, tametsi a natura ita comparatus esset, ut, quid in re quaque facto opus foret, ipse satis iudicaret; nihilominus, in momenti magni rebus, & sententiam senatorum studiose perquirebat, & libenter audiebat. Pietatem magna cura semper coluit; Deum assidue veneratus, *uti sapientiam sibi in administrandis regnis necessariam, largiretur; & consilia quoque sua in salutem subditorum fortunaret.* Quin subinde in colloquio testabatur: *non humana sapientia regna ulla gubernari recte posse, nisi Deus conservare ea vellet: tum & frustra regem esse, quamlibet praesidio humano undecumque instructissimum, ni consilia eius cuncta, & actiones Deus regat.* Atque hanc regis

(a) *Quam indigenas Svecos*) Loccenius ad an. 1513. „ Princeps „ Regiarum virtutum laude conspicuus; nec minus Svecis, quam „ Danis, acceptus fuisset, si regni legum in indigenis potius, „ quam exteris ornandis, & praefectis dominationis impotentibus coercendis observantior fuisset. „ Olaus Verelius, quamvis in nostris insectandis parum Ioanni Magno, & Henningo Gaddio cedens, *pag.* 97. „ Fuit Ioannes ingenii satis moderati, & „ probi. „ Et *pag.* 99. „ Potuisset Ioannes omnes Svecorum „ querelas, & indignationes exarmare, si fidei suae sacramentum, „ & regni leges ratas esse voluisset „.

regis pietatem multis sane Deus donis cumulavit: omnes eius actiones, & consilia prospero successu beans. Insuper, quamdiu ipse regnum tenuit, si principium exceperis, tanta frugum, item rerum aliarum necessariarum omnium copia fuit, ut omnino nil deesset. Quin, Vandalici belli tempore, quum, edicto promulgato, vetitum esset, ne Lubecam commeatum, aut frumentum quisquam ullum deportaret; plurimis id conquerentibus, ni edictum tolleretur, fore, ut frumenti multum, & commeatus omnis generis toto regno inutiliter periret; aeris autem, ac rerum necessariarum plurimarum, quibus tamen minime carere possent, si imposita sibi a rege belli onera ferre debeant, magna porro inopia esset, perbenigne respondere, ac iubere; ut frumentum, & praeterea si venale quid haberent, arcibus suis inferrent: pretiumque apud scribas praesens accepturos esse. Statuerat quidem initio regni, ut nonnulli arbitrantur, paullo gravius clerum premere; non tam sua inclinatione animi, quam instinctu aliorum, quibus ille odio erat: verum, fraude deprehensa, quod non tam utilitatis publicae causa, quam privato suo affectu quidam ipsi id persuasum voluissent, & sententiam mutavit, & humanitate summa porro eum est complexus. Statura erat mediocri, & quadrata; pectore lato, & nonnihil prominente: facie rotunda, ac decentibus item oculis pervenusta: corpore bene compacto, & succulento. Luxum vestium adeo fastidiebat, ut discernere a ministris aulae suae vix interdum quisquam posset: cibo, & potu frugalis, ad exemplum antiquorum. Verum, ubi apparatum, ac splendorem, rege dignum, tempus posceret, nulli quicquam concedebat: idque non ad voluptatem, sed in amicorum gratiam, facere se aliquando praedicabat. Veste aurea talari, & hac cingulo constricta, gladioque, quem antiquitus usitatum Dani chordam adpellare (a) consueverunt, utebatur: adeo morum patriae amans, ut quantumvis multo exquisitiore armorum genere uti posset, tamen, ne quis patriam se aspernari existimaret, patrio, quam peregrino, uti mallet. In conviviis, quum bibisset paullo largius, plane frontem exporrigebat: musicamque, qua delectabatur plurimum, adhibebat. Liberos e Christina coniuge, Saxonis Ernesti filia, tres suscepit (b): mares duos, Christianum, eius nominis secundum, successorem, sed mox regno ob tyrannidem deiectum; & Franciscum, principem egregiae spei, sed in ipso quasi flore Hafniae peste interceptum, anno aetatis decimo quarto: filiamque Elizabetham, Ioachimo, marchioni Brandeburgico elocatam. Quae, religionis causa, quam mutaverat, suasu Christiani fratris, qui subinde regno exsutus eam viseret, quum, deserto matrimonio, in Saxoniam profugisset, a Ioanne Friderico perhumaniter excepta, fratre nihilo per id tempus fortunatior, aliquandiu exulavit (c); donec tandem, post mariti sui mortem, filius eam revocaret: apud quem, dotalibus acceptis bonis, porro placide consenuit, obiitque.

HI-

(a) *Chordam adpellare*] Sic & Suaningius *pag.* Qq 2. *b*. qui rectius scripsisset *Kordam*, cum Danica lingua elementum *Ch* vel *K*, respuat, neque usurpet nisi in nominibus, ex Graeca lingua in nostram quae migrarunt, qualia *Christus*, *Christophorus*, *Christianus*, *Chynire*, & similia. Gladii autem vocabulum in nostra lingua, *Korde*, vel, ut scribi consuevit, *Kaarde*, (nam geminatum *aa* in Danorum pronunciatione edit obscuriorem sonum, inter *a* & *o* medium,) credo ex antiquissimis esse, quae ab ultima usque origine in usu constanti retinuimus, ad natales forte Scythicos referenda. Nam & *Kard* in Hungarico idiomate ensem, vel machaeram significat, unde *Kardos*, gladiator; & *Kord* apud Polonos idem notat.

(b) *Tres suscepit*) Nostrates quidem haud maiorem numerum liberorum Ioannis sciverunt. Tanta etiam ultimis seculis negligentia fuit in talibus scripto consignandis. *Verum quinque* suscepisse externus nos docet scriptor, Georgius Spalatinus, in *Vitis aliquot Elect. Saxon.* (Mencken. *Serr. Germ. Tom. II*) *pag.* 1101. septem adserti laudans, cui fidem omnino adiungi fas est. Verba sunt: („ Christina) desponsata est Iohanni, Danorum, Svecorum, & Norvegiae Regi, quatuorque filios peperit, sicuti Franciscus Dux Brunsvic & Luneb. me per litteras certiorem fecit,) Regem *Christiernum*, qui regnis omnibus deinde a suis popularibus pulsus est, quibus etiam hoc anno 1526. caret; Duces *Ernestum*, *Johannem*, & *Franciscum*, qui omnes praemature obierunt; & filiam *Elisabetham*, Ioachimi I. Senioris, Marchionis Brandenbensis, Electoris coniugem prudentem, honestam, & piam „.

(c) *Aliquandiu exulavit*) Georgius Spalatinus *lib. cit. pag.* 1116. „ Anno 1528. die Iovis post Laetare, Torgaviam ad Electorem Saxoniae vili vehiculo venit pia Princeps *Elisabetha*, Marchionis Ioachimi Brandenburgici Electoris uxor, exilio suo refugium quaesitura. Intravit urbem nocturno tempore ferme sola - - - Cum enim a puritate verbi Divini, cui enixe favebat, nec vi, nec minis mariti averteretur, Ioachimus in locis remotis arctissime illam custodiri decreverat, ut eam ad tenebras Pontificias revocaret; quamobrem insidiis, ac lubricae mariti fidei se amplius credere ausa non est. - - - Iam a viro suo Ioachimo, Marchione, quod sacramentum corporis, ac sanguinis Christi ex Salvatoris voluntate, & instituto sumsisset, aliquot dies fuerat in conclavi quodam detenta. Ex qua custodia mire dicitur effugisse „. Nicolaus Leuthingerus *Commentar. de Marchia Brandenb. lib.* 3. §. 8. „ Quum Ioachimus Brandenburgicus Pontificiae dignitatis studiosor esset, Evangelii doctrinam publice, & privatim domi, & foris ita aversabatur, ut ob eam, vel carissimos extreme odisset, & a priore conversatione exclusos aditu quoque prohiberet. Qua occasione *Elisabetha* coniux, quod se eo nomine apud Principem despectui haberi intelligeret, Lichtenbergum, quod est ad Albim Monasterium, permissione Ioannis Electoris Saxoniae concessit, & meliorem nacta opportunitatem, saepe cum Luthero colloquuta est „. Idem Leuthinger. *lib.* 9. §. 8. „ Anno 1555 d. 11. Iunii *Elisabetha*, Ioachimi I. Electoris coniux, Spandoviae ex hac vita placide migrat, aetatis anno 70. - - - Adflictissima fuerat Princeps, filia Christierni II. eiecti Regis Daniae, Lichtembergi ad Albim in Saxonia propter odium Pontificiae religionis, quo nomine etiam apud Electorem coniugem periculo non caruit, aliquandiu substiterat. Sed a filiis Ioachimo, & Iohanne in patriam reducta, Spandoam doti dicatam concesserat. Dum in humanis egit, mater atque avia a Principibus utriusque sexus septuaginta salutata fuit „. Verum erravit insigniter iste historicus, 1. dum filiam facit Elisabetham hanc Christierni II. quae soror eius fuit; 2. Quod errorem accumulavit in sequentibus, in laudes sese diffundens matris, quam statuit fuisse Elisabetham Austriacam, quae, Christierno coniuge eiecto, regnum sibi oblatum praesenti animo respuit; 3. Quod septuagenos etiamnum superstiti liberos, ac nepotes tribuit, quem numerum, (etiamsi ab aliis ex Leuthingero exscriptum,) vix credam a quoquam demonstrari posse.

HISTORIAE DANICAE

LIBER III.

Qui complectitur Regnum CHRISTIANI II.

CIↃ IↃ XIII.

POst Ioannis patris mortem Christianus, eius nominis secundus, regnum accepit. Qui in ipso statim initio primam illam curam habuit, uti sese contra hostem quemque externum confirmaret. Etenim credebat Svecos, repetita toties rebellione in parentem infideles, neque sibi fidos fore; aut in pace, & obsequio permansuros. Insuper Vandalicarum civitatum, & imprimis Lubecensium plane ambiguam fidem esse: conciliatione nupera partam potius, quam obstrictam. Itaque, quum reges Galliae, Angliae, Scotiae foederatos sibi haberet; Fridericum, & Ioannem, Saxones, avunculos: tum sororium, Ioachimum Brandeburgicum, Maximilianum quoque Imperatorem, & per hunc Austriacam domum universam, matrimonio contrahendo devincere animum induxit. Erat huic ex Philippo filio neptis, Isabella; cuius fratres Carolus, & Ferdinandus, avo postea in Imperio suo ordine successerunt. Eam sibi quum uxorem petiisset, sine negotio, ut mox dicam, impetravit. Atque ita, raro sane summi Dei beneficio, illud consecutus fuit, ut potentia reges Daniae universos, quotquot unquam ante ipsum extitissent, superaret. Daniam, Sveciam, ac Norvegiam a parente suo acceperat; Gallia, Anglia, Scotia, foedere: Hispania, Hungaria, & Bohemia, atque Imperium adeo totum, Belgicumque affinitate obstringebatur. Tria regna possidebat, sex obnoxia sibi habebat foedere, aut matrimonio. Quibus adde cum Germaniam, tum in ea separatim Marchionatum Brandeburgicum, & Saxoniam: adde Belgii dictiones decem, & septem. Tanto tamen de fastigio deturbatus, nec restitui tot potentium amicorum ope quitus, actis misere in exsilio annis novem, septem, ac viginti in carcere, in quo tandem quoque obiit, reges, principesque omnes sat exemplo suo docuit, modum adfectibus imperare; & cavere, ne, praecipites dominandi, in transversum rapiantur. Quippe Deus ita regna ordinavit, ut, obsequii, fideique quantum a subditis reges poscant, tantum quoque aequitatis, & amoris illis debeant; nec minorem sibi quoque rationem iuramenti, quo se illis obligarunt, habendam esse arbitrentur. Tum ostendit, se periura semper quidem severissime vindicare; sed potissimum in iis, quos, ad summum dignitatis gradum evectos, in hac terra quasi deos esse voluit. Dolendum vero maximopere, Christianum, nec recentia morientis patris monita, tam praeclara, animo repraesentasse; nec exemplis tot illius incitatum, sibi etiam in virtutem incumbendum existimasse. Sed nimirum non virtutes, uti regna, ad heredes transmittuntur: ac frequenter usuvenit, ut heorum praestantissimorum filii, a parentum moribus degenerantes, noxae fiant. Sed nunc regnum eius nobis proponamus (a). Quum af-

(a) *Regnum eius nobis proponamus*) In hoc Rege describendo noster unum sibi elegit ducem, auctoremque, eumdem quem in prioribus duobus habuit, Ioannem Svaningium. Eratque haec particula historicorum Svaningii operum, sicut *Christiani I. Vita*, & Regum antiquiorum historiae, adhuc inedita; quae quo postea fato seorsim in Germaniam pervenerit, & Francofurti demum anno 1658. typis subiecta, ac vulgata fuerit, alio loco declaravimus. Vid. *Praefat.* ad Nic. Cragii *Annales Regis Christiani III. pag.* 102. *seq.* Itaque idem, qui in Svaningiana *Christierni II.* descriptione edita defectus, eadem, quae in hac vitia regnant, etiam in Meursiana animadvertuntur. Scilicet multa perquam memoratu digna omissa, alia multo fusius, quam necesse erat, aut res ipsae postulabant, enarrata; ita ut longas interdum paginas minoris momenti acta occupent, dum graviora, & eminentiora vel levius perstringuntur, vel omnino exsulant. Sic, praeter nuptias Regis, nihil in toto biennio a patris morte usque ad medium annum 1515. videmus consignatum; multa interim subpeditante Hvitfeldio, cuius linguam non intellectam fuisse Meursio, aut saltem curam adfuisse aliquos adhibendi, qui potiora inde, ac praesertim in Svaningiano labore desiderata, excerperent, dolendum. Nos, quod nuper in *Ioanne* factum, ut scilicet praecipua praetermissorum summatim lectori indicentur, pariter hic persequemur. *Christianus* scilicet, postquam de obitu patris certiores reddidisset amicos omnes Reges, & Principes, eorumque studium, & benevolentiam expetisset, litteras a Scotiae Rege accepit, queis auxilium, ac socia arma adversus Anglum efflagitata. Verum Rex iuvenis, non minus quam olim Ioannes pater, honesta excusatione petitionem declinavit, sese nondum coronatum, ac praeterea, quid infesti vel Vandalicae urbes, vel Sveci essent moliturii, haud satis certum, praetendens. Notum insuper Pontificem Leonem X. intercessisse, dehortando Christianum, ne Henricum Angliae Regem, aut populos eius lacesseret, perturbaretve, scriptis Roma III. Kalend. Maii 1513. ad Regem nostrum litteris, quae leguntur in Vol. *Epistolarum* Cardin. Bembi, *lib.* 2. *num.* 16. Eodem anno, mense Iulio, frequentes Hafniae adfuere Daniae, Norvegiaeque Senatores, inter quos de adsumendo in Regem Christiano omnia satis convenerunt, capitaque utriusque regni immunitates spectantia, quibus novus Rex subscriberet, consignata; Svecis, qui simul comparuerant, defectum mandati excusantibus, atque poenitere se electionis, quam pridem anno 1499. fecerant, haud obscure indicantibus. Interim eisdem, donec maturiore consilio rem deliberassent, induciae indultae, eaeque sequentibus annis aliquoties prorogatae. Cum Lubecensibus itidem actum, quorum ex petitione pacta, olim Segebergae, Neoburgi, atque Malmogiae annis 1506. 1507. & 1512. constituta, confirmabantur. Denique Holsatis sua privilegia stabilita. Atque haec omnia ad primum regni annum pertinent. In sequenti 1514. nihil commemoratum nostro, sive de Scotica legatione huc missa, quae cladem in Anglia acceptam, funestumque Iacobi Regis interitum nunciavit; sive de Gallica, qua Christianus ad succurrendum Scotiae regno, Rege suo orbato, excitabatur. Vtrisque Rex illa, quae opis suae forent, prolixe promittebat, quamprimum a Senatu, populoque regnorum suorum foret inauguratus; tum legatos se in Scotiam missurum, ut de omnibus propius agi consultarique posset. Adiecitque seorsim ad Albaniae Ducem litteras, queis, ut Regem Scotorum, annis minorem, sibi tuendum assumeret, tanquam sanguini illi proximus, multum obtestabatur. Neque aliquid Meursius de coronatione habet, quae Haf-

CIƆ IƆ XIII. affinitatem Austriacam maximum fortunae suae munimentum, uti erat, reputaret; atque eam toto animo agitaret, quo facilius obtineret, id curandum sibi inprimis ratus fuit, ut, electus pridem princeps, etiam rex crearetur. Neque sane conquievit, ante quam id anno insequente fieret, exeunte mense Maio, coram cunctis regni ordinibus, & legatis vicinarum civitatum. CIƆ IƆ XIV. Rex creatus, statim habitu peregrino, & exiguo comitatu Belgium petit (a). & in eo Margaretam, tunc provincias pro nepote suo Carolo gubernantem, mox adloquitur; quam, quod antea de hac sua voluntate missis literis certiorem reddidisset, non difficilem est expertus. Atque illa quum ad Carolum fratrem amatae Isabellae, postea quintum eius nominis Imperatorem, viam ei praeparasset, ex Hollandia in Brabantiam iter capit, quo tunc Carolus vix e Flandria se receperat. Vbi simul ac Bruxellas, urbem ditionis principem, in qua aula advenisset, & adventus sui causam Carolo exposuisset, voto facile potitur, & in Daniam regreditur, atque ibi, quae ad nuptias necessaria, magno studio cuncta parat. CIƆ IƆ XV. Inter ista, ineunte anno proximo III. Idus Ianuarii (b), ortus ingens terraemotus Daniam totam quam gravissime concussit. Mox tempestas insequuta ad diem IV. Id. Martii (c), adeo vehemens, ut pinnaculum summi templi Hafniensis in terram deiiceretur, arboresque, aedificia, & in proximo mari naves, maxime adfligerentur; tum & hominum, pecudumque magna strages ederetur. Rex, qui nuptias agitabat, ad arcessendam sponsam suam miserat Magnum Goiaeum (d), equitum regni tribunum (e); & Ericum, Nidrosiensem in Norvegia Archiepiscopum, ac Magnates item alios. Qui quum domum iam redirent (f), ineunte mense Augusto, tanta iterum tempestas classem regiam infestavit, ut vix tamdem portum ad Huidoram adtingeret, uno ab Hafnia milliari. Quam ob rem gavisus maximopere rex Christianus, quum nobilitatem regni iam tum Hafniam evocasset, illico legit, qui advenienti sponsae honoris ergo obviam irent. Erant viri, feminaeque; illi equis, hae carpentis vehebantur, universi splendidissimo adparatu, qui diei tam illustri conveniret. Initio serenum valde caelum erat, & laetitiam adiuvare videbatur; sed mox nubes condensatae obduxere; &, in pluviam vehementem dissolutae, publicam hilaritatem corruperunt; idque factum nono Augusti. Duodecimo Isabella in maiore urbis templo coronatur, & regina ab ordinibus universis salutatur, nuptiaeque peraguntur; inter quas relatu illud non indignum, & futuri omen quoddam, memoratur. Multi principes, ut in talibus fieri amat, huc convenerant; & in illis Fridericus dux Slesvici, ac Holsatiae, Christiani sponsi patruus, & mox etiam successor. Is abduxerat inter reliquum comitatum Reffentlovium (g), virum

Hafniae peracta *die* 29. *Maii*, per Birgerum Archiepiscopum, praesentibus non tantum regni Ordinibus, sed & Saxonicis, Brandenburgicis aliisque legatis, Rege tunc 33. annum agente: atque eodem anno in Norvegia. Vbi dum Rex haeret, insignem legationem in Scotiam destinat; aliamque ad Ludovicum Regem Franciae, quem ad remittendum in Scotiam Duce Aleaniae, quo gliscentibus in eo regno dissidiorum malis obviam iretur, permovere studuit. Anno 1515 eodem, quo nuptiae celebratae, Rex in Angliam legatos mittit, de multis iniuriis, detrimentis, ac depraedationibus, quas non solum contra pacta, inter Anglos, & Danos inita, sed & contra omnia humanitatis iura illi nostris, saepius medio mari, nec non in Islandia intulissent, conquesturos; simul & varias, pro mercatoribus Danicis, qui in Anglia negotiarentur, immunitates, & privilegia petituros. Successus querimoniae, & petitionis is fuit, ut post aliquod tempus disceptando extractum, foedus illud, & pactum, quod Ioannes quondam & Henricus VII. inter se fecerant, nunc novis litteris corroboraretur. Eodem fere tempore cum Magno Russorum Principe Basilio foedus renovatum, conventumque de auxiliis, quae contra hostes sibi invicem sufficerent, nec non de commerciorum inter utramque gentem libertate. Equidem multum solicitus fuit de commerciis civium suorum augendis Christianus; sed & aerario suo, ac sumtibus, qui ad bella necessarii forent, prospiciens, vectigalia non parum auxit, atque etiam mercibus, quae intra regnum distraherentur, imposuit. Quod aegre inprimis ferebant Lubecenses, quasi immunitatibus, queis in Dania fruebantur, contrarium; ideoque per Oratores semel, ac iterum ad Regem missos, haud leviter se gravari novo isto vectigali querebantur. Istis a Rege responsum, nullam querimoniae causam esse, cum ipsi indigenae idem contribuant, neque impositio ultra biennium duratura sit. Sic & sequenti anno 1516. Rex a Russorum Principe impetrabat, ut intra ditiones eius Danis concessum foret, societatem instituere Neogardiae, & Ivanogardiae, qui mercimoniorum omne genus libere emerent, venderentque, etiam cum libertate templum exstruendi, sacerdotemque nostro ritu sacra peracturum alendi. Ex hoc ergo quatuor annorum specimine puto manifestum esse, Meursio ad Historiam huius Regis meliorem optandum fuisse ducem, quam Svaningium.

(a) *Belgium petit*) „ Huius itineris non meminit Hvitfeldius. „ *Frider. Gunther*. Ita est; atque hinc etiam dubitavit de veritate eius Pontanus in *Histor. MS*. Mihi tamen de hoc videtur non omnem fidem abiudicandam esse Io. Svaningio, qui, praeterquam quod in pueritia Hafniae educatus, (tunc quum regnum Christianus II. auspicaretur, fere decennis,) postmodum multa eiusmodi ab avunculo suo M. Ioanni Andreae Episcopi Otheniensis Cancellario, nec non aliis percipere potuit, varia de hoc itinere commemorat, ipsasque aedes Amstelodamenses, in quibus tunc Rex hospitabatur, designat. Vid. eius *Vita Christiani II.* edit. Francof. in 12. *pagg*. 68. 71. Interim hoc certum, fuisse matrimonium illud cum nepte Maximiliani Caesaris primum a Friderico Saxoniae Electore, avunculo Christiani propositum, atque deinde legatione ad Caesarem, eiusque filiam Margaretam, virginis amitam, & Carolum fratrem, missa, conclusum. Legationem obierunt Godeschalcus Ahlefeldius Episcopus Slesvicensis, Magnus Goyaeus, & Albertus Ravensberger, (alias Albertus Iacobi filius, sive *Iepson* dictus.) Hi Maximilianum Libnitii accesserunt, ac deinde Margaretam, cuius aula Bruxellis erat. Atque in hac urbe, Regia Virgo Isabella Magno Goyaeo, personam Regis gerenti, benedictione ab Episcopo Croyensi pronunciata, in manus tradita.

(b) III *Id. Ianuar.*] „ Hvitfeld. festo trium Regum, hoc est, „ VIII. Id. Ianuar. „ *Frid. Gunther.*

(c) IV. *Id. Mart.*) „ Hvitf. XI. Martii „ *Fr. Gunth.*

(d) *Magnum Goyaeum*) Fuerat quidem in priore legatione *Magnus Goyaeus*. In hac autem, qua sponsa in Daniam deducebatur, alter, & quidem eius frater, *Henricus Goyaeus*. Ceteri, praeter hunc Henricum, atque Ericum Valchendorphium Archiepiscopum Nidrosiensem, (qui primus erat,) Nicolaus Henrici fil. Guldesternius, & Henricus Bildius.

(e) *Equitum regni Tribunum*) Monui superius plusquam semel, de hac adpellatione; nempe scriptorem, quo Meursius usus est, ut & plures eiusdem aevi alios, per *Marescalcum regni* intelligere primum illum Senatorum (ut vocabant) secularium, qui Danice *Rigs Hofmester*, h. e. *Curiae* (seu Curiarum) *regni Magister*, dicebatur. Meursius autem, quoties in Svaningii scriptis adpellationem illam deprehendit, toties accepit pro *Rigens Marsk*, h. e. *regni Archistratego*, adeoque *Equitum regni tribunum* reddidit. Verum hoc posterius officium Magnus Goyaeus haud umquam gessit.

(f) *Qui quum domum iam redirent*] In isto reditu, praeter octo Danicas naves, hinc emissas, Belgicae aliquot erant, tresque in eis Ziricseenses; quibus omnibus praeerat Philippus Burgundus, Philippi Boni nothus, (tunc quidem Zelandiae Amiralius, postea Episcopus, & Princeps Traiectensis,) testante hoc in eiusdem *Philippi Vita* Gerardo Noviomago, vid. Ant. Matthaei *Analector. Tom. I. nov. edit. p.* 155.

(g) *Reffentlovium*) Scribatur, *Reventlovium*. *Virum genere non obscuro* vocat Meursius, quum esset omnino pernobili, & antiquissimo, exque inferioris Saxoniae, & Holsatiae familiis primariis. Mira de eius peritia Astrologiae, & divinandi arte referuntur, scil. praedixisse non tantum Friderico I. regnum, sed & filio eius Christiano III. nec non Andreae de Barbii Epi-

virum genere non obscuro, ac peritum iuris, & astrologiae. Hic, quum forte cum nobilitate cetera compotaret, & dux illac transiturus adveniret, verso ad Danos sermone, qui intererant, *Surgite*, ait, *& futuro regi vestro obviam ite*. Illi dictum, tamquam hominis temulenti, magno risu excepere; sed eventus, velut a vaticinante id prolatum, mox ostendit; quum, deiecto Christiano, advocatus a senatu Fridericus, regnum accepit. Postquam celebratae nuptiae, ut regina Isabella, neque morum, neque linguae in terra peregrina gnara, alios quoque gentis suae, praeter comitatum haberet; quorum ipsa ministerio, operaque uti posset; literas ad Margaretam amitam in Belgium dedit Christianus, quibus peteret homines idoneos sibi ad colendos hortos mitti, quo culinam instructiorem, & palato novae nuptae magis commodam porro haberet. Quos quum illa submisisset, rex Amagriam insulam, vicinam Hafniae, iis habitandam dedit, & nunc quoque illorum posteri pagum in ea, vulgo Hollandorum dictum, totum occupant. Qua re quum maiorem in modum non dumtaxat arci suae, sed & urbi necessaria procurasset; ut de toto etiam regno bene porro mereretur, emporium Hafniae celeberrimum instituere animum induxit. Cuius rei quum permultae, & hae graves, illi rationes essent, hac potissimum movebatur. Incolarum adsidua querela erat: *merces sibi ad emporia peregrina, cum non levi saepe damno, devehendas; quo quum etiam Deo iter fortunante, sat feliciter pervenissent, non licere pretium rebus suo arbitrio constituere; verum potestatem illam vendicare Magistratus, aut commerciorum praesides. Qui quum fere mercaturam ipsi exerceant, pro libidine dominentur; &, invitis rerum dominis, eas aestiment. Vnde accidat saepenumero, ut, quae vitae, merciumque cum discrimine, & impensa non exigua exportassent, foris vilius, quam domi, venum dare compellantur. Praeter ista, nec expositas semel merces, si quandoque infra pretium censeantur, rursum exportari posse, ut maiore domini emolumento alibi eae distrahantur, sed in civium tabulata, magno semper conducenda in aliud tempus, dum interea pretium crescat, deportari oportere*. Accedebat, *quod frumenti, ac butyri, pisciumque, & aliarum item rerum tanta regno copia exportaretur, ut non solum summa earum caritas esset, sed tenuiores quoque regni incolae fame interdum graviter adfligerentur*. His incommodis, aliisque ut occurreret Christianus, consilium de constituendo emporio capit. Quam ob rem quum postea exulem inter cetera Lubecenses apud Carolum V. Caesarem, aliosque Imperii principes adcusarent, nihil aliud respondit, quam, *se sic existimasse, licuisse sibi commoda subditorum promovere, quamquam nulla eius facti a Lubecensibus impetrata prius venia, nec iudicium Imperatoris, aut Imperii ceterorum item principum detrectare*. Itaque propositum urget; &, edicto promulgato, *regni universi incolas res venales qualescumque Hafniam deferre iubet. Qui non pareat, alioque se recipiat, eum bonis venum adlatis, capiteque luiturum. Se emporio viros quosdam praefecturum, ac depositurum esse aureorum aliquot centena millia; tum ex cunctis regni sui civitatibus locupletiores quosque mercatores translaturum, & iisdem privilegia concessurum, neque omissurum quidquam, quod in rem commerciorum umquam fore videretur*. Sed hoc eius institutum, uti subditis admodum acceptum fuit, sic Vandalicas civitates, quarum illud summum detrimentum erat, vehementer perturbavit. Itaque, quanta possunt cura, illud agunt, ut, si minime dimovere a proposito regem possint, saltem, ne effectum daret, quavis ratione impediant. Nec res ea illum latuit, sed potentia sua fretus, insuper conatum habuit. Inter haec legatus a Leone X. summo Romae tunc Pontifice venit, Angelus Arcemboldus, populo venales (a) indulgentias ferens. Qui quum mox in Sveciam quoque cogitaret, Christianus hominem seorsum vocans, rogat, ut Stenonis sibi Sveciae gubernatoris, quam nunc petat, animum conciliaret; ac de iure regni litem inter se, & ipsum obortam ut componeret. Tum declarat, quos amicos illic habeat; quorum opera, aut consilio, tuto satis uti possit, orat vero, ne hos prodat. Pollicetur Arcemboldus curam omnem, & silentium,

Episcopo Lubecensi dignitatem, & mortis genus, cuius fidem fecisse exemplar *Schematis* ipsius MS. in Bibliotheca Rantzoviana, ait Io. Wolfius *Lection. Memorab. Centen.* XVI. *p.* 517. Plura de eo habet Vir doctiss. Io. Mollerus Flensburg. *Isagog. ad Histor. Cimbr. P. I. c.* 14. *pag.* 239. *seq.* ubi & docet male hunc Ditlevum Reventlovium confundi ab Hvitfeldio, & aliis cum altero συγχρόνῳ, & ὁμωνύμῳ Friderici I. Cancellario, ac postea Episcopo Lubecensi.

(a) *Arcemboldus, populo venales*) Vix credo, (nam & nusquam reperitur,) venisse in Daniam ante ann. 1516. Sed hoc anno certe adfuisse, multa loquuntur monumenta; etsi *Chronicon Skibyense* ad ann. 1517. reiiciat. Verba auctoris illius, Romano alioquin cultui addictissimi, satis de Arcemboldo memorabilia. En illa: „ Anno Dn. 1517. missus est in Daniam a Leone X. Pontifice Maximo D. *Angelus Arcimboldus*, „ qui nimio pietatis suae, ac commissionis abusu, dedit occasionem ipsi Lutheranismo, nunc per Germaniam grassanti, „ aliasque finitimas regiones. Olim veniebant legationes ex urbe „ Roma, quae plurimum habebant aedificationis fructus ac utilitatis, aut ad pietatem promovendam, Christianaeque religionis sacramenta propaganda, aut etiam ad fidei dogmata „ confirmanda, haeresesque exstirpandas; verum haec cum paucis superioribus, inversis rerum vicibus, adeo fuit scandalosa, ut omnem pietatem, ac religionem mera licentia extinxerit, eo quod inciderat in Commissarios luxu, fastu, ambitione, libidine, voluptate, aliisque innumeris vitiis perditissimos, quorum culpa factum est, ut sancta illa Romana „ Ecclesia, totius orbis magistra, olim sanctissimis viris eximia, nunc male audiat per multas orbis nationes, voceturque infamis Babylonia, quae olim habita est Christianae religionis praecipua mater, rectrix, & gubernatrix. „ Ceterum quod ad virum istum spectat, *Ioannem Angelum* dictum, patria Mediolanensem, ex gente fuit *magna per Ecclesiasticos annales claritudine, quae multa pacis decora priore aevo tulit*, ut inquit Ripamontius *Histor. Eccles. Mediol. Part.* 2. Pater ipsi *Aloysius Arcemboldus*, Senator Mediolanensis, patruus eiusdem urbis Archiepiscopus. Romae a Leone PP. X. factus Referendarius Apostolicus, paulo post ab eodem in Germaniam, & regna Septentrionis ad colligendas eleemosynas pro fabrica Basilicae S. Petri ablegatur. In Italiam reversus, Episcopatum Novariensem ann. 1525. obtinuit, cum Senatoria potestate, quum prius (ann. 1522.) a Francisco Sfortia missus fuisset in Hispaniam, ut Adriano VI. Pontificatum gratularetur. Demum anno 1550. Archiepiscopus Mediolanensis renunciatur, ubi anno 1555. vitam finivit. Vid. Vghelli *Ital. Sacr. Tom.* 4. *pagg.* 392. & 991. Oldovin. in *Vitis Pontif. Rom. Tom.* 3. *pag.* 53. Laurent. Scrader. *Monument. Ital. lib.* 4. *pag.* 362. *b. M.* Anton. Maioragii *Orat.* I. &c.

CIƆ IƆ XV. sed non praestat. Nam in Sveciam quum venisset ad colloquium Stenonis, verba ei Christiani cuncta refert; simul & amicos edit, quorum nomina occultari serio ille postulaverat. Qua futilitate hominis (a), ita frigidam suffundentis, quum pararium amicitiae se futurum promisisset, multa post id tempus mala regno utrique evenere. Quippe Steno, qui amicis tot subnixum Christianum aegre ferret, in primarium regni antistitem, Gustavum Trollium, aliosque arcana amicitia iunctos, odium sumens, quiescendum non putavit, antequam eos aut e Svecia removeret, aut everteret. Resque haec Stenonem inde, & Gustavum, ac magnates regni alios, qui in regem Christianum propendebant, sane graviter commisit. CIƆ IƆ XVI. Insequenti vero anno Ioannes Foburgius, scriba regius primarius peculatus, criminumque item aliorum reus, accusante Torberno Oxio, arcis Hafniensis praeside, laqueo punitus fuit. Hic, quum regi aliquamdiu operam suam, & industriam adprobasset, ita se in gratiam insinuavit, ut rex quidvis postulanti largiretur. Et, quemadmodum evenire fere solet, ut, fortuna quos ex humili, obscuroque loco eductos in excelso collocavit, ii vix consistere possint, animoque efferantur, ut ruina graviore mox praecipites deturbentur; ita ille, insolens felicitate se efferre, ceteros autem, cuiuscumque demum ordinis, atque loci adspernari; insuper nonnullis etiam insultare. In his & Torberno Oxio, arcis, ut iam dixi, praesidi, viro inter primos regni, quem familiaritatis indecorae cum Columbula (b), Christiani concubina usurpatae adcusatum, in suspicionem primo, & malam Christiani gratiam, dein exitium quoque abduxit. Ipse tamen, vindicante improbitatem eius Deo, Oxio, quem apud regem adcusaverat, regis iussu procurante, morte ignominiosa prior periit. Etenim benignum semper in se regem quum videret, & adnuere quibuscumque postulatis, ipsa eius liberalitate accensus, nova indies poscebat. Qua re illud tamdem effecit, ut taedere inexplebilis avaritiae illum ceperit. Inter ista, quum Canonicus Roschildensis moreretur, atque ille beneficium hoc concedi sibi

(a) *Qua futilitate hominis*) Varias substinuit molestias, neque uno apud nos incommodorum genere adfectus fuit Arcemboldus, sed quae sua sibi culpa adtraxit cuncta. Venerat huc scilicet homo Italus, opinione ac spe illa inflatus, nihil facilius fore, tanta non solum auctoritate instructo, sed & calliditate valenti, quam simplicia Septentrionalium ingenia pro lubitu ductare. Et prima satis ex voto audspicia se dedere. Etenim statim ab adventu, usque eo blanditiis suis Regem cepit, ut is plenam facultatem, indulgentias per regnum, ditionesque suas universas vendendi, concederet, pactus sibi dumtaxat summam mille centum, ac viginti aureorum Rhenensium; quae summa nimis modica, imo exigua poterat aestimari. Verum, (quod nescio an tunc alter animadverteret,) non adeo curae erat Regi argentum, atque illa opera, quam in Svecorum ipsi animis conciliandis Legatus Apostolicus pollicebatur. Ceterum hic in Sveciam vix delatus erat, quum corrumpi se Stenonis Sturaei muneribus passus est, fidem Christiano datam fefellit, detectisque vecordi quadam levitate amicorum Regis nominibus, & aliis, ad quae occultanda sese obstrinxerat, arcanis, exemplum minime apti ad gravia negotia hominis hic reliquit, tantum abest, ut conceptam de ingenio, & calliditate gentis suae opinionem confirmarit. Hinc Svecis aeque, ac Danis ludibrio fuit proditor. Illi, quum inter alia proditionis praemia Archiepiscopatum homini Vpsalensem promisissent (huic enim inhiabat, non quidem, ut in Svecia sedem figeret, sed ut insulam alii venderet, aut, Vicario ibi constituto, reditibus frueretur,) deposito Gustavo Trollio, alium suae nationis Archiepiscopum, Matthiam Strengenensem, elegerunt, non exspectata promissionis Arcemboldo factae, de qua is Romam litteras a Pontificem miserat, confirmatione. Rex autem Christianus, perfidia viri cognita, quodque non tantum secreta sua revelasset, sed & omni opera firmandis Stenonis rebus navata, in exauctorationem Gustavi Trollii, primi amicorum Regis, consensisset, decrevit par pari referre, pactionisque de 1120. florenis factae nullam amplius rationem habere. Itaque fratri eius Antonello Arcemboldo, ex Svecia cum collectis thesauris redeunti, manus iniicit, opibusque spoliatum, in carcerem compingit. Angelus ipse subsequens, quum in Scaniam pervenisset, apud Archiepiscopum Lundensem detinetur. Vbi Reginae litteris de consilio Regis admonitus, nempe cui constitutum erat omnium in Svecia actorum ab ipso rationem poscere, evasit e custodia, & Calmarniam profugit, indeque Lubecam solvit, relictis ad Regem, Reginamque scriptis litteris, quibus innocentia sua exposita, fugam excusavit, fratrisque, & thesaurorum suorum relaxationem petiit. Fratrem tamdem libertati restitutum vidit, sed mercium sive in Svecia, sive apud nos collectarum, quantum earum intercipi a ministris Regis potuit, nihil aut parum recuperavit. Maioragius caedi a Rege destinatum Legatum ipsum Ioannem Angelum fuisse dicit, parum verisimiliter; quemadmodum neque is Orator multum fidei meretur in caussis odii Regis in Arcemboldum: *Derepente*, inquit, *eum invadit, & necandum, trucidandumque satellitibus suis denotat. Neque hoc alia de caussa, nisi quia nefariis eius facinoribus, & impiis cogitationibus hic modeste, mansueteque resistebat, & ad Christiane vivendum humaniter invitabat*. Rectiora utique edoctus fuit festivus auctor Satyrae, quae eodem anno (1519.) in Germania typis publicata fuit, sicque inscripta: *Philalethis civis Vtopiensis Dialogus de facultatibus Rhomanensium nuper publicatis*; atque cum aliis similibus a Goldasto recusa est in *Politicis Imperialibus*, *pagg.* 1069. & 1080. Is nempe *Legatum Rhomanensem* (non alium certe, quam Arcemboldum) inducit, sic conquerentem, *pag.* 1073. „ Nimiae curae, nimiaque „ solicitudo non sinunt me nec noctu conquiescere, nec inter„ diu. Adeo, praeter nauseam, quam ex Dania contraxi, & „ ille bolus extractus faucibus male me cruciat, ita ferente „ mala fortuna Elapsus enim Archiepiscopatus, quem in meis „ manibus pulcre excogitato ad id modo, prope habui: amissa „ deinde (id quod minus curae tamen, quando illinc re„ sarciri potuisset quidquid hic perditum erat: & quia non „ tam mihi, quam Pontifici periit,) ingens pecunia, quam „ ad structuram felicis alioqui mihi Divi Petri Basilicae, dili„ gentissime a Danis, Svecisque ad viginti millia ducatorum „ collegeram, me vix fuga elabente. Quae adeo contra ius „ gentium adversum me Rex ille barbarus molitus est, quum „ primum tamen advenientem humanissime exceperit, *Angelum* „ *pacis* adfirmans esse me; ut qui nullam venissem illuc aliam „ ob caussam, quam ut pace utcumque inter barbaros compo„ sita, omnia tranquillissima redderem, quo nomine satis pro„ spere venerunt apud Danos, homines & simplices, & reli„ gioni addictos admodum, indulgentiae meae, ac reliquae, „ quas habui, facultates. Quin & Rex ipse quoque digna, & „ se, & Pontifice Max. hospitalia elargitus est munera; qua „ benevolentia, comitateque illectus ego, in Sveciam abiens, „ fratrem, quem habui mecum, Mediolanensem civem, uni„ ce charum mihi, eius fidei commissi. Rediens deinde ex „ Svetia, quoad componendam, bello posito, seu aequis, seu „ iniquis conditionibus pacem inter utramque gentem, iungen„ daque foedera, abieram, mutatum erga me eius intellexi „ animum, hostilemque induisse. Quod quum mihi suboluis„ set, alio itinere barbarica gaza, ut aveheretur, curavi, ad „ aliud me ipsum commissi: Ego evasi incolumis, opes in„ terceptae, frater in carcerem contrusus est. Redditur postea „ mihi exemplum Regis ad Pontificem adcusatoriarum littera„ rum, quibus plurimis me urget sceleribus, nominans subinde „ non Angelum pacis, & Romanum, Apostolicumque Lega„ tum, sed concitatorem tumultuum, & proditorem pessi„ mum, ut qui Archiepiscopum Vpsalensem, virum alioqui „ praestantissimum, quod sibi faveret, per hostem suum acer„ rimum contra ius, faxque ad resignandum Archiepiscopatum, „ & invitum, & captivum compulerim: *superque Archiepisco*„ *patu septingentos ducatos pro pensione annua pactus mihi fue*„ *rim*. Et quo ea fraus occulta maneret, tectaque esset tum „ ambitio, tum avaritia, haec omnia ipsum sua sponte Sve„ tiae Tyrannum, ac motu (ut aiunt) egisse proprio, me „ & ignorante, & nolente, confinxerim; quique ab eodem suo „ hoste in expeditionem (ut vocant) bullarum tria millia du„ catorum, & in argento informi, & cupro accesserim, quo „ eum, rebellesque Svetiae populos adversus Regem verum, & „ legitimum regni principem Romae defenderem, atque ex „ Cardinalium numero, quem vellem in Svetiae protectorem, „ atque patronum ad me cooptarem &c. „ Vid. & Messenius *Chronol. Scond. Tom. IV. pag.* 81. & *Chron. Episcopor. Svec. pag.* 122. *seqq.* Chytrae *Chron. Saxon. lib.* 8. *pag.* 239.

(b) *Columbula*) Foemella erat natione Batava, cui nomen *Duvicke*: Et hoc latine sonat *Columbulam*.

CIƆ IƆ XVI.

sibi peteret, adnuit rex, ut solebat; & Roschildiam, quo tendebat, porro in Cimbriam profecturus, sequi iubet; ibi isthoc, quod petebat, accepturum. Inter viam rex cupiditatem eius inexplebilem secum reputans, aversari hominem cepit; tum & odio habere, quod & ipse cum Columbula clam consuescere diceretur; denique, hac re potissimum animum exasperante, etiam e medio sublatum cupere. Nam, ut facile quem amabat Christianus, & amatum ad honores evehebat; ita offensa, quamvis parva, irritatus, facile deiiciebat, in amore, odioque iuxta levis. Itaque Roschildiam quum advenisset, scribit Oxio, *ut inquireret in Foburgii, simulatque rediisset rationes, & in eum, si fortasse non constarent, iure ageret;* literasque has Foburgio ipsi deferendas tradit. Qui quum illas tradidisset, illico Torbernus eum rationes exhibere suas iubet; ac, quum perturbatae essent, primo carceri addicit, inde in crucem etiam rapit. Eius rei postquam fama dimanavit, multi collaudare poenam, velut dignam fastu hominis, non ulterius tolerando; multi vero, ceu praeproperam, ac praecipitatam odio sugillare. Sed hic rumor, Hafniam reverso rege conquievit; donec postea, cum Columbula repenti na admodum morte decessisset, iterum excitari cepit. Ea mulier natione Hollanda erat; ac, parente suo orba, in Norvegiam, & emporium eius Bergam, pridem venerat, una cum Sigbritta matre, quae annona ibi multo viliore huc concesserat, ut facilius tolerare vitam posset. Vbi quum fixisset sedem, & bellariis aliisque istiusmodi divendendis aliquamdiu aegre se substinuisset, imprudenti commendatione Erici Walckendorfii, cancellarii, quamquam postea poenitentis, & mutare cupientis, adamata a Christiano, tunc Norvegiam nomine Ioannis patris gubernante, & in lectum est abducta. Quo quum postea nihilominus, quamquam ducta in uxorem Isabella, tam illustris loci femina, potiretur; idque ad ipsius regis ac reginae, & totius adeo regni ignominiam pertinere censeretur; sua morte, an veneno, e medio sublata fuit. Ea res, ut dicere ceperam, consopitos iam sermones, qui de poena scribae vulgo paullo ante ferebantur, denuo resuscitavit. Quippe passim innotuerat, constitutum a senatu, ut amoliretur probrum, regis illam consuetudine in futurum submovere. Nec ferendum enim esse, uti femina peregrina, quaeque inops ex Hollandia, victus quaeritandi causa, in Norvagiam advenisset, Isabellae, e familia tota Europa illustrissima oriundae, forma quoque, & virtutibus excellenti, aequaretur; si non etiam praeferretur. Inter haec Torbernus Oxius apud regem in suspicionem venit, ceu venenum procurasset; quod Columbula, quum accepta eius dono cerasa quaedam praematura comedisset, paullo post exstincta esset. Atque ita vulgo sane credebatur. Cuius facti postquam sese excusasset, Christianus alio die, quo matronas, virginesque e nobilitate plurimas invitaverat, procedente inter pocula, choreasque hilaritate, se convertens ad Torbernum, ficta humanitate quaerit: *ecquid, ut detulerat scriba iam suspensus, cum Columbula consuetudinem adfectasset? fateretur sine verborum involucro, aut ambagibus veritatem, quam cur adeo in hoc casu scire cuperet, multas sibi causas esse.* Aderant multi e primatibus regni viris, qui Torbernum nutu, ac signis admonere, *ut perpenderet accurate, quidnam regi, iram callide per blanditias occultanti, responderet.* Ille, seu non animadverteret, animi simplicitate, seu conscientiae fiducia, neque offensum a se regem ullo modo arbitratus, rei innoxius, candide inclinationem mentis suae profitetur; & *optasse quidem eius aliquando copiam sibi dari posse, verum numquam adtigisse.* Quod responsum alte adeo regis animum penetravit, ut & mox sermonem abrumperet, atque vultum immutaret. Hoc, qui aderant postquam animadvertissent; quidam eorum, qui Torberno hanc ingenuam libertatem exitio futuram esse praevideret, insusurrat illi in aurem: *ista adeo inconsiderata verba non te ego protulisse, verum malum quemdam genium vitae tuae insidiantem plane puto. Multo rectius tacuisses; idque amici tui omnes optaremus.* Rex, dimisso post sermonem hunc Torberno, plenus indignationis, recipit se in conclave, & extrema quaeque agitat. Hinc palatii praefectum, Magnum Goiaeum adprehendere eum iubet, & in carcerem abducere. Quo peracto, nil cunctatus, causam ad senatum defert. Quumque is pronuntiaret: *noxam sibi non videri, neque ullam cogitationi poenam legibus statutam esse;* multo gravius excandescens, *quod si,* inquit, *in senatu tot amicos habuissem, quot Torbernus consanguineos, aliter pronuntiatum sine dubio fuisset; verum, quando illic mihi ius negatum, alibi experiendum est.* Postquam itaque Solberga, Hafniae vicino pago, rusticos aliquot evocasset, proiectis ante arcis portam quatuor in terram lanceis, ad quadrangularem formam (a), hanc intrare per praefectum illos iubet, & sententiam in Torbernum, antequam discedant, ferre. Qui severitate regis pavefacti, postquam crimen ex praecone accepissent: *nos quidem Torbernum,* aiunt, *nullo modo iudicamus, sed operibus ipse suis condemnatur.* Qua sententia sic prolata, de supplicio ipse secum protinus deliberare. Idque, ut amicis gnarum, convenire etiam ipsi; ac, quid facto opus esset, inter sese consultare; placuitque, uti supplices intercederent, quotquot in utroque sexu toto regno dignitate, gratiaque antecellerent. Itaque in unum omnes coiere; viri, feminae, summae regno universo dignitatis, ac prosapiae; senatores, & qui extra eum ordinem generis praerogativa, gratia, auctoritate eminentes, aliquid apud regem possent. Inter

(a) *Ad quadrangularem formam*] Scilicet, ut Forum adsimilarent, aut *Placiti*, ut loquebantur, locum, in quo solebat iudex plebeius, cum collegis, seu adsessoribus suis, scamnis quatuor, aut trabibus, in quadrangularem formam dispositis, insidere, atque intra ea scamna vocare modo litigantes, modo alios, qui aliquid publice profitendi causa forum obibant.

CIↃ IↃ XVI.

ter viros, primus erat Arcemboldus, Pontificius legatus, tunc e Svecia reversus (a), cuius maxime rationem, propter cultum, & observantiam debitam Romanae Sedi, ac Pontifici, cuius ille tum personam sustinebat, habiturus putabatur; feminis regina ipsa Isabella, cuius gratiae nihil esse negaturus videretur, ducem ultro se praebebat. Omnes eunt, preces suas coniuncturi, & ad pedes Christiani se prosternunt, supplicantque, ut Torberno gratiam delicti faciat, quod imprudens admisisset. Addunt feminae, pro infirmitate sexus, lacrymas, & eiulatus. Sed immitis animi regem, odiique pertinacem, nihil preces, lacrymaeve, tot illustrium aut virorum, aut mulierum, commovere; nihil gratia provolutae ante pedes Isabellae, nil legati pontificii reverentia, valuere. Moriendum erat misero, nec placari ira regis, nisi eius morte, poterat. Itaque optatae tantum voluptatis, nec perceptae, inprudentem nimium confessionem capite luit. Certe minime Torberni factum excusari potest; qui, Foburgio iratus, quod se pridem apud regem clandestinae cum Columbula consuetudinis detulisset, odium suum iuris specie vindicaverat; tum Columbulam quoque ipsam veneno sustulerat. Ac, probatio quamquam deerat, tamen facinus evidenter adparebat. Itaque Deus, iustus semper rerum humanarum iudex, & quem nil omnino latet, efferavit mentem regis, ut invaderet innocentem, & iudicium suum quamvis inscius exsequeretur, poena ea extra culpam summa cum iniquitate infligenda. Sed divinae providentiae usitatum, ut in hominum iniustitia suum saepe ius exerceat, & honorem in opprobrio alieno tueatur. Ea res, ut solent homines, prima causa praeterhabita, in secundam intueri, movit vehementer omnes, & inprimis regni proceres; qui, abruptum hunc rigorem indignati, etiam sibi, vel levissimam ob offensam, extrema quaeque metuenda deinceps esse existimabant. Ergo odia concipiunt, quae deinde, ipso etiam magis illa provocante, tamdem in exitium eius erupere. Haec quum quidam indicassent, metuens seditionem, operam putavit dandum, ut conatum in principio coerceret; &, innoxium quem censebant, iure interfectum ostenderet. Quod dum agitat, forte, qui in muro arcis Hafniensis excubabant, eminus supra subspensi ante annum scribae caput clarum lumen conspicantur, quod postridie postquam illi divulgassent, mox ad regis aures venit. Isque statim vigiles ad se vocatos rogat, an, quae visa ipsis narrarentur, vera essent; atque illis adfirmantibus mandat, si id nocte proxima rursum videant, evestigio ad se nuntient, ut & ipse conspicetur. Observabant, quanta possent diligentia; quumque iterum lumen solitum adpareret, regi, uti iussi, referunt. Ille surgit, adspicitque; & adspectum in honorem scribae vertit; atque sic interpretatur, ceu Torbernus innocentem suo odio in supplicium rapuisset. Itaque, ut se immunem huius culpae testaretur, e patibulo deductum, honorifice, ac solenni comitatu introduci in urbem iubet, & in area summi templi sepeliri. Qua re, in invidiam Torberni facta, odia, quae eius poena provocata exstincturum se speraverat, magis etiam accendit. Idque ita animum ipsius perculit, ut severitatis nimiae serio tamdem, quamquam sero, poenituerit. Inter haec Ioannem Calvum (b) Episcopum Othoniensem, & eiusdem cancellarium Ioannem Andream (c) in comitiis Hafniensibus comprehendit, & in carcerem duci iubet. Et hic quidem in Erici Walckendorfii (d) tunc decani Hafniensis, aedes ductus, iusiurandum illi dedit; non se inde egressurum, antequam a rege gratiam discedendi impetrasset. Vbi postquam aliquot menses exegisset, ac rex sese in Fioniam ad colloquium cum Christina matre habendum, contulisset; nonnullique apud eum intercederent, fidem suam de sistendo, quandocumque visum esset, obstringentes; libertati restitutus, & Othoniam regressus, diu illic post id tempus habitavit, nec citatus umquam fuit. Episcopus vero, variis carceribus diu quam arctissime custoditus, aegre tamdem a Christophoro Oldenburgico (e), bello contra Danos moto liberatus, exceptusque a Lu-

(a) *Tunc e Svecia reversus*) Minime. Certissime enim hoc factum, antequam in Sveciam iret Arcemboldus, & quidem anno 1517. (non ut Meursius habet 1516.) Ivit autem in Sveciam circa finem anni 1517. aut initio sequentis; quo regno ann. 1519. relicto, ad Regem numquam rediit, quod ex modo in praecedenti adnotatione dictis satis manifestum.

(b) *Ioannem Calvum*) Ioannem Andreae, cui cognomentum *Beldenack* a calvo occipite vulgus dederat, ut supra ad *Vitam Regis Ioannis* diximus.

(c) *Ioannem Andreae*) Is Episcopi Fionensis (seu Otheniensis) cognominis fuit Cancellarius, Ioannis Svaningii, (historici toties nobis laudati, totiesque, ubi res poscebat, castigati,) avunculus erat, cui omne illud, quod in honestis studiis adsequutus fuit, se acceptum post Deum referre, profitetur ipse in *Historia Christiani II. pag.* 117.

(d) *Erici VValckendorfii*] Sic & Io. Svaningius *pag.* 118. sed omnino eum memoria fefellit in praenomine, quod erat *Canutus*. Sic enim Hvitfeldius, & rectissime. Memoria Canuti huius Walckendorfii celebris est in Academiae nostrae Hafniensis Actis: Vnde Erasmus Vindingius haec pauca in *Catal. Professorum* inseruit *pag.* 59. „ Canutus Valckendorf „ Magister artium, Decretorum Baccalaureus, Decanus Ecclesiae „ D. Virginis Hafniensis, & Praepositus Lundensis, Rector fuit „ ann 1516. Procurator etiam fuit Templi D. Virginis anno „ 1514. quo tempore pyramis turri, Templi imponenda fabri- „ cabatur, ipseque fabricae illius ἐργοδιώκτην praebuit.

(e) *A Christophoro Oldenburgico*] Minus recte cepit noster locum Ioannis Svaningii, qui exstat *pag.* 123. Neque Svaningius rem satis explicavit, ita ut a nostro intelligeretur, confuse, ut multa alia, ita huius Episcopi Historiam narrans; dum etiam oblitus fuit, vel minus curae habuit, intervalla illa adnotare, per quae idem e custodia emissus plena libertate fruebatur. Talis nimirum status viri exstitit (de Episcopo Ioanne Calvo loquor,) anno 1520. quo Rex litteris Papae admonitus, eum in gratiam recepit, (vid. Hvitf. *pag.* 92.) imo in Sveciam secum duxit, consiliis eius in subiugando, & pacando regno illo usurus; ubi trucidatis Episcopis, hunc Ioannem Sedi Arosiensi praefecit. Qui haud diu post, exorta nova illa apud Svecos seditione, in Daniam reversus, de perniciosis consiliis accusatur, atque ann. 1521. Regis iussu in carcerem insulae Bornholmiae Hammershusensem coniicitur. Inde tamen sequenti anno a Lubecensibus extrahitur, atque anno 1523. Regi Friderico I. Sacramento dicto, (quod & Hvitfeldius in *Chronico Christ. II. pag.* 69. & authenticae, quae adhuc supersunt, litterae testantur,) Episcopae Fionensi restituitur. Sed brevi interiecto tempore a cognatis Ottonis Porsfeldii, quem milites Episcopi interemerant, per insidias captus, in Holsatiam abducitur, & duobus aureorum millibus emungitur. Tamdem turbarum pertaesus, Episcopalem Sedem resignat Canuto Henrici filio Guldensternio, acceptisque ab eo sexies mille aureis, praeter quingentos quotannis quoad viveret solvendos, anno 1529. Lubecam commigrat; ubi ad ann. 1537. superfuit. Ex quibus omnibus patet, Svaningium, quamvis nullius magis vitam, atque fata, quam huius Episcopi

CIↃ IↃ XVI.

a Lubecenſibus, qui Chriſtophoro ſe coniunxerant, pulſo e regno Chriſtiano, mortuoque ſucceſſore Friderico, a Chriſtiano nominis illius Tertio, muneri ſuo reſtituitur (a). Ac captivitatis quidem cauſae plures ferebantur; inter quas haec eminebat. Bello contra Vandalos Lubecam miſſus cum duobus e nobilitate Holſatica ad conſtituendam pacem; Ioannem Chriſtiani patrem, in pecuniae magnam ſummam obligaverat; ad iacturam, quam e navibus, mercibuſque interceptis paſſi erant Lubecenſes, compenſandam. Quae quum non ſoluta eſſet, mortuo Ioanne rege, eam a filio Chriſtiano Lubecenſes per legatos exigebant. Hac de re dum is conſultat cum ſenatu, ac perquirit in archivis acta patris, literae reperiuntur, quibus Epiſcopus teſtabatur; ita ſe cum civitatibus tranſegiſſe, ut illata utrimque damna inter ſeſe aequarentur. Has ſequutus Chriſtianus, quum non potuiſſe obſtringi patrem ſuum in tantam ſummam exiſtimaret, iure agere cum eo animum induxit. Qua de cauſa quum Epiſcopum Roſchildenſem, Lagonem Vrnium, arbitrum conſtituiſſet, atque is ſecundum Calvum iudicaſſet, comprehendi pariter cum cancellario illum (b) iubet; ac ſervari, dum promiſſam Lubecenſibus aeris ſummam exhiberet. Ad hoc iſtud accedebat, quum Othoniae quidam ex ipſius aula cum Chriſtinae matris regis, quae hic domicilium fixerat, aulicis quibuſdam forte compotarent, & oborta inter pocula rixa eſſet, aulae Chriſtinae praefectum, virum nobilem Holſatum, e familia Porfeldorum, occiderunt. Quod quum de mandato eius factum eſſe crederetur, ac Chriſtina iſtud ſibi perſuaſiſſet; illa, caedem indignata, filioque regi queſta, eum quoque incitavit, uti facti rationem poſtularet.

CIↃ IↃ XVII.

Per id tempus Leo X. Summus Pontifex, Laurentio Puccio Cardinali, turbidi ingenii viro, cui nimium tribuebat impellente, miſſis paſſim diplomatibus, veniam cunctis peccatorum, atque vitam ſempiternam promittebat; poſito pretio pro delicti cuiuſcumque ratione; ideoque in provinciis cum quaeſtores, tum aeraria ordinavit. Quin praecones etiam addidit, qui tam magni beneficii excellentiam apud populum praedicarent; ac, libellis promulgatis, eius rei efficaciam in maiorem modum extollerent; idque, ubique nimium licentioſe, & potiſſimum in Germania factitabant. Vbi, qui pecuniam illam Romae a Leone redemerant, in popinis, ganeiſque, nulla honeſti reverentia, tum in aleam, tum turpiſſimos quoſque uſus, poteſtatem profundebant. Quod cordatiores multi, & prudentis pietatis, quum indignum exiſtimarent, in Saxonia Lutherus Monachus Auguſtinianus, ac ſacrarum literarum in Academia Witebergenſi tunc profeſſor, ſe oppoſuit, & praeconum conciones refutare primum adgreſſus, mox ut vanas, impiaſque etiam damnat, ac Pontificis poteſtatem, quam in diplomatibus illis ipſe ſibi vindicabat, dubiam facit. Eo denique procedit, ut doctrinam univerſam, tamquam lapſu ſeculorum vitiatam, ad examen revocaret. Huius rei poſtquam fama in Daniam adlata eſſet, Chriſtianus, miſſis in Saxoniam literis ad avunculos (c), Fridericum, & Ioannem, eius regionis duces, virum aliquem eruditum, pium, ac gravem, mitti petit, quo in regnis quoque ſuis reformandis uteretur. Qua re fecit, ut Iſabellae primum uxori, pro depulſo poſt id tempus ſupplicanti, abſente in Hiſpania Carolo, opem ſuam rex Bohemiae Ferdinandus, atque ipſi poſtea Carolus Imperator denegaret; ac, quantumvis in comitiis Auguſtanis, ad conciliandam ſibi denuo utriuſque gratiam, iterum maiorum cultum amplexus eſſet, nihil adeo, praeter claſſem, ſuis copiis inſtruendam largiretur. Irritatis contra illa inconſtantia ducibus Saxoniae avunculis, & principibus proteſtantibus univerſis; qui, quum antea optime in ipſum adfecti, ſtrenue ſane adiuviſſent, Caeſare, poſt conceſſam claſſem, ac Ferdinando, nihil ultra conferente, ipſi quoque miſerum deſtituerunt. Nec offenſa foris tantum, ſed & domi ingens fuit, quique iam nobilitatem ob Torbernum interfectum, item clerum, ob captivum Epiſcopum Othonienſem, vehementer irritaſſet; magis etiam ordinis eius utriuſque animos in ſe concitavit, quod religionem avitam, ne conſultis quidem ipſis, immutare ſtatuiſſet. Itaque inter ſe conſpirant, & conſultant; quomodo aut prehendant eum, nihil tale cogitantem, aut profugere regno cogant. Quod poſtremum ut efficiant, paſſim ſpargunt aliquod S. Brigittae vaticinium, quo pernicies, aut exilium, Chriſtiano praedicatur. Idque ita explicabant plures alii; & in his Paulus Eliae Carmelita, ordiniſque eius praeſes, in coenobio Hafnienſi, & Chriſtophorus Raunsbergenſis, viri cum virtutis fama, tum doctrinae illo tempore eminentes. Quos identidem illudendo interrogabat; *quando haec exilium ſuum praedixiſset, an de reditu nil omnino ſomniaſset?* illud porro ad fidem elevandam, addens: *eam, quidquid noctu forte ſomniaſset, id in literas die poſte-*

CIↃ IↃ XVII.

ſcopi debuiſſet, cum innumerato habere, tum exacte referre, tamen haud leviter in eadem hallucinatum eſſe, culpa, ut videtur, memoriae, cui fortaſſis in rebus conſcribendis temporum, quibus vixerat ipſe, nimium confidebat. Quomodo enim alioqui ſcripſiſſet, ereptum ex carcere Bornholmico fuiſſe per Chriſtophorum Comitem Oldenburgicum? cum Lubecam ſub Friderico I. conceſſiſſe, Epiſcopatu permiſſu Regis reſignato, ipſe Svaningius adfirmet *pag.* 128. Chriſtophorus autem Oldenburgicus haud ante ann. 1534. in Daniam venerit.

(a) *A Chriſtiano III. reſtituitur*) Manifeſte falſum: Sedem, ut diximus, Fionenſem reſignavit tempore Friderici I. & quidem ann. 1529. Canuto Guldenſternio. Et Chriſtianus III. tantum abeſt, ut Epiſcoporum ullum reſtituerit, ut potius, ſtatim ac regno, & tranquillitate potitus eſt, omnes, quotquot in regno eſſent, comprehenſos, & exauctoratos, cuſtodiae mandaverit, totumque illum ordinem aboleverit. Inter eos, quos tunc munere, & libertate privavit, fuit quoque Ioannis Calvi ſucceſſor Canutus Huldenſternius. Conferat modo lector hunc Svaningii locum (*pag.* 123. *ſeq.*) cum ſequentibus in eodem ipſo *libro*, & *capit. pagg.* 127. 129. & 130. ac deinde nobis dicat, num uſquam in uno eodemque hiſtorico magis pugnantia, atque contradicentia obſervarit.

(b) *Cum Cancellario illum*] Scilicet Ioannem Calvum cum Cancellario ſuo Ioanne Andreae, non vero Lagonem Vrnium.

(c) *In Saxoniam litteris ad avunculos*) Hoc non anno 1517. Chriſtianus fecit, ſed 1520. tertio poſt coeptam a Luthero reformationem anno. Sic & Hvitfeld. *pag.* 137.

ro, ne nil ageret, retulisse. Quae quum ita gererentur, fama fertur, in Gustavum, regni Sveciae Archiepiscopum, Svecos concitatos esse, atque insidias illi struere; quod is, fidei suae memor [a], in electionem regis Christiani consensisset. Et hic monitus quidquid ad obsidionem tolerandam necessarium comparaverat, ac praesidio satis valido arcem Stegam communierat; advocatis, quibus maxime confidebat, ut eorum forti opera se tamdiu tutaretur, dum auxilium Dani ferrent. Eam ob rem Christianus, ut amico sua causa graviter periclitanti praesto esset, ocyus classem centum ac viginti navium, ducibus Severino Norbio, Tilmanno Gisselio, & Andrea Moriano, in Sveciam mittit. Quae quum illuc prope Stegam adpulisset, illico expositus miles hostem quaerit, proximosque aliquot pagos, igne iniecto, populatur. Quumque nemo se obiiceret, ipsa obsidentium castra oppugnare visum fuit. Quod cum Sveci cognovissent, nil cunctandum ultra rati, ab obsidione abeunt. Dani, liberata Stega [b], mox recedunt, & Gustavum secum abducunt. Isque Hafniae liberalitate regis per biennium sustentatus, debellata post id Svecia, auctor fuit, ut in victos, etsi contra datam fidem, tam crudeliter grassaretur. Quod indignum maxime viro eius ordinis, atque loci. Sed nimirum aegre, etiam qui se Deo consecrarunt, odia, & iras ponunt, ac facilius seculo renuntiatur, quam adfectibus. Sveci interim, postquam Dani recessissent, in ereptum iam Gustavum, quod contra senatum regni in Christianum inclinasset, vehementer invehuntur, & Stocholmi regni ordines universi congregati mox edictum in eum condunt, quo & dignitatem eripiunt, & coniurant: *numquam se, quamdiu vivant, illam reddituros esse, quando ipse, & maiores quoque eius saepe in Sveciam Danos hostes, cum ingenti regni damno adduxissent. Id concessum tamen iri, si quid respondere cupiat, fide publica ut accedat, abeatque. Praeter haec, quum Stega arx, natura loci, opereque permunita, regni hostibus ad id tempus semper fere aditum aperuisset, uti solo aequaretur, nec deinceps iterum exstrueretur. Tum, si Pontifex Romanus, sive eius successores quidquam contra molirentur, omnes id coniunctis viribus quovis modo prohiberent, nec periculo ullo vitae, aut furtunarum, umquam sese de proposito dimoveri paterentur. Denique, quodcumque crimen, sive illud laesae Ecclesiae, sive maiestatis foret, sine exceptione ulla omnibus commune fore.* Hoc edictum maximae calamitatis insequutae causa fuit. Quippe quum ad Christianum ea res adlata esset, ille, oppido laetatus, quod cum Svecis iure agendi occasionem nactus esset, dat consilium Gustavo, uti, misso Romam nuntio, de iniuria tam insigni apud Papam quereretur. Qui, quum illud accepisset, convocato Cardinalium Senatu, & querela examinata, sententiam in hunc modum dicit [c]: *Svecos, quando ab Ecclesiae unione recessissent, & illatis summo regni praesuli armis, schismate se polluissent, poenae quoque in schismaticos usitatae se obnoxios reddidisse; ideoque gladio percutiendos, atque comburendos esse* [d]. Hanc sententiam, ut quam primum exsequeretur, regi Christiano mandat, literasque huius suae voluntatis testes mittit. Non multo post excepta e Sigbrittae ore verba vulgo ferebantur, illa admodum atrocia [e]. Ea, post Columbulae mortem, filiae suae, de qua paullo ante dixi, ita se in regis pariter ac reginae gratiam insinuavit, ut consilia de gravissimis regni rebus rex cum hac communicaret, ac sententiam quoque eius ante senatorum poneret. Qua elata benevolentia, femina ambitiosa, eo tamdem est progressa, ut in potestate sua regem haberet, & negotia cuncta regni, quamvis maxima, sola gereret, nec omnino fieri quidquam pateretur, etsi decernente senatu, quod non ipsa ratum prius habuisset. Tanta denique insolentia eius fuit, uti cuncta pro libidine agitaret,

(a) *Fidei suae memor*) Revera haud fidei suae memor, neque ullo eius intuitu, sed odio & vindictae cupiditate ardens, ob praelatum in regni Svecici gubernatione parenti suo Erico Trollio filium Svantonis, Stenonem Sture iuniorem. Hinc eis, qui Christiano studebant, adsociatus, ducem se praebuit, neque destitit Regem in Sveciam arcessere, primum, ut Stenonem pessumdaret, deinde ut illo, a quo victus eiectusque erat, amoto, ipse pristinas opes, cum Archiepiscopatu, recuperaret.

(b) *Dani liberata Stega mox recedunt*] „ Hvitfeldius totum hoc „ negotium, aut expeditionem longe aliter narrat: Danos sci- „ licet, quum exscensionem fecissent, fugatos a Svecis fuisse, „ ubi multi occisi, multi capti, multi in mare praecipites acti „ sint, atque ita re infecta discessisse. Archiepiscopum postea, „ quum de auxilio desperaret, deditionem fecisse arcis, quae „ diruta deinde fuerit, *pagg.* 87. *&* 88. *Frid. Gunther.* Recte observatum. Neque enim narratio Meursii hoc loco veritati congrua, haud sane illius vitio, sed Svaningii. Hvitfeldius, & omnes fide digni Auctores longe diversa docent, imo contraria. Nempe, Archiepiscopum Gustavum, quum a Stenone in Stekensi arce obsideretur, efflagitasse auxilia a Christiano, qui, dum ea pararentur, a Pontifice Romano impetraverat, ut Steno tamquam perduellis, ac periurus, nec non Episcopi persequutor, diris devoveretur. Auxilia vero, postquam anno 1517. advenerant, ducibus tunc Iacobo Trollio, Archiepiscopi patruo, Severino Norby, & Carolo Canutio, nullum operae pretium fecisse, verum dissipata a Svecis, inque fugam acta, varias deinde terras devastasse: Deinde anno 1518. Gustavo iam ad deditionem compulso, Stekaque capta, & ex Senatus Svecici consulto diruta, Christiernum ipsum cum magna classe advenisse, ducibus Severino Norby, Tilemanno Gialero, & Andrea Moriano, comitatum; verum propositi irritum, haud parva clade accepta, coactum fuisse domum remeare. Vid. Hvitfeld. *pag.* 75. *seq. & pagg.* 88. 89. *seq.* ubi plura, brevitatis studio a nobis omissa, legantur.

(c) *Sententiam in hunc modum dicit*] Papa decretum excommunicationis antea a Birgero Archiepiscopo Lundensi prolatum publicatumque confirmavit, & rebelles centenis aureorum millibus mulctavit. Legato autem Pontificis Arcemboldo, inscio prorsus, Regem tale a Pontifice decretum obtinuisse, hoc maxime iniucundum accidit, ut, quum e Svecia aufugiens, Lubecam evasisset, conspiceret ibi ad valvas omnium templorum adfixam hanc Stenonis, & procerum regni Sveciae, quotquot Gustavum Archiepiscopatu privassent, excommunicationem. Quo viso, haud leviter conturbatus, male augurari de annua pensione, sibi ex Vpsalensi Sede promissa, septingentorum ducatorum, coepit. Vid. *Messen.* & *Chytraei Chronic. II.* supra cit.

(d) *Atque comburendos esse*) At hoc de combustione vel in Bulla Pontificis, vel in Birgeri Decreto fuisse vix credidero; quamvis sciam ita, & quidem disertis admodum verbis tradi a Cypraeo, *Hist. Eccles. Slesv. Hols. pag.* 407.

(e) *Admodum atrocia*] Non addit quaenam, & qualia verba fuerint; uti nec Svaningius eo, unde haec desumta sunt, loco, *pag.* 162. „ Voces ab ea (Sigbritta) per indignatio- „ nem emissae, atque a mulierculis, quae una Regiis pueris „ ministrabant, exceptae, quae nihil sani, sincerique in Regios „ infantulos eam cogitasse arguebant. Nam cum Regina ordine „ tres mares, sed tamen per intervalla annorum primo pepe- „ risset, Sigbritta gremio infantulos excipiens, pertaesa tot ma- „ rium, *quorsum*, inquit excandescens, *cum tot Principibus* „ *masculis? Vnde tot accipiamus quaeso Regna, ut singulis sua* „ *tribuamus? Apagite hinc, apagite in malam rem cum tot* „ *Principibus &c.*

CIↃ IↃ. XIX.

taret, ac proceribus quoque regni quibuscumque, & ordinibus insultaret; omnia haec probante rege, aut ferente, & conivente. Isque annus regiam universam luctu, & terrore regnum implevit; nam, defuncto Maximiliano Caesare, rex, & Isabella uxor, cuius ille avus erat, vestem pullam induerunt, & marina quaedam bellua, admirandae magnitudinis, in Norvegia per id ipsum tempus capta, dira quaevis portendebat. Neque aliter homines cuncti boreales, longo usu ita docti, rem hanc interpretabantur; & sequutus proxime annus, in quo motum a Christiano bellum Svecicum, ac Stocholmi detestanda laniena instituta, minime vanum a portento metum ostendit. Rex, abolitis antiquissimis, laudatissimisque pariter regni sui institutis, nova plane, & inusitata hactenus pro arbitrio introduxit; nullo omnino senatorum contra dicere quidquam auso. Ac tributum primo annonae, inde mercibus, & venalibus rebus ceteris quibuscumque imperavit; ac constituit, qui per regnum universum id exigerent, & exacti rationem regio questori redderent. Tum praefectos extra ordinem, quos scultetos adpellabat, oppidatim statuebat; ac patibulum medio ubique foro, quo tributum recusantes, & praefectos quoque ipsos, si officio qui deessent, ceterosque item homines sceleratos coerceret. Et haec cuncta de Sigbrittae suae suasu faciebat, quae in Belgio usitata, in Daniam invehere, in memoriam sui nominis, cupiebat. Haec res, velut ad malignos compescendos instituta, quamquam utilis videretur; tamen, quia nova esset, nec in Dania visa umquam, vel audita, adeo graviter, ob tributi inusitatam exactionem animos offendit populi, hactenus in regem proni, ut ex aequo omnibus invisus fieret. Neque ea res dumtaxat hominum studia avertebat; sed & plura alia erant, quae, Sigbritta incitante, indies committebantur, atque ex illis istud certe non indignum memoratu. Quum in Dania, uti aliis regionibus fere fieret, ut nobilium, civiumque locupletiorum filii ideo scholas sectarentur, quo se illi aulae aptos, isti mercaturae redderent, aut muneribus melioribus, quibus ipsi obeundis quaestum aliquem facere possent; scholis vero, aut ecclesiis nemo animum adplicaret; ne & hae ministris suis tamdem destituerentur, usu introductum fuerat, inde a religionis Christianae apud Danos inchoatae primo tempore, ut tenuiorum filii, qui in ludum litterarium, ad doctrinam liberalem capiendam dati essent, ad inopiam sublevandam, cibum sibi, resque alias necessarias ostiatim corrogarent. Illud vero diligenter cavebatur, ne promiscue qualescumque admitterentur; sed examen praecedebat, & ingenii exploratio. Quique sic magistro ludi industriam suam adprobasset, ut Ecclesiae aliquando, sive scholae adiuvandae spem ostenderet, illum demum, disciplina uberiore imbuendum, retinebant; ceteros a se, ad discendam artem aliquam manuariam, aut rem rusticam exercendam ablegabant. Ac, dignosci, ut a reliqua mendicantium turba possent, utebantur toga talari, sic confecta, ut subspensa ex sinistro tantum humero, corpus universum tegeret, neque partem eius ullam nudam sineret, dextero excepto brachio, ut sic illa quoque manu expedita stipem acciperent, & in manticam reponerent. Pileum rotundum habebant, circumquaque duplicatum, cuius pars postica longior corrugata, ac densata in cervicem propendebat. Duae in utroque latere rugae erant, ceteris magis conspicuae, quae significarent ipsis gentem Danicam, postquam fidem Christianam amplexa esset, bis ad cultum idolorum recidisse; ideoque adspectu harum adsiduo commonefierent, ut deinceps veram in Deum pietatem, ac doctrinam Christianam, qua tunc animos praeceptores tanta cura imbuebant, constantissime tuerentur. Istos pueros, veste illa, ex recepto dudum more, victum sibi ostiatim conquirentes, quum Sigbritta nullo modo ferre posset, fures esse omnes clamitat, & sub togis furta sua occultare; ac, nisi ocyus ad aratra abigantur, fore, ut Hafnia universa furibus mox compleatur. Neque prius conquievit, quam edicto Christiani omnes illi, magno regni, & Ecclesiae, cui inservituri erant, detrimento, ac dedecore pellerentur. Haec, & alia istiusmodi odium populi implacabile in Sigbrittam concitarunt. Christianus, qui in Svecos grave bellum agitabat, subditis tributum imperat, quale numquam ad id tempus ulli regum usitatum. Iubet singulos omnium regnorum ordines decimam solvere, non dumtaxat e reditibus, sed & cunctis facultatibus, tam indigne rigida exactione, uti nec quae incubarent ova anseres, neque quas gestarent plumae, censui eximerentur, quem & in argento puro universum exhibere cogebantur. Ad Episcopos vero regni blande, ac demisse scribit: *uti suos hortarentur, ne in praesens bellum in Svecos perduelles cogitantem destituerent, aut necessitati eius subvenire gravarentur*. Mittit & Casparum Brochmannum, qui tunc ab epistolis erat, ac procancellarii mox munus gessit, ut rem eam, quanto sane posset studio, promoveret. Qui & illud demum effecit, ut Episcopi, quisque in sua dioecesi, uti morem voluntati regis gererent, aliquoties convenirent, ac negotium disceptarent. Sed consensu tamen uno responderunt: *numquam a maioribus eius quidquam ab ipsis ex hereditate avita postulatum; verum tantum e reditibus, quibus beneficio illorum, gratiaque fruebantur; id praestare, precibusque pro felici belli eventu, ac salute domus regiae, apud Deum intercedere, etiam nunc paratos esse. Orare vero, quam humillime, ut Ecclesiae libertatem, a maioribus eius semper sartam tectam magna cura conservatam, ipse quoque tueatur, neve gravi adeo onere eam premat*. Adnuit rex postulatis; & tributi gravitatem ut minueret, condonato patrimonio (a), ea tan-

(a) *Condonato patrimonio*) Contrarium Hvitfeldius, *pag.* 107. docet: „ scilicet eos ex bonis, quae patrimonio, aut hereditate possidebant, tributa persolvisse. Quod & verisimilius. „ *Frid. Gunther.*

CIↃ IↃ XIX.

ea tantum, quae ipsius beneficio possiderent, censui subesse voluit; ac quaestoribus imperavit, ne quid aliunde exigerent. Postquam suis hoc tributum indixisset, sociorum quoque auxilia advocare visum fuit. Itaque legatos mittit ad Franciscum Galliae regem, Georgium Schotbergium (a), Philippum Rotomagum, & Antonium Moguntinum, qui negotium demandatum felicissime exsequuti, a Francisco quater mille auxiliares (b), & tormenta aenea quatuor impetrarunt. Expedita Gallica legatione, Moguntinus, ut praeceperat Christianus, in Hispaniam excurrebat, ad adfinem regem Carolum, ut solutionem dotis Isabellae, quae tercentum millium aureorum erat, procuraret; Schotbergio interim in Pichardia eius reditum exspectante. Quumque mox reverteretur, ac negotium perfecisset, habito per Flandriam itinere, ambo Antuerpiam, celebre Brabantiae emporium, petiere; ubi tertiam dotis partem magistratus soluturum se promisit. Quippe inter Christianum, Carolumque sic convenerat, uti summa universa tripartito solveretur. Itaque trientem primum tunc Schotbergius secum adtulit; alterum mox Ioannes Hofmannus nauta regius; tertius Tilmannus Gisselius, maris praefectus. Quamquam sint, qui de trientis ultimi solutione plane dubitent. Sub id tempus quum Birgerus, regni Daniae Archiepiscopus, diem suum obiisset, Georgius Schotbergius, qui praeclare obita legatione Christianum, antea quoque magna apud eam gratia devinxisset, ipso maxime adnitente, surrogatur. Lundenses quidem de collegii sui coetu Agonem elegerant, virum genere, ac virtute (c) pariter clarum; sed Schotbergium postquam rex ad dignitatem hanc promotum omnino vellet, eius sese voluntati, ipso quoque id Agone concedente, submisere. Decreverat ordo Ecclesiasticus, quod Birgerus, genere obscuro natus, ad hoc culmen adscendisset, ne deinceps ad Episcopatum quisquam qualemcumque admitteretur, nisi quem prosapiae item claritudo commendaret. Ac decreti quidem huius Episcopi auctores erant quidam e primatibus regni; qui, quod sub Birgero acciderat, indignati, mores suos a plebeiis castigari, ne id liberis quoque suis, posterisque eveniret, sese mutuo, & Episcopos loco nobili prognatos instigabant, illud uti secum agerent, ut in posterum dignitatem Episcopalem nobilitati vindicarent. Nec Episcopi abnuebant; quippe qui, mutationes in Ecclesia impendere certis signis praevidentes, aliquod sibi contra eas munimentum in re illa positum existimarent. Itaque in hoc consensere, sed decretum, quum id temporis promulgare non consultum videretur, occultari in occasionem placuit. Schotbergius, summus regni praesul constitutus, Mathiam Marquardum, & Henricum item Langium, Romam mittit, confirmationem sibi a Pontifice petituros. Quo sex aureorum millia postulante, nec legatis polliceri tantum ausis, ocyus recurrere Langius, ut Schotbergio rem referret. Qui negotio sine mora expedito, quum redire hunc iuberet, Magni quoque Goyaei iussu, aulae regiae tunc praefecti; tum Henrici Abbatis Sorani, & Eschilli antistitis Anderschoviensis, aliorumque item regni senatorum literas dat ad Pontificem, quibus petit: *ut diplomate Pontificio minaretur Christiano, ni Sigbrittam feminam impiam, & consilia eius cuncta pervertentem, cuius filiam diu antea in contemtum coniugis suae Isabellae, feminae multo illustrissimae, magna cum offensa Dei, omniumque regni ordinum offendiculo, concubinam habuisset, removeret, sacris sese ei interdicturum esse*. Langius, neglecto officio, literas eas, & mandatum illico Sigbrittae prodit; quae ad regem statim defert. Isque, ut consilium hoc senatus sui impediret, Romam Langium ablegat, comitemque illi addit Theodorum tonsorem suum, hominem summa avaritia, ac libidine, & flagitiis denique pluribus coopertum; sed, quod instar omnium

(a) *Georgium Schotbergium*) Nomina Legatorum Danicorum erant: *Georgius Schotborgius* Danus, *Philippus Pratensis* (*Du Pre*) Rothomagensis, ac *Antonius Metensis* Lotharingus. Neque enim ultimus hic Moguntinus erat, ut quem etiam Svaningius, *pag*. 218. cognomine adpellat *de Mes*, quod rectius *de Metz* scripsisset. Alter *Philippus du Pre*; Isabellam in Daniam comitatus, postea Canonicatum Hafniensem, atque inde Aarhusiensem obtinuit, paterque exstitit Ioannis Pratensis, viri doctissimi, Medicinae in Academia Hafniensi Professoris. Primus autem Georgius, supremus Regis Secretarius, de quo multa in sequentibus occurrent, minus recte nostro, & quibusdam aliis *Schotbergius* nominatur, cum *Schotborgium* sese ipse scripserit, & alii quoque nuncupant. In Friderici I. Regis *Responsione ad Christierni calumnias*, *pag. E. a*. „Quos vero Legatos ad Gallos misit? Certe „Georgium Schodtberch ad omnia fidissimum mancipium, ne „reliquos nominatim perstringam, per quos eliminata esse Ger„maniae consilia aliquanto certius credideritis, iudices, quam „nobis praeter veritatem impingi auditis &c.

(b) *Quater mille auxiliares*) Duo tantum millia peditum, sed sex tormenta aenea, scribit Hvitfeld. *pag*. 108 Itidem duo millia legas in Friderici I. Regis *Responsione pag. E. a*. Neque plures milites numerat Mart. Bellaius, cuius verba, ut in latina versione Hug. Suraei sonant adducam ex *lib*. 1. *pag*. 16 „Circa id tempus Rex Galliae negotium dat Ga„stoni Brezaeo Principi Folcarmondo, qui frater erat magni „Normanniae Seneschalli, ut cum duobus peditum Gallorum „millibus, (quorum praefecti erant capitaneus Pisollius*, baro „Gondrinus Vasco, Samblimondus Picardus, & Capitaneus „Landa) auxilio iret Regi Daniae adversus Regem Sveviae. „Hi praelio uno victores, tamdem a Danis relicti, in alio „[illegible], quod in glacie commissum est, profligantur; ubi „maxima pars periit propter arborum in sylva caesarum mul„titudinem. His enim nostri, qui e glacie se in sylvam re„ceperant, impediebantur, ut hastae longae, quibus praelia„bantur, nulli essent usui. E quibus cum alii perierunt, tum „Samblimondus vir fortis interfectus est Horum ne dimidia „quidem pars domum rediit, iique nudi, exarmati, vesti„mentis detritis. Qui, licet turpiter a Rege Danorum, ad „quem iuvandum hoc iter susceperant, relicti, tamen naves „epibadas nacti, in Scotiam, deinde in Galliam navigarunt.„ Verum Hvitfeldius, qui ceterorum ducum nomina, quamvis vitiose exarata (librarii, an typographi vitio, haud dixero) adgnoscit, primum praefectum alio nomine designat, vocans *Iacobum de Valles*. De Brezaeo autem Principe, cui nullum inter auxiliorum duces locum dat, alio loco (ad eumdem tamen annum 1520.) plane diversam narrationem adfert, quae latinis verbis reddita sic habet: „Eo ipso anno detinebatur „apud nos vir nationis Gallicae perillustris, *Princeps de Bresse*, „*& Favernois* dictus, qui cum ingentem summam a civibus „Regi nostro subiectis mutuo accepisset, commonitus est Re„gis nomine, die Saturni post Pascha, regno ne excederet, „priusquam nomina solvisset, atque illud praeterea, quod mari „depraedatus, civibus nostris abstulisset, restitutum esset. At„que ni mature argentum ex Gallia adferri, ad satisfaciendum „omnibus, queis aliquid deberet, curasset, capite luiturum.„

(c) *Virum genere, ac virtute*) Svaningius, auctor in hac Christiani II. historia supra modum incuriosus, *pag*. 189. scribit eum fuisse e genere *Bildiorum*. Male. Fuit enim ex *Spariorum* illo, multorum nobilissimorum hominum tam in Dania, quam apud Svecos, foecundo. Svaningium autem memoria hic offendisse, vix dubito, cogitantem forte de ultimo Lundensium Archiepiscopo, *Torberno Bildio*, ex Agonis illius Sparrii sorore nato.

CIↃ IↃ XIX.

omnium virtutum esset, a Sigbritta commendatum. Et, Schotbergii odio ardens, quem non tantum dignitate nuper in eum collata, sed & vita spoliatum cupiebat, addit literas ad Pontificem, quibus petit: *ut depulso, quem evexerat pridem, Schotbergio, Pallio Archiepiscopali hunc legatum, Theodorum, exornaret*. Idque facile a Pontifice, Regem sibi devincire cupiente, impetravit. Simul & Marquardum revocat, ac redire in regnum iubet. Schotbergius per summam iniuriam sic deiectus, facile tamen a Pontifice mox obtinuit, ut & Sedes ipsi sua redderetur, & redacto in ordinem tonsore illo, a Lubecensi, ac Bremensi Episcopis confirmaretur. Tum &, ut se contra iram, odiumque Christiani communiret, literas commendatitias illi adfert. Quibus motus, quum Pontificis sibi gratiam eo tempore necessariam maxime existimaret, presso animi adfectu, in speciem benigne excipit, & passurus etiam facile videbatur, ut capesseret destinatam dignitatem, si per alios licuisset. Sed complures e proceribus, atque hi propinqui Agonis, quem Lundenses sibi elegerant, hunc deiectum indignati, minis gravibus hominem deterruere; ita ut recurreret Romam, & suarum rerum statum ad Pontificem referret: qui mox ipsum ad Coloniensem Episcopum, ut vicaria eius opera uteretur, amandavit. Christianus, postquam insulam Bornholmum magno sibi ad bellum Svecicum, quod iam totus cogitabat, usui fore animadverteret, a Lundensi Archiepiscopo, ad quem ea pertinebat, sibi illam, saltem dum id bellum gereret, dari petit; sed, collegio recusante, quum primores a se Hafniam evocasset, nihil doli subspicatos comprehendit, & in voluntatem cogit. Nec Bornholmum tantum extorquet, sed Ahusam quoque urbem in Scania sitam; tum & plura alia, quae possidebant. Inde Theodorum suum, de quo paulo ante dixi, illis praesulem constituit; quamquam ista dignitate, malis artibus comparata, minime diu fruiturum; quippe qui non multo post, offenso rege, in crucem actus, & in ignem hinc abductus per ludibrium, vitam, quam probrosam egerat, cum infamia consummavit. Per id tempus, quum auxiliares copiae a Francisco Galliarum rege missae, advenissent; & in urbem iam extraneo diversarum nationum milite plenam, eas quoque Christianus admisisset; orta inter Scotum, ac Germanum lite, & conflictu, ut in tanta, ac tam varia multitudine fere solet, & utrimque tota gente ad certamen concitata, ingens mox tumultus fuit. Quem quum rex ex arce adcurrens, coercere, cum periculo vitae suae, quamquam frustra, nisus esset; tamdem, quodam, qui sub ipso eius equo latitantem adversarium interfecerat, noctu ad supplicium rapto, vix compescuit. Hanc gregariorum pugnam alii duo illustres viri excepere. Quorum unus, Ivarus Lungius, gente Danus, ac prosapia nobilissima; alter, Georgius Tengnagelius, e Germania oriundus; uterque rei militaris laude excellens. Lungius complures annos sub Francisco Galliae rege, ac Burgundiae duce Carolo, aliisque illustrissimis principibus militaverat, qui virtutem quoque eius, atque fidem aureis catenis singuli honoraverant; hasque ipsi, quoties in pompa regem comitaretur, equi sui collo adpensas, velut fidei in tot principes monumenta, ostentabat. Isto nomine satis regi commendatus, ut praeterea gratiam eius sibi obstringeret, armaturam fabre factam (a), quam e Gallia secum adtulerat, muneratur. Tengnagelius, qui stipendia item varia sub principibus multis fecerat, & militiae clarum nomen comparaverat, quum moliri bellum in Svecos Christianum fama acceperat, ipse quoque Daniam petere, operamque ad hanc expeditionem obferre statuit. Ideoque itidem egregiam quamdam armaturam e Germania adportavit; regi illam ad captandam eius gratiam donaturus. Idque fecit, & obtinuit commendatione sua, ut rex istam supra Lungii aestimaret. Iam utrimque aemulatio quaedam erat; quum & Lungius, hominem sibi peregrinum, si armorum laude aequalem, tamen non superiorem anteponi aegre ferret, & indigenae quantumvis Tengnagelius, cui parem sese crederet, nihil esse concedendum existimaret. Et haec res maiorem in modum animos exadsperabat; multo magis, quod uterque peditatus universi praefecturam adfectaret. Rex, dissidio intellecto, quemque, quae donarat, arma induere iubet, atque hastis concurrentes experiri, utra meliora essent: qui vicisset, illum sui peditatus ducem fore. Placuit conditio utrique, & concertant die, ac loco praestituto in corona spectatorum frequentissima; quum, impacta in oculum hasta, adversarium Lungius sternit. Qui victoriae tamen fructum, vitae paullo post ereptus, non percepit. Dum in aula haec geruntur, Lundensis, ac Roschildensis antistites, de Pontificis mandato, in Stenonem, ceterosque, qui Gustavum regni Sveciae Archiepiscopum expulissent, sententiam ferunt, & Gustavo satisfaciendum censent; tum & sacris, dum parerent, interdicunt; insuper Christiano mandant, ut vindictam ferro, ac flamma persequatur; idque ipsum sic Pontificem statuisse. Christianus, qui iam in procinctu erat, magis etiam hac sententia incitatus, illico coactas copias, sub ductore Othone Crumpenio, viro belli excellente traiicere in Scaniam iubet. Addit classem bene instructam, quae finitimos Sveciae portus occuparet, ut sic eos simul terra, ac mari premeret. Imperat item Othoni, ubi fines Sveciae ingressus foret, quocumque progrederetur, uti caussas expeditionis suae proclamaret, ac diploma Pontificium, quo haec regi mandaretur ad templorum valvas figeret. Ille imperata exsequi; &, impressione facta in interiorem Sveciam, postquam late omnia populatus esset, deficiente commeatu, neque hoste usquam in praelium prodeunte, domum copias reduxit. Sed regressus, ineunte Februario anni pro-

(a) *Frabre factam*] Corrig. *affabre factam*.

CIↃ IↃ XX.

proximi, cum maiore multo exercitu, obvium Stenonem habuit. Qui, quum eum viam in introitu Sveciae valde arduam superasse, ac movere in Oplandos cognovisset, Strangenesae militem exspectaturus, paullum stetit. Interimque ad Gustavum, quem offenderat, ne is se cum hoste iungeret urbis praesulem Mathiam, Magnum Grenum, aliosque mittit ocyus ad conciliandum sibi viri animum; quippe cuius in adfectu maximum momentum patriae situm esse nullo modo ignorabat. Is tum Engelholmi erat, ubi eum accedentes oravere: *ne consilia in Stenonem, patriamve capere vellet, neu cum hoste se coniungeret*. Atque illo protestante, *nihil tale in mentem esse, ceterum indigne factum a Stenone, qui discordiae ipse auctor, neque sanguinis, neque patriae ullam plane rationem habuisset*; illis vero culpam porro deprecantibus, tamdem adfirmat, *se iniuriam Reipub. condonare, neque fidei, aut obsequio defuturum*. Quo responso laetus Steno, animoque confirmatus, obviam ire hosti statuit; ac, quum pridem peditatum praemisisset, ipse mox cum equitatu universo iter init. Quumque ad Bovensem sinum pervenisset, valido ibi e concaede densa arborum munimento excitato, intra quod consisteret pedes, etiam ipse illic sistit. Inde mittit glaciem exploraturos, an ferendo exercitui, praelioque committendo satis ea firma esset. Quo comperto, decem millia rusticorum, quos ad limitem defendendum congregaverat, excubare ad concaedem illam iubet; ipse in glaciem, ibi hostem observaturus, totum equitatum ducit. Tum, propinquo utrimque exercitu, regiarum copiarum dux Crumpenius in adversum equitatum explodere tormenta iubet; alteroque statim ictu crure sauciatus Steno, ipse equusque conciderunt: tertio disiecti omnes fugam capiunt, ac Stenonem, quam gravissime vulneratum, secum abducunt. Qui quum ad Venerium lacum pervenisset, inter transeundum exspirat. Crumpenius, Stenonis fugam expugnandi munimenti occasionem arbitratus, impetum in illud facit; sed, praesidio admodum strenue repugnante, cum suorum magna clade retrocedere est coactus. Hinc Vallesius (a) Gallici peditatus ductor, postquam pugnam instaurasset, ac in munimentum ipse enisus esset, ut exemplo suos ad virtutem accenderet, quum fortissime dimicaret, aeque infelici eventu, vulnere letali accepto, itidem repulsus fuit. Quamquam neque sic cessatum, & idoneo magis loco, quando hic non successisset, rursum oppugnare visum. Itaque captivorum indicio ibi invadunt, ubi adscensus magis facilis, ea piuntque, & disiiciunt, ut introitum suis liberum aperirent. Inde profligato hoste, recta in Oplandos movent, & Vpsaliam contendunt; ne, Stenone iam sublato consternatis, novi ad certamen loci, aut consilii capiendi, aut recolligendi sese spatium darent. Quidam e fuga Strengenesam se receperant, ut consiliis cum Mathia Episcopo communicatis, aut continuarent bellum, & coactis rursum copiis, hosti occurrerent, aut conditione aequa pacem peterent, & in eius potestatem sese traderent. Dum deliberant Dani, sine ulla mora castra sua promoventes, porro in Oplandos tendunt. Quod quum Sveci accepissent, variis locis concurrentes consultabant, quonam modo aditu hostem imminentem prohiberent. Sed consilia frustra erant, quum deesset, qui in hostem ipsos duceret. Convenere quidem rustici; sed, militiam detrectante equitatu, & in pugnam sine duce proditurum se negante, quamquam illis pro heredibus Stenonis praeliandum occlamantibus, irritus conatus fuit. Christina vidua Stenonis, missis literis a senatu regni petit, ut, indigenis convocatis, ipsi quoque arma sumerent; ac quum aegre cunctabundum impulisset, visum tamdem universas regni vires Iversundam (b) convocare, atque ibi hosti opponere. Quo statuto, convenire statim iussi, quotquot arma ferre possent, nullo ordinis discrimine, rustici, cives, nobilesque. Ac iam millia multa aderant; quum nonnulli e nobilibus, coram hostem conspicati, territique copiarum magnitudine, inter se vociferantur; se sublato iam Stenone, scire velle, cuius causa vitam porro impensuri, aut quo duce usuri essent. Qua re consternatis ceteris, cum gubernatoris munus, isto quidem rerum statu, nemo in se recipere vellet, equitesque iam paullatim se subducerent, trepidare etiam peditatus cepit. Quem quum fugam circumspicere reliquus equitatus cerneret, ipse quoque ocyus Strengenesam fugit, quo primates quidam regni, Temelsoo (c) ab exercitu discedentes, se receperant, uti cum Mathia Episcopo de re summa consultarent. Itaque dissipatis copiis, quae, si hostem non omnino removere, saltem remorari posse credebantur, nihil prius aut Mathiae, reliquisve optimatibus, qui frequentes huc convenerant, visum fuit, quam ut pacem, aut inducias, quibuscumque demum modis, impetrarent. Iam ad ipsam Strengenesam castra Dani fugientes insequuti, collocaverant; ut cognoscerent, praelio ne experiri, an deditionem potius facere vellent. Qua de causa dat Mathias ad Crumpenium ducem literas, indicatque, *esse sibi, quae cum eo de constituenda pace colloquatur; id quum e re utriusque regni putet, uti locum non subspectum designaret, in quem convenire possent; nil se magis, proceresque regni ceteros exoptare, quam ut, sine ulla caede, borealium regnorum pax antiqua, saepiusque intercepta, semel tamdem in perpetuum sarciatur*. Ad has literas respondetur a Crumpenio: *se adnuere postulatis, & conventum Vpsaliae velle; quo venturis liberum commeatum fore; ac concedere undecim dierum tem-*

(a) *Vallesius*) Idem confirmat Hvitfeldius, scilicet Gallicorum auxiliorum praefectum, Iacobum de Valles, fortiter pugnantem, inter primos occubuisse.

(b) *Iversundam*) Corrig. *Illersundam*, h. e. Fretum Illeri.

(c) *Temelsoo*] Corrig. *Tonnelsoo*. Et Messenius *Tom. IV. pag.* 83. vocat *castrum Tonnelsoense*. Chytraeus *Chronic. Sax. pag.* 269. *Tynelsoe*.

tempus, quo itineri se pararent. Quibus ita constitutis, statim proceres toto regno evocantur, ut Vpsaliae, nulla mora interposita, die praefinito adsint. Inter primos aderat Mathias praesul Strengenesius, & Gustavus Sveciae antistes summus, moxque plures e senatu advenere. Sed, priusquam quidquam agerent, quum Stocholmum urbs primaria, a Christina Stenonis vidua, teneretur; & non pauci etiam ex equestri ordine, Christiano adversantes, illuc sese recepissent, tum & passim toto regno multi essent, qui Vpsaliam convenire recusantes, insuper ad arma plebem concitarent, placuit, *e gente utraque ablegari ad Christinam, qui inquirerent ecquid ipsa, ceterique ordinis equestris viri, qui cum illa se coniunxerant, omnia, Vpsaliae constituenda, rata habituri essent*. At consilio illi statim reclamatum a plerisque, adserentibus, *ultra quidquam cum his agere, qui venire ad comitia advocati noluissent, plane nihil aliud esse, quam eorum contumaciam magis etiam confirmare. Multo satius, cum Crumpenio, & adiunctis illi ducibus, de constituenda pace in omne aevum duratura, nomine totius regni inpraesens agere, qua confecta, qui nunc animos tam praefracte in contrarium obstinarent, facile consensuros esse*. Quibus moti rationibus animum Sveci induxere, ut de pace cum Crumpenio, ceterisque qui cum eo erant ducibus, agitarent. Is Vpsaliam tunc advenerat, & nonnulla militum lectissimorum in securitatem suam signa adduxerat. Antequam negotium tamen inchoarent, ut Christinae, aliisque, qui in eius partibus erant, abundanter satisfacerent, mittunt, qui deprecarentur, *ne propositum adeo regno necessarium, atque utile, sua ipsi contumacia perturbare porro velint; quin id potius adnitantur, ut ad finem bonis civibus universis exoptatum, felicissime perducatur*. Sed quum illos nec responso dignarentur, serio a parte utraque, quae Vpsaliam tunc convenerat, agi ceptum. Ac confestim, quum Crompenius regis literas, quibus illi summam rei peragendae potestatem tribuebat, Svecis illas exigentibus ostendisset, pax decreta in conditiones istas. *Vti Sveci, qui in fidem Christiani ultro sese tradidissent, ab eodem in gratiam reciperentur. Tum iniuriae, si quas illi a Ioannis patris tempore qualicumque occasione intulissent, condonatae, si in fide permanerent, sempiterna oblivione delerentur. Regni etiam praefecturae, atque feuda, quae nobilibus hactenus concessa essent, deinceps quoque in eorum potestate permanerent. Denique cunctis, singulisque iura regni universa, privilegia, pristinae immunitates, ac receptae consuetudines servarentur; neque quidquam contra iura a divo Erico constituta, si obsequium retinerent, sanciretur*. Facta hunc in modum pace, literisque a Crumpenio confirmata, Dani pariter, Svecique iterum Christinae mentem, ac nobilium ceterorum explorandam censuere. Itaque visum, propius Stocholmum accedere, si fortasse ad colloquium extra urbem evocare eam possent; aut in urbem ipsi quoque ad consilia conferenda, animosque leniendos intromitti. Ergo, Vpsalia profecti, quinque millia armatorum adducentes, cum senatus ea parte, quae convenerat, postquam Spongam advenissent, substitere, & Gustavus summus regni Sveciae praesul, ac Mathias Strengenesius suum quisque cancellarium ablegarunt, qui suaderent, *ut prodirent ad colloquium, sive Spongam, seu quocumque loci vellent; aut, si isthoc recusarent, aliquos suorum admitterent*. Hi quum urbem accessissent, contingentem illam pontem intercisum, aditumque introire cupientes prohiberi deprehendunt. Qua de causa subsistentes, nutu indicant oppidanis, cupere se intromitti. Prodit itaque vir provectiore aetate, ordinisque senatorii; ac, quid vellent, percunctatur. Quumque illi, a senatu regni missos, qui tunc Spongam convenisset, responderent; literasque ad Christinam, & nobilitatem reliquam adportare, exspectare eos iubet, se in urbem regressurum, ac Christinae ipsorum adventum, ac mandatum relaturum, ocyusque cum responso reversurum. Cum hoc dicto ille abit; cuius reditum dum ad pontem subsistentes praestolantur, Magnus Grenus, qui in partibus Christinae, e subiecta urbi insula, quam adpellant S. Spiritus, in nil tale cogitantes aliquot tormenta explodit, ita ut consulere vitae, ac recedere cogerentur. Itaque reversi Spongam, rem renuntiant. Qua accepta, desperantes de conciliatione, domum Sveci concesserunt. At Crumpenius, cum suppetias exspectare Stocholmenses a maritimis civitatibus intelligeret, Stephanumque item Saxonem ad Elsbnabbium classem habere; ut aut eam interciperet, oppidove prohiberet, totum illuc agmen duxit. Sed, priusquam adveniret, gnarus hostis naves altius provexerat, ne contingere eas posset; eam ob causam irritus consilii sui, Vpsaliam redit. Vbi cum spem nullam videt, ut Christina, cum nobilitate socia, in sancitam recens pacem consentiret; neque, hieme prohibente, obsideri urbem posse; consilio cum ceteris ductoribus communicato, in hiberna distribuere copias statuit. Itaque pedites Westerarsae (a) mille locat; qui hanc oram contra Svecos, etiam tum rebellantes, atque pacem cum Christina recusantes, tueantur; equites Strangenesae imponit, qui curarent, ne Mathias loci Episcopus, reliquis invisus maxime, quod in regem propenderet, quidquam detrimenti caperet; alios alibi esse iubet, atque sedulo providere, ne quid damni paterentur, qui in pacem consensissent. Quae in Svecia dum geruntur, Simon Malius (b), vir

(a) *Vesterarsae*) Corrig. *Vesterasae*. Et sic quoque inferius.

(b) *Simon Malius, vir illustri*) Hvitfeldius *pag.* 127. „ *Simonem Comitem de Essens, & VVitmund*; paulo vero inferius „ *pag.* 129. (ubi noster occubuisse *Simonem Malium* cum „ fratre *Sivardo* scribit,) solum Hvitfeldius nominat Sivardum „ de Mellen. „ *Frid. Gunther.* Nihil sane frequentius, quam videre nostratium hominum nomina ab exteris, & vicissim exterorum a nostris Scriptoribus alio modo scribi, atque exprimi, quam ipsi exprimunt eis nuncupati. Svaningius noster, quam etiam negligens sit in domesticis, & quam saepe

vir illustri genere natus, & militiae perquam clarus, cum selectis mille quingentis peditibus, per Smalandiam, & Ostrogothiam facto itinere, regis iussu, ad Crumpenium se adiungit. Qui, validior tam insigni incremento, animoque confirmatior, copias, quas retinuerat, militemque adventitium mox Vpsaliam reducit. Vbi dum hibernat ipse, varie tumultus oritur; incursantibus in praesidia circumposita, & amplexos pacem indigenas, perduellibus. Primi cum vicinis suis Westerarsii caedere Danos, aut fugare conabantur; sed, consilio deprehenso, quum se illi subduxissent, & Vpsaliam contenderent, iam progressos Salinglassam (a), locum insidiis opportunum, subito adoriuntur. Hic pugnatum quam acerrime, dum victoriam Sveci quaerunt, Dani vero in discrimen summum adducti, etiam vitam vindicare conituntur. Sveci Danos, loci iniquitate pressos, undique graviter invadebant; illi contra, qui praesidium sibi nullum, nisi in virtute sua situm animadvertebant, in apertum campum erumpere ex angustiis maximopere conabantur. Nec virtuti etiam fortuna defuit. Nam, enisi cum ingenti hostium strage, eos dissipatos fugant; duce Olao Petreio (b), qui tumultum concitaverat, profligato, & Vpsaliam salvi evadunt. Nec multo post tumultuatum etiam gravius duce Lamberto Mathiae, & in ipsum iam Crumpenium impetum facere visum fuit; quo sublato, ceteros quoque variis locis disparatos profligare, patriaeque libertatem restituere satis in proclivi fore. Itaque Vpsaliam itum; quo quum iam perventum esset, adloqui Lambertus suos, & virtutem oratione comparata excitare: *meminissent iam pro patriae libertate dimicandum. Ideo, si umquam alias, nunc se viros exhiberent, at coniunctis hostem viribus, quanta possent fortitudine, oppugnarent; quem si victum profligassent, patriam armorum metu, se uxores, liberosque servitute non ferenda liberarent; tum Stenonis quoque filiis, qui pro patriae, ipsorumque libertate fortiter pugnans, mortem pridem oppetiisset, vitam, fortunasque adsererent. Id Christinam admodum enixe orare; quae nunc viro spoliata, ac praesidio amicorum destituta, quum se nusquam ab hoste tutam animadverteret, Stocholmum fugere, unicum tam luctuoso tempore asylum regni, sit coacta. Vbi moerens, ac pullata, supplices ex urbe clausa tollens manus, ipsos omnes obsecraret, ut fortunam tam iniquam miserantes, e calamitate summa, in quam devolutam scirent, pro virtute sua eriperent.* Dum Lambertus in hunc modum animos suorum accendit, qui ad urbem excubabant, viso hoste, rem Crumpenio renuntiant. Erat dies, quo memoria Christi Crucifixi colitur, atque ille in templo sacris audiendis pietatem exercebat. Itaque, accepto nuntio, statim egressus, arma capere suos iubet; & educit extra urbem in planitiem, quae prospectum quam liberrimum in qualcumque partes daret; acieque ordinata, & ad praedium sepimento satis valido communitum, stare iussa, illico tormenta explodit, velitemque in hostem mittit. Caelum, densa nube obductum, solis radios visum alias perstricturos, occultabat; sed incommodum aliud ortum, quod Danorum ad certamen ineundum alacritatem perturbabat. Nam permixtus grandine, pluviaque, ventus ora illorum infestabat, Svecis tergo obverso liberis, & ad pugnam nihilominus expeditis. Tum & nix, quae spissa humum operuerat, liquefacta faciebat, ut equorum impeditus usus esset; quum, suppacta ea soleis, & in pilam rotundata, solo lubrico lapsabundi, mox sessorem quoque effunderent. Accedebat, quod tormenta pondere suo desidentia, commode explodi haud possent. Ac iam praelium fervebat; adeoque laevum cornu, Svecis maxime in hoc ipsum incumbentibus, vehementer laborare; quin & retro gradum ferre; quum inexspectatus casus animum vix consistenti, & virtutem confirmare. Quippe miles veteranus, rapto signo de signiferi proxime adstantis manu, quem videbat trepidantem, clavis ferreis duobus e marsupio suo promtis, illud sudi praeacutae in propinquo sepimento sic adfixit, ut avelli perquam difficulter posset, tum inclamat alta voce: *nunc, commilitones mei, hoc est tempus, cum virtutis priscae vestrae, ac maiorum meminisse vos oportet; nec permittere, uti hostes isto regis nostri signo, nisi cum ingenti caede, potiantur.* Vix finierat, cum vi magna Sveci irruunt, & potissimum in hoc signum impetum faciunt; verum Dani, summa animi fortitudine obsistentes, edita non parva strage, illud vindicant. Diu acerrime dimicatum est: Svecis pari-

saepe in popularium suorum nominibus hallucinatus, aliquot iam exemplis ostensum. Hvitfeldius memorias ante oculos in rebus quidem accuratiores habuit, sed in peregrinis nominibus minus exacte exaratas; ut videre est ex tribunorum, & centurionum Gallicorum illis, *pag.* 105. si cum Bellaio comparaveris; ut taceam alia hinc inde se offerentia. Atque hunc, de quo nunc agitur, *Simonam* quem *Malium* Svaningius, atque noster, alii *a Mellen* dixere, Chytraeus *pag.* 260. eadem adpellatione, qua Hvitfeldius designat, vocans *Dominum Simonem ab Essens, & VVitmund.* Ego vero nullus dubitem, erratum esse in utriusque fratris nomine, tam *Simonis* huius, quam *Sivardi*, quorum verae adpellationes, ni fallor, *Sibo*, & *Caspar*, iique ipsi filii fuerint *Heronis Omcomii Domini Esensis*, atque fratres inclyti illius Balthasaris Essenii, cuius hereditas postmodum ad Ostfrisiae Comites pervenit. Testem adpello domesticum scriptorem Vbbonem Emmium, in cuius *lib.* 54. *pag.* 820. haec legimus: „ Obiit „ Hero Omconius Esensis, ferox, turbidus, violentus, Edsardi „ inimicus perpetuus, quem animum ne senium quidem in „ eo extinxerat. Hic ex uxore Oldenburgica Armgarde liberos „ quatuor masculini sexus, filias item duas sustulerat. Ex filiis „ Melchior puer perierat. *Sibo*, qui natu maximus erat, & „ *Caspar*, offensi adsperitate paterna, in Sveciam profecti fuerant, ad Christiernum, Daniae, Norvegiae, Sveciae Regem, „ sobrinum suum, cui tum bellum in Svecos erat exortum, „ quum annus a Christo in terris nato flueret 1520. eoque in „ bello forti opera navata, proximo anno ceciderant. Solus „ itaque superstes Balthasar in opes eius successit. „ Sobrinos illos Emmius vocat Regis Christierni, quia Armgardis illorum mater Gerhardo Comite Oldenburgico, fratre Christiani I. Daniae Regis, procreata erat. Vid. Hamelmann. *Chronic. Oldenburg. pag.* 297. ubi Armgardin Domicello Omconio, Essenii, Stedesdorfii, & Witmundi Domino an. 1489. collocatam, matremque fuisse Balthasaris Essenii, tot certaminibus cum vicinis famosi, memorat. Plures adlegare haud necesse.

(a) *Salinglassam*] Corrig. *Ballings-asam*, vel *Ballands-Aas*. Vtraque enim adpellatio in usu.

(b) *Olao Petreio*) Hvitfeldius „ *Ericum Petraeum* nominat. „ *Frider. Gunther.*

CIↃ IↃ XIX.

pariter, Daniſque quam fortiſsime ſe gerentibus. Sveci numero ſuperabant, ac triginta circiter millia exſtitiſſe memorantur, quum vix octo millia Danorum eſſent; ſed & loco, atque vento aequiore utebantur. Verum Dani, quamquam tanto pauciores, inſuper iniquitate loci, & caeli premerentur, totis viribus adnitentes, miſſo in hoſtem equitatu, tandem aciem perrumpunt, diſſipantque. Fugientes, partim caedunt, partim in horreo ad ſiccandos illic lateres iuxta pugnae locum ſtructo, quo confugerant, igne exſurunt; partim in propinquum amnem actos mergunt. Cecidere circiter viginti millia (a), ac Danorum quatuor deſiderata, & in iſtis Simon, ac Sivardus Malii (b), duo fratres, uti belli laude clari, ita quoque mortis gloria, quam in pugna tam illuſtri obiere. Hac repreſſi clade Sveci aliquamdiu quievere, ac interea Mathias Strengeneſius Epiſcopus, cum equitibus, quos Crumpenius Strengeneſae impoſuerat, dioeceſin univerſam circumequitans, omnes, qui in Chriſtiani verba iusiurandum dare recuſarent, ad ſancitam pridem pacem amplectendam porro adigit; anteacti temporis iniuriarum veniam, & oblivionem, fore ſpondens. Adeoque in ſenatu regni Sveciae nemo fuit, qui maiore Chriſtiani regis ſtudio in hoc ipſum incubuerit, ut ſub eius poteſtatem regnum univerſum cogeret, quamquam ille nimis ſane indignam gratiam viro adeo praeclare de ſe merito mox retulerit. Sed malorum ita principum fert ingenium; ut, obnoxii ſubditorum beneficiis, quum ſe impares compenſandis ob eorum magnitudinem eſſe videant, deſtrui fortunam ſuam per haec ipſa arbitrentur; ideoque, ceu offenſis adſperati, odium pro gratia reddant, vindicentque, quod remunerare nequeant. Stocholmenſes, quamquam clade tam inſigni pridem accepta, necdum fracti, iterum collectis viribus, ad pugnandum prodierunt; ſed Mathia, regiiſque ad Teliaom occurrentibus, fuſi rurſum, ac fugati, interfecto Ioanne Helbredio (c), duce eorum, qui Chriſtinae a conſiliis ſummum quoque in illius gratia locum obtinebat. Gondo Gallus, & Eſchillus item Godus (d), ordinis equeſtris viri, multi alii, capti, ac Strengeneſam adducti, ubi arcte a Mathia cuſtoditi. Verum nec ſic debellati, literis partim, nuntiiſque ſparſos paſſim factionis ſuae ſocios exhortantur: *ne in regni libertate adſerenda porro cenſent, ſe paratos pro virili opem ferre, nec periculi partem ullam detrectare*. Et hi ſaepe magnis animis inſurgentes, ſemper tamen repelluntur, quamquam ſemel, Arnum urbem populati, Iacobum capiunt, regni antiſtitem ſupremum (e), virum clara pietate, ac virtute. Quin Vpſaliam quoque ipſam, quam Crumpenius inſidebat, adoriri demum auſi; ſed, praeſidium quum in armis excubare accepiſſent, a propoſito deſtitere. Sciſſa in hunc modum Svecia, illis pacem amplectentibus, illis, in Chriſtinae gratiam, recuſantibus; ac utriſque mutua inter ſe caede ſaevientibus; Chriſtianus a Crumpenio evocatus, ut hos motus coerceret, vere primo, cum inſtructa navium multarum claſſe, ipſe in Sveciam iter capit. Verum, quia ſummo iure experiri, ac Svecorum tot delicta, cum in avum Chriſtianum, inde in Ioannem patrem, tum & in ſe, ſub praetextu exſequendi Pontificii mandati, ſemel tandem ſeveriſſime vindicare conſtituerat, quos potiſſimum e ſenatu regni, ſui ad negotium magni adeo momenti adhiberet, reputare ſecum cepit. Etenim ſic ſtatuebat, viros animi mitioris, & amantes aequitatis, quos in iſtud nullo modo conſenſuros ipſe ſatis praevidebat, minime ſibi in conſilium admittendos, ſed quaerendos, qui rigore abrupto praediti, & ſupplicium adprobarent, & pronuntiare auderent. Quod dum agitat, indolemque ſenatorum ſecum anxie perpendit, nullos magis aptos cenſet, quam Lundenſem Archiepiſcopum Theodorum, & Ioannem item Calvum Epiſcopum Othonienſem. Atque Theodorum quidem, multis ſane beneficiis, uti ea, quam tenebat, dignitate iam obnoxium ſibi fecerat; ac Ioannem faciendum exiſtimaverat. Quare captum in Burundia (f), propter cauſam antea commemoratam, illico dimitti e vinculis, & adduci in aulam iubet. Iſque, quum rex voluntatem ipſi ſuam expoſuiſſet, libertate, gratiaque, qua exciderat, reſtituta, maximopere laetatus, fidem illi, operamque pollicetur. Itaque cum his duobus expeditionem ſuſcipit, atque deſinente Maio claſſem ad Stocholmum adpellit. Quod Crumpenius ſimul atque accepiſſet, cum adiunctis ſibi ducibus, ac primariis aliquot Sveciae ſenatoribus, qui in pacem conſenſiſſent, regem ſalutatum adit. Quum conſilia contuliſſent, ſine mora urbem obſidere viſum. Atque, collocatis caſtris, inter regem, & maiorem Sveciae ſenatorum partem, pax, Vpſaliae pridem facta, renovata, ac firmata, denuoque conſtitutum: *ut iniuriae, & offenſae ex quacumque demum cauſa ante illud tempus ortae, ſempiternae oblivioni traderentur. Denique, quae duces regii promiſiſſent, ea omnia, ceu rex ipſe ſtatuiſſet, rata forent*. Qua de

(a) *Cecidere 20000.*) „ Hvitfeld. ſcribit cecidiſſe decem millia, „ & alios duplo maiorem numero ponere. „ *Frid. Gunt.*

(b) *Simon, ac Sivardus Malii*] Vid. quae iam nuper adnotavimus ad *Col.* 758. *f*.

(c) *Ioanne Helbredio*) Sic etiam Svaningio vocatur. Sed Hvitfeldio, *pag.* 129. *Ioannes Helbrog*, & locus pugnae *Taellia*.

(d) *Gondo Gallus, & Eſchillus Godus*) Hvitfeldio p. c. nuncupantur *Gunnerus Galle*, & *Haſſo Gotte*.

(e) *Regni antiſtitem ſupremum*] Is a reſignata ante aliquot annos Guſtavo Trollio Epiſcopa, privatus vixit, inque hoc oppido fore tunc ſubſtiterat, quum a factioſis opprimeretur. Ceterum a reſignatione, vitam Gryphsholmiae apud Cartuſianos duxiſſe, ibique ſupremum clauſiſſe diem anno 1522. teſtatur Meſſenius in *Chron. Epiſcopor. pag.* 38.

(f) *Captum in Burundia*] Iſto vocabulo Bornholmiam inſulam (nam ea ſic ſignificatur) nonnumquam adpellat Svaningius. Eamdemque Scepperus in *Reſponſ. Chriſtierni II. ad Lubecenſes*, non raro *Burondiam* nominavit. Sed falſum utique iſtud quod per hoc tempus Ioannes Calvus in carcere Bornholmenſi fuerit adſervatus; quemadmodum ſupra demonſtravimus. Tunc certe (anno 1520.) Lundiae in aedibus Archiepiſcopi cuſtodiebatur. Et Chriſtiernus, litteris Papae admonitus, honeſtam quaerebat cauſam, eum quodammodo placandi, eo quidem magis, quod virum eo ingenio, tantaque calliditate utilem ſibi fore exiſtimabat.

CIƆ IƆ XX.

re ne dubium cuiquam esse ullum posset, additae & literae regis, fidei monumentum, ac pignus. Rex Stocholmum ita arcte obsidebat, ut omnino commeatus importari nullus posset. Quo deficiente tamdem (a), quum obsessi ad extrema adigerentur, adeunt Christinam proceres, qui cum ea obsidionem tolerabant, ac deditionem suadent. Atque illa postquam suos etiam deficere videt, neque spem auxilii ullam aliunde superesse, aegre quamvis, adsentitur; sed hac lege, ut eamdem sibi gratiam, quam obtinuissent illi, qui in pacem ante factam consensissent, paciscantur, idque factum, & Septembris die octavo magistratus extra portam claves urbis regi obfert, ac solenni iuramento in obsequium se obstringit. Quo peracto, urbem ingressus cum selecto comitatu, templum petit; inde actis Deo gratiis, arcem adscendit. Ac, diebus paucis aliquot interiectis (b), convocatis regni Sveciae senatoribus, comitia Stocholmi indicit. Qui quum omnes convenissent, in Brunchonis adiacente urbi monte concionem habere voluit. Itaque conventus die praestituto totum eum milite implet, qui inclusos senatores veluti corona cingeret; ipse locum eminentiorem capit, ac Ioannem item Calvum Episcopum Othoniensem verba pro se facere iubet. Is exorsus alta voce initi a rege belli causas refert. Nempe, *regnum iuxta leges ei velut proprium esse; ipsos vero contra illas, item fidem, quam & literis obstrinxissent, deliquisse, ac Stenonem elegisse; sed, his omnibus pace facta condonatis, non exprobraturum porro. Alterum esse, multo gravius* (c), *quod Gustavum praesulem Vpsaliensem, regni Sveciae primatem, quia in ipsum, ut debebat, propendere videretur, dignitate sua exsutum, iniquissime habuissent; quumque in Daniam is confugeret, arce Stega solo aequata, contra eum coniurassent; numquam sese reditum in regnum illi permissuros, neque pristinam dignitatem reddituros; tum, quae poena isto nomine cuiquam subeunda esset, nulla prorsus personarum exceptione, omnibus communem fore. Eum vero hanc iniuriam, tam ingentem, ad Pontificem retulisse; qui, indignitate motus, Roma ad regem literas dederit, quibus omnes foedae adeo coniurationis socios, ni Gustavum restituerent, & illata ei damna resarcirent, statim sacris prohiberet, ac sententiae huius suae exsequutionem ei demandaret. Cuius iustae adeo petitioni quum deesse non duntaxat grave foret, sed periculosum etiam, statuisse ipsum inpraesens causam istam disceptare, & iniuste oppressae parti opem ferre; ideoque nunc cum armis advenisse.* Haec, & talia, postquam tamdem Othoniensis perorasset, rex, dimissa concione, in urbem redit; ac cognitionem causae in Kalendas proximi Novembris differt. Eo die coronari constituerat; itaque ubi advenisset, cum solenni comitatu templum ingressus, a Gustavo praesule Vpsaliensi coram regni senatoribus, & in hoc consentientibus, consecratur. Aderat in hoc conventu Caroli V. legatus, qui affinem sibi regem quum ornari etiam a se debere existimaret, aureum vellus offerebat. Itaque, ad summum altare stante cum corona sua Christiano, leniterque laevo brachio incumbente, in medium legatus prodit; ac, salute a Carolo V. fausta omnia apprecante, nunciata, accedens propius, vellus aureum, symbolum societatis, toto orbe augustissimae, in quam tunc reciperetur, collo eius, paullum caput inclinantis, circumponit. In solenni illo actu, quum equestrem dignitatem Danis tantum rex quibusdam contulisset, nemini Svecorum vero hunc honorem habuisset; idque eos aegrae ferre, & inter se queritari, intelligeret: *non oportet*, inquit, *Svecos, quibus mecum acre diu bellum fuit, admirari, si non statim in interiorem illos amicitiam adhibuerim, aut ad aliquem altiorem dignitatis gradum evexerim: quum cognoscere prius homines, quam ornare sit conveniens*. Porro, quum coronam regni accepisset, & praecipuos Svecorum e medio tollere statuisset, cum nonnullis, quos inprimis fidos sibi existimaret, rem communicat, & consilium eos rogat: *quonam modo sic negotium institueret, ut ignaro quasi ipso, & invito, gestum esse videretur: atque ita sui facti culpam alienam faceret?* atque erant, qui *seditionem* dicerent *a militibus concitandam, per quam illi ad rapinam, & caedem ruerent:* alii: *non tutum id* existimabant; *adrepturis arma quoque sua civibus, & victoriam Danis dubiam reddituris. Nihil satius, quam convivium instituere; & in arcem evocare, qui nobilitate generis, aut potentia eminerent: ita, specie benevolentiae circumventos, in ipsius potestate omnes fore.* Placuitque hoc consilium: quamquam illum, quod summopere declinatum cupiebat, culpae manifestum faceret. Itaque sine mora proceres, ac nobilitatem caeteram, cum senatu Stocholmensi, in arcem ad convivium vocat: & venere quotquot invitati erant, nescii instantis mali. In hilaritate summa primi duo dies acti: tertio Gusta-

(a) *Quo deficiente tamdem*] Contrarium habet Hvitfeld. *pag.* 131. „ dicitque alimenta viliori pretio in urbe, quam in castris fuisse. „ *Frid. Gunther.* Rectissime. Ipsumque hoc probat Hvitfeldius invicto argumento; quod scilicet, cum Lubecensium Oratores Hafniam per id tempus advenissent, postulantes, ut pristina cum Svecis commercia sibi repetere liceret, Regina ex Senatorum regni consilio, precibus eorum adnuerit, liberamque ipsis navigationem permiserit in menses saltem duos. Quod quum intellexisset, qui Stockholmiam obsidebat Rex, confestim Theodorum Slaghek una cum Antonio de Metz ad Lubecenses misit, confirmaturos suo nomine, quae Regina concessisset, addita petitione, ut iidem commerciis, & commeatu suo, quae erant circa Stockholmiam locata castra, copiasque Regias iuvarent; Regem vicissim id omni gratia, clementiaque demeriturum. Eoque ab civibus Lubecensibus accepto, concessoque, haud parum ista res Stockholmiae, quae non multo post sequuta, deditionem acceleravit. Hanc Hvitfeldii narrationem non melius nobis visum, quam latinis interpretis eius Pontani verbis afferre.

(b) *Diebus paucis interiectis*] Hvitfeldio potius credendum, qui docet Regem, urbe capta, & ordinatis, quae ad regni tutelam, atque officia spectabant, in Daniam navigasse, sed vergente Octobri in Sveciam rediisse, atque tunc illa, quae insequuntur, fuisse confecta. Conferatur ille *pag.* 136. & *pag.* 142.

(c) *Alterum esse, multo gravius*) Huius non meminit Hvitfeldius *pag.* 143. Imo nec verisimile ullo modo, tam mature iniectam huius rei mentionem, quamdiu scilicet crudele, & atrox consilium adhuc animis suis clausum tenerent Rex, & ceteri, qui eius habebantur auctores. Prolatum vero demum istud de Gustavo Praesule, die Mercurii festum omnium Sanctorum insequuta, teste Hvitfeldio *pag.* 147.

Gustavus iussus accusationem suam instituere. Isque, data fandi venia, non iniurias modo suas, verum etiam quas pater, & amici pertulissent, gravi oratione refert: incitante ad haec rege, &, ut nihil reticeret, adhortante. Qui, audita accusatione eius, quid Georgius Schotbergius [a], Archiepiscopus Lundensis, & Episcopus Roschildensis, Lago Vrnius, quos negotii huius arbitros summus Pontifex esse iusserat, statuissent, palam recitari mandat. Christinam quoque, in iudicium advocatam, percunctatur; *cur maritus eius Steno tantum in Gustavum odium concepisset, uti arcem Stegam everteret, ipsum vero regno eiiceret; atque in eiectum insuper, ne reciperetur unquam, coniuraret*. Ad quae illa quum initio perturbata conticesceret, statim tamen, ab abstantibus confirmata, animo recepto dicit: *nihil gravius in Gustavum, quam a caeteris coniuratis, a marito admissum esse: eiusque rei coniurationis literas, quibus omnes subscripsissent, fidem facere*. Rex, audita literarum mentione, quibus sese coniurati in Gustavum obstrinxissent; quum afferri eas illico imperasset, & allatas mox legisset, lectas retinet: ac, discedens e iudicio, duci in custodiam omnes in sequentem diem iubet. Simul Nicolao Bildio [b], tunc palatii praefecto, literas tradit; praecipitque, ut excepta nomina coniuratorum in indiculum referret: isque, uti iussus erat, statim facit. Neque mora; ad Novembris diem octavum, quo relati in indiculum erant ordine, omnes e custodia producti in forum ad supplicium. Claudi urbis portas iusserat; &, excubias dispertitus, imperaverat, ut praefectus provideret diligenter, ne evadere quisquam posset. Ordinata ad terrorem cuncta erant, & in magno cives metu versabantur; quum repente arx aperta, & eductus primo Ericus [c], cuius filius Gustavus postea regni praefecturam est adeptus: tum Episcopi, Strengenesius, ac Scarensis; inde reliqui regni proceres, & senatus oppidanus. Duo Episcopi, quum in aream ante curiam, quae supplicio miserorum destinata, pervenissent, petunt precibus, uti sibi copia sacerdotis fieret, cui peccata confitentes rite sese expiarent: verum non obtinuere. Ioannes Brascius, Episcopus Lincopiensis, vir insigni probitate, quique causam Christiani diu etiam propugnaverat, quum in forum ductus esset, & in genua iam procumbere, ac cervicem percussori exhibere iuberetur; magna animi constantia, alta voce, se insontem, ac iniuriam sibi fieri protestatus; quum omnino nil proficeret, circumstantes, & supplicio interesse a rege iussos, supplex rogat; *ut sigillum, quod ad coniurationis literas ipse appendisset: demeretur: illic eos clarum innocentiae suae testimonium inventuros*. Quod ad regem postquam ii retulissent; isque fieri, quod petebat, imperasset; sub interiore cera, in occulta illic scheda, manu eius scriptum legunt: *quicquid huius admisisset, ab invito expressum esse*. Quod quum rex intellexisset, ceu ab aliis circumventum, & coactum subsignare liberum pronuntiavit [d]: & hoc unum aequitatis, in iniquitate summa, exemplum dedit. Interfecti a carnifice illo die septuaginta; vel, ut alii, quatuor & nonaginta: vim, Gustavo quam intulerant, occulto quodam Dei iudicio, etiam vicissim passi: ac communi omnes poena, sicut ipsi, futurorum imprudentes, pridem voverant. Neque isthic furor stetit [e]: trucidatis, qui ad caedem designati, miles in promiscuam plebem, quae confluxerat ad spectaculum, impetum facit, obviosque contrucidat. Hinc, proposita cum nominibus proscriptorum quadam tabula, etiam domus invaduntur, & latentes ad carnificinam cives extrahuntur. Quumque multi in obscura urbis loca metu sese abdidissent, ne elaberentur illi, promulgato mox edicto reliquis impunitatem pollicetur. Verum homines, temere creduli, quum in publicum prodiissent, itidem immisso milite obtruncantur. Dies aliquot laniena haec continuata fuit; maximeque in Ribingianam domum desaevitum: ut, quum caedi aetas firma nulla ultra superesset, pueri arriperentur; qui, constricta in nodum coma, e catasta immaniter suspendebantur: hinc, cervicibus amputatis, corpora in terram trunca decidebant, capita in sublimi haerebant. Sed in nullum immanitate exquisitiore actum, quam Ioannem Magnum quendam. Hunc ad crucem, veste omni spoliatum, affixere; in qua multa proloquutus, Deo innocentiam suam commendabat: multa quoque de crudelitate regis, ac perfidia querebatur. Quae quum ei nuntiata, membrum viro genitale praesecari, & in faciem pendentis proiici iubet, Postea transverberatum illi latus, adeo patenti vulnere, ut inserta per id manu cor quaesitum extraheretur: quod & ipsum in occisi faciem abiectum fuit; denique, quum viris urbem exhausisset, ad rapinas se convertit; viduasque, ac pupillos, post maritos, ac parentes, interfectos, bonis item cunctis exuit: nulli rei, sacrae, aut profanae parcens. Etiam in defunctos saevit: & Stenonem, qui in praelio occubuerat, filiumque eius postumum, uno eodemque mense natum simul, mortuumque, extrahi sepulcro iussit, & adduci in conspectum. Ac Stenonis quidem corpus, post-

(a) *Georgius Schotbergius*) Rectius, ut supra monui, *Schotborgius*. At is neutiquam fuit, qui excommunicationis sententiam, una cum Lagone Episcopo Rosckildensi, tulerat in Stenonem, eiusque socios, sed decessor Schotborgii Archiepiscopus Birgerus; uti & supra expositum; confirmatam a Schotborgio, aut verius repetitam, haud negamus.

(b) *Nicolao Bildio*) Nullus exstitit palatii praefectus hoc nomine. Neque Nicolaus Bildius adpellabatur, qui nomina coniuratorum in indicem referebat, sed *Nicolaus Lyckius*.

(c) *Eductus primo Ericus*) Neque hoc recte. Primi enim ad supplicium educti duo Episcopi, Matthias Strengenensis, & Vincentius Scarensis. Ericus vero Iohannides, Gustavi, postea Regis pater, ordine fuit quintus.

(d) *Liberum pronunciavit*] Hoc factum, neque hoc die, neque adeo in supplicii loco, sed die, qui lanienam praecedebat, & quando ceteri, sontes a Rege declarati, in carcerem ducebantur, sicut adcuratius Hvitfeldius memorat, *pag.* 154.

(e) *Neque istic furor stetit*) Haec, usque ad illa *Col.* 767. *a. Totum biduum praeterierat*, neque in Svaningii, nec in Hvitfeldii libris habentur. Meursius vero cuncta accepta refert Iacobo Zieglero Landavo-Batavo, cuius de *Excidio Holmensi* narratio eiusdem auctoris descriptioni *Schondiae* adiuncta, cum alibi excusa, tum & subiecta exstat, Alb. Crantzii *Chronicis Daniae, Sveciae, & Norvegiae*, in editione Wecheliana 1575. in fol.

CIƆ IƆ XX.

postquam oculos satiasset, etiam, facto nimis sane inhumano, momordisse sunt qui tradant. Totum triduum praeterierat, quum cadavera occisorum, passim in plateis sparsa, ac cruore suo foeda, comportari in forum mandat: ubi postquam illa quoque satis diu inspexisset, tandem intercessione Episcopi Othoniensis extra urbem exportata, concremantur, cineresque dissipantur. Illaudatum certe facinus; & quod nulla unquam aetas conticescet: nulla etiam sine horrore, atque exsecratione memorabit. Quum offensam eorum omnium, quae in avum, patrem, ac se deliquissent, condonasse simularet, subdole Gustavi causam, quam sub eius quoque offensis, uti erat, comprehensam existimabant; quia non diserte expresserant, separabat; ut in illa vindicanda suum odium exerceret. Iure quidem, qui iam toties rebellassent, puniendos, atque ita coercendos statuebat, ut deinceps pacem vel inviti colerent; nec moliri tale quicquam, etiam si vellent, possent; sed non ista coercendi, aut decore in officio continendi ratio erat; nec, indulta semel venia, ac sancita omnium praeteritorum oblivione, ullam sibi amplius vindictae causam reservaverat. Nunc perfidiae, ac saevitiae gemina se culpa obstrinxit; quam utraque nihil magis neque Deus, hominesque detestantur: neque principes, quis virtutis, uti debet, cara est existimatio, studio maiore cavent. Neque diu poenam evasit; quum, a Deo solio suo deturbatus, in exilio, atque carcere reliquum vitae miser egit: caeteros exemplo suo reges, principesque docens, ut supremum semper numen rite colant, metuantque; & fortuna, quanta possunt moderatione, utantur: cogitantes, instar vitri eam esse; ac, quum maxime splendet, frangi. Sparsa huius caedis fama, quum invidiam se non posse sustinere intelligeret, ut

CIƆ IƆ XXI.

amoliretur eam a Pontifice, qui sacrorum usu Svecos prohibuerat, & ipsius quoque operam ad sententiam exsequendam imploraverat, per legatum huius rei testimonium sibi petit. Is Ioannem mox Potentianum (a) mittit, cardinalem; qui, legitima inquisitione habita, *nil a Christiano factum praeter ius,* pro-

(a) *Ioannem mox Potentianum*) Meminit Svaningius] *pag.* 353. sed Papam, qui legatum hunc miserit, perperam, & quidem bis, Iulium nominans. Hvitfeldius, *pag.* 191. saltem fide Scepperi refert, ac ita ut in incerto relinquat, verumne Scepperus, necne de eo prodiderit; si enim talem (ait) Hvitfeldius adprobationem Christianus a Papa obtinuisset, sine dubio in lucem protulisset, Scepperi verba in *Responsione ad Lubecenses*, *pag.* N. 2. *b*. Haec sunt; „ Quid vero ad vos, „ quomodo cum Stockholmensibus, & Svecis egerit? Nam „ illius severitudinem, quam dicitis in causa fuisse, ut Sveti „ denuo deficerent, iustam iudicavit Romanus Pontifex, misso „ legato D. Ioanne de Potentia; qui legitima inquisitione fa- „ cta, ut ex ipsius, qui penes nos est, *processu* patet, nihil „ praeter iustitiam factum esse iudicavit. Et vos quod Roma- „ nus Pontifex Leo Papa decimus iuste factum iudicavit, se- „ verius, hoc est, iniustius factum arbitramini? Sed huius rei „ tum demum amplior mentio futura est in Serenissimi Regis „ adversus Svetos excusatione. „ Verum ista contra Svecos *Excusatio* numquam, quod scimus, prodiit; nec credo usquam hodie reperiri in libris editis istum Legati Pontificii Ioannis de Potentia *processum*, quem Scepperus citat. Exstitisse tamen, & forsan alicubi latere, cum aliis, quae Christiernus secum adsportavit, chartis ac libellis, nullus dubito. Huitfeldii subspicio nullius plane est momenti. Agitur enim de facto, quod nescio quare ambiguum sit habendum, postquam praeter Scriptorum testimonia, nihil, quod fidem superet, in se habeat. Nam Legatum Pontificium auro corruptum fuisse, & muneribus eo deductum, ut facinus quamvis iniustissimum adprobaret, maxime postquam perpetratum esset, cur, quaeso, aestimabitur vel a ratione, vel ab experientia alienum? Aliud omnino foret, si de iure quaereretur; tunc enim licet centies excommunicati fuissent, quos Stokholmiae trucidari Rex fecit, actionem tamen tanto cum periurio, tantoque fidei, humanitatis, & sacrorum contemtu coniunctam, potuisse vel per legatum aliquem *de Potentia*, vel per ipsum potentissimum Leonem X. crimine innoxiam reddi, neque ego profecto dicerem, neque ullus, credo, qui religionis, & honestatis aliquis inesset sensus, cogitaret. Nunc ergo testimonia inspiciamus, Scepperi illud confirmantia. Et primum quidem nominabo Io: Messenium, virum Romani cultus retinentissimum, qui saepius, & haud uno in opere ea de re loquitur: Namque ab hoc etiam discimus, quis auctor fuerit legationis illo tempore ad Christiernum missae. Narrat nempe in *Chronico Episcoporum cap.* 5. *pag.* 41. Ioannem Magnum (qui postea factus est Archiepiscopus,) „ apud Leo- „ nem X. effecisse, ut anno MDXXI. in Sveciam Daniamque „ ablegaret Franciscum de Potentia, in caedem Antistitum dili- „ genter inquisiturum: simulque Christiernum ad poenitentiam „ instigaturum: „ Deinde idem *cap.* 13. in *catalogo Legatorum in Sveciam Pontificior. pag.* 124. de Legato illo haec profert: „ „ *Iohannes Franciscus de Potentia* (hoc scilicet integrum viri no- „ men) anno 1521. a Leone X. ad Regem ablegatus Chri- „ stiernnm II. ut innocentia duorum praesulum, Regio manda- „ to Stocholmiae superiori anno caesorum, probe explorata, ad „ tanti sceleris expiationem Regem hortaretur. Sed Legatus, in- „ specto anathematis diplomate in Stenonem, & omnes illius „ asseclas: quos inter bini Antistites illi extiterant, datis litteris „ Regem iustitiae conformiter egisse legatus pronunciat iniquis- „ sime. „ Idem auctor *Chronol. Scond. Tom.* 5. *pag.* 4. „ Chri- „ stiernus graviter confusus, quod propter lanienam Stocholmen- „ sem in toto male audiret orbe Christiano, ac Romae potis- „ simum, ob caedem Episcoporum, illuc nuncio transmisso, con- „ tumaciter Pontifici insultat, decies centena aureorum millia „ ex Scondia per Arcimboldum eo perlata: ipsi falso exprobrat, „ haec pervicaciter reposcens. Et demum nulli se culpae obno- „ xium demonstraturus, flagitat ut Legatum *Gregorius* (sic ma- „ le, pro *Leone* X.) in Daniam expediret, caedis causam per- „ petratae illic examinatum. Inde permotus ille, velut etiam „ querela Iohannis Gothi, Brundusio Romam festinantis, vehe- „ menterque nomine Sveonum adversus tyrannum protestantis, „ sub anni huius (MDXXI.) exitum in Daniam ablegat Fran- „ ciscum de Potentia. „ Idem *Chron. Tom. XV. pag.* 99. ad „ ann. 1522. „ Christiernus per legatum *Gregorii X* (sic) Fran- „ ciscum de Potentia iniquae convictus caedis, Sveonum Prae- „ sulibus inflictae, culpam imputat Beldenachio, & Slaghecio; „ hicque propterea 24. Februarii crematur, & ille submergen- „ dus relegatur. „ Fallit tantummodo Messenius in mense, quo Slagheckius supplicio affectus; quippe quod factum esse die 24. Ianuarii, & Hvitfeldius, & Magnus Matthiae asserunt. Addit posterior in *Chron. Archiepiscopor. Lund. pag.* 231. nec non in *Serie Regum MS.* praesentem adstitisse tum Hafniae Legatum ipsum Pontificis, „ cui se hac ratione purgare Rex „ velle visus fuit, sumpto supplicio de eo, qui in Svecos fuis- „ set, quam Rex vellet, inclementior. „ Quod & ipsum legitur in *Chronico Episcoporum Daniae*, Hvitfeldii opera Danice conscripto. Ostendimus supra, ex *Chronico Episcop.* Messenii, primum legationis a Pontifice missae auctorem fuisse Io: Magnum Gothum. Atque ipse hoc Messenium nosque docuit idem Gothus *de Vitis Pontificum Vpsal. lib.* 6. *pag.* 116. qui & eodem libro, *pag.* 139. narrat, sese anno 1537. Romae Cardinalibus monstravisse, causam libertatis ecclesiasticae in septentrione eversae fuisse, „ quod Praelatis Sveciae occisis, Leo „ Papa tam atrox Christierni Regis facinus, propter Caesarem, „ dissimulasset, Episcoposque in locum occisorum a Christierno „ intrusos Romae confirmasset. „ Claudat agmen testium. Io: Ad. Cypraeus, qui *Histor. Eccles. Slesu. & Hols. lib.* 3. *c.* 5. *p.* 408. scribit, „ supplicio in Svecia de factiosis sumpto, Pon- „ tificem, ut iniustitiae, ac tyrannidis suspicionem omnem, & „ culpam a Rege Christierno removeret, peculiarem quemdam „ legatum Ioannem de Potentia Romanae sedis Cardinalem in „ Sveciam ablegasse, qui diligentissimo, & accuratissimo om- „ nium eorum, quae in hoc negotio gesta erant examine in- „ stituto, rebusque omnibus quam curiosissime, ac diligentissi- „ me inquisitis, ac pervestigatis, nihil a Rege quicquam prae- „ ter ius, ac fas in hac causa actum apertissime pronunciavit. „ Ex quo loco, tam verboso, & ad effectationem usque diserto, adiectis etiam, quae *praecedente pagina* dixerat, satis puto animum istius scriptoris agnosci. Ego quidem non possum aliter existimare, quam iniuriosos maximeque ingratos esse erga bonum quemcumque Principem eos, qui malum laudant. Ceterum *Cardinalem Sedis Romanae* fuisse Legatum istum *de Potentia*, praeter verum Io. Svaningius, Cypraeus Meursiusque tradiderunt; id enim ex nullo auctorum, qui Cardinalium nobis indices satis accuratos dederunt probabitur. Neque vel Io: Magnus, vel Scapperus, aliive de tanta hominis dignitate testantur. Bzovius, & Raynaldus incassum de hac legatione evolvuntur. Hic omnino tacet: ille, quod de Francisco a Potentia habet (ad an. 1522. §. 58.) ex uno Io: Magno Gotho descripsit, uti cetera, ibidem narrata, ex Surio, & Paulo Iovio.

CIƆ IƆ XXI.

pronuntiavit. Verum neque sic querelam hominum de se repressit. Quumque se, ac suos omnes, maximo apud Svecos odio laborare animadverteret, de discessu cogitavit: ita tamen, ne suspicionem fugae ulli daret. Quam ob rem, praefectis passim constitutis, summam regni, dum abesset, gubernandi potestatem Theodoro, pridem praesuli Lundensi, tunc Scarensi, pro Vincentio interfecto, demandavit. Hinc in Daniam proficiscitur, captivam Christinam abducens, liberosque, & matronas aliquot claras; quas reversus postquam Hafniae aliquandiu sub custodia tenuisset, mox Calundeburgum transtulit: unde postea, eo profugo, Fridericus, ipsi in regnum subrogatus, liberas abire iussit. Abduxit etiam Gustavum, Erici F. (a) quem productum primum ad supplicium commemoravi; isque traditus Erico Bannero, viro equestris inter Danos dignitatis, ac Calloae arcis praefecto; ea lege, ut, si forte elabi sineret, multae nomine sena aureorum millia numeraret: ac quum, tamquam consanguineus laxiore sub custodia haberetur, habitu dissimulato, mox Lubecam, inde in Sveciam, evadit. Vbi postea, concitatis Dalecarlis, regios caedit, aut expellit; & Stenonis ducta filia (b), regni praefecturam capit: velut infra suo loco referetur. In itinere, quum diverteret (c) apud monasterium quoddam, cui Novae Valli nomen, monachos cum suo abbate, quia partem commeatus, ne diriperetur totus, in propinqua illic silva occultaverant, & si fane, quantum ipsi, atque eius comitatui, nutriendo satis esset, reservassent; post peracta rite sacra, quibus etiam interfuerat, vix digressos ab altari, comprehendi, ac constrictos statim proiici in vicinum flumen iubet. Abbas, liberatis manibus, quum in ripam enatasset, nihilominus crudelissime trucidatur. Vnus tantum monachorum, postquam scribis regiis se miscuisset, orat eos, obsecratque, ut benigne opem ferant; qui miserti pallium homini circumiiciunt, pileumque imponunt capiti: tum ad mensam suam adhibent, ac, porrecto atramento, charta, calamo, se componere in scribentis habitum iubent. Vix consederat, calamumque in manum sumpserat, quum ingressus militum tribunus illic quaerit profugum; cui Casparus Brochmannus, regis tunc procancellarius, *Monachos*, inquit, *ignoramus: sed, si scribam tibi poscis, aliquem eorum cape, quos ad mensam adsidentes conspicaris*. Hoc responso, quum abiret, nec ulterius quicquam quaereret, ille evasit. Nempe isthoc foedae adeo lanienae unum deerat; ut insonti eam sanguine sacri ordinis terminaret: ne non ille, interfectis post Episcopos etiam abbate, & monachis, de immanitate eius pariter conquereretur. Ita subiugata Svecia, quum in Daniam rediisset, ad adfinem Carolum V. (d) sumta veste peregrina, est profectus; petiitque, ut dein-

(a) *Abduxit etiam Gustavum Erici filium*) Non certe hoc anno, aut post lanienam Stockolmiensem, sed ante triennium abduxerat, scilicet anno 1518. quando Christianus, post tentatam irrita obsidione Stockolmiam Stenoni amicum conventum, quo pax stabiliretur, persuaserat, decretumque erat, ut obsides utrinque mitterentur. Erat tunc in obsidum Svecorum numero Gustavus Erici filius. Et Christianus, vento adspirante, illos, quos ipse miserat, obsides ex itinere revocans, cum Svecicis vela in Daniam fecit, ubi Svecicos porro captivos detinuit. Ex iis Gustavus paulo post Erico Ericio Bannero, Equiti Dano, & Calloae arcis in Iutia praefecto, custodiendus traditur, hac lege, ut, si forte elaberetur, Ericus multam solveret sex millium aureorum. Attamen laxiore observatione habitus, sequenti anno viam aufugiendi invenit, habituque bubulci primum Flensburgum, inde Lubecam pervenit. Istuc aufugisse ex arce Calloensi sub initium veris anni 1523. diserte quidem scribit Svaningius *pag.* 399. sed cuius nulla apud nos in temporum notatione fides. Hvitfeldius autem, cui Svecici scriptores consentiunt anno 1519. factum esse clare ostendit: atque Lubecensium ope, Consulis in primis Nicolai Broemsii, (qui etiam ne reposcenti Erico Bannero, traderetur, obstiterat,) in Sveciam pervenisse ipso anno 1520. ultimo die mensis Maii fretum Calmarniense ingressum; ut in eius *historia* vernacula annotat Ericus Georgii, *pag.* 7. atque tunc cum nuncium acciperet de crudelissimo patris sui, totque aliorum supplicio, in praedio suo Raefsnesensi venationi indulsisse. Sic, praeter Chytraeum *pag.* 265. *seq* Messenius, Loccenius, & inprimis Ericus Georgii in *Historia Gustavi I. pag.* 9. Pufendorfium, & similes novitios exscriptores lubens (sicut in omnibus vetustis rebus,) omitto.

(b) *Et Stenonis ducta filia*) Falsum & hoc. Svaningius, erroris huius Meursio auctor, dicit tantummodo *pag.* 400. promisisse Gustavum, se filiam Stenonis Sture, quondam Gubernatoris, in matrimonium ducturum, atque hac inter alias pollicitatione opus habebat, neque ea utebatur Gustavus: & Svaningius, vel ipse hoc finxit, vel vanum rumorem sectatus est. Christina, Stenonis quondam coniux, erat matertera Gustavi. Et Gustavi prima uxor fuit Magni Saxoniae Ducis filia, quam anno demum 1531. duxit.

(c) *In itinere, quum diverteret*) Rex Christianus scilicet, de quo nunc resumit narrationem noster.

(d) *Ad adfinem Carolum V.*) Auctor *Paralipom.* Abb. Vrsperg. ad 1521. „ Christiernus Danorum Rex ad Carolum Augustum terrestri itinere venit, & humanissime exceptus est. „ Et postea: „ Carolus Augustus una cum Rege Danor. & ceteris Principibus „ Brugas venit, ibi exspectans adventum Cardinalis Eboracensis Angli. Habuit Caesar in comitatu suo Regem Danorum, Archiepiscopum, & Principem Cremensem „ &c. Petrus Martyr Anglerius *Epist.* 724. *pag.* 414. „ Caesar in Flandriam regressus est. . . „ Venit ad Caesarem Rex Daccarum, & Gottorum, Orcadumque „ insularum, quem vulgus dicit Dinamarcam, properato cursu, „ quum intellexerit Regem Gallum esse Caesari sororio suo inimicum. Suas obfert ad unguem vires. Ducem exercitus Caesarei se futurum obfert, comitaturosque suam Maiestatem, quacumque ierit, equites traduxit non multos, peditum obfert numerum quinquaginta millium. Virum aiunt esse procerum, „ & decorum, vultuque miti, & una Martiali animo, sub benignitatis velamine, ingenti, praeseferre Regis egregii auctoritatem scribunt. „ Scripta vero quum haec sit epistola ex Valleoleto 18. *Cal. Iunii* 1521. puto Regem nostrum in Flandriam pervenisse sub mensis Maii initium. Neque adeo *festinato domum rediit*, ac scribit noster. Mansit certe usque in adultam aestatem: quod evincit Io: Bapt. Gramaiie *Antwerpiae lib.* 2. *cap.* 3. agens de Ecclesia cathedrali Antwerpiensi, ubi haec adnotavit. „ Nec tacendum, quod anno 1521. d. 18. Iulii, Caesare, & Danorum Rege primum fundamenti lapidem „ ponentibus, coeperint alium ab oriente chorum, sed hactenus „ imperfectum. „ Idemque, & nostri *Annales* habent, teste Magno Matthiae in *Serie Regum Dan. MS.* „ Anno eodem (1521.) „ in Belgium ad Carolum Imp. profectus Christiernus, honorifice admodum excipitur &c. - - Eodem etiam tempore primus lapis fundamenti chori novi B. Virginis apud Antverpienses positus est ab Imperatore simul & Rege. „ Invenio praeterea, dum Bruxellae haerebat, admodum delectatum fuisse consuetudine Erasmi Roterodami, quem vel *quotidianum convictorem optabat*. Vid. huius *Epistolar. lib.* 23. *ep.* 6. nec non *lib.* 14. *epist.* 7. Et quidem de violentis Caesari consiliis datis tunc subspectum fuisse arguunt nonnulla in *Responsione Frider. I. Regis*. Quum enim Christiernus in sua *Apologia pag. F.* 2. *b.* (verbis Scepperi) dixisset: „ Vulgo dicitur & nostro nos malo didicimus, ob nullam aliam occasionem nonnullos nobis succensuisse, quam quod *liberius* veritatem Caesari totam exposuimus, indeque factum esse, ut eam nos *libertatem* exsilio tamdiu luerimus. „ Fridericus haec istis reposuit, *pag. E. a.* „ Iam quid exposuerit, quamdiu apud Caesarem egit, aut quam *liber* fuerit, tantundem nihil ad hunc locum facit. Quid autem litterae illae, Gallica lingua scriptae, adulatoriae ne an *liberae* rectius vocabuntur, quibus mansuetissimum ingenium, „ Carolum inquam, a fide intimorum quorumcumque Procerum avellere studuit Christiernus? Tum certe *liber* nimis exstitit, cum a Christiani Orbis Monarcha, suae crudelitatis exemplum frustra exigeret, cum iuvenilium annorum innocentiam „ caedibus, & humano sanguine imbuere conaretur; cum ipse „ non satis beatus tyranni cognomine sibi videretur, nisi in istam „ car-

CIↃ IↃ XXI.

deinceps feudum Holsati a se acciperent (a): a quo perbenigne exceptus, quum non difficulter item postulata impetrasset (b), festinato domum rediit, Inter haec Gustavus ille, de quo paullo ante dixi, e primaria Sveciae nobilitate adolescens, quem captivum Christianus secum abduxerat, & Bannero consanguineo dederat custodiendum, tempore quo e Dania ad Albim flumen agi boves consuevere, ipse quoque, vili veste se amiciens, tam-

„ carnificinam. Austriacae domus nobile decus Carolum quintum „ pelliceret. Praeterea quid studio habuerit, quamdiu Caesaream „ aulam sectatus est, neque nescit ipse, neque nos ignoramus. „ Verum attingere nihil amplius volumus, ne defendendi ne- „ cessitas in accussandi rabiem degeneret. „ Quo etiam in *Pii Servilii Ligurini Defensione MS.* verba haec: „ Tu ad Caesarem „ venisti, & quod nemo certe bonus in alieno faceret, tu in „ patruum tuum fecisti, clanculum traduxisti, in aurem Cae- „ sari dixisti, donec aequissimus ille audire diutius solum te no- „ luit. Tu agere sine arbitris solus cum solo magnopere con- „ tendisti. At Caesar sacratissimus agere sine arbitris renuit, &, „ ut decuit Caesarem recusavit. „ Ad idem quoque iter Belgicum, (non ad alterum an. 1523. ab exule susceptum) spectant ea, quae Amstelodami inter Regem, & Nidrosiensem Archiepiscopum Ericum Valckendorfium acta sunt. Fuerat iste Praesul suo Rege Ioanne, & initio regni Christiani in summa apud hunc gratia: qua vero Sigbrittae calumniis, (cuius filiam a Regis amplexibus amovere, Reginae, & Caesari Carolo gratificaturus, studuerat,) tantopere post exciderat, ut inimicissimum Regem sentiret, atque a praefectis eius indigna indies pateretur. His tamdem vexationibus fessus, constituit sub hoc tempus in Daniam navigare, causamque suam apud ceteros, qui ibi erant, Praesules deponere, (utor Pontani verbis in *Hist. Christ. II. MS.*) Idque dum agit navigatque, oborta de subito tempestas, navem, qua vehebatur, in Hollandiam detulit. „ Cum igitur (pergit Pontanus,) Amstelodami esset, „ idque Regi, qui eodem accesserat, significaretur, continuo mi- „ sit, qui ad se hominem adduceret. Sed Archiepiscopus, de- „ lata ad Magistratum causa, cum se ad Pontificem Rom. Pro- „ vocare, nec eo loci Regis sui imperio teneri responderet, ni- „ hil in eum permittendum Regi Magistratus Amstelodamensis „ iudicavit, frustra reponente Rege, se hoc nomine indemnes „ ipsos praestiturum tam apud Pontificem Maximum, quam apud „ Caesarem. „ Exposuit hoc ipse atque plura idem Archiepiscopus in litteris ad Regni Daniae Senatores datis *ex Civitate Traiectensi ipso die S. Augustini Episc. & Confessoris* (h. e. die 28. Augusti) anno 1521. quas litteras plene exhibet Hvitfeldius in *Hist. Christ. II. pag.* 192. *ss.* Pontanus in *Rerum Amstelodamensium historia* sua perperam ista retulit ad an. 1523. *lib. I. pag.* 30. sed postea in *Danicae historiae altero Tomo* correxit: ubi praeterea ex Hvitfeldio memorat, Valckendorfium, post aliquam Vltraiecti moram, profectum fuisse Romam, ut causam, & innocentiam suam ad summum Pontificem deferret: ac ibi dum haeret, & aes sibi alienum contrahit, ex hac vita migrasse.

(a) *Holsati a se acciperent*] Non possumus non succensere Cancellario Hvitfeldio, historiae nostrae post Saxonem Grammaticum parenti, quod tam bene a monumentis rerum gestarum instructus, neglexerit causas, & occasionem nobis narrare profectionis Christiani Belgicae, & quaesiti privilegii de Holsatia beneficiario iure conferenda. Vnde & nullus postea scriptorum negotium istud recte explanavit. Ita vero sese habuit: Postquam Imperator Carolus V. anno 1520. per universum Imperium Romanum publicari fecerat, sese sub initium sequentis anni prima sua Comitia Wormatiae celebraturum, cunctosque eo Germaniae Principes, ac Status evocarat, Fridericus Dux Holsatiae protinus litteras ad Christianum Regem, tunc in Svecia agentem, dedit, quibus consilium eius, & voluntatem de mittendis ad Comitia Legatis, & qualibus forent mandatis ii, praesertim quod ad Ducatum Holsatiae, Stormariae, & Dithmarsiae confirmationem, instruendi, exposcebat. Ad has Christianus respondit, se iam Svecico bello implicitum, minus vacare posse isti deliberationi, rem tamen sibi alias satis curae fore. Fridericus interim, obsequium vocationi Caesaris praestandi certus, ne quid sibi culpae, aut noxae negligentia tantae rei attraheret, misit Wormatiam filium suum Christianum (tunc adolescentem, octavum, & decimum agentem annum.) Is a Ioachimo Electore Brandeburgico, avunculo suo, cuius in comitatu venerat, Caesari commendatus, perbenigne excipitur. Et, cum de feudo Holsatico iniiceretur mentio, postquam parentis nomine exposuisset, illius *feudi collationem* ex veteri instituto, quod Sigismundus, & Albertus Imperatores confirmarant, petitam fuisse, atque factam ab Episcopo Lubecensi, declaravit Caesar, sibi nunc potius placere, constitutumque esse beneficium illud per se ipsum, quam per Lubecensem Praesulem donare, obtulitque Principi Christiano, siquidem praesens esset, *feudi* a sua manu collationem. At Princeps de acceptando nullum mandatum habens, dilationem petiit, Caesarisque benevolentiam summa gratiarum actione veneratus, facile *indultum annale*, ut vocant, impetravit; quo scilicet res interea cum patruele Rege Daniae deliberari posset. Vix reversus e Germania erat Princeps, cum Rex Christianus, de Caesaris in Belgium discessu factus certior, eo abire parat. In itinere Rex patruum Fridericum invisit, colloquitur de negotio feudi Holsatici, spondet se omnia apud Caesarem affinem suum effecturum, nulla cum Ducis iniuria, maximo vero eius, suoque commodo. Istud autem promissum quomodo deinceps impleverit, haud rectius, quam ex ipso Caesaris diplomate, *Gandao Flandror. die* 21. *Iulii* 1521. dato cognoscitur. In eo enim dicitur, „ concessos quidem olim ab Imperatori- „ bus fuisse Ducatus Holsatiae, ceterosque Praesuli Lubecensi hac „ lege, ut eosdem Ducatus ab Imperio ut beneficium accepta- „ ret, atque inde Imperii nomine in possessores transferret, clien- „ telari ratione, & modo. Sed cum aliquandiu Praesules illi ac- „ ceptare ab Imperio Rom. neglexerint eosdem Ducatus, hique „ ideo relapsi ad Imperium sint, idcirco Caesarem Ducatibus il- „ lis ornare, donareque Christiernum II. Daniae &c. Regem, „ (praesertim cum & ius ei haereditarium in eosdem compe- „ tit,) ut nimirum in posterum Holsatiae ceterique illi Ducatus, „ tamquam feudum, ut vocant, secundarium, ab illo posterisque „ Daniae acceptarentur Regibus, neque exinde Caesarem aut suc- „ cessores eius unquam Episcopo Lubecensi eiusmodi potestatem „ permissuros „ &c. In eandem quoque sententiam litteras Rex ad Fridericum patruum obtinuit, queis Caesar eum iterum, serioque commonuit, „ ut privilegio Daniae Regi indulto promptum „ commodaret obsequium, ab eoque solo Ducatos suos cliente- „ lari more acceptaret, neque ei ullo se pacto opponeret, prae- „ sertim quum Christiernus cum regnis suis, ditionibus, ac po- „ pulis non uno modo adesse Imperio Romano, ac prodesse „ posset, & praeterea postulatum eius videretur esse honestissi- „ mum. „ Ea Friderico parum grata accidisse quivis existimare potest; ineptusque nimis est Scepperus in hoc capite accusationum diluendo, sicut postea pluribus ostendemus, (v. infra *ad Col.* 778. *a.*) Nunc unum ex Friderici *Responsione* locum (*pag. G.* 3.) afferemus, ubi sic infit: „ Christiernus, „ qui rem, & suam, & nostram recte curaturum pollicitus e- „ rat, quando in Belgas usque Caesarem secutus abivit, quid „ fecit? Nos ne sicut receperat defendit? Nonne communem „ donationem sibi & nobis, quantum ad Ducatus Imperio sub- „ iectos attinet, impetravit? Immo sibi suisque dominium, mi- „ hi cum tota posteritate servitutem quaesivit. Quam equidem „ non ita sum ingenio rudis, ut non intellexerim longe tolera- „ biliorem sub Episcopo mitrato, quam sub Rege non minus „ potenti, quam crudeli, me habiturum. „ Arguebat etiam malam in Rege conscientiam, quod rogatus post reditum, neque patruum invisebat, neque per alios sciscitanti sustinebat statim profiteri, quidnam apud Caesarem effecisset. Hinc in *Servilii Ligurini Defens. MS.* sic compellatur: Ista fuere egregia illa „ Tua negotia. quae apud Caesarem sacratissimum, contra tuam „ dignitatem vix paucis comitatus equitibus, in Belgicis nunc „ expedivisti tanto imponendi studio, ut fateri non auderes. An „ memoria excidit, missum a nobis ex Secretariis nostris unum, „ ut te revertentem percontaretur, quid apud Caesarem in cau- „ sa nostra expedivisses? In feudo Holsatico quidnam egregium „ impetrasses? Quem cum audire primum tu non dignabare, „ ille te a Necopio Rodebuam secutus, ut finem sciret, percon- „ tari non desiit. Ubi tu ea, quae ambieris, concelans, ita am- „ bigue tandem, neque aliud respondisti: „ Non putare te, Nos patruum tuum futurum tibi ita statim hostem, si non diceres, „ quae egisses. „ At Hvitfeldius Secretarium Ducis illum, qui responsum hoc acceperit, Thomam Koppium dictum, de alio negotio missum ad Regem scribit *pag.* 222. Mihi narratio Ligurini videtur verisimilior.

(b) *Postulata impetrasset*) Haud aliud quidem Meursio, ut apparet, notum fuerat postulatum, quam illud de feudo *Holsatico*. Sed & quaedam praeterea petiisse Christianum atque impetrasse, constat. Plura etiam, quam obtinuit, flagitasse, nullum dubium. Impetravit utique ad Lubecenses, de quibus gravissimas accusationes detulerat, mandatum Caesaris, editum Brugis *die II. Augusti eod. an.* quo ipsis sub poena bis mille marcarum auri puri interdicebatur, aliquid commercii cum Svecis rebellibus exercere, aut querelas suas contra Daniae Regem bello persequi, iniuncto simul, ut controversias omnes, quas cum Rege haberent, finerent iure determinari. Quam in rem Caesar Commissarium ordinavit Henricum Episcopum Ratzeburgensem. Vid Hvitfeld. *pagg.* 196. 223. & 226. Scepperi *Respons. pro Christierno ad Articulos Lubecensium pagg. A.* 4. *a L.* 2. *b. M. a. &c.* Ceterum & aliquid hic memorabile suggerit Servilius Ligurinus in *Defensione Friderici MS.* unde animadvertes, non plane voti potitum fuisse, quantum ad Lubecenses. Verba sunt: „ Lubecam, urbem praestantissi- „ mam, & Imperii Romani gazophylacium non contemnendum, „ tu vilem, & parvulam ementitus, ut domo tibi eam Caesar „ daret, & militum millia quatuor ad tirannidem tuam petiisti „ supplicans. Quae & alia pleraque importuna tua postulata „ Caesar sacratissimus detestatus est, & avaritiam, ne dicam stul- „ titiam tuam abominatus, iuste universa denegavit, facile ani- „ madvertens, te donis, & auxiliis talibus finitima quaeque per- ditu-

CIↃ IↃ XXI.

tamquam boum agitator, clanculum Lubecam venit; ac, ſenatui ſe aperiens, cui tunc contentio cum Chriſtiano magna erat, de urbis ſuae privilegiis commeatum, & auxilium, quo reduci in Sveciam poſſet, dari ſibi poſtulavit. Neque ille recuſabat; ſed, retenta vili veſte, qua advenerat, novam induens, navem addit, quae in Sveciam reportaret. Vbi quum ignotus diu, & labore mercenario victum quaerens, oberraſſet, tandem ad Dalecarlos ivit, inter Svecos fortitudine excellentes: & initio quum paucorum amicitiam comparaſſet, mox in gratiam caeterorum ita ſe inſinuavit, ut ad arma univerſos concitaret; inde, aliis tota Svecia concurrentibus, iuſtus iam exercitus erat. Cuius dux renunciatus, ſtatim omnes ſacramento ſibi obſtringit, & in regios impetum facit; quos obtruncat, aut expellit: & proregem inter iſtos Theodorum, inſolentia, avaritia, ac libidine ſupra omnes odioſum. Igitur, deficiente tota Svecia, profugus inde Theodorus Chriſtiano rem renunciat. Qui, tametſi periniquo hanc rebellionem ferret, & in Svecos expeditionem novam cogitaret, tamen, ob Chriſtinae matris ſuae obitum, cuius tunc curandum ipſi funus erat, differre in ſequentem annum eſt coactus. Erat ea filia Erneſti Saxonis, Electoris; & Ioanni, huius Chriſtiani patri, ut in rebus Chriſtiani I. retuli, nupta fuit anno CIↃCCCCLXXVIII. annos decem ac ſeptem nata; exactiſque in coniugio annis quinque, & triginta, in viduitate octo, obiit ſexagenaria: femina ut multis dotibus, quae faſtigium hoc decerent, exornata, ſic inprimis pietate. Tumulata eſt Othoniae, in qua urbe vitae ſedem vidua ceperat, in coenobio Franciſcano, ad mariti regis latus. Id coenobium opere, & ornamentis multo illuſtrius reddiderat: ac virginibus duo ſtruxerat, S. Clarae dedicata; unum Haſniae, & Othoniae item alterum. Dum exſequias matri parat, comprehendi Theodorum, e Svecia eiectum, ac ſervari arcte iubet, inde quaeſtioni ſubiicit; tum, flagitia multa faſſum, & ingentia, iterum cuſtodiae mandat; mox ſupplicio, quod meruerat, affecturus.

CIↃ IↃ XXII.

Itaque, curato funere ad XXIV. diem Ianuarii, rege peregre profecto, & Sigbritta, cuius ſola commendatione creverat, item abſentiam ſimulante, ad ſupplicium producitur, collo in laqueum inſerto. Quumque in forum perveniſſet, ad patibulum, ſed non ipſi conſtitutum, ducebatur. Quod quum lictor, eum reſte iniecto trahens, paullum per appoſitas ſcalas aſcendiſſet; ad captivum ſe convertens, per ludibrium, *Satis*, inquit, *in itinere hoc profecimus: alio progrediendum eſt*. Tum deſcendens, verſus curiam eum ducit, ubi ignis ingens urat. In hunc illum, ſcalis illigatum, iniicit; aderat praeco, qui pronuntiabat cauſam: & flagitia eum tanta, ac tam multa commiſiſſe memorabat, ut pro meritis nulla pena ſatis eſſet. Erat Theodorus iſte (a) gente Weſtphalus, arte tonſor; qui quum Romae adoleſcens aliquamdiu aegre vitam toleraſset, mox in patriam eſt reverſus; inde in Daniam profectus, quum Sigbrittae per Hermannum, eius fratrem, innotuiſset, regi ab ea commendatus, tanta ſtatim apud eum gratia fuit, ut, praelatus omnibus familiaribus, ad honores quam ampliſſimos paullo poſt eveheretur. In Italiam, quia linguam illic tonſor addidicerat, ad Pontificem ablegatus, mox Lundenſis Archiepiſcopus (b), atque regni Daniae primas conſtituitur. Inde, ſubiugata Svecia, & Scarenſi quoque Epiſcopo, uti ſupra a me dictum, in-

„ diturum. „ Atque ego aliter iudicare non poſſum, quam inauſpicatam fuiſſe Chriſtiano hanc in Belgium profectionem, qua male rebus ſuis conſuluerit, idque effecerit, ut cum poſtea illuc rediret exul, occluſa fere omnia inveniret, modicaque tantum auxilia vix exprimeret. Etenim (loquor de priore itinere an. 1521.) offenderant haud parum Caeſarem magnifica illa verba, & pollicitationes, (de quibus Petri Martyris teſtimonium ſupra attulimus,) eo tantum, ut mox apparebat, oſtentatae, quo aviditatem ſuam Chriſtianus, atque poſtulata, iuris, & aequi normem excedentia, queis Caeſarem obtundebat, obtegeret, Chriſtianum viciſſim longe magis urebat Caroli, ut interpetrabatur, durities, nempe qui maximam partem eorum, quae expetebantur, abnuebat. Moleſtum ſe quoque animadvertebat illis, quorum conſiliis innitebatur Carolus, hiſque imputabat, quod & numquam fere ad Caeſarem admitteretur ſine arbitris, & petitiones pleraſque ſuas videret oppugnatas. Acceſſit, praeter alia, (inque his domeſtica quaedam, quae non attingimus, Hvitfeldio, & Pontano in eodem anno commemorata,) quod modico inde tempore, vixque trimeſtri poſt reditum e Belgio, litteris a Caeſare admoneretur, ut temperaret Lubecenſibus, liberamque eis navigationem cum ablatorum reſtitutione indulgeret, ut ſupra dictum. Tot ergo cauſis exacerbatus noſter, loco amicitiae erga affinem Carolum odium plane mente concepit, quod continere adeo haud potuit, quin nonnumquam in convitia, & contumelioſa dicta erumperet. De quo itidem habetur in ſcripto *Servilii Ligurini* locus, haud parum memorabilis, quemque nec pigebit propemodum integrum hic adſcribere: „ An memoria excidit, cum annis ſuperioribus tu cum Principibus aliquot Flensburgi eſſes; & veſpera iam appeteret, tu in hoſpitio tuo, praeſente coniuge tua Iſabella, Regina illuſtriſſima, ac honore omni digniſſima, cum de Gallo Rege ſuboriretur ſermo, quam plauſibiliter acceperis Gallum laudari, Gallique praeconium praedicari. Nempe, ut ſubſcriberes, vellus, quod in collo tuo aureum, Caeſaris ſacratiſſimi munus, inſigne certe venerandum, de collo tuo ſubiratus imo Caeſari aperte ſuccenſes, detraxiſti, & nonne in pulveres illud ſubter ſcannum proieciſti, ſpectante Caeſaris ſorore, coniuge tua illuſtriſſima? Nonne & addidiſti in Caeſarem opprobria in hunc modum: Ibi Caeſar iacet; hic ſtat Rex Gallorum! te digitis indicando. - - - Abiit vero Regina tum a te lacrimabunda, inſolentiam, ne dicamus perfidiam tuam ſpectare longius non paſſa. - - - Teſtes, praeter Reginam illuſtriſſimam poſſumus, ſi neceſſum, ſiſtere, aulicos & purpuratos non paucos, qui fuere praeſentes; inter quos Eques ſtrenuiſſimus, Magnus ille Goyaeus, Magiſter iam curiae, & curiarum ſupremus. Poſſunt & teſtari cum Henrico eius fratre, alii a ſecretis tuis, qui in humanis omnes adhuc. Sed quid aulicos? Quid, purpuratos adpellamus? Ac non potius Ioachimum Marchionem, Principem illuſtriſſimum, Imperii Rom. Electorem, & Albertum Ducem Megapolenſem, inclytum Principem Imperii Romani? Qnid illis maius vis? Quo, tu, Chriſtierne, animo putas fuiſſe illos, cum ſpectaculum tam inſolens viderent? Quorum vel maxime intererat Caeſaris indolere ignominiam, a te ingeſtam, quorum alter potiſſimum ut Caeſar declararetur enixus, & a Conſiliis inſuper Sacrae eius Maieſtatis, alter illius ſe ſacramento non ita pridem ante in Vangionum urbe obſtrinxerat, & imperio eius, ut decuit, colla ſubmiſerat. „ Haec, & ſimilia de Rege iſto cum ſe offerunt, venit in mentem, quod Svaningius (ne alios plures memorem) in hiſtoria eius dicit non procul a fine, *pag.* 497. „ *Attraxerat ex parte patris nimium melancholiae, qua adeo ſuperabundavit pater eius, ut non raro deliravit*.

(a) *Theodorus iſte*) Cognomen ei erat *Slagheck*. Ac fratrem habebat Hermannum Slagheck, cui Chriſtianus, Sveciam anno 1520. relinquens, tutandam Stockholmiae arcem, atque urbem, una cum Henrico Goyaeo, & Godſcalcho Ericio, commiſit. Sigebrittae cognatos fuiſſe Slagheckios fratres nonnulli perhibent, & ſic Magnus Matthiae in *Chron. Epiſc. Lundenſ. pag.* 229.

(b) *Mox Lundenſis Archiepiſcopus*) Suffectus fuit Georgio Schotborgio, quem Archiepiſcopo Birgero anno 1519. extincto, ſucceſſorem Rex nominarat, Aggone Sparrio, qui a Capitulo electus fuerat, iure ſuo cedente. Erat tunc Schotborgius Regi a ſecretis, & Archidiaconus Eccleſiae Aarhuſienſis, nec una, ut ſupra vidimus, ad exteros legatione operam ſuam Regi probaverat. Sedem autem Lundenſem haud diu tenuit. Cum enim Rex ſibi inſulam Bornholmiam tradi iuberet, Schotborgius autem

inter ceteros interfecto, eius item Episcopatum impetravit; denique Sveciae etiam prorex, dignitate nimium proterve usus, semetipse, & Danorum in id regnum potestatem, numquam post recuperatam, pessumdedit. Omnibus illustre exemplum, quam incertae res humanae: nec potentiam, quamvis summam, unquam diuturnam esse, ni virtute, ac prudentia, maximaque moderatione animi, temperetur; atque sic exerceatur, ut in sese exerceri quisque velit. Sed plerumque usuvenit, ut qui, loco obscuro nati, ad honores evehuntur, non tam per virtutem suam, quam fortunae, quae illudere vult interdum, beneficium, ii mox lascivientes, nec felicitate sua moderate sat utentes, cunctis graves, sibi noxii, subito deiiciantur: plane sicut pilae solent: quae, vi aliena impulsae, ubi alte adscenderunt, sese in fastigio illo substinere nequeuntes, statim decidunt. Christianus, mense Augusto magnum adducens equitatum, in Holsatiam proficiscitur (a); ac Flensburgum quum venisset, Fridericum, eius ditionis ducem, patruum suum, & nobilitatem omnem, Stenderboum adesse iubet: quo quum sine ulla mora cum exiguo comitatu Fridericus advenisset, est miratus, quod amicum ad conloquium rex armatus accessisset. Post salutem utrinque dictam, infit statim Christianus; *esse quaedam, quae cum patruo, ac nobilitate item universa, omnino agat, eaque non tantum ad regni, sed ducatuum quoque, commoda pertinere*. Ad quae postquam Fredericus respondisset, *nec nobilitatem totam convenisse, neque solitam eo loci convenire; ideoque rem momenti alicuius constituere illic velle sine absentium consensu, minime opportunum fore: seque a nepoie rege postulare, ut hanc libertatem suam boni consulat*: regerebat Christianus; *si iis locus displiceret, Levensovium capi posse*. Atque ita, Friderico adprobante, a conloquio discessere. Fridericus tunc Gottorpii nobilitatem ad convivium invitaverat; ubi quum inter sermonem rem hanc omnem retulisset, pariter mirati omnes, quod armatus ad conloquium ducis patrui Christianus advenisset, ipsi etiam Chilonem manu armata convenire, atque inde Levensovium ducem suum comitari decrevere. Porro, ut cognoscere possent, an eodem quoque Dani in armis conventuri essent, nocte insequente mittunt, qui rem omnem exploraret. Ac, renuntiante eo, itidem armatos fore, ipsi etiam arma sua attulere. Fridericus se Gottorpii continebat; filiumque Christianum, qui obiret vicem suam, ablegabat; Ioannem Rantzovium, si absentiam forte rex iniquius ferret, respondere pro se iubet: *quia armatus Stenderboi ad conloquium accessisset, ac se eo facto magis hostem esse, quam nepotem, aut amicum ostendisset, non putasse, propius sibi accedendum*: quod si insuper quaedam ditionibus gravia, nec ferenda postularet, *nihil se ad ista respondere posse*, adfirmaret: *sed ad Principem relaturum, qui idcirco filium suum huc misisset*. Quumque iam ad Levensovium, qui est rivus quidam exiguus, limes agri Slesvicensis, & Holsatiae, regem appropinquare Holsati, qui priores huc convenerant, accepissent; illico conscensis equis, obviam eunt. Rex, quum propius accessisset, patruelem Christianum conspicatus, ocyus adit; &, porrecta prius dextera mox eductum in eundem gladium vibrans, blando vultu: *etiamne*, inquit, *ferro vos armati advenistis?* Ac,

tem fidem suam obverteret iureiurando Capitulo obligatam, ne quicquam Ecclesiae bonorum alienaret, subito amorem Regis in odium conversum sensit. Itaque graviora mala metuens, Hafniam se confert, ibique sumpto monastico habitu eorum, qui Franciscani adpellantur, non tamen Monasticen professus, clam sese ex regno subducit. Romam inde se confert. Dumque ibi commoratur, intelligit, Christiano Rege e regnis profugo, Fridericum I. regnare; cuius ad Pontificem Clementem VII. impetrata commendatione, confirmatus est ad Sedem Lundensem iussu Papae per Episcopos Bremensem, & Lubecensem. Inter haec Fridericus Rex, ab aliis edoctus, Georgium non tam electum, aut vocatum fuisse legitime, quam a Christiano per vim intrusum, revocat commendationem suam, novisque litteris Papae Clementi commendat Aggonem Sparrium, utpote solum a Birgeri morte rite, & canonice electum. Quo Georgius animadverso, non ausus unquam est in Daniam redire, sed Coloniam Agrippinam profectus, in album tandem Canonicorum Divi Gereonis adscitus est, postea ibidem an. 1537. *d.* 15. *Decembris*, ut ex epitaphio constat, extinctus. Haec ex Magni Matthiae *Catal. Episcopor. Lund. p.* 226. *ss.* & Hvitfeldii *Chron. Episcopor. Dan.* Chytraei *Chron. Sax. lib.* X. *pag.* 310. „ Georgius a Schotburg Archiep. Lundensis, Coloniae postea apud Ioannem Rincum patritium aliquot annos vixit; tandem Hermanni de Weda Archiepiscopi Suffraganeus fuit, & senex an. 1551 exeunte decessit. „ Multo vero plura ad historiam, & facta eius enarrat Io: Svaningius in *Hist. Christ. II. lib* 2. *cap.* 6. §. 7. 8. 9. quae brevitatis studio omittimus. Ceterum amplum ei viro elogium scripsit Laur. Surius Cartusianus in *Commentar. rer. in orbe gestar. pag.* 77. *seq. prim. edit.* Sic autem habet: Sub „ hoc etiam Rege (Christierno) multa perpessus est vir insignis Georgius a Schotborch Lundensis Archiepiscopus, quod „ ei nollet tradere insulam Bornkolmensem. Is Episcopus tandem „ propter iustitiae defensionem exsul a sede, & a patria sua, „ Coloniae Agrippinae mortuus est, post multas huius vitae „ aerumnas, & calamitates, quas constanti animo non paucis „ annis perferre maluit, quam dioecesin suam non ut pastor, „ sed ut vilis mercenarius, prodere tyrannis. Habitavi ego aliquamdiu in aedibus eius cum Coloniae litteris operam darem, „ multaque vidi in illo virtutum exempla. Vtebatur saepissime „ aspero cilicio ad nudum corpus, atque in precibus erat adsiduus. Rara quaedam in illo prudentia cernebatur, & morum gravitas. Quando exsul venit Coloniam, hospitio receptus „ est a D. Iohanne Rinckio patritio Coloniensi, viro celeberrimo, atque integerrimo, ab eodemque, & honestissima eius „ coniuge tractatus est humanitate incredibili. Solebat is Rinchius postea de illo dicere: Fuit exemplo mihi, & meis. „

(a) *In Holsatiam proficiscitur*) Oportebat hic causas adiicere, vel verbo saltem indicare, huius profectionis, totque conventuum, inde institutorum. Erant autem, ut Rex, qui modo geminum bellum meditabatur, ac parabat, unum adversus rebellantes Svecos, alterum in Lubecenses, auxilia satis valida a Friderico patruo, & Holsatica nobilitate obtineret, aut potius id consequeretur, ut dum ipse ad Svecos domandos cunctas suas vires conferret, Dux Fridericus, & Holsati premerent Lubecenses, & a firmandis Svecorum rebus averterent. Ceperant enim Lubecenses, iamdudum variis ex causis irritati, (tum ob nova mercibus vectigalia imposita, tum ob novam Hafniae *Stapulam*, ut vocabant, erectam, tum denique ob commercia cum Svecis occlusa,) aperte Svecis sese adsociare, cunctaque commeatus, & ceterorum ad bellum necessariorum genera illis adportare. Et cum Christianus superiore anno mandatum Caesaris ad illos impetrasset, quo severe ipsis sub poena bis mille marcarum auri puri interdictum, ne cum Christiano bellum gererent, aut hostes eius adiuvarent; (vid. supra ad *Col.* 771. *a.*) illi intra eiusdem anni finem, mense scil. Decembri, aliud a Caesare mandatum obtinet, & querelis suis exprimunt, quo Christianus admonebatur, ut Lubecenses cives, & mercatores liberos ab exactionibus sineret, quoquo versum navigare, & negociari, nec non priuilegiis suis frui, ablataque eis restitueret &c. Interim Episcopus Ratzeburgensis, a Caesare ad componendas lites nominatus, omnem operam dabat, ut eae sopirentur, & utramque partem primo Flensburgum, inde Lubecam evocabat. Sed Christiano non desistente Lubecensium naves versus Sveciam euntes intercipere, hi sub ipsum tempus, quo de compositione agebatur, Bornholmiam invasere, aliaque per quam hostilia designantes, bellum adeo nondum indictum inceptarunt: quod in utraque *Responsione* contra *Fridericum*, atque *Lubecenses*, manifestum Corn. Scepperus reddidit.

CIↃ IↃ XXII.

Ac, quum dato tubae signo equites iam convenissent. progressus in medium Rantzovius, Principem suum Fridericum excusabat, quod non, ut statutum erat, ipse quoque advenisset. Rex, qui facile animadverteret, ita convenisse Holsatos, ut, si quicquam ab illis gravius postularet, plane negaturi essent; per Rantzovium, quem virtute, & prudentia eminentem multum etiam valere auctoritate apud eos satis exploratum habebat, ipsos hunc in modum adloquitur: *nullo modo sibi dubium, quin Holsatis universis innotuerit, quas ob causas bellum inferre Lubecensibus cogeretur: itaque orare enixe, ut consilio, & auxilio praesto sibi esse velint. Quod si faciant, sedulo id curaturum, ne deinceps operae eos poenitere suae possit;* Ad quae postquam de re paullum inter se deliberassent, per Rantzovium responderunt. *Nec inducere animum posse, nec teneri, ut hostes regni suos facerent, quum potissimum nec auctores lacessendi exstitissent, nec consi[l]ia contulissent. Ad haec, si in Lubecenses arma sumant, regi nullo modo utile; sibi perdamnosum fore. Itaque rogatum cupere, ne, quod iuste recusarent, denegari aegre ferat.* Sic conventus plane ut Stenderboensis, frustra fuit; & Gottorpium rex discessit, illic noctem habiturus: Chilonem Holsati, unde venerant, rediere. Rex, Gottorpio discedens die postero, Redensburgum se recipere; quo consiliarios pridem Ioachimi, Marchionis Brandeburgici (a), evocaverat, ut consilio eorum, operaque Stenderboi in conventu uteretur. Qui Flensburgum quum venissent, ibi loci substitere, exspectantes, quid rex vellet. Hos quum ad se Redensburgum evocasset, mox eodem Caroli Quinti Imperatoris oratores advenere. Quibus quum conventus utriusque acta indicasset, iterum a Friderico patruo peramanter petit, *ut Flembudam quosdam e consiliariis, die in literis constituto, mittere velit; se eodem aliquos missurum esse;* & utrinque ablegati advenere. Verum, quia graviora, quae tractare iussi erant, viderentur, in id omnes consensere; *ut Borsholmium, clarum Holsatiae monasterium, ipsi principes convenirent, & externos illuc ad se convocarent; quorum arbitrio, quicquid inter partes esset controversiae, seu antiquae, sive novae, tolleretur.* Quaedam vero capita erant; & in illis primum istud. *Quod a Carolo Imperatore, adfine suo Christianus singulari indulgentia privilegium accepisset, quo ducatum* (b) *Holsatiae,* *aliof-*

(a) *Consiliarios Ioachimi Brandenb.*) „ Hvitfeldius testatur ad „ fuisse ipsum Marchionem Brandemb. Ioachimum, nec non „ Henricum, & Albertum Duces Mecklemburgenses „ *Frid. Gunther.* Ita est. Ac praeter illos aderat quoque Episcopus Ratzemburgensis Henricus. Bergmeyerus, ad conciliandos Regem, & Lubecenses, pacemque inter eos discussis controversiis firmandam, Caesaris mandato, ut supra dictum, instructus. Hoc, praeter Hvitfeldium *pag.* 226. & Chytraeum *Saxon. Chron. lib.* X. *pag.* 301. late memoratur in Scepperi utraque *Apologia*, nec non in Friderici *Responsione ad Christiernum*.

(b) *Privilegium accepisset, quo Ducatum*) At nullo antea verbo indicavit noster, de hoc privilegio quicquam controversum fuisse, aut in tot conventibus, quos enumerat, Stenderboensi, Levensoensi, Rendesburgensi, Borholmiensi, actitatum; cum tamen primum fuerit, ac praecipuum, cuius gratia conventus illi instituti: Diximus supra (ad *Col.* 771. *a*.) aegre tulisse Fridericum, eiusmodi privilegium Regi ab Imperatore datum, Regemque initio illud clam Duce habuisse. Sed quod omiserunt narrare Svaningius (*Hist. Christ. II. lib.* 3. *cap.* 1.) eiusque vestigia legens noster, res iam antea in disceptationem venerat. Tempus quidem accurate definire nescimus, sive versus finem anni 1521. sive sub initium fuerit sequentis, (monumentis, quae rem memorant, cunctis illud tacentibus) quo in Cimbriam Rex profectus, Ducem Fridericum ad se evocarit, ut mandato de *Feudo Holsatico*, quod a Caesare acceperat, praesenti ei exhiberet. Hoc scimus, factum Coldingae fuisse, remque multorum testimoniis confirmari, scil. Hvitfeldii *pag.* 196. Scepperi in *Apolog. pro Christ. II.* ac Friderici I. *Respons.* Hamelmanni in *Chron. Oldenb. pag.* 228. aliorumque; Et historiam huius conventus, (quo nihil utile profectum) quia eum omittit Meursius, repraesentabimus verbis Pontani, qui interpretem Hvitfeldii per quam fidelem agit. Ita vero ille, inter res anni 1521. referens: „ Hinc reversus e „ Belgio Rex evocari ad se Coldingae curavit Holsatiae Du„ cem Fridericum patruum suum. Is ubi advenisset, in spe„ ciem, atque honorem intra arcem hospitium ei adsignatum, „ relictis, quos secum adduxerat, in oppido plerisque. Statim „ deinde exhiberi ipsi mandatum Caesareum fecit, quo impera„ batur, ut ab ipso, non autem Episcopo Lubecensi Holsa„ tiae Ducatum, haud aliter, quam Slesvicensem subsciperet. Ea„ dem qua advenisset nocte, erigi in terrorem patibula, ac fur„ cas circa forum curavit, idque ante fere hospitia, in quibus „ divertebantur Holsati, quo eo scilicet citius Dux postulatis eius „ assensum commodaret. Verum Slesvicensem Ducatum quod „ attineret, non negabat Dux eum ad Daniae regnum specta„ re, & ab eo eiusque regibus solenni more subscipiendum, sem„ perque fuisse subsceptum. De Holsatia vero aliter rem habere „ demonstrabat, & tantillum sibi temporis a Rege concedi pe„ tebat, ut de eo cum Ducatus sui nobilitate, ac proceribus „ publico indicto conventu agere liceret. „ In hac narratione illud, quod de *furcis* refertur, multis postea querelis, ac certaminibus locum dedit, Christiano rem adeo abominandam inficiante, omnemque operam dante, ne tam atrocis incepti auctor crederetur, Friderico contra, & Holsatis omni eius invidia ipsum onerantibus. Et invenit quidem hucusque Scepperus, quibus persuasit, rem confictam fuisse, Regemque hic praeter veritatem & fas accusatum. Verba eius, ex multis, (nam tres integras impendit pagellas huic *somnio*, ut adpellat, refellendo) haec sunt: Nunc vero furcam ad hospitium „ tuum erectam fuisse quis testabitur, patrue? Te interroga„ mus, ad arcem tu erectam furcam intuitus es? Age, dic, „ testare. Minime: scimus dicturum te. Sed in oppido furca „ fuit. Bene habet autem. Sed numquid erecta eo, quo ais, „ tempore? Sex illa mensibus prius ad facinorosorum terrorem „ erecta fuerat, anteaquam eo venturus dignoscereris; quid er„ go ad te? Sed hospitium tuum contingebat, ais. Non tuum, „ mi patrue; nam in arce nobiscum eras: sed si forte, quod „ novimus, lixae tui eo in hospitio versabantur, non hercle „ magis interpretari debes honori tuo vim illatam esse, quam „ si in cariosam aliquam domum calones tui incidissent. Quid „ enim hoc nos possumus, patrue, sex forte mensibus transa„ ctis aliquot peditum cohortes eam urbem transierant, & ex „ more militari ad nebulonum terrorem furcam erexerant. Ab„ euntibus illis furca ad malorum civium terrorem permansit. „ Quae hic te contingit iniuria? „ At quicquid dicat, excusetque Scepperus, neutiquam credibile est, Fridericum scivisse factum adeo detestabile ut suo nomine publicis insereretur scriptis, nisi explorata de eo habuisset cuncta. De Christiano autem nescio quid adeo atrox fuerit, quin credi possit, post ingenium eius plus satis in laniena Stockholmiensi detectum. Nam qui tot summae nobilitatis viros, post factam solenniter reconcilationem, fidemque paucos ante dies datam religiosissimeque confirmatam trucidare potuit, quid ni ad incutiendum nobilibus Holsatis consiliariis Ducis, terrorem patibula, & furcas erigeret? Atque etiam audiamus, quid defensioni ejus de hoc capite Friderici iussu, fuerit repositum, in *Responsione* publicis typis vulgata, *pag. E. b*. „ Coldingi condicto die, „ furcam nocturno tempore, postquam de rebus communibus „ acturi convenissemus, e regione hospitii nostri erigendam cu„ ravit adversarius. Nunc ita nihil pudet vanitatis hominem, „ ut contra publicam famam, commissum facinus, iam excu„ sare, iam negare laboret. Itaque ut meo more, quam po„ tero paucissimis, ad multa respondeam. Accidit, clarissimi „ Principes, sicut & ante per epistolam conquesti sumus, Col„ dingi, quo ad Regem patruelem evocati concessimus, ut a„ pud Consulem ad forum habitantem hospitium curaverimus. „ - - - Verum quod statuimus de urbano hospitio, re ipsa sub„ sequi non dabatur: tam praeter spem, quam contra volun„ tatem, in arcem protrahebamur. - - - Vna cum nostri corpo„ ris custodibus regias aedes adivimus, reliquam nobilitatem „ in diversorio nostro reliquimus. Terriculi in urbe nihil fuit; „ quum adveniremus. Post primam noctem ante hospitium no„ strum furibus crux erecta conspiciebatur: statim, ubi sol ter„ ris redditus dormientes lectis excussisset, quid non aut cogitare, „ aut timere nostri debuerunt? Causa tam subitanei terroris nul„ la satis magna adparuit: locus, tempus, adventus, & quae „ praeterea ex coniecturis petere solemus, ad nostrates pertinere, „ maxime publicum alioqui metum commonstravere. Postridie ab „ ingressu nostro in urbem tam atrox spectaculum vulgo contuen-

CIↃ IↃ XXII.

aliosque huic coniunctos, uti ipse Fridericus, ac maiores quoque eius, ab Episcopo Lubecensi instar (a) *beneficii petere consuevissent, ita eosdem in futurum a Christiano, regibusque successuris ipse, & heredes eius deinceps petere iuberentur. Quae quantumvis hunc in modum se haberent, tamen, uti controversia qualiscumque, inter ipsum patruumque qualicunque causa orta, per sequestros, neutri partium obnoxios, aut subspectos tolleretur, promtum beneficio renuntiare* (b); *ea lege, ut contrarias Fridericus literas petat, impetretque, quibus Caro-*

„ tuendum proponebatur, cum ante pacata omnia cernerentur. „ Forum emendi, ac vendendi locum, ad miserorum hominum „ torturam destinari nemo profecto citra insignem admirationem „ conspexit. Nostri tamen apertam periculi significationem in „ ludum iocumque vertere, ut nihil timet, vel in hostium cir- „ cuitu per se satis tuta innocentia. Inter alios impendio festi- „ vior Ioannes Thinius, primus omnium male ominantis spe- „ ctri nuncius, experiamur, inquit, serio an ludibrio hoc pa- „ tibulum extructum sit. Atque ita deposito sub crucem capi- „ tis operimento abiit: integrum diem expectavit, nec erat „ qui metu supplicii propositi neglectam, ut apparebat, rem „ alienam contrectare auderet. Alius furcae quantitatem „ mensus, suspendium hoc, inquit, Principi tantum, ac „ magnatibus subservit, nos mediae plebis homines, non est „ quod formidemus, nec enim haec crux omnes capit. - - - - „ Verum sex mensibus ante nostrum adventum ad militum ter- „ rorem, qui forte transierant, erectam constitisse nititur persua- „ dere. Neutrum certe satis feliciter adstruit: nam posterior ista „ tyrannidis confessio priorem abnegationem plane tollit, & ad „ milites, aut malos cives exterrendos ante urbem supplicium „ veteri civitatum more exstitit; ut certe nec satis prudenter „ agnoscat patruelis, quam prius sedule dissimulavit furcae ere- „ ctionem, nec sine crudelitatis nota publicum emendi venden- „ dique locum ad miserorum hominum carnificinam destinave- „ rit. Quid quod, cum advenissemus, forum ab omni me- „ tu liberum nostri conspexere; postero die habuit pro se quis- „ que quod timeret. Itane oculis captos fuisse nos credetis, „ cum urbem ingrederemur, ut phalarismum istum ex multis, „ ante solem exortum nemo adverterit? - - - Adeo nihil exhor- „ rescit Christiernus, aut contra se ipsum, aut aliorum de se „ certam scientiam publico scripto vanissime rhetoricari. - - - - „ Non lixae illi fuere, quibus nunc patrocinamur, iudices, sed „ animi, & corporis dotibus viri iuxta praestantes, quorum „ conscientia adversum se in manifestario mendacio testimonia, „ non poterit ulla iuris calumnia refellere adversarius, cum do- „ cumentis, non cavillis erit certandum. „ &c.

(a) *Ab Episcopo Lubecensi instar*) Holsatiae Comites olim dominum agnovere Ducem Saxoniae, ei fide clientelari addicti. Quod cum ex Helmoldo, & Alberto Stadensi manifestum sit, nemini dubium habetur. Postea Canutus Rex Daniae Valdemari I. filius, eiusque frater successorque Valdemarus II. terras ac ditiones istas cum tota Nordalbingia in potestate sua tenuerunt. Verum post captivitatem Valdemari II. ac praesertim infelicem ei Regi, posterisque pugnam Bormhovedensem, Duces Saxoniae recuperarunt dominium pristinum in Holsatos tamquam clientes suos, aut, ut loquebantur, vassallos. Sic in diplomate, apud Staphorstium *Hist. Eccles. Hamburg. Tom II. pag.* 21. Albertus Dux Saxoniae vocat Comitem Holsatiae Adolphum *vassallum* suum, anno 1237. qui fuit a Valdemari II. clade Bornhoved annus decimus, duravitque hoc ius Saxoniae Lavemburgicae Ducum ab eo, usque tempore ad duo propemodum secula; confirmantibus illud litteris, atque bullis, quae adhuc supersunt, omnino quinque, quibus Saxoniae, ut dictum, Duces feudum Comitibus Holsatiae contulerunt annis 1307. 1309. 1319. 1370. & 1380. ita ut absque ulla ratione Danckewertus in *Descriptione Holsatiae pag.* 181. vacillaverit in admittendo ea de re Hvitfeldii testimonio; scilicet quod Duces Saxoniae ius istud exercuerint usque ad tempus, quo Episcopo Lubecensi ab Imperatoribus Sigismundo, & Alberto, annis 1434. & 1438 transcriptum fuit. Interim quaeri potest, annon etiam ante an. 1434. quo praesul Lubecensium Ioannes Schelius istud privilegium a Sigismundo consecutus, decessores eius idem exercuerint. Ita certe videtur, atque cum hoc, ni fallor, discrimine, ut quasdam terrarum Comites partiumque ditionis suae beneficio Antistitum Lubecensium, portiorem vero partem a Saxoniae Ducibus susciperent. Quo enim alio modo conciliabis cum fide documentorum, quae citavi, testimonium Alberti Crummedykii Episc. Lubec. in *Chron. pag.* 398. (Meibom. *Tom. II.*) de Henrico de Bockholte? A quo Gerhardus Comes Holsatiae *terram suam recepit in feudum, & homagium ei praestitit, sicut progenitores sui facere consueverunt*. Quod sane factum ante 1340.

(b) *Promtum beneficio renunciare*) Et hoc argumentum causae haud satis iustae, quod tam facile beneficio renunciavit. Scilicet cum videret Fridericum, & Holsatos nullo metu percelli, neque apud Electorem Brandemburgicum ceterosque Principes, qui aderant, factum adprobationem habere ullam, coepit mitius agere. Ac tamen cum Fridericus inter alias accusationes, primis litteris proditas, hanc etiam protulisset, Scepperus coloribus inveniendis nusquam inops, longam defensionem instituit, ubi inter alia praetexebat, Regem multum utriusque commodis in hac re consuluisse, postquam Praesules Lubecenses neglexissent *praestare Caesari quod debebant, hoc est, in Caesarem Holsatiae feudum referre, neque Ioannes Rex, neque Fridericus veterem consuetudinem in praestando Antistiti Lubecensi sacramento observassent, unde, & iure fieri posset, ut Caesar Ducatum & Regi, & Friderico adimeret, tanquam suae Maiestatis contemtoribus*. Praeterea considerari iubebat, *annon honestius esset, a Rege, quam a sacerdote feudum accipere* &c. Ita Scepper. *pagg. F.* 1. & *F.* 2. Verum neque Friderico defuere, quae his reponeret; quorum, & quaedam delibabimus. Ita in huius *Responsione pag. D.* 4. *a.* sequentia legimus: „ Ad subiugandos homines certis gradibus „ utuntur, qui dominari student, inter quos haud scio, annon „ primum locum obtineat, quod ex honesti fontibus petitum „ legitis, maiore scilicet decore a Rege, quam a sacerdote feu- „ di possessionem conferri. Nos, praeterquam quod maiorem „ in Episcopo commoditatem sensimus, dignitatem quoque ean- „ dem, si non maiorem, in sacerdote, Caesaris delegato, repe- „ rimus, quam in Rege multis titulis conspicuo &c. Huc ac- „ cedit & illud quod mihi quoque praecogitandum venit, si „ aliquando patruelis noster, aut huius filii regno excidissent, „ - - aut si posteritas regia defecisset, - - - quis aut mihi, „ aut haeredibus dominii ius contulisset? Credo equidem multo „ stabilius in Episcopatu non intermorituro Caesaris delegatio- „ nem consistere, quam in electitio Rege suae mortis, ac po- „ steritatis incertissimo „ &c. Ampliora vero inferius *pag. G.* „ 2. *b.* „ Iam audite, quomodo me meosque prodiderit pa- „ truelis, quum perpetua principatuum acceptatione nos sibi subii- „ cere, & a Romano Imperio sensim abstrahere studuit, id- „ que contra fidem Regiam antea praestitam. Ac primum qui- „ dem admittit, recepisse se, quum Caesarem adiret, quod in „ Holsatici Ducatus detrimentum nihil esset facturus. Id ipsum „ autem ne sic quidem fregisse vult videri, quod Caesaris au- „ thoritate ius Episcopi Lubecensis ad donandos possessione Holsa- „ ticos Principes, suum fecerit. Atqui nos altius rem expendere „ cogit publica privataque necessitas. Principio non est, quod nos „ adeo communis sensus expertes deputet quisquam, ut quod „ sit dominorum in sacramento ius, ignoremus. Scimus quid „ inter iuratum, & non iuratum intersit, deinde quae fuit pa- „ truelis nostri in subiugandis hominibus nota versutia, nulla „ difficultate colligere potuimus. Primo adspectu nihil mali pro- „ dentem dominationem, in rabiosam tyrannidem degeneraturam „ statim, ubi nos obnoxios habuisset. Tum vero ad iniquissi- „ ma bella, caedes, rapinas, ac miserorum expilationes auxilium „ flagitasset. Si dicto audientem non invenisset, (sicut iniquum „ petenti nemo cogitur obsequi,) dictum, factum; reperisset „ aliquam causam, quare nos patriis finibus exegisset. - - - Quid „ quod Episcopo Lubecensi, una cum Christierno, iurisiurandi „ fide obstrictus, nequiverim, si maxime voluissem, in alium „ feudi collatorem consentire? Hic omitto quanta sua, & nostri „ generis macula se praestito sacramento volens subduxerit ad- „ versarius, quod clandestinis delationibus apud Caesarem con- „ tra illum egerit, qui sibi, & mihi adeo Caesaris auctoritate „ ducatus illos ante contulerat. Certe id nulla tergiversatione po- „ terit infectum fieri, quod tam ipse, quam venerandae memo- „ riae frater, & patruelis in Episcopi verba iuraverimus. At- „ que ut testem advocem te ipsum, Christierne, obsecro te, „ quid egisti, quando Wolfgangum, & Henningum, vetusta Po- „ viscorum gente prognatos, Kilonem versus misisti? Postula- „ stine ut tibi tuam in Ducatibus partem a Caesare ad hoc „ delegatus conferret Episcopus, & per Legatos, quod Regio „ nomine petebatur, impetrasti? Quo vocabulo dignabimur egre- „ giam in te virtutem, qua sic facta infecta, rata irrita, certa „ dubia, & in sole acta nullo probabili argumento in oblivio- „ nis umbram studes deducere? Iuravimus certe & ego, & fra- „ ter, cum dominii Romano Imperio subiecti confirmationem „ peteremus in Rendesburgo ille, nos vero in oppido Kilone. „ Quorsum ergo attinet, iudices, quod legitis, veterem consue- „ tudinem in petenda Ducatuum confirmatione neglectam, adeo- „ que periculum imminuisse, ne Caesar nos possessione spolia- „ ret. „ Denique ad illud, de neglecto erga Caesarem officio a parte Episcoporum Lubecensium haec respondet *pag. G.* 3. *a.* „ Sed Episcopus conferendi ius a Caesare postulare ne- „ glexerat. Quid hoc ad hanc cantilenam facit, aut unde sub- „ volvit patrueli, quid ille huius egerit, aut negligentia quadam „ intermiserit? Eone nobis adimeret, quod optimo titulo hacte- „ nus possedimus, Caesar, quia quid, Lubecensis Episcopus an- „ tiquari passus fuisset, non prospexissemus? Mihi tantum otii „ a domesticis occupationibus non datur, ut aliena curare queam. „ Christierno vero tot bellis implicito - - - quae Pallas aurem „ vellicavit, ut admissam ab Episcopo negligentiam parum grata „ diligentia sua sarciret? Quare nos istius ad Caesarem profe- „ ctionis socios esse noluit? Quare non prius communicato no- „ biscum consilio querelam de Episcopi negligentia instituit? Cur roga-

CIƆ IƆ XXII.

rolus privilegium pridem indultum, revocaret: seque nec laturum aegre, nec prohibiturum esse. Alterum, *si non componi bellum Lubecense posset, integrum Friderico fore, pacem certam constituere, qualis ea sub Ioanne patre erat: seque omnino istud velle, ne suorum quisquam illi quicquam detrimenti ferat: neve irruptionem ullam, impetumve in ipsius terram faciat; idque sese ita cupere, fidem suam istis literis obligare.* Tertium, *quia Fridericus conqueratur, partem sibi, regis filio, in Norvegia, tamquam regno haereditario, suam tribuendam esse; tum & de tutela patris, quomodo eam ille gesserit, cognoscendum; ac deberi centum aureorum millia, in ducatus distributione ipsi attributa; denique, velut iuniori regis filio, etiam sibi iure aliquid donandum; ut in Dania, more dudum usitato, consuevisset: Ad haec sese respondere: Vt Ioannes, parens suus, antea cum Friderico fratre egisset, & in certos arbitros compromisisset; se paratum ad praestandum quicquid iuri, legibusque consentaneum censeretur; quin & per regnorum Daniae, ac Norvegiae senatores natu maximos cuncta archivorum scrinia diligenter excussurum; quaeque illic in rem istam documenta inveniantur, ante undecimum proximi Novembris diem exhibiturum: quaeque ex his debere ipse patruo suo cognoscatur, sine mora, aut exceptione ulla praestaturum: & negotii universi arbitros fore, Ioachimum Brandeburgicum, electorem; Henricum, ac Albertum, fratres, duces Meggapolitanos; Boguslaum, item ducem, Sverinensem; & Henricum, praesulem Ratzeburgensem: atque hos ad diem ante proximam anni insequentis Pentecosten decimumquartum Segebergam conventuros, ac sententiam de re tota iuxta aequitatis normam prolaturos: & id operam daturos, ut concordia inter partes sarta tecta statuatur; aut benigne si componi haud quaquam possit, iure tunc acturos esse. Si quis vero e principibus memoratis causa sontica a negotio pertractando excludatur, & adesse ipse nequeat, hunc consiliarium quemdam, plena potestate instructum, suo nomine legaturum; ac, pronuntiatum quicquid ab his fuerit, id utrinque ratum fore; porro, ut querelae patrui haec concesserit, ita integrum sibi velle, si quid etiam ipse habeat, quod ab illo iure postulare queat, id ut pariter disceptandum arbitris iisdem tradat: qui ex aequo, atque bono itidem de re pronuntient; cum hac cautione tamen, ut, quodcunque demum fuerit, patruo exponat prius, idque ante proximum natalem Christi; quicquid vero iudices iidem senserint, ratum fore; quod selibrarum Lubecensium undecim millia, quae pro patre Fridericus patruus exposuisset, attineret, ea se mercatu proximo Chilonensi, sine longiore mora, ac cum gratiarum quoque actione redditurum.* Porro amplius constitutum, *ne ducatum seu Slesvici, sive Holsatiae incolentes, ad alterius loci forum, quam ducatui illi proprium, in quo ipsi habitarent, traherentur: & utrinque in sua quisque ditione separatam iurisdictionem*[a] *haberent: quodque alteruter statuisset, alter quoque exsequeretur. Sed, quod ad nobilitatem, & antistites, qui in ditione utraque etiam tum indistincti, in eorum controversiis ius uterque simul dicerent; quique absuturus esset, is praefectos, aut consiliarios suos, loci incolas, delegaret; ac quod simul censuissent, illud ratum haberetur: ita tamen, ut ad Caesarem provocatio, more dudum usitato, in Holsatia permittatur. Deinde, uti lites omnes dirimantur, in Holsatia, iuxta vetera statuta, ex Saxonici iuris codice,* Speculo Saxoniae *dicto: in ducatu Slesvicensi, qui annexus regno Daniae, iuxta leges Valdemari, eius nominis II. pro recepta consuetudine. Porro, etiam viae publicae, quae Tritoum, Segebergam, atque Oldesloum ducunt, uti olim; sic deinceps, mercatoribus, ac quibusvis iter illac facientibus, liberae exhibeantur: seduleque detur opera, ne qui eas grassatores insidere, neve infestare ausint, usque in diem Segebergae constitutum. Vbi si amice ipsi inter sese minus convenire possint, tum & principes, quorum arbitrio reliqua omnia permisissent, quid de ea re sit iuris, cogituros, ac sententiam dicturos. Item publicano*[b] *fieret, Oldesloi a Christiano constituto. Denique, ut Christianus Friderico remittebat privilegium, quod a Carolo Imperatore de Holsatia accepisset, ita rursum Fridericus largiretur Christiano quicquid sibi pro auxiliis, bello Suecico submissis, deberetur.* Tum, sancita veterum iniuriarum oblivione, mutuam porro amicitiam, quam sanctissime in futurum exercendam, alter alteri pro se, filiisque suis, & haeredibus, promiserunt; literisque in rem eam consignatis, fidem, quam inter se pacti confirmarunt. Inter ista Lubecenses, & Vandalicae civitates, quae fortunae Christiani, ob redactum in potestatem regnum Sveciae, invidebant, classem in eum navium triginta parant. Quae, ingressa mare Balticum, quum ad Hafniam constitisset, quasi illic militem expositura, postero die Helsingoram se recepit: ac, vastato eo oppido, inde Hafniam reflexit. Christianus tunc Callundeburgi erat; ubi accepto rei nuntio, sine mora Hafniam redit: & per viam insulae totius incolas ocyus capere arma iubet. Qui quum instar decem millia convenissent, ad Solbergum, proximum ab urbe

„ rogatus ut Holsatiae non incommodaret, si iuvare non vellet, „ ne verbo quidem, quid sententiae haberet, prodidit? Tantum „ enim fide data bono animo nos esse iussit, iamiam abiturus. „ - - - Nunc factum periculi denunciatione nititur mitigare, quo „ tamen sua omnia nostri nihil quaesivit Patruelis. Ita vero ex „ suo ingenio iudicat omnes, ut clementissimum Caesarem alienam, eamque ignotam negligentiam in nobis ulturum fuisse „ existimet, nihil praeterea commeritis, quam quod nostris occupati, quae extra nostros fines accidissent, non protinus adiuvissemus. Christierno profecto satis magna ratio fuisset, ista, „ quare fortunis omnibus quemquam exsuere quivisset. In Carolo nobilissimi generis Principe maior hactenus reluxit benignitas, quam ut iustissimum imperium nova quadam crudelitatis immagine aspergeret, etiamsi Episcopus in sui iuris curatione extitisset remissior. Concedimus enim id fieri potuisse, quod tamen vos factum esse non debetis credere, nisi „ probetur. Eane statim iusta causa erit, cur in nos dominationem exercere velit Christiernus?

(a) *Separatam iurisdictionem*) Intellig. *in plebeios*. Sic enim diserte in tabulis.

(b) *Item publicano*) corrig. *idem publicano fieret*. Nam & in autographis tabulis, quas inspeximus, sic: *item, ut publicano nullum impedimentum fieret*.

CIↃ IↃ XXII.

urbe pagum; castra ponunt. Quorum lustrandorum caussa postquam urbe exiisset, mox Sigbritta, una ancilla comitata, pedes sequitur. Vixque ad scholasticorum, quem adpellant, lacum venerat, quum in via adsequuti duo milites, bene poti, qui ex urbe castra sua repetebant, eam invadunt: &, diffugiente ancilla, post convitia etiam vim intentantes, iaciunt in adiacentem, quem iam ante dixi, lacum. Quae dum fiunt, rex revertens, ac progressus extra castra, quum Sigbrittam ita habitam accepisset, equo concitato accurrit; extrahique eam iubet, & in rheda collocatam, domum vehi. Sed, periculo huic erepta, aliud, non multo levius, statim incidit. Etenim, ad portam urbis quum venisset, cohors quaedam, quam auxilio Roschildenses regi miserant, ante eam excubabat; &, in rheda venientem conspicata, tela multa iaciebat, per quae vix in urbem evasit. Rex interea illos milites, qui in aquam paullo ante eam abiecerant, inquirebat; & inventos, arcu ferreo, quem tenebat manu, stratos comprehendi, atque in urbem ad custodiam duci iubet; inde, capite etiam plecti. Post haec rursum castra petit, militesque adhortatur, *fortes essent, Vandalosque saepe a maioribus suis profligatos meminissent: c[illegible] istius rei signum satis manifestum esse, quo[illegible] in[illegible]gnia eorundem regni insignibus inter[illegible] [illegible]parerent: eaque in illis ipsis, sub qui[illegible] [illegible]merent, signis oculis repraesentata ads[illegible] [illegible]sent; neque esse, quare navium, q[illegible] in littore conspicentur, multitudine ter[illegible]tur: quae ad mercaturam potius, quam militiam, apta essent: Olim quidem magnam gentis cla[illegible]tem exstitisse; nunc distractae in diversas or[illegible] Christiani partes vix reliquias, nullo modo formidandas, superesse. Itaque pugnarent strenue cum hominibus, qui commercia exercere melius, quam arma scirent; ac victoriam minime incertam fore.* Ad quae illis acclamantibus; *se pro rege, patriaque sanguinem profundere certos*; laetus mox in urbem redit: utque occurrere hosti posset, militem, ac commeatum regno universo imperat. Maxime autem Helsingorae Vandali infesti erant; quod Ioanne pridem reg[illegible], quum id oppidum obsiderent, nulla re praeclare gesta, abire ab obsidione coacti essent; ideoque insultantibus oppidanis, etiam minati erant, paullo post se reversuros: ac ludibrium igne, atque ferro, ulturos. Quod quum nunc denuntiassent; & in proxima quaeque loca oppidani, rebus suis, ac coniugibus, liberisque tempestive exportatis diffugissent, mox re ipsa praestiterunt; ac desertum ab habitantibus metu oppidum incedentes, nullo ultra damno dato, quum in armis convenisse Sialandos intelligerent, domum classem reduxere.

CIↃ IↃ XXIII.

Christianus, iterum turbante Svecia, ut reprimeret (a), convenire senatores ad Callundeburgum iubet; quo quum ceteri advenissent, Cimbri, adversante vento, iam propinqui Sialandiae, repelluntur, & comitiis prohibentur. Quo comperto, mutat locum; & Arhusiam, Cimbriae urbem, ne fortasse denuo per venti iniuriam arcerentur, eos vocat, ad XXV. diem Ianuarii; sed, quum rumor spargeretur, cum exercitu, e Germania evocato, adventurum, atque belli instrumentum universum praemisisse, metuentes, ne quod Svecis accidisset, sibi quoque eveniret, ad Viburgum coeuntes, & consilia conferentes, arma sua opponenda censuerunt. Rex, ut classem Vandalorum, de qua dixi, propulsaret, Sialandos concitaverat; qui, ad decem circiter millia congregati, castra sua ad Solbergum collocaverant: ad haec quatuor peditum externorum signa Hafniae erant, ad praesidium eius urbis, sub Georgio Hofmanno (b): equitum vero aliquot turmae, in Fionia, sub comitibus Hoiano, & Teckelemburgico. Illae copiae metum ipsis faciebant; quamquam etiam, ex quo tempore istam in Svecia detestandam lanienam exercuerat, alte admodum ea res in animos Daniae senatorum penetraverat, ut deinceps, quoties Hafniam vocarentur, non nisi cum summo metu, atque adeo universi convenirent. Itaque, ut se formidine, in qua semper versabantur, semel tamdem liberarent, arma omnes ad securitatem suam adserendam capienda statuerunt. Atque primo quidem literas, inde fecialem mittunt; qui obsequium & renuntiaret illi, & defectionis caussas, satis graves, atque iustas, ut censebant, coram exponeret. Iam tum Vethlam Cimbriae oppidum rex advenerat; & Arhusiam, ad conventum, quem indixerat, cogitabat: ubi eum Magnus Muncius, Cimbriae supremus iudex accedebat; qui, ad mensam invitatus, vir festivus, & familiaris etiam, ut exhilalaret ipsum, vario sermone tempus inter discumbendum trahit: multa de venationis, ac venaticorum canum laude fatus; inde surgit, & se clanculum subducit: ac relinquit in fenestra literas illas, quibus Cimbri se discedere ab obsequio testabantur. Has inventas, & oblatas quum legisset Christianus, consternatus, accersiri Muncium iubet: sed is, quia clam abierat, reperiri nusquam potuit. Itaque cum copiis suis, nec indigenis, neque exteris, satis fideret, refert pedem; & Coldingam, urbem Holsatiae, Cimbriaeque limitaneam, sese confert. Ac Olaum Rosecrantsium; Magnum Bildium, arcis Coldingensis praesidem; & Reinaldum Heiderstorpium (c), summum peditatus ducem; regni sui senatores, qui tunc aderant, ad se vocat: singulosque percunctatur, quid in tanta perturbatione rerum faciendum arbitrentur? Atque Heiderstorpius quidem, qui sententiam primo loco rogabatur,

(a) *Turbante Svecia, ut reprim.*) Calundburgum Senatores regni convenire iussit ad d. 10. Decembr. quo cum iis de Friderici Ducis postulatis, de nova Svecorum rebellione, de hostilibus Lubecensium actis, atque aliis eo spectantibus coram ageret.

(b) *Georgio Hofmanno*) Pariter a Svaningio semel ita adpellatur. Sed idem alibi (*pag.* 429.) Georgium *Hofmod* scribit, sicut plerique nostratium ceteri. Hvitfeldius ipse plus semel *Georgium Hofmut* vocat. Erat ille natione Germanus, & ut *Col.* 786. *d.* dicitur, Saxo.

(c) *Reinholdus Heiderstorp.*) Heidenstorpius (sic enim scribitur) summus quidem peditatus Dux, sed non erat inter Senatores regni; erant autem & Olaus Rosentcrantzius, & Magnus Bildius.

CIↃ IↃ XXIII.

tur, *advocandas e Germania copias auxiliares ab affine Carolo V. Imperatore, ac principibus consanguineis*, affirmabat: *quas adeptus, facile in potestatem Cimbros redacturus esset*. Hinc interrogatus Bildius, *duos ordinis senatorii ablegandos ad primates Cimbriae* suadet; *qui sponderent, regem ius non recusare; ac paratum sese sistere, dum ab armis discedatur; ac, concesso commeatu, partium securitati consulatur*. Rosecrantsius vero sic existimabat; *quum regina, liberique item regii, adeo longe separati, in discrimine manifesto versarentur, horum maxime saluti ipsi providendum esse*. Placuitque haec sententia Christiano; cui tamen praestitisset, Bildii consilio uti; ac, si reiecissent Cimbri, tum id optimum factu erat, quod suadebat Heiderstorpius, ut auxilia e Germania, tam obnoxia, vocarentur; nam uxori, liberisque in munito adeo loco, apud cives tam devotos, ut mox, in ipsius gratiam, diuturnam, asperamque obsidionem tolerarent, nil periculi plane erat: tum navigio, quandocumque usus foret, ac quocumque videretur, evehi poterant. Nunc, qui pridem pellicem uxori suae praeferebat, dum uxorem, liberosque, regno cariores habet; & maritum, atque patrem, potius quam regem, agit; cum uxorem, tum heredem regni filium, in quo spes recuperandi omnis sita, etiam paullo post amittit. Verum deus, qui evertere tantam eius magnitudinem, ac potentiam apud se constituisset, consilia eius, uti fere in humanis rebus solet, pervertebat. Itaque, post hoc colloquium, quum sententiam, uti dixi, Rosencrantsii collaudasset, rex in Sialandiam properat, ad uxorem, liberosque: ac, transmisso mari Baltico, quum Ringstadium advenisset, ubi tunc mercatus erat, convocata universa multitudine, flebili oratione, ut ingenium tyrannorum est, asperum in rebus laetis, & abiectum in adversis, de Cimbrorum motu queritur; adeoque Sialandos hac querela sua flectit, ut obsequium illi omnes, atque fidem novo iuramento obstringerent: quin & sanguinem pro salute eius fundere se paratos testarentur. Hinc quum Hafniam, ubi uxor, liberique tunc agebant, discessisset, urbem ingressus, tres ex ordine senatorio hic invenit; Lagonem, Episcopum Roschildensem; Henricum, abbatem Soranum; & Eschillum antistitem Anderschoviensem(a): itaque eos ad se vocat; &, quid isto rerum statu sibi faciendum censeant, sciscitatur; adeo quoque infra regiam maiestatem se demittit, ut togatus ipse saepe, de negotio eos suo consulturus, multo mane ex arce in urbem, ubi variis quisque locis habitabant, eques iret. Sed hi, quum consilia regis universa explorassent, clam ex urbe discedentes, ocyus Callundeburgum se recipiunt, hinc in Cimbriam traiiciunt (b), ac se coniuratis iungunt. Ea res spem regis ceteram ita plane conturbavit, ut tumultus coercendi curam, animumque abiiceret, ac de fuga capessenda cogitaret. Et consilium incitabat etiam metus, ne, quod iam rumore vulgi ferebatur, Cimbri, atque Lubecenses, inter sese foederati, classe instructa prohibere conarentur, ne evadere quoquam posset. Itaque, ut anteverteret, multo magis festinandum existimavit; & viginti e classe regni, quae in portu Hafniensi semper in quemcumque usum praesto erat, naves sumens, auro eas, & argento, regiaque supellectile qualicumque implere iubet. Quin & regni aperto aerario sanctiore, quod Callundeburgi erat, non recludi nisi summa in necessitate solitum, quidquid ibi iam a multis annis adservatum aufert. Denique nullum fugae suae adminiculum praetermittit; ita ut pinnacula quoque templi arcis, aediumque tota urbe grandiorum, quia inaurata essent, spoliaret. Tum, ut tanto magis se ulcisceretur, etiam archiva regni populatur, privilegiaque abducit. Inde, comportatis omnibus, & Sigbrittam, maximam malorum causam, quae in arcem, ut a civium se iniuria tueretur, clam confugerat, cistae includit, & in regiam suam navem inferri mandat; quam & ipse cum uxore, liberisque mox conscendit; postquam arcem, atque urbem fidei Henrici Goiaei commisisset, & urbanum magistratum novo sibi iuramento obstrinxisset, brevi admodum, ac supremum ad trimestre, cum auxiliis reversurum se pollicitus. Relinquebat & praesidium, praeter equites, quorum incerta multitudo, peditum quoque signa quatuor sub Georgio Hofmanno, qui vir gente Saxo erat, & militiae per id tempus actae clarus. Sane admodum imprudenter Christianus; siquidem facilius, dum possidetur, armis regnum vindicatur, quam repetutur amissum. Nec necessitas fugae erat, modo metus absuisset, qui periculum, ubi nullum est, sibi fingit: & exiguum, in maiorem modum auget. Nam Norvegia, item Scania, Sialandia, & Fionia, ac Holsatia fidem in ipsum, & obsequium retinebant; neque forte, si mansisset, umquam exsuturae erant, sed desertae, ipsae etiam aliis se adiunxere. Integra ubique illi civium studia, uti quoque rusticorum (c), aderatque militum manus, tum, si portus custodiret, facile ingres-

(a) *Antistitem Anderschov.*) Prior erat Monasterii Anderschoviensis, quod ordinis erat S. Ioannis Hierosolym. Atque istius loci Prior, quemadmodum & Abbas Soranus, Cisterciensis Ordinis, perpetuum locum in Senatu regni habebant; sic ut in omnibus litteris nomina illorum, ab Episcopis proxima, ante Senatores seculares ponantur, primo loco Sorani Abbatis, deinde Prioris Andvorschoviensis.

(b) *Hinc in Cimbriam traiiciunt*) „ Hvitfeldius hoc ita narrat, „ ac si tum primum abierint, quum Rex fugam adornaret. „ *Frid. Gunther.* ita est, & adiungit Hvitfeldius eis Lagonem Vrnium Episcopum Roskildensem.

(c) *Vti quoque rusticorum*) Quid? quod ex Senatoribus ipsis, & Nobilitate regni non paucos sibi fideles, atque addictos habuit, donec fuga eius e regno comperta, compulsos sese viderent unus post alterum sese maiori numero adiungere. Illorum nomina enumerantur in Cornelii Scepperi *Respons. Regis Christierni ad Frider. Ducem fol. M. 3.* fortassis aliquantum supra verum. De pluribus tamen eorum nihil dubitandum, ex. gr. Avone Bildio Episcopo Arhusiensi; viro sui ordinis tunc optimo, nec non seniore eiusdem Ecclesiae Episcopo, Nicolao; quemadmodum & Magno Goyaeo, supremo curiae regni Magistro, de quo verba ita sonant: „ Magnum Goyae Equitem Danum, eiusque regni Marstallum, ut „ vocant Equitem fortissimum, & nobilissimum, cum sacra- „ mentum nostrum exuere turpe nobilitati suae, turpe generi „ duceret, neque ullo modo tantum scelus committere, ut ad „ te

CIↃ IↃ XXIII.

gressu erat insularum prohibere, Balti undique submotos, & in promtu iustae copiae, ac instructae bello naves, ad conatum reprimendum. Sola Holsatia, quia Cimbriae finitima ad iniuriam opportuna. Nec auxilia laboranti peregrina defuissent; quae quam diu regnum suum retineret, atque illud quoquo modo vindicaret, quam depulsus, promtiora habuisset. Quando reges, principesque, ut cadentem substinere, quam erigere iam iacentem est facilius, ita malunt, quod minore negotio possunt, sive utilitatis causa, quod hic reddi aliquando gratiam posse, & impensam arbitrentur; sive famae, cuius interesse putant, ne tentasse cognoscantur, quod efficere non potuerint; sive etiam, quod adversa, pari regum, atque privatorum sorte, facile miserationem, opem autem vix inveniant. Verum sua ipse commoda turpi fuga cuncta prodidit, quam instituit ad xx. diem Aprilis. Ostenditque etiam tum iram manifestam Deus, qui, ingenti tempestate fugientem persequutus, dissipata tota classe, tres hebdomadas ita graviter adflixit, ut ad rerum pene omnium desperationem adigeret. Tamen, quum in graviores, maximeque diuturnos animi eum cruciatus reservaret, prius eiectum in Norvegiam, tamdem Veriam, Zelandiae urbem, adpellere sivit. Regna amissa varie recuperare nisus fuit, sed eventu infelici, & octavo inde anno, quum iam classem in Hollandia ab adfine Carolo V. impetratam instruxisset, tempestate rursum in Norvegiam actus, dum Canuto Guldensternio Episcopo Othoniensi, anno proxime insequuto imprudenter se committit, qui, quod haud praestare posset, temere pollicitus erat, in custodiam sempiternam primo Sundenburgum Alsiae, inde Sialandiae Callundeburgum est abductus; ubi tamdem diem obiit ad xxv. diem Ianuarii, anno humanae salutis CIↃIↃLIX. aetatis LXXVII.(a) Et sic princeps longe maximus, viribusque sanguine, & adfinitate potentissimus, postquam miser tribus regnis sua culpa excidisset, vix decennio horum potens, per sex & triginta annos in exsilio, aut custodia, vita cetera inter summos animi cruciatus acta, mortem, quem optarat saepe, aegre tamdem consequutus, animam diu infelicem exhalavit. In hoc ipso manum quoque punientis Dei sentiens; qui, quam bonis vitam longam ad prosperitatem quamdam temporaneam dat propitius, malis etiam conservat irritatus ad supplicium. Procul dubio gravem in se iram Dei provocaverat. Adolescens varia libidine famam, ac flagitiis, quae hanc fere comitantur, corrumpebat; ita ut, quandoque pater indignatus, advocatum in conclave, & verbis acribus obiurgatum, etiam verberibus caederet, donec genibus advolutus, ac promittens culpae emendationem, veniam supplex precaretur. Ac, quum neque sic desisteret; &, identidem in flagitia usitata revolutus, nihil monitis, nihil iurgiis, aut verberibus mutaretur; tamdem in maiorem modum excandescens, neque ultra irae potens exsecratus, diris eum devoveret. Nil parentes evitare studio maiore debent, quam ne, vitiis liberorum supra modum irritati, diras iis imprecentur; quae, si iustae, vires quoque suas habent, & aerumnis in devotos importandis multum valent. Ita certe Christianus, primo nequam, postea infelix fuit: Qui, vir factus, postquam matrimonio gloriam pellicatu obscurasset, regna quoque per superbiam, & perfidiam, ac crudelitatem, amisit. Quamquam sane, quid in Danos, solio eum depellentes, adeo dignum reprehensione admiserit, si excipias supplicium, de Torberno Oxio sumtum, nimis rigidum, ac saevitiae adfine; tum superbiam, & contemtum senatorum, queis Sigbrittam anteferret, feminam valde sceleratam, quaeque gratiam malis artibus occupatam, sola totam possidebat, nil Historia repraesentat. Nec id causae satis erat, quare regnis pelleretur. Et maiore metu suo, quam periculo angebantur; quum iam poenam Sveciae tam crudeliter habitae, quae se denuo, iugo excusso, in libertatem vindicaverat, persentiret; idque eum ad clementius gubernandam deinceps Daniam, satis coercere posset. Neque, qui momenta rerum recte censeat, temere sane evenisse existimabit, quod, occulta quadam Dei voluntate, quum obiret, mortuo pridem Christiano, patruele, quasi liber, etiamsi in custodia, ampliori dignitate toto regno nullum adgnosceret; Daniaque, velut tacito quodam opprobrio, regem id temporis coronatum, quam captivum, non haberet. Verum Deus omnium regnorum arbiter, eum, qui se Svecia indignum nuper, ob perfidiam, ac saevitiam, Dania autem ob superbiam, ipse ostenderat, omnibus deiectum voluit; &, qui animum Danis faceret, metum iniecit. Quo iam dudum inquieti, id quod viri fortes solent, semel mori, quam timere semper mortem, satius existimantes, rem periculose ausi, felicissime perfecerunt. Neque Saxones avunculi, nec sororius Brandeburgicus, neque uxoris item frater, Imperator Carolus V. umquam eum restituere potuere, neque reges foederati, nisi per legatos suos, idque blande potius culpam exsulantis deprecando, quam vim aliquam comminando tentavere. Ac Germaniae quidem principes, quum coacto magno exercitu, iam ad Albim pervenissent, ipse

„ te descisceret, & cum scortatoribus illis tecum foedus feriret, litteris, quibus illi exitium minaberis, ni tibi obtemperaret, ad partes tuas compulisti invitum & reluctantem, & Deos omnes, & homines obtestantem, ne hoc sibi scelus imputaretur. Quid faceret miser? Suis viribus tecum bellum gerere non potuit. Obsidebatur passim a carnificibus Episcopis innocentiae, & fortitudini illius vim intentabas; itaque, quod unum tam adflictis in rebus poterat, ad nos litteras tuas misit, adiuncta excusatione sua. Quae omnia apud nos praesto sunt. „ Neque dissimulat Hvitfeldius, Magnum Goyacum invitum, & reluctantem, nec nisi sero adcessisse ceteris, nomenque eius falso inscriptum fuisse litteris, quas Magnum Munckium Vethlae apud Regem reliquisse, supra memoratum. Conf. Hvitfeld. *pagg.* 246. 267. *&* 270.

(a) *Aetatis* LXXVII.) Rectius LXXVIII. nam anno 1481. die 2. Iulii natus, decessit anno 1559. die 25. Ianuarii. Sic ergo vixit ann. 77. menses sex, dies 23. Svaningius tamen *pag.* 502. ipseque Hvitfeldius in *Praefatione Chronici* eius Regis, obiisse scribunt *die Vincentii Martyris*, h. e. 22. Ianuarii.

CIϽ IϽ XXIII.

ipse turpiter destituit, Carolum vero fortuna. Qui, potentia ceteros omnes antecellens, postquam semel infeliciter rem tentasset, eo capto, & Ioanne quoque filio, quem in spem paterni regni aliquando repetendi educabat, eodem tempore vita functo, adeo conandi aliquid deinceps voluntatem abiecit, ut Philippo item filio testamento interdiceret, ne negotium regi Daniae, ob iniurias Christiano amitae Isabellae viro olim illatas, ullum omnino exhiberet. Regnum se cruentum admodum habiturum, statim ipsa in nativitate ostendit; quum, porrecta altera manu, alteram contractam in pugillum efferret; obstetrixque, postquam eam explicasset, sanguine plenam inveniret. Quae adtonita, quum Ioanni patri factum retulisset, ipse quoque, nihil velans, prodigum humani sanguinis filium fore praedicavit. Alterum item memoratur; quod, priusquam natus esset, dum eniteretur mater, intra uterum eius flere (a) audiretur; manifesto id portento, vitam ipsum peracerbam habiturum, & aliis facturum esse. Nec virtutes tamen plane nullas habuit; ac militiae clarus fuit, actae vivo adhuc patre, contra Norvegos, & Svecos; quos rebelles ad obsequium reduxit. Tum de regno bene meritus, constituto Hafniae emporio (b); adeoque quam nobilitati invisus, tam acceptus civibus, rusticisque erat. Liberos ex Isabella Austriaca uxore sua quinque sustulit; primogenitum Ioannem, cuius memini; Philippum, & Maximilianum in infantia interceptos, Hafniaeque in coenobio Franciscano consepultos; tum Dorotheam quoque filiam, Ludovico Palatino (c) Electori, & Christinam, primo matrimonio Francisco Sfortiae duci Mediolanensi; altero duci Lotharingiae, itidem Francisco dicto, elocatam.

HI-

CIϽ IϽ XXIII.

(a) *Intra uterum flere audiretur*) Singula haec portenta ex vulgi (nec non aliorum, Regi minus faventium) rumoribus sollicite referunt Svaningius, & Hvitfeldius. Meursius, ut ex toto eius opere liquet, vir bonus, ac pius, nusquam occasionem omittit similia commemorandi.

(b) *Constituto Hafniae emporio*) Magis etiam egregiis quibusdam legibus, quas tulit, quaeque omnino ad publicam regni utilitatem, morum correctionem, abusuumque emendationem spectabant, haudquaquam profecto meritae, quamvis inessent nonnulla consuetudinibus nostris parum adcommodata, quae tantopere a nobilitate sugillarentur, ab ipso etiam Hvitfeldio carperentur. At vero aeterna laude dignissimum fuit Edictum, quod de naufragiis, & naufragorum bonis tulit, Hafniaeque anno 1521. Mense Maio typis evulgari iussit. Summam eius Danice exhibet Hvitfeldius, *pag.* 185. *seq.* Sed integrum latina lingua intulerunt Scepperus in *Respons. ad articulos Lubecensium*, *fol. S.* 3. *seq.* & Petrus Parvus Rosefontanus (h. e. Ioannes Svaningius) in *Refutat. calumniarum Ioannis Magni Gothi*, *fol. K.* 4. *& L.* 1. Ac notatu digna sunt, quae ibidem Scepperus adtulit de odio in Regem, cum Nobilium, tum Episcoporum Iutiae, praesertim Burglanensis (seu provinciae Vendiliae) ob hoc edictum. Sic enim *fol. S.* 2. adloquitur Lubecenses: „ Quum (Rex) legem promulgasset, „ eamque typis excusam Hafniae Anno Dn. 1521. mense Maio „ ad omnes regni angulos transmisisset, & vos quoque certiores reddidisset - - - multorum in se Danorum odia contraxit, „ ut qui e ruinis vestris ditari soliti fuerant. Tum omnium „ maxime Burglonensis praedonis, qui aegerrime tulit, aliquem „ tamdem rapinae suae modum inventum esse. „ Et inferius: „ Burglonensis nunc amicus est, cuius ex praecepto, priusquam „ promulgata optimi Regis de naufragiis lex fuit, trecenti homines in littus exire, & periclitantibus vobis mortem intentare soliti fuerant, ut soliis vestris fruerentur. Res nota est, „ quum saepenumero septuaginta millium iacturam hac una ratione feceritis. - - - Vnus est Henricus Cromdycius Danus „ Eques, qui supra octuaginta millia aureorum e naufragiis vestris nactus est. Alter Nicolaus Holgerus est, qui principio „ pauperrimus, mox e ruinis vestris quinquaginta aureorum censum comparavit. Eam iniuriam cum Serenissimus Rex diutius „ tolerandam esse non diceret, sed leges evulgaret, perque „ omnes regni angulos scriptis, & voce publicandas curaret, in „ Episcoporum invidiam incidit. Conquerebantur hinc Lundensis, illinc Burglonensis, & Viburgensis, innovari ab eo leges. „ Aegre habebat lupos illos, avaritiae suae tantum emolumenti „ decedere. Nam prius, quidquid bonorum in littus concesserat, id ipsum pii illi Episcopi rapiebant, trucidatis nautis, „ qui ruinis navium adfixi, in littus evadere nitebantur. Haec „ nullo non die fiebant. Ditabantur interea praedones illi, & „ Illustrissimo Regi multum etiam divitiarum accesserat; adeo „ ut Hermannus Goye nobilis Danus, post latam legem, Regi „ diceret, sola e Iutia deperiisse Regi e naufragiis non pauca „ aureorum millia, ut interea alii sinus, & insulae omittantur. „ Non permotus est tamen his verbis Illustrissimus Rex, sed „ Hermanno respondens: Malo, inquit, divitiarum iacturam „ facere, quam ut naufragi tam foede tractentur permittere. Haec vox illi tribus regnis constitit. Miserandum sane, „ nisi Dei iudicium esset. „ Denique *pag. S.* 4. *b.* haec subiiciuntur eodem pertinentia: „ Post huius legis promulgationem quum aegre haberent Episcopi aliquot, tantum sibi „ rapinae detractum esse, unus ex ea faece ad Regem venit, „ petiitque, ut antiquas consuetudines regni, quantum ad naufragia attinet, sibi observare liberum esset. Audiens hominem Rex confestim respondit, se nulla in parte Danicis „ consuetudinibus detrahere velle, nisi quando Divinae Legi repugnarent. Audiens haec lupus ille perscrutatus est, qua in „ parte caussari Rex vellet Divinis Legibus pristinam de naufragiis consuetudinem obesse. Respondit Rex, scriptum esse: „ Non occides, non furaberis. Vtrumque autem scelus ab eo „ perpetrari, qui pristinam naufragiorum consuetudinem observat. „ Quam optandum fuisset, ut his paucis cetera, si non cuncta, saltem pleraque respondentia in Regis illius vita haberemus! Sed *aliud est sapientia*, inquit Seneca, *aliud sapere. Sapere sapientiae usus est, ut oculorum videre.* Hunc autem usum maxime interdum videtur neglectum fuisse ei, qui tam bene sapientiae praecepta noverat, aliisque praescribebat; nisi illum dixeris a prava humorum temperatura, quali nonnumquam mentis lumen obcaecatur, saepenumero suppressum.

(c) *Ludovico Palatino*) Error est, pro *Friderico Palatino*, de cuius vita, & gestis historia exstat, ab Huberto Thoma Leodio scripta. Quem itidem errorem video in exemplari *Frid. Gunther.* manu eius castigatum.

HISTORIAE DANICAE

LIBER IV.

Qui complectitur Regnum FRIDERICI I.

POstquam Regnum Christianus reliquisset, eius patruus Fridericus dux Holsatiae iam praeterito Ianuario a Senatus parte maxima Rex Viburgi constitutus, mox ad regnum capessendum mense Maio advocatur; isque sine ulla mora (a), magno comparato exercitu tam ex Cimbria, quam Holsatia, proximaque huic Saxonia, tum subnixus classe item urbium Vandalicarum, copiisque auxiliaribus, Viburgo Goldingam petit, atque ibi iterum Rex Daniae pronuntiatur. Quo peracto, Ericum Hogianum, ac Georgium Feckelenburgium, quos Fioniae Christianus in praesidium reliquerat, cum equitibus quadringentis, peditumque signis aliquot, in fidem accipit; ac Georgio postulanti etiam dat missionem, & viaticum, tum praesidio urbem Middelfordum munit, & edicit, ne armatum quemquam e Cimbria in Fioniam transmittant. Inde movens, copiasque non exiguas ducens, in Fioniam transmittit, & Othoniam contendit, urbem insulae primariam. Vbi tertium faustis acclamationibus Rex salutatus, edicta Christiani antiquat, omniaque ad priorem statum revocat summo populi applausu. Hinc Nyburgum postquam sese recepisset, denuo Rex sub dio pronuntiatus, copias traiicere parat in oppositam Sialandiam; Ducibusque convocatis, consilium capit, si prohibeatur littore, ubi copias educere, & instituere aciem posset, antequam ad manus veniat. Item si confligere necesse habeat quodquam esse symbolum vellent, quo se milites dignoscerent; atque hic quum dissentirent, quia dies Trinitati festus esset, ipse eam universo exercitui symbolum mox esse iussit. Hoc peracto omnes e Fionia naves, & Ducatu Slesvicensi convenire in portum Niburgensem iubet, copiis in Sialandiam transmittendis, ac dum illas praestolatur, Lubecenses cum auxiliis Vandalicis, & instructa item classe ita, uti pacti erant, advenere. Quare nihil cunctandum ratus, statim Sialandiam petiit, & dilapso ad eventus famam hoste occupavit. Inde biduum Corsorae, ubi exscenderat, commoratus, hostem, si se is obiiceret excepturus, militem Slaglosiam ducit; ipse Anderschoviam vicinam abit, ubi noctem quum egisset, mox Ringstadium, ac postridie Roschildiam versus ducit. Illic dum subsistit paullum, mittit qui metandis circum Hafniam castris locum idoneum deligerent, atque his renuntiantibus maxime ad septentrionem premi oppidanos posse, Roschildia digressus, ad diem decimum mensis Iunii, illum castris locum capiens urbem obsidet, Lubecensibus maris latus sua classe occupantibus. Etenim illi, sociaeque civitates, capessenti pridem regnum Friderico, inito Segebergae foedere, ad auxilium se obstrinxerant, toto belli huius tempore, adeoque praebituros peditum ad duo mil-

(a) *Isque sine ulla mora*) Ita & Hvitfeldius, & Pontanus, ceterique illi nostri, scilicet quum Magnus Munckius, postquam Wethlae apud Christianum fuerat, literasque ibi Senatorum fidem Regi resignantium reliquerat, mox cum aliis eorumdem procerum litteris ad Fridericum pervenisset, hunc, animadverso regnum gravibus, ac iustis causis sibi obferri, miseratione quadam communis patriae adductum, non potuisse illud reiicere, aut iustam ipsorum petitionem recusare, vel ibi alium, ut regnum Daniae transferretur Regem permittere, praesertim cum Senatores ipsum, ut legitimum Regis olim eorum filium adgnoscerent. Non dissimulant tamen iidem historici, Fridericum rem aliquantum expendisse, eaque deliberata tamdem adsensum praebuisse, quum metueret, ne si ipse tergiversaretur, sceptrum alii, quam Holsaticae domus Principi traderetur. Vid. Hvitfeld. *Chronic. Frideric. I. pag.* 23. Neque vel tempus passum est, vel aliqua in Friderico mora (periculosa utique futura, si exstitisset,) res eo deducta est, ut cum exteris Principibus quidquam de subspiciendo regno ageretur, nisi forte unus, alterve nostrum tale aliquod in privata consultatione proposuerit, antequam certo constaret de Friderici voluntate. Quo spectant verba ipsius Friderici in *Responsione ad Christianum II. patruelem, pag. penult* „ Regna, legitima electione provocatus, administranda subscepi, quae Galliarum Regem Imperatorem tulissent, aut certe ad Scotos descivissent. „ Et deinde ibidem *pag. ult.* Imperatorem, ac Principes Imperii sic adloquitur: „ Porro ne putetis nullo Romani Imperii periculo vos decreturos, geminorum regnorum res agitur, quibus ut nunc amicis, ac sociis uti potestis, ita si ipse ad adsumendum imperium fuissem cunctantior, tum nullo dubio a Gallis, aut Scotis repperissetis homines, alioqui mercimoniorum, & viciniae societate Germanis coniunctos. „ Nempe ad Scotiam respicientes, sine omni dubio rationem habendam voluerunt sanguinis Danici, quum Rex Iacobus V. esset Christiani I. e filia pronepos. Sed & nonnulli animum nostros adiecisse volunt ad Ducem Geldriae; quemadmodum refert Hubertus Thomas Leodius in *Vita Friderici II. Palatini lib.* XI. *pag.* 211. verba sunt: „ Interea seditiosa Daniae Nobilitas Ducem Holsatiae Fridericum, simplicem, & bonum Principem, sibi Regem elegerant, adfirmantes Regnum esse Electivum, & in sua potestate situm Regem amovere, & alium substituere, quandocumque usus veniret. Quod si non adriperet, se Ducem Geldriae, vel alium quempiam ad regnum vocaturos. Quid faceret bonus Princeps, admisit conditiones, & se Regem adpellari permisit. „ At quod ad Sigismundum Poloniae Regem attinet, haud credidero cogitationem de eo ullam a Danis subsceptam. De Svecis nullatenus dubitandum, quippe quos & solos nominat Cromerus, numquam Danos in *Orat. Funebri de Sigism. I. pag.* 696. „ Quum regnaret iam in Polonia, a Svetiis post eiectum Christiernum Regem, & item ab Vngaris, atque Boemis post miserabilem Ludovici fratris filii interitum, ut illa quoque regna subsciperet, expetitus est. „ Et postea, *pag.* 705. „ Regna a Svetiis, Vngaris, & Boemis delata recusavit, ne se, patriamque suam novis, & periculosis bellis implicaret. „ Quin etiam Norvegos adiungit Svecis Erasmus Roterodamus in *epistola* ad ipsum illum Regem (*lib.* XXII. *epist.* 16. *pag.* 1145.) „ Quid ego nunc commemorem, quod post Christiernum Regem ditione pulsum, ultro delata Norvegiae, Svetiaeque regna constanter recusasti, ne tuis hac occasione belli materiam accerseres?

millia, ac quingentos, item equites, tum stipendium addituros. Et duravit haec obsidio ad diem VI. Ianuarii anni proxime insequente 1524. quum interea varie se tuerentur oppidani, & obsessores nil relinquerent intentatum, quo obsessos redigi in potestatem suam posse existimarent. Ac dum ista sic geruntur, Fridericus quotquot arces regias per Sialandiam creditas a Christiano ante fugam obtinerent, fidem eorum mox sollicitare instituit; ac suadere, uti se, easque dederent. Inter has Calundeburgum excellebat, multo opere munitum, Regni Archivum, sanctiusque item aerarium, non consuetum aperiri nisi summa in necessitate rerum. Praefectus erat Nicolaus Ericsonus, homo claro loco natus, isque Friderico tradit, & in fidem eius transit, opera Magni Goiei regni equitum tribuni. Quod exemplum quum mox alii sequerentur, brevi totam Sialandiam Fridericus suam in potestatem accepit. Itaque tentare Scaniam visum fuit, litterasque illuc mittit, & legatos, qui solicitarent animos, ac suaderent, ne legitimo Regi obsequium, quod iam cetera illi Dania praestitisset, recusarent. Neque res successu caruit, nam indigenae regionis Lundiam metropolim eius convocati, faustis vocibus acclamantes separatos ndem iuramento obstringere, si accederet, adfirmarunt. Quae legati quum renuntiassent ipsi, nil cunctatus, rebus propere constitutis, ac castrorum cura filio Christiano commendata, addito Ioanne Rantzovio, qui consilia eius regeret, ocyus in Scaniam transit, atque ibi ab ordinibus universis pariter Rex adpellatur, nisi quod Malmogienses soli nec legatum mitterent, nec obsequium deferrent, fidem in exsulem Christianum retinentes. Incitaverat eos maxime Ioannes quidam Michaelius, homo primi inter cives suos loci, qui sub rege Christiano, postquam gratia valuisset, eaque abusus, odia in se plurimorum provocasset; remanere, illo fugam capiente, minime tutum arbitratus, ultroneus exilii comes, qualibet occasione certiores cives facere, rediturum brevi Regem cum ingenti militum manu, & hortari, obfirmarent paullum animos, neque a iurata olim fide abirent; atque ea re effecerat, ut diutius reluctantes obsequium in Christianum tamdem ultimi exsuerent. Fridericus istis actis, & in Scania rebus omnibus pro arbitrio ordinatis, ut Malmogiensium eruptiones coerceret, Lundiae praesidium imponit; hinc in Sialandiam traiecto freto se recipiens, Hafniam obsessam repetit. Ac Germani quidam milites, impetrato a Gustavo (quem tunc Sveci sibi Regem constituerant) commeatu, sub Petro Pettino duce (a) Scanis sese coniungentes maximum ad impetus Malmogiensium reprimendos adiumentum adtulere. Quum in castra advenisset, ea perturbata invenit; etenim cum rusticis venalia quaevis necessaria adportantibus miles pretium non persolveret, atque illi domi ideo postea se continerent, neque venum quid quam ferrent, is egressus rapere undecumque posset, rusticisque vim repellere cupientibus, & ad arma concurrentibus, iam periculum aliquod erat, ne in bellum intestinum res evaderet. Ac componere motum aegre Fridericus, rusticis indicta poena. Tum pollicitus militibus, etiam cum iuramento, non deinceps sese relicturum, neque quoquam discessurum, nisi Hafnia expugnata. Sed hunc casum alius excepit gravior. Christianus quum auxilia ab amicis non exigua undecumque comparasset, regno suo vi id mox repetiturus imminebat; impetumque in se primum Lubecenses, Vandalique, item alii loco proximi metuentes, ocyus quoque, quas opponant copias, parant; tum ad Fridericum scribunt, & ut adiuvaret rogant, atque addunt: quando arma, & consilia coniunxissent, iure opem in periculo communi postulare. Esse quidem sibi militem satis validum ad excipiendum hostem, sed deesse tantum ducem, quem, ut omnes eum cupiunt, sic, ut esse vellet, orant. Nec auxilium, operamque detrectabat Fridericus. Sed teneri iuramento, quo se suis pridem obstrinxerat, ante captam urbem Hafniam nusquam discessurum esse. Sed urgebant summi duces, minime deserendos socios, quorum sors cum sua sic coniuncta foret, ut si illis secius quid eveniret id, vel totum quoque regnum pertineret. Iret itaque, & iuvaret laborantes, se in castris, dum abesset, maxima fide curaturos, uti recte omnia, & ordine fiant. Quibus motus, rei summa filio suo Christiano, & Tribuno equitum Holsatiae Ioanni Rantzovio demandata, in Holsatiam parvo admodum comitatu proficiscitur, & delectu passim habito propere exercitum cogit militum octoginta millium. Cum hac manu Granderheidae, ibi hostem exspectaturus, castra locat. Neque diu hic substiterat, quum adesse magno item cum exercitu Christianus nuntiatur, & mox Albim traiecturus, ut Holsatiam invadat; sed hoc ipsum dum molitur, postulat stipendium miles, antequam in hostem duceret: quo quum destitueretur, sibi metuens clam e castris se subduxit, & auxilia sua deserit: quae & ipsa, ubi eum profugisse deprehensum, sponte a signis discessere. Fridericus ita hoste liberatus suas quoque copias statim dimittit, atque rebus in Holsatia ordinatis, Daniam repetit. Nihil minus exspectabat Christianus, quam hunc exitum; etenim se iuramento cuncti obstrinxerant, numquam arma posituros, nisi regno restituto. Ac fiduciae huius plenus quatuor ex bellicis navibus, quas abduxerat, praesto esse in Albi iusserat ad traiiciendas in Holsatiam adversam copias. Eae vero quum in mare, uti imperatum erat, excurrissent, obvias mox sibi duas e Norvegia venientes, armis probe sat instructas, & onustas pisce, capiunt, & his aucti, fretum petunt, atque cursum iuxta Elsingoram sistunt, in conspectu navium Vandalicarum, Hafniam ab ea parte, uti dictum, obsidentium. Rei nuntio quum

(a) *Petro Pottino duce*) Hvitfeldius in *Histor. Frider. I. pag.* 44. vocat *Petrum Pottin*. Ericus Georgii *Hist. Gustavi I pag.* 37. *Petrum Pathinum*, ubi locum ei dat inter Germanicae nationis equites, qui in Sveciam militatum venerant.

CIↃ IↃ XXIII.

quum in castris turbaretur, metuentibus universis, ne obsessis eae naves militem, & arma ferrent, animos firmat lixa profugus, nuntiatque; nullum omnino illis, quem timerent, militem esse, nautas quidem duplicatos, atque belli instrumentum satis magnum adportare, sed destitui commeatu. Ac, quum animi penderent, an haberent lixae fidem, an paulisper substinerent, certiora dum acciperent; ille fidem non haberi sibi videns, obfert se in poenam quamvis, si quid ipse praeter verum retulisse postea convinceretur. Itaque ad classem abeunt Ioannes Hoianus, Magnus Goiaeus, & Ioannes Rantzovius, ac praefecto compellato, classiariorum quoque primos vocant, & exposcunt: quasdam Christiani naves fretum invectas iuxta Elsingoram stare; quae res, postquam cum opprobrio regis sui iuncta esset, nec ferendum videretur, uti paucae adeo naves tantae classi insultarent, sedulo rogatos cupere, ut acciperent a se copias, quantas vellent, & hanc contumeliam ulciscerentur. Sed invalida apud animos degeneres haec oratio, pariterque nautae omnes, & praefecti causabantur, homines se egenos esse, neque quidquam, praeter naves has, habere, quas si perdant, nihil ipsis postea superfuturum, quo deinceps tolerare vitam queant. Illam se amittere malle, quam iacturam earum facere. Quumque his a regiis responderetur, se cavere de his promtos, & Lubecae quotquot vellent, vades dare, irent modo, & pugnarent; foederisque meminissent, quo se pridem universi Friderico obligaverant; non se illum deserturos, dum aut lapis ex Lubeca unus, aut e facultatibus si cochlear, ex argento unicum, superesset. Verum etiam ista frustra; adeoque metu omnes tenebantur, ut confestim fugam caperent, Travenamque mox repeterent. Quae quum hostis cognovisset, sine mora ipse, Elsingora solvens, locum vix relictum occupat. Tum in regios tela iacet, & navigia quaedam diripit, quae annonam in castra advexerant. Inde urbem, quamlibet obstructo portu, quum intrasset, atque brevi adfuturum cum auxiliis Christianum retulisset, gaudio ingenti eam, sed non diuturno implet. Nam cum festis eo die cuncta ignibus colluxissent, insequuto e castris adest Olaus Rosentkrantzius, ordinis vir Senatorii, magnae ut auctoritatis, sic virtutis. Isque adiuncto uno comite, ac bacillum manu gestans, urbem accedit, & admitti intro petit, ut de rebus, quas mandassent obsessores, cum Goiaeo eius praeside, colloquatur. Res Goiaeo nunciatur, & admittitur. In sermonem postquam ventum, infit statim Rosentkrantzius. *Non Goiaeo multis verbis te morabor, pacem adfero bonam, ac certam, & optandam, si felicitatem ipse tuam capis; quam ut promte amplectaris, patriae calamitas suadet, cum qua hactenus conflictatur. Scis divina cuncta, & humana, mixta, neque sancti pene quidquam reliquum fecisse nobis Christianum, dum in feminae Hollandicae potestate is tenetur, & ad nutum se illius totum aptat; nil in omni regno concors; non consilium, aut prudentiam. Et ut corpus in dissidio membrorum, capitisque minime constare possit, ita etiam neque regnum, nisi subditi regi suo obsequantur. Quae quum ita sese habeant, post suspiria plurimorum, satis multa, atque longa, tamdem nos respexit Deus, & benignum regem dedit Fridericum nominis illius Primum; cuius fidei ut te, atque urbem tradas maximopere nunc contendo. Is putabit beneficium, & adgnoscet grata mente. Si ad illum transeundum non censebis; quo volueris, concedendi libera potestas erit; tum [si tibi sic videbitur] etiam tormenta quaedam laeviora abducere licet; ita tamen ut stipendium militi, quod iam debetur, repraesentes. Cogita instantem famem, & prius, quam invalescat, antevertens civibus prospectum velis. Vtere occasione, quae se forte versis in peiora rebus, postea non est datura. Nihil iam restare ultra, quod a Christiano exspectet, qui res suas turpi fuga pridem ipse conturbaverit.* Post haec verba, considere Rosencrantzius, & rogare, ut benigne responderet. Ac Goiaeus: *Iusta oras Rosencrantzi, ego urbsque Hafniensis, post hac Regis Friderici in fide erimus.* In hunc modum fit deditio die sexto Ianuarii.

CIↃ IↃ XXIV.

Quibus actis, mittitur ad Fridericum in Holsatia, uti dixi, tunc agentem Ioannes Ranzovius, qui renuntiet, quae dum abest, gesta essent, & acceptam in deditionem Hafniam (a). Isque laetus iubet illic convenire Senatores ad Augusti diem decimum, & coronam regni accipit. Alii conventum referunt in vigesimum quartum Iunii, ac coronam mox collatam septimo Augusti die. Tum nonnullos, ut in talibus usitatum, dignitate equestri ornat. Aderat in cetera nobilitate Nicolaus Ericsonus, quem Callundeburgum nuper tradidisse antea commemoravi, isque praemium deberi non exiguum sibi ratus, quum in genua procumberet, ceu honore quoque illo adficiendus, mala una cicatrice deformata. Fridericus ad adstantes: *Ecquid*, ait, *altera notanda mala est, & cicatrix itidem ei imponenda, ob Callundeburgum proditum, ac perfidiam?* Post quae verba, nec honore, quem sperabat, est dignatus, & contemtum a se demisit, & deinceps Slippeslotium (b), sive arcis proditorem, vulgo eum cognomento adpellarunt. Bonus princeps, gratam quidem se proditionem habere, sed ingra-

(a) *In deditionem Hafniam*) Hic omissum est dicere de urbis Malmogiae deditione, facta eodem die, quo urbs Hafniensis potestati Friderici Regis sese tradidit, secundum pactiones de utraque urbe cum Christiano Principe, Filio Friderici, initas.

(b) *Et deinceps Slippeslotium*) Est hoc, *Slippeslot*, vocabulum Danicum, notans *arcis commissae traditorem*. Nam *Slot*, arx, vel castrum; & verbum *Slippe*, rem, quam tenemus, vel servandam ab aliquo accepimus, alteri concedere. Ceterum, quod de Nicolao Ericsonio Meursius, Svaningium sequutus, heic memorat, non omni ex parte Hvitfeldianae narrationi consonum. Hvitfeldius enim Regem, etiam pronunciato mordaci ioco, Nicolaum dignitate equestri ornasse, diserte dicit: Quod etiam verisimilius; nam neque processisset alter, aut in genua procubuisset, nisi certus fuisset de honore sibi cum ceteris destinato. Fuit autem Nicolaus iste ex familia Ravensbergiorum, docente Hvitfeldio, *pag.* 74 se ipsum corrigens, qui *pag.* 40. Boellerorum genti adscripserat.

CIↃ IↃ XXIV. ingratum (ut fit fere) proditorem ostendebat. Post solemnia quum iam regni potens esset, nova auxilia circumspicere contra Christianum cepit. Itaque, sepositis cum Sveciae Gustavo Rege controversiis, eum ad colloquium Malmogiam vocat. Neque ille, qui timeret Christianum, si is forte ope amicorum adiutus regno restitueretur, recusare. Itaque & sistit sese quarto & vigesimo Augusti die[a], & obstringit ad ferendam contra Christianum opem; tum eamdem invicem a Friderico stipulatur. In hoc foedus, admittuntur & Vandalicae civitates; ac Lubeca in societatem belli (dum id duraturum esset) equites ducentos Regi, peditumque tria millia suo aere meritura pollicetur. Insuper, quae de Gotlandia controversia inter duo regna erat, cum hanc, ut propinquiorem, dudum Sveci suam esse contendissent, & subactam armis rursum a Valdemaro III. Dani vindicassent, novo foederi confirmando terminatur; placuitque uti Daniae ea semper porro esset. Etiam Blegingia traditur, vetus Scaniae ducatus, quem non ita pridem Sveci, fugiente Christiano, occuparant. Sed ut ea regno laeta, ita tristia acciderunt duo incendia, unum urbis Vethlae in Cimbria, alterum Roschildiae in Sielandia quum pars maxima utriusque civitatis conflagraret. Ac Roschildia olim regni urbs amplissima, & augusta Regum sedes, nunc vix municipii quoddam instar habet, nempe ut sua fata homines, ita quoque urbes habent, mors etiam modo quodam saxis venit. Anno proximo novus motus est exortus. Quippe Severinus Norbius domo in Fionia nobili, sed insignior virtute. & ob hanc a Christiano mari Baltico praepositus, & Gothlandiae praefectus fidei in herum constans, regnum illi, quantum in se, vindicare est conatus. Classem habebat magnam admodum, & instructam omni bellico adparatu; ac terrere Fridericum ea poterat. Vtque auxilium sibi e Svecia compararet, ad Christinam viduam Stenonis Sturae mittit, qui coniugium petant. Verum illa quum fortunam viri sui, qui in regni cogitationem pridem, studiumque temere incubuisset apud animum reputaret, minime consultum rata, se in discrimen idem dare, postulata recusabat. Ille nil repulsa motus, in proposito de exercitu contrahendo perseverat, & mox naves quasdam mittit, duce Ottone Stigoto, Scaniamque invadere iubet. Isque quum adplicuisset, militem exponit statim, impetuque Silvesburgum mari adsitum, primo capit, nec multo post Ahusium urbem in Blegingiae limite. Hinc terrorem postquam Scanis iniecisset, illi ad Tychonem Crabbium[b] regni aulae tunc praefectum, & militiae insignem mittunt, sese iuncturos vires suas. Isque patriam tempore tam necessario minime deserendam ratus, ocyus se adfuturum pollicetur, & hortatur; ipsi interim parent, quae ad hostem propulsandum requirantur. Neque mora: tota Scania militem adesse iubet, tum adscribit certum locum, ac si, qui cunctentur, poenam. Itaque paratis copiis, ne per moram invalescere hostis possit, in Ahusium, pridem occupatam, tendit. Quod dum obsidet, nuntiatur adventare Severinum, cuius vires quum nesciret, ut periculo praeverteret, retro cedit ad Malmogiam urbem Scaniae primariam, quo nobilitas eius ditionis tota, ut Stigeti vim evaderet, se receperat. Aberat per illud temporis Rex Gotorpii, & Holsatiam [motus huius minime gnarus,] ordinabat; sed per literas a Tychone certior factus, copias, quas opponant, mittit, ac Rantzovium, de quo dixi, ducem addit. Isque itinere festinato quum Fioniam transiisset, & e Sielandia in Scaniam traiicere vellet, remorari Hafnienses, transitumque denegare, nisi per manipulos, is ac demissis signis fieret. Quod Rantzovio quamquam indignum videretur, eo tamen tempore dissimulandum illi fuit, civiumque voluntati obtemperandum, eo modo quum per urbem iam auxilia traduxisset, mox Malmogiam adpellit, & excipitur. Summa omnium laetitia Severinus, quum Stigotus iam in Scaniam exscendisse, ac feliciter rem gessisse intelligeret, ipse quoque, tota inde adducta classe, mox accurrit, Scaniamque late vastat. Lundiam capit, & Landscronam, utque se recipere huc quandoque posset, valide munit, rusticorum, qui favebant, promta opera, inde Helsingburgum pergit; velut, eo expugnato, Scaniam in potestate universam habiturus. Quod Tychoni postquam nunciatum fuit, haud cunctandum arbitratus, copias in hostem educit. Addunt se, Malmogiam quos confugisse ante dixi, viri eius regionis optimates, patriam tueri certi, aut pro ea mortem oppetere. Ac Malmogia digressus, ad vigesimum, & octavum Aprilis diem, Lundiam ducit; eo autem quum venisset, erumpentem militem praesidiarium acri pugna superat, & profligat, interfectis tribus millibus, ac quingentis, captis quingentis, fervideque adeo Tychoniani instare victis, ut in urbem fugientes persequuti, neque templis, in quae fugerant, abstinerent, neque sexui, aut aetati ulli parcerent. Severinus, qui iam graviter Elsingburgum obsidebat, nuntio perculsus cladis, quum Tychonem in Landscronam copias ducturum sciret, & obsidionem solvit, & se propere illuc confert; praevidensque imparem se in longum tempus resistendo, per Stigotum concitari rusticos in Scania superiore, Sveciaeque proxima ad arma iubet. Quod Tychoni postquam gnarum, mittit, qui rem explorarent, copiasque hostium renuntiarent. Moxque certior, expedito nocte intempesta agmine contra tendit, & occurrit prope silvam Tostenesiam

(a) *Quarto & vigesimo Augusti die*) Hvitfeldius e nostris, & Ericus Georgii in *Hist. Gust. I.* in eo consentiunt, quod primum inter Reges colloquium sit habitum ipsis Calendis Septembr. in aede sacra Malmogiensi. Verum Svaningio, & Meursio praeivit *Chronicon Skibyense*, quod ipso die S. Bartholomaei solennem illum conventum celebratum refert.

(b) *Tychonem Crabbium, regni aulae praefectum*) Hoc officium Tycho Crabbius numquam habuit, aut obivit; quippe quod a multis annis penes Magnum Goyaeum fuerat, & porro ad mortem eius sub Christiano III. mansit. Crabbius vero supremus militiae praefectus erat.

CIↃ IↃ XXV.

nesiam: summo utrimque impetu concurrunt acies, ac concertant magno animo, dum bis mille, ac ducentis interfectis, fugiunt in silvam rustici, illic quoque stragem non exiguam passi. Post quae, rebus desperatis, Severinus ad pacem vertens, se, & insulam Gothlandiam regi Friderico dedit, ac Blegingiam contra accipit. Qua mox tamen, quum deducere Dorotheam regis filiam ad Albertum Borussiae ducem (cui desponsata erat) detrectaret, est eiectus; sive etiam, ut nonnulli sunt authores, ultro cessit, quum invidiam optimatum, & insidias deprehenderet [(a)]. Inde etiam regno excedit in Livoniam, ubi a Muscoviae magno duce captus, & elapsus e custodia, in Italiam evasit ad Carolum V. Imperatorem tunc Florentiam obsidentem, cui gratus ob adfinem Christianum, & in eum claram fidem, quum navare operam vellet, pugnans occidit [(b)]. Vir consilii, ac virtutis, fideique, pariter magnus. Sic represso Severino, novas turbas dedit Nicolaus Igniphosius, qui, uti ille gente Danus etiam fortunam regis Christiani est sequutus. Vtque motum Severini intellexit, cupiens suppetias ferre classe aliqua comparata, quum infestum mare faceret, victus praelio navali ab Hamburgensibus, studii in Christianum finem infelicem habuit. Inter ista Fridericus, ut coronam regni sui ante annum ipse acceperat [(c)], sic uxori eam Sophiae mense itidem Augusto tertio, & decimo die imponi curat. Anno proximo ad

CIↃ IↃ XXVI.

vigesimum & secundum Iunii diem magna comparata classe, Dorotheam filiam ante Alberto Borussiae duci desponsatam in coniugium deducit, magno utriusque sexus nobilissimorum hominum comitatu. Quumque domum post peractas illic nuptias rediisset, an-

CIↃ IↃ XXVII.

no proximo Ecclesiae corruptum statum correcturus Othoniae conventum indicit, scrioque regni Episcopos adhortatur, ut erroribus, qui irrepserant, emendatis, pure suis verbum Dei praedicarent; sin officio deessent, se deinceps curaturum, ut quod ipsi detrectarent, alii facerent. Emendationi ampliori occasionem praebuit Ioannes Thausanus, gente Danus, in Fionia iuxta Neoburgum natus, is non ita pridem Monachus in coenobio Anderschoviensi fuerat, & a praeside [(d)] in Germaniam, ut Theologiae illic maiorem operam daret, amandatus, cum praecepto, ut quam vellet Academiam, praeter solam Wittenbergicam frequentaret. Quum Coloniae primum egisset, neque ea satis faceret, Wittenbergam, quamlibet prohibitus esset, se recepit, ac Lutherum, cuius ante scripta legerat, ibi audivit. Ac reversus, quam doctrinam hic acceperat, suos docens: quum id praesidi non placeret, mox in Cimbriam borealem, & Viburgum, in Monasterium sui ordinis, ablegatur. Vbi quum, quae Wittenbergae didicisset, etiam doceret suos, iterum abire iussus proximum Viburgum petit, & a populo rogatus, ut sincero eos Dei verbo imbueret, morem gessit, plurimasque ibi conciones habuit summo omnium applausu. Quod Episcopo Georgio Frisio postquam nuntiatum esset, atque aegre ille ferret ista eum in sua Ecclesia, se ignaro, & inconsulto ausum esse, ad colloquium benignum adesse iubet. Quod quum cives accepissent, ante hospitium congregati ire vetant, quando res periculo coniuncta esset: si id velit, se ituros, & ab ipso petituros, ut permittat liberas sibi Evangelii conciones; si concedat, gratias acturos esse; si recuset, manu armata in Ecclesiam deducturos, & inde reducturos. Quum abnueret Episcopus, illico Thausanum adeunt, atque, quod minati, ducunt in Ecclesiam armati omnes, & reducunt. Cupiebat coercere quidem praesul, sed non animi ad rem tantam satis erat. Itaque ad Fridericum res devolvitur, qui Gottorpii tunc agens, ut solebat, nisi negotia regni evocarent, quos Episcopus ablegaverat, illico ire iubet, ac renuntiare hero: Ne vim tentet, sed permittat concio-

(a) *Insidias deprehenderet*) Non tam insidias, quam apertas lites, & inimicitias, quas sibi adtraxerat, Svecis, Lubecensibus, ceterisque Hanseaticae societatis ob damna eis illata exosus; quandoquidem piraticae nimium adsuefactus, mare infestum habere, etiamsi contra fidem Friderico datam, numquam destitit. Hinc publico odio expositus, quum nullum haberet amplius praesidium a Danis sperandum, consilium cepit in tutiora sese loca recipiendi. Lubet, ad cognoscendum uberius virum istum, ex optima quidem nobilitate apud nos natum, rebusque gestis inclytum, sed a probitate haud laudandum, adscribere locum ex *Commentariis rerum Moscoviticarum* Sigismundi Bar. in Herberstain *pag.* 45 „ Porro ad „ Moscos raro confugere solent, nisi quibus alibi vivendi lo- „ cus, & securitas non est. Qualis fuit nostris temporibus Se- „ verinus Nordwed (male pro *Nordby*,) Regis Daniae Chri- „ stierni praefectus maris, homo quidem militaris, sed quodvis „ negotium in nomine daemonis audspicari solitus, de quo multa „ audivi, quae prudens praetereo. Is quum Regem ob suam „ immanitatem Holmiae, quae caput regni Svetiae est, verna- „ culaque ipsorum lingua Stockholm adpellatur, incolis suis „ exosum esse, suaque sponte Daniae regno cessisse videret, „ munitum quemdam locum in Gotlandia insula, (quae duo- „ decim milliaribus Germanicis patet,) occupavit, ex qua mare „ Baltheum diu infestabat, nemini parcens, aeque amicos, ac „ hostes spoliabat. Tamdem, ubi contra se, tamquam commu- „ nem quamdam pestem, omnes timeret, nullumque locum, in „ quo ab insidiis tutus esse posset, videret; adsumto certo „ praedonum numero ad Principem Moscoviae confugit, venit- „ que certis navibus in fluvium Narva, ad arcem Mosci Iu- „ wanowgorod. Inde terrestri itinere Moscoviam eo anno, „ quo ego illic fui, deductus erat. Caesaris autem Caroli V. „ intercessione dimissus, in obsidione Florentiae Italiae civita- „ tis, in eius servitio globo ferreo traiectus occubuit. „

(b) *Pugnans cecidit*) Adtulit & *pag.* 126. *Histor. Frider. I.* inseruit Hvitfeldius epitaphium ei scriptum a Cornelio Sceppero Christiani II. Regis Vice-Cancellario, quod tale est:

„ Oceanum hostili toties qui sanguine tinxit,
„ A gelidae Thyles littore ad usque Cronum.
„ Quem non immerito Slavi, Svedique, Gothique,
„ Vandalicaeque urbes exstimuere ducem.
„ Norbyus Etrusco iacet hic Severinus in antro,
„ A Florentina missus in astra pila.
„ Barbarus ille nequit captivum exstinguere Moschus,
„ Mergere non mediis Ennosigaeus aquis.
„ Debuit in Latio, velut orbis in arce, perire,
„ Tanta viri ut virtus undique nota foret.

(c) *Coronam imponi curat*) De hac Reginae coronatione nulla a Cancellario Hvitfeldio facta mentio. Verum in *Chronico Schibyensi* hoc de ea adnotatum: Anno 1525. mense Augu- „ sto, ipso die feriarum beati Hippolyti, quum essent in ci- „ vitate Hafniensi publica comitia, coronata est in Danorum „ Reginam Illustrissima Domina Sophia, Friderici I. Danorum „ Regis venustissima coniux, & filia Ducis Pomeraniae, mul- „ torum virorum nobilium maxima gratulatione. „ Et Magnus Matthiae in *Serie Regum Dan. MS.* „ Anno Dn. 1525. Do- „ minica proxime praecedente festum Adsumtionis Mariae, ni- „ mirum die Hippolyti, qui fuit Augusti XIII. in publicis re- „ gni Comitiis coronatur Sophia Friderici coniux.

(d) *Et a Praeside*) Adnotatum superius ad Christiani II. historiam, eos, qui Monasterio Anderschoviensi praeerant, fuisse Priores, Ordinis Fratrum S. Ioannis de Ierusalem.

CIↃ IↃ XXVII.

ciones, quas audire cives vellent. Illis vero item mandat, ut in urbe pacem colant; ac contenti concionibus nihil ultra moliantur: se in regnum aversurum, & negotio partis utriusque expenso, totum id compositurum. Nec moratus, Hafniam quum senatores mense Augusto convocasset, etiam Episcopos adesse iubet. Erant illi Lundiensis regni primas, Roschildensis, Othoniensis, Slesvicensis, Arhusiensis, Ripensis, Viburgensis, Borlumensis, qui cum omnes convenissent, de mutando Ecclesiae statu, ac religione item ad Apostolorum tempora reformanda, & ad priscam puritatem reducenda serio deliberatur. Etenim in Dania sacrorum praesules, praeterhabito munere suo, rebus mundi se miscebant more dudum inveterato a Canuti sancti tempore, qui eos Ecclesiae maximo cum detrimento inter principes accensuerat, & ad bella, multum a sacrato ordine aliena, adplicaverat. Inter ista motus ille conquievit, nec Thausanum prohibere ultra praesul, nec gestare arma cives, libertate audiendi verbi Dei, ut volebant, impetrata. Fridericus, postquam Hafniam convenissent Senatores, & Episcopi, ut Ecclesiae suae statum toto regno emendaret, iurisdictionem Episcopis in adulteros, & incestos, aliosque, qui in rem divinam quidquam admisissent, omnem adimit, ac civilem in Magistratum eam transfert. Ceteram permittit illis, sed hac lege, ut Ecclesiae ministros aptos darent, qui doctrinam Evangelii incorruptam (a) porro traderent. Insuper concedit cunctis Sacerdotibus, Monachisque, & Virginibus sacratis cum tutelam pollicetur, tum concedit, si qui continere se non possent, matrimonium ut inirent. Quo decreto magna sequitur mutatio. Et in Scania Malmogia urbs praecipua, maximaque ad doctrinam Evangelii puriorem anno proximo admittendam signum tollit;

CIↃ IↃ XXVIII.

quod mox aliae tota Dania civitates magno impetu sequerentur. Laetis adeo universis, quod e tenebris errorum semel tamdem in

CIↃ IↃ XXIX.

lucis claritatem evasissent. Rexque inde Hafniam Thausanum evocat, ut quam operam aliquamdiu praestitisset, huic deinceps exhiberet. Isque in Fioniam quum traiecisset uno comite Theogaro, viro pio, atque docto, quo Viburgi in erudiendo populo usus erat, statuit Othoniae ad aliquod tempus commorari; cum ut paululum sese colligeret, tum ut faceret periculum, an Episcopum tunc Canutum Gyldesternium ad doctrinam puriorem amplectendam permovere forte posset. Sed quum frustra opera navata esset, Hafniam, ut iussus erat, se recepit. Atque summo adplausu exceptus, per biennium illic egit in pacato Ecclesiae suae

CIↃ IↃ XXX.

ministerio, dum vicesimo septimo Decembris die anno 1531. turbaretur, ut mox suo loco dicam. Anno vero insequente, ad Septembris diem octavum Hafniam primates regni convenire Fridericus omnes iubet, etiam Ecclesiasticos, qui religionem avitam, quique pridem reformatam tuerentur. Vbi cum Catholicis compertum, illud protestantes agere, ut ad populi iudicium tota res devolveretur, nec consultum id putarent, neque iudices idoneos ad concilium generale mox habendum provocarunt; & utrique re in-

CIↃ IↃ XXXI.

fecta domum suam reverterunt. Qui sequutus annus fuit, Christianum, quem iam ante sua spes frustrata erat, iterum in arma egit. Isque ut recuperare regna posset, cum conatu summo classem instruxisset, & in Daniam eam duceret, magna ingruens tempestas ita totam dissipavit, ut nonnullae eius naves in Norvegiam vix adpellerent; ceteraque mox sedata tempestate, itidem in praestitutum locum evaderent. Vbi quum de summa re deliberaret, visum est Onsloum petere, & in potestatem cogere. Quo peracto quum & arcem Aggerhusiam, eo tractu munitissimam obsideret, nuntiato adesse Svecos, & in castra irrupturos, movet castra, & obviam procedit, mox adcurrentes fundit. Tum & Carlesburgum occupat, & praesidium obtruncat; hinc Ludosiam fugientes persequutus, quum apertam illi urbem reliquissent, ipse veritus insidias, nec intrare tutum censens, pedem refert. Magnam certe Sveciae partem subacturus, nisi ut mens laeva solet, ipse se destituisset. Ita autem retrogressus, belli duces sciscitatur, utrum satius arbitrentur, an Norvegiae, quam occuparat, partem, hac contentus tueretur, an & reliquam subiugaret. Atque respondere cuncti: Aggerhusiam porro urgeret; quam si expugnare posset, facile munitiones ceteras se dedituras, nam quum ea maximi momenti foret, alias quoque fortunam eius sequuturas esse. Ac consilium ille probat, & Opsloi aliquamdiu commoratur, novas sibi illic vires collecturus. Praeses Aggershusiae Magnus Gyldensliernius, quandoque neque commeatus, nec

CIↃ IↃ XXXII.

praesidii satis esset, clam in Daniam ablegat, qui senatu, quo res suae loco essent, nuntiarent. Certiorque Fridericus, sine mora Hafniam petit, atque ibi, ut vero turbas in Norvegia Christianus excitabat, ita civitas Hafnia tumultuata est. Haec Decembris die septimo, & vicesimo statim a vespertinis precibus in supremum incursans templum, cum imagines sanctorum, tum subsellia frangit, dissipatque, nec in eo integrum relinquit quidquam, praeter maximum altare, quod cum capitis discrimine vix praefectus urbis eius tuebatur. Inde clausum toto poene insequente anno fuit, uti neque protestantes, nec Catholici fruerentur. Tamdem magna Ioachimi Ronnovii cura, designati Roschildiensium Episcopi, qui querelam apud regem, tunc Gotorpii absentem, inde etiam senatum est effectum, ut nonnulli senatores Hafniam conferrent sese, ac de templo iterum aperiendo inter se deliberarent. Ac quum nihil etiam sic promoveretur, eo rursum in negotium incumbente, tamdem istuc res perducta est, ut recluderetur denuo, sed Catho-

(a) Haec dicuntur ab homine, a Romanis sacris alieno, uti erat *Io. Meursius*; ideo minime mirari subest, si ita loquatur, contra veritatem ipsam, & nulla habita ratione reverentiae, quae sanctis ac indubitatis Ecclesiae Romanae dogmatis, ab omnibus ubique, ac semper debetur. Haec igitur, & huiusmodi alia, τὸ λῆρον, & mera τερετίσματα, & deliramenta seducti, & errantis ingenii habeantur: quod semel dictum, repetitum ubicumque opus fuerit censeatur.

CIƆ IƆ XXXII.

tholicis tantum admissis, protestantes arcerentur. Quae res etsi male omnino regem haberet, protestantibus faventem, sic in praesens tamen est dissimulata, ut impune non futurum, si moliri tale quidquam aliquis deinceps vellet, omnes scirent. Inter ista convocatis senatoribus, de pellendo e Norvagia Christiano, copiisque huc mittendis, ac ductore consilium habet. Nam mature antequam reduceret in potestatem regnum illud universum, occurrendum videbatur. Atque quum sententiae diversae essent, plures eo propendebant; quando Magnus Gyldenstiernius Aggershusiam, pridem sibi creditam a Friderico, magna animi constantia, ac virtute tueretur, ut Canutus eius frater in auxilium mitteretur. Erat is Episcopus Othoniensis, & e regni senatoribus, fide clarus. Itaque ubi in hunc omnes consensissent, ille copias statim accipit, & mandat ne cum hoste ullo modo paciscatur, sed aut vivum redigat in potestatem, & in Daniam abducat; aut profliget, & Norvegia eiiciat. Erant in conventu eo & legati Lubecensium, qui ut ante memoravi, in societatem admissi, ea lege, ut quocumque contra Christianum bello, uti peditum tria millia, & ducentos equites suppeditarent suo etiam stipendio. Itaque hos Fridericus interpellat, atque illi respondere, praesto fore, modo de custodiendo Christiano, si is forte caperetur, quod eodem in contractu spopondissent, servaretur. Quippe stipulati erant, si quando in potestatem Christianus deveniret, de custodia adsignanda, aut in regno, aut Holsatiae ducatus primi, ut sententiam ferrent; qua de re quum inter se convenissent, in Norvagiam Canutus illico ducit. Quo quum primum advenisset, operam in primis dedit, ut consilia Christiani, atque vires exploraret, quam ad rem colloquium cum Magno fratre, tamquam gnaro, quum censeret necessarium, nihil eo prius duxit. Ex quo postquam intelligeret, milite Germano instructum esse Christianum, ac periculosam fore pugnae aleam; potius prudentia, quam armis sibi censuit experiundum. Itaque colloquio eius impetrato, & induciis constitutis, ut minores quoque duces, ac legati Lubecensium in id ipsum consentirent, Heidestorfium, aliosque secum duxit. Vbi postquam coram rege Christiano se Canutus excusasset, quod a Friderico iussus armis agere, pace tamen rem componere uti sanguini parceretur, animum suum induxisset. Ac post plurima colloquia (a), tamdem tamen, quamquam aegre, Christiano est persuasum, ut in pacem, quando belli exitus incertus esset, consentiret. Ac conditiones scriptae, ut Norvagia Christianus tota excedat, copiasque in Germaniam recessuras sine noxa, auctoramento suo solvat. Ipse cum exiguo comitatu Daniam petat, atque ibi cum senatu, & Friderico, quae ad pacem pertinere existimaret porro agat: qua utrimque constituta, bene fore; sin negotium succedat, integrum futurum illi, vel discedere in Hollandiam e qua venerat, vel Germaniae in quamcumque partem vellet. Haec sancta; sed hac lege, uti duces quoque ceteri, qui advenerant cum Canuto, universa adprobarent. Qui quum rata habuissent, mox Canutus subsignavit, addiditque iuramentum. Inde ad Fridericum mittit Wilhelmum Steddingium Germanum, peditatus regii tunc summum ducem (b); & e nobilitate Danica Petrum Scramum, qui quae acta memorarent. Sed in Daniam quum venissent, ac negotium Friderico, sicut iussi universum retulissent, ille admodum indignatus, in Norvagiam legatos ocyus recedere iubet, & mandatum prius exsequi. Quo responso quum dimissi in Norvagiam properarent, antequam reverterentur, non probatis foederis a Friderico rationibus (c), ventum consequutus prosperum, Hafniam Canutus venit, & adducit Christianum. Quumque primus exscendisset, ut ex obviis cognosceret, quisnam de se, ut cum Christiano actis sermo esset, intellecto, minime probari regi, aut senatui, quae egisset, operam dedit, ut defenderet, & offensam amoliretur. Itaque quum ageretur, ut rescinderentur ea, quae cum Christiano pacta, contra iussa Friderici, ac senatus iniisset, publicam exponit fidem, qua adduxerat Christianum, uti causam ipse suam coram ageret. Verum tamen, quia ipse haud pactorum rationem habuisset, nec eorum Friderico, aut senatui ullam habendam existimare. Etenim & in Norvagia postquam inter se pepigissent, clam cum incolis egisse, uti filium, simul vita excessisset, sibi successorem legerent; literasque in rem ipsam, antequam in Daniam iniret iter, in Belgium ad adfines suos transmisisse, tum in navi e nobilitate prima aliquot solicitasse, ut ad quamdam regni partem occupandam adiuvarent, praemiumque operae, ingentes opes, & honores obtulisse. Quibus ipse quando pacta violasset, non iisdem sibi quoque standum esse. Qua de re quum multum inter se disceptassent, placuit regi, ac senatui, ut Canuti haec sententia rata esset; quique contra fidem datam animo hostilia primus agitasset, ne huic vicissim fides servaretur, ac pro hoste haberetur. Quumque de custodia deliberarent, & sententiam ex foedere antea commemorato primi Lubecensium legati

(a) *Post plurima colloquia*) Colloquia illa, & litterarum, ac arbitrorum missitationes, omnibus fere diebus factae, tenuerunt a 12. die Maii usque ad Calendas Iulii.

(b) *Summum peditatus ducem*) Fuit unus ex tribunis peditum, non vero summus ductor.

(c) *Non probatis a Friderico rationibus*) Atque haec causa fuit, quod Petrus Scramius, & Vilhelmus Stedingus, (quem virum Hvitfeldius fere semper *VVilkenstede* nominat,) in Norvegiam cum mandatis Regis reversi, atque a Guldensterniis fratribus, Canuto, & Magno, nec non aliis, ut pactioni cum Christiano II. factae subscriberent, solicitati, constantissime recusarent, dicentes contrariam esse voluntati Regis Friderici, ut qui vel profligationem Christiani, vel simplicem deditionem postularet, non vero eiusmodi, qualem iniissent Guldensternii, transactionem. Quapropter etiam, quum postea Canutus Guldensternius publice de excessu a mandato Regio adcusaretur, Scramius, & Stedingus coram Senatu Danico se stiterunt, suamque innocentiam demonstrarunt. Sic Hvitfeld. *pagg.* 327. & 328. Canuto nihilominus mandati praetexente verba, quibus prout utile visum foret, ac salutare, agendi potestas fuisset data.

CIƆ IƆ XXXII.

gati dicerent, Daniaque ob occulta populi studia, ac munita minus loca parum tuta videretur, mox praelata est Holsatia, Alsiaque in insula, ubi neque incolae in eum ita propenderent, & custodia Sunderburgi certa foret. Inter ista Christianus in navi sua detinetur, nec excendere ei permittitur; neu cum rege, aut senatu verba ulla commutare. Hinc Alsiam abducitur, & in arce Sunderburgi munitissima custoditur. Dum de loco alio dispiceretur, nulla illi mentio captivitatis facta fuit. Sed Flensburgum hic cum rege loquuturus, devehendus dicebatur, atque hac se spe solatus, aequius ferebat sortem, dum id oppidum praetervectus, sub custodia adservandum Sunderburgi intellexit. Ibi, qui perspectum loci situm haberet, ac de liberatione desperaret, poenitens temeritatis, qua se hosti imprudenter permisisset, lacrimas ubertim fundit. Itaque quum Sunderburgum adpulisset, eius praesidi Thomae Sturae in manum traditur; isque arci, uno cum pumilione, mox includit nono Augusti mensis die. Quo peracto, illico Iosephus Qualius equitum praefectus, clarae in Fridericum fidei, qui deducere iussus erat, aulam festinanter repetit, & rem a se gestam refert. Neque semel Christiano annus hic infaustus fuit, quin Ioannem quoque filium, quem habebat tantum unicum, & in regni vindicandi spem eductum Carolo V. adfini suo, eum ad expeditionem in Norvagiam se in Belgio pararet, commendaverat, amisit Ratisbonae, quo avunculus eum Caesar ad comitia secum abduxerat; eo enim ipso fere tempore ex dysenteria aeger diem obit (a). Ac videtur certe Deus, qui perfidiam, & saevitiam, in principibus potissimum, quos in terris vicem gerere suam cupit, summopere detestatur, noluisse, ut e filiis tyranni unus saltem superesset, qui in patris aliquando solium reduceretur. Vix custodiae datus erat Christianus, quum cometa mox illuxit mense proximo Septembri; qui & regis, ut videtur, Friderici obitum praenuntiavit. Exoriri is duabus ante solis ortum horis, ac dierum aliquot hebdomadas se ostentare. Tum conspectus Friderico gratus esse, ut & intuendi causa aliquando e lecto surgeret, ac subinde suum eum adpellaret. Neque multo post excedit, decimo Aprilis die, vel ut alii volunt, tertio (b), princeps uti pacis amans, sic virtute, sapientiaque magnus. Regnum, expulso nepote, consequutus, maxima cum laude tenuit, eo charior quod post regem illaudatum, potestate, uti principes boni solent, moderate uteretur. Quamquam sane Christiani maxima querela fuerit, regnum suum (iniuriam nullo modo excusandam, imo & vim) occupasse. Idque ipse per Cornelium Scepperum (c), munere procancellarii tunc fungentem, edita apologia, quae nunc exstat, publice testatum fecerit. Mortuus autem est Gottorpii, quum regnasset annos decem, ac vixisset item sex & quinquaginta, ac Slesvici cumulatus, in suprema templi cathedralis parte. Ex defuncto largus promanavit sanguis, qui a multis atrox bellum, sanguinemque per id ipsum effundendum, praesignificare dictus. Habuit uxores duas, Annam filiam Ioannis marchionis Brandenburgici, ac septemviri, ex qua filium sustulit unum, Christianum successorem, & Dorotheam, quam Alberto Borussiae duci elocavit. Item Sophiam Boguslai Pomeraniae ducis filiam, e qua genuit filios, Ioannem, Adolphum, Fridericum; filiasque, Elisabetham, Annam, & Dorotheam alteram; ex quibus Ioannes, dux Slesvici, & Holsatiae, postquam vesperi bene sanus cubitum se recepisset, noctu vehemente tussi est exstinctus

CIƆ IƆ XXXIII.

Ha-

(a) *Ex dysenteria aeger diem obit*) Hamelmannus in *Chron. Oldenb. P.* 3. *cap.* 5. dicit haud sine veneni subspicione obiisse. Talis autem subspicio nescio ad quem potius pertineret, quam ad Medicos ipsius Caroli V. avunculi, quippe qui puero decumbenti per omne morbi tempus adstiterunt. Sed inanis, (si modo umquam exstitit,) rumor fuit, & ab iis confictus, quibus antea probandum incumbebat, tantam familiaritatem intercessisse inimicis Christiani II. cum Archiatro Caesaris, ut hic ab illis inductus credi potuerit ad tantum scelus perpetrandum. Educabatur iste Princeps ab aliquot annis in aula Caroli Caesaris, insignemque de sese spem dabat; unde & ab omnibus fere, qui eius meminere, laudatur. Svaningio quidem, ut *carus admodum Imperatori*, *propter indolem heroicam*, *quae iam in eo evidentibus signis lucere coeperat*. Messenius *Tom.* 5. *pag.* 59. vocat *permagnae indolis adolescentem*. Reinerus Reineccius, & eum exscribentes Reusnerus, & Hieron. Henninges, *Principem conspicuum in litteris*, *&* *eloquentia*. Studiorum moderatorem habuit virum magna, & rara eruditione inclutum, sed inter infelices doctos numerandum, Henr. Cornelium Agrippam, in cuius *operum volumine* 2. *pag.* 1097. legitur *Oratio pro filio Christierni Regis*, hoc ipso scil. Ioanne, *habita in adventu Caesaris*. Exstat ab Andrea Resendio Lusitano, qui in aula Caroli V. regium adolescentem cognoverat, pulcherrimum ei scriptum epicedium, (in Opp. Resendii *Tomo altero*, *pagg.* 57. *&* 60.) cuius hoc initium:

„ Si decet Augusti corrumpi lumina fletu,
„ Et vacat urgenteis lacrumas prorumpere aperte,
„ Nemo vetet, nemo humanos tibi, maxime Caesar,
„ Exsuat adfectus. Periit tibi carus alumnus,
„ Ille puer, puer ille, eheu! puer ille decorus,
„ Invidia ille Deum, fatorum crimen, & ingens
„ Saeva tuum, Libitina, nefas . . . .

(b) *Vel*, *ut alii vocant*, *tertio*) In his est Hvitfeldius, eumque sequutus Pontanus; verum cum ille ibidem (*pag.* 365.) adiicit, *tertium* istum *Aprilis* diem fuisse ipsum festum *Coenae Dominicae*, seu *diem Viridium*, aperte sibi contradicit, & confirmat magis ceterorum de die x. Aprilis testimonia, Svaningii scilicet, Hamelmanni, Cypraei, Magni Matthiae, Cunradi Aslaci, atque plurium. Nam certe anno 1533. *dies Coenae Dominicae* incidit in 10. Aprilis, & Paschale festum in *tertium*, ac *decimum*.

(c) *Per Cornelium Sceppenum*] De hoc viro, atque eius variis muneribus, legationibus, nec non scriptis operibus, legendi Valerius Andreae in *Bibliothec. Belg.* & Franc. Swertius in *Athenis Belgicis*. Isque ipse est, quem Meursius infra (*initio libri VII.*) ad ann. 1540. memorat adfuisse colloquio Gandavensi, inter Caesareos, & Danicos Regis Christiani III. legatos habito. Adfuisse etiam anno 1534. cum aliis legatis a Regina Maria missis in conventu Hamburgensi, testatur Hub. Th. Leodius in *Vita Frid. Palat. pag.* 209. Apologia eius pro Christierno II. de qua noster h. l. meminit, est illa sub Regis istius nomine *ad duas Epistolas Friderici Ducis Holsat. Responsio*, ex qua non pauca in superioribus citavimus, impressa Vittebergae per Melch. Lotherum 1524. in 4. Eodem anno & alteram edidit, eiusdem Regis *ad emissos contra se Lubecensium articulos Responsionem*. Tertiam videtur paratam habuisse *contra Nobilitatem Danicam*, quemadmodum indicavit, in illa contra Fridericum *pag. M. b.* nec non in *Respons. ad Lubec. pag. T. a.* Haec vero, quantum mihi constat, numquam prodiit; uti nec *quam*, contra Svecos, quam aliquando minabatur.

(d) *Tenuit Ducatum Adolphus*) Tenuerat quoque antea Adolphus Ducatus partem, partitione inter tres fratres, Christianum III. Regem, Ioannem, & Adolphum, anno 1544. instituta. Sed mortuo ann. 1580 Ioanne, facta est inter Fridericum II. Regem, & Adolphum nova partitio, qua plures Adolphus praefecturas, oppidaque sortitus. Exstant *Recessus*, ut vocantur, utriusque *Partitionis*, non uno loco publicati, etiam in Lunigii *Archivis Imp. Contin.* 2. inter *Dano-Holsatica*.

CIↃ IↃ XXXIII. Haderslebii ad secundum diem Octobris anno 1580. quo defuncto tenuit ducatum Adolphus, Fridericus primo Episcopus Slesvicensis, inde quoque Olnitcensis, & Curlandicus; tum in Hildeshemiensem postulatus, ac Bremensis, ut loquuntur, coadiutor, corporis viribus, qui alios excellebat, plurimum fisus, quum ad eas ostentandas gravius onus, cui impar, humo tollere instituere, nimia contentione ruptis iliis morbum inde, ex eo mortem retulit Chilonii septimo & vicesimo Octobris die anno MDLVI. filiarum maxima Elisabetha, cum duobus nupta esset Megapolitanis ducibus Magno primum, hinc Vlrico, diem obiit. Anna vero Francisco duci Saxoniae inferioris elocata, moritur Flensburgi peste; ac Dorothea, Christophoro Megapolitano duci, uxor data, vix exacto matrimonii anno altero, vita fungitur anno 1575.

INTERREGNVM.

Postquam vita Fridericus excessisset, Interregnum aliquod fuit; quippe, etsi fidem proceres Friderico obstrinxissent se alicui filiorum regnum tradituros esse, nulli tamen nominatim id promiserant. Itaque non exstante rege summam illi (pro antiquo regni iure) rem capessunt. In ducatu Slesvicensi, & Holsatia, suo atque fratrum nomine principatum Christianus, filiorum natu maximus, exercebat. Qui ex illa separatione regni metuens, ne animi distraherentur, sine mora cum senatu agere per legatos statuit, moxque id negotium Trugoto Vlstandio, Claudioque Billio mandat, e Norvegia tunc reversis, quique patri Friderico morienti praesto fuerant, tum Ioannem Frisium addit, una in Daniam cum his iter cogitantem. Hi mandata quum a regina vidua, filioque Christiano accepisent, Hafniam se recepere. Vbi quum in senatores, quibus regni gubernatio, dum abesset Fridericus, demandata, incidisent, ceterosque in propinquo habitantes convocasent, iussa exponunt: *obiisse Fridericum, & in luctu non exiguo regiam esse. Inde beneficia memorant, quae in omnes adeo ordines, maxime nobilitatem, vivus ille contulisset. Quorum si quae gratia nunc, aut memoria superesset, reginam viduam, ac Christianum rogatos velle, ut promissa recordati, liberis prospectum eant. Non se quidem de adfectu, & observantia senatorum in defunctum dubitare, monitos benigne tamen eos cupere, ut honorem nominis regii, quantum in se, tueantur. Tum promissa uti servent, ne collata in immemores beneficia videantur. Hinc sigilla regni proferunt, quibus usus Fridericus iam confracta, ut rem sine dolo agi fidem facerent: inde addunt, sic censere Christianum, ut comitia sine mora indicantur, confirmandae inter regnum, & provincias amicitiae; seque ipsis adfuturum, aut qui suo nomine adsint, legaturum.* Quae legati quamvis fide optima exposuissent, non placere tamen oratio; siquidem ecclesiastici ordinis viris Christianus minus gratus habebatur: quia vero res, tempusque ita posceret, in comitia consensere. Gratiores multo erant literae Ioannis fratris, e Fionia perlatae, queis senatui curam sui commendabat. Nam Chilonium ordines quos convocasse Christianus diceretur, is metuere, ne conciliato sibi populi studio, nimium frater usurparet. Itaque a patre iussus morem gerere senatui, seque totum huic permittere, curae eius, ac prudentiae id negotium committebat. Ac senatus, qui Ioanni nil decedere, nec potentiam augeri Christiani cupiebat, ut utrumque evitaret, aliquam provinciarum pro Ioanne regendarum partem sibi vendicare satagebat. Eam in rem a primatibus Slesvicensibus, & Holsaticis, datis literis quando sit Chilonium conveniendum indicari sibi petunt. Nam missuros eos esse, qui Ioannis causam agerent, quippe in provinciis illis ordinandis, aeque existimare, ut illius natu proximi ratio quoque habeantur. Tum proceres Slesvicenses, quibus illud iuris esset, & Episcopum Alefeldium ad comitia regni invitant, praeterhabito Christiano. Quum metuerent, ne is praesens, magna apud populum gratia ob insignes corporis, animique dotes, regis ipsis eligendi libertatem, ac ius minueret. Ille vero, quando nec legationi responderent, neque etiam ad comitia advocarent, sine mora nec legatis item Danicis exspectatis propositum Chilonii conventum peragit, subditosque universos in impuberum fratrum verba iusiurandum dare cogit, ac tutorem se pronuntiat. Neque aliud bonus princeps procul ab ambitione, & iniuria quidquam vindicat, quam quod posset illibata charitate. Inter hos, qui filiis regis fidem obstrinxerant, facile praesul Slesvicensis [a] eminebat. Is Chilonio reversus anxie per literas senatui se excusare, quod comitiis interesse minime posset, veniamque absentiae petere. Neque enim integrum esse, in petitione regni uni fratrum, cum offensa ceterorum, inservire; nec consultum, quorum in ditione agat, eos laedere. Tamen Metropolitani [b] iurisdictionem adgnoscere, nec consilia separare sua velle. Quae quum universis ita perscripsisset, aliis, seorsim datis, Metropolitanum rogat: ut Ecclesiam Slesvicensem commendatam habere velit, & periculo supra ceteras obnoxiae, in solenni iuramento mox a rege exigendo, quanta possit cura caveat. Iam comitia Hafniensia imminebant, ac confluxerant eo multi, animis in novi regis

(a) *Praesul Slesvicensis*) Erat is Godescalchus Alefeldius, nuper memoratus.

(b) *Metropolitani*] Scilicet Archiepiscopi Lundensis, regni Senatorum Principis.

CIↃ IↃ XXXIII. gis eligendi spem erectis. Aderant legati quoque Christiani, ac Lubecensium, sed diversi studiorum, atque pacem illi velle, isti bellum. Vt senatus habitus fuit, a divinis facere initium placuit. Hoc antistites urgebant; qui invecti in protestantes, reddi avitam pietatem, & sacrorum veterem cultum maxima contentione cupiebant. Tum Ecclesiae quoque statum, & erepta Monasteria, ac depulsos, qui tenebant, ordinis sacrati homines, vehementer deplorabant. Insuper fautores etiam accusabant, qui turbantes patrocinio pridem suo adiuvissent. Nec ferendam esse plebis petulantiam, quae deiectis tam proterve imaginibus sanctorum, vasa etiam sacra quaevis, & templorum ornamenta impie diripuissent; nullam ultra sacri ordinis reverentiam, aut respectum; ac conversa in profanum item usum, quae ad sacra pertinebant. Hinc religio protestantium, ceu flagitiorum origo, atque fomes incusatur, & hanc esse, qua ius, fasque omne everteretur. Itaque religionem, quam acceperant a maioribus, restituerent, Monachosque, ac sacratas Deo virgines, si qui, quaeve necdum turpi se connubio polluissent, ad antiquam voti sui observantiam revocarent; qui defugerent, eos sacris prohiberent, aut qua poena graviore in ordinem cogerent. Quae consilia si consensu omnes iuvent, Dei gloriam, & salutem regni publicam, quod officii sui scirent, promoturos. Nec contenti in hunc modum pro religione egisse, mox senatui, quae Othoniae placuissent, etiam palam obtrectabant, ac volebant antiquari; eo audacia maiore, quo sublato e vivis rege, nec iam ullo eius metu, plus licere existimabant. Querebantur, hoc decreto plurimum sibi, quibus poenae delictorum ex piis causis debebantur, decessisse. *Illud ius ademtum esse, & nobilibus collatum, sine ulla meritorum ratione; neque praestitum, quod vicissim promisissent. Nam sancitum, ut in ceteris ius antistitum, ac potestas illibata permaneret. Verum omnia contra fieri. Etenim authoritatem sic eorum imminutam, ut qui cultum aliquem praestent, sane pauci admodum reperiantur, multo quoque pauciores, qui Ecclesiae censuram sibi metuendam putent; multos vero protestantibus se adiungere, queis primates etiam patrocinentur. Quin doctoribus praemia seductionis esse posita, quae deberent pietati consecrari. Itaque enixe petere, ut decretum, sacro ordini adeo perniciosum, ni promissa itidem exhibeantur, revocetur.* Qua de causa, quum aperte sat constaret, nil antistites aliud agere, quam ut protestantium doctrina toto plane regno pelleretur; qui amplexi eam essent, vehementer perturbari; nec populum in hanc pronum irritari temere consultum esse videretur; nec nobilitas passura, ut parato sibi iuri aliquid detraheretur. Quorum neutrum, variis turbis divexato dudum regno, quum censerent expedire, adnituntur, ut res tanta ad cognitionem regis eligendi differetur. Et Goiaeus, qui faveret protestantibus, interfatus. *Ego*, inquit, *oro omnes, obsecroque cum antistites, tum & regni senatores, ne calamitatem nobis novam aliquam imprudenter accersamus. Sat concussa est respublica, & laborat suo malo, cui si internus motus porro accedat, nemo nostrum ea est auctoritate, aut potentia, qui ruentem sustinere, aut interitu prohibere ultra possit. Res sacratissima est religio, neque in humana potestate sita, neque iudicii nostri caecitate, sive & infirmitate, est, cur alter alterum damnet; potius pacem mutuo inter nos colamus, quam vindictae ulli studio, aut privato odio religionem obtendamus; cuius temere violatae, perperamve usurpatae ipse Deus vindex erit. Ego vero ita censeo, datam huic a rege nostro libertatem, neque eripi, nisi ab eodem posse.* Sed antistites quum suffragiis praevalerent, quidam, qui haberi moderatiores vellent, ut consulerent in commune, & amplecti pacis studium viderentur, aliquid illis permittendum censuere. Quod Goiaeus, aliique, qui cum eo sentiebant, ne succubuisse ipsi adversantibus putarentur, admittendum existimarunt. Tum decretum, ut antistitum potestas in creandis, sive & repudiandis sacerdotibus sarta tecta permaneret, neve quisquam aliquid hic, praeter ipsos, moliretur, quam quod iusque fasque esset, quin & decimae illis redditae, ac prohibitum detrectanti patrocinium. Hinc quomodo templa quaevis, Monasteria, Nosocomia, Scholae, Academiaque, tum & praedia quaecumque redderentur constitutum. Denique ex pietate sacerdotibus uti quivis legaretur, dum voluntas libera cuique esset. Atque haec decreti summa. Cui in tabulas referendo quum antistites multa dolo miscuissent, & interpolassent quaedam, contra procerum sententiam, Magnus Goiaeus, & Ericus item Bannerus, subsignare detrectarunt; quamvis tamen illo reipublicae statu ratum fuit. Quod quum ita se haberet, sacri ordinis antistites, ceu iam satis potestatem ipsi suam muniissent, neque quidquam adversarii, quorum vires hoc certamine explorasse videbantur, ultra metuendi essent, non inviti patiuntur, uti de constituendo novo rege ad senatum referretur. De quo dum deliberatur, angi animis, sicut antea, senatores, & eventum alii eodem adfectu exspectare. Nec sententia cunctis una: nam antistites, qui superstite Friderico, alienum a Christiano animum dissimulassent, quum, favore plurimorum in hunc prono, manifesta recusatio non sat tuta videretur, nunc aperte in Ioannem fratrem propendentes, eum sibi regem dari postulabant; protestantes, quique in eorum partibus, maxime pro Christiano contendebant. *Qui Ioannem flagitabant, eum patre rege natum, & in regno educatum, praeferendum adfirmabant; quando id ad excitandum regum, atque subditorum mutuum inter se adfectum, sine quo nec regnum esse ullum felix, neque stare diu queat, plurimum momenti haberet. Insuper aetatem illi adhuc teneram, ac negotio minore instrui ad virtutem posse, moribusque Danicis imbutum iri. Christianum extra regnum natum esse; atque patrem Fridericum, cum hic ipsi nasce-*

CIↃ IↃ XXXIII.

nasceretur, nil de regno aliquando consequendo vel per somnium cogitasse; adolescentiam in Germania apud principes propinquos, neque sine luxus notu exegisse: Vti lingua, ita moribus alienum: ideoque eum sibi regem capere, non videri e republica. Contra vero, qui favebant Christiano, melioribus rationibus, necessario conservandum esse regnum, proponebant: *Id non diu sine rege esse posse, nisi turbas novas vellent. Eum regni statum esse, ut puerum dubia spe educandum minime ferat; necessarium omnino talem, qui aetate iam matura, fortitudinem, animique magnitudinem, ac prudentiam, regno parem, ad regendum illud adferat. Nam externos hostes quosdam, viribusque potentissimos, omnibus hoc modis agere, uti regnum in se trahant. Tum infidos etiam vicinos quosdam, qui incommodis aliorum sibi incrementum quaerant, in ruinam intentos esse. Quorum ut habendam sane rationem non existiment, summam tamen, si nos perturbari viderint, voluptatem accepturos ex patruelis Christiani, quam aperte castigatam, ut adpellant, iniuriam, Deus velit, odiose obiecturos. Tum in regno male animos subditorum cohaerere; ideoque ad ferendam sibi opem in distractione ista neque vires, neque voluntatem habere. Multos quoque in Christianum captivum inclinatos, si occasio, & dux aliquis daretur, anceps bellum tutae paci praelaturos. Itaque si salvos sese ipsi velint, regem capi Christianum oportere, qui aetatis, & consilii maturus, obeundis regni muniis sit idoneus. Nam quod patre necdum rege genitum obiiciatur, quum in regno hereditario nihil valeat, nil momenti etiam in libero habere posse. Aequitati consentaneum, ut merita parentum in filios quoque deriventur. Sed in illis praeferendos, qui virtutem item illorum, gloriamque aemulentur. Eam spem in Christiano certam esse, quem quod apud exteros principes educatum obiectarent, id valere ad eligendum debuisse, quippe mores aliorum cognoscentem, cum res illa maxime iudicium formet, incrementum ad prudentiam non exiguum accepisse; quin & eam mansuetudinem induisse, ut imperii eius nullum poenitere merito possit. Tum sic actam iuventutem, ut delictum aliquod grave, quod quis iure accusaret, ignoretur; in minutis veniam aetati dandam, & lasciviae aulis propriae; ac, si forte aliquid exstet, id in maius fama auctum; tum habere certe id fortunam principum, uti premat magnitudine, nec peccatum horum ullum mediocre esse sinat. Quod si rigide inquirant, & censuram agere severe velint, neminem repertum iri, cui nullum vel minorem magistratum, nedum regnum, recte committendum putent. Nam in moribus, quod accusent, nihil dignum, nam in illis singularem gravitatem, cum humanitate pari, pulcra admodum mixtura, elucere. Neque si a Danicis diversi essent, ideo vituperandos; quippe & dissimilibus constare laudem. Et si mores aliarum nationum, quod a nostris illi abeant, reprehendere audeamus, merito temeritatis ipsi ab istis, & superbiae arguemur. Tum a viro principe non requirendum, uti se ad populo consueta accommodet, dum a vitiis alienus, animo in virtutem incumbat; cuius studium cum in Christiano adpareat, aliaque, quae spem boni regis praebeant, ut huic regnum deferatur aequum esse.* Sed antistites neque reipublicae salus, neque virtus Christiani permovebat. Etenim sic statuebant, per Ioannem adhuc puerum regnum se in potestate habituros, & doctrinam protestantium, antequam confirmaretur, sine negotio eversuros; tum in tenera aetate facile Catholica religione imbui eumdem posse, atque ita ordini Ecclesiastico ab adulto nihil metuendum fore. Hoc consilium ipsorum illico perspiciebant, quis, quid animis agitarent, diu exploratum erat. Itaque quum ab avita religione abhorrerent, nec se esse salvos posse, nisi rege Christiano, a sententia, quam dixissent, nullo modo recedendum arbitrati, acriter eam tuebantur, ac contentio indies gliscere. Cum in partes quoque itum, prout spes, metusve impelleret cum postremo visum fuit antistitibus, in comitia anni proximi rem differre, & ad ea Norvagos item, ex lege foederis, ne quid illi se praeteritos in constituendo rege [a] conquerantur, advocare. Quam sententiam quum senatus maior pars amplecteretur, fidem inter se obstringit: *minime passurum esse, ut quis regnet, nisi quem suffragiis consentientibus eligendum statuisset; ac si quisquam obniteretur, aut periculum eo nomine reipublicae aliquod obiiceretur, iunctis istud viribus propulsaturum.* Sed Goiaeus, & Bannerus, qui dilationem eam improbabant, ut immunes culpae se probarent populo, si respublica aliquid forte detrimenti inde caperet, huic itidem decreto subsignare noluerunt. Istis vero hunc in modum, ad salutem regni publicam, & concordiam tuendam, [ut antistites persuadere cupiebant] constitutis, ad provincias ordinandas animum advertere visum; ac mandatum in universis viro cuidam primario, uti sedulo, ne quid usquam turbaretur provideret; utque populus, si quis motus, aut a bello externo metus oriretur, iussa eius expediret. Additum edicto fuit, (quo facilius continere in officio plebem possent,) quaenam causae ad electionem regis differendam adegissent. Quia autem ad obsequium subditorum confirmandum multum quoque optimatum exemplum valet, advocatus in senatum Hafniae, Malmogiaeque magistratus, atque ei indicatum cur in annum proximum electionem novi regis protrahendam censuissent, neque enim fas duxisse, insuper habere Norvagos, qui imperio eiusdem pariter subiecti essent, ac si praetermitti se experirentur, metuendum, ne contemti publicam concordiam regnorum turbent. Eapropter adhortari, ut pacem inter cives tueantur, & auctoritate primi, aliis obsequii exemplum praebeant; se e re quod utriusque urbis foret, summo studio curaturos. Illi vero & testantur, gratam sibi curam

(a) *In constituendo Rege*) Sic reposui haud dubius, auctorem sic scripsisse, quamvis in Codice Laur. Vlefeldii legatur, *in custodiendo Rege*.

CIↃ IↃ XXXIII.

ram esse senatorum, & adfectum in tranquillitatem publicam, tum promittunt, dato etiam sacramento, in eorum potestate se futuros, neque regem accepturos, quam quem ipsi statuissent. Tum prolixe alia quoque pollicentur, sive fidei adhuc integri, sive conceptum animo propositum rebellionis callide dissimulantes. Rebus ita, ut putabant, satis bene ordinatis, ad legatos audiendos se convertunt. Atque primi introducti Wolffgangus, Povisius, & Melchior Rantzovius, eadem fere, quae priores, adferebant; ac, *collata a Friderico in rem Danicam beneficia permodeste referentes, monent fidei, qua se filiis etiam firmata literis obstrinxissent; tum pericula, isto quidem rerum statu imminentia proponentes, quantum publice intersit, regem eligi, pluribus ostensum eunt. Quod si non probetur ipsis, saltem ordinum consensu, ut rempublicam salvam praestent, aliquam sibi gubernationis formam constituerent. Christianum, a senatu minime recessurum esse, & in eius voluntate ita plane adquiescere, ut non aegre sit laturus, si vel alteri ex fratribus, cui velint, regnum tradant. Neque pacem eo minus servaturum, sed a regni partibus staturum esse, atque suum itidem foedus cum illius foederatis coniuncturum. Ac paratum nunc legatis, ad Mariam, Belgium pro Carolo administrantem, pacis confirmandae gratia, abituris, suos addere. Etenim eamdem Daniae, & suarum ditionum causam esse. Itaque referre, publiceque expedire, ut necessitudinis inviolatae fidem ei utrimque faciant.* Respondetur a senatu perbenigne: *nil proceribus Norvagiae inconsultis statui de novo rege potuisse, itaque in annum proximum rem dilatam; tum se iuxta Christiani, atque fratrum reliquorum rationem habituros, ac daturos operam esse, ne requirere fidem suam iure possent.* Sic dimissis, maximam in Christiano moderationem animi, & prudentiam, universi collaudare, quod nil, regni nimia cupiditate, per ambitionem egisset. Neque enim sibi regnum, exclusis fratribus petiisse, quod modestiae ipse suae, & virtutis existimabat; neque fratrem item aliquem commendasse, ne praescribere senatoribus voluisse videretur. Id profecto argumentum animi se intra honestum continentis summum esse, ac prae illo Regem nullum eligendum. Mox auditi Lubecenses, inter quos praecipuus Georgius, lanarius textor, quod in cognomentum (a) vertit, homo audax, & inprimis factiosus, quique ex unius mensis senatore, ad consulatum malis artibus pervenisset. Cuius universa oratio in hoc uno versabatur, ut collata ab urbe sua in regnum Daniae, bello contra *Christianum captivum beneficia, memorando exprobraret. Etenim pecuniam in id impensam, etiam tum Lubecensibus gravem esse; horum imminutas vires, fructum in Danos redundare; nullo praemio, nisi quod immunitates, quas iamdudum habuissent, Fridericus confirmasset. Nam, quod nuper initum foedus, non obtinuisse diu* (b), *neque usui fuisse, debuisse ex eius lege piratas cum mari toto probiberi; tum Hollandos, qui commercia interverterent, freto Oretano excludi, uti libera foederatis navigatio praestaretur. Quod nequaquam tamen factum, siquidem, nil metuentes, mare passim universum infestantes, undique praedas agerent. Id dissimulasse Danos, ac quantumvis graviter ius civitatum laedi haud obscurum esse, impunitum dimisisse. Lubecenses, idque permittente Rege, ut iniuriam vindicarent, classem adversam aliquoties instruxisse, sed maiores hostis vires, quamquam semel, iterumque, rem feliciter tentassent; nullo modo profligare potuisse; tum hoc anno infelicius pugnasse. Neque ultra oneri ferendo pares, nec Hollandos nisi freti aditu probibeantur, mari umquam arceri posse. Itaque orare ipsos, ut insolita navigatione his interdicatur; naviumque praescribatur certus numerus, & definiantur merces. Quod ni fiat, iam commercia foederatis periisse. Nam Hollandos animo propositum id unum habere, uti sibi ex aliorum detrimento quaestum parent, & commercia derivare in se possint. Itaque ut malo occurrant, quod praevident, opem a Danis Lubecenses postulare. Neque aequum arbitrari, ut ab iis deserantur, quorum commoda ipsi semper adiuvassent. Rem ad Danos pariter hanc pertinere, & eorum maxime opere interesse, ne potentiam Hollandorum, qui eversos eos vellent, crescere ulterius sinant.* Dum Senatus, quid respondeat, deliberat, anceps visum id negotium, quippe opes Lubecensium, qui cum sua, urbium maritimarum quoque causam coniunxisset, minime contemnendae erant; nec offendere consultum per hoc interregni tempus censebatur. Gnarum enim occupasse magistratum homines seditiosos, quique suos antecessores per tumultum potestate deiecissent. Iam has turbas consedisse aliquatenus, at rempublicam universam in malorum manu esse, qui occasione capta, ad vicinos se convertere nil sint pensi habituri. Nam si foedus abnuatur, aut suppetiae negentur, pro iniuria ducturos, atque regno malum aliquod daturos. Contra autem maximam potentiam Belgarum esse, quam multarum ditionum Caesar magis formidandam redderet. Petitam pacem apud Mariam, Belgii pro illo praesidem, quam si nunc contemtum eant, hanc illusam sibi esse putaturam. Tum & inconstantiae extremae fore, foederis tractationem, iam decretam, in societatem cuius Christianus dux etiam venire ve-

(a) *Lanarius textor, quod in cognom.*) Cognomentum vernaculum fuit *VVullenvveber*, quod lanarium textorem sonat, Nicolaus Cragius simpliciter *Textorem* vocat perpetuo; & sic noster postea saepissime.

(b) *Foedus, non obtinuisse diu*] Actum de hoc foedere fuerat inter Fridericum I. & Lubecenses anno 1532. eo ipso tempore, quo Christianus II in Norvegia a nostris, Lubecensium auxilio suffultis, oppugnabatur. Atque eo res pervenerat, ut capita foederis, scripto mandata, & sigillo Cancellariae munita, in manus tradita fuerint Lubecensibus, experturis, an etiam hac forma ceteris civitatibus Vandalicis probarentur. Verum illi lente admodum agentes, negotium, ad quod non Regis tantummodo, sed etiam regni Senatorum consensus requirebatur, perficere eousque distulerunt, donec, interveniente Regis morte, aliae in Dania curae susciperentur. Foederis propositi capita habentur apud Hvitfeldium in *Hist. Frider. I. pag. 345. seq.*

CIↃ IↃ XXXIII.

te velit, nimis temere omittere. Ac si pacem Christianus impetret, exclusis Danis, illum mala, quae immineant otiose, ac tranquille aspectarum. Belgas autem maxime infestos fore. Hic responsum: *Non ignarum Lubecensibus, sine Rege, [cum quo foedus ineundum] Daniam esse: nec Senatui aliquid de regia auctoritate delibandum; neque regem obligari, nisi sua fide posse. Quod praetendant initum cum Friderico pridem foedus, caeptum potius quam perfectum; aliam certe Friderici rationem, aliam successoris esse, qui in verba iam defuncti nullo modo obstringatur. Neque aequum arbitrari, opem ad commerciorum libertatem opprimendam a se peti: in eadem causa Gallos, Anglos, Scotos comprehendi, & cum illis foedera sibi intercedere, quae commercia impediri non permittant. Neque cum Burgundica domo inimicitiam ullam velle, ac praeferre bellum paci: cuius impetrandae causa iam legatos ad Mariam profecturos destinassent. Non sinceritatis Danicae, fideive istud esse, aut constantiae; illic postulare pacem, hic Hollandos oppugnare. Itaque enixe petere, ut, dum Rex constituatur, Lubecenses acquiescant; facile quod aequum foret, hoc electo, obtenturi.* Aegre hoc Textori fuit, neque item Lubecenses exspectabant, ut repulsam paterentur. Quippe sic existimabant, gratiam recentem auxilii, in captivum Christiernum, nuper adeo collati, tantam fore, ut, quae vellent, sine negotio impetrarent. Sed Senatus longe aliud censere; nec tam illos Daniae tulisse opem, quam vicissem Daniae adiutos armis Christiernum, quem & ipsi hostem haberent oppugnasse, ac communis cum tunc causa verteretur, nunc privatim suam agere. Idque solum operam dare, ut cum Belgis se committerent, & commercia universa ad se traherent: quod cum periniquum foret, tamen homini insolenti nullam eius curam esse: atque id propositum habere sibi non quod res, tempusque ferret, sed quod suis expediret. Fremere in occulto Textor, atque contumeliam putans sic repelli, quum legatos Lubecensium suorum, qui in Sveciam missi erant, re infecta animo proditionem agitare intelligeret; nihil a se actum credere, ni consilium etiam ipse idem caperet: Visi ad novandas res idonei esse Georgius quidam, olim coquus, alii Monetarium [(a)] dicunt, & Ambrosius libros solitus compingere; ambo inde apud populum, quasi cognomento quodam gentilitio adpellati, & ad consulatum evecti, Hafniae hic, is Malmogiae. Itaque cum illis agit, & obstricta prius fide mentem aperit, & testatur, viri se putare pii laboranti graviter Religioni reformatae subvenire. Iam quum videat illud agitare Antistites, uti eam plane evertant, neque tuto idem studium profiteri quemquam posse, a republica, & Ecclesia arbitrari, regnum Christiano tradi: *Alioquin metuendum, ne, si rerum potiantur, & saevitiam exerceant, & atrociter in piorum sanguinem grassari ausint. Nam quid aliud sperandum ab hominibus violentis, qui non vivo quidem rege odium in Religionem occultandum existimarint, ac nunc magis sint promturi, quum per interregni tempus nulla poena, quae coerceat, sit proposita. Quod si Regem sibi Christianum ducem capiant, defensorem habituros, nec periculum deinde aliquod religioni usquam fore. Ac si regnum is recuset, adituros Lubecenses; qui religionem ipsis pariter, ac libertatem salvam velint. Aperirent tantum portus, & praesidia, quum adpellerent, intra moenia reciperent, ut coniunctis viribus res geri queat. Nam necesse Lubecensibus, regnum fortiter invasuris, ut facilius illud occupent, suas quoque iis opes largiter suppeditare. Eo pacto, non tantum religionem illibatam habituros, sed & praemium accepturos, quo non maius Lubecenses aliud conferre possent. Quippe effecturos esse, ut recipiantur in societatem urbium VVandalicarum, & commerciis fruantur, commodisque, quibus illae se iactent.* Nec Georgius, & Ambrosius, a consilio alieni, freti plebis in religionem studio. Ac Georgius tantum fidei apud plurimos Senatorum nactus erat, ut consiliorum quoque publicorum particeps aliquando fieret, nemine ab eo quicquam reipublicae metuente. Quum in ista convenissent, Georgius Coquus per Trebavium, certiorem Christianum (cui a secretis erat) rerum facit, ac dissidium inter plebem, & Senatum ob religionem indicat: Tum si regnum accipere vellet, cogitatam sibi rationem esse, qua id ipsi sine caede ulla, aut sanguine tradi possit. Danicis comitiis etiam interfuerat quidam Nicolaus Rusticus [(b)], qui e Gallia literas ad regem Fridericum ferens, quum defunctum offendisset, has ad filium transferre iussus erat; cui hac occasione a Textore, atque Coquo clam mandatum, uti nomine utriusque Christiano quoque opera eadem offerret. Ac ne quicquam ille etiam dubitaret, iam parata esse media; nec potentiam adversariorum quicquam metuendam, contra quos auxilia Wandalicarum civitatum comparassent, quae promittere certo possent. Mox seorsim item Textor per Guntherum, qui Dithmarsis a secretis, idem offert; & ostendit in proclivi regnum acquirere, si adniti paullum velit. Verum

(a) *Olim coquus, alii Monetarium*) Erat viro illi cognomen *Coqui*, vel potius *Kochii*. Verum numquam professus fuerat coquinariam; uti nec frater eius *Ioannes Koch*, etiam Malmogiensis civis, & cuius uxor Adelheidis prima (teste Magno Matthia) in Daniam invexit artificium texendi aulaea Flandorum more. Georgius autem, de quo hic agitur, monetae cudendae praefectus fuit a Christiano II. idemque munus sub Friderico I. exercuit: unde frequens eius apud Hvitfeldium adpellatio, *Iorgen Mintere*. Pro-consul, ut vocabant, seu Duumvir fuit Malmogiae, magnisque opibus, & praecipuorum regni nobilium amicitiis florebat; denique ipsos Reges, ut erat vir acri ingenio, & ad consilia promto, sibi vario officiorum genere devinxit: a Friderico I. insignibus nobilitatis decoratus. Alter, Ambrosius *Bibliopegus* vulgo dictus, Hafniae Pro-consul erat, (ita vulgo adpellabant isto aevo *Burgimagistros*; nam Senatores seu Consiliarios urbium vocabant, *Consules*) homo Germanus; quemadmodum *Georgius Cocus* natione Belga erat. Sed Georgio ille alter ingenio meritisque longe impar.

(b) *Nicolaus Rusticus*) Cragius *Annall. pag.* 16. Nicolaum de *Rusticis* adpellat, Francorum Regis ad Fridericum I. Legatum, foederis contra Carolum V. proponendi causa, sed post mortem Regis demum huc advectum.

CIϽ IϽ XXXIII.

rum tenax instituti Christianus, quique regnum haud praepostere ambire, nec debere indignis, cuperet, reiicit oblationem illegitimam, ideoque nec decoram. Inter quae Antistites, qui sua cuncta potestati iam subiecerant, multo agere liberius, omnia pro arbitratu ordinantes, & Ioannem, in quem animis inclinabant, dant Olao Rosencrantzio, veluti praefecto aulae educandum; addito Petro Suarenio, qui doctrina item imbueret. Tum & praefecturas tribuunt, ut hoc quasi pignore successionis in possessionem Regni mox adultum introducerent, arces etiam distribuunt; prout quemque in res suas pronum scirent, aut obnoxium sibi vellent. Quin edicto exportationem rerum aliquarum interdicunt, non exiguo mercatorum detrimento. Quibus modis postquam vectigalia minuerentur, neque publicis impensis regni reditus sufficerent, ad subsidia tributorum mox deveniendum fuit. Itaque pecuniae cum magna summa a proceribus populo indiceretur, animis hinc irritatis cogitari de rebellione coeptum, magis etiam quum Antistites, solito ferociores, probra in protestantes iacere nihil omnino vererentur, & edicto non parentibus malum minitari auderent, nec inceptum ante esse omissuri viderentur, quam exemplo aliquo severitatis ceteros perterruissent. His Goiaeus, & Bannerus quum graviter offenderentur, multa pacis studio passi, discedere a Senatu statuunt: & mox ei causam exponunt, ac testantur, se invitos illud facere. Quod pertineat ad rempublicam, nihil agi. Ad comitia, quae indicta, accessisse, uti regem constituerent, sed Antistites, quorum animi in rem suam sint intenti, nihil minus curae habere. Itaque si reipublicae per hoc interregni tempus secius quid accidat, sibi imputatum nolle. Quamvis autem hunc discessum pertinere ad invidiam Antistitum nemini obscurum esset, illi tamen retinere abituros nullo modo studuerunt. Moxque urbe exeuntes, multi e nobilitate populoque comitati, omnes animis infestis in Antistites, quos extrema in se quaeque tentaturos verebantur. Neque frustra metus fuit; quippe illi iam absentibus adversariis pro libidine cuncta agere; & in protestantes statim, etsi nulla nova causa, incursare. Etenim Catholicae Religioni, Senatorum nimis lenibus decretis, minus cautum arbitrati, ut doctrinae reformatae administros amoverent, summa ope laborarunt. Itaque edicto freti, quo habere conciones sine Senatorum iussu vetabantur, a Tausano, in quo verti cardinem totius rei existimabant, ordiuntur. Ergo virum in ius vocant, & in eum ipsi agunt. Iudicesque considebant Senatores, qui remanserant, ac cum illis Hafnienses, & Malmogiani Consules, aliique magistratus; id in primis autem ei datum crimini, *quod, libello quodam edito, ordinem Ecclesiasticum universum apud populum traduxisset: Tum de Coena quoque Domini a Romanae Ecclesiae sensu aliena docuisset*. Praeter haec Ronnovius quoque pridem Sialandiae praesul, litem aliam intentabat, *non vocatum, neque a se ordinatum S. Nicolai aedem occupasse, & in ea conciones pro arbitrio habuisse: tum deinde hac de re interpellatum nihil aequi respondisse*. Ad obiecta haec Tausanus pauca refert. *Nihil actum a se esse, nisi quod ad Dei gloriam, & salutem auditorum pertinere existimasset. Quum in Ronnovium Episcopum, aut Ecclesiasticorum quemquam alium, nullum sibi odium privatum esse, neque item inimicitiam intercedere: ac si quemquam imprudenter offendisset, promptum culpam, quanta animi possit demissione, deprecari Quod de Coena Domini obiiceretur, non ullius conscium erroris esse, si in libro excudendo forte aliquid peccatum, id typographo imputandum, nec quod ille commisisset, a se exigi oportere*. Tum sententiam de ea ipse suam profitetur. Quibus ita disceptatis, pro Ecclesiasticis pronuntiatur. Lata in Tausanum sententia, legibus cum eo agendum, nisi Antistites exoraret, ut delicti gratiam facerent. Ronnovio adiudicata templa Hafniae urbana, quaeque alia sacrae eius iurisdictioni exemta: redditumque ius in illa, quod Antistites Roschildienses, ante id tempus habuissent. Insuper mandatum illi, uti sacerdotes ipse, apud populum conciones habituros, item sacra obituros universa, institueret; tum curaret, ut docerent verbum Dei, & exemplo ducerent ad pietatem, sicut dignum Christianis. Senatores, aliique Magistratus, qui sententia in Tausanum, populum offensum iri metuebant, exequutionem eius apud Antistites deprecari; id obtinuere tandem, ut remitteretur poena, ea lege: ne deinceps aut haberet ullas Hafniae, ulla in aede conciones, neu perageret sacra aliqua: tum ne libros ullos scriberet, ederetve. Insuper ut Sialandia tota intra mensem excederet, nec in eam, Scaniamve postea reverteretur. In Fionia, Cimbriave neque libros evulgaret, nec pro populi concione verbum Dei explicando, munus sibi aliquod Ecclesiasticum vendicaret, neu auctoritatem Antistitum imminueret, neque in Ecclesia auderet quicquam, nisi ipsi prius in id consensissent. Quae in curia Hafniensi dum aguntur, populus, indigne ferens, arma per tumultum capit, & in forum se proripiens, fremere, Tausanum suum a doctrinae reformatae inimicis in ius trahi: flagitare, eum reddi, nec quid gravius in religionem statui, ni Antistites, haud impune id laturi, luere vellent. Hoc tumultu, quum periculum Senatores intelligerent, curia exciti quidam, populum placare student, & exponunt: *Nil Tausano imminere, cui bene, sua intercessione, cum Ecclesiae Antistitibus conveniret. Nec religionis usu interdici, tantum cupere Antistites, ne Ecclesias, ministris ipsis spretis, occuparent. Igitur pacati irent, & res quisque suas agerent: se deinceps curaturos, ne quid in Religionem, aut ministros durius, iniquiusve statuatur*. Verum populus nihil verbis his sedatior, probris insuper incessere, & repetere Tausanum; ac quum istis acerbati Senatores etiam poenas clara voce minarentur; ille magis exardescere, & Tausanum reddi sibi postulare; nisi facerent, vim factu-

CIƆ IƆ XXXIII.

ctorum, & invitis, Curiae effractis foribus, ereptorum. Itaque Tausanum reddunt, ne quid gravius paterentur, data etiam de securitate vitae cautione. Mox e curia egressi, per armatum utrinque populum, domum quisque suam petit, magno metu, ne proterve impeterentur; minus tamen inter hos periclitantibus, qui ab odio Religionis reformatae alieni censerentur. Sed Ronnovio, qui prae ceteris ferocior, maxime infesti omnes, trucibusque eum oculis tamquam caedi destinabant: Quam patrassent, ni Tausanus deduxisset, cuius gratiae tributum, ut illaesum praetermitterent; ille enim aequanimitate summa, & mansuetudine, viro Christiano digna, homines praepostero religionis zelo accensos inhibere. Quam ob rem Ronnovius, quum evasisset, ad Tausanum comitantem se convertens magnas illi pro officio grates egit, & exinde aequiorem se exhibuit: Ita quidem, ut, Goiaeo intercedente, pristinum docendi munus in Ecclesia Hafniensi mox concederet, cum se ac ante data fide obstrinxisset, nec convitiis petiturum ordinem Ecclesiasticum, nec honorem eius commodare minuturum. In quae se Goiaeus quoque obligavit, ac promisit, omnem operam daturum, ut quiete Protestantes deinceps agerent, aut turbare si quid auderent, se vires illis coercendis coniuncturum. Et Ronnovius, qui Goiaeo, ac Bannero, item Magno Gyldensternio arctiore amicitia iungeretur, Protestantibus deinde minime infestus fuit: satis habens, quod Ecclesia reditibus, pridem accisis, denuo perfrueretur. At ex Antistitibus, qui dolebant, sic senatum discessisse, postquam domum rediissent, acrius exercent odia, & in sua unusquisque dioecesi Protestantes persequuntur. Signum in Scania tollere metropolitanus Torbernus Billius, & ministros, qui Malmogiae, atque Veiis, sat feliciter Evangelii auditores erudierant, relegare: quem secuti statim alii, iidem apud suos faciunt. Verum tamen persequutio intra relegationem consistebat, neque reformatio Religionis vita constitit cuiquam, Caeterum Antistites quum non desisterent, operaeque ad delendos Protestantes reliquum nil plane facerent, plurimi, excidium religionis metuentes Christianum respectabant, ac Goiaeus, qui iam pridem e comitiis reversus, tum venationi intento regnum obtulerat, iterum nunc cum Bannero, & Gyldensternio, qui e Scania consilio cum Textore clanculum communicato, ideo venerat: eum adit, & ad regnum capessendum adhortatur. Tum auxilia ad cogendos resistentes, a se, aliisque multis, quorum una ut sententia, ita quoque animus esset, pollicetur: plebem item urbanam pariter, rusticamque adiuturam: vellet tantum cum exigua equitum, peditumque manu in propinquam Cimbriam tendere; aperta illic propugnacula inventurus; hinc in reliquas provincias, mox in potestatem eius concessuras, duceretur. Verum Dux ne sic quidem a proposito se abduci passus fuit. Si legitime vocaretur minime recusaturum, nunc a Deo vetitum scire, magistratum qualemcumque vi, aut astu occupare. Neque regnum, quod hoc modo comparasset, sibi fortunatum fore. Insuper Senatui, si regnum ex fratribusque [a], spem successionis ita intervertat, ignominiam relaturum. Ac praeterea metuendum, ne exorto inde motu, regnum, quod pacatum velint, magis etiam perturbetur. Itaque ut rem augustissimam, iure gentium violato, & oppressa eligendi libertate, pessimo omnino exemplo in se trahat, minime commissurum esse. Si Senatui conveniret, & communibus suffragiis legeretur, se illius voluntati haud gravate pariturum, & facturum quae ad boni Regis munus pertinere viderentur. Magnus princeps, & quamcumque etiam laudem supergressus, eo ipso dignus regno, quod repudiare illud perperam oblatum posset. Sed Goiaeus, cum hortando, & rogando frustra operam insumeret, dolens, atque repulsae impatiens, si quid peius eveniret, se immunem culpae fore, protestatur, atque rationem ipsum Deo redditurum esse, quod quae imminerent mala, regno avertere noluisset. Verum quod modestia summa, nominisquae aeterna gloria Christianus recusavit, illud Angliae Rex Henricus nullo iure, nullo populi favore, sed Meieri Lubecensis verbis in hanc spem inductus affectare haud dubitavit. Idque hac occasione. Redux e legatione Danica Textor Lubecenses contra Danos, & Hollandos concionibus turbulentis incitaverat; quamquam maior in Hollandos, qui non ita pridem classem urbium Wandalicarum propulsassent, ira esset. Itaque quum contra eos quatuor & triginti naves, bello instructae, sub Meieri huius ductu [b] in oceanum devenissent, gravi orta tempestate, quaedam scopulis allisae, & confractae, perierunt; quaedam in Albim evasere. Ac praetoria, qua Meierus vehebatur, in Britanniam delata est. Vbi quum detineretur, ille, ut se expediret, magnum facinus adgressus, regnum Daniae Henrico tra-

(a) *Insuper Senatui, si regnum ex fratribusque*) Haec ad verbum eodem tenore in Codice, qui solus nobis superest, manu exarato Laurentii Vlefeldii: cuius festinatione aliquid h. l. excidit. Annon Meursius sic scripserit: *Insuper Senatui si regnum extorqueat, fratribusque spem successionis* &c.? Nam Cragii verba, quibus haec Meursiana respondent, sunt *pag.* 21. *Existimare etiam regnum Senatui extorquendo, nomini suo ignominiosum, si spem successionis, fratribus pariter factum, interciperet.*

(b) *Sub Meieri huius ductu*] Vt quis fuerit Meierus ille cognoscatur, siquidem hoc non curavit Meursius lectorem docere, lubet exscribere locum Pontani, ex eius *Historia Christiani III.* ubi simul delineatum habemus socium eiusdem *Textorem*, seu Georgium Wullenweberum: „ Marcus Meierus, opificio faber ferrarius initio fuit, Hamburgi agens, ac mox a Lubecensibus aliquot cohortibus praefectus, quae in Vngariam adversus Turcam destinabatur, sedem exinde, cum id belli non procederet, Lubecae fixit. Meruit etiam sub Rege Friderico, cum is Hafniam obsideret. At mox reversus ex Anglia, ubi Eques creatus est, Consulis cuiusdam Lubecensis viduam, parentibus licet invitis, in coniugem duxit, atque inde haud multo post Consul & ipse renunciatus fuit. Consulari imperio ornatus id egit, ut in ordinem senatorium reciperetur Georgius Wullenwever, ac statim exinde, ut Consul quoque idem crearetur: Hi uterque vanarum rerum machinatores fuere. Nam cum antea Lubecenses agere coepissent vivo adhuc Friderico, ut Hollandi non nisi certo navium numero Oresundam quotannis transirent, quod tamen successum non habuit, alia illis haud minora tentarunt &c. &c.

CIↃ IↃ XXXIII. tradituros Lubecenses, aut cuicumque ille vellet, pollicetur: Ac vicissim praemium Henricus spondet, & auxilia tantae rei necessaria. Tum ne quid deesset ad transactionem, reliquum erat ut legati mitterentur. Atque, illis destinatis, mox Meierus, cum muneribus amplissimis, tum equestri dignitate auctus redit. Ita cum in Dania Textor, in Anglia Meierus contra regnum conspirassent, maxima cupiditate occupandi magis porro accenduntur: Iam Legati e Belgio reversi erant pace cum Maria inita; ideoque mox Antistites, quibus id seorsim indicatum fuerat, quod Senatum scire totum oporteret etiam ad eum esse referendum censuerunt. Itaque comitia Othoniae quum indixissent, in vicesimum Septembris mensis diem ibi exponunt, quae conditiones pacis cum Maria factae essent. Ac convenerat de auxilio contra hostes mutuo suppeditando, navibusque, ac tormentis; tum militibus commeatu, caeteroque item belli instrumento. Amicitiae Lubecensium illud datum, ne suppetias contra eos Belgis ferre tenerentur, neu vicissim Lubecenses contra Belgas adiuvarent. Ac si Sveci, & Hamburgenses Lubecensibus iungerentur, tum id ipsi accusarent, uti separari possent. Pactum porro, ut Belgarum quoque amici pace comprehenderentur; quam cum iis, qui nunc hostes haberentur, neutri parti, nisi altera consentiret, facere permitteretur. Additum per fretum quoque Oritanum liberam Belgis navigationem fore; nec commercia eorum sive terra, sive mari usquam impeditum iri. Duraturum autem foedus in trigesimum usque annum; si intra trimestre id utrinque ratum haberetur. Christianus paulo aliter pepigerat, additumque, ut quum usus postularet, certum militum Belgarum numerum duceret; idque Caesaris stipendio, quod sex millium florenorum annuorum dictum erat, & in fratrem transferretur, si creari Regem ipsum aliquando eveniret. Verum tamen Christianus quamquam foedere cum Maria sic percusso sat abesse a periculo videretur, non sic Belgicam amicitiam est amplexus, ut Danicam ideo sibi negligendam existimaret: Non ignarus, lenta fere auxilia longinqua esse, imo etiam incerta. Itaque ablegat quosdam, qui proceribus significent, se Comitia ad diem Calendarum decem trium Redensburgi indixisse, eo conventuros esse Slesvicenses, & Holsatos: Et rogare, ut e suis aliquos mittant, quibus mandent, ut de renovando secum foedere agant. Etenim sic arbitrari; quum communes hostes habeant, metuantve, e re utriusque partis illud esse, ut sciant, quam cuique opem debeant. Itaque rogatos cupere eo mittant, per quos leges foederis dent, & accipiant. Ab iisdem adlatae literae, a Philippo Pomerano, quibus peteret, ut Reginae quoque viduae Senatores rationem habere vellent. Antistites, qui Christianum pridem odissent, & nunc magis, per elogium quod a Belgis retulisset, irritati etiam aversarentur: Tamen quia necessariam cum vicinis pacem sibi ad perficienda ea, quae tum animo agebant, reputarent, haud reiicere foedus ausi. Igitur qui in Holsatiam se conferrent, designatis, mittunt ibidem in Sveciam Trugotum Vlstandium, Nicolaum Vincentium Lungium, Axelium Iulium, uti regni amicitiam utriusque confirmarent. Etenim sic statuebant, si potentiorum sibi vicinorum studia conciliassent, nihil plane a ceteris metuendum esse; nec a Lubecensibus timebant quicquam, ceu invalidis; neque regni ea propter formidandis; tum Burgundico quoque bello implicatis, ut de Dania infestanda minime cogitare possent. Nec a Scoto aliquid metuebatur, postquam Alexander a Maria, quem Ronnovius ablegaverat, omnia in pacem illic propendere nuntiaret; adiutante rem Dumbaro Archiepiscopo Glascoensi summae authoritatis viro, qui Ronnovio operam pollicitus erat. Redensburgi quum dies comitiorum advenisset, in perpetuam Daniae, Holsatiaeque amicitiam foedus ictum, in haec capita: *Ne deinceps oriturae controversiae bellum aliquod excitarent, dandos arbitros e proceribus sedecim viros, qui Coldingae intra proximum bimestre has componerent; nullo modo, antequam composuissent, discessuri. Quodque hi pronuntiassent ratum fore; nulla ultra provocatione data. Ac, qui arbitri capti essent, dum in istis occupantur, sacramento, quo se Dominis obstrinxissent, nullo modo tenerentur. Hostes neutra pars reciperet, neve etiam tueretur; supplicum vero aliam rationem fore: Quibus si iniuria a Dominis illata esset, & hospitium perbenigne, & adversus vim tutela praeberetur. Nec dedendos, si parati ius admittere. Bellum minime inceptandum, nisi utrinque in idipsum consentirent; aut, iudicio recusato, vim quis forte intentaret, tum auxilium contra quosvis invicem suppeditandum, ita ut centum quinquaginta equites Holsatia Daniae, Dania Holsatiae trecentos mittere teneatur. Inter subditos utrinque, cuiuscumque ordinis, aut conditionis, arctam amicitiam fore; & alterius alterum commoda quovis modo adiuturum. Ac mansurum foedus istud donec aliquis e progenie Friderici Daniae regnum possideret. Denique interpretatio ne linguarum aliquam diversitatem sensus pareret ignaris, Danice, Germaniceque pariter conscriberetur.* Ita annus in firmandis amicitiis est finitus. CIↃ IↃ XXXIV. Proximi initium sat auspicatum, revertentibus legatis, qui in Svecia ictum cum Gustavo foedus nuntiarent. Comprehensa eo cuncta, quae constituendae regni utriusque amicitiae expedirent; tum pronunciatum auxilium contra hostes qualescumque, tanto Danis grandius suppeditandum, quanto Dania, & Norvegia Sveciam potentia exsuperarent: Quin decreta multa alia regno utrique eo tempore necessaria; quae Gustavus haud gravate tunc concesserat, quod infenso in Lubecenses animo esset. Etenim Svecorum naves detinuerant, quod Gustavus regno suo ope illorum restitutus, eas, quod exul, & egenus, alienum conflavisset, non dissolveret. Quippe naves militemque a republica acceperat, tum adiuverant pecunia etiam privati cives. Ac Gustavus bona Lubecensium vicissim detineri

CIↃ IↃ XXXIV. tineri iussérat, tamquam Svecis item obnoxia, dimissurus, quum detentionis ipsi finem facerent. Lubecenses, quum res repetitum nequicquam misissent, dolum varie instruxere. Inita per Hermannum Mollerum in caput Gustavi conventio cum Ioanne Iusti Comitis Hoyensis filio, cui, data in uxorem sorore, provinciam Wiburgum Finlandiae attribuerat. Sed ea mox detecta, quum Comes simulata invaletudine in Germaniam ad Medici opem petendam profectus, Lubecam se contulisset. Nam subpectum hoc Gustavo, quod ad hostes transiisset, tum familiares eius inquisiti, atque coniurationis accusati, clanculum periculo se subduxere. Inter quos, qui eminebant, itidem Lubeca profugi in stipendium civitatis sunt recepti. Itaque quum negotium haud ex voto successisset, Lubecensibus, ac puderet conspirationis irritae, nihilominus in vindictam exardentes, aliam ingressi viam, id putarunt faciendum, ut Gustavo aemulum conciliarent. Visus ad hanc rem idoneus Suanto Sturius, qui paternis ex honoribus, animi erectioris & in ista propensuri, aut facillime impellendi, credi poterat. Is in aula tunc Saxonica maxime apud Magnum Ducem gratiosus, versabatur. Cui cum Meierus pariter, atque Textor Regnum Sveciae, & auxilia ad id invadendum valida, promisissent; ille animi sui potens, honorem, qui privati hominis fortunam excederet, adspernatus, nec oblitus contumeliae, qua a Lubecensibus affectus fuerat, quod offerrent ab ambitione turpi alienus recusavit. Ideoque irritati detinent, ceu culpae reum, & dimittunt postea cum ignominia, data prius cautione, nunquam se iniuriam ulturum esse. Haec Gustavus postquam in se agitari comperisset, aliaque in hunc modum etiam sibi intentanda non omnino vano metu reputaret, foedus opportune oblatum est amplexus. Sed ne res in bellum erumperet, eius socer Magnus Saxo intercessit, & componere diffidentes, quamquam frustra nisus fuit, quum pertenderent utrinque nec initium dimittendi, quae detenta, hi, aut illi facere vellent. Quin & Daniae Senatores summo in id studio incubuerunt, adhortati ut abire finerent Svecorum naves, etiam suas sine dubio recepturi: Tum si grata esset opera, ad conciliandas partes eam ultro promiserunt. Verum nec priores velle naves Svecicas relaxare Lubecenses; neque alibi, quam apud se, controversiam disceptari: quum Gustavus Danico Senatui eam haud gravate permissurus videretur. Itaque quum neutra pars induci posset, ut decederet a proposito; ac mox armis inter se concertaturi putarentur, Lubecenses missis Svecis, praeter expectationem nulla iniuria lacessiti impetum in Danos faciunt. Quod postquam constituissent, ne distraherentur vires, pacem prius cum Burgundis ineundam arbitrati, mittunt Hamburgum Meierum, ac Textorem: quo Maria Belgii praeses, Caesaris nomine, Georgium Austriacum, & Maximilianum item Transylvanum ablegabat. In principio vix negotium

A procedebat, quum superbe Lubecenses, veluti iam mari Balthico dominantes, navium decerni numerum, quo in fretum Oretanum Belgae ingressuri essent, certo vellent: Id nolentibus Burgundicis, ac dicentibus, non debere alias suis leges poni, quam quas Belgae urbibus Wandalicis constituissent; tum commerciorum usum liberum esse oportere; eoque periniquum eo angustiae se redigi, ut ad certum navium numerum, & exiguum obstringantur. Itaque quum eo fere B ventum esset, ut utrinque re infecta discessuri viderentur, tamen factum, adnitentibus Hamburgensibus, ut in quadriennium induciae decernerentur. *Intra quod commercia in mari Balthico libera haberent Belgae, & in id, quot visum foret, navibus ingrederentur.* Postulatum a Danis, atque Svecis fuerat literis Burgundicorum, ut & ipsi aliquos ad hunc conventum ablegarent. Sed Ronnovio respondente, eas literas non sat tempestive redditas, nec legatos cum mandatis adeo ci- C to expediri potuisse, spem Burgundi tamen fecere, ut Danorum quoque ratio apud ipsos haberetur. Sed haec intra verba stetit, neque Danis, neque Svecis in has inducias admissis, sive illud Lubecenses ita vellent, seu Burgundi rem, non suam, neglexissent: Quod indignum, eo magis quia foedus cum Gustavo pridem factum, Caesar ratum habuisset; missis literis per legatos Christiani, quas in Daniam is transmitteret Lubecenses quum iam nullo ultra metu Burgundorum, quos D inprimis formidabant, tenerentur, ad auxilia contra Danos Anglicana, quorum spem Meiero Rex Henricus fecerat, respectabant. Inter quae Legati mox ex Anglia Hamburgum adpellunt, in hoc missi, & Wandalicas quoque urbes ad societatem foederis in Pontificem Romanum Clementem VII. pellecturi. Ille enim quod uxorem Catharinam, Ferdinandi Hispani Filiam, reiecisset, indignatus, sacris ei interdixerat: & ut se ulscisceretur animosus sane Princeps, invicem E in Anglia Pontificis ius universum intercepit, & Religionem item immutavit. Nec contentus ut divortium a se factum, etiam Wandalicae urbes, quae Pontifici pariter se subduxissent, adprobarent, in Societatem illas foederis pertrahere adnitebatur. Nec legatio frustra fuit; nam quod ipse postulat, civitates, quas iam dixi, se facturas pollicentur. Et seorsim Lubecenses de tradendo Daniae regno paciscuntur. Nec multo post legatos in Angliam mittunt, quibus, F velut arca foederis, decem aureorum millia illico repraesentantur. Postquam Anglum in Societatem belli tractum innotuit, facile Rostochienses, VVismarrienses, & Sundenses accessere, populo in Magistratum, qui a bello alienus, insurgente. His subsidiis animosi Lubecenses toto mari bellum in Daniam, Sveciamque moliuntur; illam armis aggressuri manifestis, hanc rebellione interna, uti sperabant, perdituri. Verum conspiratio, quae nec ab uno expediri, nec communicata pluribus facile occultari potest, Gustavo, sicut dixi, innotuerat. Itaque hac spe frustrati CIↃ IↃ XXXIV.

Da-

CIↃ IↃ XXXIV. Daniam proponunt sibi, ceu opima inde spolia relaturi. Sed nec imperator erat, quo ductore inchoari bellum posset; neque ex principibus vicinis quisquam ad periculosum adeo adiuvandum institutum, quamquam maximis promissis, posse impelli videbatur. Tandem postquam diu sat circumspexissent, de Christophoro Oldenburgico cogitarunt. Is exiguae terrae Dominus nec pro generis dignitatae opibus valens, ac praecipue reditu Ecclesiastico, quem Coloniae habebat e Collegio illic quodam, cuius tum sodalis erat, se substentans; cum maiore animo, quam fortuna esset, spe potentiae amplioris ostentata, id ausurus putabatur. Qua de causa cum eum Meierus, atque Textor mox Lubecam evocassent indicant, quae facere constituissent; *nempe bellum Danis inferendum esse; & illius causas docent. Quippe foedus in perniciem urbium VVandalicarum cum Burgundis iniise; quo permittere tenerentur, ut per fretum Oritanum quaelibet Belgarum naves libere transire possent, contra iura, quae antiqui ipsis Reges indulsissent; nulla habita Lubecensium. quorum merita in hoc regnum plurima, & antiquissima ratione. Nam Legatum, quem ad proceres misissent, uti foedus renovaret, cum repulsa rediise; hanc se contumeliam ulcisci velle, nec passuros ut contemtum Dani impunitum ferant; ipsum autem, cui exercitum committant, lectum esse: cui causam suam scirent* (a), *cur inferre Danis bellum minime detrectare debeat. Etenim propinquum ei Christiernum carcere iam detineri, quem si liberare queat, magnam laudem relaturum, & ingentem item a captivo gratiam. Nec difficile, isto quidem rerum statu, illud fore; quum praecipuo civitates sibi studeant, portus suos aperturae, quum se classis Lubecensis ostentaverit, & exemplum sequuturas alias eius regni urbes. Neque plebem a Christierno, cui unice favisset, liberando alienam; maximamque animorum inclinationem fore, si id bellum eius causa institutum cognosceretur. Tum dissidio in Religione effectum, ut Ecclesiasticis auxilium ab hac sperari nullum possit: Ita comparatis studiis, ut infestum his creare Regem optent. Se Gustavum Sveciae imposuisse: Neque illum dubitare, quin id Daniae sint facturi etiam fauturum Caesarem; ac futuram Electoribus, & in primis Brandenburgico, rem gratissimam, si intelligant Christiernum eius opera restitutum: quod conati pridem ipsi magnis viribus frustra essent.* Hic Christophorus gratias agere, quod honore ipsum hoc dignati essent: insuper gloriosum ducere, in re tanta occupari; ideoque nec periculum: (sine quo confici nil magnum possit) recusare: sperans se vel aliquam regni esse adepturum partem, vel eximias certe opes (quibus destitueretur) paratarum. Itaque de summa rei cum Textore, ac Meiero sic convenit; & decretum Daniae bellnm. Sed haec in occulto acta. Mox conveniendus erat Magistratus, qui auxilia, ad captivum Christiernum in libertatem vindicandum procuraret, ac relatum in senatu, in virorum sexaginta coetu, denique & centum virorum, qui repraesentabant populum civitatis universum. In maiorem modum placuit; nam infensi Lubecenses Danis erant: quod Senatus Regni navibus Belgicis mare Balticum permisisset; simul quod religionem Reformatam, quam amplexi pridem essent, eo modo propagatam cupiebant: tum, ut Antistites quoque, quibus res Belgarum maxime niti visae, aegre facerent. Mox Christophorus, ita rebus, ex sententia comparatis, in Germaniam profectus militem legit Lubecensium stipendio. Quumque peditum quater mille coegisset, illico Lubecam redit. Inde ut praetextus bello inchoando quaereretur, litteras ad Christianum suas mittunt, quibus reddi Chistiernum tam atrociter captivum, etiam violata fide, flagitarent. *Eum tam propinquum ipsi, uti sponte, quod nunc cogeretur, facere debeat. Si recuset, se daturos liberando operam esse; & amicos in rem illam iam plurimos comparasse, qui iuvare id conantes constituerint. Arcem, in qua teneatur, sua in potestate esse; atque Deo, & hominibus, si diutius detineri tam indigne patiatur, rationem redditurum.* Respondere Christianus, *vivo & regnante Patre Christiernum a Danis, Svecis, & Legatis civitatum, variorum criminum peractum reum, ac eorum de sententia carceri perpetuo damnatum esse; neque fas a se rescindi, quod consensu proceres tot, & praestantes viri alii statuissent: neque, quia Lundenburgi adservetur, ideo se dimittendi potestatem ullam habere: quando mutuae obligatione fidei, ibi, velut ad sequestrum sit depositus. Vt dimitti inde sine partium communi iussu minime queat. Itaque si liberatum eum cuperet, id a Danis, atque Svecis impetraret:* Quibus verbis quum Christophoro minus satisfactum esset, alteris literis multo acrius expostulat. *Temere Danorum, & Svecorum voluntatem obtendi; ac negotii sibi cum his nihil esse. Nec putare aliunde repetendum Christiernum, quam ubi detineatur. Nolle de captivitatis causa quicquam disceptare. Quae ut maxime, sicut ipse retulisset, se haberet, tamen certe iniquum esse, & iniustum, eum contra datam fidem sub custodia adeo arcta attineri. Quam ob rem quum Sunderburgum ipse in potestate habeat, etiamnum admodum enixe petere, uti liberum dimittat, & in manum sibi tradat. Nisi faciat, se invitum, sociosque, ad vim intentandam cogi: & in hanc rem Deum sibi testem capere. Non tam fluxa Lubecenses, qui se in Norvagia dudum Christierno obligassent, fide esse, ut id oblivisci velint. Neque tamen aliud propositum habere quicquam, quam ut misere captivo libertatem suam reddant. Ei rei vitam omnes, fortunasque impensuros: ut intelligat totus orbis, nihil fide ipsos sua antiquius existimasse, nec quid aliud animo proposuisse.* Mox Christophorus causam sibi Christierni armis vindicandam statuit; nihil curans,

(a) *Cui causam suam scirent*] Sic & manifeste in codice Vlefeld. Sed an non ita legendum: *Cui neque deesse causam suam scirent?* Plane uti Cragius *pag.* 29. *Non deesse causam cur ipsum Danis pro se* &c.

CIↃ IↃ XXXIV.

rans, quod cum Christiano fratribus Oldenburgicis recens foedus intercederet; nam & illi idem antea conati. Sed defuncto Friderico, quum offensam Christiani pertimescerent; uti pace amicitiam instaurarent, in hanc legem se obstrinxerant, ut quingentis cum peditibus ipsi ad bimestre tempus, quando vellent, militarent. Quae Christophorus, tamquam nihil ea ad se pertinerent, insuper habens, arma in Christianum capit. Ac post missas eas literas, nulla clarigatione ultra opus arbitratus, minime habebat dubium, quin se contra ille instrueret. Itaque properandum esse, ut opprimere hostem imparatum posset. Fere in procinctu erat, quum Holsatos pariter, & Oldenburgenses monet, bellum decrevisse; postulatque ut transire agmine pacato liceat. Si permittant, nihil mali ab exercitu passuros; si recusent, ferro, & flammis grassaturum. Inde literas ad Senatum Danicum mittit, admodum prolixe referens, quae initio in Norvagia, inde Dania, ac Slurigia Christierno facta essent. Tum accusat Christianum Ducem, quod inique adeo eum arcto carcere detineret. Multas sibi causas esse, cur iniurias illas omnes vindicare, atque opem misero nunc ferre velit. *Hanc ob causam proceres rogatos cupere, ne conatum impedirent, etenim se pro virili adiuturum, ut oblitus contumeliae Christiernus condonare omnibus offensam velit, ac deinceps iuxta regni leges vivat.* Post haec recta in hostem ducit, & Holsatiam invadit. Primo occupat Vtinum, praesulis Lubecensis arcem; hinc Tritoviam, Plonamque urbes petit, & in potestatem redigit. Inde agros circumiectos populatur, pagis pariter, villisque passim exustis, aut vastatis. Arensbogum, & Reinfeldium, monasteria, ne in praedam traherentur, se pecunia redemere. Segebergam arcem, Holsatia universa munitissimam, arcte obsidet. Horum certior Christianus, quantas potest, in tam repentino casu, copias parat. Simul ad Senatum Danum mittit, debitumque ex foedere auxilium [a] petit. Nec periculum commune ille negligit; peditesque Hafnia, Malmogia, ubi hiberna agitabant, evocatos, cum nonnullo equitatu ad suppetias ire iubet. Commodum id Christiano, sed non Daniae, quae praesidio fere vacua tutius invadi poterat. Nec ignarum id Christophoro; qui occasione ista in maiorem spem erigitur. Classem instruxerant Lubecenses, quae in Daniam incursaret, ac iam eo ex Holsatia reverso, parata erat. Nil restabat, nisi ut Christophorus, & Lubecenses totam belli rationem, & victoriae item praemium inter sese constituerent; quum in ista mox conventum. *Vt auxilia Lubecenses, liberando Christierno, quanta possent procurarent; militique in stipendii pignus essent arces, quas cepissent pridem in Holsatia, atque porro etiam capturi essent: Ac Christophorus liberatum Christiernum in ipsorum manus traderet; operamque item daret, ut immunitatibus passim per Holsatiam, alibique restitutis, damna accepta pensarentur, & insolita ad id tempus vectigalia arcerentur. Tum si quibus per hoc bellum potiretur, ea Lubecensium in potestatem*, uti quoque Christiernus, si hunc liberare posset, traderetur. Ipse vero post pecuniam, in quam sese obstrinxissent, persolutam, nil omnino postularet. Additum: Ne Reformatae vis Religioni fieret, neve illi ledaerentur, quos ius fasque laedi nolit. Haec privatim ita pacti, palam fidem quam dedissent Christierno, & in eo liberando studium suum, praetendebant. Sed quam temere id facerent, minime latebat illos, qui exosum Lubecensibus ante Christiernum norant, & cum Friderico arma pridem ipsos coniunxisse contra Caesarem, aliosque etiam Principes, qui in regnum restituere exulantem cupiebant. Antequam vero Classis solveret, naves aliquot praemissae, quae angustias maris Balthici obsiderent, & traiectus insularum intercluderent. Itaque Comitia turbata haud parum; quum in Sielandiam e Cimbria, Fioniaque Senatores vix transire tuto possent: ceterique aliquid de summa rerum propter infrequentiam statuere prohiberentur. Inter ista adest classis Lubecensium, navium viginti unius, milite, tormentis bellicis, commeatu, aliisque necessariis sat instructa. Vna vehebantur Consules, qui auctores belli fuerant. Textor nempe, & Meierus, ac Textori quidem classis praefectura demandata, Meierus militi imperabat. Primus classem inimicam Andreas Billius Monae insulae praefectus, conspicatus, mittit ad Ronnovium literas, & adventum hostis indicat, simul petens, ut auxilium submittat. Ac mandatum Axelio Goiaeo fuit, militem per Sielandiam dispersum uti cogeret, Hafniaeque mox imponeret. Verum hostis destinata citius exsequebatur, quam tutelam (in periculo improviso) expedire Dani possent. Duplex illos malum urgebat. Foris hostis repentinus; domi civium perfidia, & proditio. Lubecenses siquidem praesidia deducta Hafnia, ac Malmogia, uti paulo ante dixi, freti, angustias, nullo repugnante ingressi, iuxta album, quod adpellant, promontorium [b], classem sistunt. Vbi in sinum recedentibus littoribus, montibusque prominentibus portum quendam insula facit. Georgius Coquus, ut Christophorum, ceterosque adpulisse intellexit, propere ad eum tendit, & adventum gratulatus, quo in statu sit Malmogia palam facit, & hortatur ut in terram exscendere velit: Atque ille nil cunctatur, illico exponit copias. Inter ista Lubecenses infestare Christianus, qui iniuriam ulturus, postquam militem conscripsisset,

(a) *Debitumque ex foedere auxilium*] Foedere scil. inter Daniae regnum, & Ducatus Slesvici, & Holsatiae biennio ante mortem Friderici I. concluso; cuius legibus regnum Ducatibus, & hi regno, ad certum peditum, equitumque numerum, bello ingruente suppeditandum sese obligaverant.

(b) *Promontorium album*) Vernacule *Hvidöre*, aliquot passuum millibus ab urbe Hafnia distans. Sed Pontanus: *Circa promontorium, quod Skovus hofvet vulgo vocant*. Nempe isto loco exscensionem factam Hvitfeldius dicit, & quidem vigilia festi Divi Johannis Baptistae. Pro Meursio stat Lyschander in *historiae Christiani III.* quam inchoavit fragmento MS. *Ad promontorium Hvidore, & campestria Dagelykke* 4000. *passum ab urbe*.

CIↃ IↃ XXXIV.

set, Ioannem Rantzovium ei praeficit, Vtinamque statim recipit; ac terrore mox compulsi, qui Tritoviam, Plonamque occupaverant, etiam qui Legebergam obsidebant, iis urbibus spoliatis, atque incensis, diffugerunt. Inde copias post collectas Christianus cum Rantzovianis iungit, & in Travemundam ducit, atque illam tum praesidio destitutam statim capit. Plus negotii apud Muggeburgum fuit: Quamquam acriter tamen id repugnaret, nihilominus statim captum. Postquam urbem in potestatem redegisset, etiam potitus portu, castra munit, prohibetque ne Lubecam importari aliquid posset. Hinc commerciis interceptis, cum ubique fama ea sparsa esset, ideoque nullae ultra naves istuc se conferrent, Christianus non terendum tempus ratus, solo Muggebergum aequat, ac deinde Mollam petens, territorii Lubecensis urbem quamdam, ad Coenobium illi assitum, Mariaewoldam, castra ponit, & subsistit, dum e proxima Saxonia copiae, quas exspectabat, advenirent. Quibus auctus, ocyus in Lubecam tendit; & obsidionem parans castra ad Premismolam locat. Hinc utramque Draviripam ponte iungit, ut commodius adoriri undequaque obsessos possit. Lubecenses id initio fieri non posse rati, opus, quod putabant vanum, otiosi adspectaverant. Verum ut perfectum esse animadvertunt, disturbare cupientes, militum ingentem manum eo mittunt; qui a Christiano excepti, id futurum augurato, animose repelluntur, caesis centum quinquaginta, captis trecentis. Sed nil territi ea clade Lubecenses, alia ratione tentant. Naves duas onerarias implent milite, ac tormentis, tum materia facile accendi apta: ut secundo flumine, & vento actae mox in pontem vi impulsa, incenso pulvere tormentario, universum dissiparent. Verum neque hoc successit: quippe altera vado obhaerens, a militibus Christiani intercepta altera, ad pontem quidem est adacta, nullo tamen detrimento, cum qui ripam tuebantur, ea vi hanc impugnabant, ut vectores retro cedere cogerentur; tanta strage, ut vix octo salvi evaderent. Lubecenses, iam erepta Travemunda, ne Slucopiam alterum quoque urbis portum, qui in agrum Megapolitanum ducit, Christianus occuparet, ipsi incendunt, ut inutilem sic redderent. Quo comperto Christianus mittit eo, qui incendium restinguerent, oppidumque quantum eius superesset suam in potestatem cogerent. Illi imperata faciunt. Inventas quinque naves grandiores, sat instructas nautis, milite, ac tormentis, in Holsatiam abducunt, reliquas ad navigandum minus aptas igne iniecto exurunt. Itaque cum portu utroque arcerentur, nec erumpere usquam possent, arcte adeo obsessi, ad angustiam rerum summam rediguntur. Quae dum fiunt, a Maria Belgii Praeside venit Ioannes Crudenerius, foeminae Principi a secretis; nuntiatque, quale foedus Angliae Rex, & Lubecenses percussissent. Non exacte quidem scire, quae inter se convenissent, tamen credi in perniciem regni Danici omnia comparata esse. Nam increbuisse, famam constitutum Lubecensibus in Daniam pertrahere Henricum Regem; atque ei velut suo beneficio regnum tradere. Caesarem vero nullo modo id passurum; neque alium, quam e Friderici filiis, regem velle. Si opponere se quis ausit, viros interpositurum, atque ut promissis suis fidem strueret, adfuturos a Maria splendidissimos Legatos; qui & iussi Christianum convenire, & in Daniam ad Comitia proficisci, filiosque Friderici Senatoribus commendare. Neque multo post adveniunt Georgius Austrius (a), cuius antea facta mentio, Gerandus Mulartus, Ludovicus Delvigius, & Georgius Desplineus; cumque urbem Boxtehudam, quae Bremensis Dioeceseos, appulissent, intellectos res in Dania perturbatas, ac Comitia impedita, ex itinere domum redeunt. Christianus iam responderat Mariae per Ioannem Crudenerium, atque certiorem faciens de suarum rerum statu, debitum ex Gandavensi foedere auxilium suppeditari postulaverat. Etenim spem Lubecenses ulscicendi certam esse, quam fulciri, uti sua, sic Belgarum quoque interesse: Atque illa e vestigio, missis literis adhortatur, ne relinquat Travemundam, & suppetias exspectet. Tum ablegat mox Mulartum, qui cum ipso demittendi ratione certa agat. Sed & ille postquam Fordam itidem Bremensis territorii urbem advenisset, non ulterius progressus, petit mittit a Christiano hominem perspecta fide, cum quo agere tuto queat. Missus igitur Wolfgangus Poviscius, quum Mariae inclinatam voluntatem ex Mularto accepisset, statim redit. Christianus spei plenus, ad Mariam mittit Melchiorem Rantzovium, isque pulverem nitratum, & tormenta quaedam impetrat; ac promissa florenorum millia viginti duo. Sed eorum vix duodecim, in biennii stipendium, ut convenerat, persoluta. Inter ista graviter quidem Lubecenses affliguntur: Sed qui Daniae bellum invexerant, rem sat prospere gerunt, graviter successum urgebant: atque classis toto passim freto oberrans, in quoscumque incursabat: neque tuta navigatio ullis erat, nisi quibus eam gratiam Lubecenses indulsissent. Itaque Eschyllus Billius, Bergis Norwagorum adveniens, ut comitiis interesset, cum uxore, liberisque intercipitur, & cum eo, qui ab Archiepiscopo Nidrosiensi, ac Norwagico Senatu ad Arhusiensem Episcopum, & Magnum Goiaeum ablegati, ut sententiam Norvvagorum de electione Regis indicarent. Nam de virtute utriusque tantam Norvagi conceperant, ut in ista acquiescerent, ac promitterent in eum se consensuros Regem esse, quem fastigio illo dignum Proceres Daniae censuissent. Ita tamen, ut is privilegia sua, sicut dudum usitatum, confirmare teneretur. Dederat securitatis fidem Eschyllo Praefectus classis Lubecensis, quae Hollandos in Ocea-

(a) *Georgio Austrio*) Maximiani I. Caesaris notho Episcopo Brixiensi.

CIƆ IƆ XXXIV. Oceano vexatura mare totum infestabat. Nihilominus quum in fretum appulisset ipse, ac Legati isti, quique in comitatu erant, in custodiam universi abducuntur; classe Danica, quae obsessa intra portum Hafniensem tenebatur, nihil contra moliente. Dum in freto haec geruntur, terra etiam Christophorus omnia terrore implens, in Roschildiam arma profert, & minatus oppidanis, ni deditionem facerent, fore ut diripiantur, eam capit, moxque oppido potitus, iusiurandum in verba Christierni dare cives cogit; sparso in vulgus rumore, ceu pro eius libertate bellum istud suscepisset. Etenim quum gratiosum eius nomen apud populum accepisset, hoc se modo effecturum existimabat, uti positis statim armis suas partes sequerentur. Eo facto, seu redacto in potestatem regno, Gustavum Frollum olim Archiepiscopum Vpsaliensem iam extorrem, amoto Ronnovio, uti pridem fecerat Rex Fridericus, Episcopum Roschildiensem esse iubet. Etenim is, deturbato Christierno, partes eius, quamquam in fortuna adversa, constantissime tuebatur: & Lubecae ad id tempus commoratus, nunc in Daniam adductus erat, ut obstrictus beneficiis studium captivo Regi multo clarius testaretur. Sed Ronnovius, qui tunc Hafniae morabatur, ubi comperit a Christophoro se deiectum, & Rotschildiensem aulam expilatam, tum direptum etiam Haraldigurgum, ac Bistrupium, arces illic adiacentes, totus in vindictam fertur; & prosiliens in forum, convocato istuc populo, ceu adducta in discrimen Dei gloria, & salute reipublicae, obtestatur universum, ut in fide permaneret: se cum ipso summa quaeque pati certum, etiam vitam, ac fortunas haud gravate impensurum. Sed oratio apud aegros pridem animos nihil valuit, neque aurem quis praebebat, & plerumque Magistratum, prodita consilia defectionis suspicantem, metus simul, & ira incessit; ac timebant, ne conatibus vir auctoritatis tantae intercederet: Quod vero persecutor Religionis infestissimus populum ad concionem convocare ausus esset, maxime indignabantur. Sic affecti, aut expulsum, aut redactum in potestatem cupiebant. Quod ubi ille clam intellexit, furentibus Hafniensibus se subduxit. Populus quum frustra domi quaesivisset, qui evaserat, & in arca, quae in regiam deferretur, eum inclusum existimaret, illam invadit, & diffringit. Quod cum reliqui Senatores qui remanserat in urbe, accepissent, territi periculo praesenti excedunt, & quam poterant tutissime domum quisque suam repetunt. At Christophorus, postquam ad Roschildiam res ordinasset, mox Coagium castra transfert; oppidoque antea haud ullis moenibus communito, uti tuta ea faceret, fossam, & aggerem circumducit. Inde missis literis per Sialandiam, Wlffuemosam (ceu luporum campum dicas (a)) populum adesse iubet: qui cum frequens conveisset, caussam exponit cur in armis advenisset. Nec propositum sibi aliud ullum esse, quam ut regem Christiernum sanguine coniunctum sibi, a custodia iniquissima liberaret, ac per vim deiectum regno priscae dignitati redderet. Quod si fieret, non id tantum expectandum, uti populum vindicet in libertatem, sed religionem quoque reformatam, quantum posset, adiuturum. Neque ipsi, quod maligni homines velint, imputandas regni turbas, quin eorum potius hanc culpam esse, qui imperia, quamvis aequa, in potentiores iuxta populumque exercere non ferebant. Iam malorum finem fore, si ad eos, qui ereptum cupiebant Christiernum, se adiungerent. Nec difficile inermi populo, nec quid ageretur gnaro, persuadere. Itaque qui aderant sacramento mox se obstringunt homines plebeii. Fere unicus Andreas Billius, ex proceribus, qui ut res curaret suas, domum venerat, quum obsideretur praedium, atque telis ipse undique peteretur, neque ullam evadendi spem haberet, neque item propulsare hostem irruentem posset, se Christophoro adiungit. Is Coagii iam degens, quum a tergo nullus esset, quem metuere deberet, nil se effecisse ratus, nisi Hafnia poriretur, in hanc versus, dedi sibi eam petit; fidei oppidanos monens, qua obstricti etiam tum Christierno Regi essent; tum proponit in exemplum eos, qui iam ad se transiissent. Neque illi abnuebant; sed haud dedi urbem posse, respondebant, antequam ipsum libertati restitutum, aut illius saltem in potestate videant: quod responsum animo iniquiore acceptum fuit a Christophoro, quia minime de ipsorum prona in se voluntate dubitabat. Inter ista aderat Malmogia Coquus, qui suadet capiendum per insidias Ioannem Wrnium, arcis regiae tunc Praefectum: Ideoque ut praetereuntem invaderet, in Ambrosii Consulis aedibus latitabat. Verum ille post praesidium evocatum, ne fidendum civibus existimabat, nec se illis permittebat. Ac in urbem quoties descendendum esset, tanto militum comitatu procedebat, ut invadi sine caede, & tumultu minime posset. Itaque quum necdum illud opportunum videretur, a vi abstinendum ratus, dolo rem tentare statuit, & in ipsa illum arce comprehendere. Verum is prudentia conata postquam elusisset, se frustratum Coquus videns; nec periculo vacare longiorem mansionem, metuensque ne consilia domi nova per absentiam caperentur, propere Malmogiam repetit. Ac Christophorus ne quid rebus detrimenti mora daret, iterum solicitandos Hafnienses sibi putans, denuo mittit qui referret: Plane nil de liberando Christierno dubitarent. Etenim idcirco se in Daniam armata manu accessisse, neque prius cessaturum, quam propositum perfecisset. Per haec moti ad deditionem cives, mittunt qui paciscerentur, & conditiones dicerent. Vt vicinus urbi ager, quique adiacebant pagi, intra duo milliaria civibus tribuerentur, salvis etiam privilegiis, ceterisque immunitatibus, quas superiores reges indulsissent: tum Religionis quoque reformatae

(a) *Luporum campum dicas*] vel ad verbum pressius, *Luporum paludem*. Nam *Mose* est palus, vel spatium terrae paludosum.

CIↃ IↃ XXXIV.

tae exercitium, uti liberum ipsis esset, quae concedere si nequaquam graveretur, urbem, seque dedituros. Ac Christophoro ea omnia haud cunctanter permittente, literis obstricta fide, laeti ipsum, & ovantes intra urbem admisere. Isque minime contentus, nisi arce potiretur, illam obsidet, & oppugnat. Non sat erat ad arcendum impetum hostilem valida; ac Praefectus Ioannes Vrnius nimia severitate pridem militi invisus, facere deditionem cogebatur, cui Christophorus uti gratiam referret, dat Gudmensis territorii in Fionia praefecturam; Ioanni Frisio ademtam, quia partes Christiani sequebatur. Sic redacta in potestatem urbe, & arce, classe etiam potitur, bellicoque instrumento universo, ad id bellum persequendum necessario. Atque arcem ipse insidet, urbem vero illis tradit, quorum fidem explorasset, postquam prius se in verba Christierni obstrinxissent. Tum senatum quoque urbanum, de consilio Ambrosii, & Ioannis Bosonis ordine movet, & substituit quos sibi addictos sciret. Hafnia ita ordinata, atque rebus ex sententia constitutis, promulgato per Sialandiam edicto, populum, plebemque omnem ad conventum publicum Ringstadii adesse iubet, & adcurrunt ex vicinis oppidis, pagisque plurimi, sive metu, sive melioris status spe illecti. Tum iurare omnes cogit denuo in Christiernum, qui hunc liberatum vellent. Ex nobilibus plerique, qui adduci minime poterant, uti fidem Christierno obligarent. Quod Christophorus indignatus, praedia eorum dat cuilibet diripienda. Itaque in praedam expositi, nec valide resistere, tamdem in eius fidem transeunt, incitante maxime Ronnovii Episcopi auctoritate; nam & is Christophori in gratiam se restituerat, ab eo & Episcopatum quoque suum, pridem a Friderico emtum senis millibus aureorum, decem millibus selibrarum Danicarum nunc redemerat. Etenim Gustavus Trollius, cui recens hic contulerat, sponte cedens, Dioecesin Othoniensem, qua Canutus Gyldensternius tamquam hostis excidisse iudicatus, exspectabat. Dum Christophorus tota passim Sialandia cuncta ex libidine agit, senatores, qui in Cimbria, postquam Hafniam defecisse nuntiatum, perturbati, ne exemplum urbes ceterae sequerentur, metuebant. Itaque Malmogiam mittunt, qui in fide oppidanos retinerent; indicantque maximae senatus parti placuisse, uti regnum accersito ex Holsatia Christiano mox obferrent, & illius id virtuti, fideique defendendum commendarent. Hoc ex usu reipublicae censuisse, ne deserta hosti prostitueretur. Nil religioni quoque reformatae metuendum, cuius princeps benignissimus liberum esse exercitium cunctis velit. Itaque hortari serio, atque etiam obtestari, ut in fide perseverent, & constantiae suae memores, a senatu ne discedant. Malmogiani post deliberationem responderunt: certum sibi Magno Goiaeo, & Erico Bannero adhaerere, neque alias partes sequi, quam quae ipsis placuissent. Tum urgente praeside, Magno Gyldensternio, in concordiam, & auxilium se obstringunt. Quo responso, laeti in spem eriguntur, Hafnienses ocyus ad sanam mentem redituros. Sed in fraudem id compositum; quod defectio necdum tempestiva esse videretur, res ostendit. Siquidem mox arcis praeses, in curiam urbis specie negotii communicandi, evocatus, detinetur, & abducitur in custodiam; inde itidem arx invaditur, ac familia eiecta, solo aequatur. Eo enim populi processit furor, ut extincta dominatione regia, ad Wandalicarum modum civitatum, cum queis conspiratum erat, etiam Malmogiam deinceps gubernatam vellent. His patratis, quum haud tutum existimarent, urbem omnibus patere, mox excubiae ad portas positae cum mandato, ut admitterent accedentes, neminem exire sinerent. Sic effectum fama rei serius ad Hafnienses emanante, ut e Sialandia illuc commeare plane nemo formidaret. Itaque Trugotus Vlstandius, Claudiusque Podebuscius, rerum omnium ignari, quum se eo contulissent, pari modo detinentur, & a civibus adservantur. Nec contenti, tres iam regni senatores sua in potestate habere, etiam nobilium invadunt liberos, ibi studiis operantes, & in locum certum includunt. Inde literas ad Tychonem Crabbium mittunt, regni equitum tribunum, indicantque recte ista se fecisse; etenim religioni reformatae, quam receperant, ut caverent, huc impulsos; quum sancitam a senatu in ministros Evangelii, quique eos admisissent, poenam iure formidarent; neque enim mitigatum illam iri spei quidquam affulgere; quum antistites de severitate sua nil remitterent. Arbitratos, in comitiis, quae indicta eo anno, melius aliquid, aequiusque decernendum. Sed id frustra exspectasse, & antistites nihil egisse lenius. Hanc se persequutionem haud diutius tolerare potuisse; ideoque arma sumta, ut vim a se prohiberent. Tum & arcem, quam rex nuper Fridericus, contra datam a se fidem, exstruxisset, occupasse, & evertisse, ne haec civium libertati gravis esset, aut refugium reformatam religionem persequentibus. Et haec quidem ad tribunum perscripsere (a), non quod se magnopere excusatos vellent, sed metuerent, ne quid contra civitatem, antequam Christophorus eo adveniret, moliretur. Neque ea portis interclusis celabantur; neque impediri poterat, quin vulgata rei fama in Fioniam, ceterasque ditiones emanaret. Ac Canutus Gyldesternius Episcopus Othoniensis designatus, anxius periculo regni, & captivitate fratris irritatus, convocat nobilitatem, ac senatum; moxque ad proceres Sialandiae, Scaniaeque mitti-

(a) *Ad Tribunum perscripsere*) Indicatur Tycho Crabbe, militiae regni Marescallus, seu summus rei militaris praefectus, quod genus officii, ex quatuor regni primariis unum, noster perpetuo fere designat *regni equitum tribuni* nomine. Ac revera, si *equites* hic sumes pro *ordine equestri*, sive regni nobilitate, nulla eius aptior adpellatio. Praeerat enim isti ordini in comitiis regni, eiusque in regno commoda, & privilegia curabat, pariter in bellum educendae nobilitati dux, nec non toti exercitui praefectus.

CIϽ IϽ XXXIV.

mittitur vir nobilis, Antonius Antonii F., qui ſignificaret ipſis; *poſtquam proceres Fioniae, quae Malmogiae acta eſsent, accepiſsent, viſum illis, ſe ad ipſos ablegare, uti rei ſeriem renuntiaret. Tum conſilium exquirerent, in tam inſperato caſu adhibendum, diceretque viſum eſse e republica claſsem inſtrui, & a Sveco, aliiſque debitum ex foedere auxilium peti. Vti naves Lubecenſium propulſentur, aut probibeantur ſaltem, ne Malmogianis ferre opem poſsent, aut minores inſularum infeſtare. Etenim a Chriſtiano accepiſse, hoc propoſitum illis eſse, ut traiectus impedirent; & celoces in hanc rem per mare Balthicum oberrare. Se adverſus vim hoſtilem, & incurſum repentinum imparatos, neque validos reſiſtere, poſtquam copias militares, quas habebant, Chriſtiano conceſſiſsent. Itaque ſi Sialandia, Scaniaque auxilii ſuppeditare nihil poſſit, arbitrari ad ſalutem reipublicae pertinere, ut de rege eligendo circumſpiciant. In quam rem ſi convenire forte ſenatores nequeant, ſaltem ex provinciis ſingulis, quorum ea ſit poteſtas, deſignentur. Ita tamen, uti prius de neceſſitate ſumma Norvagi admoneantur. Inſuper finxiſse coquum literas a ſenatu ſcriptas in perniciem civium Malmogienſium, ac videri improbam perſuaſionem literis ſenatus aliis, & contrariis, eximendam animis eorum eſse. Denique in eam curam incumbendum, quanam ratione queant ſenatores, qui Malmogiae tenebantur, vel ad tempus liberari.* Haec proceribus Sialandiae, Scaniaeque indicata, quamquam nullo ſane fructu; nam in eo res ipſorum ſtatu erant, ut omnino etſi maximopere vellent, nihil poſsent. At Chriſtophorus, qui Malmogianos ſat in ſua poteſtate eſse confidebat, procerum quoque Scanicorum animos explorare ſtatuit. Itaque per literas adventus cauſam, quam & Sialandis nuper expoſuerat, ipſis itidem exponit. *Et hortatur, ut conatum adiuvarent, & in Chriſtierni quoque libertatem conſentirent; quod ſi perſuaderi ſibi paterentur, ſi adirent, atque fidem obligarent, nec periculum permiſcerent, neve item dubitarent, quin benignum habituri regem eſsent; ſi abnuerent, ultima quaeque exſpectarent.* Hac Chriſtophori voluntate intellecta, quidnam facerent incerti, valde animis angebantur, nec conſilium facile expediebant. Sialandia in illius poteſtate tota erat, ac defecerant ad eum, qui in illa, optimates. Nec auxilium regno inter ſe diviſo, uſpiam ſperari poterat. Nec ſe tutos a Malmogianis eſse, qui ad quidlibet audendum, obſtinatis in rebellionem animis, facile impelli poſsent. Dum ſic haerent, quod conſultum maxime exiſtimabant, ſtatuunt petendum eſse a Chriſtophoro commeatum; quo accepto Tycho Crabbius, Oligerus Vlſtandius, Axelius Vgerupius, & Canutus Billius Hafniam petunt, atque ibi cum Chriſtophoro colloquuti, & vitam, & fortunas ſalvas ſtipulati, Chriſtierno ſe obſtringunt; ita tamen, ut dumtaxat ſuam illi quiſque fidem obligarent. Sed Chriſtophoro non id ſatis, qui ut fidem pro provincia univerſa interponerent, poſtulabat. Itaque quum minime ſe id audere populi iniuſsu dicerent, peterentque, ad conſenſum impetrandum, redeundi poteſtatem, contra fidem, quam acceperant, detinentur, donec morem gererent. Quo peracto quum in vado Scaniae res viderentur, ne fortunam pronis adeo populi ſtudiis ſuam ipſe deſtitueret, cum nonnullis e proceribus Sialandiae mox Malmogiam ſe confert, populumque univerſum Lundiam venire iubet. Quumque adeſset, habita in Libershoio, quaſi Liberi montem dicas, ante urbem concione, Chriſtiernum, uti pridem, Sialandis commendabat. Quumque populus edito clamore magno, pronam in hunc voluntatem, & conſenſum indicaret, pro concordia grates agit, ac dimittit. Senatores ſecum adducens Malmogiam, ubi ut adfectum ſibi confirmaret, novas plurimis illorum praefecturas elargitur. Nec Malmogianos item praemiorum expertes habet, atque donat fundos omnes; urbi intra milliare circumquaque adiacentes. Tum Ronnovio dat Sereoam [(a)], ac diploma in id addit. Inſuper Rhenenſes aureos, ac pecuniam aliam minutam cudit, & in parte una nomen Chriſtierni, in altera ſuum repraeſentat; ceu teſtatum eo vellet, non ſe ſua, Lubecenſiumve cauſa bellum iſtud ſuſcepiſſe. Senatores Scanici, & Sialandici, ut Chriſtophoro pro recentibus beneficiis aliquam referrent gratiam, literas ad proceres Norvegiae ſcribunt, poſtulantque: *uti in electione novi regis Chriſtiernum ſibi commendatum habeant; ſe in eius verba iam iuraſse omnes, atque item Sialandos; itaque rogatos velle, ut exemplo quoque horum uterentur, animumque in captivum pridem regem, quem iam dudum elegiſsent, inclinarent.* Per Vincentium Lundium praeſidem VVardehuſanum [(b)] prius ſcripſerant: *certum ſibi regem Chriſtianum facere, ac conſenſum in hanc rem ipſorum petere, quippe fidem Friderico datis litteris, de legendo ex illius filiis rege, obſtrinxiſse. Ac nunc ita regni ſtatum ſe habere, ut non ultra ſit cunctandum.* Norvegi in neutram partem inclinabant, exitum fortunae Danicae exſpectantes, & conſilium capturi prout is futurus eſſet. Metropolitanus tamen Nidroſienſis literas dat ad Norvegiae Ciſmontanae ſenatores, & de partis utriuſque poſtulatis certos facit: *ſe nunc primum de ſpe regni, liberis Friderici facta, comperiſse. Verum nihil ſpectaturum, niſi quod ad pacem publicam pertineret, atque Deum*

(a) *Tum Ronnovio dat Sereoam*] Parva eſt inſula in mari Balthico, inter Selandiam, & Iutiam; aliquoties Saxoni Grammatico memorata, *Siroae* nomine, vernacule *Seieroe*. Poſſeſſorem hodie habet Fridericum Roſtgaard, Dominum in Kraagerup, virum non magis dignitate, & officiorum in patria geſtorum amplitudine, quam meritis in rem litterariam, atque eruditione apud exteros celeberrimum. Ceterum de inſulae eius donatione Ronnovio facta, nihil exſtat apud Cragſum, qui & illud de moneta a Chriſtophoro cuſa praetermiſit. Vtrumque tamen certiſſimum. Et Meurſium ſubſpicor accepiſſe ex *fragmento* Lyſchandri, de quo nuper.

(b) *Lungium praeſidem VVardehuſanum*) Scripſerat Meurſius *Praeſidem Vortingburgenſem*; manifeſto errore. Erat Vincentius certiſſime praefectus arci Vardehuſae in Nordlandia provincia Norvegici regni ultima, Ruſſorum ſedibus confini.

CIↃ IↃ XXXIV. *Deum precaturum, ut concordes in re tanta procerum utrimque animos esse velit. Interim rogatos cupere, ne se misceant negotio, antequam Deus ad concordiam dissidentes reduxisset. Nihil quidem intra hyemem actum iri, & ver proximum exspectandum. Sibi quidem hoc videri. Illis vero si in mentem melius veniret quidquam, & saluti publicae conducibilius, ne communicare id secum graventur; tum si quid de rebus Danicis afferretur, eius uti sine mora facere certiorem velint. Sic Norvegia de consilio Metropolitani sui se continuit.* Sed in Scania, proxima Sialandia, insulisque item aliis, varii motus animorum exstitere. Quisquis nollet liberatum Christiernum, se in Cimbriam recipere, velut multo tutiorem, dum tempestas, quae tum regno incumbebat, praeteriret. Quin & Ronnovius quoque ipse (etsi denuo dioecesin, uti dixi, redemisset) quia tamen varie fundi rusticorum, atque sua etiam praedia vexarentur, nil Christophoro, ad haec conniventi fidens, pariter se subterduxit; adeoque feminae nobiles, virginesque plurimae mutabant vestem, & in loca tutiora secedebant. Tum Ioannes quoque holsatus, quem in arce Neoburgensi in spem regni educatum memoravi, cum Olao Rosentcranzio, aulae suae tum praefecto, atque omni famulitio, veste rustica indutus, Sunderburgum, ubi Christiernus captus tenebatur, ad praefectum Dithlevium, Bruchtorphium, clanculum sese subducit, & Olaum Rosentcrantzium, Neoburgum reversurum mox dimittit. Qui domestici Friderici in Sialandia habitabant, quum non possent ignorari, aut latere, etiam discedere inde cupiebant, ac petebant commeatum; sed Christophoro pro se tantum promittente, nec vim item prohibente Lubecensium, nec plebis pariter rusticae, aut urbanae nusquam ausi sunt excedere. Inter quae defectio crescit, ac Christophorus coeptum urget. Et Lollandia, Falstriaque ad exemplum Hafniae, Malmogiaeque sese dedit, & Nicopia occupatur, nec dum e comitiis reverso Canuto Guldensternio, traditurque Thomae Fossio, & cuidam, Franco dicto; qui cum, rege Friderico, Christiernus, quum is ibi caperetur, militasset, praefecturam hanc accepit. In Mona, insula, arx Stega, quam tunc quatuor e nobilibus, civibusque obtinebant, interfecto procuratore Ioanne Stigotio, occupatur, ac paulo post diruitur. In Lolandia, arcem Alholmiam, absente Georgio Frisio, qui praefectus, oppidani per vim capiunt, ac Christophoro adservant; dum praefectos is imponeret Ioannem Herberum, alterumque eiusdem nominis Megapolitanum dictum. Ioannes Oxius, Nielstrupium, arcem suam, propugnabat. Quumque armis propulsare obsessores minime posset, statuit pecunia corrumpere duces, & redimere libertatem. Verum quum id emanasset, ira accensi, qui obsederant, impetum in duces faciunt, eos caedunt, Oxiumque multo acrius oppugnant. Isque dum tormentum quoddam exonerare in hostem cupit, illo per vim ignis fracto femur saucius, mox occubuit, atque obsessores arce potiuntur. Arx Corsorae necdum in potestatem venerat; itaque Schelsorenses quidam dolum parant; atque ceu aequarii mercatores forent, accedentes, evocant procuratorem, & vectigal solvere se velle simulant. Isque neque gnarus fraudis, neque metuens, quum prodiret, invadentibus se, arcemque dedere cogitur. Hinc in Langelandiam itum, ubi arcem Tranequietam, cum Othone Crumpenio praeside, Hermannus Longus, atque Severinus Stampius in deditionem accipiunt. Sed Crumpenius ad Christophorum adductus ob peritiam rei bellicae, & ab ea clarum nomen, postquam fidem Christierno obstrinxisset, mox Alholmiae praeficitur. Ac Christophorus, auctis per deditionem tot provinciarum urbium, arciumque viribus, & si motu populi potentior, quam suis copiis, bellum in Fioniam transferre statuit. Quod quum senatoribus relatum esset, qui in Cimbria agebant, tamdem semel qualicumque ratione graviter periclitanti succurrendum reipublicae censuerunt. Inter primos Magnus Goiaeus in hanc curam incumbebat, etiam tum ordinis ecclesiastici antistitibus in periculo praesentissimo adversantibus. Sed vir animi invictus, quique patriae salute nihil sibi prius duceret, quum de ea cum Bannero, aliisque consultasset, mox decernit, ut nobilitas universa Ruviam ad Scanderburgum conveniret. Pridie idus mensis Iulii, qui indictus dies erat, postquam omnes accessissent, illico Goiaeus regni statum exponit: *quae in Scania, Sialandia, ac minoribus item insulis evenissent. Neque ulli ignarum esse quin periculum, & ad ipsos pertineret, quippe iam Fionicos peti, quis subactis, non immunes Cimbros fore; Daniam nunc, quia regem non haberet, tamdem totam in potestatem hostis cogi. Ex Scania, & Sialandia, tum & insulis minoribus nihil opis sibi exspectandum esse. Neque se vicissim his auxilium ullum, quo necesse ipsi habeant, ferre posse. Itaque dispicerent secum unde postulatum vellent, & an magis Christiano, qui Lubecam obsidebat, aliquem idoneum existimarent. Equidem indignum populo Danico puto, tam insignes regni partes in externo ultra hoste retineri. An impuberi vero principi tantum animi, aut prudentiae sit futurum, ut recuperare eas ausit pariter, queatque, ac receptis libertatem vindicare, mecum iuxta intelligitis. Quamobrem consulerent nunc reipublicae, sibi, literisque suis, & saluti subditorum maxime periclitanti.* Post quae, ubi in suffragia itum fuit, maxima pars censuere, regem sibi eligendum Christianum, & quantocyus ad vim hostis propulsandam, accersendum. Quumque antistites etiam tum obniterentur, commodi privati causa, in consessum senatorum irrumpentes e nobilitate reliqui, quid de rege eligendo statuissent, percunctantur. Ac comperto adversantibus antistitibus nihil decretum; uno ore omnes clamant, Christianum sibi regem statim darent. Sat expertos tot provinciarum damno, quantum in negotio tam necessario ea regno negligentia nocuisset;

CIϽ IϽ XXXIV.

set; periniquum sic antistitum voluntati se subiicere, ut propterea salus publica in discrimen longe maximum adducatur; etiam minas, nisi mos geratur, addunt. Tum excedere paullum iussis, pollicentur senatores fore, ut quem sibi peterent regem Christianum habeant. Hic antistites excusare, & invidiam a se facti amoliri, ac quod regem eligendum distulissent, illud publice expedire censuisse; nunc quum videant, sic nobilitatem velle, haud se ultra intercedere. Tantum petere, uti curent, ne quid iura, aut immunitates ordinum minuantur; neve religio maiorum detrimentum ullum capiat. Quod si fiat, ipsos Deo rationem reddituros. Adprecari, quando regnum Christiano deferendum arbitrentur, ut id ipsis, adeoque reipublicae universae, fortunatum Deus velit. Mox legati ad vocandum Christianum [a] destinantur, Stigotus Crumpenius Episcopus Burglanensis, Ivarus Munkius designatur Riparum Episcopus; Magnus Goiaeus Magister Palatii, & Ago Vincentius Lungius. In Fionia, quum nobilitas, quae a Cimbris acta Ruviae accepisset, & Othoniam metu, ne tumultus aliquis inter populum, qui per nundinas tunc frequens oriretur, convenire non auderet, in vicinae Hellesoae aede sacra congregata, Canuto Guldensternio Episcopo negotium id adiuvante, in Cimbrorum partes transit; & legatum suum addit Ioannem Frisium Hesselagrium, qui cum Cimbris se coniungeret. In mandatis illi fuit: *uti iura, & immunitates ceteras, quas Rex pridem Fridericus concessisset, Christianus confirmaret; ita tamen si mutandum in his quidquam detrahendum, aut addendum, Christiano, atque ipsi videretur, uti ratum esse velint. Ac seorsim, quum Fionia neque ampla, neque potens, maxime equitibus suis in Holsatiam amandatis, proxima periculo foret, expedire, ut suppetias, quantum posset, maturaret; nam facilius insula arceri hostem, quam expelli; atque metuendum esse, ne plebs rustica spe frustrata, ut Sialandia factum, fidem mutet; non factura, si tempestive succurrat; nec Fionios defuturos, sed auxilium qualecumque, seu tributum, seu militem postularet, qua conditione Cimbri, praebituros.* Itaque Cimbrorum se legatis iungit Ioannes Frisius, & cum illis in Holsatiam proficiscitur, qui quum illuc advenissent, dant ad Christianum literas, tunc in castris commorantem; ac significant esse sibi a senatu regni Danici mandata, quae communicare velint; itaque conveniendi locum, & tempus designaret. Non ignarus quidnam cuperent, Christianus, qui e Iusto Vrnio rem universam accepisset, ad Pretzanum Monasterium convenire iubet eos. Quo quum etiam Christianus accessisset, omnium nomine, Stigotus Crumpenius Episcopus Burglamensis iussa exponens, regnum defert. Nec cunctatur id accipere, iam legitime oblatum, Christianus, & iustitiam, fidem, opem in hoc ipso protegendo, privilegiisque omnium conservandis, tum officia boni regis universa pollicetur. Quae in acta postquam mox relata essent, bina eorum exemplaria describuntur, alterumque Cimbricis legatis datur, alterum Ioanni Frisio. Inde comiter dimissi, Haderslebiam se recipiunt, quo & eos consequutus Christianus, quum per illud forte tempus filio auctus Friderico, qui post eum regnum tenuit; eum Christo cuperet initiari, testes esse illos cupit. Hoc dum agit, ibi quoque constitutum, ad quem diem praesto ipsum in Cimbria esse oporteret, uti omnia sacramento confirmarentur. Post haec ocyus in castra ad Lubecam urbem posita recipit se Christianus; atque omnibus ibi rebus ex sententia ordinatis, propere in Cimbriam ad diem constitutum accedit. Locus ad Horsnesium dictus. Ac convenerunt senatores, nobilesque oppidorum delegati, & e singulis nomarchiis quidam item rusticorum; omnes regem eligendi plena potestate instructi; inde aperto campo, ante urbem, & sub dio, dato in verba Christiani sacramento, fidem obstringunt; isque rursum ordini cuique iura, & immunitates quasvis illibatas fore spondet. Quia vero senatores inter se dissentiebant, de solenni confirmationis forma, quam a regibus obsignari usitatum, & auxilium contra hostes maturari opus erat, placuit parata pace, & tranquillitate regni constituta, uti rex, quae pridem pater Fridericus indulsisset, rata haberet. Ita tamen, ut liceret de consensu senatorum immutare, addere, demere, quae ad bonum reipublicae pertinere viderentur.

HI-

[a] Quae hic (uti & *Col.* 839.) super scripta verba: *vulgo Rye dictam*, & *ad Christianum ducem &c.* non sunt ab auctore, sed a manu Nicolai Slangii, qui describi hoc exemplum curavit, ac postea illud conferendi, & corrigendi laborem sumsit, adscriptis itidem hinc inde ad oras paginarum scholiis. Ita neque illud, quod hac *Col.* 840. allevit, *toparcham*, Meursianum est. Hic enim scripserat auctor *Ioannem Frisium Hesselagrium*, idest, more ipsi familiari, dominum praedii *Hesselager*. Sic & *Col.* 846. *c.* nullam rationem habuit Slangius, cur corrigenda subsciperet Meursiana haec: *Tum non ita difficulter accessuram esse Daniam &c.* in quibus optime sibi sensus constat sine ulla mutatione; idem scilicet, quem Cragius exhibet, *pag.* 59. *Tum vero regnum Daniae facile accessurum, quod magnopere obnoxium existimabatur, propter ablatam ab Isabella dotem.*

HISTORIAE DANICAE

LIBER V.

Qui complectitur Regnum CHRISTIANI III.

CIↃ IↃ XXXIV.

CHristianus, in hunc modum rex creatus, qui concordia crescere res parvas sciret, & discordia etiam dilabi maximas, tum id tempus, ac praesentem rerum statum maxime concordiam desiderare; uti eam inter ordines dissidentes constitueret, operam imprimis dandam exsistimavit. Itaque sancit, ut antistites, & quicumque ecclesiastici sacra sua, atque bona universa, uti ea possidebant, sic deinceps possiderent; donec regno tranquillato, senatui, populoque Danico aliter de illis esse statuendum videretur. Eadem nobilitatis ratio foret. Tum certamen religionis ut tolleret, placuit maiorum sacra retinere cupientes, id ut facere tuto posset, ac vicissim, qui doctrinam reformatam sequerentur, id ne ipsis noxa esset. Insuper ut ius ex aequo diceretur, institutum, ut praesidibus curiae Cimbricae adessent Iacobus Frisius, Ioannes Huassius, Ioannes Thomaeus; & de bonis contendentibus nobilibus, iuxta leges Valdemari quatenus in Nomarchiis rusticorum, aut provinciali curia usum habere illae possent, iudicarent. Tum uti dominium directum esset quibuscumque in fundos, aut possessiones, quas maiores ordini ecclesiastico pia quadam animi devotione concessissent; redeunte tamen fructu ad Ecclesias, quibus hi largiti essent. Quaeque iam ademta ipsis, aliisve aut hoc bello intestino, etiam in posterum adimerentur, ea, pace restituta, regia auctoritate redderentur. Denique concordes porro inter sese esse vellent, quo vim hostis totis viribus, ut Danorum fide ac virtute dignum propulsarent. Regem autem minime permissurum esse, ut cuiquam inopi, aut locupleti iniuria ulla, aut vis fiat. In rem istam, uti certa haberetur, datae literae, & signatae. Rebus ita intra regnum ordinatis, foris a Gustavo adfine Sveciae rege opem petit. Scribit haud dubitare, quin gravetur Regnum sibi, a senatu, populoque Danico delatum esse; sed quum bello id vexetur, neque ipse pridem contra Lubecenses occupatus, par sit hostibus duobus, unice rogatum velle, uti pro necessitudine, quae utrique intercederet, tum & foedere, quod utrimque iniissent, adiutare sedulo velit; cupere autem uti Scaniam invaderet, atque eam Daniae recuperaret. Id futurum etiam ex usu Sveciae, quippe hostem, qui iam Daniam infestaret, aliquando Sveciae incubiturum. Ac Gustavus regnum ipsi gratulatus, opem spondet; & in Scaniam, quod petebat, propere ducturum esse. Neque quidquam dubitare, quin conatus prospere sit successurus. Scribit itidem ad Mariam, Belgii praesidem, debitumque ex Gandavensi foedere auxilium petit; maxime teneri autem, quia bellum concitassent Lubecenses, quod auxilia contra Belgas denegata, eos freto prohibere, ac commercia impedire Dani nuper noluissent. Verum illa intellecto, ideo a Lubecensibus bellum istud inchoatum uti suam Christierno libertatem, atque regnum restituerent, finem exspectare certa, blandis verbis spem frustratur; quippe sic existimabat, Lubecenses, & Christophorum in rem illam satis validos, ac futurum, ut brevi Christiernum in libertatem vindicarent. Accedebat nova adfinitas cum principibus duobus perpotentibus contracta, cum Dorothea, una filia Caesare id procurante, Friderico Palatino, altera vero Christina, Francisco Sfortiae Mediolanensi nupta esset. Ea re abalienato a Danis animo, non dumtaxat illis opem nullam ferre, sed & mala contra foedus multa facere; tum hoc etiam agitare, ut adfinibus, quos iam dixi, viam ad tria hereditaria septentrionalia regna sterneret. Quae deberi Christierni filiabus, ut consuetum in Hispania, putabantur. Non ita difficulter esse Daniam, ceu obnoxiam dotis nomine, quae erepta matri harum Isabellae. Ita nihil Christianus tempore tam necessario a Maria praeter verba reportavit, claro etiam hic exemplo, foedera utilitate fere principes aestimare, nec servare, nisi quatenus rebus suis expedire arbitrentur. Ac Christophorus, quamquam regem Dania iam elegisset, nihil a proposito deterrebatur; & mittebat, qui Fionios itidem ad defectionem invitarent. Neque id difficile erat, apud pronos in res novas, & promissis in spem status melioris iam adductos. Primi orsi Svinburgenses, cum Christophori militibus, quos in urbem suam admiserant, impetu in agrum circumiectum facto, ferro omnia, atque flamma quam latissime populantur. Arcem Episcopi, Orceliam, praepostero religionis suae studio invadentes, publica eius dioeceseos instrumenta, quae hic adservari solita, ceteramque suppellectilem igne exsurunt; palatium item, quod Othoniae is habebat, irrumpentes sic diripiunt, ut nec sacris, nec profanis abstinerent. Quin Canutianum templum (a) occu-

(a) *Canutianum templum*) Cragius aedem Albani vocat, quod quidem fuit eidem nomen, prius quam S. Canuto Regi, in ea interfecto, consecraretur.

CIϽ IϽ XXXIV. cupantes, eo, simul cum palatio, velut propugnaculo abutebantur; caesis multis, fauci sve, qui adversum arma ferrent. Dallumium coenobium nobilium virginum sartor quidam Othoniensis cum nonnullis perduellibus, devastabat; uti Hagenscoviam Ioannes Lundius opere rustico tolerare vitam fuerus. Plura item Monasteria spoliata, & incensa; tum nobilium quoque praedia, quorum multi ad dicendum Christierno sacramentum cogebantur. Inter quos Hilarius Bollerus Nackebolli dominus a vicinis Svinburgensibus, quum in urbem abductus esset, & in vinculis teneretur, a Iusto Berrisio, & Alardo item Flego, qui cohortem quisque suam sub Christophoro ducebant, ad praestandum Christiano iuramentum literis adigebatur. Pauci quidem in Neoburgensem arcem, Cimbriamve evasere, nec cuiquam in tota illa insula morari tutum; ni captivum Christiernum regem se adgnoscere profitetur. Christianus, qui Coldingae consistebat, quum Fionii, quamquam dubio rumore, defecisse nuntiantur, postquam vero Ioannes Frisius, aliique certiorem reddidissent, e vestigio copias adversus mittit laborantibus subventuras, ducibus Ioanne Rantzovio, Petro Ebbonio, Ioanne Iulio. Illi postquam in Fioniam traiecissent, obvios ad Farscoviae montem oppidanos, rusticosque habuere, qui armorum insolentes, ideoque nec satis gnari, quum ad manus ventum esset, loco facile cesserunt; & incondita multitudo sine mora dissipata. Multi caesi; quidam fuga evasere; regiorum vero pauci admodum desiderati; uno praelio res peracta, & recepti, qui defecerunt, Frisio, Rantzovioque nomine regis Christiani fidem suam iuramento obligarunt. Svinburgenses, qui defectionem orsi, cum praesidio comitis Christophori prohiberentur, ne se dederent, & Othonienses item, paucitatem regiorum despicati, ultra etiam repugnarent, militi in praedam dati, & direpti. Itaque Fionia iam vindicata, & praesidio, ubi opus videbatur, constituto, Frisius, Rantzoviusque ad Christianum revertuntur. Vix discesserunt, quum Christophorus, re accepta, ut Fioniis subveniret haud cunctatus mittit copias, & exponit Cartemindae. Primus in Neoburgenses impetus fuit; arci, & urbi impositus Olaus Rosencrantzius erat, qui praesidio sat se tutum arbitratus, dum secure nimis agit, noctu hostes, civium proditione, immissi urbem invadunt sub ductore Vbelachero, occupantque; multi regiorum caesi, qui in somno, & inermes deprehensi. Pauci elapsi, & in his Paullus Ebbonius, ac Bertramus Anefeldius, qui fune per oppletas aqua fossas tractus, adiutante equisone, magno cum periculo in arcem evasit. Vbelacherus oppido recuperato, ut potiri arce posset, obsidere eam statuit; quam non facile expugnasset, nisi aquam, quae in illam per canales ducebatur, subduxisset. Itaque ademta ista quum praesidiarii quoque inter sese diffiderent, vitam, & fortunas omnes salvas pacti, eam dedunt, & excedunt, ac Fioniam universam in Christophori potestate mox relinquunt. Inter ista Hamburgenses, dum obsessi Lubecenses, etsi rem in Dania feliciter gererent, domi tamen non minore in periculo versarentur, ut vicinae, & amicae civitati subvenirent, & inirent ab utraque parte gratiam, opera Vandalicorum aliquorum ad constituendam pacem plurimum adnitebantur. Mittere eo Christianus, cum Ditterum Reventlovium praepositum Reinebecanum, tum Magnum Munccium, Ioannem Frisium, & Wolffgangum Vtenhovium, qui rem pro se pertractarent. Sed elati prospero successu rerum Lubecenses, postquam animum ad conditiones pacis quamvis aequas nullo modo inclinarent, irritus conatus fuit. Christianus, qui futurum praevideret, cogere undequaque militem, & augere copias non desinebat; moxque auxilia aliunde comparata tum e Brunsvicensi agro equites sub Iusto Globecio, quadringentos armis optime instructos illico in Cimbriam mittit. At Christophorus trium iam provinciarum regni potens, non adversi ultra quidquam metuebat. Vnica restabat Cimbria, verum maior, & frequentior habitantibus. Huc praemittit quos Malmogiae invenerat, nautas quosdam, qui sub Nicolao Eknphovio mare pridem iussu regis Christierni infestaverant. Duas illis naves tribuit, militemque his imponit, cum mandato, ut in Cimbriam borealem invadentes, plebem ad defectionem concitarent. Quum Alburgum occupassent, mox & arcem in potestatem redigunt, coacto ad deditionem Petro Lyckio, qui tenebat. Inde Clemens, (quod nautarum uni nomen) in Wendsusalam transgressus habitantes Christierno fidem obligare cogit, ac provinciam universam subacturus videbatur, ni mature e nobilitate Cimbrica se obiecissent. Hi Randeshusium postquam sese contulissent, equites e suis quisque, quantum festinato licuit, adducebant. Neque deerant antistites, qui & suos submittebant. Iustus etiam Globecius, cum equitibus Germanicis, quos conscripserat Christianus, ad suppetias accedebat. Insuper exspectabantur peditum cohortes quatuor, verum illae, quum Randershusio moverent, necdum venerant. Istis copiis instructi, Olaus Rosencrantzius, & Ericus Bannerus, agmen in Alburgum ducunt, numero Clementi impares; sed firmabat animum causa, & ignarus belli hostis. Erat tum autumni finis, pluviisque madefactum pingue solum, viam lubricam, & difficilem faciebat. Quum Svenstrupium accessissent, proximum Alburgo pagum noctem ibi exegere. Eo intellecto, Clemens minime quietem fessis dandam ratus, simul dies illuxisset, sena rusticorum millia oppido ad pugnam educit, & emissus per paludes, postquam collem, qui Svenstrupio imminebat, occupasset, aciem sistit, regiisque copiam pugnandi facit. Arma plerorumque erant pila e fraxino, coryllove praeferrata; alii instructi sudibus, fustibus, clavis: classicum canebant cornibus, ut solebant quum armenta in pastum agerent. Haec agrestis multitudo, a Clemente in spem prae-

praemiorum erecta, animo victoriam praecipiebat. Regios praeter paucitatem (nam vix mille, & quinquaginta censebantur) etiam iniquitas premebat, nec vestigia in argilla firma erant. Tamen pugnam potius periculose experiri statuebant, quam se fugae turpiter dare. Itaque ordinata acie, ita operam partiuntur, uti frontem Dani invaderent, & Globeciani latus. Dirimebat pugnaturos ager latus, atque planus, sed caenosus, ac vix pervius. In quo equi cum sessoribus cataphractis obhaerentes, quum vix pedes e tenaci luto extraherent, aut movere etiam possent, provoluti, equites caedendos praebent. Nec Globecius, uti iussus, impetum in latus facere, verum fuga se, suosque praelio tam infelici subterducere. Magna strages edita fuit, ac nobilium plerique, quis imprimis rustici infensi erant, interfecti. In his Holgerus Rosencrantzius, Nicolaus Broccius, Andreas Hacquius, Christianus Scrammius, Ericus Flemmingius, Ivarus Iulius, Georgius Clementius, Andreas Gyldenstiernius, aliique, qui sepulti Mariagriae. Vivi in hostis potestatem pervenere, Albertus Goiaeus, Ivarus Crabbius, Franciscus Povvischius, qui Alburgum in custodiam abducti; qui evaserant variis quisque itineribus, mox Randersium sunt reversi. Inter quos Globecio iniecta manus, quod fortunam sociorum prodidisse censeretur; verum post dimissus fuit. Clemens victor, prospero initio accensis suis, arma late ostentabat, & in die singulos rebelles aucti. Multae arces territorii Wiburgensis, ac Ripensis occupatae, & direptae. Hinc Randersium adgressus, castra collocat in monte, a silicibus nuncupato, Dani Flintebiergam dicunt, verum irrito conatu, mox recessit; quum & qui e pugna elapsi, quam fortissime tuerentur, & cohortes item quatuor a Christiano missae, accessissent, nec tormenta praesto essent; quin & rustici complures ebrii, ac sine ordine, in portas impetum, velut perfracturi, facientes, magna clade sunt repulsi. Itaque fortunam metuens, quae (in bello maxime) incerta semper, & diffidens, urbem expugnari posse; audiensque etiam maiores copias adventare, retrocedit, & in via praedia nobilium exurit varia. Impune vero grassabatur, dum Lubeca obsidenda Christianus distinetur, qui mox, pace constituta, illi occurrit. In hanc operam conferebant Henricus Megapolitanus, Philippus Hassiae Landgravius; Hamburgenses, Luneburgenses. Et Henricus ipsum se interponebat; Landgravius autem, ceterique per legaos rem agebant. Vrbem arbitri ingressi, cum obsessis colloquuntur, quibus fame, atque aliarum rerum egestate conflictantibus pacem persuadere facile. Nec difficilem se Christianus praebebat, quem quum inde Stockeldorpii convenissent, pax statuta in haec capita: *Rex obsidionem solveret, nec molestus Lubecensibus ultra foret, ac vicissim ipsi Holsatia abstinerent, nec Christophoro ullam illic opem ferrent. Causa Daniae separata, & de hac pro viribus utrimque porro concertarent. Capti sine pretio dimitterentur. Nominatim Eschillus Billius cum familia universa. Damnum datum, qui praestare tenerentur, intra annum arbitri pronuntiarent. In quod quum damnati essent Lubecenses, eius gratiam Collegio sacri ordinis sodalium, precibus Dethlevi antistitis, non gravate faciendam Christianus existimavit.* Et mox animum ad recuperandum regnum sedulo vertit. Itaque quas ad Lubecam obsidendam copias sibi comparaverat, illico in Daniam ducens. Ex itinere scribit ad Gustavum adfinem, & de rebus ad Lubecam gestis nuntiat: *simul rogat, ut pecuniam, quam promiserat, solvere ne cunctaretur. Nam stipendio opus esse, quo, accepto, milites ad novum bellum, animo alacriore capessendum, ducerentur. Mariam Burgundicam nil auxilii submisisse, qua de causa ne differre adfinem vellet; eadem exspectaturus, si quandoque usus ferat.* Nec is deficit. Vicissim Lubecenses, parta pace, militem praesidiarium sub Meiero in Daniam mittunt. Addunt Sebastianum Gessenum, Friderici Saxonis nothum, equitumque turmam unam, & Ioannem Hoiae comitem, qui exercitus partem duceret. Regiae copiae, quas rex ipse sequebatur, iam pervaserant; erant equitum duo millia, queis Globeciani additi, aliique antistitum, nobiliumque auxiliares: signa peditum novemdecim; ac sufficere videbantur, quod nobilium plerique Christiano adhaererent, neque plebs aversa esset, ob religionis studium. Tum respublica per has partes satis bene constituta, cui praeerant Avo Billius, & Magnus Goiaeus, viri maxima prudentia, cum mandato, ut Arhusiae subsisterent, atque inde necessaria in stipendium, commeatum, aliaque militi suppeditarent. Duces autem copiis praefecit, viros belli egregios, Ioannem Rantzovium, & Ericum Bannerum cum aequali potestate. Hique recta Alburgum petunt, ubi Clemens, fax, & caput perduellium morabatur. Nec is diu repugnavit, sed compulsus ad deditionem fuit, segniore multo plebe, & ferocia animorum, ut in talibus evenire fere solet, languescente, trucidati, quotquot viri (feminis, puerisque parcitum) rusticorum ad duo millia cecidere. Reliqui in proximam VVansysilam se recepere; praeda ingens, & recuperatum fuit quidquid illi diripuerant. Clemens quum evadere vellet, a rustico quodam Casparo Riemanno sistitur, retrahiturque, & Coldingam ad regem mittitur, ubi sub custodia habitus, postea, pacato regno, perduellionis reus, uti suo loco dicam, dignum exitum invenit. ac Riemanno praemium, quod petiit datum, ut immunis ipse, liberique eius, villam suam possiderent. Captae etiam naves omnes, quibus Clemens vectus fuerat, aliaeque item plures, redditique libertati Albertus Goiaeus, Ivarus Crabbius, Franciscus Povviscius, pridem, uti dictum, capti. Eius quoque seu legatus, sive socius, Hermannus, eodem in australi Cimbria fato usus, atque Vardis a Ioanne Rantzovio inopinato circumventus, sociis destituentibus, interficitur. Sic rebellio ducibus sublatis, desiit, ac ne forte

CIϽ IϽ XXXIV.

forte novas sibi alibi vires, animosque repararet, missus passim in hiberna miles regius, qui principia coerceret. At Christophorus, dum in Cimbria perduelles Christianus rex persequitur, in Fionia admodum securus agit, & vocatus ad colloquium, fide accepta, confert se ad Christianum; secum ducens Tuchonem Crabbium, & Andream item Billium, quorum tunc consiliis potissimum se permittebat. Agitatum de constituenda pace, quam in primis Christianus, ut adflicto regno suo subveniret (si honeste id liceret) reparatam cupiebat. Sed Christophorus postquam ventum ad conditiones fuit, periniquas postulabat. Obferebat Christianus non exiguam pecuniam, ea pacem, quam humano sanguine, recuperare satius ducens. Verum ille recusabat, & concessa ipsi Cimbria, restitui Norvagiam, Scaniam, Sialandiam, ac Fioniam, ac minores quoque insulas a Christiano cupiebat. Verum nec senatui, nec Christiano id placebat, neque expedire visum, ut divelleretur regnum, quod unius hactenus imperio administratum. Neque amicitiam inter duos certam fore, ac perpetuo horum odio subditos commissum iri; partem alteram utroque, velut suam, vindicare conaturo. Itaque infecta re, Christophorus, quum in Fioniam rediisset, operam dat, ut traiectu Christianum prohiberet, ac praesidium Middelfarto adverso imponit, submovetque ex utroque littore naves, ne transmitti miles posset. Tum in fide oppidanos ut contineat praemium ducibus pollicetur; neque quidquam, quod putaret facto opus, praetermittit. Inde Hafniam contendit, iussa illuc convenire Sialandiae, Scaniaeque nobilitate. Quae quum frequens mox adesset, illico in arcem vocat; atque collaudata fide, & obsequio illius, postquam suum etiam in ipsum studium, operamque in rem publicam impensam multis verbis praedicasset, tamdem egestatem exponit. *Et pecunia opus esse ad stipendium militi repraesentandum; se in regnum omnia iam expendisse, & a sociis, qui exhausti satis essent, belli sumtum porro postulare grave. Itaque conferrent torques, & armillas, item mundum muliebrem, & argenteam supellectilem universam, unde numi cuderentur. Haud sperare aegre illi id futurum, quum de reipublicae salute agatur; quae si nunc destituatur, sibi probrum, ipsis exitium impendere; ac ni postulata faciat, metuendum ne imperio spreto, miles omnia in praedam vertat.* In ancipiti versabatur, & iniqua hinc exactio varie exagitabat, inde minae perterrebant. Itaque pecuniam ingentem obfert, & excusat coniugum, ac filiarum extorquere ornatum velle, admodum iniustum esse, insitaque a natura caritate prohiberi apud gentes, quae humanitatem colant, rata haec donatione sicut tribui, ita quoque conservari. His Christophorus persuaderi sibi passus, in pecunia adquiescit. Inter quae Georgius Malmogiae consul, Hafniaeque item Ambrosius, cum Octoviris, recens lectis, populique multitudine, per tumultum in arcem irrumpunt, & admissi in senatum de proceribus conqueruntur. Horum culpa concitatum bellum esse, atque regem Christiernum, quod in plebem magis animo propendere videretur, de regno exsutum, in custodia detineri. Sed Christophorus, quiete oppidanis imperata, sibi curae ipsos fore pollicetur, atque sic componit motum. His digressis, de hac populi insolentia senatores conqueruntur. *Se, ut iussi convenisse, nec putasse, ut periculum aliquod obiiceretur, nam ex quo dedissent fidem, numquam eam ulla in re violasse, neque populum laesisse. Haud iniuria metuere, ne quid mali, quum in urbem reverterentur, ab infestis sint passuri. Ideoque aequum esse, quum obsequium ipsi suum ostendisent, ac tam promte accessisent, uti eos tueatur.* Respondere hic Christophorus, pridem, *hanc querelam populi de senatu accepisse, nollent tamen, aut irasci ob illatam, quam censebant, contumeliam, neve mali quid metuere, se primores compellasse, ac mandasse, uti a vi abstinerent.* Quibus verbis quum dissimulandam hanc iniuriam existimarent, mox digressi inter se constituerunt, ut deinceps ad conventum istiusmodi non accederent, neque illi, populove imprudenter se committerent. Vix reversi domum quisque suam erant, quum furorem populi experiuntur. Nam accepta rusticorum in Cimbria clade asperatus, uti vires adhuc sibi formidabiles imminuerent, tota passim Sialandia, Scaniaque impetum in praedia eorum facit, diripitque, ac coniungere se miles itidem in praedam intentus, quosdam e proceribus abducunt captos, aliis ingentem pecuniam extorquent, connivente ad haec omnia Christophoro; qui infestus etiam ipse, quod exercitum Gustavi tum in Scaniam adventantem, quem a Christiano pridem advocatum ignorabat, ab his in se accersitum, existimaret. Erant equites septingenti, peditumque signa quatuor: quumque in propinquo esse eas copias intelligerent, & incedere lento gradu, mittunt illuc Ioannem Turonium, & Laurentium Sigesonium, qui rogarent, uti maturare vellent; nam in finibus Hallandiae hactenus se continuerant. Et Warbergam postquam frustra aliquoties oppugnassent, pluribus suorum caesis, tamdem Claudius Billius, & Trugotus Vlstandius effecere, uti oppidum, arcemque dederent praesidiarii, & in regis Christiani nomen iusiurandum darent. Hinc Halmstadium procedentes, quum bis frustra id expugnare tentassent, & successu desperato castra quoque incendissent, atque retro pedem ferrent, mox praesidiariorum, civiumque laeto cantu, quo in moenibus pro victoria Deo agebant grates, irritati, denuo ad oppugnandum magno animo revertuntur: Quod quum oppidani cernerent, & extrema iam metuerent, uti animos obsidentium explorarent, mittunt consulem sciscitatum, cuius nomine oppugnarent ac cui dedi vellent; quumque Sveci responderent: Regi Daniae designato se auxilio missos esse, atque ei dedi velle; illico promittit consul, se, urbem-

CIↃ IↃ XXXIV. bemque in eius potestate fore: neque Regem alium cupere, quam quem Regni Senatores statuissent. Ita deditio facta, & in verba Christiani iusiurandum item datum. Haec dum fiunt, ad Christophorum advenisse Svecos fertur; qui periculum in Scania minime negligendum ratus, praeter peditum signa quatuor, quae Lubeca tum accesserant sub Marco Meiero duce, quinque alia, quibus praeerant Ioannes Hoiae Comes, Michael Bliccius, & Olaus Giglerius, illico traiicere iubet; atque Svecos, ne procederent ulterius, Scaniae in limite sistere. Insuper Coquus, cum Malmogianorum civium signis tribus, sese iungeret, atque simul ad Halmstadium liberandum omnes irent. Sed deditione facta, uti dictum postquam serius accessissent, iamque fines Scaniae ingressum hostem comperissent, metu acti, nec equitibus se Svecis pares esse arbitrati, ad inferiora Scaniae agmine citato redeunt. Inter viam, ne tormenta, quae adduxerant, festinantes inhiberent, aut in hostis potestatem pervenirent, alterum ad Engelholmum amne mergunt; alterum, iniecto nimio pulvere nitrato, rumpunt: Ac Christophorus, nec dum rerum ad Halmstadium gestarum satis gnarus, post pedites praemisisset, cum equitibus subsequi Gessenum iusserat. Verum is, an sua sponte, an Christophori mandato ignoratur, quum Landscroniam accederet, & nobilium equitibus iungere se iussus esset, Lundiam ad praedam abit: Ac supremum Daniae Antistitem Torbernum Billium sub custodia abducit, & mox Helsingburgum mittit in Coenobio asservandum. Inde quum Landscroniam se contulisset, hanc in potestatem cogit, civibusque obsequium mandat. Quumque dies advenisset, quo Nobilium illuc equi convenire iussi erant, ac praemissi ab his forent, qui hospitia metarentur, equites Gessenus suos, veluti honoris specie, urbe educit; pedites in praesidium relinquit. Verum emanavit dolus, & occurrit qui Nobilibus nuntiaret, id Gesseno a Christophoro mandatum, uti manum his iniiceret, Hafniamque captos mitteret. Fidem index merebatur, & insidiae apparebant capto iam Torberno Billio, a quo inchoatum erat, quod in ipsis mox perficiendum foret. Ac Gessenius porro manifestum fecit, cum innotuisse dolum arbitratus in calones, qui in urbem ad hospitia praeparanda missi erant, sarcinasque, iram vertit, ac diripere cuncta iubet: Inde veluti ignarus noctu redit. Hoc perfidiae exemplo, quum periculi, in quo cuncti versarentur, magnitudinem nobiles considerarent, qui quingenti tum convenerant, duce Axilio Braheo signifero Christophoro Hvitfeldio, aliud consilium capiunt; & Landscronia relicta, Veiam petunt; inde per Gothorum oberrant territorium, & vicinos illi pagos, dubii an domum quisquis iter suum, an Warbergam, Aggershusiam, aut Bahusiam instituerent: Hic tantisper substituri, dum spes melior affulgeret. Inter quae quum copiae Sveciae advenisse dicerentur, Scaniam non deserendam esse statuunt: & ablegant qui descendere in inferiora eius hortarentur, seque illuc statim quoque accessuros nuntiarent. Hi responsum postquam gratum retulissent, mox Christophoro renuntiant: *quando fidem prior ipse violasset, nec deinceps illam a se expectaret. Captum maximum antistitem, & insidias sibi quoque structas esse, ipsum in Daniam, non indicto, uti oportebat, bello, accessisse, & invitos ad dicendum Christierno Sacramentum compulisse. Nunc videre imparem tuendis esse: ea propter aliud praesidium quodcumque promptum quaesituros.* Neque mora; quin se Svecis iuxta Engelholmum iungunt; ubi obstricta mutuo fide, nomine Christiani bellum se gesturos pollicentur. CIↃ IↃ XXXV. Inde in hostem, qui Halmstadio digressus Helsinburgum se receperat, simul tendunt. Nam Hoianus, & Giglerius, pridie in Sialandiam transfretaverant. At Meierus, Coquus, Bliccius illic sibi locum ceperant, atque arcem, quam tenebat Tucho Crabbius, astu capere nitebantur. Sed quum frustra semel illud, iterumque tentavissent, neque successisset dolus, castra in oppido, & vicino coenobio locant; certi quavis ratione expugnare. Neque id latebat Crabbium; nec quid sibi, si ex voto res succederet, immineret. Itaque suos convocatos sic compellat, se Christophoro sacramento obligatum, nec inficiari posse, ac perseverasse in fide, nec fuisse deserturum. Sed quid agat, manifestum. Nempe non ut sint incolumes, cum uxoribus, liberisque; verum ut proditi, ad ludibrium hostium, & tandem necem pertrahantur. Id haud dubie Coquo certum, aliisque, qui insidiae postquam minus processerunt, etiam vim arci parant. Itaque rogatos cupere, ut periculum, quod impendat, summa animi fortitudine propulsare secum velint. Non se ipsis defuturum, ac paratum omnia extrema pati. Illis fidem promittentibus, Casparo Frisio turrim superiorem mandat, ipse arcis inferiora defensurus. Iam itinere diei Sveci, queis se Scani iunxerant, Helsinburgo urbe aberant, quum deliberare duces, an subsisterent, an progrederentur ultra. Etenim incerti erant, an Christophori in fide Crabbius perseveraret, an laturus opem foret. Ac vicissim angi Crabbius, & extrema pertimescere, si Meierus, atque Coquus arce per vim potirentur. Itaque proceribus Danorum visum, uti castra ad urbem ducerent, impetumque ex superiore loco tutius in hostem facerent. Vespertino autem tempore quum ad arcem accessissent, noctem eam per quietem exegerunt. Nec postridie quid conati, non nisi refecto milite oppugnandum hostem rati. Tum a Crabbio noctu quidam nuntiare, eum pariter oppidanos invasurum, & cum Svecis atque Danis vires suas coniuncturum. Quod quum laetum ipsis esset, tertio die oppugnare urbem incipiunt, & in potestatem redigunt. Caesi Lubecensium universi; caeterorum vero pauci superfuere: Inter hos Meierus erat, Blicciusque antea commemorati, & Christophorus item Hoccius, ac Petrus Gelrius, Ducis Geldriae filius nothus. Coquus vero, qui

CIↃ IↃ XXXV. qui eventum, ceu sinistrum, praesagiret, scapham sibi praesto esse in portu iusserat, clam Malmogiam evaserat. Captivi varie in custodiam distributi. Gelrius Heccebergam missus, unde mox, discissis linteis, se subduxit. De Meiero, Sveci ac Dani contendebant: nam victoriam eam Sveci, quia numero superabant, suam facere; ideoque ad Gustavum suum Regem mitti illum oportere. Dani autem, eum in coenobium elapsum fuga, fidei ipsorum sese permisisse dictitabant, & accedere vox illius, protestantis, vitam perditurum potius, quam se Svecis dediturum. Itaque diremta lis est; placuitque ut Warbergam mitteretur, hic tantisper adservandus, dum de eo inter Reges conveniret, utri demum traderetur. Insuper cautum, si in Sveciam postea mittendus esse videretur, uti vitam salvam haberet. Sed is postea Warbergam arcem occupat, seque in libertatem vindicat. Nam praefectus Trugotus Vlstandius, cuius fidei traditus erat Virum belli laude clarum, ut virtutem honorare se ostenderet, imprudenti comitate, laxe habet, quin, obstrictum iu ramento, uti animum oblectaret, etiam venatum ducit. Ac tum quidem oppidani a praefecto diffidebant, & Christophori iterum partes sequebantur, Quo dissidio permanente, nihil molitus Meierus, se in fide, quam dedisset, continebat; tandem efficit, ut praefectus, & urbani, inter se conciliati, belli finem otiosi expectarent: libera interim inter utrosque commeandi in arcem, & oppidum potestate. Istis ceu induciis sic constitutis; mox Meierus sacerdotem, sacra in arce facere solitum, clam corrumpit, ac persuadet, ut Germanos quosdam milites sibi conciliaret; qui de arce ex insidiis invadenda cum urbanis conveniret. Et successum dolus habuit: cum promissis quam amplissimis, & spe luculentae praedae animi ad facinus erigerentur. Itaque paratis scalis, quas e funibus confecerant, & appositis ad fenestras, quae Meieri ad conclave pertinebant, milites praesidiarii mox octoginta adscendunt: & admissi a Meiero, in multam lucem occultantur: ac praefectus nil insidiarum veritus, postquam arce ad visendum quoddam in propinquo praedium, usitato comitatu excessisset, ex insidiis Meierus impetum in portam facit, &, custodibus interfectis, eam claudit. Tum praesidium, quod in arce, ac praefecti famulitium, contrucidat; pauci in turrim evadentes neci se eripuere Mox praefectus quum rediret, & occlusa sibi porta, aditu prohiberetur, effracturus malleos & trabes poscit. Dum molitur, clamant, qui in turrim evaserant, milites, ex urbe armatos propere ad arcem accurrere, admonentque ut periculo se subduceret. Itaque desistere coactus, aequum inscendit, & evadit. Meierus capta uxore Vlstandii, liberisque, praedam ingentem adipiscitur. Nam cum ipse, tum vicini quoque nobiles, res hic quasque magni pretii, veluti tutissimo loco, deposuerant; & in inprimis Axelius Goiaeus plurimum detrimenti accipit. Christophorus, recuperata in hunc modum urbe, & arce, ut deinceps tueretur, mox navigio commeatum illuc mittit. Vlstandius, captivitate coniugis, & liberorum consternatus, dubiusque, quo se verteret, ad nobilitatem Scanicam, quae post pugnam ad Helsinburgum copias abduxerat Lundiam, se recepit. Antequam accederet tamen, Christophorus Hvitfeldius ad Christianum missus erat, qui successum praelii ad Helsingburgum nuntiaret. Tum in fidem eius Scaniae magnam partem rediisse: redigique universam facile posse, si auxilio unam legionem mitteret. Malmogiam, Landscroniamque, hostium praesidio adhuc teneri, contra quas maiores vires adhibendum. Reliqua oppida, plebemque iam reductam ad obsequium, proceresque operam fidelem ei, ad recuperanda cetera, navaturos De Warberga autem amissa, quod nesciret, nil memorare poterat. Christianus, in negotio magni adeo momenti, nil cunctandum arbitratus, Legionem quam petebant, statim mittit sub tribuno Alberto Belficcio, viro rei militaris perquam gnaro. Isque postquam in Hallandiam adpulisset, sine mora Lundiam ducit. Regii ad illud tempus nil nisi praedam agebant. Et Malmogiam pariter, Landscronamque varia excursione divexabant. Sed hac legione aucti, ad utramque obsidendam animum vertunt, ac Landscroniam Holgerus Vlstandius, & Magnus Gyldensthernius cingunt; ad Malmogiam Tucho Crabbius, Axelius Braheus, item Axelius Vgerupius, ac Canutus Bildius, aliique e nobilitate Scaniae, qui se iunxerant, castra ponunt. Landscroniae vero primo accessu pars cremata, pecoraque amplius quingenta abacta. In praesidio inerat Reimarus Valdius cum peditibus quingentis, & equitibus sexaginta: qui quum fortiter obsessoribus repugnaret, in menses aliquot tracta obsidio. Qui Malmogiae adsidebant, cum initio agris ante devastatis, molas quoque incendissent, etiam nobilium aedes quae in urbe, oppidani, ut ulciscerentur damnum, populati, inde solo aequavere, oppidoque permunito, itidem obsidionem plusculum substinuerunt. Dum in Scania haec aguntur, iterum Christophorus in Sialandia convocatis ad provincialem curiam universis, flagitat subsidium belli, vim pecuniae ingentem. Sed quod darent, antea direptis rebus, vix supererat. Queri omnes, quamvis pretio non exiguo fortunarum incolumitatem nuper redemissent, tamen, contra datam iis fidem, a militibus, atque plebe, per vim spoliatos. In his Anna Rosencrantzia [a], magnae dignitatis foemina, quaeque in aulis trium Regum gynaeceo praefuisset, cum liberius ob acceptum detrimentum indignata, summam militum insolentiam verbis acribus incusasset, & hac ratione numquam Christiernum, viva se, ad regnum esse

(a) *Anna Rosencrantzia*) Ita etiam vocatur Cragio *pag.* 80. Sed mariti hoc fuit cognomen, Holigeri Rosencrantzii, iam pridem defuncti. Ipsa ex Meinstorpiorum gente, partem habuerat Henricum, Virum sub Regibus Christiano I. & Ioanne clarum. Hinc rectius Hvitfeldio *Anna Meinstorp* dicitur.

CIↃ IↃ XXXV.

esse rediturum libere pronuntiaret, irruunt in eam plures, & vel sola ab aetate venerandam, crudelissime interficiunt: occisuri etiam duas, quae cum ea erant, virgines, Annam, Sophiamque Globias; ni miserti, ob aetatem, speciemque, quidam nobiles Christophori in supremam eas turrim abduxissent. Et Christophorus sedato populi motu, ac concessa detestandi sceleris impunitate, universis rei tam atrocis metu consternatis, obtinet quod postulabat. Itaque nobilibus pecuniam quum imperasset, decimum ex plebe quemque in militiam conscribit. Christianus, etsi minime ignarus, quantum his Christophori vires augerentur, tamen, Cimbria pacata, & recuperata pene omni Scania, in spem Regni totius recipiendi animo erigebatur; nec immerito. Etenim Christophorus, quae sine ulla iusta causa coeperat, quum superbe porro se gereret, nec suorum in devictos insolentiam coercere curae haberet, in perniciem ipse suam iusto Numinis iudicio, quamquam inscius, ferebatur. Nec sciebat, populos per vim subactos ulla magis ratione in obsequio retineri, quam humanitate iuxta, & iustitia. Quia vero nec Malmogia, neque Hafnia, in angustiis freti sitae, satis arcte obsideri, hostibusque eripi possent, ni navigio commeatus invehi prohiberetur, Christianus, quum in hostis potestatem post deditionem Hafniae naves suae devenissent, uti classem compararet, in Belgium, Angliam, Scotiamque Petrum Suabium ablegat, nec auxilii tamen quidquam ex his locis impetratum. Apud Mariam, quae ex foedere aliquot suppeditare tenebatur, inita cum Palatino, qui Dorotheam, uti dixi, Christierni filiam uxorem duxerat, amicitia praevalebat. Quin haec contra ad Senatum ablegabat Georgium Austrium Brixiae Episcopum, Equitemque aurei velleris, & Consiliarium Caesaris, Carolum Bredovium; nuntiatque, elocata Friderico Palatino, nunc Dorothea Christierni filia maiori natu, eum ideo Daniae Regem designatum; aliaeque in rem eamdem ad Senatum literae Barcinone datae. Anglus de his, quae cum Lubecensibus ipsi intercesserant, compellatus ut pecuniam mutuo datam fatebatur, ita foedus cum his aliud, quam quod dudum habuissent, contraxisse inficias ibat. Tum adfirmat, neque Christiano se, nec ulli Principi obfuturum; & cuivis, uti suum ius usurpet, liberum fore. Quo ancipiti responso, quum nil esset, quod sperare certo posset, percunctantem, anne Christianum, an hostem adiuvare statuisset, verbis item ambiguis aeque incertum mox dimittit. Scotus vero rogabatur, uti militis suo in Regno conscribendi, & in naves imponendi potestatem largiretur: Tum uti Anglum, qui necessitudine obstringebatur, ad colendam amicitiam, atque pacem conservandam hortaretur. Sed nec is auxilium ullum, tamquam consanguinitatis vinculo, designato, & captivo Regi, iunctus, permittebat; minime decorum dicens, ut ad opprimendum alterum, vires alteri aliquas suppeditaret. At missurum mox ad Anglum, & suasurum, ut benigno in Danos animo esse velit, nec hostile quid conetur. Etiam ad Lubecenses exploratum, quaenam belli causae forent, & consilia ad restituendam pacem collaturum. Sic desertus, ac haud satis etiam tutus, suo Marte bellum gerere cogebatur, ni naves dux Borussiae Albertus, & Gustavus quoque Svecus tempore tam necessario submisissent, promtiores, quo ipsi periculo propiores essent. Ablegati ad Svecum erant Ago Lungius, & Ivarus Iulius; qui hiberna navigatione postquam in Norvegiam, uti iussi, adpulissent, & mandata, quae habebant, regni senatoribus exponere vellent, vehementer angebantur; siquidem nec brevi tempore convenire illi poterant, neque moram longiorem res, tempusque permittebant. Tamdem, ubi Claudium Billium, regis Christiani rebus operam in Scania praeclaram admodum navasse, & in eum propendere comperissent, huic negotium committunt. Postulabant autem senatores Cimbrici a Norvegis, Olao Archiepiscopo Nidiosiensi, Magno Hammerensi Episcopo, & Ioanne Asloensi, Nicolao Luccio, Vincentio Lungio, Martino Crabbio, Guidone Gallio in rege eligendo ne diffiderent, se constituisse sibi Christianum, ipsis quidem inconsultis, sed necessitate actos, non diverso ab his studio, nec officium neglecturos in hoc etiam fuisse, & consensum rogaturos, nisi tempus, hoste in Daniam praeter exspectationem irruente, hoc propositum exclusisset. Neque regis poenitere eius posse, cuius & potentia sat magna esset, & fortuna item prospera; quique res felicissime in provinciis plerisque gessisset. Summa quaevis ab hoc eos exspectare oportere, & immunitates omnes, atque iura, si pacatum olim regnum consequatur, firma, turum. Quam ad rem auxilium si ferre vellent, & in Cimbriam naves mitterent, quibus copiae regiae transportarentur, cum facturos ex officio, tum a rege Christiano magnam gratiam inituros. Quae quum Bildius se acturum cum Norvegiae senatoribus promisisset, ipsi in Sveciam perrexere, responsum in reditu petituri. Nidrosiensis quum Danorum postulata ex Claudio Billio accepisset, mox comitia indicit, in Dominicam sacrosanctae Trinitati a maioribus consecratam. Interim autem dat in Daniam literas ad Agonem Billium praesulem Arhusiensem, & Magnum Goiaeum, quibus & sententiam quodammodo aperit, & exponit pronam in electum regem voluntatem. *Pridem studium haud exiguum declarasse, quum illius eligendi plenam potestatem faceret, & Norvegici senatus, de hoc ipso voluntatem, ac consensum indicaret.* Id ex literis, quas Eschillo Billio dederant, sat constare potuisse, nisi eum Lubecenses imprudentem intercepissent. *Animum eumdem sibi, nec mutare; sed tam subito, nisi prius convocatis senatoribus, nil omnino statui posse. Diffidere Daniae proceres, ac nonnullos iam suasisse, ut Christophoro, qui pro rege Christierno arma ceperat, adhaererent. Velle tamen, ut deinceps bene de re summa sperent. Quod ad naves, quibus miles transpor-*

CIↃ IↃ XXXV.

portetur, obtineri difficulter eas posse. Nam earum Norvagis ultra montanis copiam haud magnam esse. & a Dania remotis; longam item navigationem fore, tum, & iure veteris immunitatis licitum cessare ipsis, quovis bello urbium Vandalicarum, seu cum Danis, seu cum Norvvagicis montanis id geratur; neque id emporia Bergensia sinere, quae sine pernicie extrema ultramontanorum nequeant interpellari. Haec scribebat animo iam in Christiernum propendente; nam ad eum etiam de Palatino literas Imperator dederat. Ideoque a Christiano alienus, in hunc totus inclinabat. Quod quum minime Cismontani ignorarent, ut propositum impedirent, principio comitia differri petunt in vicesimum quartum diem mensis Iunii, Ioanni Baptistae sacrum, ac deinde plane convenire nolunt; denique consentiunt in Christianum, iam a Danis constitutum. Quod ne temere tamen factum videretur, apud Metropolitanum se excusant, cur adesse ad comitia minime queant. Viam enim longam esse, ac difficilem, neque moram rem permittere; insuper inique ferre, quod in gratiam Nicolaum Luccium iam recepisset, quem incestus manifestum adeo omnes aversentur, ut admittere in consessum prorsus nolint. Ad has literas addunt, & earum exemplum, quibus fidem Christiano obligarant. Hoc aegerrime Metropolitanus ferens, in dissidium palam abit, & in partes etiam ultramontanos suas trahit. Cismontani nihilominus literas, quas memoravi, Claudio Billio transmittunt, cui consilium aperiunt, atque rationes addunt. Isque rursum Axelio Brahaeo tradit, aliisque senatoribus, qui tunc Lundiae agebant; inde in Cimbriam transmissae, ad Episcopum Agonem Billium, & Magnum Goiaeum. Dum haec fiunt in Norvagia, etiam tum Malmogia, Landscroniaque obsidentur, Scanicarum copiarum summo duce Tuchone Crabbio, a Christiano constituto. Verum nihil magnae rei gerebatur, modo hostes irruentes oppidani, ac vicissim erumpentes oppidanos forti manu obsessores propulsabant. Inter quae quum Nicolaus quidam Contius, quam fortissime ad Malmogiam dimicasset, plurimosque ex obsessis cecidisset, Tucho Crabbius, ut virtuti praemium apud se paratum, aliosque ad eamdem excitatos item velle, omnibus testatum faceret, in aperto illic campo, toto inspectante exercitu, equitem auratum creat, recipitque inter nobiles, & id tuba totis castris promulgare item iubet; quamvis illi honos iste minime diuturnus fuit. Nam cum velitatione proxima in fugam sese, suo metu, non periculo, quam turpissime coniecisset, contra, coram toto exercitu, pariter dignitate equestri, & nobilitatis honore exsutus fuit. Claro utrobique exemplo honoratae fortitudinis, & ignaviae castigatae. Quum hae urbes fortiter obsidionem tolerarent, proceres Scanici id conatu omni agere, uti populi effectum a Christophoro derivarent. Quod is maxime indignatus, quum in ipsos nihil posset, iram in Sialandos vertit. Etenim omnes defecturos subspicatus, ut consilia clandestina impediret, non dumtaxat Hafniae quos detinuerat, capere iubet, sed & reliquos tota passim Sialandia habitantes. Quique comprehensi essent, mox Malmogiam transmissi, & initio laxa sub custodia habiti, postea in carcerem coniiciuntur. Magno certo imprudentiae exemplo, ac pernicioso sibi, summam per iniuriam exadsperabat quos benevole devincire debuisset. Et exinde res eius in Sialandia, (cunctis sibi malum aliquod metuentibus) perturbatae. Misera tunc procerum conditio erat, & haud pauci fuga sese, quoquo possent, subducebant. Nec cuiquam in publico versari tutum, ita carcerem universi metuebant. Inter alios Ronnovius Roschildensium Episcopus, amicitiae Christophori, etsi pretio redemtae, haud confisus in Serum insulam se recepit. Atque inde impetrato a Christiano commeatu, Cimbriam petit, &, ad eum, mox accedens, fidem illi suam obstringit. Quod Christophorus ulturus, statim arcem Hiortsholmiam, ad illius dioecesin pertinentem, arcte obsidet, & expugnat. Petrus Godscius tuebatur, vir ut animi intrepidus, ita fidei exploratae; sed obsidionem postquam aliquamdiu fortiter substinuisset, dedere tamdem, vita ac fortunis salvis, cogebatur, gratiaeque a Ronnovio, & Collegio Roschildensi universo illi actae, literaeque item datae, operae praeclarae testes. Potitus arce hac Christophorus, quum terrorem omnibus incussum iri existimasset, atque contra eveniret, circumferre bellum coepit. Moxque Ioannem Hoianum, cum non contemnenda manu ad Draxholmiam obsidendam amandavit. Ea itidem arx erat, opere, & situ munita, quam Ronnovius etiam ad se pertinentem, Hilarii Hardenbergii fidei commendaverat. Exiguum praesidium erat, quod Canutus tamen Rudius, aliique e nobilitate quidam, qui securitatis causa huc concesserant, maxima virtute sua firmavere. Oppugnatum, & repugnatum summa utrimque animorum alacritate. Tamdem quum penuria annonae obsessi premerentur, astu usi, obsidentium spem eludunt; postquam sues, & oves, quae restabant, prope muros adduxissent, feriendo tum grunnitum tum balatum exprimebant. Quo audito obsidentes, ceu abunde illis commeatus superesset, desperata expugnatione abeunt, & obsidionem solvunt. Hinc Callundeburgum petunt, velut magis rebus suis opportunum, atque castra circumponunt; neque multo post expugnant, & Hermanno Longo tradunt, fratri Christophori naturali. Inter ista Christianus, quum Coldinga, Haderslebia, & Flensburgo, naves aliquot contraxisset, militum suorum quosdam in Fioniam transmittit. Quod quum hostes comperissent undicumque congregati, inter urbes Midellfartum, & Othoniam se obiiciunt. Acriter initio pugnatum fuit, sed Germani primi fugere, mox & rustici regiique tamdem vincunt, & Assenium, quo confugerat victus hostis, illico obsessum eunt. Sed nequidquam id tentatum, quum Germani de-

CIↃ IↃ XXXV.

ni desperatione veniae, obstinate repugnarent. Nec tum quidem quum e Cimbria novae copiae accessissent, capi quitum. Lubecenses eo rerum statu accepto, ne conatus intercideret, iam subveniendum suis arbitrati, novum sibi ducem legere, novas copias transmittere, geminamque item classem comparare statuerunt. Dux Albertus Megapolitanus legitur, qui Christophorum uti nominis splendore, ita quoque dignitate superaret. Cui uti persuaderent, proponunt necessitudinem, quae cum Christierno illi intercederet, siquidem uxorem haberet eius ex sorore neptem, Septemviri Brandeburgici filiam. Etiam spem regni ostendunt, praemiique amplitudinem. His adductus, non difficilem se praebet, & in Daniam contendenti comitem se Textor addit. Verum, quamquam Lubecenses novas sibi comparare copias constituissent, nihil tamen praeter peditum signum unum, equitesque quadraginta eo tempore submisere. Et Albertus plurimos venaticos adduxit canes, retiaque feris, quibus sylvas Danicas abundare haud ignorabat, capiendis: Instrumenta potius venationis, quam militiae. Ea res Christophorum habebat pessime, ac se infra ducem positum maxime indignabatur. Itaque obsequii insolens, cum, ut arce Alberto cederet, nenuquam induci posset; aula illi Episcopi inhabitanda adsignatur. Inde orta aemulatio, &, ut solet, mox dissidium; quod Lubecensium fortunam, quam firmatam cupiebant, magis etiam labefecit. Nam imperium uterque, alter meritis, alter dignitati debitum vindicabat. Ac divortium animorum auxit Textor, dum instituit solvere milites sacramento, quo se Christophoro obstrinxerant, & Alberto obligare: nec Christophorus ullo modo id permittere, sed praefracte adversari, nec adduci, ut priusquam bello impositus finis esset, dato sibi iuramento quemquam absolveret. In hunc modum inter se, & Lubecenses convenisse, uti rerum penes ipsum summa foret, nec imperium in quemquam, antequam confectum bellum, transferretur. Neque sua etiamnum aliquid culpa evenisse, quo res peius se haberent, & iniquum se contemto, alterum in praemii spem advocari. Textor quum de praemio contendi maxime intelligeret, obfert ei Episcopatum Roschildensem, quaeque ad dioecesin eam pertinerent universa. Magnum praemium, nec spernendum quamlibet ambitioso, nisi regno inhiasset, cuius quum cupiditate accensus esset, redigi se ad obsequium haud ferebat. Itaque Textor quum nil aliud expedire ipse posset, hoc constituit, ut aequali ambo potestate essent. Neque multo post advehitur classis gemina, quarum una fretum intrat, quod iam ante Lubecenses occupaverant; altera vero mare Balthicum ingressa est, qua Fioniam, Sialandiamque interluit. Quae in fretum se receperat, in extraneorum naves pro libidine grassabatur, maxime infesta Hollandis, quorum naves septuaginta magno exacto vectigali, quam gravissime divexavit. Neque satis illud visum, quin, ceu praedam, inde invasit, & diripit. Quod quum proceres Scanici mox accepissent, regno indignum arbitrati, eius maximum vectigal sic ab hoste interceptum, monent regem daret operam, ut recuperaret fretum, ac commercia vindicaret; quod facilius etiam posset, dum Albertus, & Christophorus inter sese dissiderent. Ea nunc itaque occasione utendum esse. Et adgnoscere recte monitum Christianus, sed impediebat hostis, ne id tunc praestare posset, nam quae classis mare Balthicum, (uti dixi) obsidebat, copias ad Neoburgum, ut Fioniae laboranti subveniret, exposuerat. Has ducebat Nicolaus Teckelburgicus, iisque suas Ioannes Hoianus adiungebat. Tum imperium partiti, evocant militem, in praesidia distributum, ac, confectis peditum vexillis novem, equitumque turmis quatuor, mox cum his in hostem tendunt, & Othoniam in itinere populantur. Amnis extat media fere inter Middelfartum, & Assensium via; ad hunc ponere castra placuit. Nam & equites regiis auxilio advenientes e Germania commode intercipi hic posse visi, & eorum commeatus prohiberi. Tum & in propinquo Assensium, ubi tria peditum signa, quae si usus ita ferret, ad auxilium evocari facile possent. Haec dum agitant, Rantzovius regiorum militum ductor, Foburgum cum equitibus centum petiisse nunciatur. Ea re consilium mutant, & ad intercipiendum, dum rediret, animum vertunt; rati ut res habebat, si hoc forte potirentur, regios, amisso duce, facile in ipsis castris opprimi posse; & Fioniam universam redigi in potestatem. Sed Rantzovius, qui periculum praevideret, quum ductorem viae gnarum adscivisset, itinere diverso, noctu ad suos rediit. Iam exercitus uterque adeo propinquus erat, ut necesse plane foret, aut pugnare, aut in fugam se convertere. Neque regii pugnae aleam detrectabant. Verum dolo experiri hostis malle; itaque Ioannes Hoianus, & Gustavus quondam Metropolitanus Vpsalensis, summo mane dormientes adhuc regios adoriri statuerunt, quod Assensibus quoque indicatum; uti ipsos advenientes conspicati, urbe erumperent, & a tergo oppugnarent; ita facto utrimque impetu regios facilius profligaturi. Ea nocte, qua consilium illud captum erat in coenaculo sacerdos quidam a Metropolitano captus, sed is negligentius tunc custoditus, clam evadit, & reperta in propinquo littore scapha regiorum castra advectus, quae constituisset hostis, palam fecit. Quis Rantzovius compertis, statuit, incensis castris, copias in hostem ducere. Eo facto, quum se in altum tolleret flamma, conspicati Asseniani, dubiique an incensa fortuito igne castra, an consulto ipse incendisset hostis, & insidias struxisset, haud exire oppido ausi, quievere, idque bene ipsis vertit; nam Christophorus Feltenius, cum adiuncta equitum turma, excubare iussus erat, ut exire cupientes inhiberet. Quum iam dies illuce-

ſceret, uterque exercitus ad Aſſenſum convenere. Mons eſt leni iugo adſurgens medio ab urbe lapide, Dani Oxenbiergam vocant; quem praeoccupantes hoſtes, ſe in eo, cincta curribus ſuis acie, muniere. Regii autem, qui munitionem iſtam metum interpretabantur, ad pugnandum etiam magis accendi. Mons dumtaxat praelium difficile efficiebat. Itaque Rantzovius tormenta omnia convehi ſub illum iubet, & ignitos his in hoſtem globos iaci, eo modo cogi ipſum in camporum plana poſſe arbitratus; aut futurum, ut aperta in montem via, aequo pede dimicarent. Ioannes Hoianus, ut id agitari ſenſit, gladio cadere, quam tormenti ictu caedi, glorioſius arbitratus, tendere in hoſtem iubet. Prius tamen experiri viſum fuit, anne equites facto in tormenta impetu, occupare illa poſſent; quae res cauſa cladis fuit; etenim equitibus inordinate concurrentibus acies perturbabatur; ac inſerti ſclopetarii, ut maiorem regiis inferrent ſtragem, deſtituti, neque ſequi equos validi, reſtitere. Tum & reliquum peditum agmen lateri equorum ſecum obvertere initio coepit. Tum nonnihil fatigatis antea equis, equites accurrere ad pugnam iuſſi, quod in feſtinatione ſpem victoriae duces ponerent. Contra autem regiis cunctatio profuit; ac progreſſi lento gradu, integras ad pugnam vires adferebant, neque equos antequam ad teli iactum ventum eſſet, incitabant. Addidit Feltenius metum, qui fervente mox certamine, cum ſuorum equitum ala ſuperveniens, quum reſtare etiam plures, ſeque feſſos impares recentibus exiſtimarent, equitatum univerſum in fugam egit. Peditatus, qui ſedato gradu inceſſerat, neque ordines turbaverat, multo acrius reſiſtit. Dum ab equite deſtitutus, & disiectus vehementi tormentorum exploſione, tamdem etiam fugere coactus fuit. Caeſi multi, capti peditum millia quingenti, & in illis centum e nobilitate. E centurionibus clariſſimi quique in poteſtatem pervenere. Reinmarus Valdius, Ioannes Saxo, Toſſius, ac Iuſtus Fuldius, aliique item plures. Michael Lunovius ſummus peditatus ductor, & complures inter duos haud obſcuri cecidere. Ex equitibus Nicolaus Tecklenburgicus, ſclopo ictus, Hoianum captum, & ex equo deſcendentem, Dithlevus Rathlovius, e nobilitate Holſatica, cum quo vetus ipſi inimicitia intercedebat, interfecit; improba poſt pugnam caede; cum virtute militari, vitam viro tam illuſtri, belli aleam experto conſervare oporteret. Et privatam ultionem in calamitate publica exercere, viro nobili indecorum, animoque generoſo indignum foret. Guſtavus metropolitanus graviter ſaucius, quum evadere non poſſet, captus, & Gottorpium in cuſtodiam miſſus, ibi moritur. Chriſtophorus Donanus, Baro itidem captus. Sebaſtianus vero Geſſenius tribunus militum belli egregius, pari cum Hoiano ſorte, ſed perfidia ſuorum extra praelium interemtus. Praeter iſtos ex equitibus nobiles triginta novem, ac gregarii centum quadraginta capti. Currus cum impedimentis quadringenti, & tormenta univerſa in praedam abducta. Regiorum haud quadraginta amplius deſiderati, neque nobilis in his quiſquam, pauci admodum vulnerati; inter quos Aſco Cramerus; & Henricus Stenbergius. Teklenburgicus, & Hoianus in propinqua illic aede tumulati; donec mox Othoniam translatos victor Chriſtianus in Canurianum intulit. Incidit autem ea pugna in undecimum diem Iunii anno, cuius res expono 1535. uti tabula, quae adpoſita monumento, luculenter adteſtatur. Itaque non recte nuper viri docti (a) in deſcriptione Daniae, alter ſextum, & vigeſimum, alter ſeptimum tribuerunt. Albertus Megapolitanus ſub idem tempus in Fioniam clam acceſſerat, pugnae finem ſpectaturus; ſed accepto cladis nuntio, quum reliquias collegiſset, illico in Sialandiam ſe recepit. Qui Aſsenſium tenebant, partim item Sialandiam petierunt, partim oppidum Svinburgum, ceu remotius a periculo conceſſerunt. Ita hoſtes una pugna in Fionia profligati, aut dilapſi eam fere univerſam in poteſtate regiorum reliquere. Qui Aſſenſium, & Svinburgum populati, mox Othoniam, dum cunctatur ſeſe dedere, itidem diripuerunt. Iam reſtabat Neoburgum, quod & ipſum Otho Stigotius, qui impoſitus, ut obſequii promtitudine gratiam promereretur, ſtatim dedidit. Itaque Fionia recuperata mox in quosdam, qui deliquerant inquiſitum. Quorum ſartor, qui coenobium Dalumenſe occupaverat, capite luit. Lundius qui Hageſchoviam, in partes quatuor diſſectus rotis totidem impoſitus. Dum in terra haec geruntur, claſſis regia, quae in mare Gothicum miſſa etiam feliciter agit. In hac naves quatuordecim a Guſtavo rege erant ſub ductore Erico Flemmingio, decem ab Alberto Boruſſo; quas ducebat, Ioannes Perenius. Antiſtites & reliqui proceres naves undecim inſtruxerant; quibus iunctae, quae in portu Sclucopiano captae fuerant; quum Lubecam Chriſtianus obſideret, tum quae item ad Alburgum deprehenſae, a Clemente, & perduellibus eo ductae. Quin privatim plures e nobilitate, uti ſtudium in regem, patriamque omnibus teſtatum facerent, opem a ſe adtulere. In his Henricus Roſentcrantzius, Gothlandiae pro rege praeſes, Claudius Billius Bahuſiae, Vincentius Lungius, Ericus Gyldenſternius, aliique unam ſinguli, aut plures, prout facultates ferrent, adiunxerant; univerſis autem praeerat Petrus Scramius. Quumque mare Gothicum ingreſſus eſſet, obvias Gothlandiam, & Borungholmum inter, naves quatuor Tranſiſulanicas detinet, exoneratque, & gerendo bello aptat. Vix adtigerat Bornholmum, quum occurrit claſſis hoſtium, ad pugnan-

(a) *Itaque non recte nuper viri docti*) Qui hic notantur, ſunt Io. Iſaac. Pontanus, doctiſſimus hiſtoriae noſtrae ſcriptor, & Ionas Coldingenſis. Ille enim in *Chorographia Daniae*, hiſtoriae rerum Danicarum olim editae adnexa, *pag.* 723. victoriam hanc Chriſtiani III. ad ann. 1536. & Coldingenſis mediocris meriti, & doctrinae ſcriptor, in ſua *Daniae Deſcriptione* Francof. ann. 1594. impreſſa *pag.* 103. eamdem ad ann. 1537. refert. Sed Pontanus poſtea in *Chriſtiani III. Hiſtoria*, eam rectius ann. 1535. adſcripſit.

CIↃ IↃ XXXV.

pugnandum comparata. Erant in hac naves regni, quae in portu Hafniensi pridem a Christophoro captae; tum quas ante memoravi Lubecensium, Rostochiensium, atque Stralsundaensium. Acre prelium commissum, ac futurum multo acrius, ni tempestas tunc exorta, diremisset. Regia classis terrae propior, insulae vicinae portum est ingressa hostilis fretum repetebat; quam quum Scramius persequi constituisset, accipit a rege literas, quae iuberent mare Balthicum intrare, & Fioniam tueri, ne in hanc exscendere hostis iam eiectus denuo posset, aut si aliud videretur, impetum in fretum faceret, & quocumque hostem modo a Fionia distineret. Itaque mandato paret, &, consilio mutato, eo tendit, ac delatus usque ad Germaniae littora, navem Lubecensem magnam prope Travemundam capit, in qua merces pretiosae, & Livoni quidam nobiles. Inde in Fioniam tendit, naves tantum decem ducens in interiora insulae. Vbi hostes consternati, neque ausi advenientem exspectare, scaphis mox in Sialandiam traiecere; quidam passim per Fioniam dissipati, capti fere, aut occisi, navibus in littore positis, quas cremare constituerant, regii tum potiuntur. Eae vero novem erant; & praetoria in istis bello maxime instructa; quae, quod in tutela eius leo esset, nomine leonis dicta. Istis aucta classis regia, aliisque, quae hic illic deprehensae, mari toto grassabatur, & terrorem diffundebat. Insulae minores quoque, ne quid gravius paterentur, commeatum tribuebant. Hinc in Sialandia, Corsora capta; in Lavinia Tranequiera. Queis acceptis, Christianus in Fioniam transmittit, adigitque populum ad sacramentum, quod nobilitas pridem dixerat; inde agit de stipendio militari, cuius pars repraesentata, in ceteram obstricta fides. Mox in Sialandiam transire visum, & in hostem porro ducere Fretum, ibi insidebat Scramius praefectus classis; & Corsora occupata, aditus opportunus erat. Quum exposuisset copias, nullus occurrebat hostis, qui aut aditu, aut progressu ulteriore prohiberet; sed emissi qui in numerum inquirerent; idque etiam exploratum, astu audaci Stigoti Stigotii, hominis industrii pariter, & militiae perquam gnari, hic quum missi essent quidam, locum castris metaturi, aliusque qui nobilibus oppidatim diversoria adsignaret, his se miscet, & Ringstadii famulum se Melchioris Rantzovii fingens, ubi hero hospitium paratum esset percunctatur; quippe sibi impositum ut curaret. Quumque domus in extrema oppidi parte, foribus illius nomine, uti solet, consignatis monstraretur; ceu hospitio viliore, nec pro heri dignitate, offensum simulat, & obiurgat metatorem; simul indicem, ut videret, quisnam ei adsignatus locus esset, exhiberi sibi petit. Quo accepto hominem caedit, & citato equo evadit. Hostis, quamvis eo modo gnarus factus copiarum, quae a rege ducerentur, minime tamen se obiicere ausus fuit; regii vero composito ordine procedentes, ad Coagium castra locant; dum rescisceant classem in fretum advenisse. Christianus dum subsistit, militem censet, & ad Hafniam obsidendam necessaria quaeque parat. Erant in exercitu eius peditum signa viginti quatuor, equitumque turmae novem; sub ductoribus Ioanne Rantzovio, & Reinaldo Heiderstorpio; quorum ille equitatui, iste peditatui praeerat. Militiae uterque clarus. Aderant & belli instrumenta quaevis, alacerque cunctis animus, eo magis, quod praesentem, & commilitonem quasi regem haberent. Accedebat etiam classis ex Norvegia ducibus Christophoro Haccio, Ioanne Crasso [a], & Erico Gyldensternio; quae cum reliquis regis navibus se in portu coniunxere. Hafnienses cum munitione urbis, tum auxiliis, quae Maria Belgii praeses, Lubecenses, aliique promisissent, multum freti, animos ad obsidionem tolerandam obstinabant. Erant illis machinae complures bellicae, erat item commeatus, a maritimis civitatibus, belli sociis, huc convectus; tum vis pecoris immensa ex vicino agro abducta, quo & hosti arctiorem annonam facerent, ac se ipsi substentarent. In aditu portus navis ingens collocata, quae ingressum classi regis prohiberet. Ad diem vicesimum quartum Iulii regii Coagio movent, & ad urbem circa vesperum accedentes, eam obsidione cingunt. Rex quatriduo post sequutus, sibi ad vicinum pagum, ubi pater ante habuerat, locum capit. Vallum etiam tum semirutum, fossaque haud alta exstabat, ideoque reparare haud difficile. Miles animo ad obsidionem alacri, & labore indefesso castra urgere; hostis contra crebro erumpere, ac turbare, quantum pote. Inter primos Stigotus Stigotius, de quo paulo ante dixi, equi pernicitate audax, saepe ad ipsa usque castra procurrebat. Sed & ille, ceterique semper acriter repulsi. Quumque ultra excursionem non auderent, rem tormentis gerere constituerunt. Et ex turri Iarimari aliquanto celsiore, colubrina, ut adpellant, vim globorum emittentes ipso regis in tentorio stipatores occiderunt; tamen effici non potuit, ut munitio ideo omitteretur. Qua peracta quum non ultra ad obsidionem urbis toto exercitu opus esse videretur, quosdam mittit Christianus, qui infessa hosti loca alia recuperarent. Ita in Falstria Nicopia capta, in Lalandia Alholmia, in Sialandia Helsingora etiam, & Calundeburgum. Mittit etiam in Scaniam, ut Malmogia, & Landscronia arctius obsiderentur. Hinc mandata ducibus obsidione Hafniensi, ipse quoque in Scaniam transit. Ibi ut adflicta omnia, ita animos in se propendentes repperit. Quumque ingressus Lundiam esset, advocat provinciae nobilitatem universam, & delectum ex urbanis, rusticisque agit. Nec mora; sistunt se confestim omnes ob adventum regis laeti, quem in hoc venisse scirent, uti ipsos a tyrannide externorum liberaret; ideoque quum firmari

[a] *Ioanne Crasso*) Pariter vocat Cragius. Sed rectius foret *Ioanne Craso*. Nam Danice cognomen illud *Krase*, vel *Krasse*;

CIƆ IƆ XXXV. mari peteret electionem, uno ore adsensere. Moxque sacramentum dicunt extra urbem in monte illic Libershoio (a), ubi antea Christophoro fidem suam obligaverant. Hinc convivia ad testandam publicam hilaritatem animorum celebrata. Prior duces Svecicarum copiarum, atque regni senatores rex excipere, ac vicissim senatores, regem, & Svecos invitare. In colloquio quum Gustavi humanitatem, studiumque in Christianum multis Sveci praedicarent, eum videndi illius desiderium invadit, quod mox etiam instituit, paucis consilio proposito. Senatores ubi istud rescivere, ut officio satisfacerent, ab incoepto dimovere conabantur, dictitantes: *adeo longinquum iter tempore tam alieno male suscipi; vix obstrictam sacramento sibi fidem subditorum, ac se illis suam quoque obligasse, cuius ipso in principio, diligenter rationem habendam esse; ne se Scani conqueri neglectos possint. Pluris fieri subditorum voluntatem oportere, quam adfinitatem ullam, aut propinquitatem sanguinis, quae sine conspectu isto nihilo infirmior futura esset. Si discedat denuo, regnum velut sine capite fore; & a subditis inquietis per absentiam multa innovari posse. Nihil de periculo, quod varie in talibus intervenire fere soleat, dicere velle; illud tamen, usu doctos, satis scire regi opis indigenti, regno necdum confirmato, amicitiae vicinorum haud temere confidendum. Multos in tam longo itinere facile a quibusdam malis dolos strui, quorum tamen nec sub spicio cadere in auctorem queat.* Prudens certe monitum erat; sed propositum Christianus haud mutare. Quod quum Sveci cognovissent, clam praemittunt, qui adventum festinatis itineribus nuntiaret. Itaque dat se in viam cum exiguo comitatu, nullo adscito ex primoribus, praeter Melchiorem Rantzovium. Vbi Stocholmum advenit non humaniter sat acceptus, aut pro expectatione poenitere facti coepit; & dolere, quamquam sero, quod fidelia senatorum monita non admisisset; motu tamen animi dissimulato, cur venisset, blande exponens. *Agit gratias Gustavo, quod auxilium, terra pariter, ac mari tam benigne submisisset, tum periculum commune utriusque verti ait; Caesarique Carolo propositum esse, Palatinum, qui Dorotheam Christierni filiam, uxorem duxerat, in haec regna, ceu hereditate debita, manu armata introducere. Quod si faciat, pari sorte ipsum fore, cuius regnum, uti Daniam, ac Norvagiam, liberi captivi regis Christierni suum dicant. Eius armis, viribus unius regni minime resisti posse, adeo praesertim laceri, & iam bello intestino enervati. Itaque foedere, si uterque, regna sibi salva velit, arctiore opus esset.* Hic Gustavus, qui iam prius Caesaris propositum hoc accepisset, vera memorari certus, seu adfectu Christiani, quem in se perspiciebat, seu pudore suo motus, mutat animum, & benigne eum habet. Inde foedus constitutum iis legibus: *uti totis viribus inter se suppetias ferrent, quoties usus postularet. Quae hereditaria bona Christianus publicata in aerarium redegisset, ea in Hallandia, Gustavo cuncta redderentur. Quin nobilitas item Svecica, quae in Dania bona quaedam possedisset, iis restitueretur. Inde regni utriusque senatores convenirent, qui de istis & cognoscerent, atque causas disceptarent; tum & plena potestate constituerent, quae ad publicam salutem pertinere existimarent.* Christianus impetratis, quorum causa iter illud instituerat, quum discessum iam pararet, salutandam etiam reginam censens, eam adit. *Quae complexa perbenigne, audspicatum sidus, frater, tibi illuxit, inquiebat, quod abire sine noxa permittatur. Est, quod Deo, qui te voluit servatum, gratias agas; siquidem consilia in tuum caput (b) ante paucos dies capta.* Ad quae verba obstupescens, necdum evadendi certus, secum reputare coepit, quam se temere in discrimen coniecisset; & experientia quoque ipsa didicit, admodum periculosos maximorum principum congressus esse; tum eorum amicitiam in absentia constare, sed praesentia imminui. Verum Deus, qui consilia malorum cuncta sua in manu habet, ac virtutem, & integritatem summam Christiani, rege dignam, honoratam cupiebat, Daniaeque instaurandae, ac regendae destinabat, hunc eripuit, & a scelere patrando animum Gustavi avertit. Vix redierat ad suos, quum regina ea ipsa obiisse nuntiatur, varia de festinata morte fama, quam Gustavus, literis ad Christianum statim missis, & deplorat vehementer, &, ne amicitiam deserere velit, quamquam eo vinculo necessitudinis tum sublato, enixe rogat. Trugotus Vlstandius, qui perfidia Meieri, & simplicitate sua, antea Warbergam amiserat, ut ulcisceretur hostem, quidvis fecit; ipse militem conscripserat suo stipendio, qui annonam importari prohiberet. Rex addiderat duo peditum vexilla, quibus oppidum ita arcte obsidebat, ut se dederet; verum arx reluctabatur, & praesidium, quod in ea, animum ad tolerandam etiam diutius obsidionem obfirmabat. Idem robur illis erat, qui Malmogiam, ac Lundscroniam tuebantur; ac benigne ut se dederent, invitant. Christiano respondent Malmogiani: *Non abnuere, si liceret, se post mortem Friderici, de electione eius agere constituisse, nisi huic consilio antistites intercessissent, quos nonnulli e senatu, & nobilitate cetera, urbe noctu excedentes, confirmassent. Ipsum dictum ab adversa factione Lutheranum, & Tyrannum, qui Ecclesiasticum ordinem odio persequeretur; nullam aliam ob causam, quam quod puram Evangelii doctrinam & amplecteretur ipse, & ardore quoque pio propagaret, antistitibus tum neglectum, suam etiam fortunam, populique desiderium, ipsum praeter habuisse. Illos item de legendo fratre egisse, & in hoc adquievisse.*

(a) *In monte Libershoio*) De isto loco possunt, si placet, conferri, quae ad Christ. I. historiam observata.

(b) *Consilia in tuum caput*) Hvitfeldio, haec ipsa narranti, nullam habendam fidem vult Ericus Georgius in *Histor. Gustavi I. Par. 2. pag.* 67. nec dubitat conficta esse omnia adseverare. Messenius tamen *Chronol. Scond. Tom. 5. pag.* 73. rem omnem fide Danorum refert, ac sine ulla refutatione, in medio relinquit.

CIↃ IↃ XXXV.

se. Male metuisse sibi ab Episcopis, quorum summa insolentia pluribus iam argumentis publice innotuisset. Nullam se a rege puero multis annis patrocinium exspectare potuisse, qui egeret ipse opis, ea aetate, qua tueri se non posset. Inter quae antistites sic dominatum exercere potuisse, ut nemo superesset, qui adulto postea rege, adcusare quemquam vellet. Eas aliasque causas impulisse, ut auxilium Lubecensium, ac Christophori Oldenburgici, queis religio reformata curae erat, ne cum illa ipsi plane pessum irent, implorarent. In electionem eius antea antistites non consensisse, quam se frustra impium propositum urgere cernerent; nec fuisse consensuros, si consilia successissent. Itaque perpenderet secum, anne fidem, quam Christophoro obstrinxissent, temere violare queant. Dandam potius operam esse, ut conventus nonnullorum principum indiceretur, quo dux Megapolitanus, Oldenburgicus, Lubecenses, aliique vocarentur; ut unanimi consensu aliquid decerneretur; quod cum aequitate iunctum, neque puro Dei verbo noxium foret; seque illi sine mora adsensuros. Hoc responsum veluti fiducia nimium, minime Christiano placuit. Modestius Landscroniani, tamquam magis ad deditionem proni: *se Christophoro Oldenburgico obligatos iuramento, idque consciis, atque volentibus iis regni senatoribus, qui easdem partes tunc amplectebantur. Daret mensis unius, aut sesqui, tempus; liberumque ad Christophorum commeatum, ut communicare rem cum ipso possent, gratiamque iuramenti, quod dedissent, postulare. Tum ignosceret, quod habendam fidei sibi rationem arbitrentur. Ac simul reversi fuerint a Christophoro, illico missuros esse, qui de pace sint acturi, quam si Deus largiretur, se sperare facile aequa obtenturos; tum & ita studia sua probaturos, uti culpae immunes ipsos etiam sentiat.* Inde mittunt ad Christophorum, qui quum illum in angustias redactum maximas renunciarent, & auxilio potius opus habere, quam ut aliis ferre possit, suos quisque ad petendam pacem hortantur. Ac Malmogiani statim in castra ablegant, qui inducias, ad constituendam pacem, quasdam rogent. *Quae concessae in has leges, ut interea urbs obsessa teneretur, nec in pastum pecora dimitterentur, neu capturam piscatores, nisi suo cum periculo exercerent, denique nec hostibus auxilia ferrent, nec hostile item quidquam clam palamve molirentur.* Quae quum dura ipsis nimis viderentur, neque tamen Christianus immutandum aliquid existimaret, nil effectum, duravitque porro obsidio. Sed Landscroniani aliter, veniamque delictorum ante pacti, urbem dedunt. Ea res percommoda fuit Christiano, portum nacto, in quo classis hibernaret. Vtque Hafniam, ac Malmogiam nuntius venit, indignari vehementer, quotquot partes Oldenburgici sequebantur, ac suspecti omnes habiti, qui deditionis aliquam mentionem iniecissent, tum & velut proditores libertatis timebantur. Hafniensibus confirmata pervicaria, postquam a Vandalicis urbibus commeatum, cuius inopia premebantur, accepere. Missae fuerunt octodecim naves, milite, armis, & annona abunde instructae, quae quum fretum ingressae essent, cursum ad Dracoram sistunt, & minores ex his quasdam, an perrumpere forte possent, tentaturas, legere Amagriae insulae oram iubent. Naves regiae ex adverso ad Sialandiam haud a castris procul stabant. Quae consilium ut hostis perspexisset, Petrus Scramius praefectus, scaphas aliquot milite, & tormentis instruit, obviamque ire mandat. Ac congressae, postquam acriter conflixissent, refugere Dracoram cogunt. Victoria tamen minus fausta, quod praefectus crure saucius, ut curari vulnus posset deportari in castra regis cogeretur. Cuius rei gnarus hostis, repetit consilium suum, & postridie fortunam denuo tentat. Excipitque propinquantem Ioannes Prenius, nave maxima invectus; sed dum hic in vadum impingit, neque expediri potest, quamquam ceteris ad auxilium accurrentibus, ille praeterit, Hafniamque annona implet, adspectante ipso rege, neque prohibere valido. Hinc quum mare propter imminentem brumam haud idoneum navigationi esset, classis regia in Landscroniensem portum se recipere iussa fuit; aliae minores quaedam alia in loca missae. Deinde ne nil tormentis ageretur, duodecim ex his maiora, navibus exempta suis, in Coronaeburgum [a] ducta. Quo pulsato, quum effectum nihil esset, & id porro obsidendum videretur, Hafniaque per inductum commeatum animosior, obstinatius repugnaret, Christianus abitum in Holsatiam parat; mandata interim castrorum praefectura Ditlevo Brochdorpio, classis Erico Gyldensternio, regni vero universi Agoni Billio, Iacobo Ronnovio, Magno Goiaeo, & Erico Crommedicio, qui Roschildiae, dum abesset, habitationis suae sedem ponerent. Caussa abitus quia hostis in vicinia non deesset, & a Belgis etiam metueretur. Quumque illic accepisset, novam classem, in aestatem proximam a Lubecensibus comparari, scribit ad praefectos regni, uti nauticum commeatum procurarent diligenter, & conferri in hunc ipsum toto regno imperarent. Verum illi, cum Ioanne Frisio communicato hoc negotio, non consultum id putare, ac timendum, quum pecuniae imperatae vix pars exsoluta esset, ne, commotis novo onere plebis animis, in tumultum res erumperet, tutiusque multo fore, si differrent, dum tributum illud prius plane persolutum esset. Decimas Ecclesiarum, quas antistites concessissent plurimum ad commeatum collaturas; cetera se curaturos: *Indicatum & ex Dania evehi navigio multum, cum Chilonium, tum Flensburgum, atque inde curribus Lubecam usque transportari, quod si vetent, navibus futurum satis, nec collatione ultra ulla opus. Iam hoc commodo*

(a) *In Coronaeburgum*) Per prolepsin. Nondum enim arx illa munitissima coeperat Coronaeburgi nomen gerere, sed *Krogen* dicebatur. Cragius *pag.* 110. „ Tormenta ex navibus „ avecta sunt, ad oppugnandum castellum in faucibus freti O„ ritani situm: *Coronaeburgum* modo vocant.

CIↃ IↃ XXXV. *modo hostem frui, ut & copias inde suas plene alat, & obsessis Hafniae, Malmogiaeque impertiantur. Rei vestiariae penuriam in castris esse, ex quo, repressa avaritia lixarum, & libidine, pretia venalibus rebus certa constituta essent. Igitur consultum fore, ut per agrum Slesvicensem, & Holsaticum edicatur, quisquis illic mercatorum quaevis ad rem vestiariam pertinentia vehere in castra velit, libera commercia eum, neque pretio adstricta, habiturum.* Post hac rogant Christianum, ut in regnum rebus ita exigentibus, ocyus redire velit, quamquam tamen multa illum, quae inciderant, negotia tenuere. Per id tempus Georgius Luckius, ex antiqua Daniae nobilitate, a Francisco Galliae rege, cuius tunc in aula agebat, mittitur ad Christianum, & illius verbis offert amicitiam, petitque: *Tum, quo loco Danicae res essent, quaerit. Non ignotum, nihil hostibus in id regnum, quod invaderent, iuris esse, neque Caesarem Lubecensibus favere, quod in aliqua illos parte figere sibi sedem velit; verum potius, ut attritis longo bello regni, & illorum viribus, postea minore id negotio ereptum utrisque, Friderico Palatino, Christierni filiae viro, in manum tradat; illud sibi exploratum, noluisse Christianum, cui pro necessitudine regni utriusque antiqua bene velit clam habere. Lubecenses sibi regnum sub conditio vel certa obtulisse, sed repulsos neque enim alienum sese quidquam adfectare; ac contentum ditione, quam largitus Deus esset. Aegre animum habere, quod videret Daniam in praedam expositam, & paratum subvenire, si auxilium requirat.* Repetit mox Galliam Luckius, atque refert; magno regem amicitiam Gallicanam aestimare, & legatum adfuturum, qui hoc ipsum pluribus testatum faciat. Mittebatur per id tempus ad Smalcaldicum conventum a Christiano Melchior Rantzovius cum Suavenio, qui ipsius nomine peterent, uti in societatem foederis, tunc renovandi, admitteretur. Aderat ibi, a Francisco, quem iam dixi, Guilelmus Bellaius Langaeus, ab Henrico Angliae rege, Eduardus Foxus Herefordensis Episcopus, & Robertus item Barnsius (a). Multa cum his a Rantzovio agitata; & inprimis cum Langaeo, amplissima ab amicitia Gallicana promittente, pactum fuit, *ut utrimque Luneburgum in certum diem convenirent, foederi constituendo.* Quumque Angli, belli, quod cum Lubecensibus gerebatur, se ignaros simularent, id Rantzovius enarravit; causas quoque, & initia, ac progressum memorando, uti fidem sibi strueret, ratus fore, ut Henricus re plenissime intellecta se deinceps aequiorem exhiberet. Atque illi promiserunt se prolixe de negotio universo regi perscripturos esse. Insuper Rantzovius spem illis facit, fore uti Christianus per legatum satisfaceret. Ac Smalcaldia vix redierat, & successum exposuerat, quum Henricus antevertens, ipse in Daniam ablegat Bonnerum, & Candisium. Ac Varbergam, quam Meierus tunc tenebat, postquam primum adpulissent, ibi paulum subsistere, dum a rege commeatus literae exhiberentur. Quibus missis a Dithlevo Brocdorpio, & Erico Gyldensternio, qui per Christiani absentiam rerum summam obtinebant, illico in Daniam Candisius venit; atque inde ad Christianum in Holsatiam abducitur. Cuius postquam in conspectum, Bredenbergae tunc agentis, pervenisset, explicat quae iussus erat, & hortatur, *ut exortam inter se, & Lubecenses controversiam arbitris permittere velit, qui disceptent belli causas, & conditiones pacis aequas ferant, & Henricum si id ipse gratum habeat, velle eam inter alios operam in se suscipere, studiumque in illum suum omnibus testatum facere. Interim rogatum cupere, ut dimitteret, quas detinuisset naves.* Ad quae cum Candisio illic, tum Bonnero quoque Hamburgi respondere Christianus: *se libenter causam suam aequis arbitris cognoscendam permissurum, neque umquam recusasse; naves vero tenuisse, non ut dominis eriperet, sed ut iis contra hostem uteretur, & antiquo regni iure id licere; nisi faceret, neque tutam ulli genti navigationem fore; quum praesertim Lubecenses indistincte eos omnes hostes censeant, quorum ex rebus lucrum aliquod capere possint. Simul ac finitum bellum, paxque constituta foret, mox stipendio persoluto, mercibusque restitutis, dimissurum.* Quamquam tamen sic de pace Anglus per legatos ageret, regi Scotiae, eam itidem suadenti, sat superbe respondebat: *Semper dignitatis suae studiosos Lubecenses habuisse, ideoque nec deserere illos posse, haud se Daniae umquam regnum adfectasse, verum contra vim Danorum, & iniuriam vindicare Lubecenses voluisse. Sed quum videat partem utramque belli taedium cepisse, adiuvare pacem velle.* Haec a Scoto, ad quem fuerat legatus (b), Alexander Morus retulit: *Illud addens excusare sese Scotum, quod auxilia non misisset, quia post devictum in Fionia hostem, terra iuxta, atque mari debellatum ferebatur, eapropter uti mitteret, operae non pretium existimasse; ac missurum nihilominus, si indigeat deinceps.* CIↃ IↃ XXXVI. Anni proximi principium regi fortunatum fuit. Nam Brantumus, qui Coroneburgum arcem hactenus tutatus erat, fessus longa obsidione, quam fortissime substinuerat, Ioanni Rantzovio dedit. Unde ad Calundeburgum iam obsessum, multo acrius oppugnandum, mox tormenta quaedam abducta; tum & aucti obsessores peditum duobus signis, quae ducebant Wolffgangus Creutzerus, & Melchior Svi-

(a) *Robertus item Barnsius*) Sic reposui, pro *Barasius*, quod vitiose in exemplari nostro legebatur. Vel potius *Barnesius* scribatur, sicut plerisque aliis factum video. Est enim idem ille vir, & Theologus celeberrimus, de quo satis multa prodiderunt alii, ut haud necesse sit quidquam inpraesentia a nobis addi. Excutiantur saltem Burnetus in *Histor. Reform. Angl.* Seckendorfius in *Histor. Lutheranismi*. Melchior Adami in *Vitis Theologor.* Bayle in *Dictionario Historico-Crit.* &c. Meminit quoque Burnetus legationis eius Danicae *op. cit. lib.* 3. *pag.* 688.

(b) *A Scoto, ad quem fuerat legatus*) Minus recte. Nam Alexander Morus, non Daniae Regis ad Scotum, sed huius ad illum Legatus erat. Et persuasum mihi oppido, hunc errorem exscriptori imputandum, non Meursio, a cuius manu fuerit: *Haec a Scoto, a quo fuerat legatus, Alexander Morus retulit.*

CIↃ IↃ XXXVI. Svigius. Fortiter obsidionem tolerabat Hermannus Longus, dum auxilii spes restaret, nec deesset commeatus. Verum hoc deficiente, illo penitus excluso, in Magni Goiaei manum sese tradit. Sequiturque mox exemplum Aleholmia in Lalandia, & in Falstria, Nicopia; denique & alia recuperata, quae ab hoste tenebantur. Haec prosperitas Christiani non exiguum Megapolitano metum, Oldenburgicoque incussit. Hafniae inclusi erant, & inopia commeatus iam premebat, nec submissum ex Belgio auxilium, quod exspectabant. Quam ob causam verebantur, ne discedere a bello, aut ab hoste postulare veniam adigerentur. In utroque probrum erat; in postremo etiam periculum ingens, ne negaret Christianus tot iniuriis lacessitus. Itaque si dedere se cogerentur, ut haberent quo se liberare possent, nobiles captivos pridem, qui Malmogiae servabantur, Hafniam adduci iubent; & hos nacti Plavium mittunt, ditionis Megapolitanae arcem. Quidam etiam alio ab Oldenburgico translati. Quae in Dania dum geruntur, in Holsatia Christianus cum Bremensi Archiepiscopo pacem init. Is a Christierno steterat, quem enixe restitutum cupiebat, quod Roschildiensem ipse dioecesin universam, si recuperare regnum contigisset, concessurum promisisset. Verum quum promissum impleri a senatu postulasset, is reiecerat petentem, quod adversus iura regni niteretur. Hinc exorta inimicitia, si in bellum tempore tam alieno erupisset, magnum a vicino hoste in hereditariis suis ditionibus detrimentum Christianus accepisset. Sed Henricus Brunsvicensis, sanguinis propinquitate Metropolitano iunctus (a), & addictus Christiano, se mature interposuit; itaque eo volente, missi utrimque Boxtehudam ista lege pacem faciunt: *ut deinceps amicitia certa esset iuxta imperii decreta; de Roschildiae dioecesi controversia simul capta Hafniae foret, ad Henricum Brunsvicensem, ac Philippum item Hassum decidenda deferretur. Interim nec laedi regem intra suas ditiones Metropolitanus sineret, neque transitum hosti daret. Rex vicissim, si Textoris quis ulcisci cuperet captivitatem, opem Metropolitano promtam ferret, & uterque mutuo se contra qualemcumque hostem adiutarent, salvo tamen quod Imperio deberent ipsi, obsequio, & religionis causa.* Atque de Textore quidem ita cautum, quia Metropolitanus captum pridem ad supplicium extremum adegerat (b). Iam Bremensis ad exemplum Lubecenses, belli taedio, pacis quoque studium amplectebantur; eo magis, quod antiquus magistratus, reipublicae restitutus, male motum existimaret. Nec a pace Christianus abhorrebat, qui religionis statum, quod omnino constituerat, emendari aliter haud posse sat perspectum haberet. Itaque negotium delatum Saxoni, Brunsvicensi, Hasso, & urbibus Bremensi, Hamburgensi, Magdeburgensi, Luneburgensi, & Hildesheimiensi, a quibus legati Hamburgum convenere. Hafnienses, sicut & Malmogiani, reddi regno Christiernum cupiebant, alia ad pacem lege minime inclinaturi. Multa quoque Lubecenses pro se, sociisque suis, postulabant. Tamdem in haec capita conventum fuit: *ut delicta Lubecensibus, sociisque, ac Dithmarsis, & inprimis Ordinis Livonici Magistro quoque omnia remitterentur, & Dithmarsis etiam antiqua iura, ac privilegia, sublatis oneribus novis, sarta tecta, servarentur. Ceteri Lubecensium socii in hanc pacem sub conditione admissi. Megapolitano nempe, & Oldenburgico gratia promittebatur, si, quae per vim occuparant, restitutis, regno illico excederent. Rostochienses uti & VVismariani, an admitti item vellent, sex hebdomadas dierum, Stralsundienses quinque inter se deliberarent. Post quod tempus, si fortasse recusarent, perderent immunitates, quibus pridem in regno Daniae fruebantur. Hafniensibus, iuxta ac Malmogianis venia praeteritorum spondebatur, si in regis potestatem sine mora sese dederent. Ac si aliqui eorum alio migrare vellent, toto illud quadriennio integrum iisdem foret. Lubecenses Christianum in possessione regni ne turbarent; sed ut regem Daniae, Norvagiaeque summo studio colerent, & observarent. Hostes eius ne iuvarent, neu auxilia submitterent, neu ex sua ditione mitti sinerent, tum inventos ubicumque comprehenderent, & prehensos (regiis ministris illud exigentibus) detinerent. Ac si Megapolitanus, & Oldenburgicus pacem nolint, copias suas, in quacumque regni parte militantes revocarent, & auctoramento solverent. Subditis Borussis, & Svecis, qui in bello Christianum adiuvissent, hac de causa nihil umquam damni darent. Verum actiones tamen, quae heredibus Hoiani, atque Bernardo Mileno contra Svecum competebant, integrae cuique essent, arbiterque eas omnes Christianus disceptaret; quem si ille recusaret, Lubecenses armis ius persequerentur; sed auxilium Christianus haud praestare teneretur. Quae Ioannes, Christiernus, Fridericus Daniae priores reges, iura, & immunitates Lubecensibus indulsissent, sine dolo servarentur; illi autem onera, in regno utroque, & hereditaria item ditione, usitata, solvere ne detrectarent. Quae e privatorum bonis superessent, dominis redhiberentur. Naves vero Lubecensium, milites, tormenta alia, quae in regis potestatem necdum hactenus pervenissent, libere aveherentur. Ac vicissim, quae ad regnum pertinerent, bona fide omnia relinquerentur. Belli sumtus sibi quisque imputaret; nulla ultra de iniuria, sive damno actione. Quae utrimque inter subditos deberentur, ea iure persequi concessum esset. Capti item sine ullo pretio dimitterentur. Denique quod Christiernum, tum captivum attineret, de hoc Saxo, Brunsvicensis, atque*

(a) *Propinquitate Metropolitano iunctus*) Sic & Cragius *pag.* 115. Rectius fratrem adpellassent; erat enim Archiepiscopus ille Bremensis, Christophorus nomine, filius Henrici seniori ducis Brunsv. & Luneburgensis, & germanus natu maior Henrici iunioris, Principis tot turbis in Germania excitatis famosi, atque ex Sleidani, Chytraei, Thuani, Hortlederi, Seckendorfii, plurimorumque monumentis notissimi

(b) *Ad supplicium extremum adegerat*) Causas supplicii exponunt, praeter Hvitfeldium, haud pauci exterorum, ex quibus sufficit adlegare Chytraeum *p.* 416. collat. cum *p.* 398. edit. Lypf. 1593.

CIↃ IↃ XXXVI.

que Hassus, & legati civitatum, qui hanc pacem sancivissent, constituerent quod aequissimum videretur: si post pacem constitutam aliquid interveniret, quo haec laesa censeretur, non idcirco arma capienda esse, sed, delectis ex utraque parte arbitris, controversia disceptanda traderetur. His Hamburgi ita actis die Mensis Februarii decimo quarto, rex, qui Vterseaii per illud tempus morabatur, mox Hamburgum sese confert, id rogantibus legatis, quorum opera pax sancita, quaeque egissent rata habet. Tum subscriptis literis in hanc rem factis, item aliis, quae de Boringholmo insula. Aderant his omnibus legati Sveci, Anglicique, quibus tamen Lubecenses plane nil communicarunt, nisi pace pertractata; quin ignaros adeo illos rerum omnium habuerunt, ut ne quidem pacis factae capita communicarent. Quamquam tamen pleraque mox emanarunt, & perscripta ab iisdem ad Meierum, cum gravissima querela (a) de ingrato Lubecensium in se animo. Post solutum hunc conventum Hamburgensem Lubecenses, uti pactis satisfacerent ablegant in Daniam Bernardum Milenum, qui Alberto Megapolitano, & Christophoro Oldenburgico pacem factam nuntiaret, atque ea ipsos quoque, si placeret, comprehensos. *Suadere autem Lubecenses, ne se, fortunasque suas in discrimen temere adductas velint; neve rege irritato, exitum obsidionis luctuosum exspectare. Potius spontanea deditione ultimam necessitatem anteverterent; atque secum reputarent magis expedire sibi, uti urbem rebus integris hosti postulanti tradant, quam, mox iis fractis, offerrent. Pacem ne felicibus spernendam esse; at adflictis, atque ope prorsus omni destitutis exoptandam. Belgii suppetias tamdiu frustra exspectari. Caesarem bello implicatum in Africa, Frisia, Gelriaque copiis egere suis. Palatinum, in Germania remota, etsi opes non deficiant, minus tamen ad longinquam expeditionem facilem, & exercitum, ut navigio mittere in Daniam velit, difficulter sane Belgas, naves illi, atque iustum commeatum concessuros. Si mavellet terra ducere, tot provincias, fluvios, montes transeundos, uti militem ex itinere tam longinquo, & molesto fatigatum bello fere inutilem sit habiturus. Neque cogitent facile se evasuros, arcte portum classe regia, cui pacem, quae propulset, comparare nullam possint, obsidente, Lubecenses sumtu belli iam exhaustos, ut consulerent rebus suis, necessarium censuisse. Tum ipsorum quoque inprimis rationem habuisse, & aequissima impetrasse; quae, si saperent, merito amplecterentur. Christiani maximam clementiam esse, ea potius, nunc parata uterentur, quam deinde frustra quaererent. Quod si bellum mavelint continuare, non se ultra Lubecenses socios habituros scirent. Qua Mileni oratione nihil moti, pacem spernunt, dictitantque. Frustra sese, si desistant, tot labores, ac pericula adiisse. Haud decorum, tam illustri loco natis, arma, animumque abiicere. In propinquo ver iam esse, quo facilior navigatio, & auxilii importatio etiam commodior foret. Nec in animum inducere, cessaturum Palatinum. Caesaremve desciturum, quod ut fiat, Anglum tamen tantum regni incrementum nullo modo neglecturum. Tum, si etiam hic destituat, minime principibus viris convenire, ut se ante ultimam necessitatem hosti dedant; aut ex Lubecensibus pendeant, & spes suas horum arbitratu habeant. Denique indignos regno, si sic cedant, ac pro eo quoad vivant, quam fortissime pugnaturos.* Hic Milenus postquam semel, iterumque persuadere annisus esset, & hortando, ac obtestando nil proficeret, militem ut iussus erat, convocatum, mox auctoramento solvit, & denuntiat, nullum a Lubecensibus stipendium ultra exspectandum. Itaque quum urbe excedere ipsi vellent, Megapolitanus, & Oldenburgicus, actum de se, si id fieret, arbitrati, illico stipendium de suo spondent, & urbanus magistratus de se quoque, civibusque liberaliter pollicetur. Tum legatus a Maria Belgii praeside, Leonardus Fiulnccius, qui in urbe tunc agebat, animos erigere etiam, ac firmare magna spe suppetiarum. Etenim mox absuturam ex Hollandia magnam classem cum Caesariano milite, & insigni commeatu, ac venturum etiam ipsum Fridericum Palatinum, ad quem regnum iure matrimonii sit devolutum. De stipendiis, si quid porro debeatur, a Burgundis certo persolutum iri; & in hanc rem fidem suam se obstringere; itaque servarent urbem Caesari, & Palatino; se promissa servatu-

(a) *Perscripta ad Meierum cum gravissima querela*) Scilicet Anglici legati ex Lubecensium, & praesertim Marci Meieri invitatione venerant, ut de Daniae regno, quod Lubecenses Henrico VIII. offerebant, coram agerent. Id factum anno 1535. fervente adhuc inter Christianum III. & Lubecenses bello, & Meiero interea arcem Vardbergam tenente, sicut clare docet, ostenditque Hvitfeldius *pag. R. b. seq.* Reversi in Angliam legati, Henrico VIII. referunt de statu Daniae, & conditionibus, de quibus cum Meiero egerant. Inde remittuntur in Daniam, initio anni 1536. Sed Hamburgum quum adtigissent, experiuntur nimis iam sero esse, Lubecensibus belli Danici pertaesis, neque ulterius Meiero suo tam obsequentibus. Quid? quod, dum Anglici haerent Hamburgi, Lubecenses cum Christiano III. pacem concludunt die 14. Februarii 1536. in ipsa urbe Hamburgensium. Eapropter in graves contra illos querelas erumpunt Angli, quasi ludibrio habiti, accusationesque suas in litteris ad Meierum effundunt Sic quoque explicanda sunt, atque interpretanda verba Nicolai Cragii, quae *pag.* 118. ea de re adfert, haud satis perspicue, aut distincte loquens; quum Meursii narratio h. l. multo apertiorem sensum fundit. Neque est, quod quis existimet, iam tum, quum Christianus III. & Lubecenses paciscerentur, Marcum Meierum supplicio suo periisse, ideo quod cuncta cum eo acta, imo Vardbergae deditio, ipsumque Marci supplicium inter anni 1535. gesta commemorantur. Nam sane in belli huius historia haud parum negligens optimus Cancellarius, quantum ad temporum notationem spectat. Igitur rem ex aliis fontibus declarabo. Magnus Matthiae quondam Superintendens Scaniae (s. Lundensis), in Annalibus MSS. sic refert: „Anno 1536. Dominica „Exaudi, quae erat dies Maii 27. deditur Christiano arx Vard„bergensis, Trugoto Vlfstand prius per proditionem erepta. „Simul autem capitur, & publicae custodiae traditur Marcus „Meierus cum suis manipularibus - - - - Alii habent Domini„cam Trinitatis.„ Idemque post pauca interiecta: „Die Bo„tulphi, h. e. Iunii 17. Marcus Meierus, & cum eo Her„mannus cognomento Longus, uterque Lubecensis, tum con„cionator Erasmus Chiliani, patria Hafniensis, (cuius opera „arx Vardbergensis, Trugoto per proditionem ademta, in ho„stium devenit potestatem,) arce prius recuperata, iam tam„dem Helsingorae mactati rotis imponuntur.„ Hinc ergo discimus, etiam post pacem inter Daniam, & Lubecenses factam, Meierum aliquanto tempore Vardbergam tenuisse, neque mitiore animo, quam Angli fuerant, erga cives suos, ob compositionem illam exstitisse.

vaturum. Sic a Megapolitano, & Oldenburgico, quum deditio persuaderi minime posset, Lubecenses descivere. Ac mox Stralsundienses in conditiones pacis consenserunt. Rostochienses pariter, ac Wismariani, aliquatenus Megapolitano subditi, quamquam mallent horum quoque exemplo uti, tamen in continuando etiam bello perstitere. Itaque auxilium confestim parant. Verum rex, qui id futurum esse praevideret, monet suos, quibus regni curam abiens demandaverat, uti sedulo curarent, ne quid detrimenti caperet; tum praefectum maris iubet, classem e Landscroniano portu educere, ac ne quisquam commeatus aliquid ferret observare. Verum, dum paratur classis, navis quaedam variis onusta rebus Hafniam petit. Nec ab urbe longe aberat, quum a glacie detenta ultra pergere prohibetur. Ibi maximum certamen nautis erat, ut ad urbem pervenirent, frangunt glaciem, impellunt contis, funibus trahunt; & egressi urbe milites, summis viribus adnituntur, ut periculo eriperent. Sed cum glacie spissiore, frustra sese universi fatigarent, conspicati eminus e castris regii, impetum in eos faciunt. Acriter pugnatum fuit, regiique profligatis mox urbanis, navem in potestatem redigunt, & in castra praedam abducunt, ac corrumpunt, quae non poterant auferre, ne obsessi fruerentur. Hinc comperto hostium ausu, qui ne rigida quidem hieme, ab annona subvehenda abstinerent, suam quoque portu classem educere praefectus maris conabatur. Sed ob glaciem pariter frustra, frigorisque insolens Vlricus Pentzius, mox exspirat. Quin & navium pleraeque, a glacie, per vim impacta detrimentum non exiguum acceperunt. Itaque quum nequidquam esset laboratum, & praefecto reducendam in portum classem videretur, non minor molestia obiecta fuit, quam educere cupienti. Inde quum ver advenisset, glaciesque evanuisset, reparat classem, & Germaniae in adversam oram ducit, plurimasque hostiles naves commeatum subvehentes redigit in potestatem. Post quae praedam quam amplissimam consequutus, fretum repetit; Hafniamque usque ad deditionis tempus obsidet. Inter ista, quum ad finem bellum vergeret, rex Gustavus, aegre admodum pacem Hamburgensem ferens, naves, militemque revocat. *Indignari, quod ignaro, & inconsulto facta esset, aliterque oportuisse, cum se socium tam fidelem praebuisset Christianus.* Qui placatum quum eum vellet, mittit Oligerum Vlstandium, & Axilium Braheum, de re tota edocturos, neque illi segnes munus imperatum exsequuntur. Itaque excusant factum, & legatis, queis negotium demandatum, culpam tribuunt. *Eos ita rem ursisse, uti tempus praemonendi nullum esset; neque regem belli sumtus ultra ferre potuisse, ideoque in pacem iis minuendis inclinasse. Idem etiam Gustavum, si fuisset eo loco, procul dubio facturum. Nunc qui nil eiusmodi expertus esset, dissentire. Christianum a Gustavo, sociisque auxilium expetiisse, verum id negatum esse. Neque pacem, quam fecisset, damnum ipsi ullum ferre, quin & ea si id vellet, comprehendi. Sin autem cum Lubecensibus, iure experiri mallet, arbitro se, ex aequo & bono causam disceptatum iri.* Quibus verbis, postquam satisfieri, sibi permisisset, copias manere iubet quoad bellum finiretur; ac promittit, legaturum qui in Lubecenses agerent, quum id regi Christiano commodum intellexisset. Laetum illi hoc responsum, neque minus gratus venit a Malmogianis nuntius, quum in castra rediisset. Coquus enim animadvertens, cuncta regi ex sententia evenire, ac deficere item socios, qui id bellum incoeptassent, lentos ad auxilium ferendum Belgas, dubiamque spem relinquere; rerum humanarum prudens, quomodo periculum a se, suisque tuto amoliri posset, secum reputare cepit. Itaque per Thomam Sturium, quem Malmogiani e nobilibus captivis retinuerant, ad Colloquium Christiani admitti petit; moxque data fide, accedens, veniam praeteritorum supplex petit: *Defecisse se, ac suos, non quod regem ipsum nollent, quem inprimis exoptabant; verum ut Religionem Reformatam, cuius studio populi ardebant acerrimo, tuerentur. Eam tum antistites opprimere constituisse, qui & ne ipse eligeretur, maxime adversabantur. Ideo cum Lubecensibus initam societatem, ne lux Evangelii exstingueretur Neque eos etiamnum aequo in religionem animo esse, ut prudenter iudicare inde debeat, quid de iis polliceri sibi possit Nam quod tandem in electionem eius consensissent; id fecisse partim, quia sic senatui, & nobilitati ceterae visum esset; partim quod res ita ferret, neque princeps alius exstarat quisquam ad periculum propulsandum satis validus. Neque dubium, quin nunc pace restituta acriter pro dignitate sint deinceps pugnaturi. Itaque consilium esse, uti rationem ineat, quae in ordinem eos cogat, aut immutet totum statum. Bona ipsorum publicanda, & in belli convertenda sumtum esse, populo mendicitatem Monachorum perquam gravem. Nec acceptius quidquam fore, quam ut haec prohibeatur. Quod si bellum prius componendum putet, ac restituendam pacem, se hic operam navaturum, & Malmogiam in sua potestate esse, facileque Hafniae persuasum iri, ad extrema iam redactae, uti pacem amplectatur.* Inde addit, quibus fidem verbis faceret, & consilia arcana Oldenburgici prodit, quibus rex utiliter ad cetera edocebatur. Cui gratum intelligere, quod quae pridem in antistites cogitabat etiam populo probarentur. Itaque dimissus Coquus suos repetit; & reversus, quae, peregerat cum paucissimis communicat; quos vel conscios consilii pridem habebat, vel, propinquitate sanguinis, beneficiisve obnoxios. Hic probantibus propositum, & silentii fidem pactus, reliquis conficiendis se accingit; ait constitutum sibi Hafniam ire: *tentaturum, ecquid pacem persuadere civibus posset, ipsi interim, dum abesset, populum ad pacis studium, & deditionem urbis praepararent, quo scíscente, mitterent ad Christianum, qui & veniam delictorum postularent, atque ea impetra-*

CIϽ IϽ XXXVI.

petrata urbem obferrent, edocetque quae ab eo peti vellet. Nullum se habere dubium, quin is, animo ad clementiam inclinato, exorabilem se praeberet: *Omnia prudenter gererent, ac caverent ne rescifcant Hafnienses se authore id consilii captum esse.* Rebus autem sic Malmogiae ordinatis, Hafniam petit, ubi omnia, quam sperarat, difficiliora comperit. Quippe Megapolitanus pariter, & Oldenburgicus, maxime a pace aversi, civium studia in se traxerant, qui in perduellionem obfirmati, nullam pacis mentionem admittebant. Nec pericula proponentem, nec amplissima quaeque a rege, quantum quidem tuto posset, promittentem plane quisquam auscultabat; plenis Belgici auxili spe, fiduciaque cunctis. Quae dum agit, a Malmogianis quidam Helsingoram ablegantur, qui cum rege de dedenda urbe agerent; & admissi ad colloquium, coram Magno Goiaeo, Melchiore Rantzovio, Ioanne Frisio, caussam adventus sui exponunt. Vrbem dedere paratos, ac precari, ut praeteritorum veniam rex indulgeat. Hic quum regii bonam illis spem ostenderent, dicerentque, Christiani maximam clementiam esse, animumque ad ignoscendum cunctis promtum, magis etiam erecti, addunt, *in mandatis sibi a populo datum, ut demisse liberum religionis reformatae exercitium postularent. Tum ut privilegia sibi, & immunitates quaeque, quas iam olim accepissent, illibatas retinerent. Arcem etiam, civium libertati gravem, ne exstruerent, sine qua in fide regis constantissime permanere certi essent.* Facile in reliqua consensum fuit; sed de arce aliquantum disceptatum, quum urgerent illam regii, nec securum sine ea regem dicerent; facile rebellaturis, si res forte mutarentur. Sed legati respondere: *nihil se iniussu populi in negotio isto posse; petereque, uti tempus largiretur, ut ad ipsum id referrent; qui si adnuat, sine mora reversuros, uti, pace constituta, de deditione agant.* Verum gnarus Christianus lubricum fere populi animum, & consilia levi motu in peiora item ferri, ne infecta re discederent, adnitendum existimabat. Itaque concedere, quae postulabant, universa. Nam de arce imponenda postea commodiorem fieri mentionem posse, animis placatioribus, neque tum adversaturis. Neque Hafniam facile expugnatum iri, ni Malmogiam subegisset. Quam ob rem firmata pace, claves mox Malmogiani urbis tradunt; rexque ingreditur ad undecimum diem Aprilis; equitibus ducentis tantum, & cohorte peditum una. Ac nobilitate regni civibus conciliata, sacramentum oppidanos dare iubet; hinc itinere Lundiam verso, propere in castra redit. Inter haec Coquus dum non cessat Hafniensium animos sollicitare, velut omnium ignarus, postquam nuntium accepisset, ausos isthoc per absentiam suam cives, indignari sese simulans; ceu visurus, quomodo haec acta essent, moxque Megapolitano, & Oldenburgico universa relaturus, eo tendit. Simul autem rediisset, cuncta, ut vellet, gesta accipit. Iamque urbs obsidione liberata, ac dimissi milites erant. Sed haec laeta paulum Sveci perturbarunt; qui hoc ipso quoque die, quo in urbem ingressus Christianus fuit, missionem petiere; neque retineri quiti, etsi maxime, ut manerent, rogarentur. Mox & classis revocata, nec auxiliorum regi aliquid relictum fuit. Oldenburgicus quamvis iam Malmogieni, aliique defecissent, animum haud despondere. Postquam a societate Lubecenses discessissent, opem a Belgis exspectabat, quam promiserat Maria. Quin ambire etiam Christinae nuptias filiae Christierni ceperat; quae ditata magis opibus a marito, Francisco Sfortia Mediolanensium duce, pridem fato suo functo, iam in Belgium redierat. Sed Maria sine ulla nuptiarum mentione largiter suppetias spondet, ac, dum mittat, fortiter obsidionem porro tolerare iubet. Hoc responso laetus valde Oldenburgicus. Sed auxilium Palatino, qui cum magnis copiis in Belgium venit, destinatum. Etiam exercitum Maria scripserat, ac iam classis, quae transveheret parabatur. Verum Caesar, antequam vim adhiberet, per legatos censuit experiendum, an non sponte sua regno cedere Christianus vellet. Itaque Neapoli, intentus bello Africano, dat negotium Mariae, uti eo ablegaret, qui rem illam pertractarent. Neque mora, destinantur Ioannes Montfortius, Guilielmus Rennebergius, & Godescalcus Ericus, quos ut adventuros rex accepit Wolffgango Vtenhovio, Godescalco Alefeldio, Godescalco Rantzovio, & Petro Svavenio, quibus Holsatiam commendaverat, dat mandatum, ut legatos exspectarent, & audirent, quidnam vellent; tum ut agerent cum illis, ac, si ita postularent, mitterent ad se in Daniam. Sed hi, ubi advenere, quum in Daniam abiisse Christianum intelligerent, se Hamburgi continentes, literas ad eum scriptas mittunt ad Holsatiae gubernatores, quos iam dixi, atque petunt, ut curare aut ipsi velint, aut edoceant tabellarium, ubi loci regem reperire posset. Quia vero etiam haberent quaedam cum principibus quibusdam agenda, itidem rogatos velle, uti mittant, qui illaesos deducturi per has ditiones essent. Literae ad Christianum ista fere continebant: *Mandasse ipsis Caesarem, ut ad regem Christianum in Holsatiam accederent, atque ei nuntiarent. Minime ignorari posse, Caesarem Dorotheam cognatam suam Friderico Palatino elocasse. Eum vero hoc praecipue matrimonio dignatum, quum quod e familia antiqua electorum esset oriundus, tum quod etiam prudentia, animique magnitudine emineret; & in rebus Caesaris, imperiique maxima cum laude egisset. Ideoque neque Caesarem potuisse principem, tam magnis donis cumulatum, optimeque de se, & imperio meritum destituere. Quin iuvandum existimasse, uti regna Daniae, Norvagiaeque per uxorem ipsi debita consequatur. Itaque ante duos annos ablegasse, qui hanc voluntatem suam senatoribus indicarent, & cum iis agerent de Palatino eligendo; eos tum legatione recte fungi nequivisse, quum a bello intestino, quod sine*

CIↃ IↃ XXXVI. *sine ulla iusta causa commovisset, Dania miserrime concuteretur; quo & factum, uti regni senatores ad electionem liberam, ac legitimam convenire non potuerint. Quum vero etiam porro arma sua circumferre, uti regnum alienum suum faciat, & excludat qui propinquiores sanguine ius hereditatis] habeant. Hac de causa imperatorem, quem tueri suum cuique ius oporteat, aequitati minime consentaneum existimare, iti principi, tam propinquae, fraudem fieri, & hereditatem eius per vim summam, & iniuriam, ab iniusto possessore detineri patiatur. Etiam commercia Germaniae cum regno Daniae admodum antiqua esse, quae nunc bellis, magno omnium subiectorum detrimento, intercepta; ac ne porro pessum eant, Caesari prospiciendum. Itaque constituisse ad vim istam haud diutius connivere, aut deinceps bella illa tolerare. Itaque monere sedulo, Caesaris nomine ac mandato, ut ab armis mox discedat, & vi publice abstineat, neque Daniam infestare ultra velit. Si competere aliquam sibi actionem arbitretur, iure ageret. Simul militem amoverit, se facturos, ut obsessi Caesaris in potestate sint futuri, nec inducias adspernentur. Caesaremque cum pro ratione muneris, tum natura pacis conservandae cupidum, ius cuique tributurum. Atque velle, ut, quod sibi Christianus vindicare ex istis queat, ipsi cognoscendum tradat; mox sententiam dicturo ex aequo, & bono; si detrectet, nec desistat, fore, ut ad alia remedia convertat sese, queis pax Daniae reddatur, visque ab imperii limitibus prohibeatur. Itaque mature malo, ut occurrat, Caesari obsequeretur, & quid animi haberet, per eumdem tabellarium responderet; aut si res id suae ferrent, ipse in Holsatiam ne commeare gravaretur. Quod si rem tractari mallet per Holsatiae praefectos, quos ibidem constituerat, se Hamburgi, aut Lubecae, aut quem locum tutum daret, haud gravatim absuturos, ut negotium conficerent. Optare vero, ut quam primum istud fiat. Siquidem & mandata habeant alia in diversis sibi locis peragenda.* Et hae quidem legatorum literae ad Christianum. Sed dum ea perferuntur, antequam responsum acciperent, ad Henricum Megapolitanum abeunt, & mandata apud illum sua peragunt. Cuius rei regii praefecti ignari, neque ita festinato discessuros arbitrati, frustra se Hamburgum conferunt. Qua de causa dum responsum Megapolitani illi Sverini praestolantur, scribunt ipsis, datam sibi a Christiano potestatem, uti de re tota agerent; ac paratos aliquos Hamburgum mittere, simul ipsos advenisse intelligerent. Verum illi excusare, & negare integrum redire eo, quum negotia aliqua inopinato incidissent, neque tuto pertransire ditiones Christiani sine commeatu possent. Sed Lubecae intra sex dierum spatium absuturos; illuc mitterent quos vellent. Verum regii reditum Caesareorum aliquamdiu Segebergae praestolati, quum per literas rogarent, ut accedere ad coenobium Arnoboxhianum vellent; ubi satis tuti forent; ac missuros etiam pollicerentur, qui deducerent, sive istuc, sive ad ipsum

quoque regem, nihilominus detrectabant, & negotia, quae Lubeca excedere non paterentur, obtendebant; tum quo minus alio venire liceat, temporis brevitate excludi. Itaque quum noxia utrisque mora videretur, postulabant, ut ipsi Lubecam excurrerent, atque illic responderent, idque omnino exspectare testabantur. Tamdem quum Caesarei se evocari nullo modo paterentur, mittunt regii ex suis Godschium Rantzovium, ac Petrum Svavenium, qui responsum regis ferrent, ac legatos expedirent. Ac rex hunc in modum scripserat: *Sic res suas postulasse, ut in Daniam transiret, ubi ipsorum adventu ex iis, quas misissent literis intellexerit, si praescisset, perlibenter ipsis sui copiam facturum fuisse, & collaturum coram. Nunc turbatis valde rebus, neutiquam id fieri posse. Itaque per literas responsum velle, animumque declarare. Gratam sibi a Caesare salutem esse, & hanc reddere; simul & officia deferre sua, uti regem designatum, & obsequium, veluti Holsatiae ducem paratissimum polliceri. Matrimonium Friderici Palatini, & Dorotheae perlibenter accepisse; laudibusque Palatini, quas adgnoscat veras esse, se favere, nec detractum quidquam cupere. Tum cognatae suae hunc maritum obtigisse, multum etiam gratulari; ac precari, ut hoc Deus fortunatum esse velit. Si legati, qui in Daniam ante biennium missi erant, uti regnum Palatino procurarent, sine iusto titulo petitum a se armis istud retulissent, aut rem sane ignorasse, aut invidia, ac malitia veritatem corrupisse; quippe longe aliter comparatum esse. Nam priusquam arma in Daniam intulisset, misere adflictam ab hostibus, qui priores eam ingressi, tum & bello intestino sic fuisse desolatam, ut antiquum decus suum, atque vires pene omnes amisisset. Se occasionem bello, a quo semper abhorruerit, nullam plane praebuisse. Ita se a patre suo principe & moderato, & pacifico ab aetate prima edoctum, monitisque eius inde in hunc diem paruisse. Eo mortuo, ducatum item utrumque, suo, atque fratrum nomine gubernandum subscepisse; neque a priori quidquam instituto recessisse. Verum pacem summo studio quaesivisse; ideoque cum sorore Caesaris Maria foedus iniisse, ne bellorum inde causa ulla sibi nasceretur. Id inique tunc tulisse Lubecenses, qui hominibus inquietis, Georgio Textori, ac Marco Meiero se permiserant, atque violato foedere, quod cum patre intercesserat, se fratresque perdere constituisse. Hos iniuriam inchoasse, ac Christophorum Oldenburgicum impulisse, se ducem exhiberet, & Holsatiam infestaret. Inde copiis comparatis, Daniam bellum intulisse, & praecipuas illic urbes, sine armis, summo proditorum scelere occupasse. Idque unum impediisse, ne ad eligendum regem senatores convenirent. Interim se, & Holsatos in defensione sua, & recuperatione item regni laborasse. Neque belli causam Lubecenses graviorem habuisse, quam quod foedus cum Maria ictum nollent; illud prohibere rati, ne pro libitu mari toto grassarentur. Hinc occasionem belli contra patruum Ioannem, aliosque Daniae reges quae-*

CIↄ Iↄ XXXVI.

scivisse, auctam & malevolentiam in conventu Hamburgensi, studio suo erga Caesarem declarato. Insuper & indignatos, quum ad littora Danica naufragio eiectos Belgas hospitio benigne, & victu adiuvissent. Ignorare haec Mariam minime posse, quum vulgata Lubecensium ea de re scripta exstent. Quorum unum in principio horum motuum ad se miserit. Itaque legitimum bellum, & ipsius maxime causa concitatum, impedire Caesarem non debuisse. Multo minus Daniae, Norvagiaeque regna ad fini Palatino postulare. Quin contraria haec iis, quae priore in legatione acta, quum benigne testaretur, nolle se in Dania regem quemquam alium praeter filium Friderici, ac, si quisquam intercederet, praesto ad suppetias fore. Eiusque rei, quae certissimam fidem faciant, etiamnum in archivis documenta adservari. Neque posse Palatinum ullo modo Daniam sibi per uxorem vindicare; quum id regnum sit liberrimum, procerumque electione conferatur. Nam nec filio quidem regis, etsi fere ratio haberi semper eius soleat, illos umquam obligatos; nedum ut id ulla queat filiarum postulare. Ac solenni iuramento praecaveri quum inaugurantur reges, ne ius istud violetur. Imo, si id rex conetur, fidem, quam iurassent, solvi, nec teneri ad obsequium. Ea lege: *ex familia Oldenburgica lectum Christianum primum, & post illum reges ceteros. Idque Godescalcum Ericium in his regnis educatum nullo modo ignorare. Ac quantumvis libera electio esset, nihilominus Palatinum eligi non potuisse, etiamsi ante biennium legati ad comitia accessissent. Nam senatum se parenti Friderico de substituendo aliquo filiorum obstrinxisse. Hanc ob causam inter regnum exstitisse, ut proceribus Norvagiae advocatis, & consilia sociarent, & consensu regem sibi constituerent, minime electionis extorquendae occasionem defuisse, quum & in id incitarent Lubecenses, & multorum item studia haud obscure inclinarent. Noluisse vero sibi regnum per vim comparare; & electionem fratris, quamquam impuberis, aequo animo tolerare potuisse: sed cum Dania armis hostium undique infestaretur, sibi regnum tradere senatores voluisse, nec tam graviter adflictos, & enixe opem a se flagitantes potuisse destituere. Sed eorum desiderio, precibusque paruisse. Inde se pro regno, non solum paterno, & avito, sed in praesens etiam suo, arma sumere coactum, ac favisse iustae causae summum Deum, & victorem terra ac mari effecisse. Vt iam hosti praeter unicam civitatem superfit nihil, eam ceu primariam regni sine probro illi haud relinqui posse. Ideoque ut exercitum dimittat, magno sumtu comparatum, neque sibi, neque regno expedire, armis Oldenburgicum in ordinem cogendum esse, atque pervicaciam eius, qui praefracte aequam pacem reiecisset, coercendam. Nec auctorem Caesarem futurum sibi, ut res suas meliore loco positas dubium in eventum tradat, & obsessum arcte hostem elabi sinat. Haud commercia se turbasse, verum illos, quibus iure imputari bellum debeat. Oldenburgicum quod obtenderit, liberatum voluisse Christiernum nullo modo quaesivisse, sed hoc operam dedisse, ut vel regnum ipse sibi compararet, vel id plurimum licitanti in manum traderet, Nam id actum apud quosdam, nil omnino ad imperium pertinentes; tum acceptam eo nomine pecuniam e textore id confesso, satis clarum; Caesaremque eius rei mox reddendum certiorem, eos potius puniendos, qui consilia haec cepissent. Et ab iis exigendam pacis pridem perturbatae rationem. Regibus Daniae, & Holsatiae item ducibus Caesari arctum foedus intercedere; nec id inde aliquatenus imminutum. Hac de causa nihil minus exspectasse, quam ut Caesar tam iniqua postularet. Non videri id factum re penitius intellecta, ac fiduciae in eius aequitate collocatae parum istud convenire. Haud iudicium detrectare, & parentem controversiam curiae Imperiali permisisse: se similiter aequos iudices nullo modo recusare. Clarum Caesaris nomen esse moderationis fama, nec futurum arbitrari, ut hanc, durius aliquid de se statuendo, nunc corrumpat. Hostes sibi excitatos, maxime Belgarum causa, quorum neque minis territum, nec incommodis, quae intulerint, ut decederet a foedere, cogi hactenus potuisse. Itaque rogare Caesarem, ut his omnibus perpensis, secum reputet, quid se deceat, & quam nihil in hoc regnum iuris Palatino competat; neque causam ullam esse, cur quid durius in se statuat, aut inceptet.* Minime Caesarianis gratum fuit hoc responsum, tamquam postulatis Caesaris parum satisfactum esset. Nec renunciare ausuros se dicebant, quae de foedere violato, ac petitionis quoque iniquitate obiecissent. Itaque reddunt, nec audire ultra quidquam, aut conferre verba volunt. Contra regii aiebant, & abunde factum satis, & ulteriore nihil declaratione opus; tum eamdem regis sui mentem esse. In hunc modum, irrita legatione, discessere; regii quidem in Holsatiam, Caesariani in Saxoniam, ad Ioannem Fridericum Sac. Rom. Imperii Septemvirum, & Philippum Landgravium Hassiae illic eadem querela. *Ac deferendum Christianum, qui iniuste Daniam nunc oppugnaret Palatino per uxorem ceu hereditate debitam filias sororis suae Caesarem restitutas velle, & commercia, quae flagrante, bello, cessent, instaurata; qua de causa persuaderent Christiano, ut discederet ab armis, ac iudicio se permitteret. Si id nolit, paraturum alia remedia Caesarem, & auxilia ab amicis Palatinum petiturum. Hinc quae bella per Europae istas partes oritura reputarent, & quam ea nocitura tempore tam alieno, quo religionis pacem Pontifex, & Caesar pariter constituere decrevissent; armaque in Turcam potius, aliosque imperii hostes verti debeant. Itaque hanc reipublicae, Caesarique operam darent, ut averterent Christianum a proposito, aut, si ille non auscultet, Caesari adversari nollent.* Sed responsum ab utroque, Christianum, cuius causa sit aequissima deferi nequaquam posse, nec debere. Tum occasionem belli, & ius regni, ac propositum Oldenburgici, Lubecensiumque memorant, plane sicut pridem regii; neque grata haec legatis, regerentibus: *non ad di-*

ↃIↃ IↃ XXXVI.

ad disceptandam causam advenisse, sed dumtaxat ut monerent, ne obsequium detrectantem Christianum, & rebellem contra Caesarem adiuvarent. Ad quae illi replicare: *non se odio cuiusquam, sed amore veritatis haec dixisse, ac sperare, non laturum aegre Caesarem, & se aequum Christiano, simul causam intellexerit, praebiturum*. Christianus, qui haud contemnendam sibi Caesaris potentiam existimaret; & in Africa Muleassem restituere tunc conantem postea in se moturum, ut a Daniae cogitatione eum ad pericula sua verteret, castra ordinat, & Christophorum Felsenium praeficit; ac transgressus in Holsatiam, evocat Menardum Hamium, veterem stipendiorum, & militiae celebratum. Mox cum signis peditum decem in Frisiam Orientalem ducere iubet; addiditque quaedam a se Carolus Gelrus, tunc infestus Groningensibus, quod auxilia, & pecuniam flagitanti denegassent. Itaque coniunctis copiis, Frisiam inopinato invadentes Damum urbem, positam in territorio Groningensi, suam in potestatem redigunt. Inde palabundus miles loca passim circumiecta populatur, & incendit, ac Groningam usque excurrens, etiam navale exurit: Oppidanis ad vim istam propulsandam imparatis. Ea clade quum a Gelro opem peterent, nec is mitteret, ad Mariam Belgii praesidem se convertunt. Illa vero gratum se facturam Caesari, si augeret ditiones arbitrata, utitur occasione. Nam timebat, ne Groninga Christianus, amicitiae ambiguus, atque mari multum validus potiretur, ac deinde Frisiam ad Occidentem, aliasque ditiones Caesaris, adoriretur, & commercia Belgarum in his locis perturbaret. Itaque Schencum Teutenburgicum Frisiae praesidem, illico mittit, ut Groningam in fidem acciperet, & adversus Gelros eam, quique cum his arma sua coniunxissent, tutaretur. Isque statim acceptis copiis, quas in Daniam pridem Caesar comparaverat, proficiscitur Groningam, & hanc Caesari adquirit, populumque dicere sacramentum iubet. Quo peracto, inde ducens, loca quaeque Damo adsita, & ad illud oppugnandum opportuna redigit in potestatem, & obsidionem parat. Id tenebat miles regius, hosti impar. Cuius rei factus Christianus certior, & periculi suis imminentis gnarus, tria peditum, qui subveniant, millia mittit; quos ducebant Bredo Rantzovius, & Georgius Munsterus. Etenim Caesarem, atque cuius causa istic agebatur, Palatinum, in his locis distineri, e re sua statuebat. Sed consilia Teutenburgio prodit Hispanus quidam Adrianus, homo omni genere scelerum coopertus. Ille homicidii reus, Dania quum extorris ageret, Anabaptistis pridem se insinuaverat; moxque cum nonnullis horum in Holsatiam reversus, atque captus, verbis blandis, & ad pietatem factis, quia pretii alicuius, & arcana principum quorumdam nosse videretur, redditus libertati fuit. Hinc adscito in familiam Christiani demandatum, ut res Frisiae clanculum investigaret, & ad regem, quae cognosceret, referret. Sed is contra, quae mandata, Teutenburgio universa indicare; tum auxilia quae parata. Itaque proditione eius gnarus Teutenburgius, quanta essent, & quo tempore adventura, obviam ad Westervvaldium illis factus, manum conserit, & superior captos duces ad Mariam statim mittit. Quae res etiam Palatino, qui in castra eo ipso die venerat, laeta fuit. Teutenburgius, quum iam nullus regiorum metus esset, Damum copias reduxit, & id obsidere pergit, dum necessitate summa acti obsessi sese dedunt. Inde regiis passim fusis, passim captis, totam in Caesaris potestatem Frisiam cogit. Tamdem pacem Gelrus init, Frisiisque venia datur. Christianus, dum feliciter principio in provincia Groningensi res succederet, iam securus impetus Caesariani, Hafnienses frustra auxilium sperantes acriter premere, naves, fretum Oretanum undecumque ingressas, detinet; atque in obsessos instruit; inde mittit, ceu suppetias venirent. Numero ducentae erant, & cum regiis, quae per fretum excubabant, simulant pugnare velle. Sex relictae in insidiis, quae invaderent obsessos, si e portu prodeuntes opem ferrent, fit concursus, & pugnatur aliquot horis. Hafnienses postquam propius eae naves accessissent, rati amicas, & auxilio venientes, portas pandunt, & in moenia adscendentes, signa explicant, bellica tormenta explodunt; maximumque tota urbe gaudium erat, plena compita, atque vici, ordinis, aetatis, sexus cuiuscumque adparebant, strepituque personabant. Sed ut dolus palam fuit, gaudium in dolorem versum, denuoque clausae portae, animique, etsi spes auxilii evanuisset, ad obsidionem porro tolerandam obfirmati. Hinc vis undique allata. Ex Amagria insula propinqua urbi, aliquid obsessis indies commeatus ferebatur, uti opulentiores publicae inopiae taederet minus, dum haberent, unde victum quovis pretio compararent. Quod ut regi exploratum, illico translatus miles, qui invaderet. Soli agricolae tenebant, nec praesidium ullum erat. Itaque non difficulter insula occupata fuit; quam ut retinere posent, propugnaculum prope urbem in adverso littore structum. Itaque quum commeatus ultra nullus advehi obsessis poset, magna fame laborabant. Itaque consilium prudentiores civitatis quoddam capiunt, quo his malis subvenirent. Ac queis maxime res curae, mandaret magistratus nomine, ut postridie in forum universi convenirent. Parent cives, & a sacra concione, ceu de fame sublevanda inter se acturi adsunt; & propositum ipsis erat, ab his, qui in potestate urbem habebant, postulare, ut annonae rationem expedirent, aut demitterent egenos, ac cum fame confligantes, ne funestam morte adeo miseranda urbem facerent. Id tribuni violenti, quique omnia pro libidine agitabant, postquam gnari, pessime interpretati, miseros calumniantur, tamquam dedere urbem vellent. Quo vulgato, milites, qui in praesidio undique in armis coeunt, & attoniti, uti fere in periculo repentino, prodi se a civibus vociferantur, & clamare. Mox Am-

CIϽ IϽ XXXVI.

Ambrosius, Bosiusque ulciscendam hanc perfidiam, ac tollendos factiosos, ut parere, ad flictione quavis, ceteri discant. Inde ipsi, aliique ex senatu, primi impetum armati in inermes cives faciunt. Hinc invadit, quasi signo dato, miles, & trucidat ad ducentos Reliqui elapsi domum quisque suam, non perfugium tamen illic sibi tutum invenere; nam protracti inde multi, & crudeliter interfecti. Neque pauci, qui conventum ignorabant, in amplexu liberorum, coniugumque trucidantur; quidam & in officinis, occupati in domestico labore, ac nil mali metuentes. Quin nefarie adeo vis grassabatur, ut qui militum forte quemdam offendisset, ficto ad invidiam crimine, ceu proditionis reus, inhumaniter mactaretur. Tamdem interfectis plurimis, ne proditionis eos temere insimulasse viderentur, interdicunt, ne quis domo in tempus certum egrederetur. Ita miseri domi suae tamquam in custodia habiti, ut, qui victum aliunde quaerere necesse haberent, petere prohiberentur, atque famem, veluti indictam poenam, aerumnose tolerarent. Tamdem Ambrosius, Bosiusque, caedis saturi, cupiente Oldenburgico, sic diffidium componunt, ut patratum cuique scelus sine ulla noxa esset, & secure cives viverent. Ita omnia, connivente magistratu, impunita permansere; civibus per vim coactis adquiescere, nisi, post tam magnam cladem, domos etiam, quod nonnulli minabantur, diripi vellent. Tamdem, quum obsidionem ultra annum tolerassent, ac iam fame Saguntina premerentur, nec subsidium ullum esset, aut effugium, animum ad dedendam urbem inclinare compelluntur. Itaque ad regem missi, qui deditionem obferrent, dum conditiones ille tolerandas largiretur. Sed is, alias mansuetus, ac placabilis, hosti adeo pervicaci minime dandam esse pacem existimabat; nisi eius potestati universum se permitteret. Adiuvabat supplicum preces, intercessione sua, Guilelmus Luneburgicus, qui in Daniam tum advenerat. Et huic datum, ut, adscitis regii exercitus ducibus veniae, ac pacis leges constitueret, quae fuere: *Megapolitanus, & Oldenburgicus, cum militibus, civibusque in gratiam reciperentur; & impune, quisquis vellet, regno excederet; ac seorsim Megapolitanus quidem, cum uxore, liberis, consiliariis, toto aulae ministerio, regiis navibus ad Germaniae littora deveheretur, & cum eo, quisquis vellet, ex nobilitate, aut civibus; praeter Coquum, & Ambrosium. Ita tamen, ut qui semel excessissent, ne in Daniam postea reverterentur. De iniuria regi a Megapolitano praeter ius, & fas illata utrimque arbitri cognoscerent, ac si illi dissentirent, alius adscisceretur honorarius, & iudicio, aut transactione aliqua, controversia finiretur. Mercatores, qui per bellum e Germania accessissent, bona sua, praeter naves, & earum armamenta cuncta auferrent, ac cum Megapolitano item exirent. Isque naves, quibus in Germaniam reveheretur, salvas illico remitteret. Oldenburgicus cum suis itidem transportaretur in Germaniam; dato prius iuramento, nil se umquam contra regem, aut propinquos, sociosve moliturum, neu subiectis regni Daniae, Sveciae, Norvegiaeque, vel Slesvici, & Holsatiae vim omnino, aut iniuriam ullo modo illaturum; neque deinceps in haec regna, aut provincias regressurum, aut clam illic in perniciem alicuius umquam quidquam tentaturum; tum ni pacta observaret, postea infamis esset. Equites, qui tempore obsidionis, Hafniae morati forent, arma, & equos secum abducerent; ac discederent quo vellent. Idem & peditibus concessum fuit, hac conditione tamen, ut quod civibus deberent, prius solverent, signis omnibus aut substrictis, aut omissis. Nec stipendia contra regem, aut propinquos, sociosve, intra quadrimestre tempus, ulla facerent, sub infamiae item poena. Si excedere cum militibus quisquam vellet, integrum id cuivis foret, nisi Coquo, & Ambrosio; sed & hi deinceps Dania, nisi veniam redeundi impetrasent, abstinerent. Hafnienses quidquid contra regem, fratres, aut senatum, & nobilitatem regni admisissent, venia aboleretur, rexque eos contra quorumcumque vim iniuriamve tueretur. Coquus, & Ambrosius, intercedente Guilelmo Luneburgico, in gratiam reciperentur; ita tamen, ut in potestate regis semper maneant, & in regno, aut ducatu Slesvicensi, seu Holsatia sedem figant, libera commercia illic, sub protectione eius habituri. Tum & fidem iuramento suam obstringant, commoda se regis semper atque regni, omni ope promoturos, neque conaturos umquam, clam, palamve, ut custodia Christiernus liberetur. Qui in praeliis capti essent, utrimque sine pretio dimitterentur, persoluto prius debito apud hostes contracto. Ex senatu, aut nobilitate cetera, qui Megapolin, aliove abducti essent, pariter sine ullo pretio redderentur, ac confestim in Holsatia praesidi Segebergensi sisterentur; datis antea obsidibus, qui post illos restitutos dimittendi, quique Hafniae tenerentur, eos e vestigio in libertatem restituerent. Vrbem Hafniam, arcem, naves, bellicumque instrumentum universum suppellectilem qualemcumque, literas, thesaurum omnem, sive regis, sive civium, regi traderent, aut cui tradi ipse vellet.* Ita Hafnia subacta, tota Dania ad obsequium Christiani est reducta. Inde arbitri, cognoscendae inter regem, & ducem Megapolitanum controversiae, constituti; ac pro rege Philippus Landgravius Hassiae, Megapolitani nomine lectus Albertus Septemvir Maguntinus. Atque illi promisere, simul rex id postularet, intra dierum hebdomadas decem absfuturos, & sententiam dicturos, ac si forte diffiderent, arbiter adlegeretur honorarius, qui dirimeret, & sententiam, quam probaret, ratam faceret. Post haec de captivis Danis, & obsidibus pro his dandis agitatum. Illi erant Andreas, Benedictus, & Ioannes Billii, Otho Crumpenius, Mathias Bollius, Ioannes VVrnius, Nicolaus Vicentius Lungius, Canutus Petri, Iacobus Hardenbergius, Hilarius Ronnovius, Canutus Henrici, Ericus Matthiae; obsides vero pro illorum libertate Megapolitanus dedit, Christophorum Burgravium, & Baronem Donanum, Ioachimum Iessaeum, Viccium Stralen-

CIƆ IƆ XXXVI.

lendorpium, Melchiorem Campenium, Theodorum Oldenburgicum, & Ioannem Veltzovium. Oldenburgicus autem exhibuit Henricum Deccenium, Heidonem Ermandorpium, Ludovicum Debenium, Georgium Ligstium, Henricum Iuchterum, Hieronymum Schuiringium. Hi in manus regis traditi, mox benigne dimittuntur, ea lege: *ut Hamburgum se recipiant. hic tantisper publico in diversorio moraturi, dum captivi remittantur; queis reversis, ipsis quoque integrum abire foret. Postquam autem discessissent, nihil intra quadrimestre contra regem, sociosve molirentur, nec adversa arma gererent*. In hoc se etiam Oldenburgicus obstrinxit, a quo insuper postulatum iuramentum, idque scripto consignatum; quum rex Megapolitano literis dumtaxat datis fidem haberet. Post haec ambo in castra accedunt, supplicesque, ut convenerat, regi fiunt, & obsensam deprecantur. Incedebant nudo capite, & in manibus virga alba; quumque in conspectum regis pervenissent, mox in genua provolvuntur; & confessi culpam, veniam promissam ante, precibus demisse petunt. Aequiorem Megapolitano sese rex praebebat, quem pertractum in societatem sciret, neque sponte animum in se hostilem induisse. Sed in Oldenburgicum invectus acrius, ceu auctorem totius calamitatis: *Quo te*, inquit, *facto laesi, ut tam male mihi, atque meis faceres? An iniuria tibi ulla a me illata, quam cruento adeo bello vindicares? si incommodi aliquid tibi obiecissem, sive damni, nonne expostulandum erat? iam nil causa est, quod dicas; nil iniuriae quod oppones. Bello non denuntiato, irrupisti in Holsatiam; igne eam, ac ferro vastans. Tum rebellio in Dania tuo impulsu excitata; caedibusque, & incendiis regnum totum quam miserrime desolatum. Numquam Deo sanguinis effusi ullam rationem, si is exigat, reddere poteris, neve scelus expiare. Itaque hoc operam dato, ut inprimis maxime contrito corde illi lites; ne id in iudicii die severissime ulciscatur. Mihi enim, quamquam tu propinquitatis, quae inter nos intercedit, nullam plane rationem habendam esse existimaveris, haud decorum satis puto, mutuae necessitudinis, sanguinisque oblivisci, neque si pudoris tui tu oblitus, me a mea mansuetudine minime abire opertet. Itaque vindictae haud utar, quam mereris, & occasio nunc obfert; sed quam petis veniam propitius dabo. Vide autem, ut sis memor beneficii; & deinceps rebus tuis bene consulas, atque Deum ut ignoscat tibi*.

Haec rex, irae animique iuxta potens, postquam proloquutus foret, ac se debellare hostes, atque parcere debellatis didicisse ostendisset; surgere utrumque iubet, & reduci intra urbem. Inde illi accersere, qui totius civitatis nomine missi, e consulibus, senatoribus, civibusque; quibus culpam humili confessione deprecantibus, venia defectionis omniumque, quae admiserant data fuit, ea lege, ut deinceps fidem regi, & obsequium praestarent. Tum religionis quoque reformatae exercitium indultum; dum ministros adhiberent, qui doctrinam, pietatem, ac modestiam adprobarent. *Iura etiam, & immunitates omnes, quaeque a Ioanne patruo, aut parente Friderico privilegia accepissent, non dumtaxat sarta tecta, semper forent, sed in die coronationis regiae insuper confirmarentur, & in maius augerentur, quin & agrum, Scritzloffium adpellatum, ad pascenda urbis universae armenta retinerent. Vrbem vero, propugnacula, turres, ac tormenta, & alia sine exceptione traderent; rex vicissim contra vim quamcumque eos, & iniuriam tueretur; nulli crimen aliquod intentaretur, nisi iis, qui infestas Annae Rosencrantziae manus intulisent. Bona regni, & quae privatorum essent, quae exstarent, redderentur. Consules a rege semper crearentur. Qui infamiae, aut proditiones rei, cum his lege ageretur. Per Norvagiam, ceterasque ditiones, quae ad regem pertinerent, libera commercia forent. Hafnia in potestate regis esset, dum is viveret; eo mortuo, senatorum, aut illius, quem hi regem elegissent*. Quae utrimque postquam sic transacta essent, illi in urbem remissi, pacem civibus promulgant. Moxque Megapolitanus, & Oldenburgicus, ocyus collectis sarcinis, urbe egressi, in Germaniam enavigant. Inde paucis post diebus rex, regina, & senatus urbem intrant, ac vastatam maxime invenientes miserantur. Rex victoria moderate usus; neque quisquam, cuiuscumque criminis reus poenas dedit; praeter eos, qui turpissime Annam pridem Rosencrantziam interfecerant. Ambrosium Consulem uxor Ioannis cubicularii iniquae in maritum sententiae reum egerat. Verum is quum causam dicere apud iudices cogeretur, pridie veneno mortem, dignam tot flagitiis, acceleravit. Neque tamen ignominiam, quam effugere cupiebat, evitavit, dum carnificem ut evaderet, suus, quod est multo peius, ipse sibi esse voluit.

HISTORIAE DANICAE

LIBER VI.

CIↃ IↃ XXXVI.

CHristianus postquam Hafniam expugnasset, Daniae totius compos, ad rempublicam instaurandam se convertit. Itaque adhibitis, qui praesto erant, senatoribus, Magno Goiaeo palatii magistro, Tucone Crabbio regni equitum tribuno, Agone Lungio, Axilio Braheo, Canuto Billio, Olao Rosencrantzio, Oligero Vlstandio, Trugoto Vlstandio, Magno Guldensternio, Erico Crummedigio, & Ioanne Frisio, id negotium inchoavit. Nam antistites, ceterosque ordinis ecclesiastici senatores, odium religionis, & mutationis metus, domi suae continuerat. Neque etiam redierant ex captivitate sua, qui a Megapolitano, & Oldenburgico in Germaniam missi fuerant. Omnium consensus erat, abolendam antistitum auctoritatem; tum eorum quoque opes reipublicae adplicandas; nec ferendum ullum eorum ad ecclesiam, aut rempublicam gubernandam adhiberi; nisi in synodo ecclesiae generali aliter statueretur, & ut maxime synodo decerneretur; nulla tamen ratione admittendum, ut in locum ullus horum pristinum restituatur, nisi in id rex, senatus, populusque item Danicus uno ore consentirent, nec religionem aliam praeter reformatam velle; & illius inoffensum exercitium adiuturos; tum & vitam, ac fortunas in hoc ipsum, & rempublicam universam, si necesse, impensuros. In haec mutuo se obstringunt, addito in silentii fidem sacramento, ne consilium ante tempus emanaret. Nam potentia antistitum etiam tum metuenda, ac suspecta tanto magis Christiano, quanto a religione eorumdem animus alienior esset. Et praesidio nobilium, populique, qui adhuc addicti erant, non invalido nitebatur. Itaque factu optimum, tutissimumque visum fuit, uti uno die omnes, rerum ignari, caperentur. Vix haec in arcano acta, quum officii causa regem adeunt Torbernus Billius, Metropolitanus, Lundiae, & Roschildiae episcopus Iacobus Ronnovius, & a Melchiore Rantzovio, iussu regis, nihil tale exspectantes, capiuntur: Billius, in hospitio suo, ac Ronnovius in Episcopi illic aedibus, quae in Academiam nunc commutatae, Ille quidem nil repugnans paruit necessitati. Sed hic, a militibus effracta porta, in interiora aedium se proripiens, vix postridie inveniri in supremo tecto potuit. Sic Canutum Guldensternium, praesulem Othoniensem, postquam sacris operatus, ex Albani templo exiret, a Claudio Daa, & Centurione Germano comprehenditur; isque initio, etsi multum indignatus, tamen lectis regis literis, quibus illud mandabatur, sine ullo porro motu adquievit. Cimbriae antistites, Ioannes Rantzovius, vi aut astu comprehensos illico ad regem ducit. Viburgensem, Georgium Frisium civium adiutus opera, est adeptus. Nam, cum his honoris ergo extra portam Haldensis arcis obviam progrederetur, quidam horum, ianitore interfecto, portam claudunt. Itaque exclusum eum, ut & arcem, redigit in potestatem. Neque in Stigoto Crumpenio Burglamiensi capiendo aliquid negotii fuit; sed plus in Arhusiensi, Agone Bildio. Nam in illum vim tentari Christianus prohibuerat, atque arcem Silkeburgum, etsi acriter hanc Rantzovius oppugnaret, nullo modo ut dederet, adducebatur; strenueque per praefectum Ioannem Stugium repugnabat. Quod dum facit, trium regum cancellarius, & sub illis optime de regno meritus, recti animi fiducia, datis literis, postulat a Christiano, ne hanc, sibi ab Arhusiano Collegio, sub iurisiurandi fide demandatam, nunc extortum ire vellet, neve se periurum faceret. Ac quantumvis Christiano certum esset, non permittere, ut Episcoporum ulli dioecesis, sive arx relinqueretur; huius habita tamen ratio; idque honori datum fuit, ut mitterentur Ioannes Frisius, & Olaus Rosaecrantzius, qui blanditiis persuaderent, uti regis potestati se permitteret. Itaque orationis suada captus arcem dedit; & in Sialandiam cum illis transit, ubi quum Roschildiam perventum esset, traditur Henrico Stenbergio, sub custodia adservandus. Vnus omnium Ripensis, Ivarus Munckius, qui iam pridem dignitate se exsuerat, & privatam vitam elegerat, neque duci per senectam, & ex ea invaletudinem, quoquam poterat, libertatem salvam tenuit; sed in eius locum electus Olaus Munckius ceterorum sorte usus. In hunc modum capti antistites alii alio in custodiam abducuntur. Ac Crumpenius Sunderburgum amandatur; Ronnovius varie translatus. Nam ut quisque moderate casum ferret, & conviciis abstineret, ita habitus benigne. Et plerique libertati restituti; nec hereditaria dumtaxat bona recepere, sed & beneficiis aucti. Cum Ronnovio, ceteris ferociore, durius actum. Et, quum primum Hafniae custodiretur, hinc Draxholmiam, inde vero Helsingoram, mox Visbuium in Gothlandiam transportatus, tamdem Hafniam reducitur, ubi denique vitam finiit, anno 1544. Post haec bona ecclesiastica, & coenobia, Christianus sibi vindicat; nisi quod collegia Canonicorum quinque exciperet, & relinqueret possidentibus. Tum in monasteriis manere cuique, si quis vellet, permittebat;

CIↃ IↃ XXXVI. tebat; ita tamen, ut ad ministerium ecclesiarum adhibere non vetaret, qui scientiam literarum divinarum mediocrem consequuti, populo instituendo apti essent. Porro ne quid statum regni liberi, iniussu populi, immutare videretur, mox comitia indicit; & delectos ex urbanis, rusticisque ex nobilibus, omnes quotquot cladi publicae superessent convenire Hafniam iubet. Ordinem Ecclesiasticum, iam captivis antistitibus perturbatum, ne adsuetus in comitiis dominari, libertatem suffragiorum impediret, praetermittit. Ideoque, quum die dicto magna ex utroque ordine multitudo confluxisset, statim cum senatu actum de nobilitatis iure, populique, ad quod rex obstringebatur, sacramento confirmando. Item quibus illud verbis proferendum, aut quid etiam adiungendum videretur. In quae postquam convenissent, convocata concione, rex in pegmate, quod in foro ideo exstructum erat, cum senatu constitutus, hunc in modum per interpretem populum circumfusum adfatur. *Miserari publicam calamitatem, ac dolere infesta tempora, quae subiectos adflixissent, & malorum quidem causam merito ecclesiasticis imputandam; tamen ceteros quoque ordines culpae non immunes esse. Etenim nobilitatem quaedam in plebem deliquisse, ac vicissim plebem in nobilitatem odia atrocia exercuisse. Et utrimque multum in rempublicam peccatum esse. Verum se ignoscere paratum cunctis, nam videre, si severe vellet agere, nullum sanguinis effundendi finem fore. Nolle autem ita regnum audspicari; sed collapsum potius benevolentia, gratiaque instaurare. Itidem hortari ipsos, ac rogare, uti mutuas obfensas reipublicae condonarent.* Hac oratione sua, plena moderationis, & clementiae, quum putaret animos nobilitatis, populique inter se conciliatos, mox antistites persequitur, memoratis sigillatim dictis pariter, ac factis, quibus regem, aut rempublicam obfendissent. Inter ea, *quod sprevissent literas regias, ac proterve regiis ministris item illusissent; tum, suppetias regi ferre denegassent, regni etiam vectigalibus interceptis. Inde plebem concitatam, ac cum hoste conspiratum. Ea autem pleraque suppliciis extremis digna.* Et haec sparsim, in nonnullos. Vniversos maxime insimulabat, *quod doctrinae reformatae totis viribus pertinaciter obstitissent, ac doctores Evangelii, odio religionis, quam gravissime infestasent. Denique, quod iura regni, introductis, quae placerent, antiquasent, & in sua unusquisque dioecesi, nec religioni avitae, neque reformatae addicti, regnum sibi aliquod erigere constituisent. Itaque electionem novi regis cum antistites impedire nisi esent, regno obiectam eam cladem, quae ob oculos versaretur. Haec & alia antistites summo scelere patravise; itaque superbiam intolerandam, & damnosum reipublicae dominatum amoliri statuise. Atque velle, uti illa ordinis ecclesiastici nimia plane dignitas aboleatur, & potestas reipublicae ceteros ad optimates transferatur. Insuper doctrinam item omnino reformatam cupere, & Ecclesiae Romanae ritus, ac religionem removeri, ita tamen, ut si qui renunciare illi nollent, nihil mali eam ob causam paterentur, neu cuiusquam conscientiae aliqua vis inferretur; sed benigne ex verbo Dei veritatem universi docerentur. Ac parere si recusant, ipsos Deo fidei suae rationem reddituros, sibi vero certum esse, in veritate adgnita perseverare. Quod si autem pariter doctrinam illi puriorem amplectantur, & ecclesiasticam quoque dignitatem secum abrogatam velint, minime laturos aegre, si in fiscum bona ecclesiasticorum referantur. Nam in usum meliorem neutiquam converti pose, quam ut inde alienum aes, contractum belli tempore dissolvatur, populusque a tributo quam gravissimo liberetur. Neque tamen ita prorsus universa in fiscum relata velle, quin ad pios etiam usus adplicentur, prediaque ecclesiis, & feudi maneant. Tum nobilibus iura etiam patronatus, quae antiquitus habuisent. Decimae item ad alendos ecclesiarum administros, aliosque viros doctos inferantur. Academia restauretur, & stipendia professoribus necessaria ordinentur. Collegia sacra, & adiuncta beneficia teneantur; ac coenobiis reformatis, monachi, & sacrae virgines ibi, si velint, alantur. Inde aedes aegris pariter, & egenis sustentandis erigantur, ac reditibus, qui sufficiant, instruantur.* Atque haec de rebus sacris constituta; inde ad civilem statum verso animo, eum quoque ordinare visum fuit. Quia vero malum regno maximum obiectum esset, quod de regis morituri successore nil decretum videretur, statuebat; e salute regni esse, provideri, ne deinceps in hoc infortunium devolveretur. *Itaque ne rex incertus umquam postea haberetur, designari successorem oportere Sic Germanos Regem Romanorum habere, Delphinum Gallos, Infantem Hispanos, Anglos Principem, idem Danis, ut seditiones vitent, etiam sequendum ese. Idque motus temporis superioris, iam compositos, luculenter docuise. Deum autem testem capere non id sua causa agere, neque quidquam fratribus praereptum suis velle; sed dumtaxat, id propositum se habere, uti salus reipublicae minus alioquin firma muniatur. Eius magnam infelicitatem ese, quod interpolata iura atque leges, & iudiciorum quoque ratio labefactata, introductis variis consuetudinibus, ac statutis. Itaque deliberase cum senatu, quonam modo emendandae leges esent, & iudicia instauranda, atque leges conscripsise, formulasque in quas iudices iurarent. Eas vero bono publico ita comparatas ese, ut nobilitatis iura, populique tueantur. Maxime utrique ordini se consultum voluise. Ac nobilitati quidem privilegia indulsise, populo autem permisise, ut commercia opificia aliaque, prout sors cuiusque ferret, exerceret, nisi quod nobilium sibi praedia, & fundos emere, aut obligare vetaretur. Quia vero insolentius, quam par erat, se gessiset, statuise, uti culpae sibi gratiam a nobilitate fieri precaretur, quae & noxam intercessione sua remisuram se promiserat, atque sic futurum ese, ut memoria omnium iniuriarum in posterum aboleretur. In haec cuncta consensise senatores, nec restare, nisi ut populus ea quoque rata vellet.* Qui quum item

CIϽ IϽ XXXVI.

item recitata se probare adclamasset, factum est diploma publicum, quo & omnium nobilium, & e populo delectorum nomina repraesentabat. Ita ordine senatorio moti antistites, postquam eum a Canuti Sancti tempore annis circiter quadringentis quinquaginta tenuissent. Post haec summa omnium laetitia fuit, ac se domum universi recepere, solis tantum senatoribus apud regem permanentibus; qui de novo successore statuendo, aliisque rebus maximis in commune consultarent. Atque successorem quidem rex Ioannem fratrem suum censuit renuntiandum: & in illum pauci admodum, qui obstricti iuramento, inclinabant; eo magis, quod adultior esset aetas, & laudati principis spem exhiberet. Alii vero merita regis, qui collapsam antea rempublicam restituisset, pluris ducere; atque illi id reddendum, quasi praemium, ut successionis spes in filium eius Fridericum transferretur. Quorum & sententia tenuit. Sed de regno gubernando, si rex vita fungeretur, successore infra annos eius capessendi posito, gravius disceptatur. Erant, quibus aliquos reginae matri adiungendos videretur, ac rempublicam illis committendam esse; alii secus arbitrati, nec consensus ullus fuit. Itaque omissum plane id propositum, maxime quum rem periculo vacuam existimarent, firmo rege, & constanti valetudine. In id tamen convenire, ut successor, moriente olim patre, Fridericus, eius filius haberetur. At Christianus antequam ecclesiasticorum bona sibi vindicatum iret, de iisdem, & captivis antistitibus quum consilium a Luthero petiisset, is respondet: *quod captivitatem antistitum attineret, quia illi Ecclesiam Dei infestare non desinerent, & rempublicam perturbarent, cum defendi illud posse, tum se defensurum esse. Ceterum ex ecclesiasticorum bonis tantum Deo separari oportere, quantum ad ministros eius substentandos satis foret. Alioqui metuendum, si haec forte dissipentur, ne deinde quidquam sit superfuturum, quo ecclesiae ministri ali possint. Non id quidem admonere necessarium putasse, maxime tam pium regem, quique ipse, quid sit muneris sui sciret, & facturus ultro esset; sed exemplo aliorum incitatum; qui, ni obviam a quibusdam itum foret, omnia ad se traxissent. Quales si quos satanas in Dania exsuscitaret, votum habere, ut rex ecclesiae necessitatem cogitare semper velit. Neque aliquid praeter verbum Dei esse, unde homines, & salutem comparare aeternam discant, & damnationem effugere, & in eo cuncta sita.* Hoc responso rex accepto, & gratissimum id habuit, ac sequutus plane fuit. Et ecclesiarum bona in earum usum contulit; tum in Scholas, Academiam, & aegrorum domicilia. Arces vero Episcoporum, & coenobia fisco addixit. Ita tamen, ut deinde bonam partem aliqua donatione in bene meritos transferret; quaedam etiam venderet, aut permutaret. Etiam nobilibus nonnulla in usumfructum data, aut locata, sic ut rationes reddere, aut quot annis certam fisco pensionem exhibere tenerentur. Quae dum ageret, Christianus, aderat senatus illi, quamquam ad paucos redactus, & auctoritate sua universa confirmabat. Postea tamen, qui a Megapolitano, Oldenburgicoque abducti, quum Hamburgi fidei prius publicae literas accepissent, redierunt, & in gratiam, ac deinde, & senatum, aliis intercedentibus, restituti, acta omnia adprobarunt. Moxque pleno iam senatu cum legatis Svecicis sancitum foedus; cui quum rex Christianus, & plerique senatorum subscripsissent, idem facere Gustavus, rex Svecorum, aliquamdiu detrectavit, quia in provincias quasdam ius, quod sibi vindicabat, reservatum non fuisset, ac de finibus quibusdam controversiae indecisae permansissent. Missi & in Belgium legati quidam ad Mariam, uti foedus Gandavense renovari postularent; qui petita etsi minime obtinerent, tamen dies constitutus, quo legati mox Hamburgi ab utraque parte adessent, id negotium eo loco transacturi. Sic virtute Christiani, ac prudenti moderatione animi, rebus Daniae fere perditis, aliqua adfulsit salus, & erigere se regnum denuo cepit. Inter ista in Norvagia toto anno magnae turbae. Metropolitanus enim Nidrosiensis, animo a Christiano alieno, aegre ferens, quod auctoritate sua insuper habita, cismontani etiam consilia mox separassent, admodum tumultuatus. Ac comitia Nidrosiae cum initio huius anni, ad creandum novum regem indixisset, missi eo a Christiano, Ioannes Revius Asloensis Episcopus, Claudius Billius, & Vincentius Lungius, qui adulta inde hieme, difficillimo brumae tempore, per Norvagiae celsas rupes, nive, glacieque tectas, quum Nidrosiam pervenissent, humaniter a Metropolitano excepti, illico mandata exponunt; postulantque, uti Norvagi, quod a Danis factum esset, regem Christianum adgnoscerent; ac tributum ad ferenda belli onera necessarium exhiberent. Non ingrata proceribus legatio erat, & spes facta utriusque obtinendi. Visum tamen, rem ad populum, biduo post conventurum, referendam. Verum quum interea vulgatum esset, quid requirerent, indignari in maiorem modum populus, quod tributum Christianus, necdum etiam rex creatus, postularet; idque initium, ceu imperii gravis, & intolerandi omen quoddam interpretari. Cohibere autem sese, dum de Metropolitani voluntate cognovisset. Itaque ad eum missi, qui consilium explorarent; ac rogarent, id ut faceret, quod Norvagiae, populoque adflictissimo expediret. Atque is seditionem, quam reprimere debuisset, postquam magis incitaret, populusque intelligeret, a consiliis eum suis nullo modo alienum frequens adest, graviterque de Norvagicis senatoribus cismontanis quiritatur: *quod comitiis, anno superiore indictis ad Dominicam Trinitatis, & prolatis in vicesimumquartum Iunii, interesse noluissent, excusantes, quod, obsesso ab hostibus mari, portibusque, Nidrosiam accedere non potuissent. Ac repetitum Ioannem Revium Episcopum Asloensem, Martinum Crabbium praepositum, Vincentium Lungium, & Ericum Vgeropium,*

CIƆ IƆ XXXVI.

ropium fidem suam Christiano obstrinxisse. Eaque re non sibi tantum impositum esse, sed & Metropolitano quam turpissime illusum. Itaque ne fieri hunc regem sinat, in quem nec senatus omnis consensisset, nec collatum eo loco regnum esset, quem lex regia requirebat; maxime quum reipublicae adeo se gravem praebeat, ut tributum irrogare haud vereatur, nondum etiam iure regni, ordinumque, pro recepto dudum more confirmatus. Atque ut tributo populus irritatus, ita Metropolitanum, quod se inconsulto regem cismontani Christianum admisissent. Itaque offensa duplice, Metropolitano auctore, sciscit populus: *ut Hamerensis praesul Magnus, Reviusque Asloensis, & Claudius Billius caperentur; Vincentius Lungius, Martinus Crabbius, Ericus Vgeropius, & Ericus item Haccius, ubicumque deprehensi, capitis supplicio adficerentur.* Vix hoc ita constitutum, quum recenti adhuc furore quidam in hospitium Vincentii Lungii irrumpentes, eum caedunt; tum & Nicolaum Luckium, ob incestum ut ferebant; quamquam vera causa esset, quod a Metropolitano in negocio eligendi Christiani dissensissent. Neque mora, etiam in legatos itum, & iniecta illis manus. Qui ubi nec innocentia, neque iure gentium se tutos vident, populo furenti cedunt, & illius potestati se permittunt. Captus una Eschillus Billius, ac cum illis in vicinam urbi insulam, monachorum quam adpellant, deportatur. His Nidrosiae patratis, quum Bergenses certiores facti essent, mox vulgatum per Norvagiam universam, Christianum regni spe deiectum esse; idque magnas etiam in cismontana regione turbas dedit. Nam & illic populus, tributi indictione obfensus, & obsequium in Ericum Guldensternium exsuebat; tum & malum Christiano adhaerentibus minabatur. Et augere etiam seditionem, quod tributum Guldensternius & exigeret ferocius, & negantes divexaret. Praedium Gallaci incendit, moxque in suo idem patitur; ita irritato populo, uti se vix arce Aggershusiana, cui nomen Christiani praesidebat, tueretur. Sed tumultus paullo post compositus fuit, ipso Metropolitano, qui exciverat, adnitente. Etenim is facti poenitens, postquam Billiorum animos, quos captivos detinebat, explorasset, & iniuriam patienter admodum ferre cognovisset, eos laxat; Asloensem nihilominus retenturus, nisi illi persuasissent, ut hunc etiam missum faceret. Sed legatos antequam a se dimitteret, non dumtaxat amicitiam redintegrat, verum & ut Christiani gratiam conciliarent, pro auctoritate sua, qua valebant apud ipsum, enixe petit. Tum ne quid de fide eius dubitarent, dat mandata perferenda, literisque se obstringit, & amplissima pollicetur. Ac mandata quidem erant, uti se de Lungii caede, & electione item impedita apud regem excusarent: literae haec continebant. Postulabat, *uti veniam Christianus sibi daret, tum eorum, quae in patrem Fridericum, tum illorum, quae in ipsum deliquisset. Maxime ne vim legatis contra gentium ius factam, neu Vincentii Lungii caedem ulcisci vellet. Tum & ne seditionem, contra Ericum Guldensternium concitatam, sibi imputatum iret; neve recusationem electionis, apud cismontanos factam, se auctore institutam existimaret. Quae si is polliceatur, se vicissim eum regem habiturum, & auxilia submissurum; insuper facturum esse, ut tumultus post hac nullus concitetur, ac quieta omnia ubique maneant. Etiam daturum operam ne haec regna disiungantur; ac comitia indicturum, queis unanimi consensu ipse rex renuntietur. Mitteret legatos autem quosdam e senatu regni, qui literas de his ferrent, atque confirmationem privilegiorum omnium, & immunitatum, acciperent.* Ad quae cuncta quum legati sedulam operam promisissent, perbenigne dimittuntur. Quumque Bergas adpulissent, uti res seditione Nidrosiensi perturbatas restituerent, serioque illud agerent, Eschillus Billius, magna in Norvagia auctoritate, & e regni senatoribus, Christiani electionem ratam habet, literis firmat, ceterosque, ut idem facerent, adhortatur. Ac coniungit se Oscoldus Episcopus Stavagriensis, Ioannes Crucovius senator, sacri collegii sodales, & urbanus magistratus. Idque Eschillus, missis ad comitia ministris suis cum mandatis, regi nuntiat. Hinc legati, quum Asloam se conferrent, passim omnes nobiles, abbates, populus, regis partes amplectuntur. Guidoni Galdio, quia Guldensternio se inimicum praebuisset, gravius succensuere, neque dandam veniam existimabant; sed, quum rustici Borgesiislae provinciae luculentum innocentiae testimonium perhiberent, atque ipse in electionem quoque Christiani consentiret, tamdem etiam ignovere. Mox cunctorum animis in spem erectis, undique ex territorio Aggerhusiano Asloam missi veniunt, cum legatis omnium incolarum nomine transacturi. Ac promissa illis venia, si deinceps Christiano se subiicerent, debitaque vectigalia exhiberent; ita tamen ut cognitioni regis, & senatus tota res reservaretur. Hunc in modum in cismontanis regionibus pronis cunctis in obsequium Christiani, omnia tamdem tranquillata. Ex legatis Revius, itineris labore fessus, domi mansit, seque literis excusans, Billium quaevis bona fide relaturum est testatus. Quo, quae gesta in Norvagia referente, ceteris rex, & senatus, ignoscendum statuebant, gratiaeque beneficium, quod promiserant, praestandum. Verum Metropolitani aliam rationem esse, ac crudelitatem perfidam, & proiectam plane audaciam, iure maximo castigandam. Itaque in eum mox decretum bellum, quamquam intercedente Billio, qui orare Christianum, ne rem armis gerere vellet, aut exercitum in Norvagiam transportare: *Etenim adflictum pridem regnum illud, si ingrediatur miles, pessime exhaustam iri; si in gratiam inclinet, facile in potestate cunctos fore. Iam paratos iussa facere, & illius voluntati se permittere. Quin & obsequi Metropolitanum certum, & electioni eius minime adversaturum.* Verum rex, omnino poenam illi irrogatam cupiens, in sententia persistebat; ac contractas illico copias,

CIƆ IƆ XXXVI.

pias, Trugoto Vlstandio, & Christophoro Hvitfeldio mandat. Quam in rem parata classis, quae transveheret copias Nidrosiam, sub praefecto Iosepho Falstrio. Itaque Metropolitanus, certior exercitum in se parari, nec spem gratiae ullam esse, ut periculum anteverteret, meditari fugam cepit. Ad quam ubi universa praeparasset, arcem curat, ac praesidio munitam, mox decano, & collegii sodalibus, ac nonnullis e nobilitate regni, postquam fidem sacramento obstrinxisset; sedulo servandam tradit. Ipse, in naves quatuor imposito auro, & argento, ac supellectile pretiosa qualicumque, in Hollandiam enavigat, ibi spem, si qua daretur, reditus exspectaturus. Postquam ita evasisset, vere adulto, regis copiae adpulere, quae, exscensione facta, partim arcem illico Nidrosianam obsidere statim parant, partim agros circumiectos populantur. Qui praesidium agitabant, donec hosti propulsando necessaria superessent, tenuerunt, ac vim omnem propulsarunt. Sed, quum his deficerentur, pacem orantes, eam impetrant, & deditionem faciunt, ea lege, ut cum bona regis gratia, vita ipsis, & fortunae salvae essent; bona item ecclesiastica, quae haberent, ad extremum vitae finem retinerent; tum ne vitio aut Vincentii Lungii caedes, aut deditio verteretur. Postquam arcem hunc in modum in potestatem redegissent, eam Vlstandius dat Hvitfeldio servandam regis nomine, aut senatus, si quid forte a liquando illi humanitus eveniret; ea lege, qua Norvagiae, Daniaeque arces ceterae tenebantur. Ac Hvitfeldius cum praesidio mediocri in his partibus relictus, in Norvagia transmontana summa moderatione, & prudentia, omnia pacata reddit. Reliquae copiae, denuo conscensis navibus, Berga inter viam omissa, quam Episcopo defuncto Eschillus Billius tranquillaverat, Hameraeam transportantur. Oppidum ipsum, sine labore occupatum; sed antistes, qui a Metropolitano pridem steterat, & iam tum a Christiano alienus, aliquamdiu repugnabat; dum, necessitate actus, tamdem quoque in Vlstandii sese potestatem tradit, vitam prius, ac fortunas salvas pactus. Hinc Asloam ubi ventum, Episcopus Ioannes Revius ceterorum malis sapiens, se & sua ultro dedit; inde ad regem proficiscitur; atque totam dioecesin, abdicato Episcopatu, ei tradit; tum & probat, quae senatus, populusque de Episcopis abrogatis, ac mutata itidem religione statuissent. Haec ut cuncta Christiano ex sententia, Numinis benignitate, succedebant; ita aliunde quoque manifestus Dei favor se ostendere; offerentibus illi foedus Galliae, Scotiaeque regibus; mittiturque e Gallia Georgius Luccius ab utroque literas ferens, summum studium, & adfectum nuntiantes. Bellum Gallus in Taurinis tunc cum Caesare gerebat, ac propterea Christiani, qui eodem inimico uteretur, amicitiam expetebat, ac dicebat, id se agere, uti reges quatuor eodem tempore Imperatorem, monarchiam in Europa adfectantem, armis pe-terent, & eorum praeter Anglum, atque Scotum, unum esse Danum velle. Nec abnuere Christianus, ac promittere, brevi se in Galliam ablegaturum, qui negotium id tractarent. Scotus adhaerebat Gallo, pridem adfinitate iunctus; ideoque amicos eius sibi quoque comparandos arbitrari; quamquam & privata quaedam simultatis causa esset, quod Christianae, Christierni ex Isabella sorore filiae, petentem nuptias, Carolus repudiasset, Sfortiamque Mediolanensium ducem praetulisset. Huic respondet Christianus, non ingratum sibi fore, si legatos amandare aliquos in Daniam vellet. Alias tamen causa erat, ob quam foedus Christianus recusare potuisset; siquidem auxilium cum Christianus bello contra Christiernum, ac Lubecenses postularet, pari se propinquitate excusaverat. At induciae cum Burgundis, quod pertaesum armorum esset, postea lubentius factae, potissima Hamburgensium opera, qui commercia belli tempore perturbata restituere, & officium Christiano hoc praestare cupiebant. Itaque per literas Mariae animum postquam prius explorassent, & a pace haud alienum didicissent, mox suasere Christiano, ut legatos ad eamdem suis iungeret. Atque is, consilio utendum ratus, pacis studio, una mittit, qui negotium iuncta opera pertractarent. Res Bruxellis agitata animorum maxima contentione, quum iniuriam alteri pars altera acceptam ferret, neque pax constitui potuit; sed induciae dumtaxat in triennium, ea lege: *ut Christianus Transisulanis, nec non etiam Groningensibus, mercium, quae tempore obsidionis Hafniensis fisco addictae, praemium repraesentaret, quatuor viris Hamburgensibus aestimandum; ita tamen, ut de iis illud intelligeretur, quae distractae post Kalendas Februarii mensis essent, fieretque haec solutio mense tertio postquam aestimatae forent: quod ad reliquas attineret, quae divenditae ante illud tempus essent, harum demum pretium exhiberetur pace facta, itidemque aestimarent cives Hamburgenses quatuor, plane eadem ratione. Ac vicissim a Maria postulatum, uti, qui in Frisia capti, ubi regi militabant, sine ullo libertatis pretio dimitterentur.* Verum aegre impetrari istud potuit, nec concedere Maria libertatem, nisi per induciarum tempus voluit; quo finito, iuramento in reditum se obstrinxerunt. Sed nec omnibus, quamquam bonam spem fecisset, id permisit. Ac rex quidem, etsi quaedam a legatis, praeterquam mandatum dederat, essent concessa, impellentibus Hamburgensibus, rata tamen, quae gessissent, esse voluit; mercibusque aestimatis, aliquam partem repraesentans, cetera in diem certum est pollicitus. At Maria, non tam bona fide egit, moxque in custodiam Meinardum Hammium, Grolliumque, ceu cum Gelro aliqua consilia communicassent, revocavit. Nec pactis Palatinus stare voluit, & induciis non expresse comprehensus, non putavit quidquam ad se pertinere, quod Maria concessisset. Quia vero iam potentem regni utriusque audiret, bello aper-

CIϽ IϽ XXXVI. aperto adoriri minime ausus Vbelachero, militiae veteri, pariter ac latrocinii, dat mandatum, ut coactis in Westphalia clanculum, celerrimeque militum viginti millibus, primo invaderet in Bergensem Caroli comitatum; inde iunctis secum viribus, improviso impetum in Daniam faceret. Verum, ut conatus magni neque facile celantur, nec succedunt, nisi tarde, sic, consilio evulgato, Vbelacherus, antequam parare copias iustas posset, in conatu ipso opprimitur. Nam Bergensem comitatum vix ingressus, quum incendere pagos aliquot, & nonnulla item templa spoliare incepisset, cum exercitu obviam procedens Gelrus, eum sternit, atque capit, ac confessum etiam Daniam Palatinum occupare voluisse, idque instinctu Burgundorum, qui pecuniam in hanc rem suppeditarent, gladio ferit. CIϽ IϽ XXXVII. Inter ista, reges passim, principesque, ac vicinae civitates ad inaugurationem Christiani celebrandam datis literis invitantur. Quae ne tamen minus grata cunctis esset, multis in communi luctu, tum versantibus, ob antistites captivos, aliosque summae dignitatis viros, qui honorem libertati etiam addere publicae laetitiae possent, placuit dimittere eos. Non par autem ratio cunctorum erat. Ac turbaverant alii minus, antequam custodiae addicerentur, & modestia maiore in regem usi, postquam capti, aequiore animo adversa tulerant. Illis primum gratia facta; ea lege, uti rata haberent ea, quae rex pridem, & senatus statuissent. In quae postquam fidem suam obligassent, Torbernus, & Avo Billii, & Canutus Guldensternius, aucti a rege honoribus, & beneficiis, e custodia dimittuntur. Mox Olaus quoque Munccius, cui, quia aetas florens, imperatum, ut contraheret matrimonium; quum religionem avitam, ordinemque ecclesiasticum sic facilius, iuvenis, & honoris cupidus, obliturus videretur. Eodem modo Ioannes Revius, horum exemplo, quum deposuisset munus, ac probasset, quae comitiis proximis acta, liberatur. Ceteri, dimissi tardius. Ac Georgius Frisius quidem anno proximo. Crumpenius vero etiam diutius paulo Sunderburgi custoditus. Sed Ronnovius, multo reliquis ferocior varie mutato loco, tamdem in custodia moritur. Post ista inauguratur Christianus, & Dorothea eius uxor die Augusti duodecimo, maxima solennitate, & frequentia variorum legatorum, obeunte sacra Ioanne Bugenhagio Pomerano Theologiae in Academia Wittenbergica professore, pridem inde accersito, partim uti Academiam Hafniensem, tum collapsam instauraret, partim quoque, ut doctrinam ad exemplar confessionis Augustanae reformaret. Quod & mox Septembri ineunte factum; &, episcopis remotis, ab eodem totidem delecti alii, viri iusta pietate, ac doctrina, eminentes; qui, inviso tunc episcoporum nomine, superintendentes dicti. Et fuere illi quidem Petrus Palladius Sialandiae; Franciscus Vormordus Amstelodamensis, Scaniae, Georgius Sadalsinus; Vibergius, Fioniae; Ioannes Vandalus Riparum, Matthias Langius Arhusiensis, Iacobus Sconingius Viburgensis, Petrus Thomaeus Alburgensis. CIϽ IϽ XXXVII. In his autem ordinandis, nulli ritus sunt adhibiti, nisi Apostolis in Ecclesia primitiva usitati. Qui consistunt maxime in oratione, & impositione manuum; additis hymnis, lectionibusque sacris, quae officii admonerent. Vnusquisque fidem regi, & obsequium obstringebat; ac, *se curaturum sedulo quidquid ad honorem eius, publicam utilitatem, pacem, & tranquillitatem pertinere videretur; tum sincere verbum Dei se docturum, & ad formam a Christo capite institutam sacramenta in Ecclesia administraturum esse. Quin & curae habiturum, ut ministri in Ecclesiis suis singuli idem faciant; & doctrina catechetica imperitos fide maxima erudiant. De scholis quoque puerorum, & in pauperes conferendis eleemosynis, ac bene distribuendis itidem solicitum fore. Denique adversus munera incorruptum semper animum habiturum, nec adfectibus indulturum.* Ac ne mox dissensus aliquis in doctrina, aut in ritibus diversitas, unionem Ecclesiarum perturbaret, scripta, ac vulgata est formula, Ordinatio adpellata, ad quam omnes, qui in concione populum, aut in schola iuventutem erudirent, se componere tenerentur. Ea vero postquam scripta, & probata a Theologis regni esset, Christiano oblata fuit; isque Wittenbergam mittit, ad Lutherum, cuius magnum, uti per id tempus nomen, ita quoque apud ipsum existimatio. Ille vero postquam eam censuisset, & probasset, a cancellario in comitiis regni senatoribus oblata fuit; qui probabant item omnia, sed addebant, monitos ministros velle, *ut initio in eos, quos a sacra Coena arcerent, excommunicatione moderate uterentur*. Itaque sic confirmata Ordinatio cum a rege, tum senatu, & collegiis, ac praecipuis ministris, publicatur; & Ecclesiis Danicis, Norvagicis, ac Slesvicensibus commendatur. Iussi etiam, quibus summum regimen Ecclesiarum demandatum, quosque superintendentes esse adpellatos dixi, omnia in ministerio Evangelii ad hanc quasi normam exigere, nec ab ea, in doctrina, ritibusve usquam abire. Postquam vero ordinatio ministrorum superintendentibus mandata esset, nec docendi munus fas cuiquam foret usurpare, quam quos illi, antea examinatos admisissent, qui se pridem rudi populo instruendo ingerebant, varie circumcursantes, statim abstinere iussi. Inde Ordinis Monachorum Mendicantium, quos vocabant, tres eiecti, Carmelitae, Franciscani, & Bernardini; postquam a Canuto VI. amplius trecentis annis, sedem illic habuissent. Pars eorum in Germaniam, Belgiumque discessere; quidam & doctrinam amplexi reformatam, in Ecclesiae ministerio remansere; alii, mutata veste, ad civilem vitam versi. Quae dum fiunt, cum legatis quoque principum externorum, ac civitatum vicinarum agitatum; ac compositum dissidium, quod huc usque cum Rostochiensibus, Vismariensibusque fuerat, operam navante Alberto Borussiae duce, qui adfinis Christiani invisendi causa aderat. Hi se Lubecensibus, in op-

CIↃ IↃ XXXVII. in oppugnanda Dania, coniunxerant pridem, neque foedere comprehensi, quia Megapolitanus regnum adfectans, & vindictam maxime spirans, amicitia Danica prohibuisset. Ita vero res transacta, *uti damno, quod dedissent, sarciendo, in pecuniae certam summam tenerentur. Ceterum, nec Daniam inquam infestarent, nec foverent regis hostes, neu in portubus suis naves stare, aut parari sinerent. Denique nec parari arma contra Daniam quandocumque paterentur; sed officia regi omnia exhiberent, & in suis ditionibus libera commercia Danis esse vellent*. His in gratiam Christiani restitutis, mox communis reliquarum civitatum Vandalicarum causa agitari coepit. Aderant in id legati Lubecensium, Luneburgensium, Luneburgensium, Hamburgensium, Stralesundensium, ac Gedanensium; qui orabant, ut iura sibi omnia, & immunitates pristinae, quas superiores reges concessissent, firmarentur. Sed responsum accepere, *exhibenda privilegiorum exempla, uti constet, quo se ea modo habeant. Etenim videri aequum, super quibus obligari fidem velint, ea prius ut cognosceret; alioqui si quod recens dari sibi postularent, iure permittendum esse; uti modum illi ponat*. Hinc seorsim cum legato Gedanensi acta spoliorum causa, ac potestas ei data, ut de damnis, quae a regiis belli tempore accepissent, cum istius reipublicae civibus pacisceretur. Etenim his nulla sua noxa laesis satisfactum rex volebat; ne haberent, de quo merito queri possent. Sed & arbiter detectus, inter Svecum, & Lubecenses, quum utrimque in comitiis etiam legati essent, illud statuit, *ut induciae in tres annos insequentes haberentur*. Nam eorum inimicitiae, ante bellum Danicum coeptae, adeo nondum desierant, ut utrimque sibi invicem damna darent. Erant & negotia legatis Sveciae separata, quae cum Christiano agerent; ac de illis etiam transactum fuit, sed in quibus convenire minus poterant, constitutum, *ut Halmstadii sex utrimque senatores de his omnibus cognoscerent*. In quae postquam consensissent, indicata etiam vicissim quaedam a Christiano, in quibus ius regium a Svecis laedi, & officia debita vicinitati violari viderentur. Nam Ludosiae vectigal novum, neque usitatum exigi a Danis pariter, Norvagisque, & Bahusium praeternavigantes Svecos solvere consuetum nolle. Tum commercia cum finitimis Varbergensibus, Halmstadianis, aliisque interdicta. Denique, vetare regem, ne ex fundis, quos in Svecia Dani habeant, ullos reditus percipiant. Ad quae, siquidem respondere Sveci haud possent, nec mandati etiam haberent quidquam, ea scriptis consignata, ut petebant, moxque ad regem referenda accipere. Vix comitia finita, quum legatus Scoti accessit Ioannes Bartunus, qui victorias temporis superioris Christiano gratulatus, adhortatur; uti regis Galliae Francisci I. amicitiam, utilem maiorem in modum, & honorificam, ne amplecti gravaretur, & promittit, ea in re, operam a rege suo; insuper, quum bellum ipse nullum haberet, rogat, ut suo regi navem, rebus omnibus instructam, mittere auxilio ne gravaretur; invicem officia, quae petere possit, universa habiturus. Ad quae dum responsum exspectat, obiisse uxor Scoti nuntiatur. Pridem eam ille duxerat. Itaque quum gratulari Christianum oporteret, ea res officium in consolationem vertit, literisque ad hanc rem accommodatis, quum dolorem iustum animi primis tollere conatus esset; mox de Gallica amicitia, adeo serio commendata, idem velle se testatur: *Ac paratum foedere eam quam arctissimo confirmare. Sed conveniendum prius, ut de certo auxilii modo, quod utrimque postea praestandum foret, statuatur; ne tum demum, cum res illud postularet, disceptando tempus perderent. Legaturum, qui cum Gallo de his agant; & facturum recte ipsum, si adesse etiam tunc suos velit. Danicae adflictum statum, ac per bellum triennale, parum pristinae potentiae, viriumque superesse. Adeoque arctam annonam, ut quae antea abundaret, ceterisque advеheretur, vix nunc incolis sufficiat. Tum attritum regium aerarium esse, & exhaustas privatorum item opes, maxima in militem externum impensa. Petiisse in his angustiis opem aliquam a principibus foederatis, ac vicinis; verum solum tantum Gallum spem dedisse, & nonnihil ultro quoque obtulisse, nihil tamen, propter bellum, quod cum Caesare incidisset, ab eodem accepisse. Itaque occasionem partim hostis ulciscendi, partim rerum aliarum gerendarum, e manibus elapsam esse; ac coactum ad inducias cum Burgundis triennale devenire. Navem autem, quam petebat, mitti haud posse, propter iter, quod parabat in Norvegiam ad pacandum illic motum, & subspiciendum regnum. At, compositis inde rebus, si auxilium requirat, minime negatum iri*. Postquam Scotum in hunc modum dimisisset Christianus, in procinctu Danici legati erant, primo in Angliam, hinc in Galliam traiecturi. Verum ante, quam abirent, quartum iam e Gallia legatus adest, Georgius Luccius, nuntiatque etiamnum exspectari illic a Francisco rege, qui de foedere feriendo secum agant; & hortatur, uti, quantum possint, properent. Sed de rege Angliae mutasse animum, nec in quatuor regum foedus, de quo ante memoratum, iam adsciscі eum velle. Nam pecuniam bello contra se gerendo Caesari suppeditasse, ac cum Scoto quoque genero inimicitias suscepisse. Itaque in Angliam mittendum nullum, sed in Galliam alia legatis via contendendum; ubi avide ad percutiendum foedus, utriusque regni bono, exspectentur. Rex, propensa Galli voluntate accepta, postquam Luccium dimisisset, insequi Svavenium iubet, per Germaniam, quando ita Gallus mallet, capto itinere. Inde, uti cum legatis Svecicis in comitiis convenerat, arbitri utrimque seni Halmstadium veniunt. Hic prolixe disceptatae controversiae nobilium, quorum in utroque regno essent, & exhibitae sententiae, antea latae, item regia diplomata, variaeque obligationum tabulae, ceteraque instrumenta. Sed

CIϽ IϽ XXXVII.

Sed quum lites terminari minime possent, inter arbitros constitutum, *uti denuo convenirent, aut Malmogiae, aut Landscroniae, aut Halmstadii, aut Varbergae, die festo Pentecostes, si utrique ita regum videretur, quibus liberum item esset, quos tum vellent, arbitros ad haec negotia delegare, nec sententiam ultra differendam esse; atque decidendas lites, iuxta tabulas, quas produceret, qui iudicio se sisteret, iure, & legibus eius regni, in quo bona controversa sita essent*. Indulsere autem arbitri, uti causae in Dania cognoscerentur, quia leges extra regni fines quemquam in ius trahi non permitterent. Haec quum postea Christianus accepisset, & subspensis ita rebus, minime Sveco satisfactum existimaret, nec obfensum eum vellet, illico Axelium Brahaeum mittit, qui Gustavo de auxilio, quod submiserat, gratias ageret, ac pecuniae mutuo datae solutionem arbitrii ipsius faceret, sive eam in partes distributam solvi, sive in foenus annuum relinqui mallet, ex reditibus arcium, quae pignoratae, persolvendum. Tum promittit, uti poenam in transgressorem nuper icti foederis, quam vellet, diceret, modo ea utrinque aequalis poneretur. Denique & certum reddit, dictum diem, quo Brunsvici ad constituendum foedus cum principibus Germaniae quos vocarent protestantes, mox conveniendum foret, indicatque, ipsum quoque, si non abnuat, in communionem eius invitatum. De pecunia exsolvenda facile transactum fuit. De communione foederis sic respondit; ut deliberandi tempus, dum de legibus certior fieret, postularet. Ad quaerelas per legatos ex comitiis perscriptas, sic respondet. *Vectigalia, ac portora, solvi ab extraneis omnibus; nec compertum inquisitione facta, plura Danos, quam consuetum aliis, solvere; nec constare, an sint solito maiora, ad praefectum tamen iussum, nil in posterum a Danis praeter usitata poscere. Sed vero Ludosianos, vetus oppidum habitantes, quibus necessarium erat navigare ad Babusianam arcem, merito illic vectigalia persolvisse. Nunc translato alium in locum oppido, cum deinceps nulla huc instituatur navigatio, aliam rationem esse, ac censere quam aequissimum, ut immunes habeantur; quod commercia rariora habeant cum Varbergensibus, & Halmstadianis Sveci; non id ullo edicto facere, verum quia belli tempore latrociniis caedibusque, & iniuriis variae ab his vexati. Neque cogi eos posse, ut in certum aliquem locum merces distrabendas mittant, qui per se sat gnari ipsi, etiam non monente Rege, ubi lucrum sit paratum; tamen, si quid de commerciis exercendis convenire inter sese ipsi possint, nil omnino prohibere, ac futurum itidem gratum, ut suorum etiam bonorum fructum Dani capiant; etsi Sveci nihil plane in conventu Halmstadiano impetrari potuisse conquerantur: Siquidem omnino velit, uti quilibet Danorum, quod in Svecia iuris habeat, hoc fruatur: idque ut in Dania contingat Svecis, itidem a Christiano, pro coniunctione regni utriusque, expectare*. Et haec quidem, quae in Svecia cum Brahaeo hac legatione acta. At Suavenius, per Germaniam, sicut Gallus auctor fuerat, facto itinere, quum ad Galliae tandem fines pervenisset, Regem, in Taurinis tum gerentem bellum, longis itineribus assecutus est, & admissus, refert, cur legatos Danus non misisset. *Etenim solemnia in augurationis suae, ac negotia cum principibus variis intervenisse. Tum, in regno, quod divulsum accepisset, instaurando, opus illi maxime consilio eorum esse, quos legare debuisset. Ac, quum nihilominus quosdam mittere constituisset, Luccium renantiasse, nolle ipsum, ut per Angliam iter caperent; idque non exiguam difficultatem obiecisse; neque enim ipsum ignorare posse, quam coniunctum cum periculo, per Germaniam, ubi multos habeat amicos Caesar, aliquem legatum ad hostem, cum quo bellum sit susceptum, iter facere. At in Angliam, facilem profectionem, quo cur Danicis legatis non eundum existimaverit, scire Christianum velle. Insuper quem, Anglo excluso, quartum iam admittere in foedus velit. Iniisse quidem ipsum cum Burgundiis in triennium, adigente potius necessitate, quam spe certae amicitiae, quia vires Daniae vix respirantis, bello cum tam magno Principe, ac potenti sustinendo non sufficerent. Amicitiam vero Gallicam iure potiorem duci, ut quae ultro sit oblata, eo tempore potissimum, quo exigere beneficium, quam officium praestare magis promptum. Id desiderari solum, ut summatim rationes foederis concipiantur; unde constet, quid utrinque sit consilii expectandum; tum ut locus, atque tempus designetur, quo legati postea sint conventuri*. Postquam haec exposuisset, iussus est in castra Regem comitari, illic responsum accepturus. Quo ut ventum, missus Comes Furstenbergicus, qui tunc Gallo, quamlibet Germanus, ipse contra Caesarem militabat. Hic quum eo cum arcana aliqua communicasset, addit etiam, *Caesari pro Italia inducias petenti datas in trimestre; per quas Narbonam venturos ex Hispania legatos, qui de pace componenda adlaborent. Ac missurum eo Galliam magnum, quem vocant, Magistrum, & Cardinalem Lotharingum. Esse vero quam certissimum, ideo a Caesare petitam pacem, quod a Gallo, ea facta, opem contra protestantes, quos exscindere constituerit, sese adepturum speret. Tum consilii eam esse rationem institutam, ut utrinque ab ipso, & Gallo, equitum, iuxta peditumque copiae magnae comparentur, sub praetextu belli Turcici, quibus inde protestantes improviso opprimantur*. Verum Gallum ita se aperuisse, uti tamen haud protestantes unquam sit oppugnaturus; quin cum Caesare bellum sempiternum malle. *Ac, quantumvis filio Delphino regnum, ceu legitimo haeredi, expectandum a Deo videat, tamen eius potius optare mortem, quam infesta uti arma contra protestantes sumat, aut Germaniae Principibus bellum aliquando inferat; qui cum eius in Germanos sit affectus e re fore, ut cum Gallo foedere quodam arctiore protestantes coniungantur. Idque rogare maximopere, uti Landgravio Hassiae, si per eam iter faciendum esset*, indi-

indicarat; se facturum apud Gallum ut conditiones aequas facile sit admissurus. Ad haec regerit Suavenius: *tria esse, quae hanc amicitiam posse impedire viderentur; quibus ut occurri queat, serio dispiciendum. Protestantes sacramento Caesari obstrictos esse, itaque cum hoste eius foedus icere non posse. Gallum autem etiam in Regno suo persequi Religionem reformatam incepisse, ideoque propagationi eius opem aliquam expectandam non videri: tum invidiam non exiguam contraxisse, quod cum Turca amicitiam iniisse per Germaniam universam, fama iam vulgatum esset.* Sed negabat Furstenbergius, *ullam harum sat idoneam esse causam, quae a foedere expetendo animos avertere debeat. Nam tametsi sacramento Caesari obstricti Principes, tamen potiorem Deum arbitrari oportere; atque summum coeli Regem huius vel illius terrae Domino anteferendum. Nec imperii hostem Gallum, verum Caesaris, causis nihil ad Imperium pertinentibus: quin & , si religione sacramenti foedus aliquod facere prohibeantur, saltem opem sibi a Gallo, quum quandoque usus feret, paciscantur. Insuper nec religioni Evangelicae eum hostem, adeoque caeremonias pontificias universas non probare, & erroris multas arguat, quas nullatenus ad salutem pertinere fateatur; missas equidem audire, & abusus tolerare; ne, si iis se opponat, de regno periclitetur: Persecutionem autem non tam contra Evangelicos, quam in eos, quos Anabaptistas dicunt; inter quos fatendum tamen, multos eo nomine facinora foeda occultare. Foedus initum cum Turca, per iniuriam dictitari Etenim legato Turcico nec honorem magnum habitum, neque sic responsum esse, ut ad amicitiam sit via facta. Dictum quidem bellum sibi in Caesarem susceptum pridem, sed coniunctionem tamen naturalem nullo modo exfuisse, neque cum Rex Christianissimus adpelletur, nominis Christiani hostem fratrem, & confoederatum habere posse; sed, si ei belli contra Caesarem causa praebeatur, eam per se bello persequendam esse. Hunc in modum etiam militibus Germanis nuper satisfactum, postquam, fama Turcici commoti foederis, missionem petiissent.* Hunc sermonem quum ad Regem Furstenbergius retulisset, Rex Suavenium dimissurus, petit, ut Landgravio nuntiet, suis verbis, *non timendum protestantibus, ne quid contra eos tentet, ne dum ut cum Imperatore, in perniciem eorum, unquam amicitiam sit initurus: sed cum protestantibus potius eam contracturum esse, ac legati si mittantur, eas se conditiones oblaturum, quae haud graves sint futurae. Interim renuntiaret Regi suo, minime se improbare, quod cum Caesare inducias, quando ita res exigeret, pepigisse, verum gratulari potius iam tranquillitatem partam. Ad reliqua non posse commode responderi propter bellica negotia, per quae extra regnum abductus. In quod, simul postea reverteretur, curaturum, ut de cunctis satis fiat:* Et Suavenius, sic dimissus. quum per Hassiam transiret, quae Landgravio nuntiare iussus, refert. Inde in Holsatiam veniens, Regem offendit, & exponit, quae cum Gallo acta fuerant: tum quantopere amicitia Regis, atque protestantium ab eodem expetatur. Eam Gallum ante Caesaris aestimare; quamvis pax inter utrumque agitetur. Etenim potentiam suspectam eius, metuique, ne Europam universam, sub imperium suum cogere aliquando moliatur. Haec & alia omnia cum Gallo acta ut accepit Christianus, non dumtaxat ipse, in eius amicitiam magis animum inclinabat, sed & Principes protestantes ad hanc item amplectendam hortabantur. Ac, quum dies dictus esset, quo Brunsvicum ipse, & illi convenirent, scriptis eos literis monet, ut de hoc negotio deliberent prius; & dispiciant, quae ad Gallicam amicitiam pertinere existimarent. Dum Brunsvici Rex moratur, Brunsvicensis, & Landgravius scribunt ei, postulantque, uti dies decidendae controversiae de dioecesi Roschildiensi, quae Bremensem Metropolitanum, inter atque ipsum agebatur, diceretur. Verum ea res dilata, quia ei, extra regnum constituto, minus oportunum erat quicquam agere sine procerum consilio, ad quos illa pertinebat. Principes vero protestantes, quum periculum, quod a Caesare imminebat, per Suavenium accepissent, Gallicam ad amicitiam invitati, eam sibi per legatos avide cuncti appetendam existimabant. Qui Mulini quum reversum in regnum Regem simul omnes nacti essent, isque eis audiendis operam haud posset dare, ad Nanceium Lotharingiae convenire omnes iubet, ubi de re tota acturus, ad monet periculi tamen, quod Suavenius indicasset. Christianus ex Holsatia itidem per Luccium scribit; & legatos cur non ipse mittere confestim quiverit, causam reddit. Simul nuntiat de conventu Brunsvicensi, & legatos hic venturos, ad percutiendum foedus: ac de iis, quae hic acta relaturos. Rogat porro, si cum Caesare pacem faceret, ut hac comprehenderetur, ni exclusum aliquas ob causas vellet. Scribit & ad Mommorantium, pridem equitum magistrum constitutum, atque rogat, uti Danicam amicitiam sibi commendatam habeat. Ad Hamburgenses, quia non dum fidem obstrinxerant, mittitur Casparus Tuchsius, petiturus, uti quosdam Neomonasterium mitterent, qui de tota re transigerent, si quidem de modo, & forma aliquid statuendum esset, quonam tempore, ac quo item comitatu Christianum ingredi in urbem vellent. Quippe iuncta antea constituenda, quam ad haec solemnia diveniretur. Idem item ad sodales sacros scribit, postulatque uti litem, ipsis cum republica intercedentem, Regi cognoscendam traderent. Etenim decisa ea ab Imperiali curia nec dum causa coram Rege, iudice immediato disceptata, ac res cum magistratu quidem, ac populo Neomonasterii facillime transacta fuit: verum lis auxilii spe impetrandi a Pontifice Romano, longius proferebatur. Inter ista, quum conventus Brunsvicensis immineret, Rex, qui Svecum clam parare in se bellum intellexerat, fiduciam

CIↃ IↃ XXXVIII.

ciam benevolentiae potius, quam belli metum praeseferens quum per legatum rogat, uti regnum dum abesset, sibi commendatum habeat, & tranquillitatem eius tueatur. Sed Gustavus & legatum detinet per menses quatuor, & omnino nil respondet: Hinc rescribit, se Danorum, a quibus haud tutus esse videretur, metu arma ab aliquo tempore induisse. Rex Brunsvicum, ut convenerat inter Principes protestantes, mox contendit cum exiguo comitatu; uti etiam Franciscus, & Ernestus, Luneburgici; Quas Henricus Brunsvicensis liberam per terras suas commeandi potestatem fide publica concesserat. Verum Saxo, atque Hassus, quia commeatum dare Brunsvicenses consiliarii, Duce suo inconsulto, recusassent, copiis se amplioribus instruxere. In principio visum fuit, literas Nanceium mittere ad legatos, quos spoponderat illic affuturos Gallus, atque ipsis nuntiare: *post conventum Brunsvicensem, se Gemundam legaturos, de communibus rebus ibi loci tractaturos*. Nam in praesens mitti nullos potuisse, quod putassent, minime cum Dano agendi potestatem, Galliae Regem, rei ignarum concessisse. Hi reversi, dum adhuc conventus agitur, referunt, placere Gallo, ut ad se legati potius, quam Gemundam mitterentur. Mox de foedere, cuius causa tum potissimum convenissent, agitatum, & adscitus est in illud Christianus, titulo Holsatiae Ducis. Maxime actum de religione propugnanda, contra hostes qualescumque, seu pecunia, sive milite opus foret. Cautum etiam ne quis inter foederatos in Concilium, Mantuae indictum pridem a Pontifice, Caesareque, nisi ceteris consultis consentiret; ac contractum illud foedus in novennium. Ne vero, in rebus a religione alienis, Dania auxilio deficeretur, inito cum Friderico parente pridem foederi[(a)] addebatur, in quibusvis demum causis, & contra quoscumque hostes, vel haeredibus, vel gubernatoribus regni opem eamdem exhibendam. In quam rem dedere fidem Principes omnes, ordinesque foederati. Atque sic tot sociorum amicitia non exiguas contra hostes vires fecit. Petiit autem, ut in foedus Svecus quoque admitteretur. Et Ioannes Brandeburgicus, Ioachimi Septemviri frater; itidem per Saxonem admitti voluit. Ac receptus est uterque, sed conditiones dictae; quin Albertus Dux Borussiae idem enixe postulavit; sed proscripto id concedere, integrum non putabatur, ne auctoritas Caesaris convelleretur. Attamen promissus favor, si periculum aliquando immineret. Quaesti & Goslarienses de Henrico Brunsvicensi, quod eorum iura, & immunitates minuisset. Quorum causam Christianus, aliique Brunsvicensi commendarunt. Denique decretum etiam, ut legatos universi ad Gallum mitterent ad constituendum foedus. Inde do-

(a) *Inito cum Friderico pridem foederi*) Namque decennio ante foedus initum fuerat inter Regem Fridericum, & Electorem Saxoniae, nec non Landgravium Hassiae hac lege, ut alter alteri subsidio adesset, quod foret armatorum mille peditum, atque equitum ducentorum, sive adversus Christiernum II Regem, sive alios, prout res postularet.

A mum Christianus sese recipit, & Hamburgum mox ingressus, a Senatu, civibusque permagnifice excipitur: tum eorum fidem obstringit, sicut avus Christianus & Ioannes item patruus, atque pater Fridericus, ac confirmat ipsis iura, & immunitates pristinas. Aliquot diebus festa, & convivia agitata; ac solennes in honorem Regis Ludi celebrati: Ipsa Regina praesente & sorore Elisabetha, cum Francisco Luneburgico, ac primoribus Slesvicensibus, & Holsatis, Regis tum consiliariis Eschillus Billius, & Petrus Suavenius, B qui in Galliam legati postquam eo cum legatis ceterorum protestantium pervenissent, obviam sibi in Lingonibus praesidem Tolosanum habent; cui iniunctum, ut cum ipsis capita legationis pertractaret. Verum illi a Dominis suis Regi sistere se iussi, & mandata coram exponere, postquam subintellexissent, non acturum nisi cum Germanis eum, dicunt, foedere communi Daniae Regem, Principesque in Germania protestantes, C iungi cum Francisco Rege plane velle, ideoque duci se ad eum petunt. Erat ille tum Niceae cum Pontifice Romano, ubi eo adnitente, induciae cum Caesare tum constitutae. Hic quum Regi nuntiatus legatorum adventus esset, ut Lugdunum abducerentur, & Avenionem iussit. Mox Massiliam accersiti, quum octiduum exspectassent, & tunc tandem Rex venisset, adversante hactenus vento impeditus, ad eum a Magistro equitum[(b)], cuius sibi antea benevolentiam D comparaverant, introducti, perbenigne audiuntur. Ac Rex, quum intellexisset cur venissent, interrupta legatorum oratione, ait, *memorem promissorum se fuisse; atque pace, quam cum Caesare iniisset, Daniae Regem Principesque protestantes, comprehensos neque item in Concilium consentire voluisse, quamquam & ursisset Pontifex, & Ducatum Mediolanensem sibi praemium proposuisset. Quin & fide viri nobiles, ita enim loquebatur, polliceri, nunquam in id consensurum. Ac, tametsi pax* E *cum Caesare convenisset, tamen secum Rege Daniae, & Principibus protestantibus foedus facere paratum: Illi modo leges eius, & testatam literis auctoritatem exhiberent*. Quod ut factum, de capitibus plerisque facilis consensus fuit; verum de pecunia in aliquo Germano loco, in necessitatis casum, si quis bellum moliretur, deponenda, amplius deliberandum Gallus censuit, ac legatos Tarasconem sequi iussit, dum, mature super hac re habito consilio, responsum daret. Eo F autem dum adpellunt, Rex egredientes navi conspicatus, mittit Luccium, qui adventum gratuletur. Ille in colloquio familiari indicat, Regi de adventu Caesaris esse nuntiatum, qui triremi una, aut altera, ex Hispania ad ostium Rhodani tum accesserat, nec Niceae praesens fuerat, vento adverso impeditus, ac postridie aula tota comitante, ad Aquas mortuas ei obviam processurum.

(b) *A Magistro Equitum*) Connestabilem Annam Montmorantium intelligit.

rum. Ea res legatos angere, metuentes ne adversi aliquid sperato foederi intercederet, ideoque tanto magis expeditionem urgere, & rogare Luccium maiorem in modum, uti Regem de responso, cum quod promiserat, compellaret. Quod quum ille mox fecisset, cuncti in aulam advocantur, quamquam tamen nihil actum: itaque Boiartum adfati, qui tum Regi a secretis, isque in hospitium redire iubet; ac spem bonam de negotio universo retinere, & promittit adfuturum se a prandio, quaeque a Rege iussus esset relaturum. Neque fidem ille fallit; adest, ut pollicitus erat, & dilationem excusat, quam adventus Caesaris inexspectatus causaretur. Iubet porro, bene de negotio sperare suo ne desinerent. Regem omnia postulata concessisse; tantum in postremo haerere, ac de eo ulterius deliberandum existimare. Verum illi, nihilo securiores, porro etiam angebantur, ac timebant, ne fortasse aliquid impedimenti rebus suis a colloquio Caesaris interveniret; qua de causa & compellant Furstenbergium, & per literas Equitum Magistrum rogant, ut auctoritate sua, operaque subvenirent, ne quid foederi proposito Caesar detrimenti daret: ac responsum a Magistro Equitum per Furstenbergicum recipiunt: *Nihil esse, quare ita angerentur; nec periculum aliquod in eo situm. Actum iri de induciis, quae Niceae nuper pactae; neque aliquid praeterea, nisi festa, & convivia, in congressu Regum, ac Principum usitata. Quin sperandum ipsis potius omnia ex sententia sibi successura, & eventum laetiorem, quam principium habituros.* Postquam Caesar discessisset, Rex Lugdunum se recepit, hinc Molinum abiturus. Quod legatis ubi gnarum, Furstenbergicum denuo ad Regem mittunt, isque vultu moesto rediens, spem conceptam prius deiicit. Et profecto mox Molinum Rege, Praeses Parisiensis explicat quid ille vellet. Ac principio, *non placere quod petatur, ut Concilium non admitteret. Esse hanc rem iuris sacri, ideoque in civile pactum, aut foedus, nulla ratione cadere. Absque eo, se obstrictum profiteri, tamquam Regem Christianissimum, ne consentiat in concilium, nisi si legitimum id, & generale habeatur. Etenim, si aliter faceret, non existimationem apud Reges Principesque sartam tectam habiturum. At, si Principes universi in Concilium consentirent, vix se adversari posse. Id enixe Regem Angliae petiisse, spe amplissima proposita. Contra factum a Pontifice, & petitum, ut Concilium adprobaret: Caesaremque iam pollicitum, non futurum, ut vis ulla, in religionis causa, Gallo fieret. Certo Regem, & constanter, polliceri, numquam permissurum esse, ut Concilium, nisi id legitimum sit, & generale, ullum plane habeatur: Atque petere, ut his verbis fidem tribuant, ac si scripto consignata, & relata in foedus forent. Cui inseri obligationem talem Concilii natura haud ferat. Neque de pecunia repraesentanda, & Germaniae aliquo loco deponenda, quod est ultimum foederis petiti caput, aegrum Regi postulatum id videri, nisi ad aequalitatem aliquam res redigatur. Itaque pecuniam, si quam deponi ab eo velit, providendum, quomodo pro illa aut milite, aut pecunia, satis fiat, ut par pari reponatur. Sed utrumque a foederibus alienum; nec in iis usitatum. Quam ob causam si omittere hanc petitionem vellent, licitum ipsis cetera, conditionibus non iniquis, pertractare. Ac, si haec praestare omnino Regem vellent, ut Molini convenirent. At legati, de Concilio rem confectam se putasse: quando Rex sententiam suam coram ipso declarasset, & per equitum Magistrum, ac Boiartum pariter responsum esset. Qui si verbis, quod petatur de Concilio, haud spondere dubitaret, nil vetare, quin & scripto consignetur, foederique inseratur. Quippe obligationem stipulatione iuxta, ac promisso, consistere, sine aliqua scriptura: cuius neque ea vis sit, ut per se obstringat quemquam; verum fidei, & probationis tantum loco esse: tum non stricti iuris foedera istius modi haberi, sed ex aequo, & bono omnia constituenda, & exponenda: itaque probrosum haud esse, aut a foederum ratione alienum tale peti, nec Concilium protestantes recusare, modo illud liberum sit, & verbo Dei consentaneum, alioquin maxime rem sacram esse. Denique spem pridem factam, iamque perscriptum in Germaniam, Regem de Concilio non admittendo consensisse: ideoque fidei, & honori suo uti consulatur, velle. At postremum hoc, de pecunia in Germania deponenda, non inventum a Principibus, sed propositum a Langaeo in Smalcaldico conventu: neque parem in hoc ipso rationem esse posse, quia vires minime utrimque pares. Verum tamen pro pecunia Regi Principes protestantes aliquot peditum millia mitterent, usque ad fines regni Galliae, quum id peteret, suo stipendio deducenda. Non id tamen aliter promissum velle, quam si illi ratum habeant.* Haec cum Praeside loquuti, quum omnino nil proficerent, Molinum ad Regem proficisci sunt coacti. Vbi quum Magistrum Equitum convenirent, is spem facit, vix Concilium futurum ullum intra annos decem; ceterum nil de pecunia in Germania deponenda impetratum; nisi itidem par summa apud mercatores quosdam in Gallia deponeretur. Ac, quum peterent, ut Rex suo arbitratu foederis proponeret capita, nec sic quicquam obtinuere. Tamdem vero, quum Rex Blaesas ire vellet, perbenigne adduci ad se eos iubet, & adfatur: *certum sibi cum Principibus Germaniae amicitiam dudum cultam, summo studio conservare; nec Concilium adprobare, nisi quod legitimum, & generale, quam ob causam etiam induciis, quas pactus esset, eos, nisi ipsi nollent, comprehensos. Promta illis omnia officia sua, eademque exspectare.* Ita varie circumducti, nihil amplius obtinere potuerunt. Quin, & pro captivis aliquot, qui Gratianopoli detinebantur, ob religionis causam, deprecati, pariter nil impetrarunt; sed elusae ambiguo responso preces. Tamen datae literae ad Christianum, ad humanitatem omnem comparatae: quibus & officia Rex sua obferret, & ex-

CIƆIƆ XXXVIII. & exponeret, foedus se inire promptum; ideoque foedere item, quod cum Caesare percussisset, comprehensum voluisse; & exemplar eius mittere, unde certus esse posset. Hac de re mox Christianus gratias per Petrum Brockenhusium agit; atque petit, ut periculi, si quod ingruat a Caesare, facere certiorem velit. Etenim vulgatum fama, & indiciis compertum, quum post inducias cum Gallo factas, nova quaedam machinari: itaque non sine causa animum sollicitudo haec tenebat. Caesar vero, quanquam hoc ageret, tamen bellum obtendebat, quod cum Turca institutum. Hoc praetextu postquam dolum occultaret, passim naves, quae per Belgium universum adpellebant, detinet, & bello parat. Quarum multae, ad conatum haud idoneae, abstinere navigatione iussae, magno publice, ac privatim detrimento, Caesarisque summa invidia. Siquidem, quum Dania valeret classe, & deficerent, quae ad eam oppugnandam necessaria; nequicquam corruptae naves, & ingentes sumptus facti, nullo fructu. Nec, quae parabatur, classe aliud effectum quicquam, nisi quod piratae pauci, qui e Dania profugerant, mare infestum Danis facerent. Ac Christophorus Trudsonius, quum ad insulam Helliglandiam appulisset, &, exscensione facta, populari statuisset; pellitur ab insulanis, & navigio vix evadit. Septem e navalibus sociis capti, & ad Regem missi per tormenta confitentur; se Mariae Belgii gubernatricis iussu pridem Veria Zelandiae digressos esse, uti mare infestarent; sed Antuerpienses tantum, ut & Amstelodamenses spoliasse. Otto Stigotius ex Embdensi portu egressus, littora Norvagiae subiit; neque damnum aliquod insigne dedit. Neuter Daniam petere ausus, quia fama increbuerat, iam paratam a Rege classem, & Borussum in illius quoque gratiam aliquot naves instruxisse. At quum Enno, Frisiae Comes, hos admitteret, Christianus per epistolam expostulat, quod reciperet piratas, malum Daniae machinantes, pariter contra sua merita, & vicinitatis iura. Inter ista Oldenburgicus, Dania eiectus pridem, in Holsatiam molitur. Scripserat hinc inde militem, in diesque confluentem in provincias ducit. Ea re Holsati statim formidare, ne quod sibi malum strueret, & in praedam animum intentum haberet. Quod quum Rex intellexisset, ptopere paratas copias obviam mittit. Atque id gnarus Oldenburgicus, retrocedit, & dioecesim Monasteriensem invadit; oppida, & agros populatur, arces quasdam per vim capit, & Episcopum a militibus impetratum, fugere Monasterium cogit. Sed is mox, collecta manu, & a Rege auxilio suppeditato, quae amiserat, recuperat. Et Rex quidem, sic periculo defunctus, non securus tamen erat, quia finibus Oldenburgicus imminebat, & utroque in exercitu multi hostes militabant. Itaque subornat astu, qui, quando quidem bellum id finitum esset, partem militum in stipendium suum adsciscerent. reliquos per-

A terrefacerent, aut inani spe lactarent, dum dilaberentur ultro morae taedio. Porro autem, sicut terra Oldenburgicus turbaverat, ita mari Megapolitanus quoque, alter hostis, pridem gratiae restitutus, haud sincere pacem coluit. Siquidem adscitum sibi Remlingrodium contra Belgas instruebat, ut iniuriam, qua ab his affectum sese dictitabat, vindicaret. Atque hic praetextus erat: sed propositum revera, mare Balthicum infestare, Daniamque quoquo modo perturbare. B Et utrinque convenisse inter eos ferebatur, ut quacumque demum cum praeda Remlingrodius tuto intra Megapolitani portus se reciperet. Ac re ipsa id compertum; quippe nec a Danis ullis, nec ab Anglis vim abstinuit. Verum passim in quoscumque mari Balthico, quod subiectum regno Danico, incurrentem, minime tulit Christianus, & obiecit naves suas, quibus in ordinem cogeretur. Et earum ille metu quum mature se in portum recepisset, ibi se parata praeda tuto fruiturum ratus, Danica C invadens classis spolia dividentem opprimit; navibusque piratarum concrematis, captam recens Anglicam quandam, salvam in Daniam abducunt; & Henrico, Angliae Rege, intercedente, domino sine pretio reddunt. Quae dum fiunt, inita quoque cum Polono amicitia, foedere arbitrio Borussi facto: eaque hoc rerum statu apud hostes, quibus sic iniectus terror, multum profuit. Verum alibi novi hostes Regi sese, nulla in- D iuria lacessiti, obiecere. Ii Duces Pomeraniae, qui in Rugia, absque causae aliqua cognitione, nec praemonito Christiano, bona Ecclesiae Roschildensis occupaverant. Et urebat maxime illud facinus, eo gravius, quod admodum amici, ac necessitudine iuncti vim insignem improviso intentassent. Neque tamen arma ad propulsandam sumpta. Sed modeste, quum in regnum Christianus rediisset, animi benignitate sibi propria rogat Duces, datis literis, uti a vi abstinerent, E nec possessione suos deturbarent; se, quod ius, aequumque foret, minime recusaturum. Verum illi & benigne compellantem aspernantur, nec omnino vim remittunt, sed dilationem quaerunt, dum possessis fruerentur. Itaque ut vim retunderet, naves Stralesundensium, Gripsvalidensium, & Anclamensium, detineri in freto Oristano iubet: nec dimittit, nisi postquam civitates istae tres pollicerentur, se facturas ipsi satis, pro reditibus annuis, quos interceperant, idque quum F semisse usura, & praeterea curaturos, ut ad Calendas Octobres mitterentur, qui cum regiis delegatis rem cognoscerent, ac deciderent. Pro his fidem Antonius Lecovius interponebat. Ac legati quidem postea ad comitia accessere, verum nulla disceptandae controversiae potestate: id dumtaxat postulantes, ut in vernum usque tempus nil omnino tentaretur. Inde cum Fuggeris quoque Augustanis ortae lites: quod eorum quoque naves, fraudis factae manifestae, in freto detentae essent. Quippe aeris monopolio, quod Rex pridem Fridericus, CIƆIƆ XXXVIII.

CIↃ IↃ XXXVIII.

modo certo, & finito his indulserat, vectigalis etiam solutione constituta, & excesserant iustum exportandi modum, & vectigal fraude imminutum iverant: Tum feroces Caesaris protectione pervicacius, quam in noxa manifesta deprehensos aequum erat, se gerebant. Sed composita tamen postea controversia Principum quorumdam opera. Comitia regni serius hoc anno habita; ac gravissimarum rerum in iisdem instituta disceptatio. Etenim a Rege petere Senatores, uti Principis Friderici designationem populus universus ratam se habere dato iuramento testaretur. Sed quo modo gubernandum regnum esset, si is ante iustam aetatem Principis defungeretur, praetermissum. Sed Holsati, & Slesvicenses, contra niti, & ut gubernatio statueretur, atque ipsi in partem quoque admitterentur postulare: Nolle enim alienum a regno Ducem, nec dominationem istarum provinciarum extra eos collocari, utut ius electionis regno illibatum maneat. Acta res utrinque pari animi contentione, quamquam iure sane dispari: Verum; quia nullam Holsatis Dani in regno potestatem permittendam existimarent, nec constitui, quicquam potest, res dilata in aliud tempus. Inde de negotio Borussi actum, qui Gothlandiam sibi dari postulaverat. Rex sententiam Holsatorum quamvis res haec nil ad ipsos pertineret, sciscitatus, mox & ad Senatum refert. Et Holsati, qui omnino non curabant, an a regno insula divelleretur, sibi, pro pecunia credita pignerari cupiebant, potius quam Borusso dari. Sed Senatus, cui bonum publicum maiori curae, regni eam membrum esse, ac proinde minime avelli posse, contendebat. Quam sententiam Rex sequutus, se Borusso excusavit. Visum etiam Senatui, uti arx Malmogiana instauraretur; illicoque coeptum opus, magno nisu urgebatur: populo, cui illud grave, maximopere indignante. Haud multo post legatus ab Henrico adest Angliae Rege; qui, ut fidem in Christianum, & affectum testaretur, inimicum Caesaris animum ei nuntiari iubet. Miserat Robertum Barnum: isque post salutem dictam, ac praefatus Regis sui in amicitia excolenda integritatem, colloquium secreto petit. Quo concesso, memorat, fuisse pridem in Hispania Cardinalem Anglicanum, qui defecerat ab Henrico, a Pontifice legatum. Fuisse etiam alterum, a Rege suo. Qui, quum gratia apud Caesarem Cardinalis antecelleret, indignatus, Caesarem admonuisset, ne in amicitiae peccaret leges, neve infensum Regis sui inimicum, quem is maiestatis reum, instar proditoris, censeat, tanta gratia dignaretur. Verum illum respondisse; dandum hoc Pontificis honori esse, uti quanquam Regis proditor, tamen ad orandam causam admittatur: nec decorum ut a colloquio, quum res poscat, arceretur. Ac, legato porro instante, & dicente, plane indignum proditorem, cui tantum gratiae tribueretur: Caesarem commotiorem regessisse: *at legatos Christiani, qui se falso occupato per vim regno, Regem Daniae nominaret, & religionem odisset, aliquoties apud Anglum perbenigne acceptos esse, quamquam minime ignoraret, maximam cum eo sibi ob sororium captivum, inimicitiam intercedere.* Iam existimasse Anglum numquam Caesarem in haec verba erupturum, *nisi odium in ipsum implacabile concepisset, & perniciosa quaeque tentaturum. Itaque omittere non potuisse, quin cavendum praemoneret: ac putare se, mutuam id ad amicitiam pertinere. Quam si foedere confirmatam deinceps vellet, mitteret legatos suos. Qui si veniant, longe acceptissimos fore; studioque longe maximo, quae ad pacem, & tranquillitatem publicam, ac religionem item promovendam, quoquo modo pertinere viderentur, curaturum.* Ista fato, respondetur, *non obscurum Caesaris odium neque etiam ignorari: causas vero alias esse, quam quas ille credi velit. Has legato Anglico expositas pridem, in Smalcaldico conventu literisque ad Henricum repetitis patefactas, ut latere minime queant, aliud propositum Caesari, quam quod ipse praeseferat: Ac si voti compos fiat, gravem pluribus Principibus eius dominatum fore. Christiano inimicum ipsum esse sine ulla sua culpa; neque profuisse quicquam, quod ad aequos quosvis arbitros, quibus permittere causam suam etiamnum disceptandam sit paratus, provocaret. Ac vim tamen intentari, & in eos, qui religionis foedere iuncti essent: arma simul comparari; quamvis illi veritatem; & doctrinae reformatae iustas causas verbo Dei se tueri posse confidant. Id vero non esse Caesaris, cui incumbit orbis universi pacem, quae potissimum Principum concordia nititur, sartam tectam conservare, sed illius, qui privatam dignitatem quovis modo augere velit. Gratum esse, quod contrahere amicitiam Anglus cupiat, neque dubium, quin id ad tranquillitatis publicae defensionem, ac religionem item propagandam plurimum sit valiturum; verum, quia maxime religionis causa agitur, aequum esse, ut cum Saxone, & Landgravio, sacri foederis Principibus, ea res communicetur. Quippe ad utilitatem publicam id pertinere, uti isti ad societatem foederis invitentur, qui religionis purae libertatem vitae suae, ac fortunarum cum periculo comparassent, & tueri eam ultra etiam parati essent; tum, si commodum iis foret, ablegandos postea in locum quendam, sive in Anglia, alibive eligendum, ubi tuto consultare inter se queant. Sed si illi aliis negotiis distineantur, tamen se missurum suos, ac quod constitutum fuerit, bona fide praestiturum: Nec enim Religionem vulgi more, qui dissidiis, atque turbis labefieri veritatem eius putat, arbitrari. Sed persuasum plane habere, doctrinam Ecclesiarum, quam confessio Augustana comprehendit, verbo Dei consentire. Itaque rogare Anglum, ut eodem iudicare modo velit; idque salutare futurum.* Ac legatus quidem Anglicus sic dimissus, additusque tabellarius, qui referret, si Henricus quid rescriberet. Interim ad Saxonem, Landgraviumque ablegantur Vrenhovius, Fuchsiusque, qui exponerent, quae cum Anglo acta essent,

CIↃ IↃ XXXIX.

sent; tum de foedere Anglico sententiam eorum inquirerent. Atque illi cum Henrico amicitiam contrahere nullo modo recusabant; sed remotam esse Angliam, & disiunctam magno mari: tum periculo non vacare, si quae agere oporteat, literis committi debeant. Sed, legatos si Hamburgum mittere, aut Bremam placeat, etiam missuros sese, qui cum his paciscerentur. Quae Rex quum perscribere ad Anglum vellet, literae a tabellario afferuntur, quibus ille Danicos legatos tantum exspectare se ostenderet. Itaque dilata res in aliud tempus. Postquam vero protestantes Francofurti convenissent, missi eo sunt a Rege, qui, si pax religionis inter ordines Germaniae per id tempus conveniret, operam darent, ut & ipse ea comprehenderetur, aut cum eo si conciliatio forte Caesaris, & Palatini tentaretur, illi uti modum dicerent. Sed Vaesaeus, Metropolitanus pridem Lundiensis (a), qui tum Caesaris Legatus, quum de ea in mandatis nil haberet, se legati Christiani itidem continuere, & cum solo Saxone, Landgravioque quicquid iussi peregerunt. Actum quidem de Borusso in foedus recipiendo; ac spes eius quaedam facta; verum quia inter ordines constitutum, neminem praeterea in id admittere intra tempus praefinitum, illud quoque frustra fuit. Tantum vero aberat; ut vel Rex Caesari, & Palatino conciliaretur, aut Borussus pace Imperii, protestantiumque foedere comprehenderetur, ut insidiae utrique variis modis struerentur, cum ab ipsis, tum ab aliis, & in primis Regi ipsi Christiano. Quippe Svecus antea amicus ei, & affinitate iunctus, & renuntiarat pridem amicitiae, ac contraxerat cum Burgundis, & cum Palatino quoque foedus fecerat. Quin legati ob hanc causam Caesaris in Sveciam abnavigarunt, ut de damno inferendo inter se colloquerentur. Ac paratae copiae Gustavo erant, quae in limite regni Danici habebantur: ita quidem, ut iam prompta ad invadendum cuncta essent, non denuntiato bello. Nec deserere etiam sese Christianus; sed comperto, alienum a se animum Gustavi, minime defensionem negligendam sibi putans, copias contrarias parat, & in omnem eventum opponendas. Antequam in bellum tamen manifestum res erumperet, mittit ad Gustavum quosdam, qui, Vpsaliae eum nacti, quum, quid actum in conventu Brunsvicensi retulissent, ille multa conqueri de Christiano; sed, quum ipsi nihil tale expectasse Christianum ideoque nec responsum demandasse adfirmarent, scripto omnia, quae referrent, consignata, placuitque ut Calmariam convenirent, atque illic de quibusvis satisfacerent. Itaque legati eo mox Axilius Brahaeus, Aligerus Vlstandius, Canutus Guldensternius, Birgerus Trollius, & Casparus Brochmannus: qui ad singula, quae Gustavus obiecisset, responderent. *At illi maxime mirari Regem, quod tam vetera repetantur, quorum exoleta iam memoria esset, imprimis post ictum foedus. Nullo modo dubium haberi posse, quin Gustavus, malis consultoribus usus, qui regnorum horum pacem perturbatam cupiebant, animum in deteriora inclinaverit. Neque Christianum item defuisse causas suas, ob quas aliquid moliretur; sed occasionem nullam, quamvis minimam, praebere voluisse, ac rogare, ut Gustavus animum eumdem habeat, & abstineat Christianum, subditosque criminari, si qua re se laesum putet, velle arbitrio delectorum utrinque procerum, qui querelas & disceptent, & componant, rem committere.* In quae omnia Gustavus, procerum consilio usus, mox consensit; illis etiam promittentibus, in hoc se daturos operam, ut deinceps amicitia illibata haberetur: tum excusans, ideo coactum militem, quod tumultum intestinum, a Iona Andreae, & Nicolao, item Daccio, exscitatum coercere oporteret. Sic Gustavus arma ponit, & Burgundi spe frustrati domum repetunt. Verum tamen magnam ipse Caesar classem contra Regem adparare. Nec cunctari Palatinus, cui copiae in Holsatiae limite paratae erant, & in promptu

(a) *VVaesaeus, Metropol. Lundensis*) *Iohannes VVaes*, vel *Vezs*, sive *a VVezenn*, (sic enim nonnullis nuncupari testatur Magnus Matthiae *Chron. Episc. Lund. pag.* 231.) rectius autem *Ioannes a Vetza*, ex nobili familia natus apud Sicambros (ut Bruschius aliique scribunt,) forte Wesaliae natus, quod Hvitfeldio creditum, ac unde etiam fortassis, quod Sleidano *Vesalius* adpellatur. In Daniam anno 1521. venit, atque addicta Regi Christiano II. opera sua, Canonicatum in Ecclesia Lundensi obtinuit. Inde vix elapso quadrimestri, postquam supplicio affectus fuerat Theodoricus Glagheick, iubente Rege, Archiepiscopus eligitur, atque anno 1522. d. 2. Februarii in Ecclesiam introducitur, anno aetatis suae 33. Sed sequenti an. 1523 quum Christianus regnum relinqueret, Vezaeus, convasatis Ecclesiae bonis, & supellectile multa, ac pretiosa secum abducta (teste Magno Matthia *l. c.*) Regem comitatus, atque aulam Caroli V. Caesaris, qui multum eius consiliis utebatur, multis annis sectatus, Episcopatum Constantiae obtinet; atque Abbatiam Waldasassensem: postea quoque duorum Monasteriorum, Divitis Augiae, & Oeningensis incorporationem, ut vocant, consecutus est, scil. ut Episcopatui adiungerentur Constantiensi anno 1541. in Comitiis Ratisbonensibus, quamvis antea Archiepiscopus fuisset in Dania, primum sacerdotio initiatur, dein Episcopus inauguratur ab Alberto Card. Moguntino, Caesare praesente, anno 1548. *d.* 13. *Iunii*, subito apoplexiae morbo extinguitur in Comitiis Augustanis, anno aetatis 59. Magna fuisse vir dicitur auctoritate, & prudentia, atque ut Caesari gratus, ita aliorum invidiae expositus, *Lundensis* adpellatione frequentius reperitur designatus, quam alia, in historicorum Seculi XVI. scriptis, nec non Phil. Melanchtonis epistolis, atque alibi. Plura de eo, praeter iam laudatos, suppeditant *Chronicon Constantiense pag.* 698. Gabr. Bucelinus *in Descript. Constantiae pagg* 347. *seqq.* Casp. Bruschius *de Episcopis German. cap.* 4. & in *Chronol. Monaster. Germ. pag.* 50. a quo pariter discimus fratris filium habuisse Henricum Rudolphum a Wezza I. V. D. Monasteriique Waldsassensis administratorem; vid. *Chronol. Monaster. pag.* 688. Sammarthan *Gall. Christian. Tom.* 2. *pag* 546. *b.* &c. Nec tacendum, quod in familia sua habuerit, Secretarii fungentem munere, Virum plane egregium, & scriptis eruditissimis postea percelebrem Andream Masium, qui & defunctum carmine laudavit, ubi de muneribus Wezaei inter alia haec leguntur:

„ Quem Rex consiliis Cimbricus intimis
„ Admovit iuvenem: Antistitis & sacro
„ Auxit munere Lundae
„ Dehinc fidum comitem fugae
„ Per terram usque suae, per mare comperit.
„ Cuique arcana sacro pectore condita
„ Quintus Carolus annos
„ Ausus credere bis decem,
„ Magnis Imperii non sine commodis
„ Fortunisque sui: qua Rhodanus meat,
„ Qua Baetisque Tagusque
„ Qua Rhenus fluit impiger.
„ Qua flavo Tiberis labitur agmine,
„ Longus qua vehit Istrum alveus uberem,
„ Ad Reges populosque
„ Ferre oracula iusserat &c.

CIↃ IↃ XXXIX.

ptu naves quatuor, quae traiicerent, si sic forte usus ferret. Praeerat illis Oldenburgicus, omnium consiliorum moderator; eo amplioris fidei, quo infestius Christiani odium profitebatur. In Germania alius conscriptus miles in stipendium Moguntini, & Brunsvicensis, quibus nata cum Landgravio inimicitia. His, ducendis in Borussiam, si dissidium, ut spes erat, Moguntini, ac Brunsvicensis forsitan componeretur, Cunradus Hartsteinius, eques auratus, qui tunc Reipublicae Francofurtensi militabat, dux daretur. Adduntur mille, & quingenti equites in Coloniensi statim ditione, ut & Monasteriensi conducendi, ordinis livonici magistri sumtu. Illis copiis pariter Rex, & Borussus petebantur. Caesari uterque exosus, & Burgundis nullam aliam ob causam, quam quod in Religione diffiderent. Palatinus, recta primum in Holsatiam, hinc in Daniam arma vertere cogitabat; & haud longe a finibus situm oppidum Luneburgensis ditionis expugnaverat: & Hartsteinius, in Borussum contendebat; ordinis livonici magistro ex parte item altera invasuro. Pro Burgundis, Megapolitanus erat odio in Christianum, quamvis in religione consentiret. Et a Pomeranis quoque metus erat, ne per suas ditiones transitum praeberent hosti: eo magis, quod vexari Regem posse per affinem existimarent. Sed prudentia eius, ac Borussi, summa hostium consilia quaevis, etsi callida, & occulta, evanuere. Nam uterque, uti reditum navibus Belgicis, quae a Caesare revocatae, impediret, ab Hansaticis civitatibus impetraverat, ut annonam, qua hae instruendae essent, exportari prohiberent. Tum vulgatus quoque rumor, Regem naves quorumcumque in freto Oritano sistere. Qua de causa quaedam metu, aliae sponte, ne reverterentur vacuae, remanere in istis portibus cogebantur, nec redire domum poterant. Interim Rex, & Borussus, suam quisque classem instruere, uti fretum, de quo dixi, si perrumpere hostis vellet, tuerentur. Quin & Albim Hamburgenses navibus suis insidebant, ne Holsatiam invaderet. Insuper in limite exercitus iustus praesto erat, & Rex, si res ita ferret, dimicare plane certus. Ac quum etiam oppidum quoddam ditionis Luneburgicae captum esset, & illud vindicandum ratus, additis suorum aliquot ad Luneburgensis Ducis equitatum, recipit oppidum, & refugere in Bremensem ditionem, unde venerat, hostem cogit. Ibi tum Milenus erat, qui pro protestantibus advigilabat, ut consilia, si quae contra foederatos caperentur, disturbaret. Is tribunos, ac centuriones hostium, nescios quo ducerentur, permovet, ut literis se in militiam Regis Daniae, Principumve protestantium obligarent, ea lege, uti intra dies quindecim ea de re certiores redderentur. Etenim sic statuebat, aut usuros eo milite protestantes, aut se illum distracturum. Verum, quum res, quae in plurium conscientia haud celari diu poterat, emanasset, mox tribuni, ac centuriones omnes, qui se nominatim obstrinxerant, profugere compellebantur, milites, detractis, signis numero quinque inter ceteros distributi. Ita cuncti novo sacramento obstricti, ac promissum his stipendium, cuius unus aureus repraesentatus, & aperte minabantur, in Holsatiam, Daniamque se ituros, ubi praeda in promptu foret. Sed in agro Oldenburgico dum desidia torpescunt, nec stipendia persolvuntur, omnes sponte dilabuntur: pars in Frisiam adiacentem, alii alio; ubi spes stipendii exigua erat, sive vitae alio modo tolerandae. Per hoc tempus rex Poloniae, Borussi suasu, apud Regem Romanorum Ferdinandum obtinuerat, ut auctoritate ea, qua pollebat, Christianum, & Palatinum inter se conciliaret: quod facilius putabatur ob adversa Palatini. Ac spem fecerat Ferdinandus, illud se facturum esse. Sed, quum scriberet Polono Christianus, nihil sibi negotii cum Palatino intercedere, gratias tamen pro hoc studio summas agere, ea cura intermissa. Nec a Ferdinando admodum ea de re laboratum, succensente, quod fortunam Palatini adversam Christianus sperneret. Atque Palatinus quidem, quum conatis excidisset, neque ullam opem ferre, Turca a Germaniae finibus propulsando sat superque occupatus, Caesar posset, ab Henrico Angliae Rege petere auxilium statuit. Itaque ad eum abit, comitante Oldenburgico, & excipitur perbenigne, ut Imperii tanto Principe dignum erat. Magis etiam propter nuptias quas cum filia Cliviensis, inter Principes Germaniae loco non extremo habiti, Rex Henricus tum contraxerat. Verum, quum suppetias adversus Christianum peteret, ibi nihil, quod benevolentiae tantae responderet, impetravit. Ac regerere Henricus: *alia religione ipsum uti: ac cum Dano, Saxone, Landgravioque amicitia longe maxima, & certissima se coniungi. Sed mutare si Religionem vellet, & in protestantium admitti foedus, operam daturum esse, Saxone, Landgravioque adiutantibus, uti, quae cum Dano sibi controversia intercederet, componatur*. Quod quum ille recusaret, spe frustratus, quam conceperat, retro cedit. Inter haec legati Ducum Pomeranicorum adsunt, uti convenerat, transfiguntque controversiam, etsi maximo cum negotio. Nam quum Rex, unde vi deiectus esset, id restitui postularet, ac contenderet, sui tantum iuris esse, Rugianis, ex Ecclesiae Roschildensis auctoritate, dare hominem idoneum, qui Ecclesiae praeesset, illi rem arbitrio iudicum, ex Consiliariis partis utriusque legendorum, permittendam existimabant; aut, si magis id placeret, Iureconsultis Academiae Wittebergensis cognoscendam in manum tradi postulabant, aut potissimum censebant, uti ordines protestantium, pariter utrinque amici, universam disceptarent. Verum Rex omnino nolle, ut ius suum, de quo numquam tempore Episcoporum Roschildensium controversia extitisset, tunc in dubium vocaretur; rursum illi, *si quid, inconsulto Caesare, iuri suo detrahi nunc pateren-*

CIↃ IↃ XXXIX.

terentur, rationem imperio reddendam fore. Eum pridem asperatum, quod doctrinam reformatam recepissent, nova offensa magis irritatum iri: ideoque malum sibi non exiguum metuendum, occupasse Rugiam: duces reliquaque de quibus contendebatur, bona regis, cum periculum fuisset, ne haec Caesar vindicaret. Hic responsum, *rem eodem loco fore, & discrimen plane idem habituram, seu ab arbitris delectis, sive a iureconsultis etiam VVittebergensibus, aut a protestantibus denique, inconsulto Caesare, decideretur. Insuper, consensum quoque Brandenburgici requirendum, propter foedera, quae cum Pomeranis ipsi intercedunt. Sed nequaquam regem ferre, ut ius suum, hactenus indubitatum, nunc in dubium vocetur, neve ut imperii causae cum his, quae sunt regni Daniae, confundantur; unde mox gravissimas contentiones orituras praevideret. Ac si bona Rugiana eo fine, quo feruntur, occupata, certe nil emolumenti inde ad regem rediisse; ideoque restitutionem horum minus etiam recusari oportere. Etenim collegii Roschildiensis, quod insigne regni membrum, regem dominum, atque protectorem esse; ideoque bona eius aut avelli, aut discerpi quoquo modo minime ferendum sibi existimare. Nec in ducere animum posse, ut permittat, iuris sibi quidquam eripi, utcumque hic difficiles se duces praebeant; viribusque universis, quae sunt regni, adserturum.* Hic legati, quum non aliam amicitiae sanciendae rationem animadverterent, regi ius, emolumenta, reditusque permisere; sed exceptum est dominium, quod principibus voluere conservatum, ac rogatu legatorum, bona ista mox Martino Bernecovio, filioque, quos Episcopus Roschildensis, claros fidei, & industriae, antea praeesse iusserat, commendata. Verum haec sine solenni regio diplomate, quod necessario dandum fuerat, exsequi iussi; quia neque adhuc sacramento fidei obstricti regi. Quod dominium attineret, quum Landgravius ita peteret, id in vernum tempus rex produci passus; ea lege, ne quid in possessione, aut percipiendis fructibus turbaretur. Cum Fuggeris etiam transactum Hafniae; quo Silvestrum illi Reedium ablegarant, cui & Borussus suos quosdam addidit, ut obfensam intercessione eius delini rent, ac pecunia aliquanta fraudem factam redemerunt. Quin & literas hac de re e Belgio Maria dederat, & hanc causam velut ad commercia Belgica pertinentem, ad se traxerat. Verum apud Christianum plus Borussi gratia valuit. Pro Fuggeris spopondere illi ipsi, qui legati a Borusso, tabulaeque conventorum confirmatae ab Antonio Fuggero, suo nomine, & nepotum, qui ex fratre. Haec dum fiunt, Otho Stigotius, qui infesta in regem arma hactenus gesserat, postquam in Saxoniam inferiorem temere ingressus esset, Hamburgum inter, & Lubecam capitur a Magno Duce. Is cum Oldenburgico excesserat Dania, postquam fidem Christiano, numquam se quid contra regnum moliturum, obstrinxisset. Verum, spreto sacramento, Palatino, aliisque regis hostibus militaverat, & in Daniam multa machinatus erat, itaque transmitti eum, aut tormentis illic subiici, Christianus cupiebat, ac mittebat Ioannem Rantzovium, cum mandatis, monitisque, multum interesse sua, ne is e custodia dimitteretur. Et volebat gratiam a genero inire Magnus, sed rogabant varii Principes, ne innoxium attineret; atque fidem ipse dederat, haud periculum illi vitae ullum fore. Tum vicini Megapolitani obfensam, & Palatini, cuius summam apud Caesarem gratiam non ignorabat, maximopere metuebat. Tamdem vero, quum Stigotius causae ditionem obferret, & si veniam delictorum impetraret, regi fidem in posterum polliceretur, ponit iram Christianus, & Casparum Fuchsium mittit, qui in Daniam adduceret; ubi, condonata culpa, bonam regi operam deinceps praestitit. Ac potissimum in Islandia, ubi & tumultus dudum, ob religionis causam excitatus, & seditiosi quidam eo audaciae processerant, ut praefecti regii ministros aliquot, prius habitos ludibrio, & adfectos contumelia, tamdem etiam trucidarent. Res Augmundo imputata, Scalholtensi tum Episcopo, qui Mauritium regio praefectum nomine, quod religionem illic reformatam propagare conaretur, odio prosequebatur. Verum ipse, abdicato Episcopatu, poenam meritam antevertit; in ceteros ex legibus Norvagicis est animadversum. Per id tempus, in Norvagia etiam tumultuatum, ac querelae plurimorum sunt auditae, sic ius reddi, uti poenae, nullis plane certis legibus sumerentur, verum iudicum, praesidumque arbitratu, multae tantum noxiis irrogarentur. Huic malo uti subveniri posset, missi eo Trugotus Vlstandius & Claudius Billius, cum mandatis, uti causas, quae ad regium tribunal provocatione essent devolutae, iudicarent; tum corrigerent, & supplerent, quae in iure Norvagico requirerentur. Illic iussa exsequuti, condunt leges iuxta Danicarum formam, quatenus istius regni iura, consuetudinesque paterentur; quae a rege post id tempus confirmatae, etiamnum illic vigent. At compositus tumultus a Claudio Billio praeside Bahusiano, & Petro Ioannis Aggershusiano, hac occasione ortus. Anno proxime praeterito in provincia Norvagiae, Tilemarchia adpellata, coepta erant erui metalla argenti, aeris, plumbi; ac Saxoniae Septemviro, aliisque, eius rei sat peritis, quum materiam adprobassent, accersitae e Misnia operae; & inspectio mandata primum Stigoto Baggoni, inde & Antonio Bruschio; regimen supremum autem Ioanni Glafsoni. Tum immunitates datae, sicut in fodinis Misnicis, conditaeque item leges, quibus operae subiacerent. Postquam vero rusticis abuterentur insolentius, ii perinique ferre, quod maiora sibi solito onera imponerentur, nec emolumenti aliquid in se inde redundaret. Illud quoque aegre erat, quod cum his agendum esset, quorum linguam ignorarent. Itaque e pagis aliquot rustici mox coeuntes, operas interturbare, & expellere conabantur. Sed eorum insolentiam, quos iam dixi, praesides coercere, & nonnulli capitis

CIↃ IↃ XXXIX.

pitis supplicio a rege adfecti, aliis indicta mulcta, prout culpa merebatur. Sed, initia fodinarum quamquam satis laeta assent, tamen reditu minore, quam speratum, sumtus regem, & laboris mox pertaesum, operaque intermissa. Causam ferunt, quod e terra aquae tantum emanaret, uti, quo necesse erat, penetrare, nisi vitae cum periculo, minime possent. Per hoc tempus, quum induciarum finis, iam triennio, in quod pactae, fere elapso, immineret; ideoque bellum a Caesare metuendum regi esset, Hamburgenses, qui earum auctores fuerant, denuo ad Mariam mittunt, & has prorogari petunt. Ac responsum, *nihil magis Caesarem velle, quam ut regi, & Palatino, quam rectissime conveniret, seque promtam in id incumbere suo, & illius nomine; tum, si aliquos in rem illam rex ableget, nihil plane omissuram, quod ad mutuam inter ipsos sanciendam amicitiam pertinere videretur*. Christianus, quum Mariae animum in pacem pronum accepisset, mox legatos eo mittit, cum amplissima potestate, Avonem Vicentium Lungium, Gosichium Ranzovium, Suavenium, & Fuchsium, qui Gandavi eam adeunt. Sed conditiones postquam nimis graves ponerentur, nec de illis admittendis aliquid mandati haberent, re infecta discessere; ita tamen, ut ad regem relaturos se promitterent; atque illum alios ablegaturum, qui sententiam de his suam declararent. Inter medias illas turbas, & immensam tot negotiorum molem, ut Ecclesiae recte administrarentur, curae fuit. Ideoque, late iam per regnum utrumque propagata Evangelii doctrina, quum ministri idonei deessent passim, Academiam Hafniensem, per octennium dissipatam, instauravit; ut Ecclesiae ministri, sicubi requirerentur, ex eadem peti possent. Auxit itaque professores, & stipendia uti ampliora essent, Cnarderupium monasterium illis dedit, mox ad scholas curam extendit; & docentibus sic prospexit, ut ad vitam substentandam plane nil desiderarent.

HISTORIAE DANICAE

LIBER VII.

CIↃ IↃ XL.

Caesar, Gallia peragrata, quum Gandavum pervenisset, spe diutius illic substitit. Nam Farnesius Cardinalis, a Pontifice legatus, pariter ad illum, & Gallum varia mandata adtulerat. Inter cetera, & de Christiano egit; Caesarique initum cum protestantibus pridem foedus exprobravit. Quorum mox legati adsunt, uti etiam Christiani, ac religioni pacem illi petunt, isti Daniae. Nam induciae, quas statutas in triennium memoravi, iam in fine versabantur. Danicis negotium praebuit, quod inprimis titulum sibi Christianus regium adferi voluisset; quem Caesarei, inter quos Scepperus erat maxima auctoritate, nullo modo concedebant; & electum eum tantum, aut designatum adpellabant. Atque ita Caesar iusserat, qui id ad ius Palatini conservandum pertinere existimabat. Sed obniti plane regii, nec detractum Christiano quidquam velle. Etenim legitime ademtum regnum a Deo, & hominibus illis, penes quos potestas conferendi esset; tum inauguratum rite, & unctione consecratum, usitato inter Christianos more, regem apud omnes dici, & pro eo sese gerere; nec de iure regni ulli aliquid concessum cupere, nec adgnoscere, cui minimum quid competat. Istud postquam maxima contentione disceptatum contestati, nulla in re dignitatem regiam minutam velle, ad negotia pertractanda accessere. Ac transactum primo fuit, de pecunia, quae Transisulanis debita, per tres annos exhibenda, in pretium navium, quae distractae ante Calendas Februarias, sicut in prioribus induciis statutum erat. Reliqua exsolverentur, simul pax decreta foret. Quae si ultra annum unum proferretur, tum legati mitterentur, ea de re transacturi. Verum neque pax constitui ulla poterat, nec induciae prorogari, nisi in Calendas Maii anni proxime insequentis. Nam existimabat Caesar per inducias negligentiores pacis omnes in annos reddi, cuius studium ne remitterent, placuit conventum indicere in vicesimum quartum Augusti, in quo etiam Palatinus compareret; ac de tota illic re transactum iri, neque reliquum ad constituendam pacem quidquam fore. Quae in Flandria dum geruntur, literae ad Christianum a Landgravio adferuntur, quibus ille auctor esse, ut negotium Palatini quavis demum ratione expediret, atque dotem, quam exigeret, omni studio redimeret. Nam accipitrem eum esse, Caesarem aucupem. Itaque si Saxonis & suo arbitrio rem permitteret, curaturos, quantum in se, ut ad finem perducatur. Tum ad foedus arctius cum protestantibus eum invitat, quo religioni iuxta, atque eius dignitati, publicoque regni bono pariter consuleretur, ac Clivensem illo comprehensum iri. Ad haec autem

CIↃIↃXL. autem Christianus, controversiam, quae cum Palatino esset, haud gravate illorum arbitrio se permittere, sed inire novum foedus, quando, quid in Flandria legati sui effecissent, ignoraret, minime posse. Itidem ad Palatinum Saxo, & Landgravius in eamdem sententiam literas dederant, neque ille arbitros ipsos recusare. Itaque, quum de religionis causis mox Smalcaldiae ageretur, missus huc a Christiano Vtenhovius, cum mandato, ut conditionem quamvis aequam admitteret. Sed intentus regno Daniae toto animo Palatinus, quae, negotio componendo, a Landgravio, Saxoneque adferrentur, praefacte reiiciebat; & dotale illis pactum opponebat, quo legati, qui uxorem Christierno Isabellam postulabant, promisissent, totius senatus nomine, liberos cuiusvis sexus, qui ex eo matrimonio nascerentur, certo successuros esse. Ista obligatione Danicum senatum obstrictum, minime in alium transferre regnum potuisse, quod nunc liberis Christierni deberetur. Ac rogatus, ut, his missis, quae ab ipso neque liquide probari, nec refelli ab Vtenhovio sine regis iussu possent, animum ad pacem verteret, nullam aliam rationem admissurum se respondit, quam, *ut regno Christianus statim cederet, aut ad Christiernum ipse, coram de re universa collaturus, admittatur. Itaque, si potestatem colloquendi sibi Christianus faceret, fide publica accessurum ad Christianum, ac tum demum, quaenam pacis faciendae rationes sint, dicturum*. Quorum neutrum quum promittere Vtenhovius, nisi data a rege potestate, quiret, Palatinus liberari socerum custodia petit, queriturque, *perinique ab illis actum, qui per fraudem circumventum in potestatem redegissent. Itaque in integrum restitui, ius, fasque esse; dicturum causam, si quis crimen qualecumque intentaret*. Respondere Vtenhovius, *neque ullum in hanc rem mandatum sibi, nec putare, opportune id agi posse, nisi ubi Christiernus praesto esset. Eum vero e custodia aliquo in loco sistere, in solius Christiani potestate minime esse, sed ad plures, qui ius in captivum regem, armis suis profligatum, sibi vindicent, pertinere. Neque item hoc passuros, ut e regno Christiernus avehatur*. Haec legatus postquam sic disseruisset de sententia Saxonis, Landgraviique inter partes constitutum, ut Lubecam Christiernus sub custodia veheretur; & eodem ambo illi, ac Palatinus cum utraque Christierni filia se conferrent. Vnum istud, quod ad pacem pertineret, actum fuit. Quum in Daniam Vtenhovius rediisset, de petitis Palatini inter se deliberavit senatus, variantibus sententiis. Nam nonnulli Palatinum ad colloquium Christierni nullo modo admittendum existimabant. Quippe animum ferocem, & vindictae cupientem magis obduratum iri, aut cupiditatem certe Palatini porro etiam Christiernum incensurum. Aliis, si senatores quidam regni arbitri adhiberentur, soceri colloquium familiare promittendum Palatino videbatur. Etenim inflecti eum precibus Christierni posse, quem diuturni carceris sic taederet, ut existimari posset, qualibet conditione potius transactum velle, quam diutius in custodia adeo stricta detineri. Aut colloquio si fortasse nullum regni senatorum adesse Palatinus cuperet, saltem facile permissurum a Saxone, & Landgravio delegati aliqui admitterentur. Quae sententia quum teneret, visum fuit, ut legati ad conventum proximum mox profecturi, spem colloquii Palatino hac conditione facerent, aut si opus verteretur, absolute id promitterent. Quia vero obtendisset, quum coniugium Isabellae Christiano peteretur, senatores per legatos liberis successionem promisisse, placuit rogare omnes, qui in vivis superessent, quid compertum sibi haberent, atque hi adseruere, nihil tale in mandatis umquam datum, neque in dotalium pactorum tabulis aliquid inventum iri Quae confessio ut plus ponderis haberet, placuit regi, uti omnes Magno Saxoni sese sisterent; isque adhibitis notariis, testibusque publicum fieri veritatis instrumentum procuraret, atque illud quam maturrime; siquidem provecta adeo cunctis aetas, ut haud longe a fatali abesse die viderentur, quum instaret, qui conventui dictus dies, missus quidam a Maria Belgii praeside, indicatum Christiano, Caesarem constituisse, controversiam, quae cum Palatino pridem intercederet, quovis modo terminare; itaque Coloniam legatos mitteret, quo & suos Palatinus ablegaret. Ac vix designati erant, Andreas Billius, Gossichius Ranzovius, Wolffgangus Vtenhovius, Ioannes Fursterus, Suavenius, & Fuchsius, quum propositum rex mutat; sive aliorum monitu, sive quod mutasse etiam Palatinum comperisset, ignoratur. Illud constat, cum Boruso id communicatum esse, qui inique admodum ferret, quod induciis nuper factis, Caesar ipsum comprehensum noluisset. Neque iram occultabat, sed vicissim professus hostem, naves, quae Belgarum essent, detinebat, neque portibus exire intra proximum trimestre concedebat. Sed & alius Palatino animus erat, quod, Coloniae controversiam disceptandam, a Maria tradere coactus esset. Itaque legati quum mittendi forent, temporis, quaesito effugio, brevitatem obtendebat, ne arbitrium causae suae, quod nolebat, Saxoni permittere, Landgravioque teneretur. Etenim, cum Christiano amicitia iunctos sciret, plus favoris a Caesareis expectabat. Quod quum regi innotuisset, a Landgravio scriptis Isenaco literis, voluit conventui Coloniensi itidem obnuntiatum. Itaque legatus ad Mariam Fuchsius literis adfert, quis in speciem aliae rationes redditae, cur legati ad conventum Coloniensem mitti minime potuerint. Nam de loco indicatum serius esse, quam legati, ut expediri commode possent; tum Gandavi constitutum, ut composita Smalcaldiae controversia, aut dilata in aliud tempus, quod decretum de conventu hoc fuisset, irritum foret. Itaque, quum id statutum illic esset, ut cognitio causae eius differretur, ac pars utraque in hoc ipsum consensisset, unice rogatam cupere, ut conventum Coloniensem prorogari patiatur. Sed Ma-

CIƆIƆXL. Maria, & inprimis ipse Caesar, aegre ferre, insuper conventum habitum, maxime quum illud agerent, qui a se religione dissentirent; quis accedere compositae controversiae diuturnae, & gravissimae, laudem nollet. Ringi etiam Palatinus. Qui legatos quum Coloniam misisset, & eventum apud Caesarem exspectaret, spe se excidisse videns, Christianum adcusare, ceu qui fidem non servasset, Caesarisque auctoritatem contemsisset; tum de cerni aliquid in eum gravius postulare. Et mox Caesar, ac Maria, datis literis, evocare Christianum ad comitia, quae instabant. Nam tametsi graviter ferret Palatinus, nullum ab ipso ad conventum Coloniensem accessisse, nihilominus pacis causa, ac concordiae, persuaderi sibi passum, ut negotium illic suum peragatur; itaque admonitum cupere, ut legatos mittere ne cunctaretur, quin seorsim pollicetur, &, Maria, si quae aequa sint, admittat, Caesarem benignum fore. Sed in literis neque locus designatus, nec expressum item tempus; ut nesciret Christianus, aut quo mittere legatos, aut quo tempore deberet. Itaque rescribens, petit, ut distincte ea sibi indicentur. Quia vero induciarum tunc futurus finis esset, ne legatos in periculum aliquod daret, literas commeatus poscit, quis securitati horum consulatur; insuper denuntiari bellum, an pacem exspectare ipse debeat. Ad haec respondere Caesar: *Ratisbonae se comitia indixisse, eaque ad diem sextum Ianuarii incohoanda, sed in mensem unum alterumve, ob negotia, quae haud dubie multiplicia intercideren, protrahenda, ut legati sat mature mitti queant, ac securitatem illis per imperium universum etiam quum revertantur, certam fore; & induciae si fortasse inter ista finirentur, de iisdem producendis agi cum legatis posse, donec pax constituatur, neque sibi per id tempus me tuendum quidquam esse.* Ac severius quidem Caesar, propiorque indignanti ista scribere, sed pacatius Maria, & dissimulans obfensam; tum, & quia pro Fuggeris intercedere apud eum constituerat, blandius sibi compellandum existimabat. Quippe illi, quum pecuniam, quam repraesentare Hamburgi Christiano tenebantur exhibere sive irati detrectarent, sive id temporis imparati minus possent, ne quid fides laboraret, a Maria postulaverant, uti preces interponeret, peteretque, ut remitteret pecuniam, in quam sese obligassent. Atque illa serio agebat causam, & nonnihil incusabat Christianum, quod donatus aliquot aureorum millibus, etiam ad mutuum eos promittendum nullo iure adegisset: *Etenim, quod Palatinum itidem pecunia adiutum obtenderet, & hospitio exceptum, ad tuendam facti sui rationem haud sufficere. Non enim pecuniam suppeditatam; iusque hospitii etiam maioribus a multis annis exstitisse. Itaque & nunc id coli nullo modo adcusandum. Insuper, communi eos mercatorum, inter quos excellant, iure, & induciarum pacto, tutos esse oportere; quam ob rem sperare se, minime laturum aegre. ea ita memorari; quae seu falsa, ut existimet, tamen expedire sibi, uti, quae ferantur vulgo, non ignoret; aut si vera, aboleri facile rumorem posse, sed Fuggeris gratiam promissi faciat, aut tantisper a petendo supersedeat, dum de tota controversia, quod omnino mox futurum conveniret.* Contra paucis respondere Christianus: *nil iniquum in Dania Fuggeros passos. Pridem, permittente patre, monopolio quodam usos aeris exportandi, modum excessisse fraudulenter, atque ita vectigalia regia imminuisse. Cuius rei deprehensos, aere noxam manifestam sic luisse, ut in poenae etiam parte obligatio ista esset. Neque quidquam per inducias, anno demum post decretas, ratione hac detractum, tum exstare initi contractus tabulas, quae, quo modo tunc convenerit, indicarent. Illis stare se paratum, ac vicissim, quin Fuggeri sint promissa servaturi, nullo modo dubitare.* Sed Fuggeri, etsi frustra opera Mariae esset, coeptum haud intermittentes, id agebant summo nisu, uti rebus Caesaris, ac Palatini sua causa misceretur. Itaque de ea actum Ratisbonae anno proximo, & in aliis conventibus, uti postea referemus. Inter ista, iminet Svecus, ac Ludosiam, & Elsburgum, adducto milite, animos subspensos tenet, an in Daniam, aut Norvagiam impetum facturus esset. Christianus, ut cognosceret, quid Gustavus moliretur, literas ad eum mittit, postulatque, ut dissidiis componendis diem diceret, locumque, quo legatos convenire utriusque regni vellet. Has qui ferret, quum diutius, quam necesse videbatur, moraretur, subspicari Christianus, ideo eum a Gustavo retineri, ut se interim pararet, neque postea aequi quidquam per eumdem responsurum. Itaque nec amicitiae certus satis, neque bellum item exspectans, sine clarigatione, maxime nullius sibi obfensae conscius, arma parat, quae opponat inferenti, munit oppida, arcesque, ne quid hostem contemsisse, aut res suas negligentia prodidisse videretur, & hostile quid tentantem vi contraria propulsaret. Sed mox nuntius revertitur cum responso; mitteret Calmariam legatos suos sub dimidium auctumnum, & eodem a Gustavo itidem venturos esse. Ac legati a Christiano, Axilius Brahaeus, Oligerus Vlstandius, Canutus Guldensternius, Birgerus Trollius, & Casparus Brochmannus. Plurimum negotii fuit; & Gustavus indignatus, quod pecuniam Christianus mutuatam non solvisset, fidem eius sat superbe elevabat, & pignoribus, quorum reditus supra foenus, haud contentus, armis se, quod deberetur, petiturum minabatur. Sed legati, quum solutionis diem regi dici postularent, ut Ludosiae vere proximo penderetur, convenere. Vnum tamen nimium proterve Sveci, quod pecuniae certam speciem flagitarent, & legati, ut faterentur, fide pridem Christiani labefacta, recte arces pignoratas occupari potuisse; tum ut suam sibi fidem obligarent, gravi etiam dicta poena, ni pecunia constituto tempore exhiberetur. Quae ab iis agebantur, uti animum Christiani per se lenem irritarent, aut, si illud non efficerent, at Gustavo certe esset, quo tueri sese posset, si in-

festa

CIƆIƆXL. festa arma capere, aut invadere arces pignoratas vellet. Multa sane animi exadsperati signa erant, dum contemtim fidem Christiani adcusaret; & improperaret ferociter, passim in Borussia Ioannem ducem Sveciae regem iuniorem dictitari; insuper iniurium Borussum ipsum multis modis. Ad quae omnia quum legati permodeste respondissent, ac cavissent de pecunia pro Gustavi voluntate, ille, ut placati animi fidem faceret, expetit colloquium regis; & proponit certum diem, quo dissidia, si quae essent, coram ipsi inter se conciliarent. Christianus, quum legati mox reversi nuntiassent, quanta Svecus inhumanitate egisset, operam inprimis dedit, ut pecunia ante diem redderetur; ac colloquium, quod petebat, & si minus rebus suis opportunum, nec emolumenti multum adlaturum videretur, tamen minime recusandum existimavit. Verum diem alium cupit, & de eo certiorem ipsum facit, simul illi locum dicit, quem Varbergae designabat, tum, uterque quanto esset comitatu abfuturus. Sed Gustavus postquam diem, a se dictum, Christianus reiecisset, ne concedere quidquam ei videretur, rursus alium constituit. Quem expectans, peditatu longius a finibus misso, ipse Elsburgi, una equitum, alteraque comitatus turma, manet. Quando vero Christianus cognovisset, quae Gustavus quereretur, statim indicat Borusso, & ut suos etiam ad conventum ablegent ad obiecta responsuros, serio rogat; simul monet, nisi fama mentiretur, Ioannem ducem, Sveciae regem iuniorem vulgo dici, quod Gustavus aegre ferens incusaret, sedulo ut prohiberet; tum praeterea Danticanis, componendae, quae cum Sveco intercederet, controversiae, operam obferret suam; uti toto mari Baltico nullus belli metus esset. Sed, dum Sveco Christianus in hunc modum comparare pacem studet, ille contra nova in Danos molitur. In hanc rem pecunia corrupti quidam, homines perditi, in his urbibus, quae coniunctae protestantibus. Ac conduxerat eos Svecus, & Livonus, Brunsvicensis, tum Bremensis etiam Metropolitanus, uti commoverent sese, ac seditionem facerent; consciique in nonnullis civitatibus magistratus, clam adversi protestantibus, studia sua adiungebant. Perculit res Christianum, pacis cupidum; & periculum reformatae religionis, rupto vinculo protestantium, imminere videbatur. Itaque communicat cum Saxone, Landgravioque, & Borusso, quibus eadem sententia, quam ob rem consilia iungunt, ac subornant, qui insidiis exploratis obviam irent, subitaque factionum sub initia ipsa opprimerent; atque ea ratione est effectum, ut seditio facile prohiberetur, & religio reformata nihil detrimenti caperet. Per id tempus etiam Pomerani turbant; & iniquo admodum ferentes animo, quod legati bona nuper Rugiae Christiano concessissent. Etenim existimabant, ubi de proprietate contendendum sibi foret, apud arbitros delectos facile se causam suam obtenturos. Itaque n Rugia manere reditus cupiebant, meliusque statuebant, eos illic retinere, quam e Dania repetere. Inde factum, ut Ioannes Bernecovius, cui isto anno illi, mortuo Martino patre, demandati, minime, quae debebantur, exhibere contra interdictum auderet. Quod quum rex moleste ferret, monet iterum Pomeranos, ut abstineant ab iniuria, nec quae sibi debeantur, temere invadere velint: *Nam, quae praesulis Roschildensis longo tempore exstitissent, sine ulla controversia, nullo ea iure sibi vindicare ipsos posse.* Atque illi, quum referri ad arbitrium principum rem petiissent, nec concederet Christianus, titulum possessionis aliter tueri se haud posse ratus, tamdem eius voluntati obsequuntur; ita, ut proprietatis controversia arbitris permitteretur Saxoni, Landgravioque, quibus ea, de consensu partium, tributa fuerat. Qui conventum protestantium cum Naumburgi indixissent, eo quoque Christianum, quamquam serius invitant. Illo vero, quum Holsatiam hac de causa, aliisque petere constituisset, uti praesto ad Germaniae fines esset, & ad mare Balticum iam pervenisset, vento adverso tenebatur. Hinc, tranquillitate orta, quum traiicere in oppositum littus vellet, adeo tempestas magna ingruens inopinato infestavit, ut in terram vix evaderet. Inde in Holsatiam quum accessisset, nec legati expediri satis tempestive possent, dat mandatum Vtenhovio, qui tunc illic morabatur, ut legati vicem ageret; isque curam imperatam maxima cum fide gessit. Anno proximo, CIƆ IƆ XLI. quum comitia imperii Ratisbonae haberentur, legati e Dania accessere Andreas Billius, vir equestri dignitate, Wolfgangius Vtenhovius, Petrus Svavenius, Casparus Fuchsius; Caesar Paulum cunctabatur, dumque abest, agunt cum consiliariis, & adventus causam exponunt. Postquam autem advenisset, accersiti, quae mandata erant, referunt, & benigne dimittuntur. Hinc Pratensi, Granvellano, & Navesio demandatum, ut cum illis rem peragerent. In exordio paucis verbis repetebat Vtenhovius, quod superioribus legationibus aliquot prolatum esset; haud in regnum Daniae ius Palatino per uxorem ullum esse. *Neque enim feuda feminis, nedum regna libera electione dari solita, obvenire. Christianum procerum legitimis suffragiis lectum, & captivi regis filias sexu quoque suo excludi. Nec concedere eum cuiquam, ut ius suum disceptare porro instituat. At, si aliud qualecumque Palatinus postularet, quidquid aequum habiturum.* Hic Navesius: *Regna eum minime petere, in quae nullum, vivo adhuc Christiano, ius competeret, illud tantum unum velle, ut videre liberatum socerum posset, quem inique contra datam fidem captum existimaret. Hoc ex mera pietate flagitanti vitio non vertendum esse, qui amori coniugali id deberet. Idem filias Christierni, utrumque avunculum multis lacrimis obtestantes, admodum enixe orare; tum & Caesarem idem velle, si is pacem habere cupiat.* Regerebat Vtenhovius: *Hic de liberatione Christierni agi nullo modo posse; quod Mariae Belgii gubernatrici, pridem indicatum esset. Sed Lubecae, aut Ham-*

CIↃ IↃ XLI.

Hamburgi, sive etiam Luneburgi, aut alio propinquo loco, postulandum. Etenim necesse plane, ad consensum requirendum, eum ipsum interesse, ceteroqui vix id ratum habiturum, quod a Palatino fiat. Nam in illa saepe verba erupisse; numquam a se ullam factam Palatino potestatem, uti pro se quidquam ageret. Tum & ipsum res curare suas posse, nec patrono causae quoquam indigere; neque penes Christianum, si id velit, solum esse, ut is carcere liberetur. Nam captivum plurium esse, quorum intersit, ne is temere dimittatur; ac praefectum Sunderburgi, cui custodia demandata, fidem multis obstrinxisse. Tum a Caesare binis literis eius rei nullam mentionem factam; ideoque neque regem quidquam huius praescripsisse, nec iniussu quoque eius aliquid promitti posse. Sic Caesarei, explorato quid legatis animi esset, rem ad Caesarem, proceresque referendam censuere. Ac legati, cum Landgravio colloquuti, quidnam actum esset, referunt; tum testantur, facile sibi ex praeteritis iudicare, vix ,' ad pacem impetrandam spei aliquid superesse. Nam instanter libertatem Christierni flagitari, quam, incolumi honore, Palatinus negligi non posse putet. Itaque si mox de eo liberando aut Lubecae, aut Hamburgi, aut Luneburgi sit agendum, eum se rogatum cupere, ut in gratiam regis sui adesse velit. Sed is verbis acrioribus, &, ceu Caesaris instinctu, respondere: Christiernum contra datam fidem captum, criminumque plurimorum incusari, quorum reus neutiquam convinci posset. Etiam intercessisse Friderico pacta quaedam, quibus ille Christierno fidem obstrinxerit. Et immemorem eorum Fridericum, hostem se professum esse. Opem Caesari liberando Christierno Gallum, & Anglum promisisse; neque eam, ceu communi principum causa, defuturam. Ac venturum in societatem quoque Lotharingum, cui data ducis Mediolanensis vidua nuptum erat. Insuper adiuturos alios, & spes tantas concepisse Palatinum, ut pecunia vix ulla satisfactum sibi velit; itaque videri plane, aut Norvagiae ei regnum, Cimbriamve, aut Scaniam saltem obferendam. Quod ni fiat, quidlibet facturum potius, quam ut iure suo cedat. Etenim metuendum regi ne Holsatiam, necdum ritu solito collatam filiis, Caesar vindicet imperio. Itaque, quum Christiernus, quidquid denique obtendant, ab his, qui securitatem promisissent, improbe sit circumventus, cogitandum, quonam modo consuli regi queat, neque ita irritandum Palatinum, ut quod aequum sit, desperans, ad extrema, & iniqua animum vertat. Ad quae rursum Vtenhovius: non videri inique captum Christiernum, quippe & regnandi leges, in quas iusiurandum dederat aliquoties migrasse; ideoque, ex iisdem quoque legibus, ad obsequium, & fidem subditos non ultra obstringi. Nec deceptum fide regis, sed, acceptis literis securitatis publicae a Guldensternio, non sigillo ullo regis, quod in eius tamen potestate erat, sed privato obsignatis, temere se fidei eius permisisse. Quam ob causam si fiducia imprudenti sit deceptus, sibi imputandum esse. Si vero cum Guldensternio iure experiri [a] velit, aequos iudices, coram quibus iussu regis is sistatur, datum iri. Inter Fridericum autem, & Christiernum nihil aliud convenisse, quam Trittoa uti pignori Lubecensibus daretur propter debita Christierni; ac luisse Fridericum, necdum pretio refuso. Frustra opem a Caesare, Gallo, Anglo, atque Lotharingo exspectari; quippe Caesari vix suppetere, unde sua tueatur, aut, si virium quid supersit, fratri potius Ferdinando, quem nunc graviter Turca premat, succurrendum, quam ad aliena animum invadenda adplicandum. Gallo autem, qui cum Caesare conveniat, non obscurum, siquidem legati eius, qui ad Turcam mittebantur, in Italia ad Padum flumen interfecti. Et ab eo minus metuendum regi propter recens ictum foedus. Iam ad Anglum quod attineat, eum, quum diffideat religione, vix facturum, ut, in gratiam Palatini, ceteroqui sat pecuniae suae tenax, aliquid profusum velit; denique, nec Lotharingum, qui coniugio viduae Mediolanensis Gallum obfenderit, sine quo haud multum possit, Daniae metuendum esse. Eapropter Palatinum, qui auxilio alieno spem instruxerit, imbecillo se tibicine substinere; neque opus Christiano, ut Norvagiam illi tradat, regnum multo, quam putetur, opulentius, Daniaque sola regia sede minus. Cimbriam vero, Scaniamque, nobilissimas provincias, nullo modo separari a Dania posse; & ut Cimbria separetur, Slesvicenses, ac Holsatos minime permissuros esse. Quin connexa inter sese vinculo necessitatis membra Daniae; nec Huenam olim Anglum, exiguam in freto Oritano insulam, etsi magno oblato pretio, comparare potuisse. At, si forte insulam Lalandiam peteret, quae Christophoro pridem Bavaro [b] nomine provinciae ducalis data, cuius etiam insignibus, titulo, reditibusque in concilio Constantiensi usus fuit, fieri posse ut obtineat. Nam quod Caesar permutatione aliqua, seu ducatus Luxenburgici, aut alterius provinciae, quam possideat pacate, adversantem Daniam adquirere velit, nihil illud aliud esse, quam si spem, omnino incertam, certo pretio redimeret, & eventum rei dubiae. quod extremae confidentiae sua se in manu habere existimaret. At vero Holsatiae feudum, quod imperio subiectum, etsi Caesar non contulerit, tamen Lubecensem Episcopum, si non ritu usitato, certe literis contulisse; cui olim potestatem Caesar Sigismundus tribuit, dato in hanc rem diplomate, quod sigillo aureo imperii munitum, exstat etiamnum in archivis. Ita-

(a) Cum Guldensternio iure experiri) Namque in Canutum Guldensternium omnem istam culpam, de qua tantopere quaerebantur Caesarei, tum Fridericus I. tum vel maxime Christianus III. reiiciebant. Hinc etiam anno 1542. Guldensternius in ius vocatus, totius negotii, quod ad illam cum Christierno II. transactionem in Norvegia factam attinebat, rationem reddidit, scriptis literis, quas ex autographo protulit Hvitfeldius in Historia Frider. I. pag. 342. Argumentum earum sistit Cragius pag. 250. atque noster inferius.

(b) Christophorus Bavarus) Hallucinatus profecto est Legatus Danicus, Volffgangus Vtenhovius, (cuius hunc sermonem retulit Gragius pag. 222. seqq. exque Cragio noster,) Christophorum Bavarum pro Erico Pomerano nominans. Erat certe Ericus rex, qui ad Concilium Constantiense legationem misit, imo etiam ad Basileense, sicut etiam, ad vitam ipsius suis locis meminimus.

CIↃ IↃ XLI.

Itaque nil causae esse, cur idcirco regna, aut provinciae quaedam Palatini, aut sociorum vano metu traderentur. De uxoris vero dote, quae petatur, Christianum, quidquid aequum videretur, minime recusaturum. Hic Landgravius, ceu dubitans de collatione Holsatiae ab Episcopo Lubecensi, quam commemorabat factam. *At Episcopos*, inquit, *omnes abrogastis; quanam ergo ratione ius illius nunc adseritis? Verum*, ait Vtenhovius, *munere suo sic Episcopi Daniae abutebantur, uti nec maiestas sua regi salva umquam esse, nec constare subditorum obsequium posset, nisi eorum auctoritas convelleretur; itaque Ecclesiasticorum status ni sublatus pridem esset, etiamnum necessario tolli eum oporteret.* Denique Landgravius, quum polliceri minime posset, rem ad finem, quem sperabant, perventuram, filiaque in Saxoniam ad Mauritium ducenda sponsum esset, ac negotiis aliis distraheretur, tamen, quidquid Christiani causa posset, sedulo facturum sese pollicetur. Inde paucis mox diebus aliquoties legati cum Caesareis colloquuti; sed ab istis, praeter liberationem Christierni, quam omnino Palatinus flagitabat, nil propositum. Nam existimare ille, ut aiebant, non excludi feminas a regno Daniae, sed & filias, ac neptes, viduasque tenuisse. Hinc sententiam Palatini scripto consignatam tradunt, & ad eam respondere illos iubent; ac minantur, haud collatum adhuc feudum Holsatiae esse; itaque circumspecte agerent, ne de eo Christianum in periculum adducerent. Quum perlectum Palatini scriptum esset, denuoque convenissent, libere legati exponunt: *adsperum id nimis esse, nec videri dignum principe; & indignum istiusmodi contumelia Christianum. Nam compositum insolenter, & acerbe, ac famosi potius libelli quoddam instar esse, nec legitimis rationibus, uti factum oportebat, iura causae disceptata. Nec se quidquam ex mandato responsuros, manifesta veritate. Quia tamen minime honorem sibi regis sui deserendum existimarent, pauca, quae res posceret, facturos verba. Ac primo quidem, quod defenderet Christiernum, sceleraque maxima extenuaret, ostendebat iura regni, sacramento confirmata, superbissime violasse. Tum Holsatiam avulsisse ab imperio, iuraque, & immunitates, quae in arce Segeberga servabantur, clanculum subripuisse. Itaque haud adcusandos esse subditos, si transgredienti iura, atque fidem violanti fidem ipsi non servarint; postquam reges, subditique mutua obligatione teneantur, nec constare obsequium posset illegitime dominatum exercentibus.* Tum facinora, quae patrasset, memorata; ac de iure succedendi disceptatum. *Neque filias, aut neptes, nedum viduas, ut existimet Palatinus, umquam in regno successisse, ac Dorotheam viduam Christophoro Bavari, non successione quaedam, sed mariti electione remansisse. Etenim si succedendi ius daretur, Bavaros oportuisse a Christophori regis morte ad hoc regnum pervenire. Insuper & Scotiae regem, & marchionem Brandeburgicum, si per matrem regni ius transmitteretur, sibi quoque regnum Daniae vindicare potuisse, quod a neutro tamen factum. Nec deceptum fide publica Christiernum, antea quoque demonstratum, sed necessitate actum, agere cum Guldensternio sua sponte petiisse; qui si fidem non servarit, actionem in eum dari. Monitum a Friderico Christiernum, ne in Daniam veniret; neve in amicitia cuiusquam spem, fiduciamve, collocaret. Nunc autem quum Christianus hostibus id immanissimis eripuerit, & oppressione atroci caedibus, incendiisque, latrociniis, adulteriis, stupris, furtis, ac rapinis liberaverit, & in integrum restituerit misere collapsum pridem, eum deturbatum velle, periniquum sane esse. Etenim praeter discrimen vitae maximum, quod subierit, etiam in sumtus belli plus quadragies centenis nummum unialium millibus impendisse. Hanc pecuniam Palatino, quando regnum illud petat, prius refundendam esse, tum de eius postulati aequitate Christianum in consilium iturum. Quod ni Palatinus faciat, longe certe iniquissime non dumtaxat gloriam, labore partam alieno, cupere in se translatam, sed & regnum, sumtibus alterius, periculisque acquisitum frustra, perperamque nimis adfectare.* Denique, quum in legatos etiam invectus esset, summa cum modestia pro se respondent: *Se adgnoscere Palatinum imperii principem, dignitate, & prudentia eminentem, cui persona, quam sustineant, separata, iure plurimum concedant, non magnopere ideo tamen laborare, quod conditionis sint inferioris, dum placere regi suo, & industriam, atque fidem adprobare item queant. Criminis nullius sibi conscios esse; aut, si habeat Palatinus, de quo iure adcusari ipsos posse arbitretur, iudicem legitimum non recusare. Neque feudi ius neglectum, quod a Lubecensi Episcopo conferendum Sigismundus Caesar censuit, ac mox Fridericus quoque imperator confirmavit. Quin Ioanni, & Friderico regibus id sic collatum, neque ullam ob hoc ipsum controversiam illis mandatam.* Haec quum ipsi contra scriptum Palatini protulissent, regis porro, sicut prius ius adsertum. *Regnum ei ordinum legitimis suffragiis collatum esse; idque in libera senatus, populique Danici electione semper positum fuisse, nulli plane ignorari. Neque alium regem capi, quam e filiis Friderici, ipsum Caesarem ante id tempus voluisse; ac Mariam itidem sororem eius hoc per literas testatam; ideoque mirum esse, quod nunc regnum Christiano ereptum eat. Et, quantumvis satis sit potestas libera eligendi ad regnandi auctoritatem, tamen caussam Christiani meliorem, quia regnum, per vim captum, armis suis libertati restituerit; quod fuisset etiam Caesari faciendum, si id tradere filiabus Christiani voluisset, sive item Palatino, ut ius suum armis ipse propugnaret.* Istis ultro, atque cito hunc in modum disceptatis, quum profectum nihil esset, de induciis porro a Caesareis agi coeptum. Et ostendere Navesius: *sic existimare Caesarem, Palatini, & Belgarum separatas caussas esse. Ideo negotium differri illud ultra nolle, ne in mari subditi utrimque inter se committantur. Inde suis verbis addit, eo modo Christiernum se in Belgio gessisse adversus Caesarem, uti* eius

eius causam illum non facturum suam putet; quumque actio Palatino, vivo ipso, nulla competat, minus etiam pro eo Caesarem laboraturum. Itaque negotium Belgarum agerent, ac inducias constituerent. Hinc legati Transisulanarum urbium advenere, qui pecuniam promissam exhiberi postulabant. Sed in Daniam ad putandas rationes quum venire recusarent, ablegat Boisotum Caesar, qui negotium Transisulanorum istud, Fuggerorum, & Nidrosiensis quoque Metropolitani ageret. Ac per aliquot dies eae controversiae agitatae, quum legati etiam exponunt illas, quae in Belgas, Caesaremque Christiano competebant. Tamdem Transisulanorum re composita, quum de ceteris nequidquam laboraretur, placuit differre illas in conventum cum Maria, post habendum ante induciarum finem, idque utrimque, modo de induciis mox convenirent, ratum esse voluere. Verum eae intricatae ad incertum admodum initium referebantur. Nam Caesarei inchoari a comitiorum fine, & extendi in trimestre proxime subsequuturum, nullo praestito die, quo comitia finirentur, cupiebant; at legati quum incertitudo illa haud periculo vacaret, pariter initium, finemque statui, & omitti comitiorum mentionem flagitabant. Ac, Caesareis quamvis multum obnitentibus, tamdem constitutum fuit, ut inciperent die mensis Maii primo, & Novembri ineunte finirentur; ut induciarum tempus universum quinquemestre haberetur. At legati quidem Danici, etsi aegre haec pro se obtinuere, tamen tanta existimatio regis fuit, ut Hildesiensis Episcopus Valentinus, contra duces Brunsvicenses opem ab iisdem peteret. Etenim in controversia, quae cum illis ipsi erat a Romana curia, retractus ad iudicium Caesaris, ut ordinibus imperii, qua auctoritate erant, causam suam commendarent, rogitabat. Illi vero, excusatione usi persuasere, ut a protestantibus quibusvis peteret, quos facilius pontificiis adiutores adfirmabant: *Insuper nec Christianum, si imploret, defuturum, ideo vero intercedere apud ordines non posse, quod negotia Danica curare iussi, se miscere imperii rebus, nullo ad id mandato regis non licere existimarent. Atque sic sensisse eum satis sibi certum esse; nam quum Saxo, & Landgravius postularent, ut legatis, Ratisbonam mox mittendis, patrocinium commune cum principibus protestantibus reformatae religionis demandaret, quamquam illi maxime addictus esset, minime tamen faciendum censuisse. Quippe fidei rationem apud Caesarem, ordinesque non reddendam existimasse; ne si rebus se imperii immisceret, aliquod in regnum Daniae quodam modo ius adgnosceret. Illud solum iussos esse, si fortasse rogarentur, quis ipsius de religione sensus veritatem, & apud quosvis libere profiterentur.* Inter ista prorogari etiam inducias Maria petit; & Georgium Desplinium Caesaris fratri ab epistolis, huc ablegat. Nec abnuere Christianus, dum potestas respondendi ad contrarias actiones concederetur. Etenim sic Ratisbonae convenisse, ut Maria, verum gnara, quum agendum de induciis producendis videretur, regi de his, quae petebat, satisfaceret. Sed Desplinius, quum mandati nil haberet, nec induciae sine Sveco fieri possent, re infecta mox discessit, permittente nihilominus Christiano, se Hamburgum ad Calendas anni proximi legaturum, qui negotium id peragerent, si Maria etiam eodem suos mittere vellet, quod omnino rogabatur. Et hoc tempus in Mariae illud requirentis, gratiam ad Calendas usque Maii insequentis prorogatum, ac conventus quoque locus commutatus, placuitque pro Hamburgo Bremam capi. Itaque cum Caesare, & Palatino nec pax certa Christiano, neque bellum item fuit. Sed cum Gallo, dum induciae agitatae, ad firmandam amicitiam, & constituendum foedus, plurima intercessere, quamvis multum laborante Palatino, uti eos separaret. Primo enim Ratisbonae graviter, de Christiano, Gallico legato questus, eum, ac legatos Danicos in invidiam adducere variis modis conabatur. Tum solicitarat, & Franciscum ipsum per amicos, & promiserat non pauca, ut in suas partes traheret; quin detulerat omnium cum Christiano controversiarum arbitrium, ac se nihil praeter aequum postulare adfirmarat: *Nam uxori, & sorori dotem se dumtaxat petere, filiabus regiis consuetam dari. Eam tamen ipsam quoque aequis arbitris permittere. Neque aliter Christierni libertatem postulare, quam ut ipse, & Lotharingus fidem suam interponerent, numquam hunc praeteritorum aut vindictam moliturum, aut ad fines etiam regni adcessurum; posse ei, ex quacumque regni Danici provincia, annuos decerni reditus, quibus sese apud generos sustentaret, & hos ipsos in aerarium Christiani redituros, simul vita fungeretur; neque aliud Christiernum quiddam petere, Daniaeve aliam molestiam creare velle. Ac si tentet, minime se adiuturos; quin conatum quantum possent, repressuros.* Haec in speciem Palatinus, ut a rege Christiano Galli animum abduceret. Sed is arctius adhaerebat, neque distrahi tam facilis: quippe per legatum suum summum in illum studium, & benevolentiam declaravit, monuitque, *ne quid se indignum admitteret, neve malum regno suo ullum accerseret, cuius commoda multum supra Palatini aestimaret. Verum tamen, si in pace statuenda inservire ipsi posset, designaret locum, ac tempus, & quos arbitros sibi vellet, indicaret, nusquam se honori eius defuturum; nec quid reliquum facturum, quod ad statum regni sui confirmandum pertinere existimaret. Sin quid aliud videatur, nil facturum minis suis Palatinum; & consilia in promtu, queis conata sine negotio reprimantur.* Grata illa Christiano, eo magis, quod, tam magno inimicis comparato adversario, minus se iniuriis eorum fore opportunum persentiret. Laudat itaque voluntatem tam propensam, ac consilium, quodque a Palatino sibi persuaderi non sit passus. *Quippe eum, quum a Caesare totus pendeat, semper ipsi adhaesurum. Idque sat adparuisse, postquam in comitiis Ratisbonensibus, quae conditiones pacis*

aeque

CIↃ IↃ XLI.

aeque sat obferebantur, eas omnes, Caesaris adfinitate insolentior reiecisset, nec transigere voluisset, ni simpliciter, atque sine ulla lege Christiernus libertati redderetur. Quod propositum quum iam mutet, & in dotem inclinare se ostendat, nolle ipsum arbitrum hic recusare. Sed de Christierno certe longe difficillimum esse; quippe, si ulterius detineatur, numquam amicos cessaturos liberationem urgere; sive autem demittatur, semper eum in vindictam propensurum, nec priusquam ultus inimicos fuerit facile conquieturum. Ac, si maxime fidem suam interponere Palatinus, atque Lotharingus velint, non sufficere cautionem, quum & ipsi sint in partibus, atque neuter ita Christierni potens, ut auctoritate eum coercere sua queat. Verum si, compositis cum Caesare, & Ferdinando eius fratre controversiis ambo illi obligare fidem velint, rem arbitrio ipsius haud gravate permissurum. Absque illis nil magnopere necesse agere cum Palatino, & Lotharingo, qui, a Dania remoti, vix adferre detrimenti quidquam possint. Eapropter hoc si impetrari queat, mox consilium cum Sveco aliisque initurum, quonam modo sine periculo reddi libertati posse videretur. Ac legato quidem Gallico sic responsum; quia, dum inducias cum Caesare continuaret rex Franciscus, minus certus Christianus, quid de amicitia eius exspectandum sibi esset. Verum ille, qui vindictam legatorum, in Italia, ut dictum, occisorum cogitaret, serio tunc id agebat, ut in partes Christianum suas traheret; ideoque animum periclitari eius voluit. De quo postquam certior iam factus esset, ut arctius devinciret, in collegium Gallicorum equitum mox cooptato ordinis insignia mittit, Luccio ea, cuius ante facta mentio, deferente. Tum in foedus quoque invitatis omnia summa pollicetur. *Mitteret legatos tantum; crederetque, nullas se, quae aeque sint, conditiones foederis recusaturum.* Et persuasus Christianus mittit mox Eschillum Billium, Petrum Suavenium, Ericum Crabbium, cum mandatis ad Clivensem, in itinere salutandum; cuius amicitiam quoque Christianus expetebat, & spem item faciebat, si placeret ipsi pariter, foedus id commune fore. Ac legati, Cliviam inde transeuntes, postquam eum Dusseldorpii convenissent, rebus intra paucos dies expeditis, per epistolam certum Christianum reddunt, & ad regem porro eunt. Quem ad Fontem Blaudi nacti, adeo ad foedus animo inclinatum invenerunt, ut, legatione audita, negotium Francisco Turnonio Cardinali, Gulielmo Poieto Cancellario, Philippo Chabotio maris Praefecto, Claudioque Annebaldo equitum tribuno, demandaret. Moxque foedus in hanc legem constitutum, *ut vicissim rex uterque contra qualemcumque hostem opem ferret, ita tamen, ut exciperetur imperium. Atque Christianus quidem, in sex naves, bello instructas, & in illis mille milites; ac Franciscus, in duplum obstringebatur, cuius hosties freto quoque prohibere Christianus tenebatur.* Neque tantum foedus illud placuit constanter coli, dum uterque regum viveret, verum & continuari in decennium, postquam vita excessisset. His peractis, quum legati rediissent, iterum Sveci turbavere. Pecuniam Gustavo debitam, quum Ludosiam legati, qui cum eo sic convenerant, adtulissent, gnari eam in promtu esse, vario obtentu moram, dum solutionis dies praeteriret, quaesiverunt. Nam speraverat Gustavus minime solutum iri quod debebat Christianus, atque ita belli se occasionem habiturum, ni castella, in Norvagia pignorata, quae, quod munitissima essent, retinere cupiebat, in potestatem traderentur. Id legati quum viderent agitari, mox, in curia coram magistratu, & populo pecuniam cum contestatione obferunt, ne deinde moram ullam obiectum irent. Quam quaesitam, sat adparuit, quum dierum quatuordecim dari sibi tempus peterent, per quod de Gustavi regis voluntate certiores redderentur. Imo & ad limitem paratus miles, qui iniiceret illis metum, & ad vim, si videretur, inferendam praesto esset; ita ut legati quoque, rei taedio, redeundi potestatem a Christiano postularent. Sed, reverso tamdem nuntio, post cunctationem longam, pecuniam allatam accipiunt; ita tamen, ut si quae non probaretur, redhibere hanc liceret. Quod quum ita actum esset, ne deinceps aliquam dissidii occasionem quaerere Gustavus posset, postulatum, uti foedus, pridem ictum, ratum haberet, aut si quid mutatum vellet, indicaret. Sed res ea, quaeque aliae controversiae distinere animos utrimque poterant, prorogatae, dum Calmarniam ambo reges, cum consiliariis suis convenirent. At, quum nec Gustavo tempus, quod praescriptum, neque locus Christiano probaretur, multo post, consensu amborum, iterum legati in regnorum finibus convenere, & Malmogiae per id tempus Christianus, ac Calmarniae Gustavus rei exitum exspectabant. Verum tamen neque tunc concordia sancita fuit: quippe Sveci ea mandata obferebant, uti non componere antiquas velle controversias, sed exsuscitare novas, minus aequis postulatis viderentur. Ac Gustavus exprobrare auxilii lati beneficium; idque iam obsensus, nolle gratuitum. *Impendisse octies centena millia uncialium, & refundi illa cupere. Inde regno Sveciae restituendam insulam Gothiam, ceu avulsam per iniuriam; ac reddenda Svecis bona, quae prioribus ipsi bellis amisissent; tum sententiam, quae in eos pridem lata* [a], *revocandam; neque ullam amicitiae spem restare, ni Gustavi voluntati Christianus satisfaceret.* Quam ob causam quum legati, re infecta, rediissent, atque haec renuntiassent, quin Gustavus animo bellum agitaret, nulli ultra dubium fuit. Neque tamen eapropter quidquam illi Christianus est largitus, sed respondit per epistolam: *Bellum id communi bono regni utriusque gestum, contra hostes*

(a) *Sententiam, quae in eos pridem lata*) Scilicet tempore regis Ioannis, quando nonnullae Svecorum familiae, quotquot scilicet in rebellione persistebant, bona, & opes, quas in provinciis Danicis possiderent, aut hereditate consequutae essent, promulgata sententia, perdidere.

hostes Lubecenses, qui in Svecos arma prius quam in Danos convertissent. Quam ob caussam animo inducere non potuisse, ut auxilium, quod tulisset, debitum pecuniarium esse cuperet, nec adgnoscere, quando nulla praecessisset obligatio, istud velle. Gothiam antiquitus ad Daniam pertinuisse, ac complures eam reges, ordine non interrupto, possedisse; neque tradi a se posse, illibato iuramento, quod senatui praestitisset. Quod Svecorum autem bona attineret, ea a Ioanne rege publicata, pretiumque fisco illatum, ipsa vero plures ad heredes esse devoluta, quibus adimi, nisi per vim summam, nequeant. At sententiam, si de ceteris conveniret, facile aboleri posse, modo tamen possessoribus fraudi illud non futurum caveatur Ac Gustavum, aliosque, indulgente Christiano, sua iam recuperasse; ceterorum non eamdem rationem, neque integram rem esse. His responsis, nihilominus Christianus, se ab amicitia haud alienum declaravit; & Rotundulam (a) legaturum, qui si possent pacem certam constituerent. Sed tentatum id semel, iterumque frustra, neque aliud quidquam actum, quam ut pluribus querelis animi acerbius distraherentur. Multa Sveci impingebant; ac, si Dani aliquid vicissim obiicerent, quo se laesos memorarent, nullam ad hoc respondendi factam esse potestatem regerebant. Neque quamquam rex uterque cupidum colloquii familiaris, se per literas ostendisset, dies certus, quo coirent, statui poterat; atque sic protractum tempus. Tamdem tamen ablegati qui de controversiis inter se componendis agerent, regibus exspectaturis, dum, spe certa amicitiae, in conspectum mutuum venire possent. Hic gravissimae querelae, animorum quadam moderatione disceptatae; & obiectum Christiano, *quod Gustavus foedere pridem Lubecensi quibus voluisset legibus minime comprehensus esset; idque ad iniuriam eius non exiguam pertinere. Tum Mileni subscepisse patrocinium, quem infestum Sveco esse nullum plane dubium foret. Cum Borusso, qui receptum Svecis perfidis, profugisque praebuisset, suam amicitiam coli; atque ita velut in perniciem eius perinique conspirari. Dantiscanos, etsi Svecis inimicos, magna apud Danos gratia, libera commercia illic exercere. Quae si non corrigerentur, & auxilia contra hostes istiusmodi debita permitterentur, fieri nequaquam posse, ut certa amicitia sanciretur*. Queis responsum: *Lubecensium controversiam e iudicio Christiani dependere; cui si parere nolint, opem Sveco nullo modo defuturam. De Borusso quod obiicerent, eum iam admonitum esse, uti Svecos profugos iudicio sistat, aut excedere, si detrectent, ditione sua iubeat; ac, ni faciat, nullum umquam iniquae caussae patrocinium apud se futurum esse. Si Milenus arma capiat, ea se propulsaturum. Dantiscanos sua in potestate fore, & in Svecum si delinquant, noxam eius arbitratu luituros*. Postquam vero neque sic conciliari possent animi, tamdem, quum legati ad colloquium reversi essent, Sveci, quo necessitudo arctior statueretur, postulare, *ut Gustavi filia desponderetur Daniae principi, ac vicissim Sveciae principi filia Borussi; dosque esset, quanta regibus videretur. Quae si rata Christianus esse vellet, ac Borusso auctor fieret, uti in Gustavi manus profugos traderet, quodque foederi Lubecensi de Hoyano, & Mileno adiuvando insertum erat, aboleret, minime Gustavum ceteris controversiis componendis arbitros recusaturum, ac viginti annorum foedus, pluriumve fieri posse*. Quae legati postquam rata habiturum Christianum spem fecissent, visum tempestivum fuit uti reges, qui eventum in propinquo exspectabant, ad colloquium inter se familiare, coram regni utriusque senatoribus, accirentur. Neque multo post, Gustavum sub tentorio excepturus, sistit sese Christianus; ac Gustavus, quia intra regnum eius transiturus, postquam obsides accepisset, quatuor e senatoribus, mox ad Christianum accedit. Nec contentus tamen eo, quasi nondum satis tutus, militem haud longe a limite occultaverat, regi minime fallaci, sui animi, e quo illum aestimabat, conscientia minus, quam debebat, fidens. Atque sic congressi demum, proxime Bremsaeum pontem, post colloquii aliquantum, in annos proximos quinquaginta foedus ineunt; & in mutuas suppetias contra qualemcumque hostem se obstringunt. Insuper & paciscuntur, *neque bellum incohoandum, neque faciendam pacem, tum inprimis, nec cum Christierno quoque, aut amicis item eius transigendum, altero dissentiente. Eo modo omnes controversiae sublatae essent, quae utrimque hactenus intercessissent; ita tamen, ut ius Christiano in Sveciam, quod competeret, integrum reservaretur, ac Gustavo item in Gothiam, quidquid recte vindicare sibi posset. Qui id foedus violaret, centum milium uncialium damnas esset, & praeterea detrimentum omne lueret, quod auxilio negligentia, aut malitia, indigenti non submisso, adtulisset; prout capti ex utroque regno arbitri, & obstricti iuramento, ex aequo, & bono aestimarent. Tum hoc foedere comprehenderentur quoque omnes Christiani amici, nisi arma in Sveciam infesta caperent*. Borussum, atque Dantiscanos foedere includi item Christianus cupiebat, sed haud impetrare poterat. Nam Borusso exprobrata conspiratio, cum Erico Flemmingo inita, Dantiscani accusati, quod iniuria Svecos pridem, & contumelia adfecissent, idque vindicatum velle. Nihilominus, deprecante Christiano, amicitiam promisit, si Borussus a consiliis inimicis abstineret, ac deinceps bona fide secum ageret, & contrarias actiones, quas habere se putarent, aboleri Dantiscani paterentur. Ac cum Dantiscanis quidem facile transactum fuit; idque ea foederis lege, quam, de voluntate eorum Christianus praescripsisset; id dumtaxat, ne in Svecum Lubecenses adiu-

(a) *Rotundulam*) Ita, sequutus Cragium, vocat oppidum in Blekingia situm, vulgi quidem ore, & corrupta pronunciatione *Rundeby* dictum, quasi a *Rund*, i e. *rotundos* esset; sed vera adpellatione, inque omnibus veteribus scriptis conspicua, *Rotneby*. Neque aliter vel Svecorum historicus Ericus Georgius, de insequuto conventu Rotnebyensi loquens, (*Histor. Gust. I. P. 2. pag. 147.*) vel Hvitfeldius nomen oppidi scripsere.

CIↃ IↃ XLI. varent, cavebatur. At Borussus, dum obiectum amoliri crimen cupit, in petenda amicitia cunctabatur. Sic utique in his partibus inimicitiae consopitae, etiam conciliatis quadamtenus Lubecensibus. Solus metuendus Caesar, quem amici Christierni, exsulesque, abeuntem extra Daniam comitati, incitare non cessabant. Inter hos Vaesaeus erat, qui cum literis Caesaris ad Lubecenses ablegatus, promittendo, & minando, operam dabat, uti eos ad Burgundos contra regem Christianum adiuvandos permoveret. B Sed, quia taederet belli, & auxilium a Caesare, qui tunc rerum status erat, nullum, aut omnino parvum exspectandum videretur, nullo modo persuadebat. Ac petitionis irritus, quum discederet inique repulsam ferens post convitia etiam minari illis, mox se rursus adfuturum cum mandatis, quibus resistere non auderent. Hanc ob causam Christianus, quum initio huius anni, ne ex Dania quid annonae in Belgium exportaretur, vetuisset, nunc curavit, ut vicini idem facere C pariter prohiberentur. Vnde factum, ut Norvegia magis frequentari inciperet. Ac commercia, quum paulatim ibi crescerent, legem Christianus tulit de moneta, ac ponderibus, & mensuris; ut eadem, qua in Dania, ratione haberentur. Et monetae quidem omni, quae per belli tempus cusa, pretium antiquum esset; ita ut solutio cuiusque debiti referretur ad initium contractus. Vlna una ubique foret, qua Selandi utebantur; ita tamen, ut antiqua nihilominus servaretur, D propter agros, atque praedia, ne eorum incertus modus lites pareret. Pondus vero retineri idem placuit; praeter auri, & argenti, ac ceterorum metallorum; ea cuncta ad Coloniensem libram penderentur. Praeter ista constitutum, ut quot annis duo quidem a nobilitate tota cismontana ius Asloae incolis pronuntiarent. Quae dum fiunt, contendentibus etiam tum de Ecclesiae Roschildensis apud Rugianos iure Pomeranis, cum induciae, opera intercedente Saxonis, Land- E graviique proferrentur, Christianus in Ioannem Bernecovium Streiam comitatum confert, & praeposituram item Ralsvigensem, feudi nomine, in perpetuum possidendam; non imposito ullo onere, nisi ut Roschildensi Episcopo aurei Rhenenses annui quinquaginta & ducenti penderentur. Sub anni finem rediens e Gallia Georgius Luccius, a Davide Cardinale Santandreano, Scoto literas adferebat; quibus ille, Gallicum foedus Christiano gratulatus, ut cum Scoto alterum pa- F ciscereturur, adhortatur; operamque a se o- CIↃ IↃ XLII. mnem ad constituendum illud pollicetur. Quia vero Luccius, familiaris rei cura impeditus cunctaturus videretur, additus in Daniam proficiscenti a Francisco Galliae rege Ioannes Fraxineus, ut cum iussa Christiano retu-

A CIↃ IↃ XLII. lisset, maturato quidquid ille responderet, nuntiaret. Isque simul Segebergam advenisset, ibi Christianum nactus, iussa exponit. Quarum regi, ex iis literis, quae Franciscus Brokenhusius adtulisset, ab amicitia Imperatoris alienum Christiani animum esse; ac vicissim neque eum aliquod cum Caesare, aut Ferdinando foedus velle. Nam inducias varie ruptas; & ad arma, quae in proximum ver parentur, necessario veniendum. Itaque, pro amicitia indicare voluisse, quam pecuniam haberet, quaeque ad exercitum sibi comparandum opus foret. Ideo autem id fecisse, ut, si per vim quaedam Caesar occupasset, interim occasio recuperandi minime negligeretur. Insuper rogatum velle, si quae copiae e Dania, aut aes aliquid e Svecia in Britanniam importari forte posset, id quo fieri modo liceat indicaret; regem, quidquid eo nomine deberetur, expensurum. Laudat Galli institutum Christianus, & quod laesam in legatis ad Ticinum interfectis maiestatem ultum eat; ac promittit, quae in sua potestate. Sed in Caesarem nil a se tentari posse; nam ut Brema re infecta sit discessum, tamen in Calendas Maii se inducias admisisse. Militem, & aes, quod peteret, si pecuniam erogaret, haud gravate missum iri; sed ut in Britanniam mittat, quum in Belgio classis quaedam pararetur, haud periculo vacare. Gallus, tam benevolo responso Christiani accepto, denuo legatum mittit, qui participem consilii universi eum faciat: nuntiare bellum in Caesarem ad Calendas mensis Iulii decrevisse, tum adscitum, & in foedus Cliviensem, ac legatum ad hunc ipsum Longevallium, opera eadem acturum cum principibus Germaniae, qui amplecti Gallicam amicitiam velint. Etiam Borussiae ducem, pridem abs se commendatum, admissum iri, si legatos eo mittat. Militem in Clivia, provinciisque adiacentibus, suo aere, duce Martino Rossemio, admodum militiae claro meriturum comparari; ad quem peditum tria millia si adiungeret, mitteretque in comitatum Marchianum, rem facturum valde gratam. Cupere in promtu quoque copias maiores esse; quibus, si quid opus foret, uteretur. Christianus, qui recentem militem pararet nullum, hactenus non certus, quid pro amicitia Gallus, qui exercitum sibi domitantum se antea significaverat, fieri vellet, veterem quantum demere tuto posset, pollicetur. Inde mittit equites circiter quadringentos, qui Atrati ab armatura sua dicti (a), & Brabantiam sub Rossemio ductore, misere diripuerunt. Etenim, iam irritato magis Caesare, quod in Galli amicitiam transiisset, nihil erat ab illo pacem aliquam exspectaret. Idque satis mox innotuit, quum tentatum Bremae esset, ut induciae, terminatis controversiis, in complures annos fierent; & legati

(a) *Atrati dicti*) Meminit etiam in *Historia Gelricae* sua Pontanus *lib.* 12. ubi de Martini Rossenii expeditione agit, *pag.* 824. „ Quadringentos interea equites atratos, (sic dictos, „ quod arma, & vestitum atrum haberent,) a Daniae rege „ Christiano submissos, iuxta Brescoti exitum in principiis col- „ locat &c. „ Hub. Thomas Leodius in *Vita Frid. Palat. lib.* 12. *pag.* 249. a. „ Fertur (& Martinus a Rosheim) in exercitu „ suo habuisse ad duodecim peditum, & circiter equitum duo „ millia. Inter quos quadringenti (*mendosum enim, quadraginta*) „ a duce Holsatiae missi, quos nigros equites adpellabant, quia „ non splendentibus, sed denigratis armis induebantur, sclopetisque „ duobus, aut tribus utebantur, multa & insignia mala prae ceteris perpetrabant, quasi etiam duci Holsatiae militarent, qui „ reginae misso feciali publice bellum indixerat. „

CIↃ IↃ XLII.

Ioannes Rantzovius, Canutus Rudius, Casparus Fuchsius, Andreas Birbius, ali ique, qui a Sveco se adiunxerant, in hoc ipsum maximopere, quamquam frustra laborarent. Nam in unum tantum annum ea Belgae cupiebant; ita tamen, ut in plures, quoties sic videretur, prorogari semper possent; quumque his alterutri renuntiarent, post semestre ab exacto illo anno finirentur. Nec dissimulatum etiam, isthoc ipsum Caesarem indultum velle, non quod pacem, aut amicitiam Christiani tanti faceret; sed ne copiae contra Turcam, Pannoniam invadentem transferendae, alio distraherentur. Itaque quum nihil aliud, Caesare spem Christiani eludente, effici posset, & induciae in incerto haberentur, Christianus, & Gustavus, ac Borussus ad excipiendum bellum, si inferre Caesar vellet, sese parant. At Maria nihilominus quamquam nihil Christianus, quod ad pacem sanciendam pertineret, omisisset, tamen passim regibus, principibusque omnibus per literas persuasum voluit, *eius culpa factum esse, ut induciae non procederent; tum susceptam expeditionem in Turcam nullum magis impedire; qui, induciis recusatis, arma in Caesarem capere non dubitasset.* Ille contra sicut Bremae per legatos nuper fecerat, protestatur, *non se Caesaris ullum regnum, aut provinciam adfectare; sed dumtaxat ditionibus iuste partis pacem, ac quietem quaerere.* Etiam testem Deum capere, *nemini dolere magis Turcae rabiem, & ex animo optare, uti hostis immanissimus, quique pariter principibus Christianis universis immineret, Dei ope profligari semel queat.* Sic distracti utrimque animi Caesaris, & Christiani mutuis paulatim iniuriis, & illatis etiam damnis, ad hostilia maxime incendebantur. Christianus freto Belgis Oritano interdicit, & eorum naves detinet, partim uti rem paranti bellum Gallo gratam faceret, partim uti Caesarem ad accipiendam pacem cogeret. Quin & subditos prohibere, ne annonam ad Belgas ullam, aut ad bellum instruendum necessaria exportarent, ac denuntiare item Dantiscanis, aliisque mare Balthicum accolentibus, ne commercia in maritimis Belgii locis exercerent, dum cum Caesare inimicitiae sibi essent. Ac vicissim omnia in Belgio infesta Danis, neque praetermissum quidquam, quo adferri Christiano, aut subiectis quoque eius detrimentum ullum posset, & Renatus Cabillonius Arausionensis, qui provincias Caesaris vice gubernabat, & praefectus maris erat, Gallos. Danos. Norvagosque ceterosque Christiani, ac fratrum subditos loco hostium haberi publico edicto iubet, &, in mari deprehensos, uti bello persequantur. Nec multo post Stigotus Baggius, cum celoce a Christiano amandatus, ut successum belli a Gallo quinque locis inchoati exploraret, iuxta Sialandiam captus, & in Belgium abductus, mox supplicio adficitur, in quatuor partes totidem adfixas palis, corpore dilaniato; haud punitus, ut minister, quod dissimulabant serio, Christiani; sed, ut explorator Gallicus, quamquam neque Galliam vidisset umquam, neque linguam didicisset. Christianus, etsi graviter offensus, irae tamen moderatur; nec atrocitate pari in captivos Belgas utitur. Inde etiam, quia sportulam in comitiis Spirensibus pariter ac Noribergensibus, qua imperii se tribunal substineret, constitutam exhibere detrectaret, iussu Caesaris condemnatur. Tum & eadem a Tilmano Husenio petitur, Slesvicensi tunc Episcopo. Insuper tributum in Turcam imperatum, literaeque in rem istam ab antistite Moguntino, & Henrico Brunsvicensi expeditae. Sed quas Moguntinus scripserat, ad Ioannem Rantzovium adlatae, quum inscriptio delinqueret, neque Daniae Christianum, ac Norvagiae regem adgnoscerent, ab hoc ipso per eumdem, qui adtulerat, tabellarium remittuntur. Hoc accepto, Christianus praesule Slesvicensi quiescere iusso, apud iudices curia imperialis caussam utriusque dicit. *Feudum Holsatiae, donec comitatus esset, immediate imperio subiacuisse, sed ducatus postquam factus, alio haberi iure indulsisse Fridericum Imperatorem, ut a Lubecensi id antistite accipiatur. Nec quid aliud requiri. Ac propterea neque ita obligari, ut cum ceteris pari iure censeatur. Quin in regem Christiernum ius imperii in Holsatiam universum pridem Carolum transtulisse; qui Coldingam evocato ad accipiendum feudum Friderico, admodum ambitiose illud ipsum usurpavit. Igitur donationem hanc inprimis antiquandam, antequam imperii sub potestatem redigatur, &, ut maxime ius imperii adgnoscatur, tamen quia pace imperii frui nunc prohibeatur, nec tributo sic teneri, merito censendum esse.* Quae sententia etiam principibus, plerisque protestantibus probata fuit; ita ut Suinfurti postea hanc ob caussam congregati simul cuncti statuerent, sportulas haud inferendas, nisi prius legibus imperii conformarentur. At Episcopi Slesvicensis nomine exceptum fuit, *eam dioecesin esse regno Daniae subiectam, nec imperii iurisdictionem umquam, aut potestatem adgnovisse, tum Episcopum nullo aulae fastu uti, aut splendore comitatus, neque opes possidere, quae tributum istud ferant.* Tantum in docendo populo, & administrandis item sacramentis, ad praescriptum verbi Dei, occupari. Verum procurator fisci, nullo modo rationibus iam prolatis adquiescens, ac contrarias opponens, nihilominus exsequutionem urgere. Quae quum omnia in Imperio, Belgioque in Christianum Caesar partim, & Maria molirentur, non cessavit inter ista Palatinus; & intentus in occasionem quamvis, rationes Christiani, ac quietem perturbare conabatur. Sed inprimis Sveciam adoriri visum, tunc ductore Nicolao Taccio tumultuantem, plebe rustica concitata. Eo illum non dumtaxat ipse Taccius invitaverat, verum exsules quoque Sveci inter quos & Magnus erat, pridem antistes Scarensis; ac spem ipsi regni potiundi fecerant. Sed, quum copias traiicere necdum opportunum esset, missi eo, cum ab illo, tum a Caesare, qui auxilia, si paulisper vim Gustavi substinerent, maxima pollicerentur. Verum illi, dum in Sveciam per Norvegiam

CIƆ IƆ XLII.

giam iter capiunt, quum inciderent in paratam contra Belgas classem Danicam ad Norvegiam excubantem, deprehensis ad tumultuantes literis, capitis affecti poena: literaeque ad Gustavum sunt transmissae, ut ex illis certior fieret, quid in ipsum Palatinus, atque Caesar, molirentur. Alii quoque, aliis locis comprehensi, omnes pariter luerunt. Hanc ob causam Christianus, & Gustavus satis certi, nihil hostem, quod ad regnum utriusque evertendum pertineret, praetermittere, vires firmant, & consilia coniungunt. Tum amicos per Europam universam passim monent, ut periculum haud obscurum evitarent, simul rogant, ut faverent bonae causae. Ac Polonus quanquam ipse Burgundorum amicitia, haud versari in discrimine videretur, tamen postquam, perturbatis iam commerciis, suae etiam provinciae detrimentum paterentur, curam ad conciliandam pacem vertit, gratam quidem Christiano, sed Burgundis improbatam & invalidam: tum Ansaticae quoque urbes, quarum res opesque maxime in commerciis per haec regna vertebantur, per legatos, quos Antuerpiae tunc habebant uti pacem procurarent, operam adhibuerunt. Verum frustra, nec propositae a legatis rationes, aut consilia placuere: quin id potius laboratum, ut in regna haec eos ipsos concitarent. Hic Gustavus, cui & negotium rebelles ingens, Duce Taccio, facessebant, tum externi quoque hostes, exulesque imminebant, debitam a Christiano ex lege foederis opem poscit. Atque ille, in discrimine evidenti, nil cunctatus, quam pecuniam exigebat, ante diem repraesentat: inde militem, prout foedere tenebatur, ocyus delectu habito, ad praefixum tempus mittit sub tribuno equitum, Erico Bannero, & Oligero Rosencrantzio. Sed hi postquam advenissent, Taccius, dum inter silvas metu plenus, quia nusquam fere tutus oberrabat, ex insidiis a rusticis, praemii spe invitatis, prope limitem Blekingiae interficitur. Ubi inventus, etiam tum moribundus, mox Calmarniam avehitur; & quam vivus in se poenam provocaverat, quatuor impositis rotis etiam post mortem dedit. Neque socii varie capti, quod meruerant supplicium, evasere. Plebi rusticae, in rebellionem illectae, postquam domum, amisso duce, rediisset, veniamque supplex peteret, Christiano deprecante, aut omnino condonatum est, aut exigua tantum poena irrogata. Verum, quum Blekingi aliquot, qui rebellibus se adiunxerant, a Gustavo ad supplicium poscerentur, aegre Dani id ferebant, & in turbas inclinabant. Paulo post, quae copiae a Christiano missae erant, iam sublato belli metu, & rebellione pressa, revertuntur. Quo in statu quum Gustavus versaretur, quod optandum ipsi erat a Principibus in Germania protestantibus, praeter omnem spem, offertur. Misso enim ad Christianum Francisco Burchardo, eum rogant, uti ipsum ad commune foedus vocet. Ac facilius id putabant, quia arcta iam utrique amicitia, & periculum universis ab eodem hoste esset. Nec cunctatur Christianus: tum & alia, quae e re existimaret, porro nuntiari iubet. Nec dumtaxat foedus suadet; verum ut Borusso quoque, Lubecensibus, pariter, ac Dantiscanis se conciliet. Ad haec operam pollicetur; neque dubitare ait, quin quae aequa consequatur. Etenim instrueret classem, una secum, ne fortasse imparatos aliquando hostis opprimat. In rem eam militi, quem coegisset, quum in Sveciam contenderet, permisisse commeatum: atqui si colloquium haud gravaretur, magno utriusque bono id futurum Atque ille respondere per legatos: *gratum sibi protestantium foedus esse, si conditionibus in hoc iisdem, quibus ipse, admittatur. Tum inducias etiam cum Borusso cupere, modo Svecos profugos a se dimittat. Transigi cum Dantiscanis, item posse, si priorem foederis formulam non recusent. Denique & Lubecensibus veniam paratum dare, quamlibet nonnullos horum adiuvisse rebellantes nullo modo ignoraret; & inducias permittere: quae tantisper habeantur, donec controversia componeretur. Classem vix instruere posse, quia forti milite adversus Moscum, qui Finlandiam invasisset, opus foret. Nam, responsum nisi aequum mox referrent, quos misisset clarigatum, minime iniuriam, tam manifestam, & atrocem sibi negligendam esse. Curae tamen habiturum, ne auxilio miles desit. Quod conducto a se militi commeatum concessisset, valde gratum, ac stipendium se ei in mensem quemque curaturum. Ad colloquium ut accedat, quamquam id ex utriusque bono sciret, haud periculo carere. Etenim seditionem rusticorum potius repressam esse, quam extinctam; & nonnunquam commovere illos sese, incitantibus, quibus inquies, & in turbas pronus animus: non quod causam ullam habeant, quae praetexi audaciae queat, sed ut poenam, adulteriis, caedibus, incendiis, tumultu meritam evitarent. Nec religionem quoque reformatam oppugnare dubitasse; non quod tanti facerent maiorum cultum, sed ut ad ferendam sibi opem tanto magis moverentur. Si quis aliud persuasisset, unice rogatum cupere, ne habere fidem velit, sed seditionis causam eam esse veram credat.* Atque hi legati quidem postquam iussa Christiano retulissent, mox ad Saxonem, & Landgravium, uti foedus procurarent, abiere. Inter ista Antonii Oldenburgici fucata fides revelatur. Hic promissis Burgundorum, ac Palatini, tum Christophoro quoque fratre instigante, animum in Christianum infestum induerat, & consilia in occulto his coniunxerat: neque tamen inimicitiae ita manifestus erat, ut pro hoste haberi posset. Sed pirata, cui Gerardo Monasteriensi nomen, ad Norvegiam comprehensus, ac subiectus quaestioni, eius nomen, inter cetera, profitetur, indicatque navem suam, in perniciem Danorum instrui apud se passum: item alia, quae in Christianum ille moliretur. Iis autem Christianus intellectis, non ferendam contumeliam arbitratus, ac iam ultionem parans, Magno id Saxoniae Duci, socero communi, scribit, & iniuriam conqueritur,

postulatque, ne iniquo animo ferat, si offensam, quem dissimulare nequeat, ulciscatur. Atque Magnus, simul factum, & propositum Christiani rescivisset, anxiusque de Antonio mittit Gottorpium, ubi Christianus tunc negotiorum causa erat, Andream Barbium, & pro illo deprecatur: qui facturum omnia Antonium quum promisisset, vix obtinuit, ut negotii componendi Magno potestatem daret, neque aliter, quam Antonius ut confestim ab adversa parte abscederet, animoque in Christianum, & affinem, & consanguineum propenderet. Verum ille, tantum aberat, ut conditionem acciperet, uti in tutelam suam Caesarem prius, Palatinum, Brunsvicensem, aliosque imploraret. Neque ante ad petendam Christiani gratiam convertit animum, quam se frustra spem in illis posuisse intelligeret. Ac repudiatam prius, adsperato magis etiam Christiano, certe vix obtinuisset, nisi Magnus, senio suo venerandus, per aetatem, amicitiam, & commune vinculum affinitatis diu, ac multum obtestatus, aegre tandem exorasset. Atque ita deprecatione eius postquam gratiam Christiani recepisset, in stipendium se obstrinxit, militumque certum numerum, quoquo ille imperaret, sive terra, sive mari, adducturum pollicetur: atque ita constituta amicitia, mox officium Christianus, quod petebat, libens praestat. Nam Antonio, cum fratre controversia de familia ercifcunda orta erat; nec componi ea posse videbatur, nisi a Principe, cuius ambo auctoritatem vererentur, quique iuxta amicitiam inter fratres sartam tectam esse vellet. Quumque nemo reperiri, praeter Christianum, posset, is rogatus Verdam mittit Scaccum Rantzovium, & Ioannem Forsterum, ut negotio interessent. Ita vero sentiebat minime, e re fratrum esse, ut provinciae, sat angustae, si dividere illas vellent, amplius minuerentur; verum magis expedire, ut, pecunia quadam annua, aliave qualicumque ratione constituta inter sese convenirent: quod ad suum quoque illic ius tuendum maximopere pertinere existimabat. Et auctoritate sua id effecit, ut consilium, abs se datum, sequerentur. Haec quum ita acta essent, mox Antonius postulat a Christiano, ut quandoquidem Monasteriensis praesul, Oldenburgicorum hostis, amicitiam eius peteret, ne concedere ipsi vellet. Atque ille admittens preces, necdum consummatum foedus initurum sese negat, antequam securitati fratrum Oldenburgicorum caveretur. Anno hoc comitia regni bina fuere; quorum primis Hafniae habitis, magnam a nobilitate summam tribui Christianus postulavit, ac vicesimam omnium bonorum partem dari iussit ad ferendos belli sumptus, debitaque, quae pro regno contraxisset, exsolvenda. Id insolitum; & initio valde animos commovebat: sed expositis, cur hoc facto opus esset, rationibus, haud invita acquievit. Etenim exhaustas regni tot annorum bellis opes, neque oneri par aerarium ultra esse. Plebem attritam, & vix vitam tolerantem, quod contribuat deinceps, non habere. Itaque nobilitati, si protectionem velit, sumptus belli imminentis sustinendos: quo finito, privilegiis nil omnino decessurum. Quin & cautum ipsi cupere, nullo modo in exemplum tractum iri, neu immunitati eius ista erogatione praeiudicium ullum fore. Itaque tributum illud ea vice iudici sibi aequo animo permittit; maxime quia pro cuiusque facultatibus pariter imponeretur. Post decretum, uti filius Christiani, Fridericus, natu maximus, tum octennis princeps regni & parenti, quum is vita fungeretur successurus haberetur, itaque mox a comitiis per provincias convenere nobiles, Ecclesiastici, cives, rustici, & se ei sacramento obstrinxere: ea lege, uti, quum adolevisset, privilegia illis sua confirmaret. Inter quae si Christianus forte excederet, ipse in Reginae matris, dum maturam ad aetatem perveniret, potestate versaretur, eaque praeesset rebus cum nonnullis e proceribus, quos senatus decrevisset. Primum vero ad Viburgum convenere urbem Cimbriae primariam. Vbi de Burgundico bello dum deliberat Christianus, & Senatus, visum fuit, Canutus Guldensternius, qui captivum e Norvegia Christiernum abduxisset, rogaretur, quomodo se res haberet; ut ipsius testimonio contra hostes uti possent. Atque ille mox respondit: *se a Rege Friderico aliud mandatum nullum accepisse, quam ut eum, tamquam hostem impugnaret, & aut regno prohiberet, aut in potestatem cogeret. Neque quicquam praeter istud, Petrum Scramium, aut VVilhelmum etiam Steddingium attulisse. Neque literis fidei publicae, quas dedisset Christierno regium sigillum additum, cum Brockmannus, penes quem id reservaretur, praesto foret, sed privatum tantum suum, ac tribunorum militarium. Quod cum Christierno autem transegisset, voluntate, & consilio id eorum factum esse, qui in comitatu erant, ut regnorum subditis consuleretur, non ut Regi aliquid praeiudicaret. Nec teneri obligatione ea Christianum tum ob multas alias caussas, tum potissimum, quia fidem primus ipse Christiernus violasset, quod per literas, quibus sua ille manu subscripsisset, facile probari posset: minime vero diffiteri ita se existimasse, nullo modo Christiernum, quum promissa non servasset, dimittendum, & ut maxime se obstringat, tuto tamen nemo credat, quum in hac re, aliisque, fidei incuriosus, an servaret, falleretve, plane pensi nil habuerit. Se paratum apud Caesarem reges, principes, aliosque, cuiuscumque demum loci, facti sui rationem, si sic usus ferat, reddere, ut constare cunctis queat, nil se, viro bono indignum admisisse.* Haec constanti postquam ore Guldensternius protulisset, instar testimonii obtinuere. Inde equites lustrati, quos nobilitas Cimbrica in belli usum exhibere tenebatur, idque adspectante rege, qui dum diem, quo electus erat filius, inter gaudia traducit, exoratus a Proceribus, Praesuli Burglaviensi, Stigoto Crumpenio, Sunderburgi ad id tempus custodito, liberum abire finit, ita tamen, ut pro eo fidem amici inter-

CIↃ IↃ XLII. interponerent, moliturum nil in regem, aut Senatum, neve in Religionem unquam esse. Post haec in Ecclesiam conversa cura, de consensu omnium Episcoporum ad libellum constitutionum eius addit capita alia sex & viginti. Quando vero equites recensuisset, nec Burgundico eos bello, quod indiciis satis certis imminere videbatur, sustinendo pares esse existimaret, ineunte mox Novembri iterum Senatum vocat. Isque statuit, uti equitem nobilitas, non ut ante usitatum, sed pro modo facultatum, exhiberet, promittente contra rege, se, finito eo bello, priscam illis consuetudinem redacturum. Christianus, qui componi controversiam inter Svecum, & Borussum cupiebat, ab utroque postulaverat, uti ad comitia istam hanc ob rem legatos mitterent: sed a neutro quisquam venit: ac Gustavus excusare, quod negotia incidissent, quibus sui tenerentur, & Borussus, quod in Turcam se pararet: quanquam postea quum propositum omisisset, suos sese, quando commodum ipsi foret, & Gustavus idem vellet, legaturum pollicetur. Palatinus, qui dolebat interceptas, quas ad Svecos rebellantes dederat, literas, & supplicio de ministris suis sumpto, spem conceptam frustra esse, irae plenus, animo maiore in bellum contra Daniam, Sveciamque sibi incumbendum ducit. Verum impar, Caesarem auxilium poscit pridem ex contractu debitum: Sveciam, tunc perturbatam, facile occupare putans. Neque Caesaris alienus animus erat, qui inique admodum ferret, quod Gustavus pariter, ac Christianus cum Francisco, Galliae Rege, amicitiam contraxisset. Sed implicitus bello Gallico, Gelricoque, milite ipse & pecunia indigebat. Itaque quod unum poterat, scriptis Barcinone literis ad vicesimum Octobris diem, Nicolao Perenotto Granvellano dat negotium, ut in Sveciam iter caperet, aliumve pro se mitteret, & negotium Palatini adiuvaret. Ille vero, seu negotia Imperii graviora distinerent, sive metuens periculi, & ignarus quo se modo res haberent, anno proximo Casparum Seckendorfium, & Ambrosium Slicnrodium eo mittit, literasque, CIↃ IↃ XLIII. Noribergae Martii mensis die quinto datas, addit. Quis praefatus, nullum sibi dubium esse, quin in Palatinum omnes summo studio propenderent, mox de iure filiarum Christierni in haec regna multis agit: tum extollit Palatinum, ac virtutem eius laudat. Hinc amplissima quaeque omnes, & in primis Taccium sperare iubet. Inde in Gustavum invehitur, ceu iniuste regnum Sveciae usurpantem: maxime vero etiam foedus, quod cum Gallo pepigisset, criminatur. Denique hortatur sedulo, ut Palatinum sibi, regni eius per uxorem ius adeptum, regem admittant; Caesarique id volenti morem gerant. Quin & Palatinus scribere, ac propositum praedicare, quod amore libertatis, defendendis privilegiis arma gererent: tunc hortari, ne deponerent, & auxilia, mox a Caesare, ac se quoque affutura expectarent. Etenim omnino eum debitum,

A iam sibi regnum, per Dorotheae matrimonium, & iam vindicatum velle. Quem si item adiutum eant, salva illos privilegia & immunitates quasvis, ac Religionem avitam, quam optarent restitutam, habituros. CIↃ IↃ XLIII. Praeter literas itidem mandatum fuit, ut Christophorum Oldenburgicum, Albertum item, & Henricum, Duces Megapolitanos, Bremensem Episcopum, Dantiscanos, ac Livoniae optimates, Lubecenses, aliasque civitates, tum praeterea, si qui clanculum, B ex prioribus offensis, Christiani, aut Gustavi inimici crederentur, eos blande compellarent, & ad bellum in utrumque regem accenderent. Maxime vero Magnum quoque Scarensem Episcopum, in coenobio Mariano ad Rostochium tunc agentem, ceu qui regni statum nosset, in consilium adhiberent. Et literae quidem Palatini, ac Granvellani, id suadente Alberto Megapolitano, per librarium mercatorem sunt transmissae; cui etiam Scarensis suas dedit, ad C Smalandicam item plebem perferendas. Et diploma his inclusum, quo honores Taccio, & beneficia quam amplissima collata. Unde factum, ut quum plebi, nec dum satis tum pacatae, mox eae praelegerentur, quamvis interfecto Taccio, factionis suae duce, iterum rebellio intentaretur, adeo quidem, ut nonnulli, raptis armis, etiam Calmarniam urbem obsidere haud vererentur. Itaque Gustavus denuo Christiani fidem implorat, & auxilium: quod promissum ipse interim D in rebelles militem externum ducens, quem coegerat, quia primo impetu Calmarnia haud capi posset, neque castra obsessores muniissent, aut receptum tutum haberent, facile eos dissipavit. Ita prodita res fuit; literaeque, & qui eas attulisset, simul in Gustavi manus pervenere. Quamquam sane, caeso Taccio, & rebellium primoribus profligatis, aut fugatis, neque reperiri facile, qui se ducem factiosis dare vellet, nil magnopere profuturae eae erant. Ac comE pertum, non dumtaxat Palatinum, verum etiam Lubecenses, an gratiam Caesaris ad hunc motum, excitandum, etiam consilium accomodasse. Quam iniuriam quum Gustavus Christiano quaestus foret, is confestim, per legatos, Ioannem & Gosschium, Rantzovios, & Petrum Suavenium, eos monet: *ne auctores talium consiliorum Svecis essent, neu foverent factiosos, aut si pergant, se conatibus illorum obviam iturum esse.* Etenim Gustavum sibi, *foedere iunctum, nullo modo deF serendum, & communem utriusque causam agi. Quod si Daniae, Sveciaeque adversentur, providerent, ne exitium ipsi sibi procurarent.* At legati Palatini, quum haud prospere, nec ex voto, res cessisset, quod restare unicum existimabant, opem per provincias vicinas quaerunt; Principes nonnullos prensant, & tribunos, centuriones item, belli claros; tum maritimarum quoque civitatum magistratus, pro ut quaeque maris potens. Praemia promittunt multa, immunitates, aliaque beneficia, post navatam operam mox conferenda. Quamquam autem sedulo allaborarent,

CIↃIↃ XLIII. rarent, nihil tamen effecerunt, quippe Principum, praeter Megapolitanum, nemo spem auxilii fecit: civitates belli fessae sumptuumque, & metuentes Christianum, ac transactum tandem iri cum Gustavo arbitrati, per legatos, quos earum quatuor Lubecam miserant, nihil certe promisere. Illud tantum: si inferret bellum Caesar, & auxilium impetraret, tum se operam collaturos. Haec dum agitat Palatinus, coeunt Campis, quae est urbs Transisulaniae, qui legati a Christiano, & Maria Belgii pro Caesare praeside: Verum magis hic tentatum, quae fiducia Christiano in armis esset, quam ut pax, quae petebatur, iniretur. Qui Mariae nomine aderant, pacem tantum Belgicis provinciis constituendam dictitabant, reliquas vero ditiones extra foedus collocari cupiebant: tum Belgarum quoque naves, quae in freto Oritano tenebantur, universas relaxari, sine ulla Danicarum, quae in Belgio, mentione. Quae, iniqua postulatu, quum huc tendere viderentur, ut duntaxat vim a Belgis, qui periculo in his locis maxime obnoxii essent, Christianus abstineret: Dani vero in terris Caesaris, omnium iniuriis exponerentur, neque equum obtineri quicquam posset, mox legati, re infecta, revertuntur. Hinc ad arma utrinque ventum, & initium Belgae faciunt: qui ad littora Norvagiae navem regiam, regni illius tributum, aliaque, advehentem, bello necdum indicto, invadunt, & in Belgiam abducunt. Praeerat ei Claudius Witfeldius, isque Enchusam borealis Hollandiae urbem, mari australi adiacentem, in custodiam deportatur. Christianus, nullum iustum ratus, nisi quod legitime indictum esset, antequam armis vim repelleret, Caesari per fecialem bellum nuntiat: *necessario denegata toties pace, ad iniurias vindicandas, subditosque protegendos, arma se coactum capere, & illius rei Deum, summum oppressorum vindicem, testem facere: idque honoris sui causa & sociorum, Caesari denuntiatum voluisse*. Hic Maria sat prolixe respondere, & exprobare, *initum cum Caesaris hoste Gallo foedus: & auxilio ei misso, prius bellum inceptasse; detinuisse naves Hollandorum, &, exacto a navigantibus iuramento vetuisse, ne quid in provincias Belgicas importarent*. Inde classem in Hollandia, & Lelandia navium septendecim parat, quae Norvagiam petitura, omnia infesta faceret. Nec cunctatus Christianus, naves quadraginta instruit, Magno Guldensternio Duce, qui obiiceret se Belgis, & conata prohiberet. Quin, ut hosti tanto plus incommodaret, per provincias vicinas, quae per fretum Oritanum navigarent, passim vetat, ne commercia cum Belgis ulla haberent. Ac ne Dani quoque ipsi secus facerent, toto item regno edicit, uti pariter quivis subditi nomen apud portitores regios profiterentur, & quo iter instituerent, indicarent. AEgre vero, praeter ceteros, clausum fretum Lubecenses habuere, ac de vectigalibus item, quae immensum, contra datam a prioribus Regibus immunitatem, excrevissent querebantur. Quibus Rex ne temere iniuriam facere videretur, mandat, ut proferrent tabulas, & ostenderent, quaenam iura reges Daniae decessores concessissent: tum quod ius, & aequum esset se facturum. Quae quum haud in promptu essent, nec in Daniam exportare tutum ipsis videretur, obtulit, Lubecam se missurum esse Christianus, qui inspicerent, ut constaret, quo eorum postulata fundamento niterentur. Qua de re quum sic utrinque convenisset, ac iam quosdam e Senatu Christianus ablegasset, his progressis in Holsatiam, mittunt obviam Lubecenses, qui haud opus ideo Lubecam porro proficisci, nuntiarent; neque enim tabulas immunitatum, nisi sociae civitates universae consensissent, exhiberi ipsis posse; tum & alia praetendebant, quibus eos frivole tergiversari satis manifestum esset. Qua de causa Senatores, sic elusi, domum sese recepere. Christianus bello apparando intentus, undique auxilia in praepotentem hostem petit. Quae plerique foederati quum promitterent, soli principes in Germania protestantes excepere; *non eiusmodi belli huius caussam esse, in quam sese obstrinxissent: etenim religioni tantum cautum, cui si periculi quid immineret, id coniunctis viribus se propulsuros promisisse*. Dux Borrussiae, Albertus, semper Christiano fidus, quum videret bellum gliscere, ob commercia intercepta, suis quoque subditis perniciosum, re cum civitatibus Vandalicis communicata, mittit ad Poloniae Regem Sigismundum, qui rogaret, ut auctoritate sua apud Caesarem intercederet, & ad pacem sanciendam adiuvaret. Atque ille, necdum tunc Austriacarum nuptiarum satis certus, spem legati ad Christianum super ea re mittendi faciebat. Verum postea potitus Ferdinandi filia Elisabetha, Caesarique nova iam affinitate arcte iunctus, a proposito recedit. Et Burgundicis adherens, studium in Christianum, quod non ita pridem ipse praesetulerat, missum facit. Quin, Maria id rogante, mandat etiam Dantiscanis, ne commercia in Dania, aliisque Christiani ditionibus, per hoc bellum exercerent. Quam ob rem quum Dantiscani, nuper Belgio exclusi, & nunc Dania prohibiti, valde animis angerentur, per Ioannem, Regis Chistiani fratrem, iam Gottorpiam reducendum, orant, ut aut animum ad pacem flectat, aut commercia aliqua ratione reddat. Ceterum iam Danica classis, mare ingressa, in Lelandiam, Belgii insulam, contendebat; Christophori Trondenii suasu, qui legatus Guldensternii, aggerem perfodere certat, oppidaque, item agros, aqua immissa, infestare. Neque laedere, si consilium successisset, gravius poterat: sed disiecta tempestate, ac propositi sui irrita, domum mox redire cogitur. Inter ista, armis Caesaris superatus Cliviensis Gelriam, Zutphaniamque illi tradit, & a foedere discedit, quod cum Christiano pridem constituerat. Tum & Anglus, qui consilia ad praesentem rerum statum accomodabat, ei sese adiungebat. Itaque iam belli socius, quum pa-

CIϽ IϽ XLIII.

paratam classem Danicam accepisset, scribit literas Christiano, & inquirit, in quem illa hostem iret, & an in se, Gallo opem allatura, mitteretur. Atque is Chilonio responsum reddit, & exponit, quo se modo inter ipsum, Caesaremque res haberet. *Varie pacem, cum in Belgio, tum in comitiis Imperii, Bremae item, denique Campis, per legatos quaesivisse; sed nec illam, nec inducias potuisse impetrare. Quin quantumvis aequis sese arbitris negotium permittere velle testaretur, nihil tamen effecisse. Itaque nonnullas naves Belgicas detinuisse, uti certior tandem esset, pacem, an bellum expectaret: ac Mariam bellum ipse per praefectum maris sui indixisse; facta cunctis potestate, ubi Danos passim invaderent, & eorum omnia in praedam verterent. Tum & navium suarum aliquam intercepisse, atque duos e praefectis rotae mox imposuisse. Etiam ad Norvagiae littora aliam quandam argento onustam, aliisque pretii ingentis rebus occupasse. Itaque ut vim arceret, subditosque tueretur, classem contra instruxisse. Nil cum ipso inimicitiae intercedere, neque esse quod metueret. Quin dolere, causam aliquam incidisse, cur a Gallo dissideret, cum quo si in gratiam redire vellet, atque pacem resarcire si requirat, operae non defuturum. Ac sperare, foederatum sibi Gallum, aequa omnia proponenti, morem gerere minime recusaturum.* Hoc responso amicitiae Christiani certus Anglus, acrius in Gallum incumbens, bellum parat. Ob quam causam classis Gallica mare boreale ingressa, naves Belgicas, Anglicasque observabat; sed ingenti tempestate dissipata, postquam in Norvagiae littus, scopulosque impegisset, misere confracta fuit. Quod quum factum Christianus accepisset, sortem tristem naufragorum miseratus, simul cupiens amicitiae, quae cum Gallo intercedebat, satis facere, veste eos, & pecunia, aliisque item rebus, reparandis, quas tempestas reliquisset, navibus iuvat. Post haec Caesarem, undequaque socios sibi comparantem, imitatus, novos sibi itidem conciliavit, non potentia quidem pares, sed vicinia rebus suis confirmandis opportunos. Inter quos Rigensis Metropolitanus, Gulielmus, sese primus offerebat. Hic, postquam cum Rigensi magistratu, & Livoniae Magistro, controversia nata esset, haud gravate postulanti opem tulit. Quippe quum protector eius Daniae Rex iure quodam perantiquo censeretur, veteri cliente regni ferre etiam opem tenebatur. Ac principio id timidus Metropolitanus agere, quum metueret amicitiam, quae non ita pridem inter Christianum, & Livoniae Magistrum intercedere ferebatur. Itaque clam explorato prius animo Christiani, quum acciperet, haud Livono sic obnoxium, ut propterea aequitatis patrocinium deserendum existimaret, nil cunctatus, palam illud postulavit. Resque eo, auctoritate Christiani, est deducta, uti causa delegatis, die ad id praestito, cognoscenda mandaretur. Ac Wolfgangus Griffendalius istuc missus, qui Rigensi magistratui iussa Christiani ferret, & praeciperet, ut pareret Metropolitano suo: tum Collegio, quae abstulerant, restitueret, & deinceps ab iniuria qualicumque abstineret. Nisi faceret, ex officio, quod incumberet, protectoris, minime deserere se Metropolitanum posse, nec passurum, uti iuri regni Danici, quod cum iurisdictione eius sacra sit coniunctum, aliquid detractum eat. Ea re sic Metropolitanum sibi Christianus obligavit, ut illius amicitiam constantissime tueretur. Ac Rigensem quidem praesulem, post quam ita devinxisset, arctius mox Megapolitano iungitur; Elisabetha, consanguinea sorore, maximo Henrici Ducis filio Magno elocata, cuius nuptiae Chilonii, apparatu splendidissimo, sub Augustum desinentem celebratae. Et ibidem, cum Barnimo, ac Philippo Pomeranis, confirmandae amicitiae, controversia Rugiana multis annis agitata, tandem etiam componitur: placuitque, *uti Duces bona omnia ad Episcopum Roschildensem pertinentia, quae iniuste possidebant, restituerent, nec in posterum ius aliud, quam antiquitus competeret, arrogarent; neve onus imperarent, nisi quod consuetum esset: tum stipendium ut Episcopo Roschildensi a Ioanne Barnecovio in pecunia, & frumento solveretur: Et familia Barnecovia desinente, bonis his administrandis e nobilitate alius ab Episcopo legeretur. Pomerani Superintendentem, infulae, quem adpellant, constituerent: ita tamen, uti eius confirmandi, sive etiam, si res ferret deponendi Episcopo potestas esset. Damna illata controversiae tempore compensarentur. Insuper, si aliud quid antiqui iuris pars alterutra haberet, atque satis hoc constaret, ei ut transactio ista nil omnino derogaret.* Sic composita controversia Rugiana, etiam de Reinfeldensi monasterio est transactum. Quibus hunc in modum gestis, Pomerani, pro recente amicitia, admonent periculi regem; quod ab urbibus Vandalicis, ni prospiceret, immineret. Nec is negligendum duxit, eo magis quod per illud ipsum tempus manum Andreae Meinhardo Lubecenses iniecissent. Is quum a secretis esset Christiano, & diutius Lubecae, quam putarent faciendum, moraretur, ab urbano magistratu comprehenditur, & custodiae mandatur. Christianus ut eriperet, ac resciscerent, quonam in se animo Lubecenses essent, & quid bello cum Burgundis facere constituisent, mittit eo Gosichium Rantzovium, & Petrum Svavenium, qui & explorarent sedulo, & Meinhardum liberarent. Atque hi, mandatum effecerunt, insuper responsum referunt, nihil eos pace antiquius arbitrari, & in Christianum fidem conservare in primis velle. Ac fuere proniores, quod metuerent: ne vicissim si adversarentur nimis, foedere excluderentur, quod cum Sveco Christianus agitabat; cui Borussus etiam ex aequo, & bono transigendi potestatem iam concesserat. Praeter ista, accedebat amicitiae Christiani Archiepiscopus Bremensis; isque ut affectus sui magis fidem faceret, Friderico, eius fratri, ultro munus, uti loquuntur, adiutoris in

CIↃ IↃ XLIII. in Ecclesia sua, & dignitatem offerebat; quum spe fore, ut successor, se defuncto, caperetur. Sed quum illic Caesaris auctoritas requireretur, literaeque in aulam eius ad consiliaros mox mitterentur, nihil obtineri potuit. Neque enim expedire videbatur, uti tanto dignitatis incremento etiam potentiam augerent fratris, qui cum Caesare bellum gereret. Itaque consilium id frustra fuit: insuperque Christianus ab Imperiali curia condemnatus, quanquam Iudices recusaret, & exceptione se tueri vellet: nec extremum in contumacem auxilium iuris aliud quicquam morabatur, quam quod, animis vicinorum, qui ex protestantibus erant, tum a Caesare alienis, minime reperiri posset, cui in Regem, tam potentem, executio mandaretur. CIↃ IↃ XLIV. Tandem vero anno proximo diuturnae inimicitiae, quae in bellum iam eruperant, terminatae. Quippe Caesar videns, toties periculum a Maria frustra factum, ut conditiones pacis Christiano pro libidine extorqueret, ipse operam sibi hanc sumendam censuit, belli tedio, quod maiore cum Belgarum, quam Danorum detrimento gereretur: maxime quum Gallus quoque hostis esset, graviterque infestaret. Itaque Comitia indicit Spirae, & invitat Christianum, ut legatos eo mittat; ac se ipsum controversiam cogniturum universam pollicetur. Atque ille, qui amantem pacis animum dudum ostenderit, mittit istuc Ioannem Rantzovium, Andream Billium, Petrum Suavenium, Casparum Fuchsium: qui auditi, quum sententiam Christiani pluribus exposuissent, mox negotium demandatur Nicolao Perenotto Granvellano, Ioanni Navesio, Carolo Boisoto, Viglio Zuichemo; quorum summa apud Caesarem dignitas, auctoritasque. Postquam vero, aliquandiu inter sese disceptassent, ita tandem convenere: *uti pax utrinque esset, & commercia subditorum passim restituerentur sine offensa alicuius, qualicunque etiam bello, naves tamen, ad belli usum, ut Principibus usitatum, si necessitas postularet, retinere integrum foret, suo unicuique stipendio, ac si forte laederentur, aut perirent, detrimentum is praestaret, cui eae militassent. Hostibus alterius partis neuter opem nullam ferret, nec tormentis, commeatu aliisve, necessariis adiuvaret, nedum militem concederet, aut in suis ditionibus conscribendum indulgeret. Quin utrinque opera communi potius, si quae mala imminerent, propulsarent, & pericula, si haud prohibere possent, indicarent. Eo foedere Anglum Caesar, ac Livoniae Magistrum item Svecum, & Borussiae Ducem Albertum comprehendi Christianus cupiebat: qui spondebat pro Borusso, sicut Caesar pro Livono. Christierno, & utrique eius filiae ius in Daniam, quod competere statuebant, reservatum: ac laxatio promissa, ut aucupio deinceps, & venatui, ceterisque exercitiis, animi causa indulgere sineretur. Tum vicissim Christiano, & Gustavo cavebatur, ius, quod ipsis in pacata pridem regna competebat, salvum fore. Porro placuit, eam pacem passim in principis utriusque ditionibus universis publicari; atque ratum etiam foedus habitum iri; literis in id subsignatis, quae ad diem Calendarum mensis Iulii Bremae exhibendae essent.* Et haec foederis summa erat; sed restabat, uti incolumitati etiam consuleret horum omnium, qui in patriam parti adversae militassent. De quibus constitutum fuit, *ut redire domum suam nemini permitteretur, nisi Princeps, cui meruerat, intercederet, ac post intercessionem, alter veniam haud negaret, sed & bona restitueret; atque iis illibatis, sine satisfactione aliqua ulteriore de securitate ei, datis litteris caveret.* Quia vero Christierno, & utrique eius filiae integrum ius reservatum, tum metuerent Legati, & subspectam hanc exceptionem haberent, ac putarent hoc praetextu posse auxilia Palatino, aliisve, quorum auspicio renovari bellum quiret, exhiberi, Caesare clam impulsore, & impensam praebituro, & incertam per id pacem habituro Christiano, tolli scrupulum voluerunt. Itaque ut satisfaceret literis peculiaribus Caesar sese obligavit: *pacem Regi illibatam, & constantem semper fore, nec in gratiam Christierni, aut illius filiarum, unquam quicquam admissurum: quin id operam daturum, uti legibus quam aequissimis hoc negotium transigatur.* Idque etiam legati Regis Christiani nomine promisere: quos permoverat ad petendam obligationem hanc peculiarem, fama per id tempus sparsa, de Ioanne, comite Orientalis Frisiae; qui quum Caesari militaret, manum sibi illic aliquam comparare ferebatur. Qua de causa, quamvis ipse Christianus, datis literis, viduam, & gubernatores de periculo ea ex re imminente, monuisset, tamen, quia ignorabant an auctoritati Caesaris potius, quam Christiani voluntati obsecundaturi essent, istiusmodi cautione Regi suo consulendum existimarunt. Paulo post quum iam instaret illud tempus, quo a principe utroque novi foederis confirmatio, uti constitutum fuerat, Bremae repraesentaretur, missus huc cum Caesaris mandatis Viglius, moxque datae, & acceptae utrinque literae, quo se ratam habere pacem, Spirae factam, Caesar, atque Christianus testabantur Inter ista, quia certum Anglo tempus praestitutum, intra quod & voluntatem ipse suam, & an foedere comprehendi item cuperet, declarare teneretur; certior a Caesare factus, quibus legibus comprehensus eo esset, ille & legatum mittit, Gulielmum Harrium; & testatur, gratum sibi illud esse, & inprimis ratum velle, tum per literas admodum benigne scriptas, Christiano amicitiae quaelibet officia defert: & hoc quidem eo promptius, quia Scoti, quibuscum bellum inchoaverat, hostes iam a Caesare renuntiati, foedere excluderentur. Nam permissum illis quidem, ut commercia in Dania, aliisque Christiani ditionibus, quae consueverant, exercerent, & exceptum id diserte in comitiis Spirensibus, sed auxilia contra Anglum mittere prohibebatur. Quod quum illi nescivissent, & iam bello quam gra-

CIↃIↃ XLIV. graviſſimo premerentur, nomine reginae infantis, quae vix decimum quintum menſem tunc agebat, & ſenatus mittitur ad Chriſtianum Ioannes Haius; qui exorſus a commemoratione amicitiae, inter regnum utrumque mutuae, & antiquae, tum neceſſitudinis quoque, mox prolixe, quae in Scotos Angliae rex vi ac dolo commiſiſſet, criminatur. *Poſt Iacobi regis mortem, cum Duglaſſios, tum & alios e nobilitate regni, qui ſuperioribus bellis capti erant, ſpem feciſſe nuptiarum inter Eduardum filium, & reginam ſuam infantem. Eos hoc conſilio in Scotiam reverſos eſſe; & in gratiam receptos, publica auctoritate, bona ſua etiam recuperaſſe; tum & nuptias, quas petebant, quia eae ad conſtituendam pacem, quam certiſſime pertinere videbatur, impetrarunt. Quae quum promulgata eſſet, ſummo utrobique gaudio, aliquos commercia in Galliam inſtituiſſe. Horum naves, tempeſtate Angliae in portus actas, quum initio ſat benigne haberentur, poſt direptas, iuſſu regis & diſtractas merces eſſe. Neque eum, quum connubiales tabulas Scoti iam exhibuiſſent, dare ſuas, quas debebat, neque pro recenti iniuria ſatisfacere voluiſſe. Quam ob cauſam regni ordines, quae de nuptiis acta erant, reſcidiſſe; ſiquidem pacem, quam hoc nexu confirmatam cupiebant, ac ſperarant, temere adeo, atque ſine ulla cauſa violaſſet. Itaque proregem, & principes unice rogatum cupere, ut reginae adhuc infantis, & aetate miſerandae commendatam ſibi eſſe incolumitatem velit, & propinquitate quoque contingentem ne deſtituat. Etenim nil aliud propoſitum Anglo, quam reginam, ut tenellam ſuam ex ſorore neptem, iure ſanguinis conculcato, atque fide violata, regno exſuat. Scotiae ordinibus decretum eſſe, vim illatam, quantum poſſent, armis ſuis vindicare, neque pati, uti regnum pervetuſtum, ad excidium nominis Scotici redigat in poteſtatem, & in eo pro libidine dominetur. Ac ſperare, ſanguine, & foedere coniunctos reges adiuturos; & inprimis Chriſtianum, cum recentem amicitiam Gallo auctore confirmatam, tum antiqua item foedera, quae cum Daniae, & Norvagiae regibus intercedebant, quibus adferendam opem mutuo ſe obligaſſent, renovata in praeſens velle. Inſuper, quum caritas in Scotia annonae eſſet, nec tormenta item bellica, aut praeterea arma alia, quantum opus haberentur, petere, ut ea omnia quaeque porro in Dania pecunia parari queant exportari patiatur. Denique ut conſilio iuvet, quod & prorex, ac ſenatus univerſus tanti faceret, uti cetera poſthaberent.* Chriſtianus, qui reginae adeo indignam ſortem quam graviſſime dolebat, & adiutam niſi foedere tam recenti vetaretur, cupiebat, pacem ſuadet, & in hac conciliandа operam ſuam pollicetur; ac permittit, quod illaeſa fide poſſet, ut annonam, aliaque neceſſaria, quiſquis vellet, exportaret; ſiquidem in foedere exceptum plane, uti Scotis integra in Dania commercia eſſent. Sed ſancire, quod rogabant, novum foedus, aut ſubſcipere tutelam, poſtquam amicitiam cum Caeſare contractam pridem, ſancte colere ſtatuiſſet, non licere. Quam tametſi Chriſtianus ſumma fide retineret, tamen procurator fiſci in Imperiali curia, nihilominus actionem intentabat, & tributum, quod decretum Spirae erat, ceteraque necdum etiam perſoluta exigebat; neque proderat, vel repudiaſſe iudices, vel legitime excepiſſe, ſive arbitros obtuliſſe. Neque in comitiis Saxoniae inferioris, Halberſtadii celebratis, ubi legatus Forſterus acriter Holſatiae immunitatem propugnaverat, obtineri quidquam poterat. Quamquam ſane nec idcirco Chriſtianus onus ditionis ſuae inſolitum imponi ſivit, nec ſententiae curiae Imperialis, aut decreto ordinis Saxonici obtemperavit; antequam per literas benigne illud ſemel iterumque Caeſar petiiſſet; cui ut gratificari ſe paratum teſtaretur, mox dimidium perſolvit; totum negans, quod Holſatia, quae provincia tantum mediocris eſſet, impar oneri irrogato cenſeretur; & Epiſcopum Sleſvicenſem, tamquam Daniae obnoxium, neque quidquam ad Imperium pertinentem, plane eximi oporteret. Et hoc ipſum Chriſtianus haud expenſum ſecus voluit, quam ut ſtudium in Caeſarem eo modo teſtaretur, non ceu iure aliquo obſtrictus eſſet. Idque Fuchſius Francofurtum cum pecunia ablegatus, ne quod iſta contributio cauſae Holſaticae, necdum etiam iudicatae, praeiudicium adferret, publice proteſtatur. Ac lubentius Caeſaris petitioni Chriſtianus illud dedit, quod Ioannes, & Adolphus fratres eius, recens adita ditionum, tum ſuarum hereditate [a], itidem contribuiſſent. Fridericus natu inter fratres minimus, nil contulerat, quod hereditatis expers, annua pecunia ſe, ſine onere promiſſa, continere teneretur, donec alia ratione de Eccleſiaſtico munere, fratrum opera procurando, cui magis ob invaletudinem idoneus erat, ipſi mox proſpiceretur. Qua de re quum Stadii, deinde cum Bremenſi metropolitano, qui promiſerat eum ſeſe adiutorem adſciturum, per legatos ageretur, ille quidem animum eumdem prae ſe etiam ferre, verum excuſare tamen haud decerni quidquam poſſe, ni collegium univerſum, ordineſque dioeceſeos conſentirent. Ad quos quum negotium reiiceretur, & indictus dies eſſet, quo ſententiam ipſi ſuam prohiberent, neque iſtud neve illi deſignare adiutorem Fridericum abnuebant; verum Metropolitanus, neque ſibi, nec cuiquam ſatis fidens, Brunſvicenſi, aliiſque, qui religionis ſtatum immutandum metuebant, inſtigantibus, a propoſito recedebat. Quam ob rem in aula Caeſaris per legatos querebatur Chriſtianus, & rogabat ne tam temere mutanti, ſi fortaſſe aliter referret quidquam, fides ulla haberetur; inſuper pollicebatur, ſi quandoque dioeceſi Fridericus potiretur, numquam illi in Imperium obſequium, atque fide defuturam. Inter haec audito Gallus pacem initam cum Caeſare, petere a Chriſtia-

(a) *Ditionum ſuarum hereditate*) Quippe anno hoc 1544. facta inter fratres partitio praefecturarum, terrarum, oppidorum in ducatibus Sleſvici, & Holſatiae. Qua de re videantur quos in *Praefat. ad Annales Cragii* laudavimus *pag.* 70.

CIↃIↃ XLIV.

ſtiano, uti ſibi militem exauctorandum, ceu ex foedere teneretur, tradere vellet. Verum illi reſpondere Chriſtianus: *quando ſibi, Caeſarique pax ſancita ſempiterna, copiis iuvare hoſtem fide integra non poſſe. Multo iuſtius principes omnes Chriſtianos, quod cum Turca, orbis Chriſtiani hoſte, amicitiam contraxiſſet, indignari; cui ſi renuntiare animum inducat ſuum, operam adhibiturum, ut cum illo pacem habeat.* Atque iſta Chriſtianus magis ductus ſtudio religionis, & in Deum pietate (a), quam quod militem, quem ſubmitteret, non haberet. Nam hucuſque quas conduxerat pridem copias, univerſas retinuerat, cum Henricum Brunſvicenſem proteſtantibus inimicum, & Holſatiae in vicinia oberrantem, tum & Palatinum item, ac Lotharingium formidaret; qui quum foedere Caeſareo comprehendi noluiſſent, aliis viis in res novas ferebantur. Etenim agebant paſſim apud quoſvis, ut Rhodii, & Mariae Hoſpitalis, qui tunc adpellati, equites inter ſeſe iungerentur, ac communibus mox viribus terra eum, atque mari oppugnarent. Quin & alium ipſi militem, quem adiungerent, comparabant. Hanc ob cauſam nondum copias Chriſtianus ſolverat auctoramento; tum per Oldenburgicum (b) parabat alias, quas opponeret conatibus; ſimul etiam ut Dithmarſos, queis quum vetus controverſia Itzehoae per id tempus agitata perterreret, & compellaret ad obſequium, utque a Palatino iuxta, ac Lotharingo ſe adiungerent. Quorum primum haud gravate impetratum; ſed adduci nulla ratione poterant, ut obſequium promitterent, potius extrema quaeque exſpectare obſtinati, quam amittere uſurpatam libertatem. Itaque decretum erat Chriſtiano iis militem immittere, cui ſuum, quum iuberet, Oldenburgicus adiungeret. Verum Saxoni ſubſpectum, & Landgravio, quod is militem conſcripiſſet; ac timebant, ne Henrico Brunſvicenſi ſe coniungeret. Itaque ad ipſum mittunt, & deinde ad Chriſtianum, qui propoſitum ſciſcitarentur. Metuebant & Bremenſes, ac Dithmarſi; & hi etiam ad excipiendum bellum ſe quodammodo comparaverant. Quod quum aegre ipſe admodum Saxonis, Landgraviique cauſa ferret, ut obfenſam evitaret, petiit a Chriſtiano uti culpam a ſe iſtam amoveret. Cuius rei quum legatis fidem facere Chriſtianus conaretur, ac conductum a ſe militem, neque eſſe, quod metuerent, adfirmaret, haud perſuaſit, antequam ſponſorem ſeſe interponeret. Quod quum ita ſe haberet, & conſilium Chriſtianus, de Dithmarſis coercendis, pacis ſtudio deponeret, copiae, quae in Dania pridem militaverant, & quas item Oldenburgicus comparaverat, dimittuntur. Ita tamen, ut dumtaxat pauci ſimul egredi e finibus permitterentur, ne ad Gallum, aut Brunſvicenſem, qui in iſtis partibus legebant militem, ſe adiungerent. Inter iſta, Magiſter in Livonia Metropolitanum premeret, & Rigenſis magiſtratus, ipſo etiam inſtigante, itidem ſodales ſacros gravius perſequeretur, & hanc cauſam Chriſtianus Caeſari per literas mox commendaret, is reſpondet, ita ageret, uti reddere rationem facti poſſet. Quod quum Metropolitano nuntiaſſet, ille ſuo, & collegii item univerſi nomine rem, libello comprehenſam, admodum prolixe exponit, *a viginti circiter annis, quum religio mutaretur, etiam obſequium Rigenſes omne detrectaſſe debitum id longo tempore; non enim dumtaxat muro Metropolitani ſumtu cinctam urbem, ſed & leges, ac ſtatuta, quibus degerent, ipſum & qui ſucceſſiſſent, condidiſſe. Ideoque inde uſque ab initio ſibi in hanc cum imperium vindicaſſe, tum & nomen retuliſſe. At collegii in ea templum quoque extitiſſe; item aedes, aliaque ex quibus multa annis ſingulis ad collegium redirent. Iam imperio excurſo, populum & defeciſſe ab Eccleſia, & iniuria nulla adfectum ultro ſeſe magiſtratui alieno ſubieciſſe. Inſuper vim intentaſſe, & palatium Metropolitani etiam invaſiſse; ſacerdotibuſque pulſis, aedes horum occupaſse. Denique, quod multo maximum, neque templo pepercisſe; vaſa ſacra, ſupellectilemque Eccleſiae univerſam, tum quod auri, & argenti facti eſset, rapuiſse, atque in privatos uſus convertiſse. Has iniurias fruſtra Metropolitanum, & ſodales apud Caeſarem perſequutos. Itaque deferre cauſam ad Imperii tribunal ſtatuiſse, verum eam per Germaniae varios motus, & exorta item bella haud decidi potuiſſe. Saepe etiam tentatam reconciliationem, & oblatas quam aequiſſimas pacis leges, tum religionem, quam profiterentur, illibatam, dum Concilio generali aliter ſtatueretur, modo fidem ſacramento in civilibus obligarent, & ablata reſtituerent, quaſque iniurias intuliſſent, luerent ex aequo, & bono; ſed eorum nil omnino obtineri potuiſse. Metropolitanum vero, ac ſodales regem Daniae fundatorem, atque protectorem* (c) *adgnoſcere. Itaque committere non potuiſse, quin auxilium Chriſtiani contra homines violentos implorarent; ac ſperare eius ope, & auctoritate ſumma iuri ſuo ſeſe reſtitutum iri. Id tum aliis quoque modis fieri poſse, tum ſi freto Oritano navigantes prohiberet, & hominibus boniſque manum pariter iniiceret. Hanc ob cauſam maxime rogatum velle, quod competeret protectori, curam illam ſuam faceret, & innoxios clientes, contra homines protervos ſibi defendendos ſumeret.* Chriſtianus quamquam preces minime ſpernendas duceret, & iuvare tam inique oppreſſos cuperet, tamen Caeſarem metuebat, ne is forte exiſtimaret, operam protectionis temere ſe adrogare, niſi & ſodalium confeſſione, publicoque teſtimonio, ſui illud iuris eſſe fidem faceret. Quam ob cau-

(a) *Ductus pietate, & religione*) Religione & ſtudio pacti ſervandi, quo, ne auxilium hoſti Caeſaris ſuppeditaret, impediebatur. Conſtat praeterea, Gallum tunc inito illo cum Turcis foedere, exoſum ſe omnibus reddidiſſe. Non opus hiſtoricos, aut alia ſcripta hic adlegare in re notiſſima.

(b) *Tum per Oldenburgicum*) Hoc eſt, per Antonium, tunc regi Chriſtiani III. reconciliatum, & a fratre alieniorem redditum. Vid. Hamelmann. in *Vita Antonii I.* in *Hiſt. Holdenb. pag.* 274. & alibi.

(c) *Regem Daniae fundatorem, ac protectorem*] Superſunt litterae originales, (ut vocant) Capituli Rigenſis, in quibus cuncta haec leguntur, atque plura, datae *Dominica prima poſt Trinitatis ann.* 1544.

CIↃIↃ XLIV.

causam a collegio universo Caesari indicari voluit, Daniae regibus ab antiquo Ecclesiae eius protegendae ius fuisse. Quod si fieret, patrocinium, & auxilium pollicetur. Sed dum in externo motu componendo Christianus occupatur, oritur tumultus Bergis in Norvegia, ubi urbes Anseaticae, regum Daniae beneficio ius emporii consequutae, monopolium usurpare inceperunt. Etenim ex gratia concessa iura eousque extendere non dubitarunt, ut commercia piscatoribus borealibus, civibusque cedere nulla vellent. Res spectabat ad dissidium inter cives, & Germanos, ac iam minae, & convitia inter partes iactabantur, quum consilio prudenti intervenit Christianus, & Christophorum Hvitfeldium urbis praesidem, sedulo providere iubet, ne Germani detrimentum paterentur. Itaque edictum fuit, ne eorum quisquam commoda mercatura exercenda interverteret. Neque secius Bergensibus, quatenus a regibus negotiari iis datum, ius servandum existimaret, donec aliter videretur. Neque enim aequitati consentaneum statuebat, ut oppressa parte altera, ius alterius tueretur. Inde in ver proximum utrique parti diem dicit, ac se causam cogniturum pollicetur. Interim parata quies, & seditio inhibita. In religione vero, cum per Daniam universam, tum Norvagiam omnia pacata erant; quamquam tamen homines privati quidam e grandaevis, qui inter sodales collegiorum sacrorum, religioni clam avitae adhaererent. Neque ignoratum fuit, quinam essent; quia autem publicam tranquillitatem non turbabant, tolerati, dum fortasse aliqua occasione rectius edocerentur, & sic aliis se adiungerent. In quam rem quum de Doctrinae Christianae controversiis, tum capitibus disputatio Hafniae proponeretur, invitati huc ex istis, qui praecipue eruditi. Et accedere nonnulli ex Abbatibus, aliisque, ut maiorum religionem tuerentur, factaque potestas cunctis de re quavis, ex sententia animi sui, quam liberrime differendi, & octiduum sic extractum, quum a septima matutina ad meridiem, atque inde a secunda usque ad quintam vespertinam disputarent. Ea vero ratio erat, uti placide studioque indagandae veritatis omnis sermo haberetur; utque melius id procederet, ipse quoque Christianus, cum nonnullis senatoribus praesto erat, ut praesentia modestiam etiam tacitus disputantibus imperaret. Nec inutilis ea disputatio fuit, & effectum, ut plerique manus darent, qui praefuerant, Nicolaus Cragius (a), Olaus Chrysostomus, Ioannes Seningius, praemium navatae operae illud sibi retulerunt, quod honoris summi instar tribui viris doctis solet, ut docere in Academiis sacras inde literas permitterentur, unde & Doctores vulgo, nomine peculiari, ceu per quamdam excellentiam, adpellari consuevere.

HISTORIAE DANICAE

LIBER VIII.

CIↃIↃ XLV.

ANno proximo ineunte, quum comitia imperii denuo Vormatiae indicta essent, ac Clammerus cancellarius Luneburgicus, & consiliarius regius, cum Helfmanno, nomine Holsatiae, in curia imperiali res curante Christiani, illic foret, mox Suavenius ablegatur, qui & operam coniungeret, & tributi, quod Holsatiae imperatum, causam ageret. Nam quantumvis super eo pridem actum, tamen id, quod Christianus obferebat, recusatum, atque fisci procurator acriter urgere porro, uti totum penderetur. Sed excipere Christianus, *imparem Holsatiam tributo indicto, & iniquum postulari; nam dumtaxat arces tota ditione quinque esse. Tum exemtum & Hamburgum, & Dithmarsos se obsequio subduxisse, quod haud parum reditus Holsatiae imminuisset. Verum causam Christianum nullam dicere quin persolvat pro Dithmarsia. Sed Hamburgum, ut tributo pari cum Holsatiae ducibus, ad quos illud pertinere liquido probari possit, censeatur, aequum esse. Quod si fiat, & Episcopus Slesvicensis, qui subiectus regno Daniae eximatur, minime recusaturum, quidquid aequum videretur. Verumtamen tum omnino abolendam eius feudi pristinam donatio-*

CIↃIↃ XLVI.

(a) *Nicolaus Cragius*] Erat iste homo germanus, ex Westfalia oriundus, regi Christiano III. ad breve tempus a concionibus sacris Germanicis, atque ob mores parum muneri sacro convenientes dimissus. Qualibus autem fuerit moribus, & quam parum aptus ad fucum principi tam sancto, pio, & moderato, atque fuit rex noster, diu faciendum, cognosci potest ex Herm. Hamelmanni *Histor. Eccles. Vestfalica*, ut alia taceamus monumenta. Neque enim necesse, multum operae impendere memoriae viri eius. Tantummodo hoc breviter indicare visum, ne quis eum confundat, aut aliquid commune habuisse credat cum altero Nicolao Cragio Iurisconsulto, & Philologo, *Reipub. Lacedaemonior.* descriptae, & *Annalium Christiani III.* auctore, natione Dano, quo viro sacerdos Westfalicus, cuius hoc loco fit mentio, medio seculo est antiquior.

CIↃ IↃ XLV.

A *tionem, qua id Daniae pridem reges accepissent, ac curandum, ut imperii deinceps nomine nihil contra illos agi possit, tum Holsati pace imperii, ac tutela comprehensi iure ordinum ceterorum fruerentur.* Haec quum illi pro Holsatia protulissent, quamquam non omnino cuncta, quae volebant obtinerent, illud tamen effecerunt, ut tributum parte saltem tertia minueretur. Quod quum vel sic quidem nimis esse magnum videretur, denuoque in conventu ordinum Saxonicorum B hanc querelam instituerent, nihil illi immutandum censuerunt. Inter haec Albertus Megapolitanus, rupto foedere, clam res novas contra Daniam machinari, & non tantum classem instruere, qua mox mare Balthicum infestum redderet, sed & militem comparare, ad gerendum terra bellum. Quod tametsi maxime occultum vellet, sensit tamen Christianus Daniam, Sveciamque pati (a). Qua de caussa, quum de fide Henrici ducis, pridem adfinitate iuncti, quasi eo conivente in communi ditione ista fierent, dubitari C coeptum esset visum fuit, literis ipsum compellare; & inquirere, quid a Megapolitana ditione exspectandum sibi foret. Isque fidem in dubium vocari videns, anxie admodum se excusat, & constantiam pollicetur. Sed Albertus nil dissimulans, queritur, *conatibus pridem obstitisse Christianum, & hoc agere, ut filio, quem magister ordinis Livonici sibi adiutorem cooptare instituerat, adversetur. Huic militem petenti haud negare potuisse, D & officium mutuae benevolentiae istud esse. Sed magistrum, cui nullus hostis foret, minime tam magnis copiis indigere, satis gnarum Christiano.* Verum ipse, quum facultas compescendi non deesset, pacis studio quiescendum existimavit, dum consiliis Albertus moderatis uteretur. At ubi compertum fuit, illud agitare eum, ut incautum Christianum, & Gustavum occuparet; ac paratam navem unam, alteramque ad piraticam exercendam mare Balthicum pervagari, non cunctandum E ultra putans, ipse quoque classem Danicam sub Christophoro Trugotio portu emittit. Qui ut mox in navem unam, quae iam Enchusanam ceperat, incidisset, hanc & illam redigit in potestatem, & piratas instar quadraginta capit. Qui rogati, quo auctore ad piraticam excurrissent, quum haud edere nomen vellent, perlustrata inde navi, literae inveniuntur, quae Albertum satis manifestum facerent. Vnde quum res certa esset, placuit augere classem, militemque in Holsatia, F & vicinis illi partibus collocare, ac piratae erant copiae, sed movere Christianus eas noluit, nisi gnaro prius Caesare; ne is, pace constituta, armis in Germaniam tum inferendis novam belli ansam quaeri existimaret. Itaque per literas prolixe exponit: *Navem quamdam civium Enchusanorum, qui imperio eius pareant, a piratis Megapolitanis captam, & a classe Danica recuperatam; ac piratas Hafniae iam custodiri. Quos si ipse dare sceleris poenas velit, potestatem eos adcusandi facere. Illud ipsos meruisse, uti violata pace, minime dimitti posse, idque ad tranquillitatem reipublicae pertinere.* Inde queritur: *Lubecensium Episcopum, imperii principem, vi abductum a Valdenfeldio, ac captivum detineri, aequum esse, ut in libertatem is restituatur; utque publico mandato id iubere velit, rogat; tum edicat Megapolitanis maxime, reliquisque per imperium electoribus, ducibusque ne receptum quisquam praebeat. In Albertum Megapolitanum autem quid statueret, eius se arbitrii facere. At videndum tamen esse, ne ex istis tam apertis latrociniis detrimenti aliquid respublica capiat; sibi, ut subspicionem pacis violatae averteret, necdum adhuc aliquod auxilium petitum ab armis, etsi iusta caussa esset. At si postea veniendum isthuc fuerit, ni Albertus vim omittat, nullam suam culpam fore. Malle tamen pro necessitudine illa, quae cum ipso, & propinquis intercederet, porro amicitiam colere, & officiis contendere, nec ad bellum, nisi invitum, deventurum.* Ac mandata quidem Caesaris de restituendo antistite, & sistendo Valdenfeldio, sat severa Megapolitanis missa, quamquam illi haud paruere. Quin audacia Valdenfeldio etiam crevit, adeo quidem, ut denuntiare palam inimicitiam Christiano, ac se hostem profiteri nil omnino vereretur; ab Alberto, qui Holsatiae cum exercitu imminebat, sine dubio persuasus. Etenim in Francisci Saxonis ditionem iam ingressus, sub Christophoro Vrisbergio, homine admodum truculento, miles erat, & per Hadeleviam passim, ac finitima, quae dumtaxat Albi flumine ab Holsatia separantur, agros misere populatus, omnia diripiebat. Inter ista, Christiano citra Albim copiae paratae erant, ut traiicere cupientes finibus suis prohiberet. Tum Luneburgenses quoque, & Hamburgenses, qui periculo propiores, naves, tormentis instructas, quae transire contendentes, impedirent, comparaverant. Sed Christophorus (b), qui sperarat, cum inermi tantum plebe sibi rem futuram esse, & in promtu praedam fore, sine sanguine abducendam, quum obiecta arma cerneret, & experiendam pugnae aleam, incertam semper, & iniusta fere caussa infelicem, retro agmen suum ducere. Quod Ioannes dux Holsatiae, cui nomine communi haec provincia demandata insequutus, sic adflixit, ut redimere pacem Albertus, quamvis precibus permultis, & Henrico etiam fratre intercedente, nisi milite dimisso, non potuerit. Quod ut factum, suos itidem Ioannes domum integros reduxit. Et Albertus militi auctoramentum vix remiserat, quum adesset, qui dimissum Angli nomine auctoraret. Sed ab Anglo nil praemonitus, transitum per suas ei ditiones Christianus, nisi obsidibus ante datis non permisit. Etenim subspectum erat, quod tam

(a) *Daniam, Sveciamque peti*] De Svecia quoque testantur Ericus Georgii in *Histor. Gustavi I. Par. II. pag.* 233. Loccenius ad ann. 1545. & alii. Chytraeus, & Mecklenburgici Scriptores de ea expeditione, eiusve adparatu tacent, brevique post irrita omnia mors reddidit, quae Albertum initio anni 1547. oppressit.

(b) *Sed Christophorus*] Scil. Vrisbergius ille, nuper dictus. De illo fusius haec ipsa apud Chytraeum.

CIƆ IƆ XLV.

tam longe a regno Anglus conscribendas copias existimasset, ac sciebat, vetitum edicto Caesaris, ne quid ipsi, neve Gallo inter se tunc diffidentibus, atque armis concertantibus copiarum in Germania pararetur. Augebat suspicionem exportandi, Caesare non permittente, difficultas. Itaque consilia Angli, quamvis etiam post id tempus ignorata, alio tendere credebantur. Neque multo tamen post haec eo minor denuo concursus fuit in Hoiensi ditione; sed incertum, quo stipendio. Duces erant Christophorus Vrisbergius, cuius antea meminimus, & Herbertus item Langius, ac latronum verius, quam militum haec manus erat; & initium praedae Verda, qua direpta, quum Vrsatia, metu impulsa, necessaria praebuisset, Hadeleriam processere; in qua, quidquid pridem reliquum Megapolitanus fecerat, crudelissime populatum. & expulsi aedibus rustici, partim Stadium, partim Hamburgum concessere. Tamdem ad Albim considentes, quum ulterius haud procederent, mox Henrico Brunsvicensi, Galli pariter, atque Palatini auspiciis, sacramento se obstringunt. Erant peditum decem millia, equitum mille duceati; quis instructus, supra vires, & fortunam exsulantis, animum capit, & captivum Christiernum suo, ac Palatini nomine reddi libertati petit; malum etiam minatus regi, & fratribus, ni, quod cuperet, obtineret. Tum Dithmarsos item tentat an transire in partes vellent, & se hostes Christiano profiteri. Quam ob causam denuo ille quantum per tumultum poterat, militem legit, castraque ad Brandstedium locat. Iungunt operam Hamburgenses, & in Albi, ad traiectum prohibendum, excubare naves iubent. Idque Henricus animadvertens, & perspiciens, vix se quidquam, nisi summo cum periculo effecturum, a proposito recedit. Inde Lunaeburgum ducens, ordini Ecclesiastico, ni se dederet, mala quaeque comminatur, neque a cognato illic principe Ernesto abstinet, quamquam tamen sine ulla noxa transit. Et in agrum Brunsvicensem quum venisset, facile Steinburgum capit, ac Volfenbuttaliam tentat, quam Bernardus tunc Milanus tuebatur. Sed Landgravio, qui interea copias sibi ad conatum reprimendum comparaverat, invadente, gravi praelio commisso victus ipse, filiusque in victoris potestatem pervenere. Sic Holsatia metu suo liberata, Christianus arma ponit, & exercitum dimittit; quamvis sane alii quoque ad Oceanum imminerent, sicuti ad mare Balthicum bellum Megapolitanus ostentabat. Frisii, qui ad Orientem, & Embdani, non aperte quidem sese inimicos praebuere; sed quod hostibus naves suas, quis in Daniam veherentur, permisissent, ab officio recessisse videbantur. Mater Oldenburgicorum (a), quae propinqua Christiano, filiorum nomine impuberum rempublicam administrabat cum proceribus ditionis. Inter quos praecipuus Tido Kniphusius, Christiano auctoratus, postquam datae fidei renuntiasset, omnia consilio publico illic agere, aut profecto conniventibus, qui debuerant impedire, credebatur. Idque iniquius ideo Christianus tulit, quod mandatum a Caesare Holsatiae ducibus exsequutionem in Frisios, ceu propinquos, pridem ipse detrectasset. Itaque per literas mater semel, iterumque monita, ut perpenderet (b), illud quoque ad obsensam mox accessit, quod in agro Hamburgensi, qui Holsatici iuris erat, Frisius quidam e nobilitate gentis, Scotos aliquot comprehensos, in custodiam abduxisset, nec dimittere voluisset sine pretio libertatis, quamvis maxime Christianus intercederet. Tamdem tamen, re penitius expensa, & dimissi sunt captivi, & inhibita, quae in Daniam instituta navigatio. In Norvagia, inter urbis Bergae cives, anno proxime praeterito quum dissidium ortum esset, nec componi universim potuisset, rex Othoniae convenire eos iussit, ubi quum comparuissent, ac pars cedere neutra vellet, privilegiaque obtenderet, mox prolatis veterum regum diplomatibus, deprehensum eos non ius monopolii, sed emporii sociatis civitatibus indulsisse; ac Bergensibus concessisse, ut commercia ubicumque demum vellent, sive in Septemtrione, aut Meridie exercerent; idque iuris continenter usurpasse, publicis etiam testimoniis comprobatum. Ac quominus quis ambigeret, patuit exceptum illud iis quoque instrumentis, quae a Lubecensibus in medium proferebantur. Itaque Bergensibus haud visum regi per iniuriam adimere, quod iam dudum, nec interpellati umquam, tenuissent. Itaque sic res transacta, uti ii navibus dumtaxat decem in Septentrione agerent, at omnino a meridie abstinerent; neque quidquam compararent, nisi quod ad rem domesticam necessario pertineret. Sed Germanis id concessum, quando lege exspectare, donec Bergis mercatores boreales advenirent, neque eo commeare, nisi rege permittente, sinerentur, uti naves, ad piscandum in his locis, quotquot vellent, adpararent. Et Othoniae in hunc quidem modum actum, & Anseaticis civitatibus, Belgicisque, si quae illud postularent, iura antiqua, privilegiaque cuncta confirmata. Ne obtentu privilegiorum tamen quidvis sibi licitum existimarent, scripto ea, antequam digrederentur, comprehensa, ut referrent magistratibus simul domum rediissent. Atque quum Germani graves regis subditis censerentur, addita commonefactio, *aliquid illis praeter ius concessum esse, non quod privilegiis alterius partis derogatum quidquam vellet, sed ne regiis deinceps, sicut pridem, vim inferrent, dum lis tota seu iudicio, seu transactione quadam finiretur; arbitrosque, si ido-*

(a) *Mater Oldenburgicorum*) Fallitur & hallucinatur noster. Mater erat illa comitum Frisiae Orientalis, tunc impuberum, & sub eius tutela, soror autem comitum Oldenburgicorum.

(b) *Vt perpenderet*] Nimis concise videntur haec, abrupteque posita. Plenior utique Cragius, *pag.* 279. „ Itaque mater „ per litteras semel, atque iterum commonefacta est, & quid „ periculi Frisiam, atque Embdenses inde maneret, indicatum. „ Ad hanc obsensionem illa modo accessit, quod Scoti &c. „ Ac fortassis ex Meursii textu nonnulla exciderunt per improvidam librarii festinationem.

CIϽ IϽ XLV.

idoneum minus iudicem Christianum existimarent, quosvis cupere. Verum illi, postquam haec obtinuissent, nihil ultra quaesivere, ut deinceps super ea re dissidium haud futurum crederetur. Attamen, hoc ipso anno, contra evenit. Etenim, qui monopolium, ceu indultum sibi regum privilegiis vindicarent, exstitere. Itaque lis instaurata, maxime a Coloniensibus, qui a Caesare, suo, & aliorum nomine adiuvari voluerunt. Isque sese interponens, aboleri, quae novata, & Coloniensibus, Ansaticisque civitatibus, reddi iura antiqua petit. Quo accepto Christianus, facti sui aequitatem ut probaret, plene Caesari, datis literis, rem exponit. *Exstitisse quidem aliquam inter Germanos, ac Bergenses de commerciis controversiam, sed Othoniae in cognitione causae, quam rogatu Lubecensium in se ipse subscepisset, quum ad fidem privilegiis faciendam, instrumenta ostenderentur, exploratum, nil Bergenses in Germanos admisisse, nec se quidquam innovasse. Quod si etiam fecisset, velle se, in Caesaris gratiam, quae sanxisset, perlibenter abolere, & ius pristinum restituere. Sed Germanos, privilegiis abutentes, & commercia universa invadentes, varie sane deliquisse, ac querelam non dumtaxat Norvagorum eam esse, verum etiam Belgarum. Etenim quum navigare in Septentrionis partes, nisi rege permittente sit prohibitum, nihil veritos nulla eius reverentia hanc licentiam usurpare. Itaque obstrictos illis aere alieno Norvagos; & venalium fere rerum, quidquid Bergas importatur, ipsis solis totum cedere. Neque veterem item eos constitutionem velle observare, qua permittitur borealibus, ut dimidia mercium advectarum parte creditoribus suis solvant, alteram vero, suo quisque arbitratu, prout sibi expedire putent, vendant. Hoc Germanos impedire, & efficere, ut Belgarum quoque multi solitis cum his commerciis arceantur. Quin & adeo ibi loci solos sibi dominatum adrogare, ut si aliquid farinae, aut polentae aliunde advehatur, Norvagis divendi nequeat; lege etiam constituta, qua adimere bona liceat, sicubi inventa fuerint, & exemplum eius rei in Bergensibus edidisset. Ideo fieri, ut circumvenire homines imperitos, ubicumque demum possint, nil omnino pensi habeant; ponderaque, & mensuras pro libidine statuant pariter, & immutent. Tum & pretia rebus suis quanta velint, ponere ausint, subditisque hoc itidem in suis facere non permittant, quin & iura maiestatis in quibusdam imminuere, nec tributa, quum Bergenses cuncta ferant, ulla dare. Illos pridem Othoniae adactos arbitros; ac conditionem eam etiamnum ipsis ferre. Nec commissum aliquid in privilegia dici posse. Verum plus indultum esse, quam vel fieri debuisset, vel haec ipsa postularent. Itaque haud sperasse fore, ut hoc beneficium dissimularent, quod adgnoscere grata mente potius oportuisset.* Hisce Caesar aequis adeo rationibus intellectis adquievit, & Colonienses item continere sese iussit. Iam pacata satis Bergis, cum Germanis civibusque bene inter se conveniret, cuncta erant, sed in parte alia Norvagiae, ubi fodinae inchoatae, populus tumultuari, oneraque detrectare, tamquam aequo graviora, ac coloni; privilegia quaedam vetera obtendentes, quod inusitatum esset, id iniquum arbitrari, petereque, ut rex tolleret. Sed ostensum, *per Norvagicas eos leges multo gravioribus oneribus obnoxios esse, quorum quia facta gratia, quam aequissimum videri, ut haec animo non iniquo ferre velint; si recusent, non impune habituros, & in eos, qui coiverint, praesidem ex lege acturum, recte itaque facturos, si, quod ius & aequum velint; nec puniri malos nolint, ut pax bonis sua constet.* Minus grave visum fuit Danis pariter, Norvagisque, quod militiam contra hostem, qui ad Albim adsidebat, aliqua pecunia redimere praeciperentur. Nec tributi quispiam immunis erat; ne hi quidem, qui mercede aliis inserviendo vitam suam tolerabant; siquidem militiae remissione etiam illi beneficium accepisse censebantur. Contulere etiam Collegia Canonicorum, & Coenobia, in quibus tunc quoque Monachi, virginesque Moniales alebantur. Gravius nobilitati, & contrarium privilegiis videbatur in militiam extra regni fines trahi. Verum Ericus Bannerus, & Petrus Ebbo, ad regem eo nomine missi, postquam ceteris nuntiarent, nolle ipsum privilegia, quae haberent, imminuere, nec id fraudi illis fore, sed benigne munus hoc compensaturum, haud inviti admiserunt. In Norvagia illud quoque noviter institutum fuit, uti asserum, qui ex silvis regis reciderentur, decimus quisque in aerarium inferretur; quod initio quum non satis incolis adprobaretur, tamen postea, animadverso, quod ex eo caperent emolumento, non iniquum censuere, ut ad regem, cuius silvae caedebantur, pars nonnulla commodorum perveniret.

CIϽIϽ XLVI.

Ineunte anno sexto, & quadragesimo, quum conventus protestantium Francofurti ad Moenum flumen haberetur, missi eo a Christiano Bernecovius, & Suavenius, qui consiliis interessent. Ac quum omnes convenissent, mox e Gallia, Angliaque Protestantium legati, quid egissent relaturi accessere. Quumque a se acta quaevis nuntiassent, alia decreta quaedam, quae ad publicam salutem, & religionis pacem pertinere viderentur. Tum negotium Christiano item datum, ut Gustavum Sveciae regem, sua mox auctoritate ad commune secum foedus amplectendum permoveret. Etenim, quum eius iam instaret finis, non id tantum renovari, sed & aliis adiungendis confirmari, e re esse putabatur. Quam ob causam expedire visum fuit, uti denuo, idque ante Aprilis mensis diem primum convenirent, quamquam Danici legati, ne adessent, temporis angustia prohibebantur. Varia pericula sibi imminere protestantes praevidebant, & crescebat indies metus. Etenim colloquium Theologorum Ratisbonae pridem habitum, sine ullo fructu fuerat, ac Concilium Tridentinum, ad delendos protestantes imperatum, iam fervebat; tum mandatum severissimum, in Coloniensem antistitem, quo a reformatione in religione coepta abstinere iubebatur, Caesar Carolus promulgave-

CIↃ IↃ XLVI.

gaverat. Denique Lutherus quoque per id tempus diem obierat, qui doctores reliquarum Ecclesiarum ad constantiam erigebat. Quae quum Sveco omnia proposuisset Christianus, sedulo adhortabatur, *ut ad foedus Protestantium se adiungeret, & Concilium Tridentinum ad exemplum Regis Angliae recusaret. Quumque antiquitus tria haec regna borealea pro eadem natione censeantur, bonum factum arbitrari, si libellum recusationis suae, nomine communi scriptum, patribus, qui in Concilio Tridentino congregati, exhiberent, nisi admittere ad sententiae dictionem suos velint, ac paratum de his omnibus, si sic expedire putet, coram colloqui.* Sed Gustavum nihil ista permovere; nam si Protestantibus coniungeretur, praeiudicium controversiae, quae cum civitatibus intercedebat, eo foedere comprehensis, adlaturum existimabat, ac si ad Concilium mitteret, ita id interpretari quosdam posse, tamquam si Pontifici deferret quidquam, cuius iugum excussisset. Dum haec agit Christianus, Gallus, Anglus, item quidam Electorum, tum, & Megapolitanus, de laxando Christierno interpellant; creditumque conscio id Palatino, ac rogante eo factum. Qui quum varie Christianum adgressus esset, ubi frustra omnia tentata sibi animadverteret, socero consultum tamdem aliquando cupiebat, eo magis, quod spes sobolis ex uxore eius filia, nulla ultra superesset, mortuoque Lotharingo eius filium, infantem in spem regni, tam incertam, magnos sumtus, & pericula substinere oporteret. Quin & idem ipse Christiernus petere, ac per literas modo regi Christiano supplicare, modo cancellarium Ioannem Frisium Hessel agrium, aliosque saepenumero compellare, ut quemadmodum gratia, & auctoritate eminebant, sic negotium quoque suum apud regem adiuvarent. Galliae rex, Angliaeque, ut se arbitros admitteret Christianus, postulabant. Verum, quia neque rerum Danicarum satis gnari, nec ingenium Christierni cognovissent, id concedere haud consultum videbatur; satiusque rex censebat, Christiernum quidquid vellet, coram audire. Itaque cum Ioanne fratre, intimisque senatorum, quum in arcem Sunderburgum concessisset, duci illum in conspectum suum iubet; isque fandi potestatem consequutus, ita infit. *Nihil magis se solari in fortuna tam adflicta, quam quod regna, Dei voluntate adempta, in eum translata essent, cui etiam sanguinis propinquitate deberentur; quique insigni in captivum se clementia dignum sese, supra caeteros, ostendisset. Quam ob causam etiam magnopere sibi de huius modi successore gratulari; & optare, ut familia item eius Regia illa dignitate semper porro inconcussa potiatur. Haud negare quidem posse, in fervore aetatis positum, & ambitione actum, istud operam dedisse, uti regnum, quod amiserat, vindicaret, quippe sic ingenium humanum ferre, & innatum cunctis esse, ut tueri sua velint. Neque quemquam reperiri, qui non aegre de fastigio se depelli patiatur: eo magis, quo sublimius illud fuerit, quo se deturbatum videt. Sed mundanae gloriae pertaesum inpraesens, & honoris infeliciter gesti saturum, omnem porro cogitationem regni animo deposuisse. Etenim, defuncto filio, quem evectum ad summa quaeque pro paterno adfectu cuperet, non iam alium superesse, quem his regnis dominari posthaec malit. Tum aetatem, ad extrema inclinantem, de propinquo vitae fine commonere, qui ut felix evenire sibi queat, tamdem ab humano sanguine effundendo abstinendum. Nam pro regno hoc caduco plus, quam fas pugnatum esse, ac deinceps cogitandum, quonam modo irritatum, hominum tot innocentium caede, Deum reddere propitium possit. Quae quum sibi proposuerit, sponte iam renuntiare regnis certum, & provinciis universis; atque unum tantum petere, ut arx Callundeburgensis assitique illi fundi a benigno patrueli concedantur; ibi porro, quicquid vitae superesse Deus volet, cum maiore libertate transacturo: ita vero se gesturum, ut nec Regi, neque regno gravis unquam sit futurus.* Haec loquentem quum audiret Christianus, & in pacem inclinatum serio existimaret, bono esse animo iubet, ac spem libertatis facit; tum hortatur, ut mutationem status Dei providentiae acceptam ferat. Adfuturos brevi tempore qui conditiones aequas ferant pariter, & accipiant. Sic discessum a colloquio, in quo clarum exemplum fuit, quae sit rerum humanarum inconstantia, quamque incertae hominum vices. Etenim Rex Christiernus, qui regnorum pridem trium Dominus fuerat, principumque per Europam maximorum pariter propinquitate, & affinitate item adeo tunc eminebat, ut secundus nulli esset, patrueli supplicare suo cogitur, cui ager Slesvicensis, & Holsatiae pars nonnulla antea sufficiebat: tum pro beneficio concedi petit minimam eorum partem, quae conferre aliis ipse consuevisset. Magnum, regibus etsi maximis, documentum, ut timere Deum discant, ne si nimium ferociant, & intolerabiles subiectis fiant, perditum se ipsi eant. Vix discesserat Christianus, quum Ioannes Frisius, Rantzoviusque Sunderburgum accedentes, de illius liberatione agunt. Et haec quidem capita pactorum erant: *uti regnis Daniae, Norvagiaeque illico renuntiaret; & ius etiam, quod in ista vindicare sibi posset, Christiano, ceu legitime electo, omni sine dolo traderet, atque eum Regem agnosceret. Inde in tres eius fratres, Ioannem, Adolphum, Fridericum ius haereditarium transferret totum, quod in agrum Slesvicensem, & Holsatiam competeret. Etiam profiteretur, ius in agrum Slesvicensem Daniae esse; ac Holsatici quoque feudi conferendi potestatem, quam non ita pridem sibi Caesar Carolus tribuisset, Episcopo Lubecensi restitueret; & imperium, quod competeret, abdicaret. Itidem & Svecia cederet, & haeredes in haec omnia obligaret: Qui deinceps, iam sublatis inimicitiis, quae cum regibus, ac Principibus, eorumque item subditis ad id tempus intercesserant, partis regnis, atque terris, alta in pace potirentur.* Horum vicem arcem Callundeburgensem in Sia-

CIƆ IƆ XLVI. Sialandia, Sebygardam, insulamque adversam Samum regis nomine pollicetur: Idque ita: *ut deinceps nihil amplius requireret, arcem vero, fide Regis Christiani, & ipsius successoris possideret, cui praeses, ac ministri item regii, sacramento obstricti essent: neque praesidem mutandum, nisi iusta quadam causa. Quod si fieret, alium e Danica nobilitate eligendum, idque rege adprobante: & in huius potestate arcem ipsam, ac colonos, eo pertinentes, fore. Illam autem post defunctum Christiernum regno rursum accessuram.* Ad haec itidem promittebat Christiernus, *nihil se, nec clam, nec palam, vel per se, vel per ministros unquam moliturum esse, quod cum regis, principumve detrimento iunctum esset. Neque extra praefecturae eius fines excessurum, sed pacate in Sialandia permansurum: neque quemquam ad colloquium, rege inscio, aut nolente, vocaturum: ac negotium si cum quoquam forte incideret, praesidem, quum id tractabitur, affuturum. Quae servanti, liberum foret, qua pateret praefectura, animum venatu iuxta, & aucupio, sive piscatu recreare.* Praeter ista Christiernus regna haec adfirmans libera, se fatetur, nisi per legationem electionem, ea pridem accepisse, & idcirco neque ulli filiarum, sive Palatini coniugi, sive viduae Lotharingicae, iuris aliquid competere: ut nec in Slesvici feudum, aut Holsatiae, quod in masculos devolvatur. Nihilominus pepigit utrique dotem, quam Ioannes olim pater in sorore Ioachimo Brandenburgico elocanda statuisset. De his omnibus quum utrinque convenisset, pollicetur Christiernus, rata etiam generum haec, filiasque habituras: ac quum dos soluta foret, in renuntiationem ab omnibus consensum iri. Neque mora: dat ad Palatinum literas, postulatque, ut testetur se, quae egerit, approbare. Is recusat, & obtendit, non sat ipsum sua libertate usum: quumque ille ostenderet aequas facti sui rationes, iterumque idem peteret, ne tum quidem acquievit. Nec Henricus Megapolitanus quicquam, nec Borussus, qui conati persuadere, profecerunt. Retrahebant, qui turbarum hactenus auctores fuerant, Albertus Megapolitanus, & Christophorus Oldenburgicus, vana eum etiam tum regni Danici spe lactantes. Ac paratae utrique iustae equitum, peditumque copiae: illi in sua ditione, huic in agro Scouwenburgico, quis Holsatiae imminebant. Nec haud ita longe aberat alius miles, quem in Monasteriensi dioecesi, Frisiaque orientali, ipse sibi Palatinus comparaverat. Quae rex postquam accepisset, denuo ad arma redit, & cum Cimbrico, ac Fionico equitatu, & peditibus, quos ex oppidis Slesvicensibus, & Holsaticis collegisset, illico ad Albim ducit. Quod quum hostis cognovisset, adituque se Holsatiae prohiberi animadverteret, neque tum traiicere ausus, mox dilabitur. Itaque metu liberatus Christianus, suos etiam dimittit. Quos conscribere Angli nomine, cui cum Gallo bellum erat, quum Conradus Penningus vellet, haud permisit. Nam utrique foederе iunctus, neutri ipse augere vires cupiebat; arbitratus, si subtraheretur miles, pacem citius inituros. Nec fefellit eum opinio; paxque haud ita multo post est constituta. Ceterum hostes, quos iam dixi, dum ad Albim consedere, experiri voluerunt, an Dithmarsos in societatem belli trahere possent. Offerebant illibatam libertatem, cuius eos cupidissimos esse norant, & inciderant, praeter veteres offensus, novae controversiae cum subditis regis, qui lesisse putabantur. Qua de causa magis etiam, ne ad hostes se adiungerent, metuendum videbatur. Verum missis Rendesburgum, & Chilonium ab utraque parte legatis, quum negotii magna pars transacta esset, caeteraque ad arbitrium trium urbium deferrentur, illi in fide permansere. Sic pacatis Daniae finibus, in Germania passim milites concurrebant: non stipendio principis ullius certi, sed, a Caesare comparari fama erat. Etiam Livoniae Magister ipse arma sumere in Borussum, & Antistitem Rigensem iussu Caesaris, uti vulgo credebatur. Id quum protestantes angeret, denuo Hanoveram [a], ac Luneburgum coeundum existimarunt, in commune consultantes, quonam modo eas copias aut distraherent, aut opprimerent. Misit illuc etiam Legatos suos, etsi itinere admodum periculoso, Christianus; neque quicquam, ubi omnes convenissent, magis expedire visum, quam ut vires sociarent, & exercitum item cogerent. Itaque statutum fuit, uti certum peditum, equitumque numerum foederatus quilibet suppeditaret. Verum Saxo, & Landgravius, quum a foedere Protestantium alienum Svecum esse accepissent, postulant a Christiano, ut Ioannes, & Adolphus, eius fratres illi quoque nomen darent: tum & demittendo tempestive auxilio, quod ex foedere tenebatur, quando ipsi, ad defensionem suam, copias iustas conscripsissent, interpellant. Neque is negotium differt; sed Ioannem Barnecovium ad utrumque fratrem mittit, qui id sedulo persuaderet. Sed, ut amicitia cum infelicibus vix contrahitur, sic inciderant illa tempora, quae non parum deterrebant; maxime quod auxilium praesens, tam ancipiti rerum statu, exhibendum videretur. Neque etiam Christianus, quamquam pius, & Religionis amans; quantum quisquam, suum in Protestantes studium declarare satis poterat. Etenim vetabat foedus, quod cum Caesare contraxisset; itaque consiliis, quam armis pacem adiuvare cupiebat. Svecus vero, fiduciae nimius, & non ita pridem eos aspernatus; nec quum urbibus Vandalicis, quarum querelae Calmarniae disceptatae fuerant, pacem adeo expetebat; & Legatos earumdem sic dimiserat, ut incerti amicitiae suae essent. Prius tamen, quam in eas aliquid moliri vellet, quod

[a] *Denuo Hanoveram*) De hoc conventu, in quo Rex Christianus III. tanquam Dux Holsatiae, fuit declaratus Dux, & Capitaneus Saxoniae Inferioris, legantur consociationis Pacta, vulgo *Recessus*, in Goldasti *Constitutionibus Imp. Tom.* 2. *pag.* 233.

CIϽ IϽ XLVI. quod ex foedere tenebatur, quaerit, ecquid Christiano videretur. Isque animum ira ardentem, & in bellum cum Vandalicis propendentem, mitigare quavis ratione nisus, adhortatur ut consideraret tempora; *adeo periculosa, ut timere omnes debeant, quo, quae impenderent, mala tandem evasura essent. Forsan fore, ut ad mentem Lubecenses saniorem revertantur; & spe, quam in Palatino collocaverant, intercepta, pacem postulatum veniant*. Sic dilata, suasu Christiani, ultio, quae a Sveco in Lubecenses parabatur. Per id tempus Christianus, continentibus tot annorum expeditionibus fessus, quum aerarium bello ultra non sufficeret, Svecum, aliosque urget, ut pecuniam, quam debebant, redhiberent. Tum necessitas expressit, ut tributum ordini Ecclesiastico, hactenus inusitatum, imperaret. Ac coenobiorum quidem, quae supererant, partem tertiam redituum praesides inferre iussit. Idem & Collegiis sodalium sacrorum indictum. A ministris Ecclesiarum quarta pars exigebatur. At quae templis reparandis destinata, horum medium tribuendum: plebem rusticam, & urbanam placuit immunem esse ob annonae caritatem. Cui rex ut subveniret, vetat primo, ne frumenti aliquid e Dania exportaretur, nisi quod paratum foret permutatione salis: inde vero ne omnino quicquam exportari posset. Quis edictis, quum Germani, maximeque Lubecenses, graviter offenderentur, & obtenderent privilegium, quo cum Scaniae rusticis negotiari consuevissent, placide legatis horum respondit Christianus: *rem nunc ita ferre; caeteroquin morituram fame plebem: Nec in Lubecenses tantum id statutum, sed in alios item quosvis, privilegiis ipsorum nihil derogatum velle; quibus, quum permitteret caritas, denuo inviolatis fruerentur*. Insuper ceu bonus Rex, & pater populi severissime edixit, ut provinciarum praesides darent operam, ne inculti colonorum agri essent; sed sementem regio e penu ipsis exhiberent, postea tantundem messe meliore recepturi. In mendicos, quorum magnus erat numerus, constitutum, uti nemo horum loco censeretur, nisi qui, aut corpore, aut annis debilis ad laborem ineptus esset; caeteri ad operas redigerentur, uti victum manuum labore quaererent. Habita etiam ministrorum Ecclesiae cura, praesidesque, & Episcopi iussi inquirere, num suppeteret, unde, se familiamque alere possent: Quis deesset, his ex publico largirentur. Tum privatim Rex munificus miseris subveniebat, & exemplo eius plures ex nobilitate regni, civiumque item ordine, inter quos Georgius Coquus, quem & Monetarium nonnulli dicunt, urbis Malmogiensis Consul, reliquos omnes superabat. Is quotidie centum egenis nummum unum, quo sufficientem sibi panem emerent, erogabat, quodque in inopia publica tunc incepit, postea testamento cavit, ut deinceps servaretur destinata ad id pecunia, quae continuandae rei satis foret. Nec hoc tantum in illo viro praedicandum, sed & istud, quod conditionem suam supergressus, animum ad curiam Malmogiensem extruendam comparaverit, ut artifices, operaeque, hoc labore occupatae, vitam honeste tollerarent. Inter haec exactus annus: CIϽ IϽ XLVII. Proximo erupit bellum, quod in Protestantes Caesar instruebat. Causam ille non religionem haberi, sed rebellionem, voluit: itaque iuverunt quidem, qui religionem tamen reformatam hactenus professi fuerant. Verum foedus, quod cum Papa Caesar fecerat, & illius ad Helvetios Legatio aliud suadebant credere. Antequam ad manus tamen veniretur, ab utrisque Christianus literis interpellatur. Caesar quidem, qui id bellum multo difficilius futurum esse praevideret, si ad Protestantium partes Christianus se adiungeret, serio rogat, ut Spirensis meminisse foederis vellet: se vicissim nulla ab hoc ratione discessurum, nec in Daniae perniciem unquam quicquam moliturum. Christianus, cui nihil fide prius, Caesarem securum esse, & adversi expectare nihil iubet. Saxo vero, & Landgravius contra in iusta arma Caesaris, quae is in perniciem religionis induisset, debitas ex foedere suppetias efflagitabant. Illis vero respondere Christianus multo rectius videri, si negotium sine armis transigatur; nam ut iusta belli causa videatur, tamen multa illud mala comitari, itaque suadere pacem, & hanc adiuvare velle. Sed auxilium, quod petebant, nullo modo ferre posse, foedereque, quod cum Caesare pridem Spirae iniisset, prohiberi. Si praeterea aliquid queat, quod privatis horum rebus, aut religioni etiam, pro quo mori non defugiat, expediret, nusquam ipsis defuturum. Sed urgebant fata sua eos principes, alioquin circumspectos, ut propositi pertinaces, in exitium suum ruerent: ideoque nec consilia Christiani admittebant. Quin auxilium magis etiam flagitabat, parum memores, pari iure responderé ab eo posse, quod non ita pridem ipsi, quando Caesare adhuc hoste utebatur, respondissent, *causam illam nihil ad religionem, cui protegendae foedus factum esset, pertinere*. Quo responso Christianus apud alios utebatur, quibus reddere rationem, cur auxilium denegasset, cupiebat. Ipsos vero hortabatur, *ne in casum se exponerent, neu fortunam semper lubricam, & in bellis maximopere inconstantem ultimam tentare vellent. Etenim religionem, quam tutandam proposuerint, sanguinis minore impensa, ac salute cum ipsorum certiore, collocari in tuto posse*. Sed consilia quamquam illa nil omnino apud eos valuere, & auxilia Christianus nulla daret, tamen pro Germania totius pace per legatos Caesarem interpellavit. Ii erant, Ericus Bannerus, regni equitum tribunus, Eschillus Billius, Ericus Crabbius, Petrus Suavenius, Casparus Fuchsius. Qui quum Caesarem Noribergae convenissent, iussa exponunt, ac potissimum pro Saxone, & Landgravio deprecantur. *Vt ab illis bellum abstineat, atque, si quid deliquissent, id componi ex aequo, & bono patiatur: Rectius Germaniae pacem illibatam servaturum, ut in* Tur-

CIↃ IↃ XLVII.

Turcam expediri arma possent; cui viam ad invadendum orbem Christianum aperiat, si offensam persequatur. Ad clementiam usitatam animum verteret, neque irae, quamvis iustae, se submitteret: Tum victoriam multo omnium maximam esse, si semet vincere cogitaret. Hinc exponunt, quid in causa Christierni Gallus pariter, & Anglus dari sibi postulassent, quidque in ea actum esset, *& obstare unum tantum Palatinum, atque pacem impedire: apud quem si intercedat, & auctoritatem suam interponat, ex officio facturum.* Ac postremo de Bremensi Archiepiscopo conqueruntur, *eum spem successionis fratri regis Friderico sua sponte obtulisse, quam collegium ordinesque datis in rem istam literis, confirmarint; nunc contraria quaevis facere, varieque expectationem eludere, nec occasionem tamen ullam datam, sive ipsi, seu collegio, aut ordinibus dioeceseos, cur sententiam nunc mutarent, ac promissis stare nollent, id persuasum ei se magnopere velle, ac sperare minime adversaturum illum esse.* Ad haec Caesar: *belli caepti nullo modo se auctorem, sed id Saxoni, & Landgravio imputandum: qui Imperii postquam partem haud ignobilem alienassent, integrumque hactenus corpus divulsissent, gravem iniuriam intulissent, nec eorum pervicaciam, seu benigne admonendo, sive acriter increpando coerceri potuisse, neve a consiliis rebellionis dimoveri. Quam ob causam, ut auctoritas sibi sua, & imperio decus constet, necessario ea vindicatum ire. Absque isto bellum nemini illaturum: nec religioni quicquam a se metuendum esse, in quam gravius nil statuere animo proposuisset, sed Concilio rem permittere; ac sperare, eius mox auctoritate, & prudentia, publicam Ecclesiae tranquillitatem reducendam. De negotiis vero ceteris nihil agere se posse, propter bellum quod instaret: haud haec tamen, simul illud finiset, neglectarum.* Inter ista copiae Caesaris postea quam Wittembergicus, & Germaniae superioris civitates, ad obsequium transiissent, in inferiore Saxonia Lippiensem, Teccelburgicumque Comites, tum & Mindam, & Osnaburgum, iussa facere coegerunt. Ac iam Bremam usque venerant, obsidere eam certae. Quod ut gnarum Christiano, quanquam etiam incerto, quo res tenderet, mittit nuntium, qui tribunos, & ductores scitaretur, cuius bellum auspiciis gererent, ac quis hostis haberetur. Quumque Caesaris mandato, qui Bremenses, ceterosque perduelles ad obsequium cogi vellet, geri cuncta accepisset, ut in medium consuleret, arbitrum se illi offert, ne aut patriam Germaniam sanguine isti maculent, salutem illi suam, bello temere capessendo, in periculum vocarent. Ponit aequas pacis leges, & clementiae Caesareae exempla refert, quibus hi ad veniae spem erigerentur, & ad Caesarem imitandum alii adducerentur. Neque deerat pacis studium: nisi quod ad Caesarem duces referenda omnia existimarent. Qua de causa intercedens apud eum Christianus, id Bremensibus impetrabat, uti Caesar rem componi pateretur. Ac transactum demum cum his, quibus id negotii a Caesare mandatum erat Christiano, per legatos, Bredonem Rantzovium, atque Theodorum Blumium, causam urbis adiuvante. In discrimine eodem Hamburgenses versabantur, adeoque rebus suis metuebant, ut & fossa latiore urbem cingerent, moeniaque obsidioni sustinendae repararent. Succensebat illis Caesar, cum quod pridem foederi Smalcaldio participassent, tum quod sociis Bremensibus copias auxiliares submisissent. Sed his quoque, deprecante Christiano, gratia delicti facta; ita tamen, uti ipsi, quae in Caesarem admisissent, mox ad genua provoluti, condonari supplicarent. Ac ea evenere, quum Bremenses obsidione liberatos, & a foedere discessisse, accepere protestantes, & iniquo admodum ferentes animo, mittunt Albertum Mansfeldium, qui exercitum in hos duceret, ac, si posset, denuo in foederis societatem armis cogeret. Isque pace res compositas iterum turbat, obvia quaeque ut Bremenses perterreret, populatus. Verum illi, haud ignari, aegre pacem impetratam, potius obsidionem tolerare statuerunt, quam ut Caesarem, vix placatum, iterum in se concitarent: placuitque Christiani, quem amicum experti erant, operam rursum implorare: isque mox per literas Mansfeldium rogat: *cuius illae copiae essent, qui Bremenses infestaret. Quod si belli iusta quaedam causa foret, eam posse apud arbitros disceptari; operam se daturum, uti laesis quovis modo satisfaciant. Ad se aliquatenus rem pertinere, quia fratris Friderici dioecesim hanc futuram aliquando spem foveret: itaque iniuriam, si quis Bremensibus, aut vim intentare velit, minime dissimulare illud posse.* Quum contemneret Mansfeldius, & Bremenses porro etiam divexaret, ocius auxilium cogit, & submittit. Addunt suas copias collegii sodales sacri, ordinesque dioeceseos, ac discere detrectantem vi contraria propulsant, peditumque signis quatuor profligatis, commeatum quoque capiunt, Fordae arci destinatum. Quae dum in Saxonia inferiore peraguntur, in superiore Saxo, post infaustam pugnam captus, totam Protestantium fortunam evertit. Ac damnatum perduellionis Caesar severissime vindicare constituerat. Verum precibus Christiani, & Septemviri Brandenburgici, ea lege gratiam delicti fecit, ut victoris voluntati se permitteret, ac, quas ferret, conditiones haud accipere detrectaret: eo pacto, vitam donat, sed captivum porro servat. Isto foedere Caesar etiam Christiano, quem iam, fide explorata, inter primos amicorum reputabat, cautum voluit. Tum Landgravium item iuvat, & impunitatem illi per legatum, qui tunc ibi agebat, parat. Caesar vero profligatis Protestantibus, dum ad Wittebergam sedet, Vlmam ordines Imperii convenire omnes iubet. Ac legati quoque eius, quos comitiis praefecerat, binis Christianum literis eodem vocant. Sed, quod illae serius adlatae essent, quenquam istuc ablegare impeditus, & absentiam excusat, & ostendit: *haud se foedus detrectare: verum ut Germaniae restitui pax sua possit,* neces-

CIↃ IↃ XLVII.

necessarium etiam arbitrari: Cui rei si deinceps tempus aliud designetur, minime se defuturum. Nec gravate admittebat excusationem Caesar, maxime quum exorta pestis mox comitia perturbaret. Postea vero, quum Augustae denuo indicerentur, & ad ista iterum Caesar Christianum invitaret, nil cunctatur, & Suavenium ablegat, qui obiret partes suas: fratres autem, Ioannes, & Adolphus Claudium Rantzovium (a), & Benedictum Sestedium mittunt. His mandatum, *ut in ceteris voluntati Caesaris obsequerentur, sed Holsatiae tributum, necdum hactenus persolutum, quoquomodo excusarent: simul rationem dicerent, semper immunem fuisse; nec in vivis quemquam esse, qui contrarium meminisset: idque etiam inquirendo certum plane compperisse. Etiam in affinem Caesaris, Christiernum, feudi conferendi ius transcriptum esse: quare quum dissidium gravissimum exortum foret, impeditum, ne tributum penderetur. Verum eo iam composito, de sententia Electoris Brandenburgici Ducis Megapolitani, presulisque Raieburgensis, ac decreto, ut Episcopo Lubecensi, cuius fuerat, haec potestas permaneret, nullam ultro causam dicere, quin cum reliquis ordinibus onera Imperii ferat; sed iniquum nimis esse, quod exigitur. Nam Holsatiam, quam maiores paulo ante Comitatus solum titulo possedissent, Electoriae ditioni adaequari, nullo modo aequitati consentaneum. Etenim Slesvicum oppidum, ac subiectum illi agrum alieni iuris esse; Daniaeque, non Imperio, subiacere: tum exemplum & Hamburgicum, quod praeter Holsatiae Duces, nullum dominum agnosceret: ideoque nec seorsim aliquod tributum illi, nisi cum iniquitate maxima indici posse. Has aequissimas rationes quum procuratori fisci Imperialis ante hac exposuissent, nihil tamen valuisse, & sententiam nihilominus, quam pronuntiassent iudices camerae Imperialis, eum persequutum esse. Petere ergo, ut ulterius persequi prohibeatur, donec, causae aequitatem Principes quidam, quibus id negotium demandaretur, cognovissent.* Ac legatis fratrum quidem nomine haec imperata. Sed Suavenius separatim agere in Valdenfeldium, Caesaris severo edicto in ius vocatum, iubebatur: tum potestas ei data, foederis cum Caesare constituendi, si qua ad Imperii pacem expedire videretur. Atque de tributo quidem sic responsum, ut spes aliqua moderationis fieret: Verum ducibus imperatum, ut a Caesare feudum Holsatiae intra sextum mensem acciperent; ita tamen, uti suum persequi ius quisque posset. Valdenfeldius quum iudicium subterfugeret, novo edicto mox proscribitur. De constituendo foedere, quod petitum Vlmae fuerat, nihil actum, Palatino, ut putatum, ne in id adscisceretur, Christianus, dissuadente. Is initio, simulatque acceptisset, iam cum socero transactum, mittere legatos suos, Gallicis Anglicisque iunctos, constituerat, & in hanc rem commea-

tus literas a Christiano postulaverat, ut sententia Christierni intellecta, pristinum dissidium componeretur. Verum, a proposito iam alienus, rem omisit. Gallum, qui per literas se idem velle indicaverat, valetudo prohibebat: Anglus iam Flensburgum miserat, qui negotium adiuvaret: sed quum nemo a Palatino missus esset, nihil actum. Paulo post uterque Regum vita excedit. Quae an vera causa fuerit, cur a pace alienum Palatinus animum sumeret, an instinctu aliorum, inimicitiam sibi retinendam duxerit, inter plures dubitatum. Certe, antiquus Daniae hostis, Oldemburgicus, qui tum Bremae commorari, non obscure praesetulit, suo suasu Palatinum nova quaedam agitare. Et Cniphusii consilia, in Embdano territorio, haud pacata apparebant. Itaque quum Christierno per Bertramum Anefeldium Christianus haec iussisset, isque iussa executus, omnia exposuisset, Christiernus libertatis suae cupidus, quod consulto generum extrahere tempus animadverteret, denuo instantius hanc illi causam commendare e re sua esse duxit. Nec abnuere Christianus, cuius tanta apud Caesarem gratia erat, ut conciliare pacem universis, qui offenderant, facile posse crederetur. Ea propter Pomeranus, quia pridem foederi Smalcaldico se adiunxisset, ideoque Caesari invisus esset, ne infestis item armis peteretur, adhibet deprecatorem, obtinetque, quod rogabat, etsi palam mox ingratus erga Regem, subditosque. Etenim Axilius Brahaeus e primaria Daniae nobilitate, quum ab eisdem circumduceretur, nec ius suum apud magistratum loci pessime dissimulantem, impetraret, Christiani implorare opem cogitur, & in freto Oritano, ad iniuriam vindicandam, ac resarciendum damnum naves sistere. Quumque duces intercederent, & repulsam aegre ferrent, aliquid de pristina benevolentia, quamquam occultata offensa, remisere. Quin & questi Stetinenses privilegia, quae priores Daniae Reges concessissent, violari: Queis responsum: *non idcirco ea data, ut ulcisci iniuriam prohiberentur.* Quae dum fiunt, Oldenburgicus misso Ioachimo Mollero, certum reddit Christianum, Monasteriensem Episcopum bellum sibi arcis Delmenhorsti causa, intentare, ac suppetias ferri petit. Atque ille bono animo esse iubet; inde re deliberata cum senatu, mittit, qui negotium componere possint. Hi, quum Oldenburgicum prius, ut ferebat viae ratio, accessissent, iam receptam arcem, de qua bellum institutum, compperere. Itaque hortari eum, etsi initio victorem, ut pecunia, pretiove quovis alio pacem redimat, multo meliore hanc conditione habiturus, quam si mox fortuna belli, ut incerta est, se inclinet, aut omnino adversetur. Illud plane expedire. Quod si eam hostis nolit, aut ad arbitros admittendos adigendum, aut iudicium curiae Imperialis implorandum, ut ab armis discedatur.

(a) *Claudium Rantzovium*) Cragius Nicolaum Rantzovium vocat rectius. Sed Meursius receptum apud nostrates morem imitatur, quo nomen proprium vernaculum *Claus* vel *Claes* solent latino illo *Claudii* exprimere, ut scilicet distinguant ab altero vernaculo *Niels*, quod semper *Nicolai* illo in latinis redditur. Sed revera *Claus* ex *Nicolao* est per aphaeresin:

CIƆ IƆ XLVII.

tur. E re quoque arbitrari, uti Caesar adeatur, ac rogetur, ut auctoritatem suam interponat: tum auxilium, si res poscat, ab Henrico Brunsvicensi postuletur. Haud gravate id consilium Oldenburgicus & admittit, & deinceps se futurum in potestate Christiani pollicetur. Verum Monasteriensis, arce amissa, irritatus animum a pace averterat. Itaque negotii plus illic fuit, graviterque compellatur. *Bellum, quod cum Oldenburgico intercederet, si componi permisisset, ex officio facturum fuisse, idque multos viros principes summo studio exoptasse. Sed in causa ipsum esse, quo minus iam pridem amice sit transactum, qui renuntians conventis, tempus dictum neglexisset. Ea propter etiamnum in commune cupere consultum utrique, uti causam arbitris committant potius, quam ius armis persequantur. Non id recusare ipsum recte posse, neque aequitate niti, quando universis constet, arcem illam decessores per vim captam tenuisse: contra vero Oldenburgicum, & maiores item eius a Caesaribus accepisse, & ipsorum beneficio possedisse diutissime. Itaque quod vi nunc ipsum depulisset, iure factum arbitrari. Quantum autem, si recuperare eam armis tendet, sit negotii habiturus, minime se ignorare. Itaque auctores esse, ut aut iure potius experiatur, aut benigne componendam controversiam arbitris permittere velit. Id futurum gratum Caesari, & Mariae Belgii gubernatrici: aut daturum quoque operam Christianum, ut laesae parti, quantum ius, & fas permittat, satis fiat. Qui, ni armis abstinere inducat animum, adiuvare Oldenburgicum teneatur. Quippe & propinquitate obligari, & ius feudi in eam arcem ad familiam item suam pertinere.* Ad haec ille haud placatior respondere, *rem Imperii hic agi, & ad Caesarem referri, antequam constitui quid a se posset, oportere: eo enim inconsulto, si quocumque demum modo transigatur, causae publicae praeiudicium haud exiguum futurum.* Sic legati, re infecta, mox ad regem revertuntur. Per eosdem fere dies renovata controversia super feudo Slesvicensi, quae cum regis fratribus exorta pridem graves motus excitaverat. Illi aliquoties conferri id sibi postularant. Rexque etiam, ac Senatus eo animum inclinabant, ne deinde turbae principi in aetate iuvenili constituto, patre mortuo, crearentur. Iamque eo res devenerat, ut conciperetur formula, in quam duces regno Daniae iusiurandum exhiberent. Quae quum minus placuisset, ac conditiones esse nimis graves viderentur, missi Ivo Reventlovius, & Benedictus Sestedius, ut pleraque mutarentur, impetrarunt. De ceteris promittebatur, facile conventum iri, simul regem duces ipsi accessissent. Inde dies atque locus ad solemnia, quae in feudo conferendo usitata, constituti. Iam Coldingam, postquam dies advenisset, Duces venerant, ac Rex item cum Senatu, & Nobilitate plurima, quum dissidium novum oritur. Rex volebat, uti regno per hoc feudum iungerentur, ac ceu membra eius fierent, atque onem etiam ferre tenerentur. Illi autem feudum quidem a Rege accipere nullo modo recusabant, verum tamen regno inseri, & debere ministerium qualecumque detrectabant. Quumque disceptando magis gliscerer contentio, non petito commeatu, Duces abeunt. Eo facto, Rex offensus, seu vindictam cogitaret, seu necessitas Reipublicae ita ferret, militem scribit, & militiae nomen dare decimum e plebe rustica quemque cogit. Quam ut sublevaret tamen, tot annorum exactionibus pene exhaustam, statuit usurae modum, & edicit, ne quis ultra decimam sextam sortis partem quicquam caperet: dicta poena, qui delinqueret, uti sorte, & usura mulctaretur. Tum permittit pridem vetitum, ut annonam exportare quivis posset. Ineunte anno proximo, quum per literas ad comitia Augustana, quae indixerat blande Caesar, Christianum invitasset, multa ille per legatum felicissime ibi gessit. Nam tributum Holsatiae Ducum, de quo frustra toties actum, ut dimidio minus esset, impetravit. Quod restaret, expendendum circuli Saxonici ordinibus relinqueretur, queis exactio tributi nomine Imperii mandata fuerat. Itaque his rationes suas reddere iubebantur. Quamvis autem de tributo Caesar illud indulsisset, tamen haud adduci potuit, ut conferri feudum Holsatiae ab Episcopo Lubecensi, sicut antea usitatum, pateretur, & omnino ut a se acciperetur intra proximum semestre imperavit; ita tamen, ut res ea nemini praeiudicaret. Ac ne Regis amicitia nil tribuere videretur, id concessit, uti per legatos fieret, si adesse Duces ipsi gravarentur. Tum negotium, quod cum Palatino erat, Caesari item commendatum. Isque fecit ut reciperet Palatinus, iterum ad socerum se Christiernum legaturum, modo, qualem ipse vellet, commeatum obtineret. Itaque & missa formula, Christiano cognoscenda. Quippe iam ad pacem magis Palatinus inclinabat, quum videret, multa se tentasse frustra, nec spem sibi prolis masculae ullam esse. Sed quod ad tributum attinet, quamquam Caesar in hunc modum minuisset, tamen magis in illius gratiam acquievere, quam quod aequum etiam tum istud esse videretur: quum vel sic Holsatia nihil infra Saxonis Electoris ditionem censeretur. In hanc rem ad Electorem Maguntinum datae literae, ac petitum, ut negotium sibi istud commendatum esse vellet. Insuper quum ordines Saxoniae mox convenissent, rursum ab Antistite Magdeburgensi, & Henrico Brunsvicensi postulatum, ut Holsatiae rationem iustam haberent, & tributum par imponerent. Verum ordines in sententia, quae a Caesare pridem lata, perstiterunt. Mox de feudo Holsatiae accipiendo, Caesari obtemperatum; ac Bruxellas missus Fuchsius, uti facienda faceret. Christianus feudi Holsatici conferendi ius remiserat, quod a Caesare sibi, & haeredibus datum. Cuius rei quum exemplar Fuchsius exhibuisset, Caesar illud antiquavit. Verum quum de iure praesulis Lube-

CIƆ IƆ XLVIII.

CIϽIϽ XLVIII.

becensis ageretur, id differri aliud in tempus placuit, & Imperii ordinibus cognoscendum reservari. Inde, praestito iuramento, trium Holsatiae Ducum nomine feudum traditur, literisque, confirmatur. Haec ut laeta Christiano evenere, ita quoque Annae filiae matrimonium, quae Augusto Saxoniae duci postea etiam septemviro, elocata. In connubialibus pactis serio Christianus caverat, ne Augusto in haereditatis partem a parente erciscunda, aliquid tribueretur, quod Ioannis Friderici, tum captivi, censeretur. Datum illud amicitiae pristinae Christianus voluit: indecorum sibi ratus, si ex spoliis adeo afflicti Principis, & eiusdem necessarii, filiae suae, generove quicquam accederet. Ante vero, quam ad sponsum filia in Misniam deduceretur, Fridericus, filiorum natu maximus, qui in Dania a sexennio princeps declaratus fuerat, in Norvegiam proficiscitur, & Asloae regni haeres designatur. Constituerat ipse eo Christianus navigare, uti ordines sibi praesens sacramento obligaret, & superiore anno hac de re ad Norvagos mandata dederat: sed consulto id mutaverit, an sufficere filii peaesentiam duxerit, an coniugio, quod ex improviso (a) obiectum, etiam impeditus fuerit, ignoratur. Gratus certe Fridericus cunctis fuit; & successor in hoc Regno, si quandoque vita pater fungeretur, ab ordinibus universis publice renuntiatus, summa omnium laetitia iuramento confirmatur: ac vicissim, iura regni quaelibet, & privilegia, ut in talibus usitatum, se illaesa servaturum pollicetur. Quum in Daniam rediisset, indicatum Regi fuit, vim materiae ingentem undequaque ex Norvagia in Europae varia loca exportari, ita ut ad vastitatem nemora redigerentur. Illud malum ne exitiorum tandem regno foret, illico edicto vetitum, ne materiam quisquam ullam, nisi in Daniam, eveheret. Qua in re quum nemini iniuria fieret, Belgae tamen, alias ob vectigalia freti Oritani infesti, apud Caesarem conqueruntur. Isque Christianum rogat datis literis, ne ad aureum rosatum (b), quem adpellant, intra fretum persolvendum, Belgas obligatos velit; tum aboleat quicquid praeter consuetudinem contra inita pridem foedera irrogasset; denique, quod de materiae exportatione nuper edixisset. Ac de istis sat prolixe mox disceptat, ut quod vellet, quasi rationibus quibusdam evinceret. Christianus, qui libenter mentionem foederis videret factam, sic respondit, uti nihil abs se actum contra illud testaretur, ac paratum porro etiam servare. Inde rogat, uti idem Caesar faciat. *Quod quaerelas attineret, nihil esse, cur se ipse fatigaret. Neque enim in Dania iniuriam ullam Belgis factam, sed collatum beneficium, quum praeter Vandalicarum civitatum voluntatem, quae commerciis Bergensibus prohiberi eos omnes cupiebant, suo ipsos patrocinio adiuvisset. Nec qui perperam retulerint, iura vectigalium novisse satis; quippe dudum hanc monetae rationem usitatam; nec ipsius tantum subditos, sed & alios, qui commercia in his locis exercere consuevissent, hac teneri. Id testari in proclivi, non Belgarum dumtaxat confessione, qui per fretum navigare consuevisent, sed & rationum tabulis, quae, superiorum Regum tempore scriptae, adhuc exstent. Nihil novi portitori regio iniunctum esse; neque hactenus navigantes solvere ea, ut solebant, detrectasse. Contra vero, quantum onera vectigalium aliis in regnis creverint nullo modo ignorari, nec eorum uspiam immunes Danos. Qua de causa, si in Dania etiam nonnihil aucta, nil iniqui id habere; maxime cum multo alibi graviora exigantur. Nam quod eximi vina Gallica Belgae velint, nullam rationem esse, nec fuisse unquam libera: sed eamdem quaevis legem habuisse. Quod obiiciat, concessisse immunitatem Christiernum, hanc constare ad breve tantum tempus datam, & redemptione quadam. Quod exemplum si in usum verteretur, multo gravius mercatoribus eventurum, mox cogendis, quum voluntas Regis ferret, aut necessitas postularet, uno tempore magnam vim pecuniae repraesentare. Id parentem noluisse, sed antiquam consuetudinem, quae nunc etiam servatur, revocandam censuisse. Quod materiam exportare vetuiset, id necessitate factum, ac republica exigente, non Belgarum ullo odio. Nam excindi passim silvas, & vastari, rusticisque quod faciliore opera ligna caedant, agros suos deserentibus, & inculta ideo terra, reditus haud parum minui. Neque solis iis haec interdixisse, aliisque permisisse; sed nec subditis licere quaemquam robora exportare. Nam de illis tantum cautum. Itaque non ferendum, quod perpetuum esse nollet, sed, quum sic res suae ferrent, revocare statuiset.* Hoc responso postquam Caesari satis factum, Oldenburgico, intercessione sua, Christianus Caesarem aequiorem reddidit. Etenim tam graviter ille, ob ademtam Monasteriensi arcem Delmenhorstum, succensebat, ut severo interdicto, etsi causa nec dum cognita, restitui eum in possessionem vellet. Ac parata Oldenburgico poena erat, ni fiducia amicitiae deprecatus, ac ius quoque illic suum, & familiae verti obtendens, ita ipsum mitigasset, ut differri pateretur; dum iudicio legitimo, aut cognosceretur causa, aut ab aequis arbitris componeretur. Inter ista in Estonia, iuris Danici provincia, Christiano cum Magistro ordinis Livonici contentio exorta fuit; quae, accensa partium diversis studiis, haud a bello procul aberat. Quippe quidam Remlingrodius, quum a Christiano pridem feudum, Colchium dictum, accepisset, ea lege, uti prius aliqua pecuniae summa ius redimeret, quod Ioannes, sacri Collegii Decanus, Regis sui beneficio acquisiverat, ille autem cum Revaliensibus, & aliis, invisus esset, multis modis de possessione sua deturbatus, damnum quoque non exiguum passus fuit. Ac, pecuniam quum Decano, quam debebat, exhiberet, is, recedens

(a) *Coniugio, quod ex improviso*) Sellicet filiae illo cum Augusto Saxoniae Duce, cuius nuper meminerat.

(b) *Aureum rosatum*) Nummi aurei genus. Cragius *pag.* 307. *quae a rosa nobili nomen habent.*

dens a contactu, arcem venditam, fortius per vim effractis, illam invadit, istas rumpit, & expilat. Adiuvabant etiam Revalienses quidam facinus, odio in Remlingrodium. Christianus, uti causam adeo aequam tueretur, & servaret beneficium, quod contulerat, a Magistro ordinis petit, ne Decani sibi subditi, petulantiam impunitam pateretur, utque contra manifestum tam enormis sceleris reum Remlingrodio ius diceret. Potestatem tamen facit, si id magis expedire videretur, uti, eo in possessionem suam restituto, ex aequo, & bono controversiam componeret. A Revaliensi quoque Magistratu postulabat, uti in affines culpae animadverterent; nisi ipse sceleri participasse credi vellet. Sed haec frustra Christianus conabatur; & Magister, in Decanum palam pronus, magna eum cum fiducia, ceu flagitii immunem, tuebatur. Ac Revalienses item, odio privato acti, & ad facinus conniventes iudicio elabi reos permittebant. Christianus, ubi & illudi laeso, & contemni voluntatem suam videt, evocat ad se Decanum, & cognitionem causae sibi sumit. Etenim sic statuebat, qui quocumque demum modo, feudum regium invasisset, eum etiam teneri iurisdictione Danica. At Decanus qua audacia facinus patrarat pridem, etiam mandatum spernit, & proterve insuper convitiatur. Nec modestius magister: pergit in tuendo reo, ac suam illam iurisdictionem dicit. Tum ius Regi facere controversum audet, & iudicii supremi per provinciam universam sibi itidem potestatem vindicare. Redarguere quidem illum Christianus, & ostendere: *in Livoniae eam partem, aliasque item plures Daniae Regibus, ius paratum armis esse: atque Regum decessorum beneficio in magistrum id translatum; ita tamen, ut dominium sibi summum reservarent. Ideoque non Magistros recte eius unquam quicquam usurpasse, nisi Regum Danicorum indulgentia, a quibus si quid concessum, aut neglectum, id in Regni praeiudicium nullo modo verti posse.* Sed Magister quum nil istis moveretur, nec omitteret contumaciam, indignatus Christianus, ni pareret, ultionem comminatur. Quam parabat, quum Magistrum anno proximo opportune imminenti infortunio mors eripuit: & successor aequiore mox responso Christianum mitigavit. Haec & alia animo Magistrum hostili in Christianum admisisse credebatur, quod is perdere Rigensem Archiepiscopum conantem, uti urbe potiretur, abstinere a proposito coegisset. Vnde etiam cum Borusso, quamvis mortua sorore, quae huic nupta nuper fuerat, vinculum affinitatis dissolutum videretur, maior amicitia fuit, quod Magistrum ipse quoque invisum haberet: quin & tantum huic tribuit, uti, ad exequias Poloniae Regis Segismundi profecturus, terras suas, si quid illis per absentiam moveretur, eius fidei commendaret. Quae dum fiunt, in Holsatia Wilstermarsi turbavere. Nam Sivardus Brentlovius, praeses regius, postquam operas solito frequentiores exegisset, ac nonnullos recusantes castigasset, ii in tumultum exciti, & adorti ius dicentem, mox depellunt tribunali; tum ministros, quis in poena inferendi usus erat, secum adducunt. At tumultus complices plerique fuerant, & audaciam sociaverant: uti fidem, & obsequium, pauci quidam retinerent. Christianus, id quod erat, laesam maiestatem ratus vindicare factum statuit. Verum illi quum ad sanam post haec mentem rediissent, poenam, quam se meruisse sentiebant, precibus anteverterunt. Ita tamen, ut indiceretur mulcta, decima sexta pars bonorum, certis Regi pensionibus exolvenda, oneraque nihilominus iuxta alios toleranda. Insuper, renuntiare privilegiis iubebantur, ne deinceps, horum obtentu, ab obsequio se subtraherent. In quae postquam supplices in genua procubuissent, veniam obtinuerunt. Vix sedatus hic tumultus, quum mox gravior in Islandia excitatur: difficilior componi, quo remotior. Initia superiore anno coepta inter Episcopos; quos religione a se dissidentes illa insula tunc habuit. Vnus enim Ionas Arnoldius [a] dioeceseos borealis Holsensis Antistes, ritus, in Ecclesia Romana dudum usitatos, retinuerat, neque, licet iussu praesidis, Regia auctoritate id mandantis, nullo modo adduci poterat, ut mutaret: alter praesul Scalholtensis, Martinus Ennoius [b] protestantibus addictus, horum dogmata, ritibus veteribus exterminatis, sua illa in dioecesi summis viribus propagabat. Ex dissidio animi dividebantur, ut cuique de religione sensus. Iustior plerisque autem visa causa Scalholtensis: sed Holsensi qui favebant, immodestius agitabant. Ac discrimen illi vitae impendebat, ni mature in Daniam se contulisset. Quo ut venit, universa Christiano re exposita, & doctrina explorata, is tutelam pollicetur, ac repetere Islandiam sine cura ulla iubet. Addit litteras, quis severe se ulturum comminatur, si qui reduci vim facerent. At Holsensis, ad dicendam in Dania causam fide publica evocatus, tantum aberat ut pareret, uti iam magis asperatus contra Scalholtensem insurgeret: quin, contempta regia auctoritate, cum seditiosis aliquot, improviso nihil expectantem invaderet. Iamque aemulo oppresso, pro libidine dominari, & religionem antiquam vindicare sibi certum omnibus testatum volens, regiam potestatem usurpat. Ac deinde aedem sacram, ceu doctrina reformata profanatam, ritu in Ecclesia Romana solito, denuo sacrat. Qua in re ne quid religioni ob esset, Amundi, Episcopi prioris, qui doctinam reformatam ibi auspicatus fuerat, humo erutum cadaver, ceu indigni, cuius ossa loco sacro tegerentur, extra septa templi condit. Post haec iudicem supremum, Regi sacramento obstrictum, loco movet; filium-

(a) *Ionas Arnoldius*) Rectius *Ionas Arnaeus* vel *Arnonis* filius: nisi cum Arngrimo Ionae (*Rerum Islandicar. lib. 3. pag.* 146.) malis scribere *Ionam Araesonium*, h. e. *Araefilium*. Attamen *Aras*, & *Arnas*, vel *Arno*, nomina, ut credo, sunt distincta.

(b) *Martinus Ennoius*) Error est omnino. Nomen enim fuit, *Martinus Einarius* vernac. *Marten Einarson*.

CIƆIƆ XLVIII. liumque mox reponit, ut iudicia deinceps sua in potestate essent. Inde factum, ut iniuste plurimi opprimerentur & exuerentur bonis, nulla iuris reverentia. Et haec omnia agebat, ut deinceps insulae accessu Danos prohiberet; ac vel sibi vindicaret, vel & Anglis, si hi emere voluissent, eam traderet. Neque deerant, qui cum illis certis iam conditionibus pactum esse affirmarent: sed cum alia obstitisse, tum quod etiam ab iis, iuxta ac Danis, itidem periculum religioni immineret. Tum superbe perfideque se gerenti, insulam cessere cuncti universam, metu, aut impotentia, acti. Donec tandem unicus David Gudmundus, praesulis captivi socer, ut afflicto opem ferret, ad auxilium petendum in Daniam enavigaret. Qui efficit, uti anno insequente Rex Arnoldium proscriberet, & iuberet solum vertere. Verum ille, nihil poena consternatus, pergit porro scelera continuare, neque finem ullum facit, antequam a Christiano missae copiae militares insulam redigerent in potestatem, & in ordinem ipsum cogerent, ut dicemus suo loco. Sed ut haec molesta regi, ita mors Ioannes Vesalii praesulis Constantiensis, haud ingrata. Is ex praesule Lundiensi hostis Regi, atque regno universo, ut exilium vindicaret, non desierat Palatinum, ac Lotharingum contra Daniam incitare. Quin & alibi, ubicumque quidquam posset, summo studio detrimentum procuraverat. Per haec anno exeunte, advenit David Lindesius, vir equestri dignitate, nomine Reginae Scotiae a Ioanne Halmiltonio, Araniae comite, regni praeside, ablegatus. Is exposita belli causa, quod cum Anglis Scoti gererent, tamquam ab amico Rege, & propinquo, opem petere, & orare, ut in primis naves quasdam, bello instructas, indulgeret; quae ad littus, contra Anglos incursantes excubarent, & exscendere prohiberent. Tum ut Scotis, qui commercia pariter in Dania, Norvagiaque exercebant, tutus commeatus esset. Neque detrimenti quidquam aliorum ob latrocinia inferretur. Huic Coldingae mox responsum CIƆIƆ XLIX. anno ineunte datum: *haud securam ita Daniam, nec tam certa pace esse, uti naves, quis praesidium reipublicae fere constet, aliis, tam longe dissitis, commodari tuto queant; neque, ut Scotorum causae se coniungat, aequitati consentaneum, quum ab Anglis, post contractam amicitiam, nulla in re laesus esset. Pacem tamen inter partes comparandam, si quid possit, perlibenter adiuturum; si quid praeter ista petat, memorem propinquitatis cum regina semper fore. Porro patere item Scotis portus Daniae, Norvagiaeque, dum vim subditis ne intentent. Porro excusatum cupere, quod in quosdam animadvertisset pridem, qui iniuria regni senatoribus, & aliis proterve illata, cum parata latrocinio praeda, capti pro piratis castigati. Tum monere Scotiae praesidem, sedulo deinceps caveat, ne in mari Scotico, Norvagicoque subditis suis vim inferre Scoti ausint; quod si fiat, neque ipsis aliquid periculi fore.* Hoc responso, quum legatus reditum in Scotiam mox institueret, hie-

mis adsperitate, quae sic mense Ianuario inhorruerat, ut constrictum gelu mare universum teneretur, impeditur. Inde quum in Februario glacies soluta esset, iterumque navigare moliretur, in discrimen vitae incurrit. Quippe dum obscura nocte, nec locorum satis gnarus, vela facit, fracta navi, & amissis rebus omnibus, vix in terram nando evadit. Qua de causa, etsi maxime festinare, abitum differre tamen in ver proximum est coactus. Eo tempore discedenti additus minister regius, literas ad praesidem ferens, quis oblata Margaretae dote reliqua, Orcades repetebantur. Et eamdem in sententiam aliae ad Gallum datae, apud quem regina Scotiae per id tempus annos tantum novem nata, filio regis primogenito in spem matrimonii educabatur. Commendata item causa Mommorantio, regni equitum magistro Lotharingo Cardinali, & Guisio eius fratri, tum & aliis, qui in aula dignitate eminebant; ac petitum, uti bona Galli gratia rem aequissimam obtinere sibi liceat. Insuper & Hercules Ferrariensis imploratus, qui negotium indiligenter sane adiuvabat. Angli, fama rei accepta, etiam sibi amicitiam Christiani expetendam statuerunt. Quippe sic existimabant, quantum Scotis hostibus hac ratione interverterent, tantum sibi adcessurum. Itaque a Sommersetto, Angliae per id tempus praeside nomine regis Eduardi, mittitur Ioannes Borvicus, qui, quum regis adolescentis, praesidisque in doctrina Religionis Reformatae adserenda studium depraedicasset, Danicam quoque amicitiam ab iisdem valde peti adfirmabat; eo maxime, quod incoepta cum Henrico, summa fide, & constantia ab eodem culta esset; tum promittit, verbis praesidis suae gentis amicitiam, uti honorificam Danis, ita utilem futuram. *Ac si forte inter eos laesi ab Anglis quidam essent, ipso id invito factum, belli tempore, quo protervia militaris vix sat coerceri possit; atque eius rei se experimentum praebiturum, si qui iure rei latrocinii peragerentur. Neque enim commissurum, quin, ut aequum Danis, pro acceptis damnis, satisfiat; tum his poenam insuper legitimam irrogaturum, qui indignum aliquid in gentem amicam admisissent.* Christianus gratulari regi, & praesidi studium in Religionem Reformatam, & optare, ut id ipsis, populoque in salutem aeternam cederet. Tum promittere, *se in amicitia constantem fore, memorem necessitudinis, quae Henrico pridem secum intercesserat. Insuper navare operam paci faciendae velle, praesidemque obtestari, ne nonnullas huic arces, ac munita quaedam loca, Scotis mox restituenda, solam belli occasionem anteferret.* Ad petitionem vero Christiani de Orcadibus reddendis, animo pendebant Scoti metuentes, ne vel recusatione rei iustae, tempore tam alieno Christianum irritarent, aut regina in minore aetate posita, regni causae aliquid detrimenti darent, respondere distulerunt. Gallus etiam, qui nesciret rei statum, nisi quantum Christiani literis edoctus fuerat, pariter responsum differt, amplius deliberaturus. Proceres autem

CIƆIƆ XLIX.

CIƆIƆ XLIX.

autem inclinare videbantur, & per literas Christiano large operam promittebant. Idem facere Hercules Ferrariensis, &, legato e Gallia Philippo Cospio, ultro quoque amicitiam eius petere. Christianus, qui responso differendo, eludere petitionem Scotos velle sat videret, ac putaret, non esse illos Gallica amicitia fretos, aequi aliquid concessuros, mittit mox legatum in Scotiam, & in Galliam inde abire eum iubet. Vtrobique sedulo est acta causa, & expositum, quonam Scoti titulo Orcades possiderent. Nam, *pro dote a Christiano, nominis Primo, pigneratas, quum Iacobo Tertio filiam Margaritam elocaret; idque scriptis in rem illam tabulis ostendi posse. Et exstare in archivis etiamnum eius literas, quibus restitutionem, simul dos soluta foret, pollicetur.* Quin ut veritas manifesto adpareret, missa itidem exempla; ac petitum, *uti locus, atque tempus ad pecuniam exhibendam adsignaretur; tum, & persoluta dote, ad Calendas mensis Maii anni proximi sequentis, nomine reginae mitterent, quae possessionem redderet; interimque nil omnino fraudis fieret, quo minus legitime, ut oportebat, omnia peragerentur.* Postquam vero certo sibi persuaderet satis causae aequitatem valituram, ius luendi pignoris in dubium vocare noluit. Tum & Scotos serio commonefecit, *ne, quod ius, & aequum esset, id in se desiderari paterentur. Etenim se satis scire quam sincere amicitiae, & propinquitatis mutuae rationem sibi habendam existimaverit; idque in praesens ostendisse, nisi obstinate nimis aliena restituere detrectarent. Non fuisse quidem nefas, pignus suum persoluto debito recuperare, ac possessionem adire, sed dedisse amicitiae, ut benigne reddi mallet, quod vi occupare queat.* Quibus verbis additae modestae minae, ut *si locum rationi non permitterent, quid venire in mentem posset Christiano intelligerent.* Blande porro & petitionem excusans, in quam dato iuramento, dum inauguraretur, regno fidem suam obstrinxisset. Sed oratio frustra fuit; atque respondere Scoti: *se cum Gallo rem communicare velle, neque enim in negotiis, quae ad regnum pertinerent, quidquam statui, eo inconsulto, posse, cuius simul voluntatem accepissent legaturos, qui petitioni regis quantum quirent, satisfaceret.* Itidem respondit Gallus: *necessario negotium, dum cum Scotis consultaret, sibi differendum esse. Interim pro amicitia se sperare nil hostile intentum Scotis iri.* Quod Anglos attinebat, sat habebat Christianus, si in medium consuleret, ne Scotorum amicitiam haud finita controversia temere deseruisse videretur. Iam in vulgus Anglici legati verba tam magnifica, quibus satisfactionem per iniuriam Anglorum spoliatis promisisset, emanarant. Itaque in aulam omnes undique concurrunt Dani, & libellos exhibentes, de Anglorum latrociniis conqueruntur; quorum quosdam, dum adesset, ipsemet legatus legit. Quod voluerat Christianus, uti tanto rectius referre rem ad suos posset. Quumque in dies confluerent, qui querelas cumularent, tandem, quum obrueretur, multitudinis pertaesus a se onus illud reiicit, *non id suum esse*, dicens, *nec habere in mandatis, ut cognosceret latrocinia, atque ea disceptaret; sed in Angliam veniendum illis esse; atque ibi, si, qui rei agebantur, criminis convincerentur, iure in hos actum iri.* Qua spe facta, postquam ille discessisset, statim quidam, dum memoria promissorum recens esset, Angliam petunt, & in piratas exterorum quoque nomine persequuntur. Addit Christianus literas, & iniurias, queis ab Anglis subditi adfecti erant, verbis pluribus exponit: aggeratque, sed non supra veri fidem. Nam indigna quaeque passi; & exsuti bonis omnibus, etiam interdum vita privabantur. Quidam item eo audaciae processere, ut partes Norvagiae incustoditas incursare, incolasque populari nullo modo dubitarent; quorum maxima crudelitas longe questum, quem ingentem faciebant, superabat. Aliud vero Christianus nil petebat, quam ut suis spoliatis quoquo modo satisfieret, & supplicia reliquorum gubernantibus permittebat. Hactenus in noxios tamen animadverti cupiebat, ne deinceps scelera intoleranda impunita haberentur; haud obscure quoque innuens, nisi fieret, vim a se propulsaturum, & ulturum. Verum Angli, quum legatus rediisset, & oblatam amicitiam sic acceptam a Christiano intelligerent, ut quum Scotis tamen item colere constanter vellet, ac querelas potius repositas esse, nihili iam amicitiam, quam petierant, facientes, quae obiecta literis diluere praeoccupabant. Et vicissim ipsi Danos, ceu iniuriarum auctores criminati, culpam a se removebant. Non negabant latrocinia, sed contraria exprobrabant. ac se paria fecisse. Tum suorum, ut delicta tuerentur, Danos insuper adcusabant, *quod cum Scotis hostibus se coniunxissent, & eorum in subsidium arma quoque ministrassent, quod, qua possent impedire, his licere; contra quos parantur ea, iure gentium communi, omnes fas existimare. Ac licentiam militarem plus in istis sibi interdum indulgere, quam ut ulla disciplina coerceri satis queat.* Praeter haec oblique regem, qui adauctis vectigalibus, mercatoribus gravis, & iniquus esset, perstringebant. Eae literae quum ad regem missae essent, ius promissum spoliatis, ac speratum statim in ludibrium vertit; neque Danis Anglos latrociniorum postulantibus, illud saltim est tributum, uti adcusatio admitteretur. Dictitatum, *iam sat Christianum nosse, quid de querelis Danorum ipsi sentiant; neque attinere quidquam, uti, frivola adeo crimina intentantes, iis post hac cognoscendis fatigare magistratum ultra velint. Leves esse has iniurias, quas contentione tanta animorum persequantur. Irent igitur, & id agerent, uti primi Anglis ipsi satisfacerent; post si qui convinci possent, poenam meritam luituros.* Christianus, aliquantum his obfensus, minime sibi committendum existimavit, quin ostenderet, quanta cum iniquitate causam pessimam tuerentur. *Enimvero nil a Danis designatum, quod solvendae amicitiae, si rem aliquis aestimare recte vellet, satis foret.*

Neque

CIↃ IↃ XLIX.

Neque argui quemquam posse, qui in mari Anglis ullam vim intulerit. Non sufficere, quod haec iactent, sed omnino convenire, ut, qui adcusare instituant, nomina reorum edant. Iam in iis nullum nominatum esse; neque rem, aut locum quemquam ne tempus dicere posse; neve testes ad adseverandum facinus qualecumque exhibere, etiam ignoto reo. At Danorum ordinis cuiusque multis bona sua Anglos latrocinio eripuisse, adeo testatum vulgo, ut negare illud velle, sit extremae impudentiae. Quin & terras eos suas incursasse, & cum Scotis non dumtaxat in his ipsis armis experiri ausos, sed & sacra, ac prophana omnia diripuisse, subditosque violatos aliquoties flagitasse, ut permitteretur ultio, aut liceret navibus eorum quoque manum iniicere, & in portubus, dum exhibuissent damnum, detinere. Sed in neutrum, quia fere aliquid iniqui habent, conservandae amicitiae, consentire voluisse. Ideoque toties laesorum caussas, datis literis, quibus inditi libelli commendasse, ut haud sane sit mirandum, si molestiam multitudo comparaverit; quamquam illi, quorum gratia scriptae fuerant, nil retulerint, aut reorum etiam potentiorum minis territi, re infecta sint reversi. Quo vix aliud triste magis, & hostile, vel ab iis, qui se hostes manifestos faterentur, exerceri potuisset. At cum Scotis, siquidem commerciorum mutuus usus, quod advecta item arma intercedet, inclementius ab Anglis, praeter meritum, habitos fuisse Danos; cum foederibus etiam cautum, ut, exortis quibuscumque demum bellis, libera ipsis sint commercia. Adeoque nec convinci difficulter falsi posse, qui, ut latrocinia impune ferant, arma invecta criminantur. Quod ad ceterarum vero mercium communionem attineret; haud hanc magis interdici Scotis posse, quam si petere Scoti ausint, ne cum Anglis contrahatur. Neque Anglos recte suam hanc iniuriam arbitrari, quod cum Scotis Dani agant; ceteroquin imputare eodem iure Scotos posse, quod Anglorum itidem commerciis utantur Dani; quum utrisque sit amicus, integra commercia utrisque esse oportere. De adauctis vectigalibus nemini reddendam sibi rationem existimare; neque tamen improbari factum posse; quum, quae Dani aliis in regnis solvunt, magis etiam excreverint. Sed cuique sua regno iura maiestatis esse, nulli obnoxia; ideoque nec mea nimis anxie inquirere, neque aliis suorum reddere rationem velle. Quibus literis quum iratum Christianus se ostenderet, & superbiam responsi, quod dedissent paulo ante, animo iniquo ferre, nec benigni exspectandum quidquam esse, mox, matura poenitentia mitigandum eum rati, iterum legatos mittunt, qui oratione blanda denuo cuncta pollicentur, & superiorum regum mutua necessitudine memorata, etiam religionis unionem praedicare non omittunt, *ideoque ab amicitia nullo modo discedendum, nec tam acriter in ipsos invehi oportuisse. Certum Anglo, hanc religiose colere, neque immunitatem velle, etiam si hostes Scotos non destituendos putet. Id dumtaxat postulare, uti tribuat amicitiae dum in Scotos sit benignus, ne decedere aliquid benevolentiae, qua complexus Anglos fuerat, pateretur. Illud summum votum esse, ac futurum item curae, uti Danis, qui se pridem spoliatos questi essent, satisfiat; iterum procuratorem mittere, ne gravarentur, qui piratas in ius vocet. Ac deinceps tuta Danis cuncta fore in quamcumque demum partem ad commercia exercenda navigare instituerint.* Haec legati quum placando Christiano protulissent, mox querelas spoliati ad hos ferunt. Et ostendunt: *saepius procuratore ablegato satisfactionis viam quaesivisse, verum frustra semper habitos, & nonnumquam peius etiam magistratus, apud quos ius implorarent, quam piratas divexasse; itaque iniuriae dolorem malle patienter tolerare, quam eorum aequitatem rursum temere experiri; nisi si fortasse quid praesidii in ipsis foret.* Illi cognito ex parte, quam iniqua passi essent, vicem horum miserari, sed remedium malorum nullum hic adferri posse dictitabant; si opitulari tamen quidquam queant, id libenter se facturos. Christianus, quum dimitteret legatos, nuntiare suo illos regi iubet, *decessorum se exemplum in colenda amicitia perlibenter sequuturum, si officio neque ipse post hac desit. Atque id religionem, quam eamdem pariter profiteantur, non dumtaxat flagitare, sed & foedera, & propinquitatem sanguinis, quae utrimque intercedant. Quam ob caussam nil videri, hac in re peccatum esse, nisi studium illi suum aliter interpretentur, quam ab ipso obferatur. Quod si tamen tam benigne admonentem non admitterent, neque animum inclinare ad pacem vellent, saltem subditos coercerent, nec permitterent, uti suos tam proterve infestarent. Quae patrata hactenus ab Anglis essent, sat constare. Quae quandoquidem indigna, ac nefaria, literis severioribus excitare magistratum, ne ad hanc rem conniveret, aut remisse adeo ageret, voluisse. Laesos, desperato auxilio, nihil optavisse quam ulcisci ut liceret; sed eorum repressisse voluntatem, & a vi contraria cohibuisse. Ac vicissim exspectare, uti reis patrocinium denegetur, & cum his procuratori, mox mittendo, iure experiri liceat.* Dum in istis, inter Anglos, atque Scotos Christianus occupatur, in Germania aliud negotium obiectum fuit; non periculosum adeo, sed molestum. Nam Imperialis fisci procurator, quamlibet decreto esset Augustano satisfactum, iterata actione, denuo exigere tributum ceperat, ac promissa quamvis abolitione exsequi mandatum velle. Iamque publico diplomate tertium admonebatur, ut tributum Holsatiae nomine, ac terrarum ceterarum, que Imperio obnoxiae, sine mora exhiberet. Ac seorsim itidem admonitus praesul Slesvicensis ceu Imperii decretis etiam ipse teneretur. Verum ille, postquam rem ad Christianum retulisset, apud praesidem curiae Imperialis serio immunitatem vindicare dioeceseos suae iussus. Itaque mox, literis ad eum datis, & tributum illud negat, & ostendit, numquam suos decessores tribuisse; nec Imperii dioecesin suam esse, verum Daniae subiacere, & eiusdem etiam finibus contineri, neque summum mu-

umquam dominum, praeter regem adgnovisse. Quin & ipse Christianus, quem pigebat, toties exactione tam iniqua divexari, eam in rem scribens Caesari, hanc iniuriam se putare, minime dissimulabat. *Etenim, cur Augustano se decreto submisisset, & ad bella aliaque onera Imperii contribuisset, uti Caesarem devinciret, quum Holsatia nil deberet, & immunis quoque semper extitisset, nisi procurator fisci pariter item actionem saepe institutam omitteret? Potius e re fuisse, ut tributum retineret, integramque inde causam in iudicium deduci pateretur. Sed honori Caesaris datum, ut Holsatia, quantum posset, exhiberet. Ac procuratorem errare, qui teneri alias a se terras putet, quam Holsatiam, qua Stormaria, & Dithmarsia comprehendi censeantur; idque literis Friderici Caesaris evinci posse, quae iam pridem in comitiis palam exhibitae. Non hanc sibi confidentiam, ut imperio per fraudem intervertere quidquam tentet, nec bonori illud suo convenire, aut decorum arbitrari, sed & quae sit regni sui, id Imperio concedere, pariter a fide sua, & constantia alienum. Itaque rogare enixe, ut necessitatem officii denegationem hanc interpretetur; ac facturum recte ex promissi sui fide, & decore amicitiae, si procuratorem fisci ab eiusmodi actionibus abstinere postbac iubeat.* Quid mandarit in negotio isto Caesar, ignoratur; illud constat intermissum tantum esse, non omissum. Hinc in causa Valdenfeldii graviter item laboratum; qui, quod lata iam sententia, veniam ipse desperaret, alios involvere conatus fuit. Eo enim ventum erat, ut quum ter in ius vocatus, haud pareret, nec iudicio se sisteret, denique proscriberetur, & in bona possidenda Caesaris mandato actor mitteretur. Quamquam is exilium non fugiendo, sed latendo toleravit. Neque ita tamen occultavit sese, quin auderet, irrogatam exilii poenam deprecando, contumaciam apud Caesarem, obtentu aetatis, excusare. Et amici sive conscii facinoris, multa falso in defensionem eius referentes, maximopere adiutabant. Verum ratum curiae decretum mansit, nec de poena aliquid remissum fuit. Quam evadere facile tamen potuisset, ni redire tempestive ad sanam mentem detrectasset. Nam benigne Christianus, uti sibi persuaderi pateretur, aliquoties adhortatus, nil omnino reliquum fecerat, & extremam poenam mer to gratiam delicti facere se paratum declaraverat, si Episcopum libertati restituere voluisset. Verum, scelus semel ausus, animum porro obstinavit, ut dimittere, nisi numerata pecunia, quam ingentem exigebat, captum nollet; nec Ecclesiasticae ullam dignitatis rationem sibi habendam existimaret, sed raptatum, quo liberet, sic vexaret, ut aetate tamdem fractus, taedioque in custodia exspiraret. Quamquam creditum nonnullis, ne omnino regi adversario succubuisse videretur, etiam vim adhibuisse; qua de causa sic exarsit in vindictam Christianus, ut quocumque summo studio sceleratum persequutus, finibus Imperii exterminaret. Nec propinquis, aut amicis, qui receperant, parcitum fuit. Quin & in Mauritium Septemvirum primo, qui in arce Beltzingensi aliquamdiu domicilium exhibuerat, ac post contra Lipsienses, qui ad poenam exsequendam manum iniicere recusaverant, actio item apud curiam instituta. Etiam Megapolitani, qui ex bonis, quae in ditione ipsorum sita erant, reditus facinoroso permittebant; Caesaris mandato illud facere deinceps vetiti. Elusit tamen Valdenfeldius aliquamdiu iustam magistratuum severitatem; audax pariter patrare facinus intolerandum, & supplicium declinare astu callidus. Non industria eadem Gabriel Didymus, qui quum manum Christiani imitando, falsas literas confecisset, & sigillum addidisset, undecumque illud nactus, statim manifestus criminis poenas, quas meruerat, dedit: Etenim Antuerpiae quum regis subditos, tamquam eius debitores adtineri petiisset, ac Malmogiensem civem inter ceteros divexaret, eo postulante captus, in custodia adservatur, dum Ioannes Barnecovius, ob hoc ipsum a Christiano ablegatus, reum falsi deprehenderet. Facinus severius Antuerpienses puniere, quod testatum Christiano vellent facere, quantae sibi honos eius curae esset; quae res illis magnam apud Christianum gratiam conciliavit. Ac iam Belgis is favebat propter Caesaris amicitiam; ideoque etiam Amsterdamensibus, per legatos id petentibus, privilegia, quae priores ipsis reges indulsissent, haud gravate confirmavit. Etsi sane leviores quaedam obfensae aliquando obvenirent; uti eo ipso anno, quum a Belgis ad Norvagiam spoliato Trugoto Ionae, quod in noxios non sat diligenter esset inquisitum, suam hanc iniuriam existimaret. Iam vero, quod eius Caesar amicitiam bona fide colere instituisset, elanguescere iste Palatini ardor, quo in Daniam infestandam ad id tempus incubuerat, tum deficere, qui conatus adiuvarent; item vires, ad rem tantam necessariae. Itaque, quum Christiernus relaxari iuxta foedus Sunderburgicum postularet, & propositum urgeret, neque usque adeo timendus ultra ipse esse videretur, missi tamdem e nobilitate quidam, qui Callundeburgum ducerent; ubi in custodia liberiore, post exilii, carcerisque annum sextum, & vicesimum, vitae reliquum exigeret. Quum traiiceret in Fioniam, Christianus qui Assentii cum Ioanne fratre erat, ac nonnullis senatorum, ad colloquium invitat, & adfatus perbenigne; magno animi moderati testimonio, non fortunam exprobrabat, nec flagitia, ob quae in hanc devenisset; sed ad studium pietatis, & praesentium aerumnarum tolerantiam verbis gravibus hortabatur; tum adflictum in spem vitae laetioris erigebat, si in fide permaneret; quibus ille animo haud aliter exhilaratus, quam si tenebris ereptus, novae luci redderetur; ac testatus, summum se id beneficium arbitrari; fidem porro, & observantiam Christiano pollicetur. Certe illustre hic exemplum, quo vicissitudo rerum humanarum clare oculis proponitur. Alteri, late pridem per Septemtrionem dominato, ac potito tribus regnis, iam in beneficii loco pone-

CIↃ IↃ XLIX.

ponebatur, si quid tale donaretur, qualia ipse dare plurima potuisset. Alter vero, cui, fratribusque tribus, medium Slesvigiae, Holsatiaeque tantum in hereditatem prius cesserat, ad fastigii id evectus, ut praeter has ditiones, solus regnis iam duobus potiretur. Quod principibus sedulo considerandum, ut cognoscant, quam instabilis sit potentia, quae virtute, civiumque benevolentia destituitur. Erant quidem Christierno animi bona, corporisque non exigua; tum amici, tam externi, quam propinqui, longe omnium potentissimi; & imperium, quod latissime se extenderet. Verum animum a natura sat egregium pravis artibus corruperat; & fortunae tantae impar, bona sua ipse evertit. Christiano multae virtutes aliae, atque eae excellentes, tum inprimis illa ingens, quod felicitatis suae Deum auctorem revereri, & potentiam, quamvis maximam, moderate exercere didicisset; ideoque Christiernum, etsi summa dignitate deturbatum, tamen honorandum censuit, tanto studio, ut trans mare Balthicum in Sialandiam devehendum, tamquam principem, etiam tum dignitatis compotem a se dimiserit, & mandarit quatuor regni senatoribus, ut Callundeburgum usque comitari eum vellent. Nec deinceps multo infra regiam fortunam vixit; ac ceu principi ministrabant e nobilitate octo, quibus illud imperatum; ut magnopere, praeter plenam libertatem, nil desiderare posset. Qua tantisper mediocri, tamen usus est venatu, ac piscatu, aliisque exercitiis, & oblectamentis animi, donec in venatione longius progressi comites, ferae capiendae studio quum negligerent observare, ipse se interea in silvae latebris abdidisset. Nam, quantumvis fugae casum fortuitum ioco eluderet, tamen arctius ex eo tempore est custoditus. Post translatum in Sialandiam Christiernum agitatum in senatu, quando Friderico fratri minimo consuleretur. Nam in Dania ad hoc tempus educatus, id aetatis iam adtigerat, uti tamdem aulam ipsum principe dignam, inchoare ad familiae dignitatem pertinere videretur. In hereditatis parte fratribus consociari, neque ipse expetebat, neque expedire visum, ne divisis inter plures, cum Holsatiae, tum Slesvigiae ditionibus, infra fortunam cuiusque reditus minuerentur. Itaque in ordine ecclesiastico, a quo ipse ob infirmam valetudinem non omnino abhorrebat, dignum eo locum quaeri oportere censebatur. Quumque in praesens non vacaret munus amplum, opulentum, & idoneum ad augendos mox honores, uno omnium consensu praesuli Slesvigiensi coadiutor, ut adpellant, constituitur; adsignata aulae sede Suavestadio, arce praesulis primaria. Additur pecuniae summa, quae a fratribus annis singulis distributa pensione exhibenda, saltem donec melius prospectum foret. Ipse contra, omne ius hereditarium, quod competeret in Slesvigiam, & Holsatiam, fratribus tradit; quos pecuniae persolvendae obligatione item libe

raret, simul illum ad Ecclesiasticum munus principe dignum promovissent. Verum, ne Ecclesiae status imperitia Friderici in discrimen aliquod adduceretur, eius cura Tilemanno demandata, cui annuum stipendium eo nomine liberaliter assignatum Quae ut rata universa haberentur, Rex, & duo fratres reliqui inter sese paciscuntur, ac, periculi si quid inde obveniret, mutuum auxilium spondent. Et inprimis, ne collegium Slesvicense id offenderet, neve usquam fraudi esset, privilegia, quae maiores concessissent, cuncta firmant. Et haec quidem haud negotio adeo magno sunt confecta. Sed Slesvigiae, & Holsatiae quum tributum imperare Christianus conaretur, hic adversos procerum nonnullos habuit. Nam pecuniam pro aratione (a) inferre, grave admodum censebatur, & exercitus, saepe ibi ad arcendum hostem imminentem habitus, magno item oneri fuerat; tamen, postquam cautum esset, non deinceps praeiudicio id futurum, assensere. At in Dania onera plura, atque ea graviora, imperata. Iussi Ordines universi arma sua in promptu habere; quamvis & incerto hoste, & expeditionis tempore. At tributum, quod exactum, id in usum regni esse, & ad Orcades liberandas declaratum, quod, tametsi non tam vane apud populum, iuris certi, & liquidi fiducia, obtenderetur, tamen multi praevidebant non tam facile restitutum eas iri: nec iudicium aberrasse postea eventus docuit.

CIↃ IↃ L.

Quippe anno insequente Galliae Rex, qui sententiam de restituendis iis non protulerat, eam per legatum suum, Carolum Danzaeum, aperit. Non is adversari pridem; sed iniicere restitutioni moram, uti animorum fervor tempore minueretur, & propositum evanesceret. Non negabat, recte constitutum pignus, atque nullo detineri iure posse, sed pro filii tamen sponsa nitebatur, ne quid, dum in fide eius, nubiles expectans annos, apud Gallos versaretur regno Scotiae decederet. Quumque anni ad pubertatem tantum duo reliqui essent, petere a Christiano pateretur rem differri, dum id tempus effluxisset, ac promittere, redeunte in Scotiam Regina vidua, quae in Galliam excurrerat, uti regimen regni Scotici obtineret, senatui suasurum, ut idonee caveret, ne in fraudem Christiani interim quid noveretur, cur non ea restitutio tempore opportuno fieret. Neque difficulter Gallo Christianus id indulsit, modo sibi caveretur, nullam ultra moram fore, nec in fraudem per id tempus aliquid commissum iri. Quae Danzaeus quum dexteritate summa impetrasset, etiam e Scotia legatus adest Georgius, Rothesiae comes, denuoque nomine senatus petit, ut negotium aliquantisper differretur; tum ex iure causas adfert; aliasque, quas necessitas suggerebat. *Etenim, pupillae praedia per minorem eius aetatem a tutore minime alienari posse. Insuper, Reginae viduae ius donationis quoque propter nuptias acquisitum: cui, etiam superstiti, u-*

 sum;

(a) *Pecuniam pro aratione*) Vernac. *Plog-Skat.* de quo tributa imponendi, pendendique modo quaedam supra diximus ad *Historiam* Regis *Ioannis*, *pag.* 22. *a.* *vers. penult.*

sum, fructum interverti, nefas esse: tum rogandum, quid Rex Galliae sentiret; ne res Scotica, si tradantur quae Reginae, filii sui sponsae; essent, detrimentum pateretur. Denique, rem referendam ad Senatum, sine auctoritate cuius haud decerni in negotiis istiusmodi quicquam posset. Quae quum sic disseruisset, noluit videri tamen dubium ius Regis facere, sed differri in commodius tantum tempus postulare. At apparuit nihilominus, restitutionis spem in speciem quidem ostentari, verum vix, quod promittebat, expectandum. *Neque enim aliud priora velle, quam quod Orcadas dominii sibi iure vendicare Scoti cuperent: quod nequicquam attentari, refutatis rationibus, declaratum. Nec enim competere dominium in Orcadas Reginae posse, nec censendam alienationem esse, quum sint tantum pignori data, atque repeti, si pecunia afferatur, recte queant. Itaque periculum ex restitutione minus, quam ex mora, quae iniustis detentoribus imputanda, detrimentum metuendum. Nec donationem rei alienae in id aliquid valere, ut dominii idcirco minui ius quicquam queat: neque enim iuris plusquam ipse habeat, aliquem conferre posse.* Ac, quod Gallum consulendum existimarent; Christianus aequitate eius fretus, haud gravate indulgere. Nec communicare item cum senatu prohibebat: nullum ratus, tam aperte iniquum fore, qui, quantumvis ita publice expediret, pignore paratum ius dominii asseveraret. Ea propter Christianus, quanquam iuramento obstrictus regno Orcades vindicare teneretur, attamen, ne contra Scotiam, quam tunc Angli bello graviter divexarent, ultro causam inimicitiae, alieniore tempore quaesivisse videretur, pignoris luitionem prorogari passus fuit: ita tamen, ut responsum, scripto consignatum mitterent, ad Calendas Maii mensis, anni proxime insequentis, idque esset obligationis instar, unde quod de tempore restituendi, atque loco constitutum appareret. Per eundem hunc Legatum spes est facta, fore, uti, si quos Scoti spoliassent, aut iniuria quoquo modo affecissent, iis iure satis fieret, si quem Dani ad direptionum causas persequendas ablegarent. Tum, extenuata & Scotorum culpa, & in Anglos odium piraticae, crudelius actae, derivatum. Vnde sat perspectum fuit, animorum nuper offensorum vulnus potius obductum esse, quam sanatum. Ac ridiculum videretur, quod iam Anglos in eadem causa Scoti incusarent, quum illius pridem culpae Angli ipsos etiam in Dania insimulassent. Et tametsi, tot promissis nil magnopere speraretur, nihilominus in oblationem auxilii consentiri visum fuit; Rexque literas, hac de re asperiores excusabat. Mox legatus ad firmandam amicitiam, memoratis decessorum coniunctissimorum exemplis, renovari foedus petit: sed id proceres, non ignari quorsum istud postularet, abnuerunt; & foederibus antiquis, nunquam a se violatis, insistendum Christianus autumabat, quum plerique existimarent, non iam aliud tempus esse, quo tractari, ob Reginae immaturam adhuc aetatem, foedus posset, nihil istic impetratum. Ac potissimum ideo sic visum fuit, quod Legatus minime dissimularet, Orcadum retentionem hac re quaeri: tum, evectio materiae, qua prohiberentur alii, uti Scotis libera concederetur, & consueta vectigalia denique minuerentur; quae ingrata Christiano, Regno gravia. Quia vero postulatum item a legato fuerat, ut pararius amicitiae apud Christianum esse vellet, illud ipse haud gravate se facturum pollicetur, literisque apud eum sedulo acturum esse. Post haec iterum Legatus quum quae Christianus ipsi respondisset singillatim, scripto quoque comprehensa accepisset, ad Legationis sua dignitatem pertinere arbitratus, ne infecta re discederet, denuo de prorogando restitutionis tempore interpellat: rogatque trium annorum, & quatuor.

Historiae Danicae ab Io: Meursio scriptae

FINIS.

STE-

STEPHANI IOHANNIS STEPHANII

HISTORIAE DANICAE

LIBRI DVO

Qui res memoratu dignas complectuntur in Dania gestas

REGNANTE

CHRISTIANO TERTIO

Ab Anno Christi CIↃ. IↃ. L. *ad Annum* CIↃ. IↃ. LIX.

OPVS POSTHVMVM.

C. Plinius Secundus Novocomensis Lib. VII. *Epist.* XVII.

Historia non ostentationi, sed fidei, veritatique componitur.

FRIDERICO TERTIO
DEI GRATA, DANORVM, NORRIGORVM VANDALORVM, GOTHORVMQVE
R E G I
SERENISSIMO, ET POTENTISSIMO
D V C I
SLESVICI, HOLSATIAE, STORMARIAE ET DITHMARSIAE
C O M I T I
OLDENBVRGENSI ET DELMENHORSTIO
DOMINO CLEMENTISSIMO D. D. D.

Serenissime Rex.

Quisquis erectae mentis est, Princeps, summa illi votorum erit, ut imperturbatam consequatur animi tranquillitatem, quam compendio Graeci Εὐθυμίαν *nuncupant. Vsu eam demum suam fecerit, si regnum bonis artibus legitime obtinuerit, & acquisito iisdem optime praefuerit. Etenim* qui vulpina calliditate, vel Leonina crudelitate ius sibi in aliena terra faciunt, *eoque pro libidine, implacabili saevitia, & periculosa avaritia cum detrimento reipublicae abutuntur,* palpitantibus vivunt praecordiis; *si fas putas, vitam quavis morte acerbiorem vitae titulo cohonestare. Qui vero, duce Deo, & virtute comite, ad augustum illud fastigium, libero subditorum suffragio, ascendunt, & salutem publicam sancte, serioque procurant, illi tristi soluti metu, ad gremium sibi subiectorum quietis gratia confugiunt, ibique laboriosi officii statione fatigatum corpus securius recreant; tum etiam liberi mortalium coetui intersunt, & expleta mortalitate, liberrimi beatorum mansuro perfruuntur gaudio. Nolo hic bonorum Principum exempla obstentare aliena, domestica* Christiani Tertii, *laudatissimae memoriae Regis imagine contentus. Ecce enim* Friderico Primo *placide defuncto, quum purpurati Danorum Episcopi patri subrogandum clamitarent* Ducem Ioannem, *utpote Rege natum, ut illius favore (quem suspectae iam superstitioni mancipare clandestinis decreverant consiliis) Antichristi* [a] *Romani suumque stabilirent in patrio solo imperium, sorte gaudens privata, aperto se iis Marte* Christianvs *non opposuit, neque operto dolo, & tecta fraude aliorum animos pertentavit. Interim Deus, pro salute regnorum quotidie excubans, corda reliquorum status publici tutorum eo inflexit, ut, aliis praeteritis, solum* Christianvm Tertivm, *orthodoxae religionis studiosissimum, eligendum uno ore pronuntiarent. Principem hinc nostrum liquet divinitus constitutum, non errore, non casu, non caeca fatorum potestate, sed aeterno Numine datum. Cuius providentia monstratus, potentiorum arbitrio & omnium ordinum adplausu ob divinae indolis gloriam electus est; iamque solio impositus id serio agere visus est, quod eximiae bonitatis Principes, qui se Deo, & Reipublicae consecratos esse iugiter cogitant. Potissimum illi cordi fuit, ut veteri damnata superstitione, inter subditos certior vigeret rerum divinarum scientia, e qua solida effloreſcit pietas:* pie siquidem vivitur, ubi de Deo recte creditur. *Arduum initio visum illi certamen contra Episcopos Daniae purpuratos suscipiendum viros, id temporis magnae in Ecclesia, non minoris in Politia, auctoritatis: qui omnes rem, dirigente* Deo, *salutari procerum regni consilio, & votivo successu, uno prope momento, quod admiratione maius est, sine periculosae seditionis metu, pristina dignitate privati sunt. Istis statione publica motis, idoneis doctrinae coelestis praeconibus Ecclesiarum curam commendavit, ut sancta illorum opera pietas promoveretur, & errores Pontificiorum longo usu robustiores, (animi siquidem Danorum annis iam*

(a) Quaedam haec dicuntur ab Heterodoxo homine, quae piae chatolicaeque aures ferre non possunt; sed homini haereos tenebris excaecato, si minus ignoscendum, saltem eius miserendum est; & a nobis Deo gratiae agendae iugiter sunt, qui nos in media Catholicae sapientiae luce collocavit.

iam decem, & septingentis istis obduraverant) liberius castigarentur, & ad publicorum mendaciorum patronos ablegarentur. Maximo quoque ordinis Ecclesiastici incremento, convocatis ad id prudentissimis regni Daniae senatoribus, operam conferentibus D. Ioanne Bugenhagio, *& praecipuis in Dania Theologis, Enchiridion aureum, aureae* Caroli IV. *Imperatoris Romani Bullae praeferendum publicavit, eoque dulce pacis decus Ecclesiae reddidit, obicem confusioni res optime positas turbanti posuit. Illo etiam sacri ordinis viris iura ad normam doctrinae in oraculis divinis revelatae conformata praescripsit; & ne quid deesset, quo gratam benignitatis famam sequuturae posteritati transcriberet, honesta in Ecclesiis docentium privilegia, & immunitates duraturo decreto confirmavit. Et sublimiori fastigio suo ad Ecclesiae seminaria se demittens, docentibus in iis lauta prospexit stipendia, discentibus alimentum, liberale otium, & honestum sui temporis arbitrium indulsit, utrisque patrocinium praestitit: Quin & omnium artium, linguarumque studia, ut in ultimis Boreae oris radices agerent, & quod vovebat, efflorescerent, Academiae Hafniensis privilegia confirmavit, novisque ditavit, stabilem porro, fundatamque regni sui magnitudinem servaturus, Consiliarios legit vere religionis cultores, fide, prudentia, & autoritate excellentes, consilioque promptos; quibus saniora monentibus propitius obtemperavit, quasque novit a maioribus latas leges, solenni iuramento, & quod Regis nostri aequitatem auget, spontaneo obsequio approbavit, novisque decretis Reip. profuturis antiquas illustravit, in quibus prudentiae Regiae expressa vestigia, & publicae honestatis obvia sunt argumenta. Perillustris nobilitatis Danicae viros* Deo *devotos & magistratui fide deditos summo complexus est amore, nec vivis solum, sed grata mentione meritis eorum post funera honorem habuit. Cum potentioribus, & vicinioribus populis, icto aequis conditionibus foedere, fidam coluit amicitiam, & in clientelam suam semel receptos fovit, fidemque servantibus fidem illis datam, ad securiorem regnorum suorum tutelam, religiose servavit. Neque bellum nisi necessarium, iustum, & legitimum movit, quando nulla nisi in armis spes salutis Reipublicae posita esset, omnibus prius aequis pacis conditionibus oblatis; quod autem sumpsit ferrum, generoso spiritu sumpsit, felici successu posuit; victoria non insolenter usus, sed moderate, ut rebus omnibus secundis ex nutu animique sententia fluentibus. Exinde in regnis eius, remoto armorum strepitu, vox legum reverenter audita fuit, relligio vera floruit, magistratui inferiori salva mansit autoritas, amoena surrexerunt studia, & singulorum civium in immensum succrevit felicitas. Hinc adeo non miramur Christianissimum hunc Regem, Deoque ob fidem* Iesu Christi *dilectissimum, in terris veram conservasse animi tranquillitatem, & in coelis iam beatissima animae perfrui tranquillitate.*

Virtutes porro Regis Christiani Tertii *vere Regias magnifice, operose, decenterque* Thuanus *noster Danicus, nobilissimus* Dn. Haraldus Hvitfeldius, *Regni Daniae Cancellarius Magnificus lingua nobis vernacula posteris commendavit. Easdem Romana facundia orbi exponere coepit ingens illud Philologorum decus Ioannes Meursius, amicus meus honorandus, resque ab eo gestas ad annum Christi* clↄ. Iↄ. L. *diduxit: modo fata eum superstitem reliquissent, felicissime absolvisset. Meursiana illa Historia, ut fama tradidit, M.S. asservatur in Bibliotheca viri prosapia, autoritate & eruditione eminentissimi* Dn. Laurentii Wlfeldii, *Dn. de* Harresloffgaard, *Regii in arce Stiernholmiana Praesidis, literarum, & literatorum patroni benignissimi, cuius cura, & patrocinio, quod optamus, lucem videbit. Mortuo felicis memoriae Meursio, quum amplissimum historiae patriae condendae munus viro celeberrimo* Stephano Ioannis Stephanio, *ope, & studio benignissimi patroni sui,* Dn. Iustini Hoegii, *Academiae Soranae primi, & magnificentissimi Directoris, esset commissum, spartam hanc non distulit, qua debuit sedulitate, & dexteritate ornare. Primum Danicae gentis Historicum* Svenonem Aggonis F. *commentario eruditissimo auctum primus in lucem protulit:* Saxonem *deinde* Grammaticum *a mendis graphicis perpurgatum, notisque uberioribus Philologicis, & Historicis illustratum, publicis typis in natali solo impressum edidit: demum (ut alia eius scripta cum tineis iam litigantia, cedro, & sole dignissima, silentio praeteream) historiam Divi* Christiani Tertii, *Regum Christianissimi, iussu illustris, strenui, & magnifici viri,* Dn. Christiani Thomaei, *Domini de Stougard &c. Equitis aurati, Regiae Maiestatis Cancellarii magni, de rep. literaria, omnibusque literatis optime meriti, a Meursio inchoatam continuavit, summa cura, & Liviana eloquentia ad umbilicum perduxit. Illam historiae partem, Rex serenissime, humillima mente Tuae Maiestati moestissima* Stephanii *vidua & superstites liberi, me interprete, offerunt, extremo beati Autoris desiderio satisfacturi, suumque erga Maiestatem Tuam obsequium; & publicum omnium subditorum cultum, & amorem testaturi. Amant, & venerantur Maiestatem Tuam singuli; inspicientes siquidem universum mentis, vitaeque Tuae habitum, toti orbi vivam Te* Christiani Tertii *imaginem repraesentare laeti fatentur.*

Salve Rex, ingens orbis ornamentum; Salve praesidium patriae; Salve Rex bonitatis eximiae; cuius novum, beneficia regia recenti cumulaturus, dabis argumentum, ubi more

tuo

tuo, hoc est, blande, & sereno vultu foetum Stephanii *posthumum ulnis Regiis exceperis, & in tutelam tuam viduam eius summae innocentiae, fortisque miserrimae clementer receperis. Quod ut facias, Serenissime Rex, mecum humillime suo, suorumque nomine ipsa vovet, sancte confidit.*

Salve Friderice *divinae indolis Rex, & maximo regnorum borealium incremento, quibus divino natus es arbitrio, in summa animi tranquillitate ad votum tuum regna. Dab. in Samo Danorum Balthica, ad diem 1. Iunii, Anno Christi* cIↃ. IↃC. L.

Maiestati Tuae

devotissimus

Ioannes Iani Svaningius
Ripensis.

VIRO CLARISSIMO

Dn. M. STEPHANO STEPHANIO

Historico Regio, & in Academia Sorana Professori
P. Res gestas CHRISTIANI III. edenti.

SAxoni nuper vitam, lumenque dedisti,
Danis qui vitam Regibus ante dedit.
Svenonique diu quem sors inimica negavit
Lucem; sic tenebris condidit immeritis.
Acta Patrum, Regumque tuo, queis Dania fulget,
Debentur genio, Cimbrica sceptra tuo.
Nunc ad pensa vocas Christianos, magnaque Regis
Nomina Fridrici, nobile condis opus.
Tantis pro meritis grates tibi patria reddet.
Grata, atque assurget posthuma Fama tibi:
Inter tot Reges, inter tot Numina nomen
Praeclarum cernens, Vir memorande, tuum.

Olaus Worm.

IN HISTORIAM CHRISTIANI III.

A CL. V. STEPHANO IO: STEPHANIO

CONSCRIPTAM

Epigr. IO: LAVRENBERGII.

PEr cunctas ut Fama vehat iam clarior oras
Christianvm, Stephanus fecit in Historia:
Christianvs grata fecit vice, currere Fama
Vt pergat Stephanus docta per ora virum.

STEPHA-

STEPHANI IOANNIS STEPHANII HISTORIAE DANICAE

LIBER I.

Qui complectitur res memoratu dignas, in Dania gestas, regnante CHRISTIANO III.

POsteaquam sacratissimae memoriae Princeps, Christianus, inter Danorum Reges id nomen Tertius, pace terra, marique parta, secura regnorum tranquillitate potitus esset: intermissa, bellis flagrantibus, rerum maximarum momenta, sedatioribus iam curis intentus, exequi statuit. Praecipua recuperandarum Orcadum incessit solicitudo, quas veteris imperii consortio diuturna potestatis alienae dominatio subduxerat. Has etenim insulas in Oceano Septentrionali confertim sparsas, nec remotis interiecti pelagi spatiis diremptas ab ultimis temporibus, Norvagiae Reges armis victricibus occupantes, adversus gentium vicinarum irruptiones, magnis viribus in multos annos tutati sunt. Caeterum Rex Daniae, & Norvegiae Christianus primus, a quo stirpis Oldenburgicae, quae hodie quoque in Dania summam imperii tenet, origo profluxit, anno seculi decimi quarti sexagesimo octavo, easdem insulas Iacobo tertio, Scotorum Regi, certis pactorum conditionibus, permisit. Is quippe per Legatum suum, Andream Stuartum, magnum Scotiae Cancellarium, petita in matrimonium Christiani Regis filia Margareta; ob memoriam foederum, vetustamque amicitiae coniunctionem Scotorum Regibus cum nostrae gentis Principibus, per multas aetates exercitam, adeo facilem in vota sua consensum meruit, ut destinata regio toro sponsa paulo post in Scotiam, magnifico nobilitatis Danicae comitatu, deducta sit: simul in dotem assignatis Aureorum Renensium quinquaginta millibus. Huius pecuniae dimidium praesens digredienti Legato dependere statutum Patribus erat. Sed Christiano Rege bellum in Svecos parante, cui gerendo sumptus amplissimi requirebantur, versis subito voluntatibus, in dotalis pecuniae vicem, pignori constitutae sunt Orcades, Hethlandiaque insulae; ea lege, ut, dote soluta, pristini possessoris dominio restituerentur. Verum perpetua sublimium curarum moles, quis distineri solent Regum animi; seu nimis festinata succedentium Principum fata, maioribus sancitam nuptialium conventorum fidem apud nepotes aliquantisper interturbarunt. Subsequenti tempore, Christianus tertius, ex Friderico filio primi Nepos, adactus gravissima iurisiurandi religione, qua se regni Danici proceribus, priusquam regimen summae rei capesseret, de pignoris Orcadici luitione, obstrinxerat; ad eam mature praestandam omnes intendere curas coepit. Igitur praecipiti Autumno anni post mille quingentos quadragesimi noni, qui ab excessu Iacobi quinti, Scotorum Regis, sextus erat, missis ad Serenissimam Reginam viduam Mariam, ad summum Scotiae proregem Iacobum, Arraniae Comitem, & Hamiltonii dominum, ac ceteros regni primores, Legatis, condictaque debiti dotalis solutione, pigneratarum insularum restitutionem efflagitat. Et quia per id tempus unica Iacobi Regis filia Maria, in spem matrimonii, cum Francisco Henrici filio contrahendi, in aula Gallica educabatur; Regi pariter, ac optimatibus de eodem negotio consilium suum denunciandum censuit. Insequentis anni principio a Gallis legatus in Daniam venit Carolus Danzaeus, vir summae prudentiae, & rebus magni momenti gerendis idoneus. Auditus in consessu Patrum, ita fere disseruit: Potentissimum Galliarum Regem, principem imperio designatum, ac universos regni proceres, evidentibus confirmatos documentis, compertum habere, Orcadas, Hethlandiamque insulas pro dote Margaretae, quae Iacobo tertio Scotorum Regi, nupserat, a Rege Daniae Christiano primo, pignori quondam depositas, nulli mortalium potiori iure adiudicari posse, quam haeredibus ipsius, si quando praedictas insulas liberare nexu pignoris constituerint. Quocirca summa aequitate subnixam videri postulationem Christiani, iam rerum in Dania potiuntis, qui subornata priore anno legatione, possessionis avitae restitutionem, oblato redemptionis pretio, tentaverit. Id vero negotii parum Gallici nominis interesse. Quippe decreto procerum accitam e Scotia Mariam, Iacobi Regis filiam, non ut tutelam pupillae susciperent,

CIↃ IↃ XLIX.

CIↃ IↃ L.

ſed illius educationi, quam principis ſui coniugio ſummis deſideriis deſtinaſſent, nonnullam impenderent operam. At huiuſmodi cogitationes incerta ſpe fundatas; quod uterque principum annos pubertatis nondum attigiſſet. Interea coeleſte numen, cuius in manu ſita ſunt conſilia mortalium, poſſe vota haecce irrita reddere, ſi ita placitum admirandae ipſius providentiae foret. Proinde petitionem Regis, tametſi iuſtiſſimam dilatione aliqua moderandam, tempuſque patienter exſpectandum, quo Principes vitae ſociae per aetatem maturi, arctiore connubii vinculo iungerentur. Tum longe proſperiore ſucceſſu arduum hoc negotium tranſactum iri, quum poſſet eorum arbitrio permitti, qui ſummam de eo decernendi, legitimamque poteſtatem haberent. Chriſtianus Rex moram conatibus ſuis interiici gravate ferens, Legatum ſine reſponſo dimittendum ſtatuerat: ſed pervicere magnates, ut a rebus in Gallia repetendis deinceps abſtineretur. Vix diſceſſerat Danzaeus, quum Legati Scotorum e veſtigio ſequuti ſunt. Hos inter praecipua dignitate Georgius, Rotheſii Comes, erat. Cui poſtridie quam advenerat, Senatus ubi datus eſſet, haec Patribus mandata expoſuit: Illuſtri Scotiae Proregi, ceteriſque regni proceribus ignotum non eſſe ius, ac dominium, quod auguſtiſſimo Danorum Regi in Orcadas, Hethlandiamque inſulas competat; nihilque a ſe, per legatos, niſi patriam ipſius, & avitam haereditatem poſtulatum: quum vero, Maria, Iacobi Regis nuper defuncti filia, etiam dum in pupillari aetate conſtituta, orbatas idoneo rectore terras vicaria ſolum poteſtate tueantur; arbitrii non eſſe ſui de negotio tanti momenti decernere, quod nullius autoritate, conſiliove diiudicari queat, niſi penes quem regimen rerum Scoticarum exiſtat. Itaque ſupplici prece contendere ſummum Scotiae Proregem pariter, ac Ordines univerſos, ne nimio in praeſens rigore ius ſuum, cuius haud obſcura ſuppetant documenta, perſequatur Rex Daniae Chriſtianus; praeſertim regni Scotici ſtatu tam perturbato, quod ante hac aſſiduis bellorum motibus concuſſum, nunc ſupremo veluti capite deſtitutum, vicinarum gentium iniuriis undique pateat: ſed ut cauſae huius diſceptationi ſaltem triennii moram, non adeo diuturnam, interponi aequo animo patiatur. Sub id temporis, & ad iuſtam aetatem adoleſcere (ſi numini ſupremo ſic placitum) haeredem imperii Principem, & ſimul exire tutelam viceſque Reipublicae gerendae, quis fata ſe, tantum non invitum, admoviſſent. Ad extremum petebatur, ut ineundae cum Imperatore Carolo paci Rex operam commodaret ſuam. Ad ea paucis interiectis diebus reſponſum: tametſi religioſa iuriſiurandi fides, quam proceribus ſub initium ſuſcepti regiminis praeſtiterat Rex Daniae Chriſtianus, impedimentum non exiguum obiiciat, quo minus executioni iuris ſui, cuius ipſi Scoti non diffitentur aequitatem, diuturnius permittat intercedere ſpatium: id tamen ſe dare ſanguinis, foederumque neceſſitudini, qua regiae Scotorum familiae ſit devinctus, ut Proregi, ceteriſque ſummae poteſtatis adminiſtris, intervallum praeſtituti temporis ad deliberandum de reſtitutione Orcadum concedat, modo viciſſim fidem faciant, ne tam propenſa facilitas, ac indulgentia ſibi regniſque ſuis noxae, fraudive futura ſit. Quod pacis attinet cum Caeſare componendae negotium, in eo quoque ſummis ſe viribus anniſurum, ne ſpem eorum exoptatus deſtituat eventus. Eo dato reſponſo dimiſſi ſunt Scotorum Legati. Nec diu Rex ſolennem diſtulit ad imperatorem Carolum legationem, qua de fida, perpetuaque pace Scotorum genti concilianda ſollicitaret. Caeſar poſtulato regio facilem praebuit aſſenſum, Danis in ſocietatem foederis acceptis. Inter haec perlatae ſunt in Daniam literae magni Muſcoviae Ducis, Ioannis Baſilidis, quibus de raritate opificum, qua ſuo imperio ſubiectae ditiones laborarent, conqueſtus, a Chriſtiano Rege tranſmitti ſibi petiit variorum operum artifices, quorum confertam multitudinem Danicas incolere civitates fando comperiſſet. Inprimis ſe delectari fatebatur admirando illo librorum procudendorum artificio, cuius exquiſita ſcientia callentes operas aliquot, ceu novas colonias in Ruſſiam deduci poſtulavit. Verum nulli non adfine dementiae videbatur, fixam deligere fortunarum ſedem in regione horrida & inculta, inter homines barbaros, ac truculentis moribus, qui nullum unquam bonis artibus ſtatuere pretium noviſſent. Simul deterrebat omnes inhumanae crudelitatis fama, per omnes terrarum oras didita, qua ſaevire in miſeros ſubditos Sarmaticus ille Buſiris ferebatur. Rex itaque non ignarus paucos eo locorum migraturos, reſpondit, tentamentis opus eſſe ad explorandas ſubditorum mentes, ſi quos caperet in terras adeo longinquas commeandi cupido. Etenim leniter hic agendum, & id genus hominum animos blandimentis commodorum potius alliciendos, quam invitos ad incerta fortunae trahendos. Ita ſe mores opificum habere, ut quamvis ampla ſatis lucri ſpes propoſita ſit; peregrinis tamen, & ignotis regionibus ſine deliberato conſilio ſe tuto committere vix audeant. Interim de felici negotii ſucceſſu ſe neutiquam dubitare; & intra breve temporis ſpatium, ut magnus dux voti ſui compos reddatur, operam daturum pollicetur. Ceterum ad declarandam humani ingenii ſolertiam, digredienti ab ſe legato perferendam, loco muneris ad dominum ſuum contradidit machinam dimetiendis horis aptam, ſingulari opere, atque artificio elaboratam, cuius uſum, & tractationem ignorans barbarus princeps, regi poſtmodum reſtituendam curavit. Nec multo poſt in freto Balthico miranda captura piſcatorum retibus adacta eſt. Nam inter cetera divitis Oceani ſpolia, monſtroſae formae piſcis in littora pertractus, capite, vultuque humano referens habitum, quo corraſae cervicis homines, quos a vita ſolitaria Monachos dicimus, utuntur; at inferiorum par-

CIↃ IↃ L.

partium compages horrendo squamarum contextu mutilata corporis humani membra, & truncatos exprimebat artus. Prodigiosum hoc monstrum, iussu regis, mox humo coopertum; ne vanis vulgi sermonibus, (sicut omnis novitas solet) uberiorem suggereret materiam. Illud etiam hoc anno ad memoriam posteritatis clarum, & insigne fuit, ac inter publicae felicitatis argumenta numerandum, quod tum primum in Dania sacrarum literarum monumenta populari sermone integra legi cepta. Etenim conscripta tantum linguis externarum nationum sacrosancta verbi divini volumina eruditorum in manibus hactenus versabantur, rudiori plebeculae velut interclusis sacri eloquii fontibus. Idcirco rex, verae religionis amantissimus, Professoribus Academiae Hafniensis eam delegavit curam, ut coelestia illa supremi numinis oracula in linguam transfunderent omnibus communem, quos Danici Imperii limites ambitu suo complecterentur. Illi quum imperata summa fide, ac diligentia intra pauculos annos exsequuti essent, demum, circa hunc temporis, quem dixi, articulum prima totius scripturae sacrae versio, regiis sumtibus, publicam in lucem prodiit. Eodem tractu temporum indignam natalibus, ac meritis suis mortem, in squalore carceris, oppetiit Episcopus Lubecensis Balthasar Rantzovius; quem Martinus quidam Waldenfelsius, homo mira pravitate animi, nefarium facinus ausus, in arctissimam custodiam ante quinquennium, abduxerat. Is adversus innocentem, ac optime de se meritum virum iniquas odiorum causas ex inani, & falsa suspicione conceperat. Exorto bello Burgundico, quod Carolo Caesari ob atroces iniurias, quas longum est narrare, rex Daniae Christianus inferre tentaverat; inter milites adventitios, qui tum sacramento rogati, Waldenfelsius una nomen suum dederat. Sed rebus post biennium compositis exautoratus, non persoluta sibi a rege, quae meruisset, stipendia, falsis rumoribus in vulgus differre, omnem culpam in Episcopum, qui Regi omnium consiliorum arbiter, ac secretorum particeps esset, coniicere; hinc illi insidias parare, & perniciem in dies machinari. Accedebat aes alienum grande, quod absumtis per aleam, stupra, ganeas, luxuriamque bonis, conflaverat Waldenfelsius, quo se sperabat onere levatum iri, si Episcopo per vim oppresso, opulenta eius latifundia, & amoena rura invaderet, atque occuparet. Dum igitur opportunam circumveniendi Rantzovii speculatur occasionem, forte in praedium Episcopale Kaltenhof, Lubecae vicinum, divertens, solum offendit, cum adolescente Pomerano, ex nobili Zitsvitziorum familia, defessum curis animum honesto relaxantem otio. Comiter ab eo exceptus, hospitii sacra violare homo flagitiosus nihil pensi habuit; sed mox iniecta manu Episcopum prehendens, vinculis oneratum, in oppidum Gorlosen, quod Elda fluvius, ad Marchiae limites adluit, violenter abripuit, ac totum deinceps quinquennium, mutato per vices carcere, detinuit. Eius liberandi causa Regia Maiestas non modo nullis pepercit sumtibus, sed & missis creberrimis ad Imperatorem Carolum literis, impensius expetiit, ut Marchioni Brandenburgensi, cuius sub umbra, & praesidio securus delitescebat Waldenfelsius, ex Caesarea autoritate iniungeret, ne suis in terris, atque provinciis homini omnibus sceleribus cooperto, quique publicus Imperii hostis iudicatus esset, tutum concederet perfugium; sed efficeret potius, ut soluto vinculis Episcopo, protractus e latebris tantae calamitatis autor, commeritas flagitiorum poenas exsolveret. Ad haec in Camera Imperiali multoties capitis sententiam in exitiabilem hunc parricidam, & omnis humani iuris violatorem pronunciari rex postulaverat; verum irrito semper conatu, donec Rantzovius aerumnabilem in diuturna captivitate vitam, heros meliori dignus exitu, miserrime, sicut praediximus, finiret. Post haec novae rursus animum regis curae solicitum habuerunt. Licet etenim ad ea usque tempora summum sacrorum ius, & absoluta religionis ordinandae potestas in omnes Holsatiae, Dithmarsiae, & ducatus Slesvicensis Ecclesias, multorum seculorum usurpatione firmatum, penes antistites Lundenses stetisset; gemini tamen regis fratres ad summam reipublicae, beneficio fratris evecti, Danicae genti tantae decus autoritatis invidentes, ne forte religionis procuratione exteris obsequi cogerentur, rerumque divinarum tutelam, atque custodiam peregrinis committere necesse haberent; domestica sacra externo sacerdotio subtracta, suae ditionis Pontifici, praesertim qui Cathedrae Slesvicensi praeesset, in posterum administranda decreverunt. Ac ut insperatam hanc audaciam maiore cumularent contemtu, de iurisdictione Ecclesiastica litem Christiano fratri intendere non sunt veriti. Quorum exemplo incitatus Archiepiscopus Bremensis, sibi quoque rerum divinarum primatum in Dithmarsos adrogavit; gentem hanc dictitans a vetustissima memoria in praesulum Bremensium potestatem liberrima concessisse voluntate, & porro in eorumdem obsequio, non una temporum aetate, constanti permansisse fide. Quare indignum ad posteros exemplum fore, si tam eximium religionis privilegium alieno subiici dominio, tantive honoris insignia sibi a tot maioribus relicta, velut e manibus eripi pateretur. His igitur rex lacessitus iniuriis, vi, atque armis potuisset adversariae partis retundere ferociam; sed ut princeps erat mitissimi ingenii, sedatum potius, quam violentum causae suae propugnatorem agere maluit, ne praecipiti magis impetu, quam prudenti consilio defensionis suae partes suscepisse videretur. Itaque causae suae cognitionem iudicio Camerae Caesareae, quod supremum Imperii Romani tribunal est, missis eo legatis, committendam censuit. Hi, sicut iussum erat, prolatis in medium variis codicillis, diplomatibus, aliisque indubitatae fidei documentis, evidenter demonstrarunt, non solum ducatum Slesvicensem, permissu Sigismundi Cae-

CIↃ IↃ L. Caesaris, regno Daniae perpetuo nexu coniunctum, velut in unum corpus Imperii Danici coaluisse; verum etiam Episcopos Slesvicenses ad indicta sive a rege comitia, sive a Maximo Danorum Pontifice Concilia evocatos, sine omni parendi dedignatione statim imperata fecisse; simul in publicis concionibus, non secus ac ipsos regni proceres, & senatores, controversiarum arbitros, quod exteris negatum est, sedisse; nec ullius se umquam Pontificis submisisse potestati, praeterquam Antistitum Lundensium, quos tamquam Eminentissimos sacrorum suorum Praesides, iuxta cum totius fere Septentrionis Ecclesiis, religioso honoris, & obsequii cultu, in haec usque tempora, constanter, ac fideliter prosequuti essent. Deinde privilegia Caesarea exhibuere legati regii, quibus Dithmarsiam, titulo ducatus insignitam, regi Daniae Christiano eius nominis Primo, instar hereditariae possessionis, aeterno dominii iure adsignatam, luculenter satis arguebant. Quod autem Dithmarsi nuper ad exsuendum obsequium ingenita superbia stimulati, Bremensi se Pontificatui subiecissent; id vero Regiam Maiestatem confidere memorabant, nihil sui iuris aequitati derogaturum, nec sibi futuram praeiudicio temerarii praesulis insolentiam, qui regiarum rerum dominium firmissimo iure stabilitum subruere, maiestatisque contemtum religionis iniuriae sociare rubori non duxerit. Benigne responsum legatis, factaque spes mittendi a Caesare Oratoris, qui Regis adversarios incoepto desistere iuberet, litemque totam ex partis utriusque commodo, iustis legibus, componeret. Dum ea in Dania geruntur, a finitimis Svecis turbarum nonnihil excitatum est. Quippe vetuerat edicto rex Sveciae Gustavus, ne quidquam commercii cum Danis, aut Norvegis exercerent suorum regnorum incolae, neque merces, quas Svetica ferret tellus, venales ad istarum regionum populos exportarent. Et sub idem tempus praefectus quidam provincialis, gente Svecus, valida praedonum manu coacta, Oddevaldiam Norvegiae civitatem ingressus, maternas aedes, frustra obnitente magistratu, invadit, ac refractis foribus, magnam vim pecuniae, supellectilis, aliarumque opum, quas hereditario iure ad se devolutas iactitabat, diripit; quum ea bona, priore domina nuper ob veneficii crimen flammis absumta, fisco regio, ex praescripto Legum Danicarum, adiudicata essent. Ad haec Consules, ac Praetores oppidi Nylosiensis, opificem quemdam Danicae nationis, qui suis ita rebus exigentibus in urbem Norvegiae Kongellam, sedem fortunarum suarum transtulerat, eo profecti, verberibus male mulctatum, iniectis demum compedibus, ad pristinum habitationis locum per vim reducere conati sunt, ut alia facinora in contumeliam Danici nominis per ea tempora patrata, silentio transmittam. Quarum rerum fama Bahusium perlata, praefectus arcis Claudius Bilde, vir nobili genere natus, & eximia virtute, ac prudentia praeditus ea sibi consilia mature capessenda duxit, quis resisteret turbulentis Svecorum conatibus, suaeque fidei commissos provinciales ab omni violentia securos praestaret. In primis adsperrimo Gustavi regis edicto commotus, Norvegicis vicissim negotiatoribus in Sveciam, mercatus gratia, commeandi licentiam interdixit. Id quod nonnulli procerum Svetici regni perindigne tulere. Quos inter amplissimae apud suos dignationis, & autoritatis Heroes, Steno Erici Enecopiae, Gustavus Olai Elfsburgi, & Petrus Brahe Ribbeholmiae praesides regii, Bildium sinistris accusationibus apud Daniae regem adgrediuntur; quod ex ingenito erga Svecos odio, suae praefecturae mercatoribus in Svecia negotiandi libertatem ademisset; quod portubus interclusis, ad emporia Norvegica libero Svecos aditu privasset; quod extra fines Norvegiae saepius emissis venatoribus, ex alieno territorio, ingentem ferarum praedam convectasset; & alia in hanc sententiam, calumniis, quam vero propiora. Eo cognito rex Bildium ad se arcessitum querelas Svecorum edocuit, & obiecta diluere iussit. Ille vero quum se omnis culpa exsortem minime ignoraret, iniustas adversariorum criminationes non solum firmissimis rationibus repulit, sed & contrariis evicit documentis, Svecos potius laesae maiestatis reos, inita cum Danis foedera non semel violasse, Norvegici regni incolas multis vexasse iniuriis; quinimo prioribus annis designasse plurima, quae magis hostilem in Danos animum, quam duraturae pacis, atque concordiae fiduciam testarentur. Postquam Bildius abunde suam declarasset innocentiam, rex veritus, ne parva haec dissidiorum veluti semina in apertum erumperent bellum, praetentandum Gustavi Sveciae regis animum censuit, ad pacemne magis, an belli consilia inclinatior esset. Legatos igitur mittit cum mandatis eiusmodi ingratam sibi adcidisse famam exorti circa fines utriusque regni tumultus; qui ne vires, & incrementa sumeret, optimum factu fore, si locus, ac tempus ad conveniendum indiceretur; quo suscepta deliberatione, remedia circumspicerentur, quae exulcerata reipublicae tempora sanarent. Id consilii non difficulter adprobante Gustavo, per arbitros utrimque delectos, res aequis conditionibus transacta est. Nihilo quietiorem Rex in Livonia rerum statum expertus est. Colchium, munitissimam regiae ditionis arcem, praesidio vi deiecto, expulsoque praefecto Godschalco Remlingrodio, paucis ante annis, occupaverat Iohannes, cognomento Decanus, civis Revaliensis. Qui & deinde tantos sibi spiritus, tantamque sumsit adrogantiam, ut delecta factionis suae cohorte sibi adiuncta, castello circumiectos vastaret agros, omniaque fuga, & terrore compleret. Ceterum ubi regem gravioribus regni curis intentum, violatae maiestatis ultionem cunctantius exsequi animadverteret; improbissimis nequitiae furiis evectus, circa haec tempora, omnem propugnaculo contiguam regionem, antehac regi vectigalem sibi tributum pendere coegit, & universa regii iuris latifundia, ceu iustis armis

mis parta, suo dominio vendicavit. Tum datis ad senatum, populumque Revaliensem plenis minarum literis, rex adsperioribus eos verbis hortatur, ut perniciosissimi civis amentiam autoritate, atque imperio suo coerceant, eumque absistere iubeant violenta rerum alienarum possessione, deque adlatis regiae provinciae damnis iusta compensatione satisfacere perpellant. Ni faciant, se in omne nomen Revaliense expetiturum poenas, & tam acrem iniuriarum suarum vindicem futurum, ut innoxii pariter cum sontibus, tamquam eodem scelere contacti, communi rerum iactura, cladiumque gravitate involvantur. Verum haec monita pro vanis habita. Nec tamen adduci potuit amantissimus pacis princeps, ut perniciosa civitati male de se meritae, consilia moliretur; praesertim quum & illud secum reputaret, Colchianum territorium, non adeo frugiferum, aut opulentum, vix restituendis fore sumtibus, quos belli gerendi moles, si eo res adduceretur, exigeret. Quamobrem Rimperto Gilsheimio, viro iuris humani scientissimo mandatum, ut ad Ordinis Teutonici Magistrum, qui magna valebat apud eas gentes autoritate, de turbato provinciae statu referret, eumque ad subspiciendum causae regiae patrocinium, quantum precibus evincere posset, perduceret. Super haec Casparo Breitholzio, viro domi, bellique fortissimo, nova arcis, ac provinciae Colchianae tradita custodia; cuius tamen provida in omnes casus consilia, summamque in rebus gerendis felicitatem, pertinax rebellium insolentia variis fraudibus, insidiis, artibusque dolosis saepius deinceps elusit. Haud ita multo post, dux Pomeraniae Philippus, Petrum Palladium, summum sacrorum in regno Daniae tum temporis antistitem, missis per internuncium literis, edocuit, decretum a se factum de transferenda in civitatem Gripsvaldensem Episcopali sede Rugiana. Quam licet non ignoraret, aliquot ante seculis, ea insula suam in potestatem redacta, primaria fundatione constituisse potentissimum Daniae regem Waldemarum, eius nominis Primum, ac perpetuae ditioni subiecisse Pontificum Roschildensium; quum tamen, interiectu temporum, fortuna varias vertente rerum vices, tota Rugianorum natio in ius, ditionemque Pomeraniae principum devenerit, eorumque imperio etiamnum pareat; indignum videri facinus, si, per externae dominationis interventum, veri, ac legitimi domini ab antiquo sacrorum domesticorum iure deiiciantur. Quapropter se ab excessu nupere defuncti praesulis, occupatae dioecesis proventus destinasse locupletandis stipendiis professorum Academiae Gripsvaldensis; idque consilii summopere rogare, ut suo consensu, iudicioque, si grave non sit, comprobet. Palladius ea de re certior factus, extemplo ad regem retulit. Cui audax hoc inceptum vehementer displicuit; praesertim quod iura maiestatis Danicae non parum labefactaret. Itaque Philippo renunciari iussit, ne perficeret instituta, neque decederet a legibus pactionum, quibus non ita pridem in comitiis Chiloniensibus, de sacro hocce dominio inter ipsos transactum fuerat, se belli fortunam experiri malle, quam diminuta quovis modo ferre virtute maiorum, ac felicitate elaborata regni decora. Sed tamdem post longam, atque arduam disceptationem, dirimentibus arbitris, haec sedata contentio est. Per idem fere tempus soror regis Elisabetha, Magno Megapolensium duci denupta, de excessu mariti sui, quem paucos ante menses, repentino interceptum fato amiserat, per literas fratri conquesta est. Is tam gravem germanae casum miseratus, omnem curam in adflictas viduae res intendit. Etenim ex ministris aulae Megapolitanae, quorum magna pars in Daniam, post obitum ducis, se contulerat, cognitum erat, superstitem principis viduam paulo negligentius habitam, quam tantae heroinae dignitas, utpote regio prognatae sanguine, postularet. Quocirca rex Balthasaro Clammero Cancellario Lunaeburgensi, commissa legatione Henricum seniorem ducem Megapolensem, Magni demortui parentem, commonendum iussit, ne praebitis annuis fraudaret nurum suam, iam in miserrimo viduitatis statu relictam; sed ex fide tabularum nuptialium, quas ipse cum aliis principibus obsignaverat, benignius exhibendas curaret res ad vitae cultum, paratumque necessarias, certaque adsignaret praedia, unde liberales sumtus ad alendam familiam vidua principali dignam, suppeterent. Responsum ab Henrico est, eam rem summae sibi curae, studioque futuram, operamque daturum, ne regiae sorori de sua voluntate conquerendi ulla detur in posterum occasio. Extremo aestatis edictum promulgavit rex Christianus, quo Pastorum & Diaconorum in Selandia filios a nativo servitutis iugo liberos prorsus, ac immunes declaravit. Haec etenim per nonnullas Danici regni provincias, Selandiam, Laulandiam, Falstriam, Moeoniamque insulam, nescio quibus autoribus, (eorum namque vetustate memoria intercidit) sancita consuetudo, usque ad id temporis invaluerat, ut in latifundiis sive regiae ditionis, sive nobilium progeniti, si alio locorum migrandi consilium cepissent, certo prius soluto pretio, in libertatem se adserere coacti fuerint. Hoc igitur, quidquid fuit male inveterati moris, nova regis abolevit indulgentia, ne Danica iuventus (ut edicti verba repraesentem) ab ingenii cultura, studiisque literarum percipiendis avocaretur, sed laetiore deinceps proventu in prospera reipublicae effloresceret. Porro non modo rex tranquillitatis cupidissimus ad id unum omnes cogitationes intendit, ut inconcussam suis regnis pacem, quietemque firmaret; sed & exortas in aliis nationibus turbas, motusque sedare, diffidentesque principum animos in concordiam reducere summis viribus adlaboravit. Documento poterit esse transmissa per eosdem dies ad Carolum Caesarem legatio de pace cum rege Sveciae Gustavo iungenda; quam hostiles Palatini comitis adversus Svecos molitiones in id tempus extraxerant. Principes legationis fuere nobili prosapia

CIↃ IↃ L. sapia viri Eschillus Bilde, magnus aulae regiae Magister, Ericus Krabbe, & Petrus Svave; quorum egregia prudentia, plenaque fidelitatis opera, vetusta dissidiorum utrimque sublata sunt incitamenta. Ne curatius differam, pacem inter Sveciae, & Angliae, pariter ac Galliae, atque Angliae reges, intercedente Christiano rege, eodem hoc anno pactam, atque sancitam, aliaque foederum, conventionum, amicitiarum, & reconciliationum vincula, quae regis eiusdem suasu, consilio, & autoritate, hinc inde varias inter gentes, coaluerunt. In exitu iam annus erat, quum fortissimus belli dux, & vir clari nominis Lazarus Schvendius, Caroli Caesaris ad Christianum Daniae regem literas transmitteret de suppetiis ferendis adversus rebelles Magdeburgenses, quorum civitas Imperatoris edicto validissimis tum copiis obsessa tenebatur. Iisdem literis haec etiam inserta legebantur verba: Pro dubio non habere Caesarem, quin rex Daniae Christianus ob fidem Romano Imperio debitam, cuius illustre membrum, nomine ducatus Holsatiae, vulgo, quod res esset, audiret, ad opprimendos hostes Imperii, ceptamque refractariae civitatis obsidionem urgendam, vel quantum opus videatur pecuniae, vel idonea alia sit exhibiturus subsidia. Ad ea rescribi placuit; angustis admodum terrarum spatiis patere latifundia, quae in Holsatia regio iuri, ditionique cessissent; at fratrum regiorum territoria multo amplioribus extendi limitibus. Ipsam quoque Holsatiam, modicam, & infirmam provinciam, vix solvendis esse tributis, quae Caesar imperaret, posteaquam civitas Hamburgensis, quae non minimam partem communium onerum hucusque substinere solebat, abrupta societate Principum, Imperatoris se potestati tradidisset, libertatemque suam iactantius in publicum venditare cepisset. Nihilo tamen minus regiam Maiestatem sicut Imperatori Augustissimo omnem detulisset hactenus dignationem; ita & in posterum nullo cessaturam officio, sed enixo studio facturam, quidquid honori, ac emolumento sacri Imperii Romani augendo, servandoque conducere posse videatur. Principio deinde CIↃ IↃ LI. Veris insequentis missi sunt a Christiano Daniae rege in Islandiam legati, viri generosis orti natalibus, rerumque gerendarum peritissimi Axelius Iuel, Christophorus Trundonis, & Otto Stigotus, sedandi tumultus causa, quem paucis ante annis, in florentissima hac insula, divinis officiis sacratum, infulisque velatum caput, (quod foedum dictu, memoriaque horrendum) concitaverat. Cuius initium, causam, atque exitum operae est, ut adcuratius expediam, quo ad cognoscendum omnia illustria magis, magisque in aperto sint. Anno salutis quadragesimo septimo supra millesimum quingentesimum in fata concessit Gysserus Einarius Episcopus Scalholtensis, qui primus in Islandia puriorem religionem amplexus est. Eius in locum suffectus Martinus Einarius, vir pietate, eruditione, & sapientia praestantissimus, ac sincerioris religionis adsertor constantissimus. Is ut primum sacri muneris audspicia iniviſſet, nihil prius, potiusve habuit, quam ut vanas quasdam ceremonias, quae mentes hominum inani potius superstitione, quam vero numinis cultu, solidaque pietate antehac imbuerant, penitus aboleret, & commissum sibi populi rudioris coetum incorruptam Evangelii doctrinam edoceret. At pium hoc institutum male habuit Ionam Arraesonium Episcopum Holensem; quippe, quod Pontificiae religioni esset addictior. Quapropter acerbissimo Martinum odio prosequi, variis turbis, rixis, ac importunis contentionibus viro mitissimi ingenii adsiduam molestiam facessere, virulentis eum calumniis apud imperitum vulgus indies traducere, denique nullo non contumeliarum genere omnibus invisum, despectumque reddere nequaquam destitit. Quum igitur plus iusto diutius gravissimas adversarii ferocientis exagitationes incredibili patientia tolerasset Martinus, nec ullum iniuriarum finem perspiceret; tamdem conscensa nave, Daniam, licet longinquo, ac periculoso itinere petiit; ut apud regem de malignis Ionae molitionibus conquereretur. Vbi in Daniam adpulit, regi, tum Coldingae commoranti, causam adventus sui miseranter exponit; supplici prece contendens, ut sibi adversus furibundi praesulis violentiam praesidio foret, ac tutamento. Rex tantam viri sacris initiati malitiam summopere detestatus, Martino literas impertiit, quibus eum in tutelam, ac patrocinium suum se recepturum profitebatur, dummodo in fide, & obsequio, quod novo iureiurando praestito condixerat, firme, constanterque persisteret. Simul aliis ad Arraesonium scriptis, severius imperavit, ut primo quoque tempore Hafniae se sisteret, obiectaque purgaret; ni pareret, habiturum infortunium esse. Sed homo insanabilis amentiae, ut in Daniam se conferret, nullis minis adduci potuit. Haud multum temporis intercessit, quum idem Ionas Arraesonius, ingenti rursus furore percitus, adscitis sibi trecentis insignitae temeritatis, & audaciae iuvenibus, factaque in Episcopalem curiam Scalholtensem irruptione, Martinum Einarium incautum opprimeret, captivumque abductum in arctissimam conderet custodiam. Nec eo facinore patrato adquiescens, erutum humo Gysseri Episcopi, iam dudum defuncti, cadaver extra communem sepulturae aream, in loco sordido, & abiecto contumulandum curavit. Ad haec deturbato per vim de dignitate sua, quae apud eam gentem amplissima est, summo iuris dicundi praefecto, sive, ut vocant, legum custode; filium suum, nulla rerum experientia tanto fastigio parem, substituit. Insuper Davidem Gudmundi de Snoxdal, virum summae apud Islandos autoritatis, cuius filiam matrimonio sibi iunxerat Martinus Episcopus, nefariae libidinis, ac incesti concubitus crimine falso accusatum, publica exsecratione hinc inde ex templorum suggestis denunciata, horrendis devovit diris. Demum ut sceleri scelus adderet, quum non satis virium collectum ad omnes conatus videret, mu-

muniendi sui causa, Anglorum arma in auxilium devocare, eorumque ditioni totam insulam per dolum, ac proditionem subiicere, seditiosus, ac facinorosus homo, furiis agitantibus, constituerat. Ex eo ira regi mota, adeo ut edicto promulgato, aqua, & igni interdixerit Arraesonio, omnesque proscripserit, qui rebus ipsius faverent. Auxit id impensius ferociam viri iam ultima audentis, qui manifestis flagitiis subsidium ab audacia petendum ratus, exinde summa imis miscere, inque omnes promiscue, quos conatibus suis infensos crederet, acriori saevitia grassari; ac praecipue consilia agitare Davidis opprimendi, quem non modo veteres suas iniurias, verum etiam generi captivitatem ultum ire minime dubitabat. Nec multo post, absumta quingentorum armatorum manu, villam Bandafallensem, Gudmundi heredium, hostiliter adgreditur, eumque ad certamen provocat. Interea David comparatis, quas tum fortuna dabat, non magnis copiis, (trecenti numero milites erant) Arraesonio impigre occurrit, celsa voce, ut ad hostes etiam accideret, clamitans: *Stare alieno in fundo sacri ordinis virum, instructa acie, signisque micantibus, pugnam, ut adversus hostes patriae, cientem; quem non religionis amor, non salus reipublicae, sed vana dominandi cupido ad arma stimularet; se memorem obsequii erga regem, ac dominum suum, memorem iuris, ac legum Islandicarum, quae res novantem, moventemque exsilio, aut exitio damnant, debellatum parva, & tumultuaria manu venisse proditorem patriae, qui totum nomen Islandicum, publica, privata, divina, & humana omnia externae ditioni subiicere in animum induxisset; suo in discrimine omnium agi fortunas, suo exemplo cuiusque lares, coniuges, liberos, ac bona universa violentiae, ac rapinae, ubi praedo exstiterit, patere; attamen adfuturum numen innocentiae suae, & internecione hostium insigne iam documentum mortalibus daturum, ut ea sancta credant, quae ab Arraesonio violata sunt*. Finiente Davide, infestis armis, animisque concurrunt; & neutro victoria diu inclinabat, donec hostium quamplurimis, quorum tacti oratione Davidis animi erant, effusa fuga dilapsis, ipse praelii incentor Arraesonius, una cum duobus filiis, quorum alter primarius sacrorum minister, alter summus erat iuris dicundi praeses, caperetur; qui repente, inditis vinculis, Scalholtiam deducti sunt. Ceterum quia superesse constabat unicum Arraesonio filium, praeter alium maximis divitiis, summaque potentia virum, cui filiam nuptum dederat; timens David, nè si totius factionis viribus succincti captivos ex custodia ereptum venirent, ad resistendum foret infirmior; cum Christierno quodam cognomine Scriba, procuratore regio, quid facto opus esset, mature deliberat. Ille e medio tollendos principes coniurationis censuit. Nec mora; Arraesonius immisso spiculatori cervicem securi feriendam praebere coactus est. Ita vir factiosus, turbulentusque dignum moribus, factisque suis exitum vitae invenit. De filiis eodem modo supplicium sumtum est. Paucis deinde interpositis diebus, quum Christiernus exigendi tributi causa, ea peragraret insulae loca, in quibus piscatura hybernis potissimum mensibus exercetur; superstes Arraesonii filius, qui paternae caedis ultionem toto volutabat animo, Ionae cuidam, praedium Kircheboel incolenti, autor fuit, ut amicitiae simulatione (quae tutam fraudi viam praestare solet) ad epulum invitaret Christiernum, tectisque sub honesto convivii nomine insidiis, securum opprimeret. Adsciti sunt in fraudis ministerium Ionas Kenechsonius, & Olaus Ioanae homines flagitiosi, & ingenio ad quaevis scelera promtissimo. Hic exceptum hospitio Christiernum, extemplo, districtis, quos sub veste occultaverant, gladiis, inter sacra mensae, cum omni comitatu, nefarie trucidant. Rex ignarus Arraesonium luisse poenas excitati tumultus, sub initium Veris, quod hiemem eam, qua haec gesta sunt, insequutum est, iam ante dictos spectatae virtutis triumviros in Islandiam, ac pacandum, componendumque insulae statum delegavit, tribus navibus bellicis instructos, & quingentis classiariis. Inter cetera datum eis negotium est, ut emisso ex vinculis Scalholtensi Episcopo Martino Einario, & contumaci Antistite Iona in Daniam avecto, tumultuantes Islandos ad fidem, & obsequium regis reducerent, & pristinum ad statum rem constituerent publicam. Postquam eo ventum est, omnes motus Arraesonii nece sedatos, & tranquillissimam rebus omnibus faciem rediisse comperiunt. Itaque ad mandata regis exsequenda conversi, non solum incolas seditione contactos, sed & universos omnium ordinum insulares, qua patet utriusque dioecesis ambitus in foro publico Auxorensi pariter, ac Oddeirensi, ad renovandum fidelitatis iuramentum, perpetuamque subiectionem Christiano Daniae Regi, eiusque filio Friderico praestandam, regio edicto proposito, adigunt. Inde substituto in locum interemti Praesulis Olao Hialtero, Arraesonium, & filios, laesae maiestatis reos, eorumque bona exemtis, quae solvenda creditoribus erant, in fiscum referenda, lata sententia pronunciant. Verum ad puniendos sicarios, qui nefandam Christierni caedem patraverant, proximo anno, in partem Islandiae, quae Meridiem spectat, a Rege missus est vir splendore natalium, meritisque iuxta clarus, Paulus Hvitfeldius: qui toti deinceps insulae, per integrum triennium, summa cum potestate, nec minore ad posteros gloria, praefuit. Ita rebellantis Islandiae tumultu, haud magno motu, intra paucos annos concito & compresso: finitimi Germaniae populi, vicinaeque per ambientis Oceani littora nationes, placidissimum Regis animum, publicae regnorum tranquillitati intentum, ad externas curas, & ardua rerum momenta denuo verterunt. Ioachimus II. Elector Brandenburgicus, suadentibus Waldenfelsii, cuius supra mentionem egimus, asseclis & fautoribus, Henricum Brugholtium, ex clientela Regia iuvenem, dum

dum eas forte peragraret regiones, a subornatis satellitibus interceptum, in arctam secluserat custodiam. Eo Rex cognito, extemplo literis, legatisque ad Electorem missis, graviter de tanta iniuria conqueritur, admonetque, desistendum in posterum a tam foeda violentia, nec sceleſtiſſimi mortalium Waldenfelſii factionem, per contemptum Regis, in fidem, ac tutelam Electoris recipiendam: ne tenui ex causa, & parva veluti scintilla, funestioris diſſidii, ac contentionis exardesceret incendium. Elector, prudentiſſimus ad omnia consilia Princeps, re gravi iudicio perpensa, legatos in Daniam decernit, qui factum enixius excusent, & se invito Brugholtium edoceant detentum ab iis, qui in partibus Waldenfelſii permanserant. Quapropter orare se, ne Rex indulgeat suspicionibus: ceterum pro certo habeat, se nihil praetermiſſurum, quod stabiliendae concordiae, iungendaeque firmioris amicitiae interesse constet. Additae quoque mandatis impenſiſſimae praeces erant, ut pro summa, qua valeret apud Carolum Caesarem, gratia, & autoritate, reddendae libertatis causa Ioanni, Saxoniae Duci, nec non & Philippo, Haſſiae Landgravio, qui pluſculos iam annos indigna principali faſtigio captivitate detinebantur, deprecatorem ageret. Rex eo responso placatus, mox literis Caesarem, de captivis Principibus dimittendis, compellat, inter alia ipſi in memoriam revocans. Victorem decere maxime moderationem; praeclarius esse seipsum vincere, quam hostem. Victoriae laudem ex parte capere militem; iram vero vincere, propriam ducis esse laudem. Germaniam denique melius in officio contineri lenitate, quam crudelitate; ac plura in eam sententiam, irae molliendae, animiſque mitigandis apta. Sed quum hae parum valerent preces, denuo per legatos, in Comitiis Augustae celebratis, pro detentione Principum relaxanda interceſſit. Tum demum a Caesare impetravit, ut utrique Principum pristina restitueretur libertas, ac incolumitas. Saxoniae tamen Duci ad prioris fortunae magnitudinem, & augustum dignitatis Electoralis culmen, quo semel deiectus fuerat, post eam diem emergere non licuit. Breve ab hoc interceſſerat spatium, quum de Ruſſorum in Livoniam irruptione tristes increbescerent rumores. Sed mox literae Rigenſis Archiepiscopi in Daniam allatae certiora nunciarunt: validiſſimas Ruſſorum copias, Livoniae fines hostili populatione nuper ingreſſas, omnia ferro, ac flammis effuse vastare, exscindere agros, urere aedificia, incoliſque caeſis ingentes pecorum praedas agere: & niſi ferociſſimae gentis impetum vicini Regis, ac Principes subſidiis tempestive latis, reprimant, periculum esse, ne finitimas provincias, ac Boruſſiam inprimis, omni Livonia occupata, eadem vis, ac imminentis belli tempestas obruat. Proinde Daniae quoque Regi eam incumbere curam, ne destituat ope sua periclitantem provinciam, cuius non exigua pars ipſius esset subiecta ditioni; aut saltem, si

A non sint in expedito suppetiae regia potestate inhibeat, ne exteri Principes Rutenis foedere iuncti, per fretum Oresundicum, naves, pecuniam, milites, arma, commeatus, aliave submittant auxilia. Rex, nullas intercedere sibi cum gente Ruſſorum inimicitias respondit: quin annum vix integrum, post renovatum cum magno Muscoviae Duce foedus, circumactum; nec ullis ex eo tempore laceſſitum iniuriis adduci poſſe, ut arma nihil hostile promeritis inferat. Si vero suae ditionis arces, & castella novi praedatores (quod minime speraret) invaderent, ad tantam violentiam propulsandam opportuna non defutura consilia. At subvereri se, ne tam subitae incurſionis, penes Vandalicarum civitatum mercatores, & praecipue Lubecenses, resideat culpa, quod Legatis Muscoviticis, quos Imperator Baſilides, priore anno, ad conquirendos per Germaniam opifices, destinaverat, violentas iniecerint manus, & a coepto itinere retractos, iure gentium posthabito, tantum non captivos, per aliquot menses, attinuerint. Ideoque vindictam forte cogitare ingenita saevitia tyrannum, ac diripiendis opibus, quas in oppido Rigenſi, Revalienſi, aliiſque Livoniae civitatibus sepoſitas haberent, militares emiſiſſe cohortes: proinde suadere, ut in commune consulant, omneſque rationes leniendae commoti Principis irae, priuſquam in furorem vertat, circumspiciant. Sub finem regiae Epistolae severa ad cives Revalienses monita perscripta erant, de non infestando propugnaculo Colchiano, deque restituendis Monasterii Reinfeldenſis poſſeſſionibus, quas, distento bellis civilibus Rege, iniuste occupaverant; eaque laesae Maiestatis reis, ut Archiepiscopus denuncianda curaret, impendio rogabatur. Ante paucos annos, in Comitiis Chilonienſibus, de summo sacrorum, in Rugia insula, iure, his conditionibus transactum erat, ut functo fatis Episcopo Rugiano, Pomeraniae Duces liberam haberent potestatem eligendi virum spectatae virtutis, ac praeclarae eruditionis, quem deinde Regi Daniae, sua commendatione instructum, sisterent, ac repraesentarent. Eam sanctionem ut sibi curae esse ostenderent, circa haec tempora, in Daniam ablegarunt Ioannem Frederum, ob vitae sanctimoniam, raramque doctrinam, Pontificalis honoris, tum vacantis, fastigio longe digniſſimum. Qui confestim, post data scientiae rerum divinarum experimenta, iuſſu Regis, a supremo per Daniam Antistite, Petro Palladio, sacro muneri initiatus, in haec verba iurare coactus est: se, secundum Deum optimum Maximum, & a Deo constitutum summum magistratum, auguſtiſſimum Daniae Regem, omnem venerationis, & obsequii cultum Episcopo Roeschildenſi exhibiturum: nihil in religione, aut sacris ceremoniis, hactenus apud Rugianos receptis, innovaturum: omnia per Dioecesin suam ex praescripto Ordinationis Ecclesiasticae, non ita pridem divulgatae, administraturum, summa cura, ac diligentia proviſurum, ne reditus tem-

templis, ac Scholis Rugianis assignati, ulla ratione minuantur: omnes denique officii demandati partes, ea, qua par est, fide & integritate expleturum. Discedenti Fredero traditae ad Regium insulae Praefectum, Ioannem Barnechovium, literae de annuis Episcopo largiter praebendis, iisdemque regia vicissim autoritate subtrahendis, si praestitam iurisiurandi fidem contumaciter violaret. Sub idem tempus in Daniam appulerunt missi a Scotiae Prorege, & Senatoribus Oratores. Hos inter eminebat Haraldus quidam, vir summa prudentia, facundia, rerumque agendarum dexteritate. Is in concionem Patrum intromissus, ita orationem exorsus est: Post reddita legatis Scoticis responsa, qui eiusdem negotii gratia in Daniam priore anno se contulerant, de Orcadibus restituendis non unam a regni primoribus susceptam fuisse deliberationem; at vero nimis angusto temporis spatio circumscriptos, nihil in causa tam difficili, & impedita privatis statuere consiliis ausos, praesertim peregre absente designata Scotiae regina, cui primum omnium tantae rei cognitio incumbat. Iteratis itaque precibus dilationem restitutionis expetere, in reginae e Gallis reditum, cuius iam in propinquo spes esset. Id sibi praeterea negotii datum asseveravit, ut quaerelas mercatorum Scoticae nationis exponeret, qui per aliquot iam annos a piratis Danicis, in Oceano Britannico passim oberrantibus, tam ipsis navibus, quam variis immensi pretii mercibus despoliati ingentem rerum suarum iacturam incurrissent, nulla prorsus satisfactione recepta, licet de iniuriis, & illatis damnis apud Daniae Regem, eiusque Senatores sepenumero conquesti essent. Paucis post diebus hoc responsum tulere: Regem Daniae Christianum nondum immemorem iurisiurandi, quo se proceribus regni de redimendis Orcadibus, obstrinxerit, ultra praestitutum triennii tempus, in cuius conditiones utrinque, priore anno, concessum fuerat, dilationem restitutionis neutiquam laturum. Indignum quippe fore regia Maiestate, si datam fidem frangat, & iuramento, velut astragalis, ludat. Proinde iubere, de tanti momenti negotio consultent adhuc impensius, ne fallacibus promissis alia capiendi consilia sibi necessitatem imponant: Iniquas etiam videri mercatorum Scoticae gentis, de navibus, ac mercibus ademtis, querimonias: quum Rex ipse, motus creberrimis eorum supplicationibus, e proprio fisco cuique abunde satisfecerit, qui damni suscepti sinceram designationem, ac incorruptae fidei documenta deprompsisset. E diverso Danos de Scotorum praedatoriis classibus, quis mare Septentrionale, multis abhinc annis infestum reddiderint, non iniuste conqueri. Etenim vix ullum e Dania navigium, per imperii sui tempora, sine incomparabili detrimento, vel omnium amissione mercium, ob crudelem Scotorum in miseros nautas pariter, ac mercatores saevitiam, ad destinatos portus securum tenuisse cursum. Quibus de iniuriis quum nulli plene, & statim satisfactum sit, fortean induxisse animum Danos, ne inultos sinerent tam immanes ausus, sed damnis inferendis cum damnorum autoribus certarent. Sibi igitur Scoti periculosas aliquot annorum imputent navigationes. Quod si vero ab inhumana violentia cessaverint, se quoque subditis imperatorum suis; ut ab invadendis aliorum fortunis abstineant. Ad haec, in aula Danica, quotidianae mercatorum nostratium, qui finitimos apud Svecos negotiari soliti, quiritationes audiebantur: quod provinciarum, & arcium, circa limites utriusque regni sitarum, Praesides, praeter longo usu recepta vectigalia, magnam pecuniae vim, sub edicti regii praetextu, ob indulta commerciorum libertatem, deposcerent: & qui detrectarent imperata, aut solvendo non essent, eorum merces in fiscum publicum redigerent. Inter ceteros Ioannes Perlebergensis, praecipui nominis mercator, supplicem exhibuit libellum, quo de iniuria sibi a Gustavo Olai, arcis Elfsburgensis Praefecto, illata graviter conquestus est: se tempestate nuper ad littora Svecica delatum, facto naufragio, maximam bonorum amisisse partem; eiectas tamen in terram potioris pretii merces suae potestati vendicasse Gustavum, nec, ut restitueret, ullis exorari potuisse precibus, quamvis se Danici regni incolam, civemque professus esset. Rex primo incensus ira, deinde in admirationem versus, quod tam subita Gustavum Regem recenter icti foederis oblivio cepisset, legatos in Sveciam mittendos censuit, qui certius explorata nunciarent. Reversi literas Gustavi Regis attulere, quibus, se invito, & ignaro, omnia, quae legati de mercatorum querelis exposuissent, acta protestabatur: simul repromittens, posteaquam in maleficos, & rerum alienarum raptores diligentius inquisivisset, acerrimum se vim, atque iniuriam passis vindicem futurum, & in primis accuraturum, ut bonis recuperatis, plena, & copiosa cuique speranda sit accepti damni satisfactio. Nec fraudentur memoria viri genere, factisque clari, quos, hac tempestate, bono publico fatorum iniquitas eripuit. Nam adulto Vere supremum explevit diem Tilemannus Hussenius, natione Clivensis, Episcopus Slesvicensis; qui religionis ergo patria relicta, primum in Daniam se recepit; inde Witebergam profectus, sumptibus Christiani Regis, Doctor Theologiae renunciatus est. Hinc statim revocatus, Annam filiam Regis erudiendam suscepit. Demum, ob egregias ingenii dotes, Episcopus Slesvicensis electus, ac constitutus est. Apud Regem Christianum gratia, & autoritate multum valebat, adeo ut in rebus ad religionem pertinentibus eius opera, & consilio frequenter uteretur. Quum Anno CIↃ. IↃ. XLVIII. nuptiae Ducis Augusti, Electoris Saxoniae, & Annae, filiae Christiani Regis, Hafniae celebrarentur, eo Episcopus vocatus fuit, ut eos matrimonio iungeret, ac copularet. Tilemannus autem, priore anno, Rege ita iubente, Fridericum Ducem, fratrem suum natu minimum, in suc-

CIↃIↃ LI

successorem cooptavit. Nec diu superstes fuit; nam post annum pleuritide correptus, atque absumtus, ex hac vita discessit, pridie Idus Maii, Slesvici sepultus. Eo defuncto, Dux Fridericus, Episcopus Slesvicensis, & paulo post, ab excessu Valentini Tetlebii, Episcopus Hildesheimensis, electus, ac designatus est. Novembri mense, Lundiae mortem obiit Franciscus Wormordus, patria Amstelredamus, primus inter Superintendentes, ut vocant, Scaniae; ante Monachus Helsingorensis, de Ordine eorum, qui Carmelitae dicti sunt, Theologiae Lector, homo egregie doctus, & in Latina pariter, ac Danica lingua longe facundissimus. Cui successit Nicolaus Palladius, patria Ripensis, itidem Concionator facundus, & purae religionis adsertor, ac propagator fidelissimus. Fine anni concessit vita Petrus Suavenius, ex nobilissima apud Pomeranos familia ortus, vir sapientia, doctrina, eloquentia, magnisque in patriam nostram meritis insignis. Christiano potissimum Regi, in obeundis legationibus, summam fidem, prudentiam, ac integritatem probavit. Hinc illi, dum in vivis esset, carus admodum, & acceptus fuit, adeo, ut non tantum ad maximas eum dignitates evexerit, sed & amplissimis latifundiis, praediis, ac bonis ditaverit. Inter alia castrum Giordsleff, in provincia Selandiae Stefnensi situm, quod structurae magnificentia, & splendore, agrorumque adiacentium fertilitate nulli cedit, perpetua possessione fruendum concessit: in quo iam ultimae senex aetatis, non sine gravissimo omnium ordinum luctu, ac merore extinctus est. Insequens annus multiplici clade, variisque tempestatibus, morbis, prodigiis, ac terroribus infestus fuit. Hiemem asperrimo frigore saevam Ver procellosum excepit. Magna nemorum, ac silvarum strages edita est. Innumerae naves haustae mari. AEdificia ventorum turbine deiecta, passim foeda procubuere ruina. Per totam aestatem siccitate laboratum est. Nec coelestes modo defuerunt aquae; sed terra quoque ingenito humore egens, vix ad perennes suffecit amnes. Defectus alibi aquarum circa torridos fontes, rivosque, pecora siti morientia absumsit. Gravi dehinc pestilentia Regni Danici provinciae, & civitatis adflictae. Multae, & clarae domus adsiduis exhaustae funeribus; lateque evagata vis morbi ingentem metum vastitatis ubique fecit. Inter alios, magnus palatii regii Magister Eschillus Bilde, Suanholmii dominus, vir pace, belloque Reipublicae utilissimus, repentina morte occubuit. Insuper, exterritos omnium animos nova formidine percellebant obversata oculis varia prodigia; quae pluribus in locis haud vanas, ceu pavidis alias solent, ostentavere species. Sed ea coeli, solique intemperies portendere visa est exortas hoc temporum tractu varias Haereticorum sectas, qui falsis, ac impiis opinionibus sincerae religionis puritatem foede contaminarunt. Ita sub exitum vertentis anni, Regiomonti in Borussia, quo Noriberga relicta concesserat, mortalitatem exuit Andreas Osiander, qui pestiferum de Iustificatione dogma nuper in vulgus spargere coeperat: Iustitiam fidei non consistere in Christi sanguine, atque morte, qua redemti sumus, ac iustificati, sed hominem iustificari iustitia Christi in nobis inhabitantis; quam ille Essentialem Iustitiam nominare solebat. Et huius tam perversae sententiae propugnatorem nactus erat Albertum, Marchionem Brandemburgicum, quem inani linguae volubilitate seductum in partes traxerat suas. Erat tum Alberto Principi arctissimo necessitudinis vinculo coniunctus Rex Daniae Christianus, adeo ut alter alterum nihil celaret, quod in utriusque ditionibus memoratu dignum subinde gereretur. Literis igitur, legatisque in Daniam missis summa doctrinae Osiandricae capita, libello comprehensa, Regi, veluti sacrum aliquod depositum, & tanquam coeleste salutis aeternae pignus, solenniter impertivit, non sine summa auctoris commendatione; Rex in consilium adhibito Doctore Petro Palladio, Selandiae Episcopo, quo tum uno religionis apud nos innixa stabat cura, transmissum a Marchione Osiandri libellum Theologis Hafniensibus diligenter examinandum commisit. Illi, quum novum hocce Osiandri dogma verbo Dei minus consentaneum deprehenderent; solidam eiusdem refutationem contrario scripto complexi sunt: quam Rex sibi a Doctore Ioanne Machabeo, nomine totius Collegii, oblatam, Legatis Brandenburgicis, qui tamdiu responsum praestolati fuerant, ad Principem suum deferendam contradidit. Tum etiam, binos Sororios suos, ne tam nefandi erroris venenum a teneris imbiberent, ex aula Brandenburgica, quo iis erudiendos artibus, quibus ingenia ad magnae fortunae cultum excitantur, paullo ante transmiserat, per eosdem in Daniam revocavit. Albertus Marchio evidentibus sacrae Scripturae testimoniis, de falsa illa Osiandri Iustitia, per Regios Theologos edoctus, ad saniorem mentem rediit, & quam Orthodoxae Ecclesiae de Iustitia fidei profitentur doctrinam, denuo, summa cum detestatione prioris opinionis, amplexus est, & ad finem usque vitae constanter defendit. His ita gestis, Legati a Senatu, Populoque Lubecensi intervenere, opem rebus adfectis orantes; quod Rex Sveciae Gustavus, odio, an iusta ira incensus, omnem libertatem mercaturae, suis in ditionibus exercendae, negotiatoribus Lubecensibus interdixisset. Quibus datur a Christiano Rege responsum: decretam ad Svecos legationem, quum varia ob negotia, quae Reipublicae intersint, tum ob imminentes Gustavi Regis nuptias, quibus, per valetudinem haud adeo prosperam, praesentem se sistere non liceret. Ea occasione quam diligentissime se Svecorum Regi commendaturum causam Lubecensium, summoque studio annisurum, ut exulceratus offensi Principis animus ad mitiora consilia deducatur. Ceterum, quod Gustavi nuptias attinet, is defuncta Margareta Regina, secunda post Catharinam Saxonicam coniuge, Erici Abrahami filia, ex qua filios qua-

CIƆ IƆ LII.

tuor, Ioannem, Magnum Carolum, & Stenonem Duces; & quinque filias, Catharinam, quae nupserat Etzardo, Comiti Frislandiae, Ceciliam, quam duxerat Christophorus Comes Badensis; Mariam, nuptam Georgio, Comiti Palatino ad Rhenum; Sophiam, Magni Saxoniae Ducis coniugem; & Elizabetham Christophoro, Megapolensium Duci, desponsatam, felici foecunditate susceperat: novo sibi matrimonio iunxit Catharinam, Domini Gustavi Olavi, Equitis Aurati, & VVestgothiae Proregis filiam; nuptiis ingenti pompa, & apparatu plane regio, VVatsteni, sub extremum autumni celebratis: quarum solennitatem honorifica Legatorum Danicorum non parum auxit praesentia. Nuptiali festivitate peracta, Legati mandata ediderunt; praecipue conquesti de quibusdam foederis inter vicinos reges initi perturbatoribus, qui nullis unquam monitis minisve permoti, regni Danici incolas omni maleficentiae genere affligere cessarent. Ad haec, si quid imprudenter in publica commoda deliquisse viderentur Lubecenses, pro solita clementia ut ignosceret Gustavus, & gratiam suppliciter iam expetentibus, aequum, ac benevolum se praeberet, vehementer comprecati sunt. Ad ea post paucos dies benigne responsum: Non impune laturos, qui sacrosancta foederum vincula nefariis molitionibus divellere tentarent: verum de causa Lubecensium ulterius deliberandum; nil tamen, ob intercessionem Regis amantissimi, nisi summam clementiam experturos; licet graviores laesae maiestatis poenas promeriti essent. Atque ita legati Danici comiter dimissi. Iam processerat pars maior anni, quum legatos Anglorum Regis Eduardi Sexti, quorum praecipuus erat Iohannes Bortwichius, vir consiliis, linguaque promtus ad amicitiam, & societatem petendam, Hafniam, quae Daniae Metropolis est, & Aulae regiae sedes, venisse nunciaretur. Cum illis foedus renovatum est iisdem legibus, quibus inter priores Reges ictum fuerat. Hae tamen novis pactorum tabulis accessere conditiones; ut si quid umquam hostile in utriusque principis regna, & ditiones adversarii molirentur, validis sibi invicem subsidiis, terra, marique ferrent opem, eaque pacta literis, ac sigillis utrimque confirmarentur. Quo se foedere iunctum tam potenti regi impendio laetabatur rex Christianus, adeo ut parantibus abitum Oratoribus Anglicis, non solum munera amplissima liberaliter impertiverit, sed & genere, ac virtute florentissimos quosque ex nobilitate Danica iuvenes itineris comites adiunxerit, qui & honoris causa eos prosequerentur, & simul in Angliam delati, de prolixo domini, ac regis sui in Eduardum regem, & regiam Anglorum domum universam adfectu, & quantopere novi foederis sanctio placuerit, coram testarentur. Verum hanc Daniae felicitatem inconstantia fortunae, quae nihil diuturnum esse permittit, protinus invidit. Nam prima sequentis anni aestate, mors fato propera, seu conflata insidiis, Eduardum regem, nondum sedecim

CIƆ IƆ LIII.

annos natum, abstulit. Qui iam in illa tam tenera aetate magna virtutum specimina ediderat, pietatis in Deum, constantiae, humanitatis, amoris erga subditos, & quaecumque in heroicae indolis principem dotes cadere possunt. Literarum studio ardebat incredibili. Linguas multas puer exacte callebat, Gallicam, Italicam, Hispanicam, & in primis Latinam, qua polite, & promte loquebatur, non ignarus Graecae; quippe ad omnia docilis erat. Prius ceperat favere artibus, quam nosceret, & noscere antequam uti posset. Certe in maxima omnium & bonorum, & eruditorum exspectatione fuit ob morum ingenuitatem, & suavitatem. Vbi gravitas regia requirebatur, senem vidisses, ut blandus erat, & comis, aetatem referebat. Imo tam acri pollebat iudicio, ut publicis regni negotiis admoveretur. Ceterum tam repentino foederati principis fato acriter indoluit Daniae rex Christianus, ut sero nimis luctum deponeret. Praecipue miseratus est fortunam Anglici regni, in quo post excessum Eduardi magna sequuta est rerum mutatio. Maria namque, regis modo defuncti soror, regno inaugurata, de Pontificia religione per universam Angliam restituenda edictum satis severum promulgavit. Hinc in Evangelicos omnes ferro, flammaque crudeliter saevitum. Multi procerum, quod a tam funestis consiliis toto animo abhorrerent, in exilium eiecti, aut capite truncati. Episcopi, & Sacerdotes non pauci luctu osissimo spectaculo, combusti sunt. Inter hos Cranmerus summus Angliae antistes, vir moribus sanctissimus, & ob aetatem, corporis speciem, eruditionem, gravitatem, atque egregias animi dotes quamplurimas maxime venerabilis, horrendos ignis cruciatus subire coactus est. Imo utriusque sexus octoginta quatuor, ob constantem verae religionis defensionem, unius anni curriculo, flammarum saevitia absumsit. Sed harum rerum avido plura suppeditabunt istorum temporum scriptores. In Polonia, sub extremum anni, nobilium aliquot, qui gente Dani erant, indignissima caedes patrata est. Hi, biennio ante, ne militarem aetatem per ignaviam effluere paterentur, ad prima sub fortissimo Regum Sigismundo stipendia facienda, in eas terrarum oras concesserant. Forte evenit, dum ab itinere in hospitium, sedandae famis gratia deflectunt, ut eo ministri quidam Abbatis Olivensis, (id prope Dantiscum monasterium est) una diverterent. Initia sermonum intra facetias steterunt. Mox animis vino incalescentibus, licentia loci, ad rixas provecti; quae nonnisi fuso innocentum sanguine, (quod Olivenses viribus, ac numero longe superarent) transactae sunt. In his unus ex generosa Ronnoviorum prosapia oriundus erat. Itaque iuvenis interfecti cognatus Eilerus Ronnovius, apud regem de facinore tam nefario conquestus, tantum precibus evaluit, ut in Poloniam legati mitterentur, qui debitas in parricidas istos poenas exposcerent. Rex Poloniae Sigismundus, amantissimus iustitiae princeps, de scelerato facto per legatos edo-

ctus,

CIƆ IƆ LII. ctus, autores caedis paulo post comprehensos, quum culpam non diffiterentur, capitis adfici supplicio iussit. Eadem occasione vetera inter utrumque regem renovata sunt foedera, firmaque, ac perpetua stabilita amicitia est. CIƆ IƆ LIII. Initio statim novi anni inter Mauritium Saxoniae Ducem, Electorem, & Albertum Marchionem Brandenburgicum, gravius exarsit bellum; quod magna utrimque virtute, sed saepius adversa Electoris fortuna gestum est; donec ingenti Saxonum exercitu fuso; caesisque trecentis ex flore nobilitatis, ad pagum Brochdorphium iuxta oppidum Peinense, in ducatu Brunsvicensi, ipse Mauritius, cruentissimo praelio superatus, teloque venenato confectus, ac trucidatus, occumberet. Huius eventum belli, quod sine suo consilio, ac voluntate susceptum esset, Augustus Saxoniae dux, Mauritii frater, ut e longinquo specularetur, ac interea socerum suum Christianum regem inviseret, ac salutaret; adiuncta sibi illustrissima coniuge Anna filia regis natu maiore, sese paulo ante in Daniam contulerat. Eo confestim proceres aulae Saxonicae, totiusque ducatus Ordines Iohannem Carlovitzium, nobili genere virum ablegant, qui principem suum de pugna Brochdorphiana edoceat, inque patriam ad dignitatis Electoralis successionem revocet. Nec mora, licet Augustus a dulcissima soceri consuetudine aegerrime divelleretur, itineri tamen se committit; domumque reversus, augustissimum Electoris munus, omnium suffragiis, nec ipso Imperatore dissentiente, suscipit, quod summa ad posteros gloria deinceps substinuit. Primo deinde Vere celebrata sunt Hafniae comitia, ingenti legatorum exterorum frequentia. Venerant etiam Oratores Lubecensium Ambrosius Meierus Consul, & Bartholomaeus Thegnappel, multa queritantes, tam civitatum Vandalicarum, quam suae reipublicae nomine, de gravissimis iniuriis, collegio mercatorum, qui in Norvegia negotiabantur, a regio Bergensis arcis praeside subinde illatis contra iura, & scita privilegiorum, consuetudinum, morum, & legum antiquarum, quibus commercia hactenus apud urbes maritimas fundata steterant. Ad ea redditum est, comitiis peractis, tale responsum: Regi persuasissimum esse, Dynastam Bergensem, expertae fidei virum, nequaquam tanta praeditum malitia, ut contra ius, fasque quempiam insontem laedat, ullave adficiat iniuria. Nihilominus praescriptorum de querelis Lubecensium, ut innocentiam suam ostendat, omnemque a se criminum obiectorum suspicionem amoliatur. Privilegiis eorum nihil derogatum iri, si quibus legitime impetratis fruantur. At vero consuetudines, & antiquos mores, vanum, & inane esse, quod tantopere iactitent; quum novos ritus, novaque instituta, veteribus abolitis, sancire pro arbitrio illis liceat. Si quae tamen cum subditorum suorum detrimento non sint coniuncta, nec a pietate, ab honesto, & decoro aliena, ea confirmaturum autoritate sua regem, modo sic placitum societati Mercatorum fuerit. In Dioecesi Othoniensi per haec fere tempora novas excitarunt turbas duo verbi divini praecones Christophorus Michaelis, & Laurentius Eliae. Hauserant illi teneris annis, dum praecoci nimis consilio, propemodum impuberes, studiorum gratia exteras adire terras festinant, vesanos de Sacramento Regenerationis errores, quos enata superiori seculo Anabaptistarum secta in Ecclesiam Christi invexerat; hominem, videlicet, in peccata, post primam Baptismi emundationem relapsum, ad coelestis gratiae recuperationem, non minus iterato sacri huius lavacri usu indigere, quam frequenti sumtione corporis, & sanguinis Dominici, quod, instar salutaris remedii, adhibere solemus, quoties sceleratae mentis angores, ac infelicis conscientiae morsus, atque stimulos persentiscimus. Hanc doctrinam, postea ad publicum docendi munus admissi, rudioris plebeculae animis pro concione instillare neutiquam verebantur. Quin & admoniti saepius ab Episcopo Georgio Sadolino, desistere tamen a prava sententia omnino nolebant; verum ei contra crimini dabant, quod ceremonias Pontificias, & simulatam vitae Monasticae sanctimoniam pristinum in usum revocare adniteretur. Ne igitur venenum hoc latius serperet, nec Episcopus in officii neglecti suspicionem incideret ad regem, primo quoque tempore, de tam male pertinaci novorum haereticorum contumacia referendum censuit. Is propere ad dicendam causam citatos, Hafniam evocavit. Illic dum morantur, alter eorum Laurentius Eliae, ad ostentationem praeposterae pervicaciae, filium suum adultae iam aetatis, qui in priori Baptismo, Iohannis nomen acceperat, denuo in portu Hafniensi, ad pontem Divae Annae vulgo dictum, aqua marina probe perfusum, indito Eliae nomine proluit, non sine ingenti adstantium irrisione, & contemtu. Interea rex conventum indixit Episcoporum, Sacerdotum, & aliorum sacri ordinis per singulas regni provincias, virorum; qui, adiunctis sibi Professoribus Academiae Hafniensis, controversiam hanc summa cura diiudicarent. Posteaquam illi, ex mandato regis ad praestitutum diem, Hafniae frequentes comparuissent, Duumviri, quorum res agebatur, in eorum se consessu sistere iussi sunt. Ipse concilio rex interfuit, ut sua praesentia, quanta purioris religionis conservandae cura tangeretur, declararet. Instituta mox disputatione, quum errores uterque suos acriter, & obstinate defenderet; tota eos Iudicum corona laesae maiestatis reos, & novissima poenarum exempla meritos, unanimi sententia pronunciavit. Inde, regio iussu in monasterio quodam Scaniae Herivadensi, dura aliquamdiu custodia sunt adservati, postmodum Soram translati, in perpetua captivitate vitam finiverunt miserrimam. Ab excessu regis Eduardi, Mariam Angliae reginam, in omnes, qui diversam a Pontificia religionem profitebantur, saevam exercuisse crudelitatem supra diximus. Ea calamitas quamplurimos mortales voluntario exsilio patrias mutare domos, inque peregri-

CIↃ IↃ LIII.

grinis, & ignotis terris fortunam experiri coegit. Belgas praecipue, Polonos, aliosque exterae nationis homines, quibus tranquillas in Anglia sedes, liberamque divini cultus administrationem, suo sub imperio concesserat indulgentissimus princeps Eduardus, fatalis haecce necessitas in longinquas expulit regiones. Nonnulli in Daniam migrare consilium ceperunt, sive gentis humanitate abducti, sive fama inclyti regis, quem tutissimum adversa iactatis fortuna perfugium praebere solitum inaudiverant. Tres igitur & aetate, & rerum usu, ceteris, qui remanserant praestantiores Iohannes Lascius, nobili apud Polonos sanguine natus, Carolus Vtenhovius, & Martinus Micronius, non exigua multitudinis frequentia comitante, (centum septuaginta quinque numero fuere) nave conducta, e portu Londinensi solventes, sub hiemis initium, Helsingoram, maritimam Selandiae civitatem, fretique celeberrimi (quod non iniuria Hellespontum Danicum dixeris) littori impositam, adpulerunt. Vbi cognito regem Coldingam esse profectum, eo magnis itineribus contendunt. Comiter hic excepti, & ad regem introducti, adventus sui caussam pleni lacrymarum exponunt; suppliciter orantes, ut, suis in regnis, secura domiciliorum latibula, & avitae religionis libertatem, pro solita clementia, omni ope humana destitutis, indulgeat. Ad ea rex, propediem se de tanti momenti negotio cum proceribus regni deliberaturum respondit. Interea Paulum Noviomagum, qui tum aulae regiae a sacris erat concionibus, clarissimae doctrinae virum, quodnam vitae genus sectarentur, & cui potissimum religioni addicti essent profugi, accuratius explorare iussit. Post unum, aut alterum cum iis institutum colloquium, eius esse religionis comperit, quam Reformatam vocant, quaeque Calvini dogmata pro norma fidei Christianae amplectitur. Id quod regi, & senatoribus renunciat. Idcirco veritus rex, ne si fixam suis in ditionibus sedem collocare permitteret, perniciosa haeresi rudem plebeculam undequaque corrumperent, denuo in aulam accersitos benignis adfatur verbis; se neutiquam eis per imperii sui provincias, & regiones fida denegaturum hospitia; verum hac lege, si pravas de fidei articulis opiniones exsuant, quibus imbutos a Noviomago, cui hac de re inquirendi negotium datum fuit, intellexerat, & Lutheranis se Ecclesiis adiungant. Sin autem ea conditione adquiescere recusent, extemplo facessant, alioque terrarum, longe extra fines Daniae, secedant. Vt tamen se miseriis eorum permoveri rex ostenderet, centenos unciales, viatici loco munificentia plane regia, largitus est. Inde, per inferiorem Saxoniam, incertis diu sedibus vagati, tamdem Embdam Frisiae oppidum, pervenerunt. Isthoc loci dum consident, Iohannes Lascius, vir cetera doctus, itineris Danici acta, libello comprehensa, publici iuris facit, in quo multa admiscet, quae veri fidem excedunt, & quae postea Iohannem Sleidanum, Emanuelem Meteranum, aliosque bonae ceteroquin fidei scriptores, in errores non leves induxere. Nec expers prodigiorum coelestium hic fuit annus, prope quotidianas in urbibus, agrisque ostentantium numinis irati minas. Etenim species ardentis coeli multis in locis fuit. Alibi coelum findi visum, velut magno hiatu, quaque patuerat, ingentes effulserunt flammae. Sol rubere solito magis, sanguineoque similis; Lunaque inter imbrem candens adparuit. Vbique plurimus decidit e nubibus ignis, ac scintillantes per aera crebro volitarunt faces. Quae simul omnia cohortam sequenti anno pestilentiam, tam hominibus, quam pecori funestam denunciarunt.

CIↃ IↃ LIV.

Anno circumacto, Iohannes Basilides Muscoviae Imperator, insigni de Tartaris reportata victoria, quorum duo amplissima, magnaeque potentiae regna Casanense, & Astrichanum, suam in potestatem redegerat; tantis rerum successibus elatus, finitimarum regionum, ac provinciarum excidiis imminere coepit. Ingens ob id Livoniam terror invasit, ne a tam feroci, & infesto hoste penitus opprimeretur. Legatos itaque Magister Ordinis Teutonici, Episcopus Rigensis, & nobilissimi quique ex civitatibus, quae capita Livonicae gentis ea tempestate erant, misere; pacem, foedusque a Rutenis petentes; qui tantum inducias in paucos annos, sed conditionibus adsperrimis, impetrarunt. Quia vero nemini dubium erat, quin fallax, & fraudulentus tyrannus, quandocumque data fortuna esset, recens inita pacta rescinderet; idcirco, suis diffidentes viribus, principes externos de subsidiis mature solicitandos censuerunt. Prima ad Gustavum Sveciae regem commissa legatio est forti, ac strenuo viro Bernardo Smerthenio Vithensteinii praefecto; cuius facundia, blandisque promissis rex illectus, arma Rutenis intulit, finesque eorum infesto exercitu ingressus, omnia ferro, ac igni late vastavit. Sed a Livonis, qui societatem armorum condixerant, desertus, deducere exercitum finibus Rutenicis, foedusque cum Basilide Imperatore iungere coactus est. Inde Livonicae gentis legatus in Daniam venit, ab Henrico Ghalenio Ordinis Teutonici Magistro missus, vir summae prudentiae, fidei, & integritatis, Franciscus, cognomento Stetinensis, auxilium Christiani regis suppliciter implorans adversus hostem, qui, quod induciarum fidem rupissent Livoni, simul ob nuperam Svecorum in Muscoviticos agros irruptionem, acerbissima incensus ira, non solum toti Livoniensium nomini extremam molitetur perniciem; sed quem certum etiam esset minime temperaturum sibi, quin omnem effrenati animi furorem in subditos regios, ac regiae ditionis arces, & castella, quae hinc inde per Livoniam sita essent, effunderet, si quando copiis hostilibus eas regiones adoriretur. Ad ea responderi placuit: Haud ita magnis meritis gratiam, & favorem Christiani regis sibi conciliasse Livonos, ut ullam iis opem ferre teneretur; quippe qui hostiles Revaliensium adversus praesidiarios regios, conatus suo saepe consilio, subsidioque iuvissent,

CIↃIↃLII

ſent, nec provinciarum Danicarum vaſtationes cohibuiſſent. Ne tamen res Livonienſium iam fractas, & accisas, penitus everſas cupere videatur; promittere regem, aut interpoſita opera ſua, omnem belli cladem a cervicibus adflictae gentis amoliturum, aut firmiſſimo ſe iis venturum ſubſidio; verum hac lege, ſi occupatas hactenus regii iuris, ac imperii arces, & propugnacula non inviti reſtituant. Tam benigno laetus reſponſo legatus, gratiis actis, obſequium gentis Livonicae, fide non dubia, pollicetur; ſimul adſeverans, certum habere ſe, quod ſummus etiam Ordinis Magiſter populum univerſum, ſua autoritate ad eadem promiſſa, ipſa mox re confirmanda, adacturus eſſet. Quum in procinctu ſtaret, exhibitae ſunt literae regis ad Wilhelmum Brandenburgicum Archiepiſcopum Rigenſem ſcriptae; quibus impenſe petiit, ut, ingraveſcente aetate, Chriſtophorum ducem Megapolenſem, heroem annis, & virtute florentem, in laborum, curarumque conſortium adſumeret, eumque deinde, ſi quid de capite ſuo fortuna variaret, ſucceſſorem ſibi deſtinaret. Voluntati regis animo promtiſſimo morem geſſit antiſtes, ducemque Chriſtophorum ſacrae poteſtatis vicarium conſtituit. Sed illi tantis honoribus diu frui non licuit. Lis etenim inter Magiſtrum Ordinis, & Archiepiſcopum cohorta, in apertum bellum erupit; quo praeter ingentes clades urbibus, atque agris Pontificiae ditionis illatas, ipſe princeps Wilhelmus, una cum Chriſtophoro Megapolenſi, vinculis interceptus, & in arctiſſimam traditus eſt cuſtodiam. Ex ea tamen paulo poſt Chriſtophorus, probata innocentia ſua, dimiſſus, ac per Sveciam, Daniamque in patriam reverſus, deſponſata ſibi regis ſorore Dorothea totius ducatus, tum vacantis, regimen occupavit. Intra breve deinde ſpatium Chriſtianus rex, coacto procerum Concilio, ſeriam ſubſcepit deliberationem de tenore vitae, rerumque ſtatu, quo deinceps frueretur filius natu maior Fridericus, qui tum vigeſimum primum aetatis annum adtigerat. Inter alia ſic diſſerebat: Vix poſſe principem, tam prope maturum Imperio inter aulae ſtrepitus, & vaniſſima delinimenta adſueſcere arduis curarum, populique regendi artibus. Itaque deligi oportere locum, quem velut auguſtam novi principatus ſedem incolat, ubi prima regni gubernacula tractet, ac fato deſtinati dominii rudimenta exerceat. Mihi vero tali regiae fundandae commodiſſima ſemper viſa eſt arx, & oppidum Malmogienſe; quippe quod ut Scanicae gentis caput eſt, ita ceteris civitatibus ſitus amoenitate, aediumque magnificentia, & ſplendore longe praeſtare arbitror. Ceterum principi, non ita per aetatem confirmati, ſubactique ad omnes caſus iudicii, adiungendos eſſe cenſeo viros genere, ac prudentia claros, qui res graves, difficiles, ac perplexas praeſentibus conſiliis expediant, omniaque acta, & negotia eius, circumſpectae procurationis arbitrio moderentur. Hanc regis ſententiam quum nemo non Magnatum pronis ſuffragiis adprobaſſet; ipſum propugnaculum, totumque territorium Malmogienſe, una cum circumiectis duodecim provinciis, earumque villis, atque pagis, Friderico duci in aulae principalis adparatum, fruendum conceditur.

CIↃIↃLIII.

Is ſtatim ſummum palatii magiſtrum creat illuſtrem proſapia virum, rebuſque gerendis idoneum Eilerum Hardenbergium, qui demandato ſibi officio multos in annos praeclare functus eſt. Inter officia Palatina adſciti ſunt decem ex primaria nobilitate iuvenes, modeſtia, verecundia, omnique morum elegantia praediti; quorum fideli opera, ac miſterio privata Principis negotia nitebantur. Ex eodem concilio ſeverum prodiit edictum de iniuſta uſura cohibenda. Etenim magna vis accuſatorum in eos eruperat, qui foenore nimis intento pecunias auctitabant, & privato uſui bonum publicum poſtponebant. Quare novis tabulis ſancitum, ne quis foenore quincunciario amplius exerceret, hoc eſt, ut ex ſorte centeſima quincuncem dumtaxat annuatim creditor levaret; quum antea ex libidine locupletium agitaretur, & vel beſſes in paucos menſes exigerentur. Priuſquam vero novellam hanc Conſtitutionem Rex promulgaret, eminentiſſimos quoſque Theologos, ac Iuriſconſultos in conſilium adhibuerat; qui unanimi conſenſu ſtatuerant, inter Chriſtianos gratuitam quidem pecuniae debere mutationem eſſe: ſed quia commercia, aliaeque vitae humanae neceſſitates creberrima mutuatione indigeant; ipſam aequitatem poſtulare, ut is, qui pecuniae ſuae uſum alteri concedit, ac emolumentum, quod inde capere licuiſſet, in alium transfert, lucrum aliquod ab ipſo percipiat. Non etenim debet cuiquam damnoſum eſſe officium ſuum. Civilis igitur ſocietatis firmandae cauſa, non iniuſte, moderati foenoris uſum, legibus, & decretis Principum Chriſtianorum adprobari, atque concedi; quum vita humana ſine mutuis auxiliis ſervari non poſſit. Iam tempus appetebat, quo indictus erat conventus Elſsburgenſis ad decidendas controverſias de finibus utriuſque regni, & quae de aliis rebus coortae erant diſſenſiones, poſt foedus ictum inter Chriſtianum Daniae, & Guſtavum Sveciae Reges, apud oppidum Griſebech. Ex Nobilitate Danica Viri Illuſtres, ſummaeque dignitatis, illuc iuſſu Regis profecti ſunt, Magnus Gyldenſtiern; Birgerus Trolle; Antonius Bryske, regni Danici Cancellarius; Tago Tott; Claudius Vrne; & Holigerus Roſaecrantzius; quibus datum in mandatis erat, ſtrenuam ut operam impenderent componendis litibus diu inter utramque gentem agitatis, quo firmior pax, & concordia regnis Borealibus conſtaret, omneſque ſimultates, & ſiniſtrae ſuſpiciones penitus tollerentur. A parte Svecorum magnates hi comparuerunt: Dominus Guſtavus Olai, Steno Erici, Petrus Brahe, Abrahamus Erici, Suanto Sture, Birgerus Nicolai, Nicolaus Krumme, Gabriel Chriſtierni, Georgius Erici, Nicolaus Ribbing, Biorno Petri, Petrus Andreae, Benedictus Gylte; iiſque adiuncti a ſecretis, Olaus Laurentii, & Clemens Ioannis. Hi primo con-

congressu longam querelarum seriem de variis iniuriis a gente Danica Svecorum populo illatis proponebant, coelum, terramque contestantes, nihil commisisse Svecos, quod initum foedus violare hucusque potuerit; verum summis potius allaborasse viribus, ut mutuae tranquillitatis, & amicitiae vincula, nullis interrupta diffidiis, integra, & inviolata conservarentur. Nec praeterea quicquam memoria dignum in hocce Conventu actum est. Nam proceres Danici, ob famam bellici tumultus, militumque externorum in Holsatiae fines irruptionem, regiis mox literis in patriam revocati, re infecta discedere, omniumque negotiorum tractationem in annum insequentem differre coacti sunt. Initio aestatis oborto inter Carolum Caesarem, Galliaeque Regem bello, utrinque, totis viribus, terra, marique acerrime dimicatum est. Eo praetextu Galli, & Scoti in Oceano Septentrionali piraticam exercere navesque hostiles pariter, ac nulla laesione, damnove illato obnoxias, sine ullo discrimine, violenter invadere, ac despoliare coeperunt. Quarum rerum fama ad Regem perlata, classem armis, virisque refertam instrui, pararique iubet, certumque navigiorum numerum Mercatoribus, quorum praecipue res agebatur, imperat. Praefectum deinde classis constituit insignem bello virum, Magnum Gyldenstiernium; qui posteaquam diuturna navigatione utrumque mare permensus esset, dilapsis metu piratis, Norvegiam advectus, in portu Flecheroensi ad ancoras stetit. Unde post paucos dies solvens, Hafniam repetiit; eoque reversus, Regem maritimae expeditionis frustra susceptae eventum edocuit. Hanc Daniae Regis classem varios hominum sermones id temporis excitasse Sleidanus scribit. Nam alii Caesaris consilio fieri dicebant, qui Regis filium, aut fratrem in Scotiae possessionem mittere cogitaret: alii ad Galliae Regis usum destinatam; alii comparatam in hoc esse dicebant, ut si forte Caesar, aut filius Philippus, quorum iam esset ingens potentia propter accessionem Angliae, longius evagarentur, cohiberi possent: ideoque maritima civitates etiam sumtus in eam classem subministrare utabantur. Post multam, & diuturnam exspectationem evanuit omnis hic rumor, & in piratas hunc fuisse factum apparatum liquido constitit. Eadem tempestate Henricus, Dux Brunsvicensis, devicto nuper Alberto Marchione, cum quo bellum vario eventu gesserat, per inferiorem Saxoniam hostilia circumferens arma, plerosque tam Principes, quam civitates, & ex Nobilitate complures, immensam poscit pecuniam, & imperata facere cogit. Sed quum in eo iam esset, ut Albi traiecto, in Holsatiam irrumperet, & vim facturus videretur, Rex Daniae Christianus collectas subito copias obiicit, ac totius provinciae limites validissimo firmat praesidio. Ut primum Henricus impetum suum, velut obice posito, fractum animadvertit, benignis Regem compellat literis de commeatu militibus suppeditando, qui iam prope fame enecti fugam universi spectarent. Ad ea Rex paucis ita respondit, Nulla prorsus a se subsidia praedonibus terrarum exspectanda; qui inaudita crudelitate, sceleribus, atque iniuriis per universam fere Germaniam hactenus grassati essent. Habituros infortunium esse, ni propere a finibus ditionis suae discedant. Responso tam abrupto perculsus Henricus, totum exercitum in Ducatum Megapolensem traduxit, ubi & similem fortunam expertus est. Inter tristia huius anni, summorum apud nos virorum fata, qui vitam cum morte commutarunt, referenda censeo. Nam circa Idus Aprilis extremum clausit diem Vir nobilitate generis, & dignitate conspicuus, Dominus Ericus Erici Banner, summus castrorum Praefectus, quem vulgo Mariscalcum nominant. Paulo post decessit fortissimus Heros, Dominus Canutus Rud, Eques auratus, & regni Daniae Senator amplissimus. At vero, sub initium anni, ex hac aerumnosa vita coelestem in patriam emigravit Magister Christiernus Petraeus, Canonicus Lundensis; cuius consiliis ut plurimum utebatur Rex Daniae Christianus eius nominis Secundus, adeo ut rerum a se gestarum scribendarum munus ipsi, ceu Viro prudenti, & egregie docto, demandarit. Homo certe fuit indefessi laboris, & incomparabilis diligentiae: quippe qui libros quamplurimos ex Latina, & Germanica Lingua in Danicam non infeliciter convertit. Praecipue nomen suum aeternitati consecravit Saxonis Grammatici Historia Regum Daniae in vernaculam a se primum traducta; cuius accuratam interpretationem, ob sublimem, splendidam, & magnificam dictionem, & abstrusos loquendi modos, hactenus viri docti inter res desperatas habuerant. Praeterea nonnullis, & hoc proditum exstat Annalibus; hiemem, eo anno, crebra ac profunda nive saevam, & omni tempestatum genere foedam, tum aliquanto, quam alias, fuisse longiorem. Multos mortales in campis, & silvis oberrantes, aut frigore adustos, aut nive obrutos periisse: glacie quoque maria, & flumina diutissime constricta peregrinantibus iter praebuisse expeditissimum. Ad haec, Christianum Regem clementer restituisse omnibus ruralibus Pastoribus, & Parochis tributum a se imperatum, & iam tum Coldingam perlatum. Exegerat enim a singulis quatuor Unciales: quod grave nimis tum plerisque videbatur onus. Atque ea sunt potissimum, quae per integrum quinquennium, domi, militiaeque, memoria digna gesta sunt.

H I-

HISTORIAE DANICAE

LIBER II.

Qui complectitur res memoratu dignas, in Dania gestas, regnante CHRISTIANO III.

CIↄIↄ LV.

INsequentis anni principia ingentibus prope turbis exarsissent, nisi subditos motus, & genialibus in sacris obortos, novae respectus affinitatis sedasset. Etenim ad nuptias, quas ducta in matrimonium Anna-Sophia, Borussiae Principis Alberti filia, Ioannes Albertus, Dux Megapolensis, per ea tempora, Wismariae, non sine magnifico apparatu celebravit, invitatus Rex Daniae Christianus, Legatos eo misit Viros splendorem natalium pariter, ac raris animi, corporisque dotibus eminentissimos, Dominum Othonem Krumpenium, & Holigerum Rosaecrantsium; qui quod Rex ipse tenui valetudine conflictaretur, regiae praesentiae vices exhiberent. Inchoatis iam nuptiis, quum, more solito, ad tripudia, & saltationes convivii hilaritas provecta esset, primus inter corearum ordines locus assignatus est Legato cuidam Sigismundi, Poloniae Regis; ut is adiuncta sibi Sponsa, velut honoratioris conditionis praesultor, sequentis agminis pompam duceret. Quam indignitatem aegerrime tulere Legati Danici; ut se mox, irarum pleni, e mediis perstrepentis convivii gaudiis sudduxerint, naveque conscensa, in Daniam citato reditu concesserint. Id etenim factum cum insigni regis sui contumelia coniunctum iudicabant: quippe quum & avunculus Sponsae Rex esset Christianus; & quod in solenni Legatorum conventu, ubi de superioris sessionis, incessus, accubationis, & id genus honorum praerogativa, disceptatio coorta est, potissimum considerari solet, regnum Daniae longissimo antiquitatis intervallo Poloniae regnum superaret; utpote quod initium demum habuit circa Annum Christi M. LXXVII. quo Dux Polonorum (teste Lamberto Schafnaburgensi, Chronographo doctissimo & accuratissimo) qui, per multos iam annos Regibus Teutonicis tributum penderat, repente nova provectus audacia, propterea quod Principes Teutonicos cerneret domesticis seditionibus occupatos, nequaquam ad inferenda exteris gentibus arma vacare, regiam dignitatem, regiumque nomen sibi usurpare coepit. At vero Daniae regnum, incorruptae fidei Annales testantur conditum fuisse Anno Mundi Bis millesimo, nongentesimo, decimo; qui ante Christum natum Millesimus trigesimus octavus est, quo sapientissimus Israelitarum Rex Salomon lucem hanc primum aspexit. Caeterum Borussiae Dux Albertus tam repentino Legatorum Danicorum discessu non leviter perculsus, continuo literis, legatisque in Daniam missis, enixius se Regi excusavit, serio contestans, nihil in nuptiali illa festivitate ex industria commissum in ignominiam Regis; sed Legato Polonico hunc habitum fuisse honorem, quod Sigismundi Poloniae Regis beneficiarium sese agnosceret, cuius in fidem, clientelam, & obsequium, ratione feudi suscepti, se paulo ante dedidisset. Quin & Ioannes Albertus, Dux Mechelburgius, ne sua ex parte ullam sinistrae suspicioni occasionem praebuisse videretur, sub exitum Veris adulti, in Daniam suscepto itinere, Regem nova sibi affinitate iunctum invisit. Cuius sub iratum animum, post unum alterumve congressum, ad mitiorem sententiam ita flexit, ut omnem offensam, tam iustis delinitus excusationibus, deponeret; ac sororem insuper suam Elisabetham, quae non ita pridem marito suo, Magno, Megapolensium Duce, orbata erat, Vlrico, Ioannis fratri desponderet. Id enim negotii Ioanni fratri, in Daniam proficiscenti, suo nomine expediundum Vlricus commiserat. Huius forte dissidii, in ipsa, quod dicitur, herba feliciter oppressi, imminens periculum, prodigiosa portendebant tonitrua, quae, pridie Calendarum Ianuarii, undique exaudita, omnium animos magno pavore defixerant. Nam primis se intendentibus tenebris, terribili sonitu coelum strepere, & inter horrendos fragores rutilantia micare fulmina. Simul ingentibus procellis immensa vis grandinis deiecta, imberque continens per noctem totam, cum vehementi nubium collisione, effusus, usque ad auroram diei insequentis tenuit. Id quod rarum, & insolens, ea praecipue anni tempestate videbatur. Paucis deinde mensibus interpositis, habita sunt Hafniae Comitia, quae non tam ob publica regni negotia fuerant indicta, quam ad impensas Lubecensium, Vrbiumque Vandalicarum preces, & postulata, quibus, de querelis ante hac Regi, & Senatui expositis, aequum sibi ius reddi, saepius efflagitaverant. Frequentes igitur convenere civitatum maritimarum, (quae vulgo Hanseaticae dicuntur) legati, nil nisi veteres querimonias in medium proferentes de variis iniuriis, quas, praecedentium annorum decursu, negotiatores Vandalicos, hinc inde per regna Borealia, praecipue Bergis in Norvegia, & ad oppidulum Scaniae Falsterboe, perpessos fuisse uno ore clamitabant. Quum vero Privilegiorum,

CIↃ IↃ LV.

rum, quae ante aliquot secula, a potentissimis Daniae Regibus, exterorum Mercatorum Collegiis, ac Societatibus indulta memorabant, violationem verbis atrocioribus exaggerarent: deque iis nihil certi Regi, aut Proceribus constaret, praesertim de vetustioribus, quorum auctoritate iactantius nitebantur; volentibus Civitatum Legatis, decretum in praesens fieri placuit, ut ad certum diem Conventus Lubecam indiceretur, quo Legatis Regiis, bona fide, coram exhiberentur quaecumque in tabulariis suis reposita civitates haberent variorum Privilegiorum, & immunitatum, a Daniae Regibus concessarum, monumenta, tam vetera, quam recentioris aevi; eorumque descripta, & exempla, si quae postularent Legati, haud gravatim illis impertirentur. Id quippe ad causam hanc rite decidendam non parum interesse, ut aliquid deinceps comperti habeatur, quousque se ius, & auctoritas id genus Privilegiorum extendat. Enim vero saepe Privilegia vel male utendo prorsus amitti; vel longinquitate temporis, quod varias rerum mutationes adferre solet, penitus exspirare. Itaque ad statutum diem Legatus a Rege Lubecam missus est Ericus Krabbe, vir generosi stemmatis, & expertae in rebus magni momenti gerendis industriae, fidei, prudentiae, ac dexteritatis. Is paulo post in patriam redux, quamplurima Privilegiorum exscripta retulit: nihil tamen ulterius, vivente Christiano Rege, de iis transactum est. Nec minore Hamburgenses iactantia immunitates, & privilegia sua venditabant. Nam per eadem tempora, vana opum viriumque confidentia inflati, eo usque temeritatis excesserant, ut Mercatoribus, ad Albim flumen incolentibus, omnem interdixerint libertatem alibi locorum distrahendi merces suas, quam Hamburgi; & eo quidem pretio solo, quod Praetores, & Triumviri, recens in hanc curam constituti, rebus venalibus imponerent. Sui namque iuris, & arbitrii contendebant liberam esse per Albim navigationem; atque ex omni fere temporum memoria, eam Senatui, Populoque Hamburgensi ab Imperatoribus Romanis & factam fuisse & multis Privilegiis confirmatam potestatem, ne Mercatorum quispiam, sine eorum permissu frumenta, commeatus, aliave mercimonia, ex Transalbinis regionibus, in Oceanum navibus deveheret, atque exteras nationes transportaret. Ipsi peculiari formula *Ius restringendi*; sed prudentiores *Vim* ac *Violentiam* nominabant. Primum vero falsi, ac ficti dominatus impetum in Crempermarsos, ac Wilstermarsos, regiae ditionis negotiatores, effuderunt; quorum naves aliquot, frumentis onustas, dum velis in altum datis in Belgium transmittere conantur, per speculatorias suas, Hamburgum retractas, simul exoneratis, & in fiscum redactis mercibus, ultra totum semestre detinuerunt. Quae Regi quum nunciata essent, extemplo Legatos Hamburgum misit, qui navigia detenta dimitti, ablatasque merces restitui iuberent. Quod si porro violenter agerent, se non de- futurum afflictis subditorum rebus, sed iustam vindictam quaesiturum violatae libertatis publicae. Ad ea ferociter responsum est: Rempublicam Hamburgensem vetustissimis Caesarum Privilegiis innixam, iuris libertatisque tuendae causa, certas quasdam Mercatoribus praescripsisse navigationis per Albim fluvium leges, & statuta, simul omnis generis mercibus legitima indixisse pretia: ne mercatores, lucro inhiantes, pro arbitrio, aut subdole, aut confuse mercimonia tractarent, neve proihibitas merces in peregrinas regiones venum exportarent. Se vero prorsus censendos tantis indignos beneficiis cives, si ab ullo Principum, nedum a Daniae Rege, tantam potestatem, a maioribus suis, per tot secula, ad se devolutam, sibi eripi patiantur. Idcirco plane confidere Hamburgenses, haud indigne laturum Christianum Regem, quod ipsius subditi bonis ereptis, debitas contumaciae poenas exsolvissent. Eo per legatos accepto responso, rescribi placuit, urgendos precibus Hamburgenses, ut, quae tantopere iactitarent, Privilegia ostenderent, ac communicarent. Huius rei dilationem nonnullam quum Senatus Hamburgensis expeteret; veritus Rex, ne maiori cum temporis, sumtuumque dispendio, diutius actio illa protraheretur, Legatos subito in patriam redire iussit. Quare lis utrinque in suspenso relicta; nec deinceps, rerum potiunte Christiano, haec finem sortita controversia est. Ad praestitutum conventus Elfsburgensis diem, qui post Calendas Maias tertius erat, utriusque regni Proceres, non minore, quam priore anno frequentia, denuo congressi sunt. Initio colloqui facto, in solitas querimonias erumpunt Sveci, earumque summa capita in codicillos relata Legatis nostris exhibent. In primis, quod subditi Daniae Regis, qui Blekingiam provinciam incolunt, Nicolao cuidam cognomento Dacke, patriae proditori, & autori seditionis iampridem in Svecia exortae, arma, pecuniam, aliaque subsidia suppeditassent; captamque ex fortunis Svecorum praedam certo pretio permutassent; strenuos denique perniciosae factionis incentores se praestitissent: eo nomine initum inter Reges foedus violatum, graviter conquestus est Petrus Brahe, quem Sveci Oratorem constituerant. Nam inter pacta, & conventa hoc etiam fuisse asseruit, ne quis alterius hostibus, aut profugis perfugium, vel hospitium suis in terris, ac regionibus praeberet. Et dictis maior ut fides constaret, recensita sunt eorum nomina, qui literis ad seditiosos scriptis, e Germania opportuna propemodum auxilia adfutura polliciti essent. Hos inter praecipui fuere; Andreas Olai, Ioannes cognomine Parvus, Matthias de Gyteraas, Henricus Hofmannus, Matthias Ioannis, Ioannes Teutonicus, Andreas Taerning, Olaus Svenonis, Andreas Svenonis, Andreas Sartor, Andreas Scotus, Matthias Conradi, Carolus Biure, & Sveno de Lindaas. Hinc gravissima accusatione nobilissimum Dominum Wernerum Parsbergium Arcis Wardbergensis praesidem, ad-

adortus Brahaeus, quod in Blekingianorum scelera iusto supplicio non animadvertisset; verum, accepta ingenti pecuniae summa, tam illis, quam e Svecia profugis seditiosis perpetuam immunitatem concessisset. Cuius itidem criminis procuratorem Parsbergii Iohannem Teutonicum coarguit. Ad ultimum impense petiit, ut decidendis, componendisque tanti momenti controversiis, cuius rei causa utrimque convenissent, legati Danici omni studio iuxta secum incumberent. Adversus ea datum a nostris responsum: nulla teneri culpa Daniae regem, si quid crudelius factiosi nonnulli, ipso ignaro, patrassent; ipsismet luendam esse culpam, reddendamque delictorum rationem: sine regis consensu, & mandato motam in Svecia seditionem, eiusdemque reis praebita in Danicis provinciis latibula, vel exinde patescere, quod ex incolis Blekingiae, ad Sveciae regis preces, & postulata, quamplurimi debito supplicio adfecti; frustra in ius vocari coniurationis socios, quorum pars maxima iampridem morte seu fatali, seu violenta periisset; in superstites iam absentes, quum obiecti criminis nondum convicti essent, nullum dari sententiae ferendae locum; vanam idcirco, & inanem esse rupti hac in parte foederis querelam. Parsbergium per citatos cursores evocatum, propediem abfuturum, se ad sententiam in reos pronunciandam paratos, si modo Sveci pari numero ad negotium illud tractandum se conferrent. Etenim Danorum proceres sex tantum; contra ex Svecica nobilitate quindecim fere advenerant. Id quod ubi Sveci detrectarent, conventus irrito successu solutus. Nostri tamen de inquirendis, puniendisque sicariis operam condixere suam. Ingens circa haec tempora Svecorum mentes pervaserat in Danos subspicio; ut vana quaeque sibi fingere solet aeger animus, & diffidere vel amicissimis. Etenim gentis illius Annalibus proditum est, Gustavum Sveciae regem, paulo post Conventum Elfsburgensem, missis ad praesides, & praefectos Gothiae Orientalis, Smalandiaeque, literis, serio monuisse, ut saluti patriae gnaviter invigilarent, ac providerent, ne quid Respublica Svecica, istis in provinciis, detrimenti caperet. Se namque constanti fama edoctum, quam cruenta in vicinos Svecos consilia agitarent Dani, quamque totis adlaborarent viribus, ut omnem Sveciam suam in potestatem redigerent. Ad haec in aula Gustavi Regis de Friderico Christiani filio, Electo tum Daniae Rege, falsus increbuerat rumor, quod iactitare solitus esset, se olim, ubi rerum in Dania potitus esset, ultra constitutos utriusque regni terminos, Holvediam usque prolaturum fines imperii sui: quodque in hostilis animi indicium, trium Coronarum Insignia, quae Sveciae Reges, a vetustissima memoria, sibi vindicassent, annulo signatorio insculpta gestaret. Sed hae nugae sensim evanuere. Adulto Vere, in Anglia, Mercatores quidam ex Collegio Divi, ut vocant, Eduardi, instructa classe, per Oceanum Borealem Norvegiam praetervecti, ad Emporium Rutenicum, Sancti Nicolai nomine insignitum, navigationem instituere coeperunt. Immania haec Anglorum ausa Rex Daniae Christianus aegerrime tulit; quum quod absque suo permissu, qui Norvegici maris dominium obtineret, sordidi spe lucri, insolitum sibi iter ad merces distrahendas aperuissent; tum quod vectigalia regni Danici, quae negotiatores Anglici, per Hellespontum Danicum navigantes, quotannis solvere consueverant, haud parum, ob novam commerciorum ad barbaras istas gentes translationem, diminuerentur. Interea vero, dum reprimendis Anglorum molitionibus intentus est Regis, animus missi a Gustavo Sveciae Rege Legati, Ioannes Axelius, & Ioannes Ritbergius, advenere, enixe precantes, absistere Rex iubeat Anglos a vetita navigatione; ne variis mercibus importatis, nimis augeantur opes, crescatque potentia Sarmatici Tyranni, qui summum in circumiectas nationes imperium affectaret; neve maritimae in Germania civitates, cessantibus Anglorum negotiationibus, insigne detrimentum capiant. Datis itaque ad Mariam Angliae Reginam literis, obtestatur Christianus Rex, ut subditorum conatus severe inhibeat. Quod si in incoepto persistant, se acerrimum contumaciae vindicem futurum minatur. Verum Mercatores, lucro inhiantes, nullis minis adduci potuerunt, ut coeptam navigationem intermitterent. Ceterum, quum animadverteret pientissimus Rex Christianus, inter peregrinos ex Anglia proscriptos, qui hospiti, quaerendi gratia magno numero in Daniam confluerent, non paucos, Anabaptistico, & Sacramentario veneno infectos reperiri, qui sine subditorum suorum periculo, & damno admitti non potuerunt: ideo severissimum edictum hoc anno ad diem Michaeli Archangelo sacrum, promulgavit; quo sub capitali poena, & famae, ac bonorum omnium iactura interdixit; ne quis pravae religioni addictos in hisce regnis hospitio suscipere praesumeret; & sicubi suscepti essent, confestim omni civitatis iure intercludendos, & regno eiiciendos esse serio demandavit. Eodem die amplissima latifundia Regiae Academiae Hafniensis Professoribus utenda fruendaque concessit: ministrorum verbi divini stipendia auxit: liberalique sustentationi studiosae iuventutis annuos reditus locupletissimos, uberrimosque assignavit. Haec Regis vere Christiani in sinceram religionem merita, haec studia fuere, quorum apud seram posteritatem gratissima vigebit memoria. Nec reticenda videtur optimi Principis erga fidos aulae ministros prolixa benignitas, quos ad amplissimos honores perducere summae semper curae habuit. Ita demortuo Lubecensium Episcopo, Theodorico Resio, insignem sapientia Virum, Andream Barby, Cancellarium Germanicum, quo, multos per annos, participe consiliorum arcanorum usus fuerat, ad sacrum hocce munus pia Regis extulit sollicitudo. Extremo anni, in amaenissimo illo Monasterio Divi Petri, prope Nestvediam, ubi nunc illu-

CIƆ IƆ LV. lustris Schola est Herloviana, diem suum obiit Venerandus Senex, Dominus Avo Bilde Nobilissimi Viri, Petri Bilde, de Svanholm, filius: qui, dum suberat vigor animi ingentibus par negotiis praecipuus habitus, cui secreta Regum inniterentur. Etenim, per tempora trium Daniae Regum, augustissimo Cancellarii munere functus erat. Post ad Episcopatum Arhusiensem evectus, facta religionis per Daniam mutatione, dignitate cedere coactus est. Eandem tamen vim in amicitia Principis tenuit. Nam & vivum Avonem summo semper favore, gratiaque complexus est, & quum defuncti funus in templo Antvorschoviensi humo mandaretur, exequiis interesse Christianus Rex haud dedignatus est. CIƆ IƆ LVI. Insequens Annus non adeo magnis rebus insignis, sed intemperie coeli gravis, prodigisque solicitus fuit. Primo etenim Vere, sanguineo crine tremendum Cometae sidus effulsit, quod a Sole nascente Occasum versus extentum, per germinatum fere Octiduum, conspiciendum sese praebuit, usque ad horrorem, & formidinem visentium. Qui coelestium periti erant, novae huius Stellae exortum non nisi excidia gentium, civilium bellorum clades, popularium furorum pericula, aliaque funesta, & adversa paci, ac rerum ordini decernere iudicabant. Alii portendisse credebant diras calamitates, quas misera Livonia, per Moscovitarum irruptionem, sequentibus annis, substinuit. Sed & nobis Danis ostentum hoc mala non exigua obnunciasse compertum est. AEstatis enim subsequutae fervore satum omne coaruit; autumnale vero tempus adeo pluvium fuit, ut si quid locorum humilitate alitum succrevisset, perseveranti imbrium inundatione decideret. Ita quod aestas aegre genuit, Autumnus oppressit; tantaque temporum intemperies extitit, ut nec imber aestum leniret, nec aestus imbris illuviem temperaret. Hinc annonae gravitas per omnes Daniae provincias incessit, tantaque frumentorum penuria, ut imminentis saevitia famis, divites pariter, ac inopes consumtura videretur. Supra dictum est, ex parvis diffidiis, mutuisque contentionibus funestum exarsisse bellum inter Wilhelmum Brandeburgicum, Archiepiscopum Rigensem, & Henricum Galenium, Ordinis Teutonici Magistrum. Ad eos motus sedandos Christianus Rex, pacis amantissimus Princips, ex Nobilitate Danica Viros eminenti auctoritate conspicuos denuo Legatos in Livoniam misit, qui diffidentes solidam in gratiam reducerent, & infausti belli principia, ex quo nil nisi omne calamitatis, & miseriae genus ad utramque partem redundaret, quibuscumque possent conditionibus, componerent. Et inprimis solicitam impenderent curam Wilhelmo Archiepiscopo pristinae libertati restituendo, qui a victore Galenio in vincula abductus, Schmiltenii captivus attinebatur. Verum optimi Regis voto exoptatus responderet eventus, nisi si pacis transactioni, quae felicem exitum spectare videbatur, intercessisset Rex Poloniae Sigismundus, qui nescio quid praetendens, immensis cladibus occasionem dedit, queis tota Livonia miserandum in modum deinceps vexata, afflicta, & tantum non penitus oppressa fuit. Ad diem XVI. Februarii, Hafniae, solenni festivitate, & apparatu magnificentissimo celebratae sunt Nuptiae Vldarici, Ducis Megapolensis, uxorem ducentis Elizabetham, Sororem Christiani Regis, viduam Magni, Ducis itidem Megapolensis, iampridem defuncti; quam ei desponsatam fuisse antea memoravimus. Illis vix dum finitis, allatae sunt in Daniam literae de excessu Friderici Palatini Electoris, qui gravis aetate, Alzemi mortem obierat ad eiusdem mensis XXVI. diem. Huic nupta fuerat Dorotheae Christierni II. Daniae Regis filia; isque tanti matrimonii felicitate intumescens, posteaquam regnis excessisset Socer, summam rerum in Dania coepit adfectare, & deinceps vana imperii exspectatione, hostilia nonnumquam molitus est; donec fato sic satis maturo praereptus, nullaque sobole relicta, solicitos Danorum populos impendentium bellorum metu liberaret. Vidua in multos annos superstes, tandem supremum explevit diem Anno Christi CIƆ IƆ LXXX. In Electoratu successit Otho Ruperti fratris filius, mitissimus Princeps, & alieni abstinentissimus. Eodem fere tempore nobilis quidam gente Livonus, Conradus Vxelius, sexcentorum equitum turmis, quas ad vindicandas iniurias a Revaliensibus sibi illatas conscripserat, in Saxoniam inferiorem, Wagriam, & Holsatiam, impetu facto, undique ingentem circumferebat metum. Rex itaque veritus, ne suis quoque subditis aliquid damni ferocia militaris inferret, collecto exercitu, vim vi repellere cogitabat. Verum paulo post Lubecensium agris, ac territoriis omnis haec tempestas incubuit; quos ubi immensam argenti summam, ut milites suos a depraedationibus cohiberet, sibi solvere compulisset, Vxelius sine ulteriore violentia, finibus eorum excedens, in Belgium cum omnibus copiis, militiae exercendae causa, sese contulit. Iam magna anni parte circumacta, Roeschildiae in fata concessit generosus heros, & de patria universa egregie meritus Stigotus Pors, eiusdem Ecclesiae, ut vocant, Archidiaconus, qui ob insignem pietatem, ac prudentiam, post amotos Archiepiscopos sacri Ordinis per Scaniam praeses a rege constitutus fuerat. Nec multo post in ipso aetatis flore, ac vigore, Chilonii, properata morte, vitam finiit Holsatiae dux Fridericus, regis Daniae Friderici I. filius, Episcopus Slesvicensis, & Hildesheimensis. In eius locum subfectus Adolphus frater, iam antea omnium votis, ac suffragiis sacrae huius dignitatis fastigio destinatus. Foeda per id temporis invalescente iuventutis aulicae luxuria, Leges Vestiarias Christianus rex edidit, quibus vetitum fuit gestare caligas laxo sinu fluitantes, & ad ima crura propendulas, quo habitu milites tum incedere soliti. Eo etenim vesaniae processerat quorumdam fastus, ut tantum serici panni unico vestimento impenderent, quantum tribus, aut quatuor, procerae staturae hominibus amiciendis

dis suppeteret. Ideoque tam profusi sumtus indumenta, calamitatem fundi, & pestem, ac perniciem rei familiaris rex indigitare consueverat. Quumque edictorum severitatem ad coercenda vitia parum momenti habere animadverteret, satellites in publicum emisit, qui vestimenta prohibita, si quos haberent obvios tali ornatu conspicuos, cultellis lacerarent, ac discinderent. Quo territi rigore, multi ad pristinam se frugalitatem composuere. Nec multa memoratu digna novus adtulit annus. Cuius sub initium, datis ad Holsatiae duces, & senatum Hamburgensem literis, rex in commune consulendum monuit, serioque deliberandum, qua ratione dirimenda lis esset, quam eis fisci Caesarei procurator non ita pridem intenderat. Posteaquam enim in comitiis Ratisbonensibus colligendae, & in fiscum redigendae pecuniae datum ei negotium fuerat, quam Ordinibus Imperii, ad Turcicum bellum gerendum, imperaverat Carolus Caesar; inscitia reipublicae nostrae, ut alienae, ratus Episcopum Slesvicensem, & Hamburgenses, indictae pensioni solvendae, aliisque oneribus substinendis non minus esse obligatos, quam cetera membra, & Ordines Imperii Romani; idcirco destinatum hunc Turcico bello censum ab illis quoque paulo severius exigere ceperat. At illi quum imperata detrectarent, iustasque adferrent excusationes, quod ducatus Slesvicensis feudum esset regni Danici, ipsaque Dioecesis ab omnibus Imperii oneribus libera, atque exemta; quodque Hamburgenses, omnisque Stormariae regio, in qua sita haec civitas, tam arcto nexu inserta, & coniuncta ducatui Holsatiae, eiusque dominio esset, quam membra corpori; tali responso necdum adquiescens, iure cum ipsis agere, & plenam dissensionis controversiam instituere non est veritus. Quamobrem iam literis regiis incitati, totum hoc negotium ipsius consilio, fidei, & autoritati commiserunt. Igitur adornata ad Caesarem legatione, rex summa ope expetiit, ut institutam a fisci sui advocato, contra Slesvicenses, & Hamburgenses, actionem eousque differri pateretur, donec certo constaret, num inter Ordines, & membra Imperii Romani iure censendi Episcopus Slesvicensis, civesque Hamburgenses essent; an vero ditioni regum Daniae, ac principum Holsatiae subiecti. Caesar benigno legatis reddito responso, in postulata regis aequo animo consensit. Itaque in Camera Spirensi, ut vocant, ubi supremum Imperii Romani tribunal, diu fuit haec lis agitata, ad tempora usque Friderici II. Daniae regis; quo regnante, dioecesis Slesvicensis, iuri, ditioni, ac potestati regum Daniae, omnium iudicum sententiis, atque suffragiis adiudicata cessit, de civitate Hamburgensi nondum, quod sciam, determinata controversia. Intercessere pauci dies, quum rex Sveciae Gustavus, literis, ac legatis in Daniam missis, graviter conquereretur de averso, & abalienato Christiani regis a se, totaque gente Svecica, animo, studiisque, ac consiliis magis ad bella, & hostiles molitiones, quam ad pacem, & amicitiam colendam inclinantibus. Eius rei illustre hoc habere se documentum scribit, quod in omnibus picturis, ac sculpturis, in armis, vexillis, aliisque utensilibus, insignia trium Coronarum, quae multorum seculorum decursu, propria, & usitata Svecorum regibus fuerant, rex Daniae per integrum decennium exprimenda curaverit. Quin & eo audaciae progressum, ut literas nuper ad se datas annulo obsignaverit, in cuius pala eadem insignia exstarent incisa. Exinde neminem ignorare posse, quaenam adversus finitimos Svecos consilia volutent Dani; nempe, ut omnem, qua patet, Sveciam sub pristinum servitutis iugum redigant. Longe maiora in Christianum regem sua constare merita, qui ad imperium Danicum vix pervenisset, nisi si Sveci, suo iussu, & voluntate, arma, pecuniam, aliaque subsidia ad res gerendas suppeditassent; nunc vero ipsum tantis benefactis malam rependere gratiam. Plura in hanc sententiam legati exponere iussi erant, quae diffusius Svecorum Annales commemorant. Quibus responsum est: Nequaquam in ignominiam Sveticae gentis Insignia trium Coronarum hactenus usurpasse reges Daniae; sed potius in memoriam arctissimae unionis; ac indissolubilis vinculi, quo imperante Margareta Regina, tria haecce ad Septentrionem regna, Dania, Svecia, & Norvegia, invicem connexa, & copulata fuere. Extremo aestatis, illustrissimus princeps Augustus, Saxoniae Dux, & Elector, adiuncta sibi itineris comite Anna, Christiani regis filia, in Daniam, splendida etiam stipatus aulicorum caterva, adpulit; non solum ut Socerum, iam senio fractum, & debilitatum inviseret, ac salutaret; sed & cum eo ut ageret de recens exortis in Religione controversiis, aliisque magni momenti negotiis, quae communem reipublicae salutem spectarent. Eum in Saxoniam paulo post revertentem, iussu parentis, comitatus est Fridericus princeps, electus Daniae rex, una cum fratre Magno, lectissimaque Danicae Nobilitatis frequentia. Exitu anni vita concessit Doctor Ioannes Macchabaeus Alpinas Scotus, Theologiae in regia Academia Hafniensi Professor eminentissimus, vir excellentis doctrinae, & integerrimae vitae. Eius funus Regia Maiestas prosequuta est. Ceterum Ioannes hic noster dictus Macchabaeus, prognatus ex nobili, & perantiqua Macalpinorum in Scotia, familia; adulta iam aetate in Angliam profectus, ibidem, ducta uxore Agnete Suderlandia, aliquamdiu consedit. Quum autem videret nullam sibi sperandam isthic loci fortunarum, aut vitae securitatem; fervente tum vel maxime, Marianis praesertim temporibus, persequutione eorum. qui recens patefactam doctrinae coelestis lucem amplexi, ob eiusdem professionem, variis, atque exquisitis suppliciis excarnificati, passim trucidabantur, patria cum uxore extorris, in Germaniam profugit. Et Bremae paucis mensibus sese tamquam ex fuga recolligens, Vitaebergam se tamdem contulit, viventibus adhuc ibidem Luthe-

CIƆ IƆ LVII. Luthero, & Philippo. In ea Vrbe, & Academia velut in portu sibi conquiescendum ratus, sese, & familiam, ut potuit ad aliquod tempus substinuit, in sacrosanctae Theologiae studium summa interim contentione incumbens, & divinae providentiae omnia sua commendans. Hic quum aliquando a Domino Philippo de familiae suae nomine interrogatus, Macalpinum sese esse, responderet: Merito, inquit Philippus, Macchabaeus in posterum cognominaberis, quod haud minora pericula pro gloria Dei, eiusque verbo, quam ille, subieris; quorum omnium felicem tamdem exitum, divina benignitate, sortieris. Atque ex eo tempore Iohannes sese Macchabaeum semper, & nonnumquam ex altera sui cognominis parte Alpinatem insuper vocitavit. Sic igitur Witebergae victitans Iohannes Macchabaeus Alpinas, & iam tum gradu Doctorum in Theologia ibidem ornatus, uno, & eodem tempore, per literas, Argentinam, & in hanc nostram Daniam, ad Theologiam publica professione docendam, amplo sic satis, & honorifico stipendio evocatur. Hic vero nonnihil cunctatus, & anceps primum consilii; nihilominus tamen cum aliis rebus inductus, tum excitus potissimum fama de singulari pietate Christiani Daniae regis Christianissimi, eiusque in instauranda, & propaganda sincera religione, studio, & fervore; Daniam elegit, cui conferet potius operam suam in tam praeclaro sibi oblato docendi munere impendendam. In Daniam igitur profectus, Hafniam, quae regni Metropolis est, & Academiae sedes, venit, aestate iam inclinante Anno Christi CIƆIƆXLI. Ab eo tempore, totos deinceps annos sedecim, in regia Academia Hafniensi, magna cum laude, & auditorum fructu, Theologiam professus, verbum Dei summa fide, & diligentia est interpretatus, usque ad Annum hunc Christi CIƆ.IƆ.LVII. Quo anno, die V. mensis Decembris, in Christo pie, & placide obdormiscens in coelestem patriam redux, ex hac vita exsul, emigravit.

CIƆ IƆ LVIII. Dum in Saxonia Fridericus, Electus Daniae Rex, commoratur, sub exitum Februarii mensis, Comitia Francofurti ad Moenum habita. In his Ferdinandus, iam ante triginta annos Rex Romanorum constitutus, fratre Carolo V. Caesare sic volente, & iubente, qui aetate, ac taedio curarum fessus, depositis Imperii insignibus, relictaque Germania in Hispaniam traiecerat, post unanimem Electorum consensum, & electionem factam, Romanorum Imperator, publice, ac usitatis ceremoniis adhibitis, solenniter renunciatur, & proclamatur. Huic Electorum conventui Fridericus noster interfuit, tantaque se comitate erga omnes gessit, ut non solum ab ipso iam recens electo Imperatore omni honorum genere sit exceptus, sed & apud Electores, ceterosque Imperii Romani Principes, atque Ordines ingentem sibi gratiam, & favorem conciliaverit. Demum ab Augusto Electore benigne dimissus, circa Veris initium, in patriam redux, itinere Germanico feliciter peracto, sospes, ac incolumis Hafniam pervenit. Eodem mense Februario, quo Comitia Francofurtensia celebrata, fato fungitur Eleonora soror Caesaris, quae primum Emanueli, Regi Lusitaniae, cui etiam filiam Mariam pepererat, postmodum Francisco, Galliae Regi, matrimonio iuncta fuerat. Eam, post paucos deinde menses, morte sua subsequutus est Carolus Quintus Imperator; qui integro, quod obitum praecessit biennio, in sacro quodam secessu, totus rebus divinis, ac praecipue mortis, vitaeque coelestis meditationi vacans, in Hispania fatis concessit, quum vixisset annos LVIII. Imperium vero Romanum XL. tenuisset. Inter haec saevus, ac truculentus ille Moschorum, seu Rutenorum tyrannus, quique crudelitate omnes fama celebratos tyrannos aequaverat, Ioannes Basilides, ob dilatam pecuniae condictae solutionem, subitis incursionibus, copiisque validissimis in omnem se Livoniam effudit. Praeerat exercitui dux belli peritissimus, Zar Sigaleius, gente Tartarus; qui posteaquam in Virriam, & Harrigiam interiorem penetrasset, hostili populatione nihil intactum relinquere, vicos urere, agros evastare, ingentes mortalium caedes edere, multiplices praedas agere, omnia denique fuga, & terrore complere. Hinc Narvam, maritimum oppidum, post paucorum dierum oppugnationem, coepit, & mox arcem, urbemque Torpatensem, Hermanno Episcopo deditionem faciente, occupavit. Hac occasione nobilis quidam Livonus Christophorus a Monickhusen, cum Francisco Anstelio, Arcis Revaliensis Praeside, paciscitur, ut in fidem, ac ditionem Regis Daniae Christiani eam traderet. Quin & modicam militum manum, quos in urbe, praesidii causa, Ordinis Teutonici Magister collocaverat, sacramento Regis adigit: atque ita utramque armis, commeatu, praesidioque firmissimo instructam, unius anni spatio, adversus Moschorum impetum strenue tutatus est, inscio quidem Rege, sed ut his meritis regiam sibi obstringeret gratiam, a quo iam ante propugnaculo Colchiano praefectus fuerat. Brevi spatio interiecto, Revaliensium, totiusque fere Nobilitatis Livonicae Legati, Bruno Vidtbergius, Fabianus Tisenhusen, Casparus Breitholts, & Iustinus Cloedtius, in Daniam venere, opem Christiani Regis adversus Moschos suppliciter implorantes, cuius antehac clementiam, non una in calamitate, experti fuissent. Eos Rex, benigno responso dato, amplissimaque suppetiarum spe facta, comiter a se dimisit. Post paucos deinde dies, Gothardus Ketlerus, iussu Wilhelmi Furstenbergeri, qui tum Ordini Teutonico summa cum potestate praeerat, arcis, oppidique Revaliensis restitutionem per literas a rege expetiit. Quibus responderi placuit, se neutiquam impedimento futurum, quominus erepta recuperent: nec ad incrementum imperii sui, quod satis vasto terrarum ambitu pateat, indigere unius castelli accessione, ab omni denique humanitate alienum, summis angustiis circumventos aliis super alias cladibus cumulare. Itaque imperaturum se Christophoro, ut praesidia ex arce, urbeque Revaliensi

liensi deducat, easque Episcopo, sive Magistro Ordinis restituat; verum his conditionibus, ne tormenta bellica, commeatum, arma, aliave, quae in usum belli eo illata essent, Christophoro petenti reddere detrectent; nec faxint, ut id ipsi fraudi, aut noxae sit futurum, quod demerendi solum Regis gratia, in medio belli ardore, ditionis alienae latifundia invaserit. Hac de re nuncio, qui Ketleri literas pertulerat, redditi sunt ad Christophorum a Rege codicilli: simul, in solatium dirae calamitatis, ad Ketlerum transmissis viginti aureorum millibus. Redux in Livoniam tabellarius Dieterico Behr, & Henrico Vxkilio, qui absentis Christophori vices gerebant, literas tradidit regias: quibus perlectis, extemplo in ditionem Episcopi arx, civitasque Revaliensis restitutae sunt. Eodem fere tempore Episcopus Osiliensis, Ioannes a Monichhusen, insulam Osiliam; iuxta ac Vlricus Behr, Dioecesin Curlandensem, Christiano Regi, ob suppeditatam ingentem pecuniae summam, permisere, quae postea in perpetuam potestatem Regum Daniae concesserunt. Ceterum, ut ostenderet laudatissimus Princeps, quanto alieni infortunii dolore angeretur, Viris summo loco natis, & insigni prudentia conspicuis, Claudio Vrne de Beltebierg, Vobislao Vibissero de Troieburg, Petro Bilde de Svanholm, Hieronymo Thennero Iurisconsulto, ad Muschorum Imperatorem splendidam commisit legationem, inque mandatis dedit, ut tyrannum solicitis precibus (si modo ullis flecti precibus posset) eo adducerent, ne nimia crudelitate saeviret in miseros Livonos, quorum pars maxima ferro, flammaque periisset; utque memor foederis, quod inter se sanciverant, exercitus sui duci Zar Sigaleio interdiceret, ne propugnaculum Colchianum, aliaque regiae in Livonia ditionis castella, praedationibus infestaret, sed omnem a subiectis sibi incolis violentiam abstineret. Verum priusquam mandato sibi muneri Legati defungi potuerint, Christianus Rex finem vitae impleverat. Primo vere, Lutetiae Parisiorum, Nuptiae Francisci Delfini, Henrici, Regis Gallorum filii natu maioris, cum Maria Stuarta, Iacobi V. Scotorum Regis, & Mariae Guisianorum Sororis, unica filia, sumptuosa, & vere regia pompa celebratae sunt. His ut interesset Rex Christianus, missis sub initium anni per Carolum Danzaeum, Oratorem Gallicum, literis, enixe petierant. Sed obstante valetudine Regis, quae extrema aetate haud adeo prospera fuit, aliisque intervenientibus impedimentis, decernere in Galliam Legatos placuit, qui & regias obirent vices, & commissa sibi negotia diligentius conficerent. Inter alia etenim haec eis iniuncta fuere mandata, ut, posteaquam novis Nuptiis fausta quaevis nomine Regis apprecati essent, cum Delfino, Rege Scotiae designato, agerent, partim de veteri societate, & amicitia, quae Daniae Regibus cum regia Scotorum domo intercessit, renovanda, & confirmanda; partim de restituendis Orcadibus, quas oblato pretio redimere saepius, at frustra, Rex Christianus conatus fuerat. Delfinus Legatos comiter exceptos cum habuit magnificentius, tum largissimis promissis oneratos dimisit. Ceterum mors fato propera, quae insequente mox anno, optimae spei Principem, in florida aetate, (vix enim annos octodecim natus erat) ex hominibus amolita est, tanta promissa irrita fecit, Orcadumque restitutionem in plures prorogavit annos. Huius temporis tractu, Heros tam splendidis, ac generosis ortus natalibus, quam virtute fortitudine, prudentia, & egregiis in patriam meritis inclytus, Petrus Oxe, Gisselfeldii Dominus, & regni Danici Senator eminentissimus, ob scriptas [ut perhibent] ad Henricum Galliae Regem suspectae fidei literas, in ius a Rege, cuius iampridem gratia exciderat, citatus est, ut in Comitiis Neoburgum Fioniae indictis ad causam dicendam se sisteret, obiectisque criminibus responderet. Petrus autem tantis impar offensis, aliquo cedendum ratus, donec defervesceret ira Regis, convasatis pretii potioris opibus, in Belgium se citato itinere contulit. Ad praestitutum conventus diem, non Rex solum ipse, sed & alii Nobilium multi, gravissimis criminationibus peregre absentem Petrum aggrediuntur: quos inter Nobilis quidam Petrus Dhue atrocis iniuriae sibi illatae eundem accusat, quod se, ob levem suspicionem, in arctissimam coniecisset custodiam, nec nisi numeratis aliquot aureorum millibus liberum dimisisset. At vero nemine in iudicio comparente, qui Petri nomine obiecta dilueret, eiusve patrocinium susciperet, Rex causae cognitionem in commodiora tempora differendam censuit. Interea Nobilissimus ille Heros, voluntarii quasi exsilii pertaesus, iustis, & idoneis excusationibus allatis, innocentiam suam ita Regi probavit, omnemque, si qua commissa, culpam deprecatus est, ut honorificentissimis literis in patriam a Rege, & universo regni Senatu revocatus sit, ornatusque dignitate, quae in Dania, ubi a Regia Maiestate discesserimus, suprema est. Summus etenim regii Palatii Magister, quem alii Thesaurarium regni nominant, constitutus est: quod muneris summa cum autoritate, incomparabili patriae emolumento, & gloriosa ad posteros fama, deinceps gessit, atque substinuit. Iam media aestas exacta erat, quum de nova Gallorum piratica tristes in Daniam nuntii, literaeque adferrentur. Nefarios etenim praedones, qui Vere praeterito universum circa Gallicas oras Oceanum armatis myoparonibus infestum reddiderant, naves quasdam Mercatorum Hafniensium invasisse, mercibusque direptis, nautas pariter, ac ipsos negotiatores captivos secum abduxisse nunciabatur. Eo cognito, incensus ira Rex Christianus, validissimam parari classem iussit, quae & acerbam hanc iniuriam vindicaret, & subditis porro suis per omnia maria securam praestaret navigationem. Destinati etiam erant ad Henricum Galliae regem legati, qui de tam inaudita violentia expostulaturi debitam sceleratorum poenam deposcerent. Interim nonnulli Mercatorum, qui in vincula coniecti fuerant, Hafniam

CIↃ IↃ LVIII. niam reversi, insignem Henrici regis clementiam summis extulere laudibus, quod, statim ac de despoliatis Danorum navigiis fando comperisset, maritimos istos praedones, undique conquisitos non solum condignis adfecisset suppliciis, sed & ereptorum bonorum, quae restitui non poterant, pretia, proprio de fisco, cuique liberaliter solvenda curasset. Itaque ab incoepta expeditione rex destitit, revocata in portum Hafniensem classe, quam ad reprimendos piratarum impetus iam tum emiserat. Circiter XVII. Calend. Septemb. ingens, & luridum sidus spatioso limite flammiferum crinem trahens, conspici coeptum, duodecim fere dies arsit. Id extrema multorum Principum, ac Magnatum fata, quibus hic, & insequens annus memorabiles fuere, praesagiisse creditum est, sicut plerumque solent sive imperiorum mutationem, sive summis potestatibus exitium portendere crinitae stellae. Etenim adnotatum a curiosis, unius anni spatio, Paulum Quartum Pontificem Romanum, decem Cardinalium funeriqus comitatum; Carolum Quintum Imperatorem; Henricum, & Franciscum Galliae reges; duos itidem Daniae regis, Christianum Tertium, & Christiernum Secundum captivum; regem Portugalliae; Venetorum principem Laurentium Priulum; Herculem Estensem Ferrariae ducem; Palatinum comitem Vulfgangum; Franciscum Otthonem ducem Brunovicensem, & Luneburgensem; quatuor reginas, Heleonoram Franciae; Mariam Hungariae; Bonam Sphortiam Poloniae; Mariam Angliae; Reginaldum Polum Cardinalem; Antonium Electorem Coloniensem; Episcopum Wirceburgicum Melchiorem Zobelium; Episcopum Lubecensem; aliosque Dynastas mortem obiisse. Quibus non iniuria accenseri debet excessus illustrium doctrina virorum; quum his etiam reipublicae salus innitatur, ut Iohannis Bugenhagii Pomerani insignis Theologi, & de Scholis, ac Ecclesiis Danicis praeclare meriti; Andreae Tiraquelli Iurisconsulti eminentissimi; Iohannis Fernelii Philosophi, & Medici clarissimi; Iohannis Penae Mathematici excellentissimi, & tamdem Iulii Caesaris Scaligeri, quo superiorem prisca secula vix habuere, parem certe haec aetas non vidit, & dubito, an umquam habitura sit. Sub initium hyemis in Daniam venit legatus ab Elisabetha, quae tum nuper Angliae regina promulgata fuerat literas ad Christianum regem perferens, quibus sua ipsius manu edocuit, Mariam sororem obiisse; se Dei benignitate, iure hereditario, & subditorum consensu in regna successisse; nihilque magis exoptare, quam ut vetus inter Anglicam, & Danicam familiam amicitia non solum conservetur, sed etiam augeatur. Nec multo post, quum forte rex per maritimum Selandiae oppidum Calundeburgum, iter faceret, patruelem Christiernum, quondam Daniae regem, qui captivus eodem loci, in annum iam vigesimum septimum attinebatur, perhumaniter invisit, ac salutavit. Heic ambo, peracto colloquio familiarissimo, in mutuos amplexus

A lacrymis ubertim effusis, ruentes, alternasque inimicitias deprecati, invicem sibi iniurias condonavere. Extremo anno, Coldingae, quod Chersonesi Cimbricae oppidum est, comitia habita. In his Novellas Constitutiones, (quas hodieque cum Iurisconsultus, Recessus Imperii vocamus) antehac a se editas, ac promulgatas, rex novis articulis auxit, & illustravit. Vnde etiam recessus Coldingensis dictus. Ad hanc rem in primis usus est opera, & consilio senatorum regni; B qui licet virtute, prudentia, & egregiis in patriam meritis, nomina sua iamdudum aeternitati consecrarint; heic tamen ad perpetuam posteritatis memoriam, denuo inserere, operae duximus pretium. Hi vero fuere Ioannes Friis de Hesselager Cancellarius Regius; Ottho Krumpen de Truitsholm Mareschallus; Magnus Gyldenstiern de Stiernholm; Byrgerus Trolle de Lillo; Olaus Munck de Tiussel; Ericus Krabbe de Bustrup; Antonius Bryske de Langeso, regni C Cancellarius; Georgius Lycke de Offvergaard; Ericus Ronnow de Hvidkield; Iohannes Bernekow de Birckholm, Nicolaus Lange de Kiergaard, Holgerus Rosentcrans de Boller, Lago Brake de Krogholm, Ivarus Krabbe de Ostergaard, Herlufus Trolle de Hillerodsholm. Venitur ad tempus, quod CIↃ IↃ LIX. optimo regi Christiano fatale fuit; toti vero Daniae, ac Norvegiae triste, & luctuosum. Quamquam iam ante motus imbecillitatis, inclinataeque in deterius principia valetudinis rex senserat; tamen obnitente vi animi, re- D ditum in Selandiam, post finita comitia, paraverat. Sed ingravescente in dies valetudine, Coldingae subsistere coactus fuit. In primis, circiter XXIII Decembris, quum exquisitissimi dolores, ex ulceris maligni suppuratione cohorti, dextrum pedem valide adhorirentur, omnes vero artus tremor ingens occuparet; decumbere lectulo, totumque se istam ad horam, in qua cum tota aeternitate decertandum esset, componere coepit. Ita- E que primum omnium, accersito Paulo Noviomago, qui tum Aulae regiae a sacris erat concionibus, gravissima delicta, atque peccata, quibus coeleste Numen, per omnia aetatis spatia, ad iram provocasset, gemebundis subspiriis confessus est. Mox salutari epulo sacrosancti Corporis, & Sanguinis Iesu Christi refectus, ex monumentis divinis verba vitae aeternae, & oracula solatii plena, sibi praelegi, hymnosque sacros decantari iussit. Hinc ad Cornelium Hamsfurtium Medicum, F lectulo adstantem, oratione conversa, non ita pridem intempesta nocte, ab Angelo se admonitum indicavit, fore, ut ad Calendas Ianuarii, iam proxime imminentes, felicem, & exoptatum omnium aerumnarum, & laborum finem certo exspectaret. Quo somnium fuisse, respondente: id rex pernegavit; verum se, & oculis vidisse aligerum hunc nuntium, & auribus voces loquentis hausisse, ac propterea ad excipiendam horam illam decretoriam toto se animo paratum, serio, & constanter adseveravit. Illucescente primo ineuntis anni die, quo festum Circumcisionis Domini

CIϽ IϽ LIX. mini solenniter celebrari solet; licet omnem curam vehementia aegritudinis vinceret; pietati tamen, rebusque divinis sub novi anni auspicia, vacandum duxit. Iussu igitur regis in interiore cubiculo, denuo sacra Concio est habita; postquam pias Odas decantatas, varia dicta, & sententiae ex sacrarum literarum monumentis depromtae, quae ad erigendum animum regis, iam cum morte, ut videbatur confligtantis, facerent a Noviomago recitatae; praecipue caput Esaiae LIII. Iohannis III. Epistolae Pauli ad Galatas I. & id genus alia. Circa Meridiem, regina Dorothea, iam prope dolore, & moestitia confecta, cubiculum ingressa, questibus, & lamentis ita totam se tradidit, ut vix unum, aut alterum verbum effari potuerit. Regem tamen subinde, impedita crebris singultibus voce, inclamavit: Mi Domine Rex, mi Domine Rex! At ille subrefectus conspectu, & adloquio carissimi sibi spiritus, circumfususque amplexibus coniugis desideratissimae, communia illi commendavit pignora, nec quidquam iam de fine, si fata poscerent, recusare se dixit, quum sciret, quinam omnia post se coelo redditum, tam in republica, quam regia domo, salva, & integra discuperent. Postea conveniunt Regem ambo Cancellarii Daniae Ioannes Frisius, & Andreas Barby. Quos gravi & longa oratione compellans, postrema haec ipsis mandata dedit: Quoniam instare sibi iam viderent extremum vitae tempus, ut patriam, cui posthac ipse consulere non posset amplius, sibi commendatam haberent, ad eius salutem omnia sua consilia, & actiones dirigerent. In primis vero, ut, quemadmodum ipse fecisset, id operam darent, ut vera religio, incorrupta Ecclesiae doctrina, & quaecumque ad verum Dei cultum pertinent, salva, integraque conservarentur. Quae vero de Ecclesiis, Academia, Scholis, verbi divini ministris, & pauperibus, in nuperis comitiis decreta fuissent, ea ut rata & firma perpetuo manerent. Deinde ut charissimam coniugem suam, & liberos minores, qui velut omnibus destituti fortunis viderentur, quocumque modo possent, tuerentur, ne ad calamitatem ipsis, genereque ipsorum indignam redigerentur. Friderico filio eam, quam olim dedissent, fidem praestarent, eaque deinceps ipsi consilia darent, quae & ipsis gloriosa, & reipublicae futura essent salutaria; caverentque ne subditis, aut patriae, vis ulla, aut iniuria fieret; quemadmodum earum rerum omnium rationem reddituros se Deo in extremo iudicio, arbitrarentur. His dictis, omnibus, qui tum aderant, nobilibus, cubiculariis, & aliis inter officia Palatina ministris, gratias de fidelitate, & obsequio praestito uberrimas egit, singulisque dexteram porrexit, & ultimum Vale sua voce dixit. Post Tertiam pomeridianam, liberos natu minores Ioannem, & Dorotheam (Fridericus enim electus Daniae rex, tempestate detentus, e Scania nondum advenerat, Magnus vero peregre apud Adfinem Augustum Saxoniae ducem, commorabatur) introvocari iussit. Qui quum flexis genibus procubuissent, dexteram capitibus eorum imposuit, omnemque salutem, & benedictionem per Iesum Christum ipsis precatus, statim dimisit. Deinde detracto sibi annulo signatorio, quem nobilissimo Viro Erico Walchendorphio Cubiculario, & a Secretis, in Friderici adventum adservandum tradidit, complicatis manibus, subspirans, magnoque desiderio coelestis Patris oculos adtollens, gratias agebat Deo pro beneficiis omnibus sibi per Iesum Christum collatis, pro liberatione a peccato, morte, & mortis terroribus. Hoc facto, quasi somno solutus, coelestem animam coelo reddidit, ubi nunc fruitur dulci consortio coelestis Ecclesiae, vivitque cum omnibus Electis Dei. Decessit autem anno aetatis suae LVI. Climacterico octavo, cum regnasset annos XXIV. regnum relinquens filio longe pacatissimum. Corpus eius debitis honoribus honoratum, magnaque cum pompa translatum est in Fioniam, sepultumque Otthoniae in templo Sancti Canuti Regis, & Martyris, exsequiis celebratis die Februarii XIII. Inde Anno Christi CIϽ IϽ LXXIX. accurante filio Friderico, illatum est splendido illi, & marmoreo Mausoleo, quod hodieque Roeschildiae, in aede Divi Lucii, non sine summa commeantium admiratione, visitur. Hunc vitae, mortisque exitum habuit Illustrissimus Princeps, Rex Daniae, & Norvegiae, Christianus eius nominis Tertius, Regum omnium, qui umquam in Europa floruerunt, sanctissimus, augustissimus, fortunatissimus. Quum enim tria sint potissimum, quorum curam pium principem habere oportet; Societatis civilis prudens gubernatio, verae Religionis conservandae studium, & propriae domus honesta, & sancta administratio; certe in his talem se praestitit sanctissimae memoriae Rex, ut vere eum patrem patriae clementissimum, summum Ecclesiae nutricium, fortissimum verae Religionis propugnatorem, invictum pietatis omnis, ac iustitiae defensorem, & non nomine tantum, sed re etiam vera, Christianum, omnis nominaverit posteritas. Quod civilem regis innocentissimi gubernationem attinet, imperium Danicum, & iuste adeptus est, & feliciter administravit. Nequaquam etenim invitis se subditis obtrusit, aut armis, quod iure sibi minime debebatur, violenter occupavit; sed oblatum aliquoties regnum modeste recusavit; prudenter bogitans, non sine maximis curis rempublicam adeo late sparsam gubernari posse. Verum posteaquam Christophorus comes Oldenburgicus, ope & consilio Lubecensium, Daniam invadisset, ac pene totam occupasset; iterumque piissimus princeps a sapientissimo regni senatu solicitaretur, ut periclitanti patriae, populisque vicinis, quibus olim beatae memoriae Fridericus Primus pater ipsius, rex praefuit, opem ferret, hostes, coniunctis suis cum Danorum viribus, regno expelleret, & regiae gubernationis onera in se reciperet; tamdem victus honestae causae, & precibus eorum, qui ipsum solicitarunt, adactus, dat fidem se facturum, quod peterent; pericula adit, thesauros regios a patre sibi relictos in militem expen-

CIↃ IↃ LIX. expendit, arma induit, hostes fundit, & vincit, iisque victis, & superatis clementissime ignoscit, & demum regium diadema a Deo sibi datum in urbe Hafniensi accipit. Suscepti iam regni administrationem a pietate inchoandam iudicavit; cum qua coniunxit sapientiam, iustitiam, clementiam, fortitudinem animi invictam, studium pacis, fidem, liberalitatem, paternum adfectum erga subditos, & alias praeclaras, & heroicas virtutes innumeras. Sapientiam summam, cum sapientissimo regni senatu, in legibus, in iudiciis, & reliquis actionibus ad prudentem administrationem spectantibus, adhibuit. Iustitia eius refulsit in honoribus tribuendis, in piis, ac bonis defendendis, & sontes puniendi cura. Hanc iustitiam clementia temperavit; quae fecit, ut magis verendus, quam metuendus suis fuerit subditis. Desiderarunt absentem, amarunt praesentem, admirati sunt loquentem, imperanti haud inviti obtemperarunt, gubernanti vitam, & fortunas subiecerunt suas. Haec regia clementia omnes incolas regni arctissime illi copulavit, exteros reges, & principes multos, & illustres, in procul dissitis regionibus, ad peroetuum foedus cum illo ineundum invitavit. Fortitudo quoque animi huius regis, quam fuerit invicta, res ipsa ostendit. Nam quum saepe hostes propemodum finibus regni imminerent, potentes, & multi, non tam armis, ne temere subditos hostibus obiiceret trucidandos, quam precibus regnum suum tutatus est, & gravissima pericula a populi sibi commissi cervicibus depulit. Huic fortitudini coniunctum erat studium pacis tantum, quantum in ullo mundi Principe fuisse proditum est. Noluit enim longe, lataeque propagatis finibus alienos populos debellare, imperioque suo subiicere. Quum de Principum Europaeorum dissidiis loqueretur, belli calamitates, & aerumnas, direptiones, incendia, caedes, fugas, & stupra nefanda, non sine magna commiseratione memorabat, graviterque ingemiscebat, quod tot malorum causa esset bellum, quum belli plerumque causa nulla esset, praeterquam misera ambitio, vel ut ipse dicere solebat: unus manipulus superbiae. Saepe exclamavit: O quam beatae essent Respublicae, quam Principes ipsi beati, si rebus suis contenti, concordiam, pacem, & iustitiam colerent, eaque potentia, qua a Deo armati sunt, ad communem hominum perniciem non abuterentur! Nunc ipsi & sibi, & subditis suis, magnis laboribus, & periculis ingentes calamitates arcessunt; quum in pace florere possent opibus, & rerum omnium copia, vitamque degere iucundissimam, ac plane divinam, cum Angelorum vita comparandam. Has voces, quibus satis declarabat, quam esset pacis, & tranquillitatis amans, crebro ex ipso audiverunt eius Cancellarii, Doctores, atque Magistri. Vnde facile colligi potest, pro summa virtute Politica eum habuisse studium pacis; quo illud etiam consequutus est, ut diurnae pacis custos merito dici, ac praedicari possit. Porro haec etiam laus ipsi merito debetur, quod facile omnium Principum mundi, pactorum, & foederum observantissimus fuerit. Nam nulli umquam fidem datam violavit; non fraudes, & technas excogitavit, quibus foedera violare posset. Vt ergo dolo, & fraude omnibus mundi Principibus inferior; ita fide, & pactorum constantia, cunctis superior, absque controversia fuit. Pietate enim suadente, & sociis fidem datam servavit immotam, & subditis fidelem, & constantem se perpetuo exhibuit. His virtutibus adiunxit Liberalitatem vere regiam, quam non solum in suos benigne, verum etiam in peregrinos gloriose exercuit. Quam fuerit erga omnes bene, & amanter adfectus, inde constat, quod libellos supplices manu propria acceperit, legerit, responsa dederit, nec calamitatem ullius contemserit, sed placide querelas audiverit, & aut statim praesens auxilium tulerit, aut animum adflictum levaverit consolationibus, iubens certo redire tempore. Non durus erat calamitosis, sed adfabilis, summe suavis, nihilque recusans adflictis petentibus. Ex quo factum est, ut omnes ipsum Patrem Patriae, singuli vero, ut proprium patrem amaverint. Ceterum inter alia praesidia, quibus adeo diuturnum imperium contra hostes, qui saepius tentarunt hoc regnum invadere conservavit, Pietas fuit. Hac hostes vicit, hac subditos in officio continuit. Hanc in consultatione adhibuit, hanc iudiciis praefecit, hac sententiam temperavit; denique in omnibus ipsius actionibus summum refulsit pietatis decus. Hoc pietatis studium effecit, ut externi amici, sociique in dies plures sint facti; incolarum, nobilium, ignobilium, benevolentia creverit. Stabilito imperio, prima haec eius cura, hoc studium fuit, ut regna haec, quibus gubernandis a Deo praefectus erat, puram Evangelii doctrinam amplecterentur; simulque extremae illae terrae, longissimis marium intervallis dissitae, Gotlandia, Islandia, Farenses insulae, & ultima Norvegia, quae dira superstitione iamdudum fuerant oppressae, accepto Iesu Christi Evangelio, verae Ecclesiae Dei hospitia fierent. Itaque non sine magnis laboribus, & periculis, multorumque potentum in se concitatis odiis, adulteratam illam multis iam seculis doctrinam penitus sustulit, ac profligavit, tandemque, quod pater ipsius, piae, ac felicis memoriae Fridericus Primus, serio tentarat, perfecit, ut vera de Deo doctrina varie prius corrupta; multisque tenebris involuta, pura & sincera Ecclesiis restitueretur, simulque cum doctrina, piis ritus, utilesque ac decentes ceremoniae introducerentur. Ne vero facile rursus doctrina corrumpi posset, omnesque intelligerent, quibus fundamentis niteretur; Sacra Biblia, a solo Spiritu Sancto profecta, & quamvis neglecta iacerent, singulari tamen Dei beneficio ab interitu vindicata, atque inter tot haereticorum, & hostium Christi monstra, ad ea usque tempora reservata, summa diligentia, ac fide in Danicam linguam verti, ut ab omnibus legerentur, typisque elegantissimis excudi curavit. Quum porro animadverteret, diu-

diuturnum minime fore Ecclesiae statum, nisi ei Academia adiungeretur, quae veluti Seminarium esset quoddam doctorum hominum, per quos doctrina coelestis, ceteraeque bonae artes, continua serie, ad omnem posteritatem propagarentur; Hafniensem Academiam fere iam collapsam, restauravit, latifundiis, & reditibus ditavit, eique opima praedia, possessiones, & vectigalia certa attribuit, ex quibus honesta stipendia Professoribus penderentur. Et quantum humana providentia efficere poterat, ea addidit privilegia, tabulisque, & fide publica ita omnia firmavit, ne ulla umquam mutatio incidere posset. Ad haec autem feliciter perficienda consilio, & opera usus est doctorum hominum, cuiusmodi etsi nonnullos in sua gente haberet, D. Petrum Falladium, D. Ioannem Seningium, D. Christiernum Morsianum, & alios quosdam, quos recensere nihil est necesse; nihilo tamen minus Witeberga peregrinos etiam arcessivit, D. Ioannem Pomeranum, a quo etiam regium diadema capiti suo imponi volebat, D. Tilemannum Husenium, D. Ioannem Macchabaeum, qui omnes a magno illo D. Martino Luthero instituti essent. Huiusmodi virorum frequentiam non exiguum regni sui decus esse existimabat. Hafniensi vero Academia saepe ita gloriari solebat, ut diceret, vix ullum maius se regni sui ornamentum habere; eius praesidio veram religionem, puramque de Deo doctrinam, in his regionibus, multos iam annos incorruptam mansisse, quae certe iamdudum, si Academia nulla fuisset, multis modis iterum fuisset depravata. Iam interiorem sanctissimi Regis vitam, quod spectat, & innocentem propriae domus gubernationem; in primis omnes voluptates, ceu pestes, fugit, iisque generose imperavit. Commune illud, & inveteratum principum, nobilium, ignobilium, cleri, vulgi malum, ebrietatem exosam habuit. Nullum admisit luxum pio principe indignum, sed statum regium in oeconomia sua magnifice tuebatur. Sicut in republica non fuit Leo, sed potius blandissimus Pater; ita in propria familia sua seriam adhibuit curam, ne quid designaret, quod parum deceret pium patresfamilias. Castissimam coniugem Illustrissimam Reginam Dorotheam, vero, & sincero amore complexus est. Lliberos suos, Illustrissimos Principes in timore Domini, & sancta disciplina educavit. Familiam charam habuit, adeout ipsum singuli non tam timerent serviliter, quam amarent liberaliter; omnibus seipsum pietatis, sobrietatis, aliorum piorum exercitiorem luculentum exemplum exhibuit. Mane finita oratione sua ad Deum pro Ecclesia, Republica, & propria domo, aut alium concionantem audivit, summa cum pietate, & devotione, aut ipse suis concionatus est; id quod ab eo frequentissime factum esse constat. Postquam oratione, concione, cantione, & se ipse erexisset, & aliis pietatis exemplum praebuisset, aut sacras ministerii divini aedes visitavit, & illic denuo cum aliis Deum celebravit, precesque fudit; saepeque gravi adflictus valetudine id praestitit, aut publica regni negotia tractavit, seque totum reipublicae horis istis matutinis impendit. Omnibus his rite, & fideliter peractis, ad prandium se contulit; ad quod utplurimum vocare solitus fuit, aut aliquos ex sapientibus regni Senatoribus, & Consiliariis, cum quibus de reipublicae statu amanter, placide, & prudenter confabulabatur; aut aliquos ex doctis concionatoribus, sive alios, quorum doctrina conspicua fuit, adhibuit; cum quibus aut de Historiis disseruit, aut de Religione pie disputavit. Vnde inter alia hunc fructum reportavit, quod ipsius Illustrissimi liberi, inde a primis incunabulis, sapientis gubernationis, & perpetuo durantis pietati praecepta perceperint, hauserint, imbiberint. A prandio regio, quoties publica negotia non prohibebant, oblectavit se pius Princeps nunc lectione sacra, nunc historiis, nunc piis cum liberis suis colloquiis, nunc rebus Mathematicis, quibus mirum in modum adficiebatur. Summum enim oblectamentum sapienti principi fuit cursus Planetarum, & aliorum siderum coelestium contemplari, idque in instrumento Mathematico, quod eos in usus sibi confici curaverat. Vesperi facta coena, & paululum oblectatus Musica, quam amavit, & tamquam ordinis, statuum, & officiorum in bene constituta republica iucundissimam imaginem admiratus est; nunc lectioni se dedit ipse, nunc alios legentes, ac potissimum divini verbi praecones, quos semper fere apud se habuit, audivit. Deinde fusis ad Deum precibus, quemadmodum mane facere consueverat, se quieti tradidit, cogitans de aeterna requie, quae praesentis vitae aerumnas excipiet. Hic fuit cursus vitae sanctissimi Regis Christiani III. per totos XXIV. annos, quibus regnum Daniae sancta cura, summisque laboribus administravit. Paucis ab excessu Christiani Regis diebus XXV. Ianuarii, Calundeburgi vita excessit Cristiernus, eius nominis II. olim Daniae, Sveciae, & Norvegiae Rex potentissimus, aetatis LXXVII. quum istoc loci, per integrum novennium, & Synderburgi Alsiae XVI. annorum carcere detentus fuisset; egregio Regibus, ac Principibus documento, & exemplo, ut si recte, ac feliciter imperare velint, adfectibus suis moderentur, ne nimia dominandi libidine abrepti sibi indulgeant, persuasumque habeant, praesto esse ultorem Deum, qui vel maxime superbos siquidem potentia sibi commissa abutantur, de solio deturbare soleat.

Mirari forte suberit, quod *Io. Stephanus Stephanius*, licet ab Ecclesiae Romanae placitis alienus, & eorum unus, qui saeculis nobis proximioribus ab eadem secessere, tamen ut vir doctus, & aequus, quosdam Haereticos neotericos insectatus fuerit, eorumque exitiales errores improbaverit, damnaverit, exhorruerit. Id quidem ille praestitit laudabiliter in hac Historia, quae res ab *Christiano III.* Danorum Rege gestas narrat, atque complectitur, & praecipue ad annum Aerae vulgaris MDLII. ubi exsecrandum *Andreae Osiandri* de Iustificatione dogma, pestiferum adpellat, & Verbo Dei minus consentaneum deprehensum narrat. Item ad annum MDLIII. ubi Anabaptistarum *vesanos de Sacramento Regene-*

generationis errores exponit, & improbat; atque pestifera *Io. Calvini* haeresiarchae consulta damnat, his verbis: *Idcirco veritus Rex, ne si fixam suis in ditionibus sedem collocare permitteret, perniciosa haeresi* (Calvini) *rudem plebeculam undiquaque corrumperent; denuo in aulam accersitos benignis adfatur verbis; se neutiquam eis per imperii sui provincias, & regiones fida denegaturum hospitia; verum hac lege, si pravas de fidei articulis opiniones exsuant &c.* Ad annum autem insequentem talem de usuris doctrinam inducit, quae nuperae *Benedicti XIV* Epistolae Encyclicae mirabiliter consonet; adeo non semper desipit homo Lutheranae sectae addictus, sed identidem quaedam profert, quae Orthodoxae Religionis propugnatoribus usui sint. Quin nullum umquam Romanae Ecclesiae dogma recta impetit; sed quaedam tantum interdum phrases adhibet, quae hominum Heterodoxum quidem indicent, non autem Catholicae veritatis apertum impugnatorem manifestent. Si vero dura quaedam interdum pio Lectori occurrant, & quae ipse magis tacita, ac praetermissa maluisset; animadvertat, quaeso, fieri non posse, ut homo praeiudicatis opinionibus transversus actus ita ad normam Catholicae pietatis sua verba exigat, ut pravam eius de Religione sententiam minime aliquando redoleant. Teneat igitur Orthodoxus Lector, quae veritas historica docet; verba ac loquutiones quibus fides rerum gestarum exponitur, aut non curet, aut obliviscatur, aut reprobet. Memini iam ad Epistolam, qua haec *Stephanii* Historia *Friderico III.* Danorum Regi dedicatur, opportune adnotasse *pag* 995. ab Epistolae Auctore *Ioan. Iano Svaningio* minus reverenter de Romana Ecclesia, eiusque dogmatis, verba fieri; sed hominis Heterodoxi potius miserendum, quam partem Soranae editionis praetermittendam censui: quum nulli Orthodoxorum haec convicia, & probra iniustissima, & falsissima, scandalo iam esse valeant. Quin aliquid in ea Epistola *Svaningius* ipse fatetur, quod falsa Religionis, ut vocant, Reformatae, seu Lutheranae, decreta aperte revincat, dogmata scilicet Romanae Ecclesiae integra, & inlibata a gente Danica per decem & septingentos annos sarcta, & tecta, ac inviolata servata fuisse; adeoque, quum a Romana Ecclesia illa secessit, a Religione, & ritibus avitis descivisse; eam deseruisse legem, quae antiquitus, quae primitus, iis ab Evangelicis praeconibus praedicata, & constituta fuerat: quare illud *Tertulliani* recurrit: *illud verius, quod prius*. Heic insuper animadversum velim, in eo scholio, quod ad Epistolam *Svaningii* adtexui, typothetae culpa errorem inrepsisse, & pro *haereseos*, *haereos* scriptum fuisse. Haec fere eadem dici possunt de *Ioanne Meursio*, eiusque *Christiani III.* Regis historia, in qua secessio ab Ecclesia Catholica a Danicis nationibus facta proditur. Vir quidem ille erat modestus, & gravis; eruditus, atque disertus; sed tamen heterodoxus, & etiam dixerim, Lutherano sectatore peior, utpote qui in Batavia quasi Arminianus habitus est, & in Daniam ideo prope fuga evasit, licet a Rege evocatus. Nihilo tamen minus, & hoc ipso, quod prope Arminianus erat, in Catholicam Romanam Ecclesiam propensior videri possit; adeoque ubi in sua Danica Historia de secessione Danorum a Romana Ecclesia agit; nonnisi modeste id, & parciter facit; nec in Orthodoxa placita invehitur, sed tantum facta ipsa narrat, reverentiae, quae tantae Ecclesiae debetur, non omnino oblitus. At si quid ex hominis heterodoxi ore paullo liberius effluxit, ut Orthodoxus Lector id caveret adposito salutari monito tempestive a me κατωρθῶται, ut *pag.* 801. videre est.

Indiculus Auctorum, quorum monumentis usus sum in conscribenda Historia CHRISTIANI III.

Andreae Wellei, Historici quondam regii, Chronologia, adiuncta Orationi Funebri in obitum Friderici II. Daniae Regis. Hafniae 1587.

Arnoldi Hvitfeldii Historia Christiani III. Regis Daniae, lingua vernacula conscripta, & edita Hafniae 1595.

Eiusdem, alia Opuscula Historica.

Balthasaris Russovii Chronicon Livonicum. Rostochii 1578.

Chronologiae variae MSS.

Claudii Lyschandri Historia Christiani III. MS.

Eiusdem Adversaria in Vitam Christiani III. MSS.

Eiusdem, Opus Genealogicum. Hafn. 1622.

Conradi Astaci D. Chronologia adiuncta Orationi Iubilaeae. Hafniae 1621.

Davidis Chytraei Saxonia. Lipsiae 1599.

Diplomata varia, & Edicta Christiani III. MSS.

Documenta Historica varia MSS. quae concernunt tempora, & res gestas Christiani III. & adservantur in Biblioth. Hafniensi.

Emmanuelis Demetrii rerum Belgicarum Commentaria. 1614.

Erici Georgii Historia Gustavi Sveciae Regis. Stockholmiae 1622.

Famiani Stradae rerum Belgicarum Decas Prima. Romae 1635.

Francisci Episcopi Herfordiensis rerum Anglicarum Annales. 1622.

Georgii Buchanani rerum Scoticarum Historia. Francofurti 1594.

Historia Islandica MS.

Iacobi Augusti Thuani Historiarum sui temporis Opera. Francofurti.

Ioannis Meursii Historia Christiani II. & III.

Ioannis Adolphi Cypraei Annales Episcoporum Slesvicensium. Coloniae Agrippinae 1634.

Ioannis Petraei Hothersnensis, Canonici quondam Arbusiensis, rerum Danicarum Conlectanea MSS.

Eiusdem Catalogus Episcoporum Arbusiensium MS.

Ioannis Sleidani Commentarii. Argentorati 1575.

Ioannis Micraelii Chronicon Pomeranicum. Stetini 1640.

Ioannis Wolfii Centuriae.

Ioannis & Olai Magni Historia Gothica.

Iulii Caesaris Bulengeri Historiarum sui temporis Libri XIII. *Lugduni* 1619.

Lambertus Schafnaburgensis. Tubingae 1625.

MAgni Matthiae Episcopi quondam Lundensis, Annales rerum Danicarum MS.
Eiusdem Historia Episcoporum Lundensium MS.
Michaelis Lundorpii Continuatio Sleidani. Francofurti 1619.

NIcolai Hemmingii Oratio Funebris in excessum Christiani III. Hafniae 1599.
Nicolai Kragii Historia Christiani III. MS.

PEtri Bizarri Historia Reipublicae Genuensis. Antuerpiae 1579.

Petri Palladii Narratio de excessu Christiani III Hafniae 1559.
Petri Olai Minoritae Roschildensis, rerum Danicarum Annales MSS.

REcessus Coldingensis Christiani III.

VVilhelmi Cambdeni rerum Britannicarum Annales. Lugd. Bat. 1625.

AEL-

AELNOTHVS
MONACHVS CANTVARIENSIS
DE VITA ET PASSIONE
S. CANVTI REGIS DANIAE.

VIRO ILLVSTRI ET GENEROSO

FRANCISCO RANTZOVIO

DOMINO RANTZOVISHOLMI, REGNI SENATORI ET VICARIO REGNI AC PRAEFECTO INSVLAE MONAE.

IOANNES MEVRSIVS

DEDICO CONSECROQVE.

A Natura insitum est humano generi, *Vir Illustris, & Generose, ut a morte fere abborreat, & in primis violenta. Itaque plerique optant, quam Augustus sibi, ac suis, precabatur, mortem placidam, & seiunctam a dolore. Sed id Seneca reprehendit, cuius ista verba exstant Epist.* LXIX. Illud imperitissimi cuiusque verbum falsum esse, tibi persuade. Bella res est, mori sua morte. *Vtrum mortis genus melius, hoc in loco dissertare, non est nostri instituti. Illud tamen vere dicam, principes plerosque viros morte vitam violenta finiisse. Et in hanc rem tritum est Satyrici Poetae istud:*

Ad generum Cereris sine caede, & sanguine, pauci
Descendunt reges. ——

Quod quam verum, norunt illi, qui versati in Historiis, in quibus regna quaevis, & imperia videamus, obsendemus, maximam omnino partem, sive regum, sive item imperatorum, vita sua hunc in modum excessisse. Et exemplum perillustre, pro tot aliis, unus tibi rex Canutus exhibebit. Ac profecto aliquid generosum inesse, splendidumque isti morti, praestantissimi olim viri, principesque, censuere. Quin & inter sexum sequiorem Helena, apud scenicum Philosophum, Euripidem dico, in Tragoedia sui nominis, voce mascula profatur:

Σφαγαὶ δ' ἔχουσιν εὐγενέων τι, καὶ καλὸν.
Caedes vero habent aliquid generosi, & pulcri.

Qua de causa, morte obire generose dicebantur, qui obirent violenta. Et idcirco Vlysses dicit apud Tragicum eumdem in Cyclope.

Α'λλ', εἰ θανεῖν δεῖ, κατθανοῦμεν εὐγενῶς.
Sed, si moriendum est, moriemur generose.

Imo hunc demum vitae finem dignum se existimabant; alterum, plebeiis animis, mollibusque, & ignavis, qui silentio, veluti pecora, vitam suam transiissent, ut Salustianum illud hic usurpem, convenire; adeoque aequum esse, ut qui fortiter vixerunt, etiam fortiter moriantur. Alexander Imperator, quem Severum cognomento adpellarunt, quum praediceret Thrasybulus Mathematicus, mortem ipsi violentam imminere, *testabatur*, se laetari, quod hanc Imperatoriam sciret; *addiditque*, & nec aliam viris summis, optimisque obvenisse. Ac sic etiam Alexandrum illum Magnum, cuius nomine diceretur, sic Pompeium, Caesaremque; sic Demosthenem, Tulliumque; sic insignes viros ceteros, minime quieta morte oppetiisse. *Neque mens Vespasiani alia fuit; qui, quum morte naturali moriturum se videret, quasi mollem hanc censeret, nec se dignam, lecto surgens:* Imperatorem *dicebat* stantem mori oportere. *Et idipsum innuebat Aelius Verus; qui* debere sanum mori principem, non debilem, *pronuntiabat. Talis mors Canuti fuit, regis Daniae, Martyrisque. Cuius Vitam ab Aelnotho Monacho illi coaetaneo, scriptis proditam, a me editam, emendatam, atque Notis illustratam, Vir Illustris, & Generose, tibi offero, observantiae in te meae monumentum. Accipe benigna fronte, ut me soles, quem quemadmodum, pro humanitate tua singulari, hactenus amare te significasti, sic favore porro tuo, & benevolentia, complecti velis. Dabam Sorae ad diem* 15. *Febr. Anno* CIƆ IƆC XXXI.

AD LECTOREM.

QVum, Historiae meae Danicae contexendae, benigne Lector, monumenta quaedam evolverem, e Bibliotheca Hafniensi subpeditata, inveni in illis scriptum quoddam Aelnothi Monachi Cantuariensis, De Vita, & Passione S. Canuti. Titulo eo invitatus, coepi inspicere, & inspectum non deposui, antequam ad finem eius pervenissem. Placuit Scriptor; ob Historiam, quam tractabat, & putabam non indignum, quem in lucem hanc proferrem, nec procrastinandum etiam. Itaque describere actutum incepi; ratus, numquam editum esse. Sed, progressus aliquo usque, quum propositum Stephano Stephanio communicarem, Eloquentiae Professori, Viro docto, ac Collegae peramico, ille indicium mihi facit, eum Hafniae excusum, ante annos circiter viginti octo; & e lucupletiore sua bibliotheca mox exemplar quoque profert. Quo conspecto, verum fateor, coepit animus nutare, ac deponere cupiebam, ne quid aliis actum agerem. Verum tamen, dum editionem illam Hafniensem oculis lustro, video menda, quae in Codice Manuscripto satis multa occurrebant, etiam hic repraesentari. Itaque, persistendum mihi in incepto arbitratus, denuo descriptioni manum admovi, & corrupta passim loca, inter describendum obvia, emendavi; eaque in Notis meis, quas adiicio, ostendi. Boni consule, quisquis bonus, & me ama, tui perquam studiosum. Vale.

AEL-

AELNOTHVS

MONACHVS CANTVARIENSIS

DE VITA ET PASSIONE

S. CANVTI REGIS ET MARTYRIS.

PROOEMIVM

Ad Regem Nicolaum.

PRincipum duci praecipuo, nobilium primicerio, pio, invicto, magnifico, Daciae provisori 1 serenissimo, tam specie, quam & nominis dignitate, illustrissimo regi Nicolao 2, divini officii ministrorum infimus, Aelnothus 3 Cantici metropolit. urbe editus 4, iam vero Daciae partibus quatuor quinquenniis, & bis fere binis annis demoratus 5, hostium vires virtute divina subvertere, contumacium colla potentiae pede proterere, regni iura potenter disponere, pacis securitate perfrui; &, post decursum temporalis imperii, sempiternae felicitatis beatitudine ditari.

Cle-

---

1 *Daciae provisori*) Apud Scriptores posterioris aevi Dania plurimum *Dacia* dicitur, & Dani, *Daci*. Galfridus Monumetensis Hist. Reg. Brit lib. IX. cap XI *Totam Norvegiam, nec non & Daciam, domino Arturi submiserunt*. Petrus Abbas Cellensis lib. VIII ep. XIX. quae est ad Archiepiscopum Lundensem: *Vestra Dacia remota est a nostra Francia*. Et mox: *Species illi una & in Dacia, & in Francia*. Et occurrit passim apud eius notae Historicos. Proprie tamen Daciae nomine Cimbriam adpellatam video. Felix Faber. Hist. Svev. lib. I. cap. IX. *Illa regio, quae est Chersonesus Cimbricus inter Oceanum Germanicum, & Oceanum Sarmaticum ad mare Baltheum, quae & Dacia dicitur*. Et mox iterum: *Talis est Dacia, quam Ptolemaeus Cimbrorum Chersonesum dicit*. Denique: *Iam vero Chersonesum Cimbricum Daciam vocamus*. Aeneas Sylvius in Historia de Europa, capit. XXVIII. *Ostium eius non longe a Cimbrica Chersoneso*. Iterum cap. XXXIII. *Dania, sive Daciam dicere volumus, consuetudini servientes, Germaniae portio est, Chersonesi habens formam. Hanc quondam Cimbri tenuere*.

2 *Nicolao regi*) Huius Canuti fratri, qui regnum accepit anno CIↃCV. eratque ille decimus nonus a caede Canuti, & obtinuit usque ad annum CIↃCXXXV. Atque hinc hisce aetatem Aelnothi, scilicet, non hunc vixisse ante annos quadringentos, ut vult editor Hafniensis, sed quingentos.

3 *Aelnothus*) Ita erat in MS. & editione Hafniensi, quae ex eo est expressa, sed in Epilogo huius libri scribitur sine diphtongo Alnothus. Verum scripturam priorem potius repraesentandam existimavi. Sic plura nomina a diphthongo hac incipientia apud Rerum Anglicarum Scriptores observare licet; apud quos & Eilnothus, & Elnothus, hoc nomen scribitur; apud nonnullos vero, etiam Egelnothus, & Ethelnothus.

4 *Cantici, Anglorum Metropolitana urbe editus*) Canticum vocat, quae aliis Cantorberia, & Cantuaria, ac Dorovernia. Ac Doroverniam, quae nomine suo longius abit, eamdem esse, satis clarum ex epistola Gregorii Magni, quae exstat apud Wilhelmum Malmesburiensem De Gest. Pont. Angl. lib. I. *Praenominato fratri, Doroberniae, sive Cantorberiae Archiepiscopo, eiusque successoribus legitimis, eamdem dignitatem confirmamus*. Itaque Dorovernia quoque aliis dicitur, quae aliis est Cantuaria, aut Cantorberia. Dicit autem eam Aelnothus urbem Anglorum Metropolitanam, idque recte; nam, quum antea ea dignitas ad Londoniam pertineret, missus a Gregorio Magno Augustinus, transtulit illam in Doroverniam Anno Domini IↃCIV. quod futurum, etiam Merlinus ante fuerat vaticinatus. Ecce tibi apud Matthaeum Westmonasteriensem in Flor. Hist. in rebus gestis eius anni. *Eodem anno in civitate Londoniae idem Augustinus Mellitum Pontificem consecravit. Sicque urbs Londoniensis, quae semper temporibus Britannorum Archiepiscopum habuerat, dignitas nunc ad Doroberniam est translata, ut Merlini vaticinium impleretur, dicentis: Delebitur religio in insula, & transmutatio primarum sedium fiet, dignitas Londoniae adornabit Doroverniam*. Videndus etiam Ioannes Saresberiensis Epist. CCLXXII. Verum postea controversiam illi movit Eboracensis, de qua videndi Gulielmus Neubriensis, De Reg. Angl. lib. V. cap. XII. Malmesburiensis De Gest. Reg. Angl. lib. III. & De Gest. Pon. Angl. lib. III. ac Matthaeus Parisiensis, in Gulielmo Conquaestore, variis

locis

Clementiam mansuetudinis gloriae vestrae sicut protervus quilibet, & imprudens, seu vecors, detestatur; sic providus quisque, & probitatis exsequutor, tam praesentia, quam & exsequentia, simul moderationis dispicientia, discretione, non modo laudibus, verum digno moderationis adfectu extollendo prosequitur. Iudicem enim universorum, quem rex propheticus, & opilionum fortissimus, iustum, & fortem denuntiat, eumdem etiam patientem, & longanimem, esse declarat; & cuius honorem iudicium diligere insinuat, ei se misericordiam cum iudicio decantare manifestat. Cuius vestra excellentia pietatis modum, pro modulo, mortalibus concesso, exsequens, & iustitiae severitati mansuetudinis lenitatem praeferens, eius ob hoc ipso opitulante gloriae compos efficieris, cuius hic vicem, tam nominis participatione, quam & dignitate exsequeris. Ipse quippe, potentes de sede deiiciens, humiles & in praesenti exaltat, & in perpetuum sempiternae beatitudinis honore magnificat. Illius, ut credi potissimum est, gratia, pretiosus frater tuus germanus Canutus, iam indubitanter beatus cognominandus, ex apice imperii temporalis gloriam nactus decoris perpetui, sicut inter mortales regni gloriosus excellebat potentia, sic iam beatis spiritibus adsociatus gloriosior virtutum effulget magnificentia. Cuius ego praesumtuose gestorum simul, & certaminum, insignia explicare adgressus, imperitae linguae infacundiae ignosci deposco: ut, si quid inane, seu veritatis vacuum, pondere, visum adspectantium obfenderit, non, superducto protinus supercilio, Pharisaica condemnetur invidia: sed, sincerae discretionis articulo, exterminandis sublatis, inserantur probabilia. Siquidem mordacis invidiae morbum, qui versus exiguitatem imbecillitatis nostrae interdum solet adsurgere, aut modo exstinguendum, imo expergiscendum autumo 1; quum eventilatum cineribus ignem, frustulis adpositis, fumivoma licet flamma obfuscante, incendiis aptare contendo. Sed soricem in situla saltantem gallus, atria perlustrans, & sub tecti culmine anhelitu raucisono aera verberans, pertransseat; & cum comparibus adacutis calcaribus bellum certaminis ineat. Neque enim ego Danaum classes, Dardanis exitium inferentes, edissero; non acies Hectoreas, Myrmidonum armis umbonibus obiectis insigniter obviantes, commemoro; sed, quae de gestis religiosi principis, & Deo dilecti martyris, probabilibus personis utriusque sexus, & ordinis referentibus, adgnovi; religiosi habitus viris, Iesu Christo ibidem, insignique triumphatori deservientibus, obnixe suffragantibus, posterorum memoriae apicibus reservanda credidi, ea pietati Maiestatis vestrae repraesentans, ut de tanti germani glorificatione plenius exhilaretur, & ad eiusdem virtutis insignia aemulanda, superno provisore adspirante, ardentius incitetur. Meis igitur coeptis, pacis simul, & patriae provisor, solita pietate faveto; &, quae de opinatissimo progenitore 2 vestro, gloriosorumque germanorum tuorum temporibus, ad haec usque praesentia magnificentiae vestrae tempora, colligendo perstrinxi, regio confirmare decreto velis, ut habeat dignitas regia tam proprii quam & praecedentium exercitii monimenta deferenda. Ambiguitatis vero scrupulum de pretiositate sanctitatis huius de quo operis nostri summa est, Dei hominis, a pectoris sui secreto fidelis quisque removeat: qui Deum omnia posse, & antequam efficiantur, praenosse, ac praeordinasse, non haesitat. Qui enim Angelum superbiae, ob excellentiae contumaciam, de excellentissimis deiecit, ipse humiles, & quietos, eiusque iudicia metuentes, de infimis ad superna deducit: &, qui de silice durissima, Aaron virga percutiente, laticem produxit, ipse sibi de rege martyrem, de principe terreno regni coelestis elegit consortem Haec autem qui omnipotentem peregisse diffimulat, ne & ipse a divinae repromissionis solo exterminetur, pertimescat. Petro quippe attestante, in omni gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Et, quia potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahae, cur ex gente durissima 3, catholica tamen fide insignita, prin-

---

locis in annis nempe CICLXXII. CIOCXIII. CIO. CXV. CIOCXIX. CIOCXXV. CIOCXXVII. Sed res postea decisa est; & Primatus penes Cantuariensem mansit, qui & hodie eum tenet.

5 *Iam vero Daciae partibus quatuor quinquenniis, & bis fere binis annis demoratus*] Dicit Aelnothus, quum Historiae huic scribendae se accingeret, se in Dania annis fere viginti quatuor habitasse. In Epilogo, non expresso ullo numero, simpliciter dicit: *Daciae partibus annis numerosis peregrinatus*.

1 *Imo expergiscendum autumno*) Dicit, Expergiscendum, pro Expergefaciendum; veluti ab Expergisco, activo. Et sic est in Onomastico quodam vetere, *Expergisco*. Ἀνεγείρω.

2 *De opinatissimo progenitore*) Opinatissimus, est Celeberrimus, Inclytus. Ita utuntur Auctores istius aevi. Andreas Abbas, De Vita Othonis Imp. lib. III. cap. II. *Hic itaque civitatis Stetinensis gloria ex divitiis inter suos opinatissimus, frequenter in Provinciam Daniae navigare, & praedam ex ea agere solebat*. Helmoldus Chron. Slav. lib. I. cap. XV. *Elapsus est ad civitatem opinatissimam Slavorum, nomine VVinnetam*. Sic opinio, pro fama, ac celeritate. Lupus Servatus, in Vita S. Vvigberechti cap. III. *Dumque felix illius ubertim spargeretur opinio Clarissimi Viri Bonifacii aures usque nutu divino pervenit*. Et Arnobius lib. VI. *Phrine illa Thespiaca, quum in acumine esset pulcritudinis, venustatis, & floris, exemplarium fuisse perbibetur cunctarum, quae in opinione sunt, Venerum*. Occurrit etiam non raro apud Saxonem, & Auctores item alios.

3 *Ex gente durissima*) Duritiam antiquae gen-

principem religiosum, & veritatis, ac iustitiae exsequutorem sanctorum in supernis collegam non dignaretur efficere? Sed, quum universa possibilia sint credenti, & Deus in illo clementiae suae potentiam peregisse credatur; & patrocinio terrigenis proviso, debitae venerationis obsequio ab universis magnificetur. Laetare igitur, rex insignissime, tanta fratris adornatus glorificatione: exsulta, confidens advocatum apud Deum habere, in cuius hic regni solio, eo concedente, meruisti residere. Gratulare illum coelis evectum, Abrahae sinu reconditum, angelorum socium, martyrum concivem effectum, beatorum civem, choris interesse coelestibus, Dei vultum praesentem cernere, gloriam maiestatis inspicere, & hoc iam interventus ope divina peragere, quod hic regia quondam functus potentia non valebat perpetrare: visu namque orbatis, lucis respectum condonat; cutem, Lazarica tabe putrescentem, expurgat;

Obstructas aperit aures, & famina reddit;
Dum linguae nervos gressusq; resolvit habenas.
Effugat & febres, cunctos pellitque dolores:
In Sanctis quoniam Deus est mirabilis ipsis;
Virtutes, signa, faciens post inclita gesta:
Vt coelo clari, seclo fiant manifesti.

Tanti igitur germani pignora, regia condignis ornet donis potentia; aedis sacrae decus amplificet; spiritualis normae viros, cultui ibidem divino iugiter insistentes solidando corroboret: ut pro temporalis suffragii adminiculo, superna remunerationis in aeternum potiaris praemio. Eius quoque intercessionis obtentu, hostium tibi vires subiiciantur, inimicorum cuneus attenuetur, regni ius solidetur, pacis securitas confirmetur, sospitatis integritas tribuatur, morbus ac pestilentia pellantur, commoda quaeque convalescant, incommoda decrescant: &, residui longaeva imperii meta decursa, ad superna transmissus, in regia glorieris aeterna. Vigeat, & valeat in aeternum pietas vestra: & divinae miserationis respectu, regiaeque sublevationis opitulatione substentetur imbecillitas nostra.

CAP. I.

Regna Aquilonis, in remotis mundi partibus abdita, longe, diuque paganis tenebantur ritibus dedita; quousque ea de profundo erroris, & infidelitatis divina extraxit clementia. Nam postquam fere omnia occidentis regna, quae Iulius, Magni quondam Pompeii gener, Ausonio subiecerat imperio, Christianis se subdidere legibus nationes illae, quae adverso latere Francorum, seu Gallorum, Saxonumque, aquilonalibus consistunt in partibus, Svethi videlicet, & Gothi, Normanni, atque Isonii 1, tanto serius fidei signa suscepere, quanto illuc fidei doctores, tam pro victus, rerumque penuria, quam & pro Barbarorum feritate, & innata duritie, magni pendebant divertere. Dani vero, qui Gallis, Saxonibusque viciniores esse videntur, idcirco gentibus praenominatis potiores habentur, quod & ipsi solum necessariis usibus utilius incolunt; fidemque Trinitatis, ante quam illi cognoverunt, isti susceperunt: finesque suos regum nobilium vi, & consilio, tam praesulibus, quam & divini officii ministris, ecclesiis Dei ibidem in dies circumquaque adauctis, nobilitaverunt: fidemque, hactenus susceptam usque huc fideliter venerando servaverunt. Vt enim quoddam ex antiquorum relatu contingam, ex quo venerabilis memoriae Pontifex, Poppo 2, candentis ferri ar-

gentis Danicae, commemorat etiam Andreas Abbas De Vita S. Othonis lib III. cap XXX. *Homines terrae illius tales sunt, ut in maxima ubertate, atque divitiis, generali quadam duritia omnes inculti videantur, & agrestes.*

1 *Atque Isonii*] Ita erat in MS. Editio Hafniensis habet, *Islandi*. Ac mox iterum. *Ob situm regionum Normanni dicuntur, & Isonii.*

2 *Poppo, candentis ferri ardore inustam deferens dextram*) Daniam ad fidem Christianam esse conversam sub rege Haraldo, Popponis opera, & miraculo, quod AElnothus hic commemorat, refert etiam Albertus Stadensis in Chronico. *Huius temporibus Dani sunt ad fidem per Popponem quemdam conversi, qui ferrum candens, & ignitum, in modum chirothecae formatum, coram populo sine laesione portavit. Quod videns rex Araldus, abiecta idololatria, cum toto populo ad colendum verum Deum se convertit.* Sigebertus Gemblacensis, ad Annum Christi IDCCCCLXVI. *Hoc tempore Danis, qui Christum Iesum, & idola simul colebant, cum Poppone clerico in convivio altercantibus, super cultura Dei, & Deorum; Danis adserentibus, Iesum Christum quidem esse Deum, Deos vero maiores, & antiquiores illo esse; Poppone contra adfirmante Iesum Christum solum verum Deum esse, unum in substantia, trinum in personis: rex Danorum Haraldus condixit clerico, ut fidem, propositam a se probaret testimonio veritatis; quod adnuente clerico, ingentis ponderis ferrum, valde ignitum, manibus illius ferendum imponitur. Quod quum clericus usque ad placitum omnium tulisset, absque ulla laesione, rex, penitus abiecta idololatria, se, suosque ad colendum solum verum Deum convertit; clericus vero ad Episcopatum promotus est.* Idem tradunt Anonymus in Magno Chronico Belgico; Adamus Bremensis Hist. Eccl lib. II. Saxo lib. X. Matthaeus Westmonasteriensis in Flor. Hist. Dithmarus Chron. lib. II Witichindus Gest. Sax. lib. III. Anonymus de S. Meinwerco cap. XII. Albertus Crantzius Dan. lib. IV. cap. XXIV. Sed miraculum quoque alterum, cuius nullam mentionem AElnothus, aliique faciunt, nempe de cerata tunica, memoratur ab Adamo loco citato. *Dumque hoc facile omnem gentibus erroris ambiguitatem tollere videretur, iterum Sanctus Dei, pro submovendo gentis*

ardore inustam deferens dextram 1, & ignitas ferri laminas incombustis pertransiens plantis 2, Christum, Dei filium verum, & solum dominum fore evidenti iudicio declaravit; fidem, quam gens Danica suscepit, in hodiernum illibatam conservare, & custodire, Iesu Christo favente, contendit. Svethi vero, & Gothi, rebus ad votum faventibus, prosperisque succedentibus, Christianitatis fidem nomine tenus venerari videntur: at, ubi adversitatis aura, sive terrae infertilitate, aerisque siccitate, aut procellarum densitate, seu hostium incursione, vel ignis adustione inflaverit, fidei religionem, quam venerari verbo tenus videbantur, non modo verbis, verum etiam rebus, Christianorumque fidelium persequutionibus insequuntur, atque suis finibus omnino expellere conantur. Vnde piae memoriae Eschillus Archiepiscopus 3, ex nobilissimo Anglorum orbe deveniens 4, ibique Evangelium fidei feris, & indomitis gentibus denuntians, pro veritatis testimonio, barbarorum feritate, & vesania, transitorio sequestratus seculo, angelis collaetantibus, superna adiit victurus perpetuo. Aquilonales autem, qui ob situm regionum Normanni dicuntur, & Isonii, qui etiam, ob hiemis ibidem vehementiam, & longioris glaciei seriem, glaciales tam patria, quam Normannica, & Danica lingua vocantur, ritum quidem Christianae religionis observant, sed &, pro terrae infertilitate, victusque exiguitate, eamdem fidei religionem, tam solennibus ieiuniorum diebus, quam & quadragesimali tempore, illicitorum esu ciborum commaculant; ab Aquilone enim per prophetam dominus commemorat, quia pandetur malum super faciem universae terrae. Idcirco nationes istae, quas commemoravimus, antiquae infidelitatis obstrictae frigoribus, vix unquam ita fervore succensae fidei stabilitate solidantur, ut infidelitatis nexibus penitus absolvantur; dum & fidei sacramenta, quod mortalibus inconcessum est, humanis conantur rationibus perstringere, legesque suas Dei iustitiae praeponere: & ab antiquis sese ritibus, sive religiosis, sive irreligiosis, divini respectu timoris, pudori deputant abstrahere. Verum, ne his diutius immorer, quicquid seu illis, seu cunctis in divinis perficiendis deest mandatis fidelibus, exsurgente Aquilone, & frigore iniquitatis, & torporis, effugato, venit Auster, & perflat ortum ecclesiae fidelium, ut fluant aromata illius. Venit scilicet calor gratiae spiritalis, & influit in corda credentium, ut verae fidei professione, operumque fragrantia redundante, luceat lux nostra coram hominibus; id est, mundi amatoribus, & non superna, sed caduca sapientibus: & glorificent patrem nostrum, qui in coelis est. Vt igitur proposita congruenter prosequamur, favore nos ut essemus creantis, & ut reformaremur recreantis, adiuvemur.

CAP. II.

POst multos igitur bellorum incursus, certaminumque conflictus, inter Magnum, Aquilonalium, & Occidentalium, & Svenonem, Magnum etiam nuncupatum, Orienta-

---

tis illius paganismo, aliud aeque magnum ostendit miraculum. Tunicam scilicet ceratam indutus, cum staret in medio populi circo, in nomine domini praecepit incendi: ipse vero, oculis, & manibus in coelum tensis, liquentes flammas tam patienter tulit, ut veste prorsus ambusta, & in favillam redacta, hilari, & iucundo vultu, nec fumum quidem incendii sensisse testatus sit. Et Anonymus De S. Meinvverco, capite citato. *Lineoque panno cera infuso ad carnem indutus, fornacem candentem intravit: indeque panno combusto exiens, Christum, Dei filium, verum esse Deum hoc indicio declaravit.* Variant etiam Auctores de tempore, quo rem gestam esse volunt: ac Sigebertus, & Matthaeus, Westmonasteriensis referunt annum Christi nongentesimum sexagesimum sextum: Albertus Stadensis nongentesimum septuagesimum quartum: Auctor Vitae S. Meinwerci, millesimum & decimumseptimum. Qui tamen non recte confundit hunc Popponem, Episcopum Arhusiensem post miraculum illud factum, cum istius nominis altero, Episcopo Trevirensi, quod & facit Auctor Magni Chronici Belgici. Nec de loco, ubi acciderit, est consensus; & Slesvvigæ illud factum alii dicunt: alii Ripae. Adamus Bremensis loco citato. *Haec aliqui apud Ripam gesta confirmant; alii apud Sliasvvig*. Saxo dicit accidisse apud portum, cui frequentia glaciei nomen dedit. Ecce verb... lib. x. ubi hoc Popponis factum nobis tradit *Danorum concione publice apud portum, cui glaciei frequentia nomen peperit, habita, quum eos, ne fana excolere vellent, sermone flectere nequiret, evidenti indicio certissimum adsertionis suae argumentum praebuit*. Et ex eo Albertus Crantzius. Dan. lib. IV. cap. XXIV. Atque hic est ille portus, quem efficit sinus maris prope Roschildiam, Danis Ysefiorda dictus. Saxoni, contracta voce, Ysora vocatur lib. XI. Vides etiam hac in re dissensum Auctorum.

1 *Inustam deferens dextram.*] Nove dixit, & inusitata antiquis significatione; Inustam pro Non ustam. Vtuntur tamen Scriptores posteriores: ac reperio in Glossis Graecolatinis. Ἄκαυστος. *Inustus*.

2 *Ignitas ferri laminas incombustis pertransiens plantis.*] Alii tradunt, chirotecam ferream ignitam induisse. Albertus Stadensis in citatis ante verbis. *Ferrum candens, & ignitum, in modum chirotecae formatum, coram populo sine laesione portavit*. Idem dicit Auctor Vitae S. Meinwerci.

3 *Piae memoriae Escillus Archiepiscopus.*] De occiso Escillo hoc a Svecis, videndus Ioannes Magnus, Hist. Goth. lib. XVIII. cap. XI.

4 *Ex nobilissimo Anglorum orbe deveniens.*] D. Sigfridum ex Anglia comitatus fuerat; aut postea, eo in senium vergente, advenerat: uti testis est Ioannes Magnus loco citato.

talium, & Australium ducem, acerrimos utrosque commissos, postquam memorabile initum praelium inter Haraldum, coma pulcrum, & eumdem Svenonem Magnum, de principatu Daciae habitum, Magno quidem via universitatis ingresso, & Haraldo Daciae terminis exturbato, Sveno Magnus nativi soli principatum obtinuit, &, quoad vixit tempore, nobilissime rexit, cui veluti famosus ille quondam Troianorum inclitus Priamus heros, speciem dignam praeferens imperio, quum, secundum divinum interpretem, sapiens corde esset, & fortis robore, gentem suam tam divinitatis auxilio, quam & robore, & prudentia consilii sui ab extranearum incursione gentium strenue protexit: &, pace circumquaque reddita, armis eam, & viribus plurimis per circuitum gentibus terribilem effecit. Sed & quia liberalium non expers erat studiorum, & divinarum non inscius lectionum, religionis cultum provehere non neglexit: immo sanctorum ecclesias, in quibus erant locis, regali auctoritate provexit: clerumque, ac pontifices tam adaugere, quam & venerari operam duxit: orphanis, & viduis, & egenis, & advenis, & maxime pauperibus clericis, regalibus succurrebat stipendiis, & ex iniquo mammona hos sibi amicos facere satagebat, a quibus aeternis se intromittendum tabernaculis praesumebat: &, ne omnibus immorer, mitis erat parvis, atroxque superbis; illos mulcebat clementia; istos premebat potentia;

Pauperibusque dapes; nudis dat tegmina vestes: Hos fovebat, ne in via deficerent; illos tegebat, ne, aut frigoris rigore, aut caloris ardore deperirent.

Sed quid in humanis est omni parte beatum? Deus enim, Deus noster, solus vere bonus; solus vere beatus; aequalis, & coaeternus, Deo exsistens, & homo in fine seculorum deveniens, sicut immaculato, & intemerato utero exivit virgineo, ita fine molestia, & gravedine peccatorum, nostro solus conversatus, & egressus est seculo. Nostro dico: per humanitatem pro nobis, in nobis, ex nobis adsumtam, egressus est seculo; qui per Deitatis essentiam, suis fidelibus aeternam promisit praesentiam; nos vero, qui in iniquitatibus concipimur; & in delictis, ac doloribus parturimur; quamvis salutari lavacro originali absolvimur commisso, fragilitate corporeae infirmitatis, & onere superadditae mortalitatis adgravati, in peccati coenum relabimur: & nisi supernus relevaret spiritus, omnes aeternae damnationis absorberet interitus. Sed, qui protoplasto, post mali gustum, & divini praecepti transgressum, *morte morieris*, dixit; in se credentibus, eiusque iussis obtemperantibus, vitam aeternam promittit: & qui legalis censurae severitatem per praemissos intulit, ipse misericordiam veniens attulit, ut legalis duritia Evangelica mitigaretur clementia: dum, quos illa puniendos diiudicet, ista ad veniam quaerendam invitet. Nam quum illa, ob hoc, vel illud commissum, hunc a populis delendum, illum lapidibus obruendum, alium morti condemnandum, denuntiet; haec poenitentiam agentibus regnum coelorum aperiendum declamat: & omnem reatum, excepta spiritus blasphemia, id est, aeternae salutis desperatione, remittendum insinuat. Quo enim modo reatibus absolvendis creditur, a quo eiusdem remissionis gratia desperando contemnitur? Et, qui enormitatem scelerum suorum divini lateris sanguine diffidit proponendum, & multitudinem reatuum spiritualis gratia remissionis non aestimat exsuperandam; atque in ipsa incredulitatis, seu desperationis obstinacia, in finem usque perseverando defecerit, idcirco, pietate privatus, omnibus erit criminibus implicatus: & ab ea, quam desperando contemserat, ac per hoc semet indignum ipsa iudicaverat, salute idem Christo condemnatus, aeternae desperationis barathro, sempiternis exurendo incendiis, detruditur deputatus; qui autem, voce dominica audita, verae remissionis gratiam quaerit, petit ut accipiat, commissorumque indulgentiam quaerit, ut inveniat, atque ad pietatis ianuam precibus importunis non deficiendo depulsat, portas indeficientis clementiae verae confessioni apertas inveniet, per quas ad atria curiae coelestis devenitur; ubi Deus Deorum in Sion, id est, aeternae pacis visione, conspicitur.

CAP. III.

Inter igitur praemissa pietatis studia Sveno Magnus, veluti regum quondam fortissimus, & vatum facundissimus David, qui in similitudinem veri pastoris, bestiarum fauces manu forti atterens, gregem dominicum a voratu insidiantium a Christo liberandum insinuaret, & Goliath alienigena, veluti Antichristo, divinis castris insultante, atque singularis occursum certaminis obferente, seseque contra Deum, & supra extollente, lapide angulari, sive petra, quae Christus est, de monte sine manibus excisa, percusso, & deiecto, ac proprii mucronis acie peremto, ipsum Antichristum spiritu divini oris, & illustratione magnifici adventus, interimendum insinuarat, hostibus circumquaque devictis, ac inimicis insidiantibus solo stratis regni felicitate nacta, & quietae pacis securitate 1 potita, luxui illecebrosi adpetitus admodum cedens, numerosae prolis sobolem, in regni iura sibi successuram, emisit 2; quosdamque divinae scien-

1 *Ex quiete pacis securitate.*) Ita est in MS. & editione Hafniensi. Ego restitui: *Et quietae pacis s.*

2 *Numerosae prolis sobolem, in regno sibi iura successuram, emisit.*] Vere dicit, *numerosae prolis sobolem*. Nam Svenoni undecim fuere filii; Gormo, Haraldus, Sueno, Omundus, Ubbo, Biorno, Benedictus, Canutus, Olaus, Ericus, Nicolaus, & filia, Syritha. Neque etiam temere dicit: *in regni iura sibi successu-*

scientiae studiis apposuit; quosdam suis in locis singulos educandos delegavit. Ipso autem, in loco qui Suddatorp, id est villa caenosa, dicitur, via desperandae mortis egresso, regii glebam cadaveris regalibus procurantes exsequiis, insulam maritimam, quae pro eo, quod maxime mari circumcingitur, lingua Danica Seland nuncupatur, ad locum precipuum, qui Roskildis 1, id est fons Roe, antiquitus vocabatur 2, inferunt: ibique in ecclesia Sanctae, & individuae Trinitatis, & S. Lucii martyris, insigni lapideo tabulatu a Svegno, tum eiusdem sedis pontifice, constructa, debitis honorificantes exsequiis recondunt. Actum anno incarnationis dominicae millesimo septuagesimo quarto 3, qui erat annus regni eius vicesimus octavus 4, quarto Kalendas Maii: regnante in perpetuum omnium dominatore Iesu Christo, amen.

CAP. IV.

INclitus ergo Sveno Magnus rex, nationibus circumquaque versus regni sui gentes pacificatis, dominicisque aedibus, tum per propriae religiositatis industriam in locis praecipuis quampluribus eminenter exstructis, tum ab aliis pridem perfectis, ac per semet regalibus donis decenter adornatis, & tam pontificibus, quam & religiosi cultus ministris amplificatis, ipse humanae tandem conversationis usum deserens, atque secretum longaevae pausationis ingrediens, regni sui heredibus, non tam regalium opulentiam gazarum, quam & regnandi securitatem, pace undique effecta, reliquit: eisque paternarum virtutum prudentiam, graviter imitandam operum monumentis, deseruit. Sed, regiis inter se tyronibus, Haraldo scilicet, & Cnutone, iam iamque Canuto nominando, de principatus iure diffidentibus, Haraldus, quia & natu anterior, & gestu videbatur modestior, totius gentis electione in regnum adsciscitur; &, ut diu felix vivat, princeps Daciae proclamatur: quod acerrimus Cnuto licet moleste ferret, fraternae tamen potius duxit irae cedere, quam, secundum Thebanos quondam pueros, sempiterni rogi incendiis, ob regnandi libidinem, sese, fratremque concertando admittere: divinitatis enim sibi adfuturum inscius exspectabat auxilium, per quod se postmodum tam eminenti gloria ignorabat sublimandum. Ipse autem Dominus Deus noster, qui humilia respicit, & alta a longe cognoscit, tempora exaltationis electi sui in posterum reservabat: quem non solum temporali, verum etiam sempiterno honorandum imperio deligebat. Vt vero proposita prosequamur, Haraldus, patrium nactus imperium, populi votis admodum favere, eisque leges, & iura, non tam, quae vellent, eligere, immo quae, vel quales elegissent, posteris reservandas, regali studebat auctoritate decernere. Vnde leges ab eo sancitas Dani usque in hodiernum ab electis, & eligendis sibi regibus expetunt; eumque, veluti pacis, ac libertatis publicae provisorem, pro concessis ab eo legibus, laude, & favoribus extollunt. Sed & ipso, regni sui anno sexto 5, pa-

---

suram, Etenim regnum quinque ex his tenuerunt, isto ordine: Haraldus, Canutus, Olaus, Ericus, Nicolaus. Atque sic intelligendus Anonymus, in Hist. Reg. Dan. *Huic* (*Svenoni*) *erant quinque filii, qui omnes post eum regnaverunt*. Nam alias filios undecim habuit, ut ostendi.

1 *Ad locum praecipuum, qui Roskildis*) Praecipuam Selandiae urbem dicit Roskildin, & recte; nam neque Hafnia tunc erat, & reges illic sedem suam habebant. Adamus Bremensis, lib. De situ Daniae: *Civitas eius* (*Selandiae*) *maxima Roskild, sedes regia Danorum*. Et ante eam, Lethra erat. Saxo lib. II. *Lethram pergitur: quod oppidum a Rolvone constructum, eximiisque regni opibus illustratum, ceteris confinium provinciarum urbibus regiae fundationis, & sedis auctorirate praestabat*. Anonymus in Hist. Reg Dan. in Ingello, rege XXXIV. *Periit autem rex ille naturali morbo in Lethra, sede regali, iuxta quam sepultus legitur*. Iterum, in Oalo II. rege LX. *Mortuus vero, sepultus fuit apud Lethram, illius seculi regiam*. Ericus Pomeranus in Histor Gent. Dan. *Dum in Lethra, curia regia, in Sialandia, sederet in balneo*.

2 *Roskildis, id est fons Roe, antiquitus vocabatur*.) Roskildis, sive Roskildia, ut alii vocant, condita est a Roe, Haldani filio undecimo Danorum rege, qui regnum tenuit annis multis ante natum Servatorem. Saxo lib. I. *A Roe Roskildia condita memoratur*. Anonymus, in Hist. Reg. Dan. *Rex Roe, primus Haldani filius, aedificavit in Selandia Roskildiam civitatem; nomen illi imponens ex suo nomine Roe, & famatissimi eius urbis fontis, qui lingua vernacula Kylde dicitur*. Ericus Pomeranus in Hist. Gentis Dan. *Ro transtulit civitatem, & vocavit eam Roskelda, sermone composito ex nomine suo, & ex fonte, iuxta quem sita est*. Et fons iste etiamnum in hac urbe, post tot secula, perseverat: ostenditque mihi advenae in hoc regnum ante quinquennium, ὁ μακαρίτης, Caspar Bartholinus, magnum Daniae ornamentum: quum ad illum, ea in urbe tunc agentem, ob grassantem Hafniae pestem, salutandum excurrissem.

3 *Anno incarnationis dominicae* CIↃ LXXIV.) In anno mortis, regis Suenonis huius, consentit Ericus Pomeranus. *Anno Domini* CIↃ LXXIV. *obiit rex Suen Estreth*.

4 *Qui erat annus regni eius vicesimus octavus*.) Totidem annos regnasse eum tradit etiam Anonymus in Hist. Reg. Dan. *Rex Sveno Estridis, Chanuti Duri ex Estritha sorore nepos, regnavit annis viginti octo*.

5 *Regni sui anno sexto*.) Saxo Haraldum biennium tantum tenuisse regnum tradit, lib. XI. *Regnando biennium emensus, defungitur*. Et Anonymus in hoc ipso Haraldo. *Qaumque regnasset duobus annis, defungitur*. Et ex his Albertus Crantzius, Dan. lib. IV. cap. XXXIV.

patria via egresso, locus eum celebris, qui Dalbii, idest Vallis villa, lingua Danica dicitur, futurae resurrectioni reservandum accepit, & exceptum terrae matri, religiosis prosequutum exsequiis, commendavit.

CAP. V.

TRansactis littoreis remigiis, & adiacentium regionum intuitu iam satiatis obtutibus, ad altum pelagus tendentes, ratis nostrae rimas solerti industria obstruamus, ne qua vena insidiantis aequoris navigantes intercipiat; &, erecto crucis dominicae ligno, vela virtutum in altum resurgant, quo sirenarum cantus auribus obtusis, veloci euro perflante, discurrentes, herois nostri meritis ad sinum optati portus delatis, ancoram spei nostrae divinae adfigamus clementiae; ne spiritualium mercium navim scopulorum adversitas intercludat, & littora gaudia, gazis porro vectis, iam sparsis unda nantibus, fletuum planctibus admisceant. Sed, qui dixit, *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud*; sensus nostri labia, & oris dirigat eloquia; ut sic militis sui efferamus preconia, quatenus maiestati illius tractemus complacita.

CAP. VI.

GLoriosi igitur Svenonis Magni inclita soboles, licet omnis paternae virtutis industriam innata sibi aemularetur prudentia, insignissimus noster Cnuto, quem sedes postmodum Apostolica, summo Pontifice praesidente, quampluribusque, tam praesulibus, quam & religiosi ordinis viris adsidentibus, ceu propter sensus caniciem, vel vitae sinceritatem, ceu pro hoc, quod eum in canone sanctorum commemorandum discernebat, Canutum censeri instituit; veluti inter gemmas praecipuas effulgens carbunculus, non tam patria imitari studia, quam & propria monumenti gesta posteris conabatur tradere celebria. Crescebat enim in eo morum honestorum prudentia cum venustae iuventutis gratia; unde, superna tandem providente clementia, in regni processit fastigia. Acer quippe erat ingenio, specie dignus imperio, oculis vivacibus, armis, & animo strenuus, mentis industria sermonis prodebatur facundia: &, quia neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, & ab initio exorientis seculi electi mansionibus aeternis in regia sempiterni patris sunt locandi; dominus in eo elegantem sibi satellitem formabat, quem ex regiae dignitatis fascibus, comitem supernorum, & martyrem faciebat.

CAP. VII.

IPse vero, post fratris excessum a seculo, divinitus sibi proviso promotus imperio, regum se domino obsequiis mancipavit fidelibus; ut, eius se protegente auxilio, tam a terrestrium, quam & ab aeriorum hostium muniretur incursibus. Famelicos fovebat, & pauperes; nudos vestiebat, & algentes; orfanis, & viduis clementer succurrebat; peregrinos, & egentes misericordiae stipendiis substentabat ordinis religiosi viros, quosdam ut dominos, quosdam ut patres honorabat; ministeriorumque spiritualium sacraria, regalium munerum donis adornabat; sanctas sanctorum Dei ecclesias, diurni cursus sacrum ordinem auditurus, adsiduus frequentabat:, & quae ibi capaci percepisset auditu, pretiosi pectoris condebat armario, ad quae eum divinus invitabat Spiritus, ut in seculum seculi permaneret memoria eius.

CAP. VIII.

REgum quamplurium, sed & ipsius Salomonis devitans lasciviam, ob quam eius quondam posteri, bis quinis regni partibus ablatis, vix duabus, irato Deo, principari [1] merebantur; imperatorii generis nobilissimam sibi coniugem, sapientum consilio, elegit; quam insigni honorificentia ex occidentalibus oris advectam, secundum nominis eius aestimationem, quae Ethela, id est nobilis dicebatur [2], nobilem nobiliter excipiens, impudicis concubinarum despectis amplexibus, solius eius connubio, Iesu Christo teste, eiusque angelis, contentus est. Sed & quemadmodum de

---

1 *Principari.*) Est posterioris aevi ista dictio, sicut aliae; quibus in hoc suo Opere AElnothus utitur. Vsurpavit & Sidonius, Carm. IX.

Nec prolem Garamantici Tonantis;
Regnis, principibusque, principantem.

Et iterum Carm. XXIII.

Quid quod Caesaribus ferax creandis,
Felix prole virum, simul dedisti
Natos cum genitore principantes.

2 *Quae Ethela, id est nobilis, dicebatur,*) Canutus uxorem sibi duxit Ethelam, filiam Roberti, cognomento Frisonis adpellati, comitis Flandriae; meminitque eius infra quoque, capp. XIII. XXXIV. De uxore vero Ethela etiam testatur Saxo lib. XI. *Nuptias circumspiciens,* (*Canutus,*) *finitimaque coniugia obscura, ac dignitate sua minora, reputans, praefecti Flandriae Roberti filiam, Ethelam, in matrimonium advocavit, ex qua filius ei Carolus obvenit.* Gualterus Tarvanensis in Vita S. Caroli, huius Canuti nostri filii, Adelam vocat, nomine aequipollente, cap. I. *Carolus, comes Flandriae, filius Canuti martyris, regis quondam Daciae, & Adelae reginae.* Ioannes a Leidis Adeliam vocat, & Aleydim, Chron. Belg. lib. XII. cap. V. *Gertrudis comitissa genuit Roberto Frisoni, marito suo, tres filias; quarum prima dicta Adelia regina, & uxor S. Canuti martyris, regis Daciae, & Norvegiae, ex qua idem Canutus genuit beatum Carolum, comitem Flandriae. Hic S. Canutus est a suis martyrizatus in quadam capella regni sui; Adelia, seu Aleydis, regina Daciae, post martyrium regis, mariti sui, rediit in Flandriam cum infante suo Carolo.*

de beato Iob dicitur, causas utiles, quas nesciebat, diligentissime investigabat; & cum prudentibus, & religiosis saepius pertractans, qualiter fidei Christianae religionem in regno suo in dies adaugeret, assidue revolvebat. Multa siquidem, antiquitus tradita, in praesens observari sagaci industria perspiciebat, quae magis pro divina iustitia essent corrigenda, quam ob vulgi favorem exsequenda, quae superni arbitris inspirante gratia, coercere disponebat. Sed indomitae gentis feritas, & innata duritia voluntatis effectum eius in dies differebat. Et quia ut veritas ait, omnis, qui male agit, odit lucem, & non vult venire ad lucem, ut non arguantur opera eius, hi, qui magis pravis usibus inhaerere, & voluntarie cupiebant in peccatis iacere, quam iniuste observata iustitiae audita ratione relinquere; vanitati eum insistere, & veluti novis, & inauditis adinventionibus operam dare, in suis conventiculis querebantur: ac ob hoc qualiter iugum dominationis eius ab indomitis, & inflexis hactenus, & duris contumaciae suae cervicibus excuterent, haud divini spiritus illustratione inflammati, sed alieni spiritus suggestione inflati conciliabant. Homo enim carnalis non percipiebat, quae regio pectori omnis scientiae spiritus infundebat; quapropter in laqueum, quem pedibus innocentis paraverant, incidentes; & in foveam, quam foderant, corruentes, Iudaeorum aemulatores exstiterunt, quia vitia eorum increpantem ferre nequiverunt; sed, relatu perditionis eorum suo tempori reservato, ad virtutum nobilitatem magnifici herois nostri explicandam redeamus.

CAP. IX.

Crescente ergo in servo, & vero rege, [quia Deo servire, regnare; & vitiis imperare, dominari est] divini respectu timoris actus & ignorantias pristinas, ac delicta iuventutis suae, solerti examinatione discutiens, sibi cohaerentibus religiosis viris, tunc quidem regalis curiae capellanis 1, nunc autem pontificibus venerandis, Geroldo scilicet, & Arnoldo, verae, & sincerae confessionis humilitate adaperiens, devotionis suae affectum ita divinae subiiciebat clementiae, ut, quod quibusdam incredibile videbitur, corporalis etiam vindictae plagas ipsis solis, Deo teste, eiusque secretorum consciis, ab eis sibi inferri non renueret. Audierat enim, & audiens intellexerat, quia quanto magis caro exterior attereretur, eo amplius spiritus interior relevaretur; & ut, qui Christi esse desiderat, carnem suam, cum vitiis, & concupiscentiis, crucifigere non perhorrescat 2, solemnibus etiam ieiuniorum diebus sexta sabbati mensae regali adsidens, quum a convivantibus vino, seu melle mixtis uti putaretur liquoribus, ministris solum fidis, cum occultorum inspectore, scientibus, pura utebatur aqua regaliumque deliciarum dapibus ori adpositis tantum, delatisque partim circumsidentibus, partim pauperibus distributis, atque transmissis, ipse pane sicco, sale apposito, corpus deliciis assuetum non tam sustentabat, quam & his non ad sufficientiam sumtis cruciabat. Opera enim sua non in platearum occursibus propalari, sed ab investigatore cordium desiderabat adprobari; ut nesciret sinistra, quid faceret dextra: quia non inde laudis humanae vellet favorem, sed patris, in abscondito videntis, praestolabatur remunerationem.

CAP. X.

Sed quia, iuxta veritatis dictum, civitas, in excelso sita, nequit abscondi; & lucernae lumen magis in edito proferri, quam in abscondito debeat occultari; fama virtutum & constantiae prudentia nobilissimi principis latius diffunditur; & tam apud Scotos, & Orcadas, Irosque 3, qui ultimos fere occidentis fines incolunt, quam & apud Anglos, & Gallos, Saxonesque celeberrimus habebatur. Italicis vero terminis incognitus non erat;

1 *Regalis curiae capellanis*) Capella, medio isto aevo, pro aedicula sacra sumitur. Falcandus in Hist. Sic. *Moxque proceres, cum episcopis; & magnatibus curiae, de loco ubi sepultum fuerat, in capellam corpus regium transtulerunt*. Frotmundus, in Diplomate. *Damus itaque eis, & in aeternum datum volumus, altare, in honorem S. Remigii sacratum, de capella, quae sita est in pago Portensi*. Et Hatto, item in Diplomate. *Contentio quaedam orta est de capella, quae dicitur Fons Aabran*. Inde *Capellanus*, sacello praefectus. Stephanus Tornacensis Epist. CIV. *Ad misericordiae vestrae sinum decurrit devotus filius vester, capellanus S. Benedicti, qui a quibusdam eiusdem ecclesiae canonicis inquietatur*. Et mox iterum in fine Epistolae. *Cum aliis horis sua celebrent [clerici] divina officia; aliis capellanus parochialia conficiat sacramenta*. Et *Archicapellanus*. Andreas Abbas in Chronico Bavariae. *Burchardum, Wirziburgensem episcopum, & Folradum archicapellanum; quem quidam abbatem, quidam presbyterum scribunt, ad Zachariam, Romanum pontificem, misit*. Item *Capellania*, Sacelli praefectura. Guichardus, in Diplomate. *Capellania, seu aliquod altare, quod per nos confertur in eadem ecclesia, eo in corporalem possessionem inducto, statim debet poni in choro*. Apud alios *Capella* etiam ea dicitur, quae *Cancellaria* vulgo: & *Capellanus*, idem est, *qui Cancellarius*. Videatur hac de re Henricus Spelmannus, generis nobilitate, & doctrina pariter clarus, in Glossario praestantissimo.

2 *Perhorrescant*) Ita est in MS., & editione quoque Hafniensi. Ego edidi, *Perhorrescat*.

3 *Irosque*) Ita est in MS. Editor Hafniensis correxit, *Hibernosque*. Ego vero lectionem manuscripti exhibendam existimavi: nam AElnotus Iros dixit, vulgato vocabulo, quos Latini Hibernos dicunt.

erat; sed & ipsis Francigenis, qui & Romani dicuntur 1, admodum bellicosis, non tam admirandus, quam & metuendus, insonabat.

CAP. XI.

Anglorum enim gens nobilissima, quae ab antiquis Saxonibus originem ducere 2, venerabili Beda presbytero, eiusdem gentis historiographo describente, dignoscitur, Haraldo rege fortissimo a Wilhelmo, australium Normannorum duce, belli insidiis interemto 3, ipsoque Wilhelmo ita demum Anglorum imperium vi adripiente 4, eorumdem, quos supra memoravimus, Romanorum, seu Francigenarum, dominatus iure diutius oppressa, eo tandem modo pristinae se restituendam libertati praesumebat incipere, si insignissimum principem Canutum, cum sui exercitus viris, ad ulciscendam consanguinei necem, Haraldi scilicet, quondam regis, ab eisdem Romanis interemti, Britanniae littoribus adgnovisset adplicare. Siquidem inclitis eorum ducibus, & comitibus, satrapis, & nobilibus, diversarumque dignitatum personis, partim ferro peremtis, aliis in ergastulis deputatis, quibusdam paternarum gazarum, ac dignitatum, honore simul, & hereditate privatis, nonnullis nativo solo exterminatis, reliquis veluti publica servitute oppressis, ferocitatem tyrannidis eorum non ferentes, extraneorum attrahere decernunt auxilia: quum reparandae libertatis ducem eis, aut principem inimicorum provida non reliquisset astutia; unde, legatis frequentius transmissis, praestantissimi principis Canuti deposcunt auxilium: magis cupientes, hostibus adgressis, ad Anglorum decertare imperium obtinendum, quam inimicorum tyrannidem patiendo ferocitatis eorum ferre dominium; quorum angustiis, & legationibus, piissimus heros incitatus, in commodum eorum succurrendum decrevit, ut gentem nobilissimam pristinae libertati restitueret; & Romanorum, seu Francigenarum insolentiam, consanguinei necem ulciscendo, puniret: classem ergo quamplurimam parari instituit, suisque ad omnia paratos esse edicto proposito demandavit. Sed omnia disponens, & cuncta diiudicans, cuius iudicia abyssus multa, & cuius consilia nullus investigare potest mortalium, sive per illius gentis adhuc correptionem protelandam, seu pro martyrii gloria nobilissimi principis, seu magis propriae genti, quam extraneis reservanda, iter humanae voluntatis impediebat: qui Danis de principe patronum, de rege protomartyrem, efficere disponebat. Protomartyrem dico; quia nulla antiquorum relatione didicimus, aliquem ex eorum gente martyrio insignitum fuisse; nullum inter eos, pro fer-

---

1 *Ipsis Francigenis, qui & Romani dicuntur.*) Qui *Franci*, qui *Francigenae* dicti, docet Abbas Vrspergensis in Chronico. *Hi quidem, qui Teutonicis commixti sunt, proprio vocabulo Franci; qui autem per connubia a Gallis sunt progeniti, Francigenae sunt adpellati.* Eos a Romanos etiam dictos tradit quoque capite sequenti. *Romanorum, seu Francigenarum dominatus.* Et mox iterum, *Romanorum, seu Francigenarum insolentiam.* Et cap. XII. *Per omnia Francigenis, quos & Romanos dici praetulimus, adsimilare.* Verum ego mendum esse ubique existimo; ac legendum, literis leviter transpositis, *Normani, Normanorum, & Normanus.*

2 *Quae ab antiquis Saxonibus originem ducere*) Vide Bedam, Hist. Eccl. Angl. lib. I. cap. XV & Ethelwerdum, Chron. lib. I.

3 *Haraldo, rege fortissimo, a Wilhelmo, australium Normannorum duce, belli insidiis interemto.*) De Haraldi cum Wilhelmo, cognomento Conquestore, pugna acerrima, atque caede, vide Wilhelmum Malmesburiensem, De Reg. Angl. lib. III. & qui eum exscripsit, Anonymum; De Gest. Angl. lib. II. cap. XI. Matthaeum Westmonasteriensem, Flor Hist. lib. I. & Parisiensem, in Haraldo.

4 *Ipsoque Wilhelmo ita demum Anglorum imperium adripiente*) Haraldi morte erepta Danis Anglia in Wilhelmi Conquestoris potestatem concessit. Anonymus, in Hist. Reg. Dan. in Haraldi huius vita. *Huius tempore defecit ab obedientia Danorum Anglia; quae iam* CIↃXX. *annis fuerat regibus Danorum vectigalis.* Verum, ut hoc per occasionem dicam, anne Danis Anglia vectigalis fuit annis mille, & viginti? Nimium exerrant numeri. Ericus Pomeranus, in Hist. Gent Dan. centum & viginti ait, de hoc ipso Haraldo loquens. *Huius tempore recessit Anglia a dominio Danorum, post quam* CXX *annis continuis subdita fuerat Danis.* Rogerus de Hoveden, trecentos, & triginta numerat, Annal. Parte I. *Ab exordio Ethelulphi usque ad adventum Normannorum, & Wilhelmi Regis, per annos* CCCXXX. *terram hanc vehementer adfligentes, & desolantes, vastaverunt.* Ecce, inquit, ab exordio Ethelulphi, ad Wilhelmum Conquestorem. Atqui regnum suum incepit Ethelulphus anno Christ. DCCCXXXVII. ac Wilhelmus, CIↃLXVI. Itaque habes verum tempus, quod nunc certo indicabo. Ethelulphi anno altero, id est, Christi DCCCXXXVIII. Dani Angliam invasere: ergo erunt anni ducenti viginti octo. Et hinc est, quod accuratius quam Rogerus de Hoveden, annos fere ducentos & triginta commemoret Matthaeus Westmonasteriensis, Flor. Hist lib. I. *Ab exordio regis Ethelulphi supra dicti, usque ad Normanorum adventum, per annos ferme* CCXXX. *terram hanc peccatricem, a mari usque ad mare, ab homine usque ad pecus, deleverunt.* Certe Wilhelmi Conquestoris principatus initium referunt in annum eum MLXVI. quem dixi, Auctores plurimi: Wilhelmus Neubrigensis, lib. I. cap. I. Otho Frisingensis, lib. VI. cap. XXXV. Henricus Huntingdonensis, lib. VII. Wilhelmus Gemiticensis, De Duc. Norm. cap. XXVII. & Rogerus de Hoveden. Annal. Parte I. Sed Matthaeus Parisiensis tribuit annum MLXVII. ac secundum eum, anni essent dicendi CCXXIX.

servanda iustitiae constantia, taliter occubuisse: Idcirco gloria, & honore coronatus, in dextra sempiterni regis permanet collocatus. Sed haec de eo cognita.

CAP. XII.

CLassis vero in dies parabatur, & ad nobilem tam frugibus, quam & rerum opulentia terram, tam a nobilibus, quam & a vulgo omni instantia festinabatur. Verumtamen, rumore expeditionis eorum Britanniam usque velificante, atque universum Anglorum orbem cursitando replente, Wilhelmus, arte tuitionis, utpote bellicosus heros, non imperitus, castra, & oppida munire; muris, & fossa, cum propugnaculis, castella circumcingere; urbium muros renovare, & eis vigilantiam adhibere, diversosque ad portus nauticas custodias deputare: exercitu vero conducto, tam a Gallis, & Britonibus, quam a Cenomanis adgregato, ita urbium aedes replebantur, ut viris suis domestici foris adsidere viderentur. Anglis autem, quibus non minimi desiderii Danici exercitus adventum didicerat barbas radere 1, arma & exsuvias ad instar Romanorum coaptare; &, ad deludendum adventantium visus, per omnia Francigenis, quos & Romanos dici praetulimus, adsimilare: quod perpauci fecere. Sed haec ibi.

CAP. XIII.

CLasse igitur parata, Danorum exercitus occidentalis portus littoribus velis sinuatim distensis advehitur; ibique regiae classis adventus in dies praestolabatur. Rex vero in loco celeberrimo, qui, ab eiusdem domina quondam loci Hethe 2, Hetehebii nomen accepit; quod, Danica lingua interpretatum, campi villa dicitur; cum prudentibus, & sapientibus pertractans, qualiter res cepta ob multorum profectum, Iesu Christo auxiliante, ad decentem perveniret profectum. Sed quemadmodum Israeliticus populus, Moyse cum Deo in confabulatu demorante, ab Aaron Deos sibi fieri, qui eremiticae eis viae ducatum praeberent 3, exposcunt; &, ob hoc irato Deo, desiderati soli tam visu, quam & usu privantur; ita & vulgus hic, impatiens morae littoreae detentionis, praestolationes domesticis inutiles negotiis querebantur: & aut licentiam ad propria remeandi; sive principem eis alium expeditionis, rege aliis intento, facultatem eligendi; seu regi nuntios cum sua quanto ocyus accelerandi classe, consilio crebrius inito, transmitti vociferabantur; quorum strepitu frequenti, diuturnisque clamoribus, moti principes, regi nuntios transmittere, querelasque parati exercitus regiis decernunt auribus insinuare; cuius legationis Olaus, eiusdem gloriosi regis frater germanus, haud felix exsequutor effectus, regem cum comitibus adit, exercitus mandata depromit, causas questuum facunde perorans ostendit. Porro rex perspicacis industriae, cuncta diutius pertractans, Roberto, occidentalium nobilissimo duci, sibi per filiam scilicet Ethelam propinquo, fratrem suum eumdem reservandum in Flandriam transmittit, exercituique per nuntios, quae volebat, mandavit. Verumtamen, autumno imminente, transmissis legatis, non minima instantia omnis multitudo interpellat, ut, ob domesticorum usuum negotia, exercitum ad propria remeare iubeat; vernali tempore classem universam, quocumque delegasset, habiturus paratam. Quod rege, nobilibus, magnatibusque intervenientibus, adnuente, ancoras laeti sabulis eripiunt, tentoria super adfixa iaciunt; & mali suprema erigentes, vela ventis admittunt; altumque pelagus petentes, regique prospera imprecantes,

AEquora puppe cavant, laribusque cupita reportant. 4

CAP. XIV.

EXercitu igitur ad propria reverso, religiosus princeps, veluti hactenus pietatis studiis inhaerere, divini cultus reverentiam extollere, cleri iura provehere; dierum praecipuorum, legitimorumque ieiuniorum observantias, vindicta proposita regali edicto, quemadmodum per universum orbem haben-

1 *Anglis autem; quibus non minimi desiderii Danici exercitus adventum didicerat barbas radere.*) Ita habet MS. & editio Hafniensis: quae menda omnia manuscripti fidelissime repraesentat. Atqui nullus ex his verbis commodus elici sensus potest, restituo ergo in hunc modum. *Angli autem, quibus non minimi desiderii Danici exercitus adventum vidisse erat, barbas radere.* Angli, inquit, quibus, Danici exercitus adventum vidisse non minimi desiderii erat, barbas radebant. Vtitur enim passim hoc capite infinitivis pro imperfectis; ut loquuntur Grammatici.

2 *Ab eiusdem domina quondam loci Hethe.*) Haec est, puto, illa ipsa, cuius meminit aliquoties Saxo, initio libri VIII.

3 *Viae ducatum praeberent.*) Ducatus idem est, quod Ductus. Sic apud Petrum Chrysologum, serm. CIII. *Stellae suo cursu varios mutant ortus, ut noctibus & signent tempora, & viantibus dent ducatum.* Apuleius. Milef. VII. *Calculis omnibus ducatum ei latrones unanimes deferunt.* Iaphar., De Mutat. Temp. *Quia fortunata efficitur; proprium causat, & non pervertit ducatum.* Philippus Presbyter, Comment. in Iob. lib. II. cap. XXVIII. *Pro certo scit Deus quo haec sapientia properat, cui etiam ipse ducatum praeberet.* Sedulius Scotus in Epist. ad Rom. cap. II. *Libet inquirere, quare Moses ipse toto ducatus sui tempore neminem circumcidi voluerit.*

4 *Laribusque cupita reportant.*) In MS. & editione Hafniensi, erat: *Loribusque c. r.* Ego restitui; *Laribusque c. r.*

bentur, statuere; & omnia admodum Deo contraria pro posse suo coercere studere: servos manumissos, & proprii sudoris labore pretio acquisito redemtos, libertati publicae adiudicare; advenasque, undecumque advenientes, nec alicui unquam hactenus obnoxios, incolarum pares iure, & aequitate decernere. (Quod licet Danis invisum, & incommodum, Deo, ut arbitramur, haud admodum fuit contrarium;) rebellium, sive divinorum, seu legalium institutorum observantias opprimere, & regiae aequitatis virga indomitas eorum cervices edomare contendere.

CAP. XV.

IS ergo pietatis inimicus, & veritatis, atque virtutis, hostis irritatus, dum per hoc numerum sibi obsequentium iam iamque imminuendum pertimescit, diversarum insidiarum praestigia discurrit; utque tantae religionis tempora perturbet, & populum, iam tamdem per devoti principis solertiam, Deo quammaxime subiiciendum, suae potius malignitatis faucibus deglutiat, machinas astutiarum intendens, ut leo rugiens circuit, quem devoret inquirens, & iam, veluti quondam Pontifices, & Pharisaeos, legisque ministros, in ipsum veritatis auctorem veneno invidiae incitarat, per quos vulgi simplicitas ad condemnandum vitae opificem instigaretur, sic & natu quosque maiores, & vi praeeminentes, facundia etiam, ac audacia, ad fas, nefasque promtiores adversum religiosum principem iniquitatis antiquae stimulis incitat, incitando inflammat, inflammando ad omne nefas promtiores inclinat; atque, ut viri iusti memoriam solo exterminarent, nobiles, ignobiles instigatione non insolita provocando adarmat. Vnde omnis pene vulgus terrae, veneno iniquitatis eius infectum, & laqueis malitiae illius irretitum, ad omne scelus praeparatur; &, averso sensu, vultuque in terram demisso, summa inspicere devitant, ne a malitiae semitis iter avertant, quo eorum participes efficiantur, quos sapientia divina Deum a se recedere compellere protestatur.

CAP. XVI.

VErumtamen, ut proposita prosequamur, regalium negotiorum exsequutores, sive exactores, plus iusto in caussis exaggerandis insistere, staterarum pondera adaugere, rerum quarumque pretia vilipendere; &, ut vulgariter edisseram, unciarum valentiam 1 vix solidi pretio admittere; iudicia, ut tradunt, pervertere, nobilesque, quemadmodum & ignobiles, vi, & potentia opprimere contendere. Quorum insolentiam quamplurimi non ferendo exacerbati maiores natu, ira simul, & invidia accensi, omnes in regium principem consilio, & armis irrumpere; & tam in eo, quam & in illis nuntiis, circumquaque transmissis, publicas, ut arbitrantur, iniurias vindicare. Discurrunt ergo impietatis, & dementiae, intercursores; & non modo ad scelera promtos, verum etiam simplicium, atque innocentium incitant animos, ut complices scelerum multiplicent 2, & veritatis, ac iustitiae ius usquequaque perturbent. Proh dolor! abundans exsurgit iniquitas; refrigescit, & tabescit caritas; plebs ad omne scelus incitatur, fas substernitur, & nefas extollitur; &, veluti bellua ad glutiendum parata, sanguine sitibunda cupit saturari regio. Armis lacertos, crudelitate exacuit animos; &, heu, veretur, ne tempus adveniat celere, & ante succumbat, quam omne ministerium iniquitatis adimpleat.

Sed, quid ad iste furor, vel quo violentia tendit,
In regem populus, ut consurgat furibundus?
Plebs insana vide, tibi quid superessluat inde.
Adveniet pestis, cedent armentaque morbis;
Et bos deficiet, & quod tibi vacca ministrat.
Rus reddet tenuem sterilis, maledictaque, messem,
Seminis & fructus persolvet vix ager unus.
Deficient silvis glandes, & pecora campis;
Et copiam lactis, & amittes dulcia mellis.
Occumbent pecudes, morientur gurgite pisces;
Dura fames homines prosternet deficientes,
Et tu, qui proprio duci submittere colla
Iam dedignaris, sub Averni duce iacebis.

CAP.

1 *Vnciarum Valentiam*) Valentia est Pretium. Sic apud Lupum servatum in Vita S. Wigbrechti cap. XVII. *Lineamentis quidem humani corporis circumscriptum, at valentiam, dignitatemque mortalium longe praestantem.*

2 *Vt complices scelerum multiplicent*) Complices pro sceleris alicuius, aut criminis sociis dicuntur, apud huius notae Auctores. Isidorus Orig. lib. X. *Complex, qui uno peccato, vel crimine alteri est adplicatus ad malum.* Petrus Chrysologus Serm. CLII. *Vrget reos, percellit noxios, conscios corripit, addicit complices, sententiae dat detectos.* Prudentius, περὶ ςεφάνων Hymno X.

Quid differo, inquit ille, utrosque perdere,
Puerum, ac magistrum, complices sectae impiae?

Salvianus contra Avaritiam lib. XI. *Neque ideo minus est cuiuslibet tetra damnatio, si multos videatur habere complices poenae damnatus.* Cassiodorus Var. lib. I. epist. IV. *In suggestu gremii complicem videt.* Eugippius in Vita S. Severini cap. IV. *Vestris denuntiate complicibus, ne, aviditate praedandi, ultra huc audeant propinquare.* Veteres Etrusci ita etiam vocabant duodecim Deos, quos & consentes dicebant. Arnobius lib. III. *Consentes (Deos,) & Complices, Etrusci aiunt, & nominant; quod una oriantur, & occidant una; sex mares, & totidem feminas, nominibus ignotis.* Porro, a Complex dicit Complicium, pro societas, infra cap. XXX. *Quos poterant, ad complicium sceleris invitabant.*

CAP. XVII.

Rex igitur in locis australibus, ultra fluvium, qui Limma dicitur, regalibus negotiis ex more peractis, ad regionem maritimam, quae Wendle lingua Danica, quod convertibilis interpretatur, advehitur, ibique in villa regia, quae a domina quondam loci ipsius, quae Burlina dicebatur, iam, mutata vocali, Burlanis nuncupatur, cum regio satellite spatiaturus, residere decrevit; regiis exactoribus de peragendis simul, & inquirendis negotiis demandans. Cuius adventu tam nobiles, quam & vulgus incitati, impiorum consiliorum conventicula aggerant, & ad invicem animos ad iniquitatem instigant, pudori deputantes, regiis institutis cedere, & sese inferiores, quam regiam Maiestatem existimare. Idcirco, dum potestati insidiatur, Deo adversatur; quia, iuxta veridicum Apostolum, qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, & per hoc in eius consortio deputatur, qui, dum Deo subditus esse contemsit, in profundum inferni de excellentissimis coelorum deiectus cecidit.

CAP. XVIII.

Pontus ergo Cornicus dicitur, ubi omnis multitudo iniquitatis animo venenato, & brachio armato adunantur; & tam nocturnis, quam & diurnis conciliabulis religioso principi insidiantur; unanimes insistentes, ut aut illum finibus suis exturbent, vel, quod dictu nefas est, a regione viventium exterminent. Statuto autem die, rex cum suis multitudinem conventus illorum spectaturus ingreditur; &, cognita voluntatis eorum obstinacia 1, rem pertractaturus, ad suos revertitur. Sed ibidem perpaucis, quae proposuerat, ob insolentiam insanientium dispositis, furorem adunatae, & conspiratae multitudinis mitigare cupiens, & de se, suisque prospiciens, secundum illud dominicum praeceptum; si vos persequuti fuerint in una civitate, fugite in aliam, loco cedendum instituit; &, ne maior tumultus fieret, quietius abire constituit.

CAP. XIX.

Aquilonalibus igitur partibus derelictis, occidentalium terminos insequitur; & ad locum, qui nunc usque secundum veternos 2, Ackersburgh, idest, urbs agri dicitur, obsequentium turbis transmissis, ipse non longe, cum reverendissimo antistite Henrico, in villa Episcopii eius ibidem proxima, spatiaturus, cum numeroso comite resedit. Porro regis discessu divulgato, turba diripientium catervatim regias curias invadere, rerumque provisores ibidem aedibus exturbare; omnia investigantibus oculis avaris inspicere, manibus quamproxima diripere, regalium stipendiorum reliquias, quas vorando deglutire nequiverant, pedibus conculcando proterere, & universa, porcorum more, subvertere. Et quid amplius? ut in David legitur; confirmato malignitatis consilio, universa multitudo iter adgreditur; regia vestigia alii propriis quidam cornipedum pedibus insequuntur, edicto proposito statuentes, ut aut religiosi principis memoriam solo eripiant, aut etiam a regni iure depellant. Reverendissimus vero Pontifex, qui eo, ut praediximus tempore secum regem gloriosum detinebat, non sperato 3 vesanae legionis adventu audito, seditiosos cuneos cum prudentibus adit; & sermone placido, ut ab insolentia, haud admodum sano consilio coepta, compescant 4, instigat; &, ne ad infamiam universo orbi deveniant, fas, nefasque proponens, facundissime perorat.

CAP. XX.

Sed quia omnis veritatis inimicus, & pietatis hostis, quos perturbationis inquietudine compleverat, spiritus divinus aufugerat, & super inquietos, ac tumidos idem Dei spiritus requiescere non poterat, ut Iudaei, Stephanum quondam redarguentem non ferentes, duris dissecabantur cordibus, & in eum stridebant dentibus 5; sic sanis reverendi antistitis consiliis infrementes, insanis clamoribus insonant, & iam iamque in reverendum Pontificem irruere impetu facto festinant; hastis sabula littorea spargunt, aethera vocibus impetunt; &, ne vera peroran-

---

3 *Cognita voluntatis eorum obstinacia*) Obstinax, & Obstinacia, dicebant, pro Obstinatus, & Obstinatio. Et Obstinacia quidem, habes hoc loco apud Aelnothum, & mox iterum cap XXII. *Furiis pertinacis obstinaciae exagitata turba*. Obstinax autem, occurrit postea cap. XXVII. *Hostis pertinax obstinaci insolentia basilicae parietibus insistit*. Et apud Honorium in Speculo Ecclesiastico in Serm. in Adsumt. S. Mariae. *Defuncto Episcopo, ab omni Clero, & Populo, Praesul eligitur; sed ipse, ob humilitatem, obstinaci mente renititur*.

2 *Secundum veternos*) Veternus dicit, pro Vetus, sicut Modernus quoque, pro Hodiernus eius temporis Scriptores. Et postea iterum Aelnothus noster cap XXII.

Ponens exsuvias, sumta probitate, veternas.

3 *Non sperato*] In MS. erat, Non insperato, quod & Editor Hafniensis repraesentat. Ego quidem sic restituendum puto, sicut edidi.

4 *Compescant*) Nove dixit, pro Abstineant.

5 *Et in eum stridebant dentibus.*) MS. & editio Hafniensis: *Et in eos s. d.* Restitui: *Et in eum*. Nam referendum ad solum Stephanum.

roranti, ac utilia persuadenti, vulgus adquiescat, incommodis quibusque propositis dissuadendo insistunt.

CAP. XXI.

VErum, ut confirmatio sermonis maligni perficeretur, illustrissimi viri spretis exhortationibus, & piis eius admonitionibus postpositis, ferocitatis complicibus viatim multiplicatis, seditiosa multitudo ad omne facinus praeceps, ad urbem praenominatam, ubi regalium gazarum ministri, seu provisores adsidebant, concite properat; &, ut exinde fama insolentiae coeptae in universum Iutiae orbem divulgetur, decertant. Et quid immoror? stuperes, insipientium irruptiones intuens. Quidam namque, nudi stratis extrahuntur; alii pro foribus subfocantur; nonnulli flumine praecipitantur; sed & ipsos magnates, undecumque investigatos, persequuntur; dum & istis armis fugiendi exitus recluditur, & illis simul pro foribus hostis adsistit, & gladius. Decertat ergo cuneus uterque; illi, deforis impugnantes 1: isti, deintus se, suosque defendere cupientes 2. Sed, multitudine concurrentium continuatim accrescente, quidam ipsis etiam vestibus exspoliati, in arma nudi prosiliunt; alii saucii, & velut a belluis dilacerati, procedunt; nonnulli, domibus quoque distractis effugiunt. Dehinc latebras quique quamproximas requirunt; quidam navibus admissis, furori irruenti cedunt; rege cum suis hactenus ab his tumultibus ultra fluvium transposito. Omnibus igitur illinc, tam regiis ministris, quam & ipsis domesticis exturbatis, supellex cuncta subvertitur; lectistrina 3 subvertuntur, singulorum mansiunculae despiciuntur, hospitia investigantur; sed & ipsa effodiuntur atria; &, quid quisque praedo avarus rapiat, seu famelicus deglutiat, ipsis ad invicem praedonibus altercantibus, avaritia procax decertat. Hinc ignobiles quique, & rapaces locupletantur; dum & nobiles ab hostili cuneo propriis privantur; & alii, saucio quondam latere, adquisitis spoliantur.

CAP. XXII

TAlibus igitur furiis pertinacis obstinaciae turba exagitata, ut omne suis ius terminis exturbet insistit; &, ne principi religioso refugii locus usquam relinquatur; ac, ne quemquam, sua vitia redarguentem, superstitem deserat, vesaniae suae simul, & dementiae intercursoribus, circumquaque daemone comitante, ceu ventis transvolantibus, decertat. Sed, veluti pietatis magister 4 Ierusalem cum filiis suis in ipsum perennis misericordiae fontem, Pharisaeorum consilio, & Scribarum instinctu, saepius conspirantem, ventura denuntians, utpote futurorum inscium deflebat; sic iam te, Iutia, ob insolentiam te inhabitantium, & Dei hominem, probitatis inimici instigatione persequentium, nonnullus pietatis praeco ob hanc insolentiam superventura tibi incommoda, sed tuis interim visibus abscondita prospiciens, non immerito defleret; quum te praesentibus tantum credere, & non visis, imo tantum adventuris fidem quamminime cerneret adhibere. Quapropter his te querelis adgredi non incongruum.

Gens inimica bonis iusto cur insidiaris?
Cur, furiis actus, firmas cum daemone pactus?
Et, velut ille polo tumidus demittitur alto.
Sic tu de proprio deturbas commoda solo;
Vt simul & rabidus, & sis pietate privatus?
Sicque tuo tantum cur pellis ab orbe patronum?
Et quid tentabas, quum perfecisse volebas?
Cur non implesti, quo te post gloria iusti
Crescens terreret, & deiiciendo levaret?
Vt, quum deveniens eius manifesta videres
Signa, decus, doxam, propriam cognoscere noxam
Posses; & titubans nudas admittere plantas;
Ingrediensque sacras contrito pectore valvas,
Ponens exsuvias sumta probitate veternas,
Et simul exertos sursum retinere lacertos;
Ora rigans lacrymis, & tundens pectora palmis,

1 *Illi deforis impugnantes*) Deforis, pro Foris. Sic infra cap. XXVII. *Monstruosus Pipo deforis pro foribus adsistit*. Fridericus II. De Arteven. lib. II cap. LXIV. *Deportetur etiam falco huc, & illuc paullatim ad diversa loca deforis*. Gregorius Turonensis ad eumdem modum Aforis dixit, De Glor. Mart. lib. I. cap. IX. *Dum autem ille venit, mox accendimus aforis cereum*. Et mox: *Claritas, quam admirabamur, aforis adparente cereo nostro, discessit*.

2 *Isti deintus se, suosque defendere cupientes*) Dixit Deintus, sicut Deforis. Sic infra cap. XXVII. *Quo haud segniter deintus occurrente, duris alternatim ictibus admissis, sauciantur*. Eodem modo est Deintro in Lege Salica Tit. IX. *Si quis unum vas apium deintro clave, aut sub lecto furaverit*.

3 *Lectistrina*) Vox est alibi non lecta. Puto reponendum esse, *Lectisternia*. Nam hac voce aevi illius Scriptores utuntur, pro Stragulis. Anonymus in Vita S. Findani cap. IV. *Pro lectisterniis lapides velatos, adhuc inter fratres pausatus, corpori occulte supposuit*. Ekkehardus Iunior De Cas. Mon. S. Galli cap. V. *Tali ille lectisternio pro deliciis usque coram ianuis Ecclesiae nocturnorum sonitum, aut in sedili, aut in nuda quidem exspectare terra solebat*.

4 *Pietatis magister*) Pietas, pro *Misericordia*. Gallicum, *Piete*. Galfridius Monemutensis Histor. Reg. Brit. lib. III. cap. III. *Fugientes insequitur Belinus, caedem sine pietate faciens*. Et mox iterum cap. IX. *Quos Belinus insequens, sine pietate trucidare non cessavit*. Auctor Vitae S. Frodoberti. *Et ille, visceribus pietatis commotus, infelicis sortem indoluit*.

Et genibus flexis veniam deposcere noxis,
Improperans sceleri proprio 1, *grates sed honori*
Martyris adtribuens, & facta facinora deflens.
Sed quod tu, Iutia, contemnis 2 *habere superba,*
Aemula facta tua, capit ecce Fionia clara.
Et, quamvis coeptum perfecerit illa malignum,
Ipsa tamen gestis signis laetatur honestis;
Adsidue spectans vice conversa frequentans;
Quum nunc exorat, quem conspirando necarat 3,
Pectore contunso, vultu, soloque remisso;
Et visu madido, pugnis & corde retunso,
Atque genu flexo tristis pro crimine facto,
Vt fore placatus velit illis, & miseratus
Continuaque prece priscum scelus abluat omne,
Aureolis aula donis ditatur & ipsa;
Hicque nitent fulvi nunc ornamenta metalli,
Cum serico gemmis croceo pretiosa decoris.
Confluit huc populus, habet hic pia gaudia vulgus;
Exsultatque sacrum se percepisse patronum.
Organa cum tibiis resonant dulcisona pulcris,
Et cytharas plectris quatiunt speciosa canendo.
Haec tu cuncta tuis furibunda repellis ab oris.
Illa levatur habens, quae tu minueris amittens.
Illa locis verum serventur in ordine rerum
His nec omissis, dentur loca, tempora, gestis.

CAP. XXIII.

Locus igitur celeberrimus medio fere Iutiae orbe consistit, qui ob sui eminentiam, sive ob antiquorum inibi sacrificiorum frequentiam, vel ob idoli quondam ibidem opinatissimi, qui Wig dicebatur, memoriam Wibergis, veluti Wigi excelsum, aut belli mons, seu sacrificationis lingua Danica nuncupatur, ubi ex totis Iutiae partibus quam saepius non minima multitudo, tam de causis communibus tractatura, quam & de legum veritate, sive firmitate discutienda simul, & stabilienda convenit; &, quod ibi communi consilio adgregatae multitudinis stabilitum fuerit, non impune uspiam in Iutiae partibus irritum fieri valebit.

CAP. XXIV.

Hvc ergo insignissimus heros cum satellite superstite deveniens, dum inibi, si quempiam fidem retinentem inveniat, inquirit, non modo non invenit, imo etiam insidiarum laqueos sibi oppositos intendit. Aquilonale namque vulgus, ut supra commemoravimus, furiis infernalibus actum, quod sceleris huius auctor, & exordium fuisse dignoscitur, iam vesaniae suae signa circumquaque denuntiando efflaverat; & principi religioso effugii locum nusquam relinquebat. Et, heu, cum vulpibus auxilii fovea pateat, & aves coeli consertos sibi nidos requirant, filio hominis, idest, Iesu Christo famulantes, ubi caput reclinent, non habent. Et hinc portum fluminis, qui Sleh dicitur, cum suis absque tumultu adiit, nautico itinere, concesso iam per terram comite, Fioniam profecturus.

CAP. XXV.

Pvppibus ergo non segniter instructis, & necessariis advectis, magnificus princeps, Iutiae furorem, simul & ipsam Iutiam penitus relicturus, fluctivagos sinus, cum domesticis satellitibus, & novo iam certamine tironibus experiendis, ingrediens, Fioniae partibus advehitur, ubi dum praesentis securitatem quietis requirens non invenit, sempiternae felicitatis palma, & perpetua gloriosi triumphi memoria insigniri promeruit. Tu etenim, antiquissime seductor, haec omnia, Deo sinente, & ad potiora disponente, malitiae tuae artibus, & instigatione perficiens, qui quondam decorus, & magnificus, ob immensi tumoris contumaciam, de summis coelorum eiectus, & postmodum in serpente visus, proavos nostros, Deitatis permissu, seduxeras, haud mirum, si iam per unius regni spatia in homine Dei insidiarum machinas distendas; quum quotidie per universum orbem fidelium iter impediens, ad damnationis tuae cumulum multiplicitatem complicium, sempiterno tecum igne exurendorum coacervas. Adgredere ergo impietatis tuae ministros, & in Dei servum exacue, viros instrue, animos incita, lacertos adarma, insidias praepara, complices sceleris accumula, ut, quanto crudelior exstiterit insidiantium saevitia, eo gloriosior efficiatur gloriosi principis victoriae memoria.

CAP. XXVI.

Regis ergo adventu divulgato, ut, quod divina disponebat providentia, non serius efficeretur, nocturnis simul, & diurnis intercursoribus circumquaque transmissis, multitudo vulgi coadunata, iniquitatis adgregat consilia; &, ut suis etiam principem religiosum finibus exturbent, seu quod dictu nefas est, vitae exsortem efficiant, omni condicit instantia. Ipse autem ad locum praecipuum, utpo-

1 *Improperans sceleri proprio*) Male MS. & editio Hafniensis, *improperans celeri p.* Ego restitui in hunc modum, edidique.

2 *Sed quod tu Iutia contemnis*) In MS. erat *Sed quod tui vitia contemnis*; in editione vero Hafniensi, *Sed quod tu vitia*. Ego correxi, *Sed quod tu Iutia*.

3 *Quem conspirando negarat*) Ita erat in MS. & editione item Hafniensi. Restituendum censeo: *Quem conspirando necarat*.

utpote certaminis triumphi, & repausationis suae 1, qui Othens Wi dicitur, cum Herico fratre suo, rege postmodum glorioso 2, & Svenone inclyto, Benedicto quoque, laboris, atque certaminis consorte, curialibus secum comitantibus proficiscitur, rerum ibidem praestolaturus eventum, & quid suis consilii admitteret tractaturus. Seditiosa vero multitudo in dies adaugetur; &, non tam internuntios, quam & exploratores curiae regali intermittit; regiaque undecumque sciscitatur consilia, & ad eum cum suo comitatu deiiciendum omni decertat instantia. Cuius seditionis uti princeps, & fraudis commentor, Pipodictus 3, inter eos insignissimus, astutus ingenio, facundus eloquio, principem innocentem fraudulenter adiit; &, ut fidem fraudibus praebeat legionis insensatae furibunda non occultat edicta; quae tamen per se quamplurima proponendo, haud minime depromit attenuanda. Mensae igitur regali, & regi proximus adsidens, secundum illud Davidicum: *Qui edebat panem meum, magnificavit super me subplantationem*; regiis tamdem non modo dapibus farcitus, & poculo ebriatus, quam & muneribus honoratus, veluti magistro veritatis, Iudae proditori panem intinctum porrigendo dicenti, *Quod facis, fac citius*; religioso principi pacis osculo ficto, & venenato corde tradito, sicut ille lucis auctorem, & pietatis eruditorem Pharisaeis, sumtis argenteis, vendidit, sic & ille, luce derelicta 4, idest, fidei probitate deiecta, infidelitatis tenebris illaqueatus, ut nox nocti non scientiam, sed insipientiam indicaturus, hostilibus catervis occurrit; &, quae a rege perceperat, non pandendo, sed pervertendo, denuntiat; &, qua eum fraude circumveniant, perorat. Et, heu, te miserum in futurum vecordem, mente captivum, incassum impietatis adgregas exercitum, quum ad detestationis tuae augendum opprobrium, quem cum consortibus tuis persequeris, latius iam per orbem eius nunc proditor vitae fieri non erubescis. Cur ergo, crudelissime, tetro, & inviso, tuis adsistenti dextris, inimico crucis signaculum non opponebas 5? cur arma, tuis iam humeris superimminentia, non praevidebas? &, si te a scelere non convivii participati benignitas, nec muneris collati dignitas revocaret, cur perennis infamia, & dedecus sempiternum, utpote indutri, & sagaci 6, ob ineffabile nefas, animo non occurrebat? Distensis enim poculo visceribus, & veluti sanguinolentis obtutibus, necdum consumta digesseras; &, quibus iam convivam pium persequutoribus traderes, advocabas te impudicum, pietate, & probitate privatum, orbis universi acclamatione detestandum, & Stygiis solum umbris absorberi, facibus dignissime deputandum! o te infelicissimum! factus es Anna peior, Caipha deterior, Pilato crudelior. Ille namque Iudaeis, ut Christus crucifigeretur, acclamantibus, adrepta aqua, non tam manus a sorde abluere, quam simul & voce ab iusti sanguine, & officio immunem sese cupiebat efficere. Tu vero crudelitatis ferocitate actus, & veneno impietatis infectus, omnisque spiritu malitiae ministrante ebriatus, non modo imperiti vulgi insolentiam non compescebas, verum ad malignitatis coeptum velocius perficiendum exacuebas. Neque enim te ad haec Caesaris terror incitabat, sed antiqui seductoris subgestio provocabat; quem a scelere desuper residentis, & ex alto cuncta prospicientis intuitus non revocabat 7. Nam sicut quondam Domino Iesu impius Iudas osculum praebendo Iudaeis, quem comprehenderent, innotescebat 8, non impari modo populorum impetum adversus Dei hominem adtrahebas. Qua, pro-

1 *Locum repausationis suae*) Repausare, pro Requiescere; & Repausatio, pro Requies. Sic Helgaldus in Vita Roberti Regis. *Quum ad locum repausationis sui humillimi corporis reverteretur*. Michael Scotus Physiognom. cap. LVI. *Quando prius invenies, vel vides, hominem, vel avem, se repausantem in dextra parte tui*. Non raro occurrit apud Auctores medii aevi.

2 *Cum Herico fratre suo, rege postmodum glorioso*) Hic Hericus, sive Hericus eius nominis III cognomento Bonus dictus, mortuo S. Canuto, & Olao successore, regnum accepit anno Christi CIƆXCV. tenuitque ad CIƆCV. uti auctor est Anonymus in Historia Regum Daniae. Quamquam Ericus Pomeranus in Historia Gentis Danorum obiisse eum dicat toto quadriennio ante, anno nempe CIƆCI. Nisi forte corruptus numerus, quod existimo.

3 *Fraudis commentor, Pipo dictus*) Ita infra quoque dicitur capite sequenti XXVII. Sed Blacconem eum nominat Saxo lib. XI. & Ioannes Magnus Hist. Goth. lib. XVIII. cap. XIII. Anonymus in Histor. Regum Dan. Blocconem vocat.

4 *Luce derelicta*) In MS. & editione Hafniensi erat: *Luce die relicta* Ego hunc in modum restituendum existimavi.

5 *Cur ergo crudelissime retro, & viso tuis adsistenti dextris inimico crucis signaculum non adponebas?*) Ita MS. & editio Hafniensis. Sed quis ex his sensum commodum eliciet? Emendavi, edidique: *Cur ergo, crudelissime, tetro, & inviso, tuis adsistenti dextris, inimico crucis signaculum non opponebas?*

6 *Utpote industri, & sagaci*) Dicit Industris, pro Industrius. Sic Michael Scotus Physiogn. cap. CI. *Bene loqui industrem, non mendacem*. Ita recte est in editione veteri; male in editione Lugdunensi *Industrium* substituerunt imperiti correctores.

7 *Non revocaret*) Abundat *Non*, a librario oscitante repetitum; itaque eieci.

8 *Iudaeis, quem comprehenderent, innotescebas*) In MS. erat: *Iudaeis, quem comprehenderent, innotescat*. Editio Hafniensis, pro *inotescat*, substituit, *innotuit*. Ego re- scri-

propter, ut ille laqueo postea vita excessit, ita tu postmodum occupatus daemone, lingua mordicus abscissa, spiritu scelestum cadaver deserente, ad inferos, poenae consortem inquisiturus, non immerito immitteris.

CAP. XXVII.

Seditiosa multitudo, vesaniae suae principem iam praememoratum prosequuta, ad locum regiae sedis coacervatim conglomerata discurrit, ad omne nefas praeceps intendit; equorum fremitus, & populorum fragor, ac armorum collisio, aethera tangit; cursus, & impetus humum concutit; pulvis solo exsurgens in aera altius, latiusque diffusus, die adhuc superstite, nocturnas tenebras interserit, & caligo nebulosa visus etiam animos obcaecatorum obvolvit. Porro, vespertinali tempore imminente, devotus heros, vespertinalem synaxim auditurus, & se suosque Domino, universorum opifici commendaturus, basilicam pretiosi martyris Albani, haud longe sitam, tam certaminis, quam & praemii, ut credi fas est, cum participibus expetit; reliquis latebras, quas poterant, inquirentibus, & vitae praesenti consulentibus. Hostilis vero cuneus circumquaque adveniendo occurrit; & tam aedes regias, quam & atria occupant irruendo. Quidam quoque atria, ubi dux religiosus inerat, cum suis irrumpere tentant; alii valvas basilicae infringere, nonnulli ignem admittere; ceteri, ut aut vivos comprehendere possint, vel ut occumbentibus superstent, insistere Sed, igne rore supernae virtutis exstincto, invictissimi tirones deintus pro foribus hostibus adsistunt, aditum armis non segniter recludentes, & pro suo principe gloriosissime dimicantes. Rex interea devotissimus regem sempiternum non Herodiana inquirit fallacia, sed humilitate Davidica, se criminibus reum, illum vero vere confitendo verum Deum; &, non solum verae confessioni insistens, imo vitalis Communionis Sacramento se muniens, tam aureis, quam argenteis, muneribus ditat altaria; sociis etiam haec eadem perficientibus, & vicissim, ne hosti aditus pateat, armis obsistentibus. Conspirante tamdem legionis multitudine, undique accurrente, & Ecclesiae parietibus circumquaque insistente, monstruosus Pipo deforis pro foribus adsistit, regiarum gazarum fidelissimum hactenus provisorem, veluti ad singulare certamen, advocat; &, si quid cordis, vel virium adsit, ut occurrat, interpellat. Quo haud segniter deintus occurrente, duris alternatim ictibus admissis sauciantur; illo, deinde gloriose occumbente; isto ad evidentioris ultionis indicium, ad modicum supervivente. Nam, domi dehinc delatus, & acerrimo daemone invasus, vicina quaeque tam manibus, quam morsu invadere, diripere, conterere; ore spumas eiicere, horribiliter vociferando acclamare; vana, & inaudita proferre, scelus fraudulentum evidenter edicere: ad ultimum, lingua mordicitus abscissa, vita miserabili terribiliter excedere. At vero hostis pertinax obstinaci insolentia 2 basilicae parietibus insistit, & cum sagittis saxa per aperta mittit; duceque praecipuo tam lapidibus, ut Stephano, tunso, quam & telis, ut Sebastiano, saucio, aedes sacra tam eius, quam & sociorum vulneratorum, ac demum occisorum, cruore perfunditur; &, ut ita fatear, pretiositate martyrii eorum iterato consecratur. Verum, ut passionum Christi rex devotus imitator efficeretur, veluti Dominus Iesus Christus in cruce, in medio iniquorum positus, sic & iste inter cuneum adversae multitudinis constitutus, aquam sibi sitienti porrigendam inter furentium tela expetiit. Quam quum quidam, pietate motus, haustam ei deferens, per fenestram porrigeret, alius, hasta intromissa, & vase de manibus utrorumque excusso, ac simul aqua effusa, regi quidem sitim exstinguendi otium ad modicum abstulit; illi vero pietatis praemium non ademit. Ille autem, haud longo post tempore vesania actus, fonti superimminens, utpote sitim propriam extincturus, capite tamdem in profunda demisso, genibusque desuper monstruose distensis, spirituque scelesto ad infima baratri extracto, cadaver ibidem exanime, veluti divinae ultionis indicium, supervenientibus inspiciendum reliquit. Et hic quidem hoc modo deficiens, in servum Dei se deliquisse manifesta expertus est ultione? Sed quid amplius? eloquar, an sileam. sceleris etenim coepti malignitas perfecte exprimenda incumbit; &, opus sceleris detestandum, ut depromatur, series exposcit. Hucusque principem namque gloriosum, cum insignissimis heroibus contra adversarios dimicantem, inspiciebamus; &, veluti prope adsistentibus, arma pii adfectus subministrabamus; nunc vero, per omnia cum praesentia cuncta ad occasum vergant, & floribus maturatis tempus sectionis adveniat, licet, ob humanae fragilitatis compassionem, dolori de-

---

scripsi, *innotescebat*. Dixit vero, *innotescere*, active, pro *noscendum praebere*, *notum facere*. Sic Agobardus De insol. Iud. *Committo me bonitati, & patientiae vestrae, dando me periculis, & innotescens vobis, quae tacere perniciosum est*. Et in Poenit. Lud. Imp. *Innotescitur ei lex, & ordo publicae poenitentiae*. Andreas Abbas De Vita S. Othonis lib. III. cap. 1. *Sicut fidelis cooperatur ipsius, Vdalricus presbyter S. Aegidii, mihi innotuit, scripto tradere curavi*. Bonifacius Epist. LXXII. *Quod sequenter in epistola venerabilis fraternitas tua innotuit, nulla est in huiusmodi sententiis decretorum diversitas intelligenda*.

1 *Pene consortem inquisiturus*) Sic MS. & editio Hafniensis. Restitui, & edidi: *Poenae consortem inquisiturus*.

2 *Obstinaci insolentia*) Dicit Obstinax, pro Obstinatus. Vide, quae notavi supra.

ri deputetur, tam gloriosissimi viri praesentiam seculo sublatam edicere; ad potioris tamen laetitiae adcrescit incrementum, eum, post laboriosi certaminis cursum, ad superna evectum, laudibus extollere. Sed quid de insensatae plebis rabie, & vesania edisseram? Quum enim terreno principi adversatur, in ipsum virtutum Dominum furoris sui machinas invehere non veretur. Ignem namque, sacris adpositum aedibus, ne sacra comburerentur, desuper extinctum inspexerant; ducem religiosissimum, inter arma stridentia, & saxa volantia positum, utilia quaeque, ac rationabilia persuadentem, & pacifica pollicentem audierant; sed, spiritu malignitatis impleti, & spiritu benignitatis evacuati, nec divinis moventur virtutibus, nec humanae rationis mitigantur persuasionibus. Superni quippe arbitris consilium perficiendum imminebat; qui hoc modo athletam suum de aerumnis praesentibus quieti sempiternae inferendum advocabat. Nam & illi perpetuae parabatur gloriae memoria; istis vero perennis detestationis infamia; qui veluti de Domini persequutoribus dictum est, si cognovissent, in principem gloriosum arma furoris sui non intulissent.

CAP. XXVIII.

Fortissimis igitur heroibus hostiles acies a foribus basilicae deturbantibus, ad orientem sanctuarii, ubi principem devotissimum precibus insistentem introspexerant, versi, capsulasque reliquiarum pretiosorum martyrum Albani, nec non & Osvaldi, cum cruce sancta interposita, poste ad ima ruente, solo deiiciunt. Inter haec coelesti sponso secretorum suorum iam proxime conscium futurum ad aeternum advocante cubiculum, rege insignissimo pectore simul, & ore ad aram converso, quidam ex impiorum caterva, lancea per fenestram intromissa, latus eius perforat, & aedem sacram sanguine cruentat. At ipse Christi, etiam post vulnus exitiale, non immemor, Benedicto fratre, suo certaminum collega, vulneribus admodum saucio, adsistente, amplexato, & pacis osculo dato, brachiis in crucis modum extensis, membrisque solo ante aram sacram expositis, sanguinis unda ex lateris vulnere emanante, voce adhuc superstite, Iesum interpellat; ac spiritum creatori commendans, pretiosi glebam cadaveris, sanguine consecratam reliquit, & secretum misericordiae sempiternae, ab his tumultibus perpetuo pausaturus, intravit. Constantissimi vero commilitones, duce interemto, non modo hostibus non cedere, vires exercere, verum etiam animos incitando exhortare 1, per aperta inruentibus haud segniter occurrere, armis arma viriliter referre, caedentibus vicem rependere, gloriose magis occumbere, quam tanto principe amisso, eligentes supervivere. Quibus multitudine hostili coacervatim accrescente, non tam stratis, quam & vicissim opprimentibus adversariis superatis, vel subfocatis, aedes sacra cruore conspergitur, templi solum unda sanguinis irrigatur; propheticum impletur, quod dicitur: Venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, effuderunt sanguinem sanctorum tuorum in circuitu. Unde nec immerito, ut in subsequentibus habetur, facti sunt opprobrium vicinis suis; subsannatio, & derisus in circuitu consistentium, commotioque capitis in populis. Quis enim principem religiosum a populo prophano insidiis impetitum, & lacessitum non detestetur? Quis regem a gente propria interemtum non exsecretur? Ut enim ex antiquis referam, Agamemnonem durissimum, bis quinis annis, & amplius, Argos bello, pelagoque a propriis retinentem, Graecia substinuit; Hannibalem ferocissimum, nobilium caedibus cruentatum, Hispania pertulit; Herodem atrocissimum, lucis auctorem, & universorum creatorem persequentem; crimen parricidale parvipendentem, nobiles ergastulis recludentem, lactentium turbam innocuam, maternis uberibus abstractam, impie iugulantem Iudaea toleravit; Neronem crudelissimum, materna viscera ense rimantem, fratrem interimentem, urbem inflammantem, eiusdemque senatores urbis, & patres orbis exitialiter exterminantem, ipsa mundi caput Roma pati duxit; principem religiosum, divina exsequentem, utilia, & liberalia indicantem, a servilibus gestis vulgus coercere studentem Dacia contumax subferre non valuit. O superbia exsecranda! o contumacia detestanda! o cervix rigida! quae, dum in praesenti flecti contemnis, sempiternis postmodum suppliciis coercenda, & flectenda reservaris. Quum enim tua vitia redarguentem vita praesenti extorsisti, temetipsam vitae perpetuae beatitudinis exsortem effecisti; &, quae te gentibus ceteris immerito, non virtute, sed elatione praeferebas, huiuscemodi indiciis cunctis te infideliorem, & inferiorem, nec non & detestabiliorem demonstrabas. Principis quippe a Deo praepositi dum iuri subiici recusas, illius te ditioni deiiciendo mancipas, de quo sacri eloquii protestatur veritas: *Omne sublime videt, & ipse est rex super omnes filios superbiae. Qui autem in excelsis residens, humilia respicit, & alta a longe cognoscit, falli non potest*. Qui etiam in Evangelio, humiles, confortans, & superbis minitans, dicit: *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur*. Petro vero Apostolorum summo acclamante: *Deum timete, regem honorificate*; qua te fronte Deum honorificare contendis, qui regiae potestati honorem, divinitus imperatum, impendere contemnis? Sed

1 *Verum etiam animos incitando exhortare*) Exhortare, active dixit. Sic in Epistola Ludovici Imperatoris ad S. Bonifacium. *Deinde hortavit me Fortuvinus cantare in illa Ecclesia*.

Sed dubio procul, posita Esaiae in populum antiquum exprobratio, quam Dominus Iesus Iudaeis improperans opponit, de te quoque expressa manifestatur: *Populus hic me labiis honorat, cor autem eorum longe est a me, sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum*. Quis enim te nesciat Christianae religionis fidem verbis, & ore quam facundissime extollere, sed divinis legibus propria tamen statuta praeponere? Et cui incognitum est, eiusdem te fidei religionem, ipsius quoque religionis denuntiatores non tantum vilipendere, imo dolis, & versutia, fraudibus, & invidia impugnare? Fides enim tua, secundum Iacobi adtestationem, sine operibus mortua est. Quia, etsi facta quaedam, fidei congrua, nonnumquam exercere videaris, non minus ea pro humanis favoribus, quam patris in abscondito videntis, remuneratione efficere probaris. Quapropter, cupito laudis humanae favore exhibito, & temporali mercede recepta, remuneratione privaris aeterna. Verum, his de infidelitate, & infelicitate impiorum hactenus exaratis, ad proposita exsequenda redeamus.

CAP. XXIX.

ANno incarnationis Domini millesimo octogesimo sexto 1, in civitate Othensia, gloriosus rex, & protomartyr Danorum Canutus, pro zelo Christianae religionis, & iustitiae operibus, ut Christus a proprio conviva traditus, in Basilica sancti Albani martyris 2, per eum paullo ante de Anglia in Daciam transvecti, post communionem, & confessionem delictorum, sacramento munitus Dominici corporis, ante aram, manibus solo tenus expansis, latere lanceatus 3, sexto Idus Iulii, & sexta feria, mortem pro Christo passus, requievit in ipso. Occisi sunt etiam ibidem cum eo, scilicet frater eius, nomine, & gratia martyrii, Benedictus, ac decem & septem sui commilitones 4; videlicet Asmundus, Blaca, Sven 5, Aga, Thrugot 6, Bernard, Guthmar 7, Eskil, Tokki 8, Palni 9, Suna, Ati 10, Rosten, Milo, Radulphus, & alter Thrugotus 11, Wilgrip. Qui omnes 12, sicut Dei gratia cum suo rege, & domino, socii passionum, & martyrii fuerant, ita & consolationis, & praemii consortes cum eo fieri meruerunt.

CAP. XXX.

DVce igitur praestantissimo, cum invictissimis athletis intra sacras aedes interemto, eodemque sacrario occisorum cruore non iam violato, imo iterato, uti credi fas est, consecrato, prophanorum cuneus non tam atria regalia, quam & ipsa angulatim perscrutatur sacraria; nuper imposita diripiens, & pridem admissa, & habita, longiusque conservata non relinquens; ut, quae sacris extrahebant altaribus, ornandis inter se partirentur muribus, ut illud Davidicum literaliter impleretur: *Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum*. Dehinc, regiae sedis locum circumquaque perlustran-

1 *Anno Incarnationis Dominicae millesimo octogesimo sexto*) Totum hoc caput, & quidem pene totidem verbis reperitur in ea Historia Passionis S. Canuti, quae inventa est anno CIↃ IↃ LXXXII. ad diem XXII. Ianuarii, in arcula, in qua eius corpus repositum erat; quum, sacrata ipsi aede in Othoniensi urbe reparanda, sacellum, in quo positum erat, renovaretur; uti refert V. Cl. Olaus Wormius Fast. Dan. lib. I. cap. IX. De anno vero caedis S. Canuti non consentiunt Auctores. Aelnothus tradit annum Christi CIↃ LXXXVI. Willielmus Malmesburiensis, CIↃ LXXXVII. Ecce tibi verba eius, De Gest. Reg. Angl. lib. III. *Decessit anno vitae quinquagesimo nono, regni vigesimo secundo, comitatus quinquagesimo secundo, Dominicae Incarnationis millesimo octogesimo septimo. Ille fuit annus, quo Canutus rex Danorum, interemtus est*. Ericus Pomeranus in Hist. Gent. Dan. tribuit annum millesimum octogesimum octavum *Anno Domini* CIↃ LXXXVIII. *martyrizatus est S. Canutus rex Danorum*, Et Anonymus in Histor. Reg. Dan. *Periit* (*S. Canutus*) *anno* CIↃ LXXXVIII.

2 *In Basilica S. Albani martyris*) De S. Albano, primo Angliae martyre, Beda Histor. Eccles. Angl. lib. I. cap. VII. Matth. Westmonasteriensis in Flor. Hist. Henricus Huntingdonius Hist. lib. I. Ado, & Vsuardus in Martyrologiis. Meminere strictim Venantius lib. VIII. carm. IV. Gilda De Excid. Britan. cap. VII. & Wandelbertus in Martyrologio metrico, ad XXVI. Iunii. Occisum autem S. Canutum in Basilica S. Albani; memorant etiam Saxo, Ericus Pomeranus, & Anonymus in Hist. Reg. Dan.

3 *Latere lanceatus*) Lanceatus, dixit, pro Lancea percussus. Sic Lanceare, pro Lancea percutere, dixit Ioannes de Thvvrocz Chron. Hung. cap. LXXIV. *Samson vero equitans, cecidit in fluvium, quem persequutor in fluvio lanceavit*.

4 *Ac decem & septem sui commilitones*] Ita etiam est expressum in ea Tabula, quam Othoniae inventam in eius arcula paulo ante memoravi; verum illic in nominibus variatur hunc in modum.

5 *Sven*) Tabula habebat, *Sonen*.
6 *Thrugot*) Tabula, *Thurgo*.
7 *Guthmar* Tabula, *Gudmer*.
8 *Tokki*) Tabula, *Tocbik*.
9 *Palni*) Tabula, *Palai*.
10 *Ati*) Tabula, *Atti*.
11 *Rosten, Milo, Radulphus, & alter Thrugotus*) Tabula, *Rostenulo*, *Radulus*, *Altoi*, *Thurgothus*.
12 *VVilgrip. Qui omnes*) Tabula, *Vilgrup*, *Arni*. *Omnes*. Sed non potest, quin mendosa sit haec Tabula; nam, quum referat, septemdecim cum S. Canuto occisos esse, tamen octodecim nomina ponit.

lustrantes; &, ne quis regiae stirpis, utpote sceleris ultor, superstes relinqueretur, provide praecavere cupientes, Benedictum, iam pretiosi tam martyris, quam & regis germanum fratrem, collegamque certaminum, ab investigantibus adhuc supervivere, & quam proximo servatum hospitio adgnoscunt adesse: Quo praecipiti catervatim cursu irruentes, & regium iuvenem inventum, vulneribus admodum saucium, quod dictu nefas est, pedibus extrahentes, in medium impietatis suae conventiculum admittunt; ut, secundum Apostoli dictum: *spectaculum mundo, mundique principis administratoribus efficeretur, & per eos omne ministerium iniquitatis perficeretur*. Quumque, quo modo, vel quali eum morte perderent, pertractarent, iam, veluti venatoribus de raptu diffidentibus, membratim distrahunt etiam semivivum, ut nihil crudelitatis imperfectum derelinquerent; lanceis nobile corpus alii terrae adfigunt, quidam securibus, nonnulli gladiis impetunt; &, ne ullus prophani sceleris expers exsisteret, quod quisque manu proximum adripuerat, adiiciunt; &, mille vulneribus vita exemtum, ac minutatim per membra secatum relinquunt; atrocitatis suae infamiam cumulantes, & orbi universo sese detestabiles perpetuo efficientes. Vt enim rex propheticus adtestatur, corrupti sunt, & abominabiles facti in studiis suis, quia non erat in iis bonum agens, vel impie agentes coercere studens; sed ob immanitatem avaritiae, crudelitatis, simul & malitiae, veluti sepulcrum patens erat guttur eorum. Linguis quippe suis dolose agebant, & venenum aspidum sub labiis eorum. Et, quoniam os eorum maledictione, & amaritudine plenum cor erat, qui quos poterant, ad complicium sceleris sui invitabant, & ipsi pessima quaeque, & nefaria perficiebant. Ad effundendum vero innocentem sanguinem, non tam pedes veloces, quam & manus exhibent procaces; Deum quidem cognoscentes, sed nec eius iustitiam metuentes, nec eum invocare curantes; sed quos venerari debuerant, illo iubente, ac metuere didicerant, impiae atrocitatis ingluvie, ut esum panis, devorantes. Averterunt enim tam sensus, quam & oculos, ne viderent coelum, & ne recordarentur iudiciorum iustorum. Illic quippe trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Timentes quippe, ne quempiam pravitatis suae superstitem correctorem relinquendo, aut a Deo superimpositae potestati obaudiendo, vel subiecti manendo, reliquis per circuitum nationibus aequarentur; ac per hoc quasi pristinae libertatis exsortes efficerentur, dum nec divinis institutis cedere, nec regiae potestati adtemperare; sed ceteris audaciores, potentiores, & praestantiores, audacia simul, & contumacia, conantur gentibus exsistere; Deo exsecrabiles, orbi detestabiles, hominibus odibiles, omnibus viliores, & contemtibiliores ob peracti sceleris immanitatem efficiuntur, & ipsis summae veritatis persequutoribus non impares adiudicantur. Idcirco contritio, & infelicitas in viis eorum; quia a via pacis divertentes, & divini respectus intuitum post tergum, non pro obtutibus ponentes, Evangelicum scandalum inciderunt, pro eo quod vitia humanae pravitatis potius exsequi, quam derelinquere, maluerunt. Quis etenim illum falli posse, aut haesitare praesumat, qui servum, scientem voluntatem domini sui, & digna non facientem, plagis vapulandum quamplurimis denuntiat 1? Ex quo namque furoris sui rabiem vesana multitudo in principem religiosum evomuit, agri fructibus steriles, prata herbis adtenuantur; silva glandibus rara, unda piscibus infoecunda permansit, pestis armenta consumsit, homines morbus debilitat, fames aggravat; nobiles, & ignobiles, ac locupletes adtenuans; imbecilles exanimans, secundum illud Hieremiae: *Defecerunt in fame, in capite omnium platearum*. Et alibi: *Devastata sunt horrea, & defecerunt apothecae*. Regionem quoque universam hostium metu occupante, sexus uterque, veluti iam iamque ingruentem adversariorum adventum indies subspicando, trepida titubat; donec pretiositas interemti, signis declarata divinis, emicuit; & hostis virtutum deperiit, princepsque pacificus, elementis, ut fatear, collaetantibus, simulque faventibus in regnum, Deo provehente, subrexit. Sed haec suis in locis plenius explicanda.

CAP. XXXI.

PRaememoratis ergo sedatis tumultibus, & impietatis exsequutoribus a templo divino, simul, & a Deo recedentibus, clerus ibidem devotus, fidelibus aggregatis, humanitatis officio insistentes, caesorum corpora curant; regia quidem membra, germanique ipsius intra basilicam certaminis ipsorum singulis locis recondentes; gloriosorumque militum cadavera in atrio eiusdem basilicae, angulo occidentali, simul & aquilonali, in diem resurrectionis reservanda, terrae matri commendantes.

CAP. XXXII.

VEnerabilis vero Deo dilecti regis, & prudentissima coniux, inter pressuras imminentes animi nobilitatem vultu praetendens, & de se, situque suo admodum prospiciens, Canuti coniugis iam pretiosa membra a strepitu incursantium hactenus persequutorum eripere, & secum ad nativos sibi terminos, Gandavos scilicet, coenobio Blandiniensi, Apo-

1 *Plagis vapulandum quamplurimis denuntiat*) Vapulare, active, pro Verberare, & passive Vapulari. Sic est in Constitutionibus Caroli Magni. *Si vero Ecclesiastici, aut fiscalini nostri, aut comitum, aut vasallorum nostrorum, hoc facere praesumserint, exaginta ictus vapulentur*.

Apostolorum principi consecrato, advecta, honore decenti disponebat recondere. Omnibus igitur dispositis, & opportunis ad haec peragenda utensilibus adquisitis, basilicam, in qua iam nuper humatus servabatur, nocturna cum suis adgreditur, quae proposuerat, perficere; & ad locum, ut autumabat, eminentiorem corpus nobile desiderans advehere. Liminibus itaque reseratis, illisque introgressis, ante mediam fere noctis horam lux emissa coelitus omnes ecclesiae angulos replevit: ac, veluti meridiani solis splendore, tam atrium, quam & vicina quaeque clarissime perlustravit. Metus quoque non minimus reginam venerabilem, comitesque perculit; &, ne propositis insisterent, accrescentis splendoris admiratione, simul & pavore detinuit. Cuncta enim disponentis providentia, quae locum eumdem pretiositate martyrii eius insigniri decreverat, patrocinio illius orbari, talibus ostensis indiciis, non sinebat. Porro regina prudentissima, sagaci industria divina perpendens magnalia 1, licet tanti coniugis moesta maneret dissidio, tam perspicui tamen prodigii gratulatur indicio: iam se confidens advocatum apud Deum habere, cuius hoc signum sanctitatis intelligebat existere. Divinis itaque virtutibus cedens, & misericordiae sempiternae debitas vultu demisso grates iam cernua reddens 2, laeta simul & anxia.

Coniugis ad tumulum nobilis prosternitur, ipsam
Crebris perfundens profusis fletibus humum:
Commendans summo se precibus domino.
Et sua cuncta pium poscens disponere Christum.

Lacrymis quoque ibidem largiter profusis, & gaudio moerore mixto perfusa, surrexit: ac cruce sacrata, pariterque sacris verendis, declinata facie, genibusque flexis, saepius resalutatis,

Multa quidem secum prudenti corde revolvens.

atque sui quondam Canuti clarissima pignora relinquens, praesentia tandem, non mente recessit 3. Requievit autem rex Deo dilectus Canutus, & martyr egregius eodem in loco annis bis quaternis, & mensibus fere ter ternis, Olavo, regni eius successore, imperante: usque dum, crebrescentibus crebris virtutum miraculis, communi consilio, & pari voto, totius cleri, & populi, singulis pontificibus cum multitudine cleri adgregatis, sacrisque ossibus igne examinatis, ex humi mole sustollitur, & ad Basilicam australem, insigni lapideo tabulatu a fundamentis erectam, sed non penitus constructam, nec vero eius nomini consecratam, solenniter advehitur: ibique saxeo sarcophago impositus, in crypta reconditur. Illo autem e terra levato, evidentibus signis eum Dei sanctum fore declarato, rex Olavus, quem regni eius successorem praediximus, quo & regnante fames, & pestilentia 4, morbus, & hostium metus Daciae terminos occupaverat, aegritudine fractus, veluti virtutum non electus inspector, vita, simul, & regno excessit; protinusque, totius exercitus electione, & populi adclamatione, praestantissimus Ericus, Deo provehente, clementisque faventibus, ad regni iura conscendit; & totius Daciae principatum, pari omnium voluntate, monarchiam obtinuit. Moxque, eo ad imperium evecto, utpote conversis temporibus, copia frugum arridebat, rerum opulentia exuberabat, pacis securitas, ut Salomonis quondam temporibus, universos exhilarabat; quia & ipse regibus per circuitum, ac potentibus, & prudentia strenuus, & consilio providus adparebat. His ergo temporibus pacis securitate veluti opportunitate concessa divina, ad pretiosi martyris pignora crebrescunt magnalia, & militis sui praeconia superni regis in dies exauget potentia. Coecis namque visus redditur, manus arefactae restituuntur, debilium gressus reparantur, lazarica cutis emundatur; & omnibus, opem in nomine Iesu petentibus, sanitatis pariter, & coelestis clementiae auxilia conferuntur. Fama autem virtutum eius latius diffusa, confluit undecumque multitudo fidelium ipsius exorare suffragium: ut quem irritaverant persequendo, eius patrocinio iuvarentur, sceleris commissi veniam devotione fideli expetendo.

CAP. XXXIII.

Rex interea Ericus prudentissimus, utilitati publicae providens, legatis ad Pontificem Romanum transmissis, gestorum facta innotescit: &, ut devotioni fidelium auctoritate

---

1 *Divina perpendens magnalia.*] Magnalia, vox posterioris aevi; pro, Magna opera. Agobardus, De Grand. & Tonitr. *Ut fidelis famulus, cognoscendo inaestimabilis, atque in circumscripti, conditoris ineffabilia magnalia, semetipsum despiceret.* Occurrit quoque apud alios.

2 *Grates iam cornua reddens.* Editio Hafn. *Grates iam carmina reddens.* Ego legendum censeo: *Grates iam cernua reddens:* Cernua, id est. In faciem prostrata. Virgilius, AEneid extremo lib x.

—— eiectoque incumbit cernuus armo.

.. quem locum ita Servius, *Cernuus dicitur equus, qui cadit in faciem; quasi in eam partem cadens, qua cernimus.* Nonius Marcellus. *Cernuus dicitur proprie inclinatus, quasi quod terram cernat.*

3 *Praesentia tandem, non mente recessit.*] Ethela, S. Canuti, uxor post maritum interfectum, in Flandriam reversa est. Memorant rem istam Saxo lib. xi. Gulielmus Tarvanensis, in Vita S. Caroli, cap. ii. & Ioannes a Leidis Cron Belg. lib. xii. cap. v.

4 *Quo & regnante, fames, & pestilentia.*) De ingenti fame, ac pestilentia, quae regnante Olao fuit, tradit etiam Saxo lib. xii. Ericus Pomeranus, & Anonymus in Hist. Reg. Dan. in hoc Olao; ac Ioannes Magnus, Hist. Goth. lib. xviii. cap. xiii

ritate pontificali consulat, deposcit. Qui, Episcopis per circuitum consistentibus adgregatis, religiosique ordinis viris venerandis quamplurimis omnibus synodali more assidentibus, & quae sunt tractantibus, silentio indicto, legati ut iussa denuntient, ac simul legationis suae signa demonstrent, demandat. Rerum igitur gestarum apicibus in palam prolatis, atque perlectis, regiisque mandatis ab internuntiis facunde peroratis, immensas omnipotenti Deo grates persolvunt, qui in diversis mundi partibus electos suos glorificando manifestat: ac ita demum communi consilio, & pari omnium voto, regem quondam gloriosum, beatorum in coelis iam martyrum adsciscі decernunt collegio, cum martyrii gloria nominis etiam dignitate adaucta: ut, qui pridem, veluti vocabulo imperfecto, & ligamine insoluto, Cnuth nuncupabatur, iam, ob sensus canitiem, & gestorum maturitatem, ac pro eo quam maxime, quod iam in canone sanctorum connumerandus adiudicatur Canutus diceretur. Sic enim quondam Abrahae, cum Deo foedus ineuntis, cum divinae familiaritatis participio vocabuli adaugetur editio, ut, qui hactenus Deo cognitus fide probabilis habebatur, ex hoc etiam inter homines rerum gestarum exercitio, & generis, & nominis amplificatione gloriosior, ac magnificentior, haberetur. Et pulcre martyr pretiosus a Deo dilectus, Canutus, ad instar Abrahae, vocabuli amplificatione insignitur: qui, eiusdem Abrahae sinu exceptus, aeternae quietis felicitate perfrui signis evidentibus adprobatur.

CAP. XXXIV.

Legati ergo, pontificali auctoritate roborati, & tantorum, ac tam illustrium virorum testimonio pariter confortati beatissimi Petri, sanctorumque, patrociniis, prout desideraverant, adoratis, honoratis, & exoratis; atque a pontifice mandatis, glorioso regi deferendis, exceptis; Apostolica tandem benedictione condonata, Ausoniae terminos laetabundi excedunt: beati iam indubitanter Canuti meritis prosequentibus, ac prosperum illis iter ubique conservantibus. Desideratas autem Daciae partes ingressi, & quousque ad propria devenirent, a singulis affectuose ubicumque suscepti, regiam maiestatem honorantes, & ore salutantes, Apostolicae benedictionis verba intimant, mandata denuntiant, & quae de impositis responsa perceperint, laetabundi perorant. Super quae magnificentissimus heros abundantissime exhilaratus, magnates quique laetificati, pontifices cum clero gratulati, plebs universa, veluti novae pa-

cis adnuntiatoribus advenientibus, summa exsultatione congaudet, universorum opificem devotione extollens adsidua; qui etiam in remotis mundi partibus talia suis fidelibus patrocinia divina providisset clementia. Ex hinc deiecta, & confusa incredulitate infidelium, & erecta, atque adducta, religiositate fidelium, basilicae, eius martyrio dedicandae, construuntur; praedia condonantur, & ubique apta sacris exhibentur: ut, quemadmodum ad necem principis religiosi pari conspiraverant consilio, ita iam communi universorum locis in singulis devotionis frequentaretur obsequio. Relatu quoque virtutum ipsius, ac Apostolicae exinde confirmationis corroboratione latius volitante, non modo e vicinio, verum etiam ex regionibus circumiacentibus, nobilium, sicut & populi, adnuntiantium occurrit multitudo, devotionis suae quique signa deferentes, eiusque suffragia fideliter deposcentes. Regina etiam, prudenti usa consilio, prudentissima videlicet Ethla, eius hactenus, ut praetulimus, coniux nobilissima, iam ultra Italiae terminos Rogerii, Appuliensium ducis illustrissimi, thalami comes effecta 1, tantis, & adeo desideratis de carissimo quondam coniuge rumoribus auditis, super bonorum auctori debita referens, pretiosa dilecti sui pignora, pretiosis transmissis donis, adornat: ut, cui hic coniugis pudicis affectibus decenter inhaeserat, eum iam a seculo sequestratum, ac superis adsociatum, & mente recoleret, & quem praesentia non poterat, muneribus transmissis decentibus honoraret. Unde ex collatis, & adservatis, regis imperio, & reverendi eiusdem sedis pontificis Humbaldi consilio, simul & adminiculo;

Ossibus arca sacris, insigni schemate facta,
Conficitur; puro, nitido, fulvoque metallo:
Caeruleis, croceis, pulcre decorata lapillis:
Quo possent sancti iam pignora sancta recondi.

CAP. XXXV.

Anno autem sexto imperii magnifici regis Erici, congregatis universis Daciae pontificibus, cum multitudine cleri, & terrae populo innumerabili, pretiosas beati martyris reliquias, ex saxeo sarcophago assumptas, atque e crypta, ubi hactenus servabantur, evectas, solemnibus laudibus, & ingenti laetitia, universis comitantibus, ab eodem, quem praefati sumus, pontifice Humbaldo, tertiodecimo Kalendas Maii, eadem, quam praediximus, arca, oculis peccatricibus inspeximus impositas, ad instar nivis candidas, & decenti serico involutas, epitaphio simul imposito, hoc modo composito.

 Iam

1 *Rogerii, Apuliensium ducis illustrissimi thalami comes effecta.*) Ethlam, sive Adelam, aut Adeliam [nam ita varie nominari supra ostendi,] post occisum S. Canutum, Rogerio, Apuliae duci, nuptam fuisse tradit quoque Gualterus Tarvanensis in Vita S. Caroli, cap. 1. *Interfectus est Brugis, in ecclesia S. Donatiani, Carolus, comes Flandriae, filius Canuti martyris, Daciae quondam regis, & Adelae Reginae, quam postea duxit uxorem Rogerius, dux Apuliae.* Et mox iterum, cap. 11. *Regina vero, (Adela,) in Flandriam reversa, ibique aliquanto tempore morata, memorato duci Rogerio a parentibus est nuptum data.*

Iam coelo tutus 1 *summo cum rege Canutus.*
Martyr in aurata rex atque reconditus arca;
Qui pro iustitiae 2 *factis occisus inique,*
Vt Christum vita, sic morte fatetur in ipsa:
Traditus a proprio, sicut Deus ipse, ministro:
Atque petens polum 3, *telorum pertulit ictum;*
Lancea nec ne 4 *latus, ut Christi, perferat eius;*
Spiritibusque sacris moriens sociatur in astris.

Ossibus itaque sacris, eisdemque apicibus, decenter collocatis, coelestis thesauri pretiosus loculus reconditur; & omnibus, eius patrocinia requirentibus, mensa vitalis convivii spectanda subponitur 5: dehincque ibidem perficiuntur virtutum insignia, & praesentibus perspicua, & opem exquirendo petentibus efficiuntur probabilia.

EPILOGVS.

HAEC ego AElnothus, *sacerdotum infimus, Anglorum orbe editus, & Daciae partibus annis numerosis peregrinatus, tibi, rex praeclare, & martyr pretiose, tua exarando gesta, dictavi; certaminum tuorum conflictus, posterorum memoriae tradendo* 6 *composui: & pulcrum, ut dicitur, hominem pictor ego faedus depinxi: monumentum aere perennius exegi* 7, *quod nec fluctuum impetus absorbeat, non flamma vorax absumat; sed ad chaos ultimum usque permaneat, & tuae laudis in seculum monumenta retineat. Tu infelicitati meae apud Deum precibus succurre, calamitatibus miserere, angustiarum miserias releva, imbecillitatem sustenta, fragilitatem adleva, crassa criminum circumfusum caligine virtutum tuarum splendoribus illustra, sarcina admissorum iam iamque sub onusto fasce decidentem substolle, molibus peccaminum adgravatum erige; ab Evangelicis latronibus saucio, ac semivivo relicto, miserationis opem admitte; cicatricum plagas, intercessionis tuae antidoto infuso, obducito; vitiorum putredines expurga, ad stabulum divinae reconciliationis inducito, in tabernacula quantulumcumque intromissus aeterna, te cum tuis concivibus inspicere, & ad ianuam regni vel ultimo merear adsistere. Et, quia de nitido fuscus, de mundo spurcus eloqui sum adgressus, linguae procaci indulge, labiis audacibus ignosce; & Verbo, per quod omnia condita sunt, cunctos fideles reconcilia; cuius maiestatis potentia non desinit in secula. Illi, cum Patre, & coaeterno Pneumate, benedictio, honor, laus, & gratiarum actio, sempiterno maneat, & accrescat tempore. Amen.*

---

1 *Iam coelo tutus.*) Repertum quoque hoc Epitaphium in Tabula, Othoniae in arcula inventa: exhibetque, loco antea citato, vir doctrina excellenti, Olaus Wormius. Sed & illic quaedam variant.

2 *Qui pro iustitiae.*] Tabula. *Et pro i.*

3 *Atque petens polum,*) Tabula. *Et petiens p.*

4 *Lancea nec ne.*) Tabula uno versu auctior est: nam post hunc, & istum habet.
Eius ut ante sacram sanguis sacer effluit aram.
Nec editio Hafniensis versum illum repraesentat.

5 *Mensae vitalis convivii spectanda subponitur.*) Ita est etiam in editione Hafniensi: Sed legendum censeo. *Mensa vitalis c. s. s.*

6 *Posterorum memoriae tradenda.*) Eodem modo editio quoque Hafniensis. Sed legendum *P. m. tradendo*. Quemadmodum in praecedentibus dicit. *Tu exarando gesta.*

7 *Monumentum aere perennius peregi.*) Sic etiam editio Hafniensis habet, quae fideliter omnia fere libri manuscripti menda repraesentat. Sed legendum: *Monumentum aere p. p.* Imitari voluit istud Horatii, lib. III. Od. XXX.
Exegi monumentum aere perennius.

BENIGNE LECTOR.

IN Manuscripto Codice, e quo AElnothum exhibemus, Anonymus quidam, De Passione S. Caroli, Comitis Flandriae, filii, S. Canuti, AElnotho subiungebatur: qui quandoquidem in editione quoque Hafniensi est adiectus, ego eum omittendum non putavi. Habe itaque etiam isthic: tum & paucas hasce Notas.

ANO-

ANONYMVS

DE PASSIONE S. CAROLI

COMITIS FLANDRIAE

S. CANVTI REGIS DANIAE F.

ANONYMVS
DE PASSIONE S. CAROLI
COMITIS FLANDRIAE
S. CANVTI REGIS DANIAE F.

CAPVT PRIMVM.

AD omne ſpirituale ſpectaculum adſtans homo Dei Carolus, ex ardore compunctionis lacrimas ubertim fundebat; & ſalvatoris veſtigia, quae corporaliter non poterat, votis, & deſideriis ambiebat. Praeſentia quoque eius ubique plurimum proficiebat; quoniam, dum diverſitas hominum, ex omni parte concurrentium pro mercimoniis, vel hoſpitiis, litigarent; ipſe ſuperveniens omnes placabat, mitigabat, conciliabat. Nec erat quiſquam tam procax, & temerarius, qui eius auctoritati obviare praeſumeret. Patre enim Dano, & Danorum rege progenitus; matre vero Franca, Ludovici regis Francorum ſorore exortus, feliciter viam, & vitam nobilitatis exegit; & Roberti comitis iunioris filiam, haeredem ſcilicet comitatus Flandriae, in uxorem duxit, & iſta dominium Flandriae obtinuit. Patrem etiam ſuum conſobrinum regis Angliae ſciens, tanto nobilius, & audacius ſe habebat, quanto viciniores tam ſanguinis, quam terrarum, gradus Regi Franciae, regique Angliae, poſſidebat. Ita ubique utilis, ubique largus, ubique formidandus, & reverendus decernebatur. Et quoniam non ſolum geſta vitae eius, ſed & exitum vitae eius, mortis ſcilicet, praelibare ſatagimus, dicendum eſt paucis, unde radix peccati exorta ſit, quae tantum, talemque virum ad mortis impedimentum compulit.

CAP. II.

TEmpore Roberti Freſonis comitis ſenioris, qui & Robertus Barbatus dictus eſt, habens filium, & Robertum comitem iuniorem, fuit Brugis quidam praetor, nomine Holdrannus, habens dapiferum nomine Eremboldum; virum quidem officii gnarum, ſed infidelem in dominum, & ipſius domini maculantem thorum. Qui Eremboldus in tantum perverſitatis deiectus eſt, ut ipſum dominum ſuum, in quodam ponte Brugis cum populo dimicantem inter ceteros, mucrone confoderet, & per foſſum inter tumultum, in mortem praecipitaret; uxor vero Holdranni adulterum ſuum, mariti proditorem, accepit in maritum: unde innotuit, quod conſilio perfidae coniugis Eremboldus tam grande piaculum ſubiit. Denique Eremboldus tali ſucceſſu factus eſt Brugenſis caſtellanus; & genuit filios, Robertum, Lambertum Nappim, Diſdir, cognomento Hacketh, Vlfric, & Bertulfum; poſtea S. Donatiani praepoſitum. De Roberto, nati ſunt, Walterus, & Albertus: de ſecunda coniuge, natus eſt Robertus, Infans dictus. De Lamberto Nappim, nati ſunt, Lambinus Morunnater, & Fromoldus, cognomento Borchardus. Sed, illis primogenitis duobus, Lamberto Nappim, & Roberto, de medio factis, filii eorum magnificati ſunt potentia, & divitiis; in tantum, ut Balduinum comitem iuniorem, filium Roberti comitis ſenioris, & dementiae deriderent, & dominium ipſius, nec non nobilitatem totius Flandriae vilipenderent. Abundabant enim rebus, tumebant honoribus; &, qui ſe eorum favori non ſubdidiſſet, rebus, vel vita vix frui potuiſſet. Bertolfus etiam Eremboldi proditoris filius, dum, largitate ſecundi Roberti comitis, eccleſiae ſancti Donatiani praepoſitus factus fuiſſet, nimio tumore faſtus agebatur; & ita ſe elevabat, ut ſtellas coeli ſibi ſubeſſe exiſtimaret.

CAP. III.

TAntam illorum arrogantiam cognoſcens miles Dei Carolus comes, ſecreto, prudentique conſilio coepit cum paucis ſuorum tractare quonam modo illorum temeritatem aliquatenus reprimeret: & tam ſuas, quam praedeceſſoris ſui, Roberti comitis iunioris, iniurias vindicaret. Quod conſilium Bertulfum non latuit, ſed per quoſdam clientes rumigerulos manifeſte ſibi innotuit. Comes vero Carolus, parvipendens hanc illorum notitiam, caepit arctius cum bonis diſquirere, quo modo valuiſſet illorum immenſam ſuperbiam ad modicum moderari. Quodam igitur tempore Bertulfus praepoſitus, cum ſuis nepotibus in conclavi veſcens, garriebat in comitem abſentem verbis ſtultiſſimis, dicens: unde hic nobilis? ut Danus iſte nos concutiat, & opprimat? unde illi comitatus? qui non regis, immo unius cocorum in Dacia fuit filius? vos, o electi iuvenes, vos o meum,

meum, & caro mea 1, cur patimini eum super vos insurgere, & gloriam potentiae vestrae minere? stercora valetis, qui exuli peragratori caput non tollitis, ut de caetero pacem teneatis. Si perimatur sordidus iste Danus, quis adponet ad ulciscendum manus?

CAP. IV.

HIs, & similibus incitamentis seducebat iste iuvenes, rationis ignaros, modestiae nescios, elationis cupidos, & ad sanguinem paratos. Quibus & promittebat, si Danum istum occiderent, immo sordidum dedecus ex Flandria tollerent, quod unus eorum comes fieret, & totius Flandriae honorem, quem iam grandi sorte acceperant, funditus in perpetuum illorum progenies obtineret. Videtis, ait, quia me, patruum vestrum, probitate & sapientia praefultum, ad ignominiam servilis conditionis, tametsi secreto, retorquere minatur. Qui si me in servum redigeret 2, vos, & semen vestrum, in perpetuum servitute subiugabit. Cavete igitur, non mihi quin, & vobis, ne malitia, quae in me nunc inchoatur, postmodum in vobis perficiatur. Inite consilium, firmate pactum; ut, quicumque manus in illum iniecerit, ab aliis in perpetuum sustentetur. Illo enim perempto, statim thesauros ipsius arripiamus: & si quis magnatum mortem eius ulcisci voluerit, sensum, & voluntatem eius, copia argenti retundamus. Tu vero carissime nepos, Borcharde, praesidium, & turrim, in quovis tui iuris, & tuae exactionis loco festinanter construe: ut si, quod melius de te confido, in crudelem, nostri generis vastatorem te iniecisse manus constiterit, & ibidem refugere valeas, & tueri 3.

CAP. V.

TUm Fromoldus, qui superbo argumento Borchardus vocitabatur, in villa, Straten nomine, in qua exactionem, & ius a comite obtinebat, in parochia scilicet S. Andreae Apostoli, non longe a Brugensi civitate, arrepta sententia acerrimi lupi, praesidium, & urbem construxit; & coepit, quasi in praesagium futuri magni mali, rapinis, & calumniis incumbere: & omnes vicinos depraedationibus vexare. Proinde vir quidam, sibi vicinus, dives, ac ingenuus, nomine Thamemarus, compulsus est dominum Carolum comitem adire: &, praesente conventu Scabinorum 4, in tribunali deponere querelam. Quumque reverendus comes rapinas comperisset exerceri, in loco camerae suae tam proximo, (Camera enim antiquorum comitum dictum est Burgense oppidum) contristatus est ad cordis fundum, & decrevit omnino, non relinquere inultum Borchardi tam sceleratum facinus. Tamen id ulcisci noluit, nisi praemissa, & cognita sententia scabinorum; sine quorum iudicio nil datur posse, vel velle comitibus; ne cuiquam videretur inferre praeiudicium. Hinc a scabinis adiudicatum est, ut domus, & praesidium, unde fiebant exercitia rapinarum, more antiquo, per manus principis ignibus traderetur ad correctionem malorum. Et factum est ita. Nam comes iustus, & rectus idem municipium in rectis ignibus combussit 5, & scandalum grave pauperibus abstulit. Sed quia scriptum est, necesse est, ut veniant scandala, unde alios movit, inde sibi propinavit. Nam etsi, ante hoc malum, & incendium odium malorum in eum confluebat, ex hoc tamen maiori ardore succensa excreverunt; donec iniqui peragerent, quod iam conceperant. Saepissime quidem dicebatur sancto comiti, quod a suis servis esset occidendus; quod ille, nec pavescens, nec credens omnino non curabat. Conscius vero sibi magnae, & diffusae, nobilitatis, veluti regis Daniae filius, regis Francorum, regisque Angliae, proximus consanguineus, contemnebat illorum valde murmurosas minas; & videbatur ei fabula, quasi mus leonem vellet interficere.

CAP. VI.

ACcidit itaque, ut sacrum ieiunium quadragesimale prae manibus haberetur, & adesset hebdomada secunda, feria quarta, orto iam sole quum miles Dei Carolus, in ecclesia beati Donatiani ante altare sancti Spiritus solo procumbens, libellum manu teneret, & psalmos decantaret, concinentibus etiam clericis horas dierum, repente Borchardus, lorica vestitus, & nudo gladio fretus, cum suis complicibus de domo praepositi exiens, ecclesiam subiit; & comitem, Deo intendentem, nec tale quid suspicantem, forti innisu cervice tenus percussit in caput: &, eiecto cerebro, corpus palpitans denuo percussionibus quassavit. Complices vero eius, plura iacenti vulnera inflixerunt; & Sanctum, sanguine suo madidum, reliquerunt. Fit repente concursus, & motus curialium magnus, quod vix cogitare quisquam poterat ut fieret, stupent, & horrent impletum. Hinc Borchardus convertit se ad interimendos comitis amicos; & Thamardum, castellanum

---

1 *Vos o meum, & caro mea.*) Legendum censeo: *Vos os meum, & c. m.*

2 *Qui se me in servum redigeret.*) Rescribo: *Qui si me in s. r.*

3 Ibidem: *refugere valeas, & tueri.*) Tueri, passive. Sic apud Agobardum, contra Simoniacos. *Qualiter tuerentur ab improbis, tuerentur a gubernatoribus, vel expedirentur.*

4 *Praesente conventu scabinorum.*) Sic paullo post. *Praemissa, & cognita, sententia scabinorum.* Item. *Hinc a scabinis adiudicatum est.* Dicuntur *Scabini* senatores urbani: Belgis, *Seepenen.* Occurrit non raro apud Auctores posterioris aevi.

5 *Municipium in rectis ignibus combussit.*) Lego: *Municipium iniectis ignibus c.*

lanum de Brocburgh 1, repertum vulneravit. Sed ipse, & complices sui, post advertentes, quod conspiraret, & loqueretur, (quaerebat enim confessionem facere,) apprehenderunt pedes eius, & de superiori salario sancti Donatiani 2 trahentes eum in plateam, ante praetorium, praecordiis gladios infixerunt, effugantes spiritum eius. Inde, concurrentes foras, Walterum Locrensem insecuti sunt; quem, in scholis scholarum 3 absconsum reperientes sub scamno, interfecerunt. Totus vero locus Brugensis applaudebat Borchardo, ac suis: ac si diceret, cras, aut pridie, iste, comes factus, regnabit super nos: feremus ei auxilium, ulciscatur se de inimicis suis. Duo igitur filii Thamardi, Gilebertus, & Walterus, ignorantes hanc illorum saevitiam, pausabant in hospitio. Quos ut fama perculit, Walterus quidem, in lecto sedens, & surgere cupiens, occisus est; Gilebertus vero, in iumento fugere cupiens, a clientela praepositi tentus est, & interfectoribus contraditus. Sic isti duo egregii milites peremti sunt, ob hoc, quod a domino comite eminentius propter suam probitatem, & patris fidem, diligerentur. Thamardus, istorum genitor, & Walterus Locrensis ferebantur comiti dedisse consilium, quod castellum Borchardi combureret; & idcirco interfecti sunt.

CAP VII.

His ita patratis, curritur ad portam aerarii comitis; diripiuntur vasa aurea, & argentea; implentur sacculi universorum argento: &, quicumque mortem sancti comitis non horruit, grandi metallo locupletantur. Agit Bertulfus laetum diem; gaudet, & exsultat; manibus plaudit, pedibus saltat; & de morte domini sui immoderatius ovat: Convenitur & Fromoldus, comitis alumnus praecipuus: monetur minaciter, ut thesauros potiores aperiat, alioquin tormenta corporis se sciat subiturum. Ille, cernens tantam surrexisse malitiam, excusat se humiliter; &, quod thesauros maiores, ac minores, ipsi iam diripuissent, verbo veraci adfirmat. Illis autem non credentibus, immo credere dissimulantibus, exsuitur Fromoldus vestibus, deponitur in dolium aquae frigidae, sicque frigus, & famem sustinens, recluditur, ne a quovis visitetur. Cogitabant enim hostes pessimi, ut & ab eo vitam tollerent, quia comitis habebat familiaritatem, & praecipuam amicitiam: &, ei fidelissime serviens, multam penes eum obtinuisset praerogativam. Comes enim beatus, quia virum tam probatae fidei, & valentem ingenio, & commisso fidelissimum adgnoverat, atque in negotiis agendis cernebat strenuum, ampliori eum dilectione fovebat. Nutu superno evasit mortem, qui cum iniqua gerentibus timuit inire sortem.

CAP. VIII.

Bertulfus autem, non iam sanctae ecclesiae praepositus, immo principi tenebrarum suppositus, sentiens, immane nefas, quod perpetravit, exsecrari ab omnibus 4, (iam enim populus amaricatus, supra modum 5 dolebat de nece principis sui; quem indebita morte servi damnarant impii,) misit ad quosque, qui tunc erant, optimates, promittens, non suarum, sed comitis pecuniarum multam partem se collaturum, si venirent, & parti suae faverent. At illi, expavescentes horribile & nefarium opus, responderunt unanimiter: quod non ad illum, sed contra illum quantocyus properarent. Ille vero timens, sed confisus de numero complicum, & de copia thesaurorum, convenit amicos & nepotes, & ipsorum sequaces; & iussit muniri turrim ecclesiae sancti Donatiani: iussit inferri infinitam copiam omnigenae annonae; scilicet farinam, lardum, vinum copiosum, aquas sufficientes, aleas, scacos 6, ancillas, & servos: molas, furnos ad panem coquendum &, quicquid humanae vitae suffragari potest, fecit exstrui ibi, ne pugnaturis quid deesse videretur.

CAP. IX.

Igitur Brugenses cives, animadvertentes Borchardum, & suos pessime egisse, atque perpetuum improperium promeruisse, consilio accepto, renuntiaverunt illis, & omnem

1 *Thamardum, castellanum de Brochburgh.*] Gualterus Tarvanensis, in eiusdem argumenti Opere, eum Tangmarum vocat, & castellanum Brugensem dicit. Vide ipsum cap. XXVIII.

2 *De superiori salario sancti Donatiani.*) Scribo: *De superiori solario s. D.* Ita etiam est postea cap. XI. *in solario ecclesiae beati Donatiani*,

3 *In scholis scholarum.*) Lege: *In scholis scholarium.*

4 *Sentiens immane facinus, quod perpetravit, exsecrari ab omnibus.*] Exsecrari, passive. Sic apud Luciferum Calaritanum in Epistola quadam. *Tanto magis, & plus execrantur ab omnibus, & cognoscuntur vere, ut dicit sanctitas tua mancipia esse Antichristi.*

5 *Populus amaricatus supra modum.*) Amaricare, est Amarum reddere Exacerbare. Sic apud Anonymum, quem ego Iulianum Toletanum esse censeo, Ἀντικειμένων lib. II. *Hoc faciunt haeretici amaricantes, sed non exaltentur in seipsis.*

6 *Aleas, scacos.*) Scaci sunt, qui veteribus Latrunculi dicebantur: ex Italico, Scacchi. Andreas Presbyter in Chronico Bavariae. *Cum enim in ludo scachorum doctior filio Pippini regis inveniretur, & filius regis multoties victus haberetur, animatus forte potentia patris, rixam agebat.* Ioannes Thurocz, Chron. Hung. Parte II. cap. XCVII. *Remuneravit autem rex Hungariae regem Bohemorum una tabula pro scacis mirabili.*

omnem spem auxilii negaverunt. Aldeburgenses vero milites, absultum etiam contra eos gesserunt; &, quantum ex illis, mortem sui principis ulcisci tentaverunt. Rex autem Franciae, mortem sui militis inultam volens relinquere 1, cum hominibus curiae suae advolavit; &, licentia ab Episcopis, & sacerdotibus accepta, Ecclesiam possedit. Illo autem tempore gradus altissimi ex lignis, & lapidibus exstructi, a camera comitis ad Ecclesiam in summitate aeris pendebant; per quos ab Ecclesia hostes, imo canes pessimi, dum scilicet in Ecclesia obsiderentur, in domum comitis fugiebant, ubi etiam si quando possidebantur, iterum in Ecclesiam revertebantur. Tamdem rex, moram ultionis non ferens, gradus destruxit, & ab Ecclesia fugere non valentes iratus obsedit. Illi autem, diu in turri se continentes, & multa patientes, fumo subtus in Ecclesia facto, devicti sunt. Nam, dum in turri fumum vellent devitare, & caput vellent a fenestris exponere, volantem nubem sagittarum nullo modo perpessi sunt. Fumo itaque ipsos magistrante 2, descendunt; &, qui prius vultus luporum habebant, iam vultus supplicissimos in veniae precationem obferebant. Rex autem, ut iustus iudex, veniae nescìis negavit veniam; & a summa comitis camera quosdam per pedes ad humum deiici fecit, cuius camerae altitudo ulnas centum adhuc hodie implet. Borchardum vero, in rota poenali confregit. Bertulfus autem, tarda poenitentia motus, Ipras, in iumenti dorso ligatus, vectus est; ibique, in equuleo positus, subspensis utrimque, a latere eius canibus, a mendicis, & leccatoribus lapidatus ad mortem est 3, & ita infelicem animam exhalavit. Plurimi etiam, qui fugerant, tam in Franciam, quam in Angliam, mandato regum edicto, per intersignia tenti sunt, & iusti principis mortem morte sua expiaverunt.

CAP. X.

INterea corpus felicis comitis clerici sancti Donatiani componentes, & linteis amicientes, in eodem loco, ubi passionem subiit, sepultum paucis diebus condiderunt. Cuius sanguinem, quo Ecclesia, & Altare respersa sunt, mulieres pro adfectu detergebant, & posteris recondebant.

CAP. XI.

ANno incarnationis Dominicae CIↃ C XXIV. indictione quinta, facta est haec caedes beati comitis Caroli in solario Ecclesiae beati Donatiani confessoris, Reinorum Pontificis 4. sexto Nonas Martii, regnante Ludovico filio Philippi, annis viginti. Manifeste igitur sacrae Scripturae auctoritate probatur, quod & iustis praemia meritorum, & impiis poenae distributae sint. Sed, quo tempore, qua die, quo loco Carolus comes occisus est? Tempus, quadragesima, dies quarta feria, locus Ecclesia Dei, & altare, seu Sanctorum cubilia. Vbi enim peremtus est, supra solarium, ibi infra quiescebant non paucorum membra Sanctorum; & hoc in augmentum malitiae, & nequitiae gestum est; ut viri iniqui, tempori, & diei, sive loco parcentes, tantam perversitatem perpetrare non renuerent. Vnde & ipsi, & tota posteritas eorum, perpetuum opprobrium noscuntur invenisse. Et, utinam ipsi solam hanc insaniam possiderent; & non totae genti Flandigenarum externae nationes tam grande dedecus incuterent.

1 *Inultam volens relinquere*] Lege, *inultam nolens r.*

2 *Fumo itaque ipsos magistrante*] Magistrare, pro Dominari, Imperare, & quasi pro Imperio cogere. Vtitur quoque hac dictione Ennodius in Panegyrico Theoderici regis. *Rutilium, & Manlium, comperimus gladiatorium conflictum magistrante populis providentia contulisse.* Et Hildegardis in epistola ad Anastasium Papam. *Et excellens armatura, & mons magistrationis valde ornatae civitatis.* Item ad Bernardum Abbatem Claraevallis. *Homo sum indocta, & de ulla magistratione cum exteriori materia.*

3 *A mendicis, & leccatoribus, lapidatus ad mortem est*) Leccator, est, qui veteribus Liguritor, & Catillo dicebatur. Isidorus in Glossis. *Leccator, gulosus.* Caesarius Heisterbachcensis Miracul. lib IV. cap. VI. *Apud nos quidam Monachus fuit, nomine Theobaldus, ante conversionem leccator opere; vino, & tesseris deditus totus.* Ita recte est in editione veteri. Qui nuper nobis eum Auctorem ediderunt, quum non intelligerent vocem hanc, pessime restituerunt, *ante conversionem peccator opere.*

4 *Beati Donatiani Confessoris, Reinorum Pontificis*] Legendum, *B. D Confessoris, Rhemorum Pontificis.* Martyrologium Romanum ad Octobris diem XIV. *Brugis Flandrorum Sancti Donatiani Rhemensis Episcopi.* Eximius Cardinalis Caesar Baronius, ad eum locum, dicit fuisse secundum Rhemorum Episcopum, minus recte. Flodoardus, eum septimum refert, Hist. Eccles. Rhem. lib. I. cap. V. Primus memoratur Sixtus, secundus Sinicius, tertius Amansius, quartus Betansius, quintus Aper, sextus Maternianus, septimus Donatianus. Vide illic.

ANONYMI AVCTORIS IN HISTORIAM DANICAM [a] IO. MEVRSI PRIVSQVAM PVBLICI IVRIS FIERET OBSERVATIONES [b].

(1) Licet de veritate aerae Regum Daniae, quam adferunt Achilles Gassarus, Henricus Pantaleo, Ioannes Magnus, & alii permulti, dubitare possent exteri; nobis tamen in dubium non est vocanda; aeque enim haec certa sunt, atque illa, quae Herodotus, Diodor. Siculus, & alii pro Chronologia antiqua, (& illa, quae tempora antiquissima, & multis seculis illorum aevum, & memoriam excedit) adferunt. Atque in his talibus fides penes auctores esto.

Censeo itaque Regibus singulis adsignandos annos, ante nativitatem Christi, & Frothonis imperium, quod caput, & fundamentum aerae nostrae procul dubio fuit. Nam quum Christianismus immenso Dei optimi beneficio illucesceret nobis, & introduceretur, & doctrina de Servatore D. N. Iesu Christo nostris praeponeretur, ex monumentis, & antiquitatibus gentis nostrae tempus nativitatis Christi incidisse in tempora Frothonis nostri manifestum factum est. Edoceri enim oportebat illos, quibus nil vel de Bibliis, vel de Diluvio constabat, de tempore nativitatis Christi, & historiae veritate ipsa. Inde si tum synchronia rerum nostrarum, & sacrarum, vel biblicarum composita, (vel non potius postea ab otiosis ingeniis, & Monachis conficta; quod uti certo non constat, ita nec nobis incumbit historiam propriam, & patriam falsitatis arguere, vel in dubium vocare) contulere illorum tempora retro a Frothone numeratis annis cum temporibus sacrorum Bibliorum. Postea sensim literas, & literaturam Runicam (literae n. Runicae Monachis pro magicis habebantur) omnem, imo saxa, & lapides literis Runicis insignitos, quantum in ipsis fuit, ut Frothonis monumentum, quod tempore Saxonis exstitit, unde *Vere pons* procul dubio exstructus, (dictus *Verebroe*, inter Friderichsburg, & Roschild) deleverunt Monachi, inducta Latina Ecclesiae Romanae.

(2) Initio vero Historiae breve praemittendum in hunc sensum [*non bisce verbis rudiusculis, sed verbis D. Meursii elegantissimis; stylus enim supra modum adridet* [c], brevis, purus, & nervosus, & qui procul dubio omnia, quae umquam scripsit, excedet, ubi extrema manus accesserit, opus cum immortali auctoris gloria perpetuo duraturum) exordium.

Quamvis difficile sit prima gentium exordia tradere, earum praecipue, quae ab antiquissimis viguere temporibus; iis tamen, (qui sunt Andreas Velleius, Regum Daniae olim Historicus scripto ante annos multos edito, Carion, Melanchthon, Guilielmus Camdenus insignis Angliae Historicus, & alii, nulli enim mihi iam sunt ad manum libri) se adsentiri, qui Danos a Dais Asiae populis deducant; fictitias namque Magogi [d] Colonias in Septentrionem, & ante confusionem Babylonicam deductas, adeo a veri fide alienas esse, ut fabularum, [quae ita confingi solent, ut veri similitudinem saltem aliquam habeant] conditionem excedant, ut omittam, ne Graecis quidem, Chaldaeis, Aegyptiisque, multum innotuisse de Chronologia vera, quod testantur ipsorum anachronismi, & errores, nedum Septentrionalibus, qui procul a gente, & Bibliorum sacrorum cognitione abfuerunt, quique magis in bellis, quam literis, exercitati, ut mirum solos illos ethnicorum cognitionem sacrae Historiae, & verae Religionis habuisse. Danos vero a Dais originem ducere praeter alia fidem faciunt

(1) Herodotus, ni fallor lib. 1. Clio, refert, Daos, Germanos, Parthos, Persas unam, eamdemque esse nationem (licet in diver-

(a) Illustris alicuius Viri breves in Meursii Historiam Danicam observationes, quam, quum eam nondum editam, & antequam typis subiiceretur, Regis Cancellarius Dn. Christianus Frisius illi viro tradidisset, hac lege, ut si qua inter legendum obfenderet animadversione digna, ad se praescriberet. Igitur numeri paginarum, hic citati, respiciunt Meursii exemplar manuscriptum, non vero impressum. Ego vero hinc inde numeros paginarum editionis impressae in marg. adposui. *Grammius*.

(b) Paginae quae notantur in Textu, sunt paginae Historiae Danicae Meursianae Manuscriptae; paginae, quae notantur in ora libri, sunt paginae editionis primae eiusdem Historiae. Hic tamen omissae sunt paginae, quas ex excuso *Meursii* opere Clarissimus *Grammius* adposuerat, quum ad rem nostram nihil faciant. *Lamius*.

(c) Nb. vid. adnotatio nostra inferius ad oram *Col.* 1134.

(d) De Magogi Imperio Svedico, vid. Io. Magn.

diversa regna tributa fuerit) illi vero optime de illa re constare potuit, utpote cui res Persicae notae, & cuius tempore omnes hae nationes viguerant (a).

[2] Linguarum communio, quo nullum inter alia omnia certius adfinitatis gentium [praecipue, ubi non aliunde constat] indicium. Licet enim gens Persica tot Medorum, Assyriorum, Chaldaeorum, Macedonum, Arabum, Tartarorumque, seu Schytarum invasionibus olim, & dominatui obnoxia fuerit, quorum singulae aliquid procul dubio idiotismi sui, nationis Persicae subactae, linguae impressum reliquerit; ut mutationes praeteream, quas tempus, & anni linguis inferre solent. Permulta tamen, imo tot & nunc Persica hodierna linguae Danicae, & adfinium linguarum vestigia retinet (praecipue in vocabulis, omnibus nationibus communibus, & maxime usitatis, quarum magnum habeo numerum, & multa a Vilhelmo Leiel peti possunt, linguae Persicae perito) ut nullus dubitem, quin Dani, Dai, & Persae una, eademque lingua olim usi fuerint; [iam apte sequi possent, quae auctor elegantissime initio habuit] sed plura *de origine gentis, tum quae antiquitas, tum quive ipsius Daniae* &c.

Nb ad primum membrum de Chronologia, vel aera Danica gigantea, si hoc sensu proponi posset, Danus Humbli filius: *Erat autem Humblus iste e prosapia*, (ut putant) *gigantea*, & Iudex Selandiae provincialis, [quo Magistratu Daniae nondum unitae provinciae singulae iam olim suo quaeque regebatur] *auctoritate, & potentia eminebat*. Quo vero Danus hic vixerit tempore, licet difficile in tanta antiquitate discernere, inter Chronographos tamen, tam nostrates, quam peregrinos fere convenit, mille plus minus ante Frothonem, (qui nato Christo rebus praefuit) annis Danum regnasse (b). Sunt vero, &, qui Dani alicuius (900. annis hoc prioris) mentionem faciunt, qui Tanais ille, cuius mentionem Iustinus facit. Quem nil mirum Dan vero suo nomine, (qui Graecis Tanais) dictum; sic enim fluvius, qui Graecis Tanais, Sarmatis accolis Don, & Dun, dicitur etiam hodie; Danos vero Sarmatis praecipue Polonis Dunos dici, notius est, quam ut teste egeat. Sic Regem Daniae Crol-Dunschi dicunt, Cossacos Tanais accolas, & Germani. [ut & Sarmatae] Rn. Dnisa Rosdalan. Nescio vero an Danubius, vel Tanais sit, quem Historici referunt Danastrum (Danastrom, hodie Dana fluvius) dictum, nec enim libri ad manus sunt, & quamplura breviter, & eleganter, magno historiae nostrae bono, & laude adferri possent.

Meursii Tom. IX.

(a) Nb. Saci diversa ab illis natio, illos enim ibidem, ni fallor, ait esse Schytas, & Schytas Persis Sacas vocari; & sunt procul dubio, qui hodie iisdem locis habitant Tartari, Sacatay dicti, magis ad austrum, quam Chitay.

(b) Si hic breviter inseri possent, quae supra de aerae nostrae fundamento, & literaturae Runicae interitu adferunt, vel potius in Historia Frothonis.

NOTANDA IN HISTORIA IPSA.

Pag. 2. B. *ad fines Gothiae*] addendum *Gothiae Svecicae*. — Pag. 1. a v. ult.

Pag. 2. C. *Daniam adpellari iubet*) isto sensu ponendum, *adpellari iussisse a multis creditur sit*. — b v. 1.

Pag. 3. A. *Anglos dicit*) plane mutandum, *Angliae Danicae nomen dedisse multi arbitrantur, cui Danicae, Britannica, Anglia, & nomen, & originem debet*. — b v. 12.

Pag. 11. C. *Adeoque numquam*) potius, *vix umquam*. — Pag. 3. b v. 33.

——— *Norvegiae*) inducendum, eiusque loco, *Svibdageri* substituendum. Norvegia amica nobis iam, & illustris natio. — v. 35.

Pag. 13. A. Notandum (quum chorographus nemo mihi iam sit) (1) Historias nostras urbes, & nationes saepe vocasse urbium, nationum, gentiumque, quae illis imperitarunt, sic Asiaticos Thraces, quibus sequentibus temporibus Imperatores Constantinopolitani imperarint (c). — Pag. 4. a v. 20.

(2) Considerandum an Danae fluvius Thraciae.

(3) Nationes vocarunt, non ut olim quum res sunt gestae, sed prout tunc vocabantur, quum conscriberent historias suas, ut suo tempore intelligi possent; ita (Veronam, licet Italia illis notissima, quam Valland dixerunt, sed hoc exemplum quadrat ad 1.) Britanniam Angliam dixerunt, Gallias Franciam, Hollandiam.

(4) Nationes interdum nominari, quae aliae postea habitarunt loco, vel iam habitant, ut . . . . . .

(5) De his omnibus monendum, ut historiis nostris sua constet fides (d).

(6) Nb Strabone teste (licet contrarium statuat Pontanus noster) & alii. Cimmerii, & Cimbri una, eademque gens licet diversis temporibus emigrarint. Cimmerios vero iam olim emigrasse, ex iis, quae in Asia gessere, constat. Historiae (nuper e Gothlandicis monumentis editae Hafniae, in Praefatione) Cimmerios ferunt solvisse navibus e Cimmershafn portu, & urbe Scania, & hodie sic dicta, hos verisimile est fuisse illos, qui cum Hadingo Asiam (Svibdageri, & Gothorum pertaesi imperii) ut olim solebant in seditionibus, & secessionibus (sic Normanni, ut testantur Historici Francorum;) solebant etiam Regum iuniores fratres olim classem, & exercitum loco hereditatis, & regni habere, seque in locis, ad quae adpellerent, Reges adpellare.

(2) Nulla antiquior legitur expeditio nostratium in Asiam; quumque abnepos Dani fuerit, gens Cimmeriorum 100. annis ante Homerum, qui primus eius mentionem facit, e Dania emigrasse potuit (e).

Dddddd 2 (3) Quum

(c) Sic Britanniam, Angliam, Scotiam dixerunt, antequam Britanniam invasissent.

(d) Semel atque iterum de hoc monendum, similia in aliis quoque Historiis inveniuntur.

(e) Hiatus Historiae nobis variis locis. Post Roe Regem Helge successit, quando, & quo patre non referunt, ita fieri potuit, ut Danus Primus, vel Tanais, prout Io. Magnus, & Gasserus refert 1900. annis ante natum Christum imperitarunt.

(3) Quum Gothi ex iisdem regionibus Bosphori Cimmerii nempe invaserint Pannonias, eadem lingua loquuti; (vide quae de Bosphor. Anger. Busbequius de legatione Turcica, & lingua Bosphorana) illos vero, qui Getae Graecis, Romanis Daci dicti (de iis Historici ita referunt) antiquae Historiae nostrae Gothos e Dania originem ducere. (Nb. ibi Gottorp, ibi Vitungi Widing Grwnd) ibi Gothi, vel Guthi Septentrionales, & Australes. In Septentrionalibus Goti Orientales, & Occidentales. Gentium migrationes ab Asia, & Austro versus Septentrionem per Daciam, Pannonias, in Germaniam, ex ea in Daniam, e Dania in Sveciam (nam via per Bothniam Septentrionalem impossibilis, hodie licet habitetur, vix alicui cum mediocri comitatu pervia, cui tamen cibaria secum adferre necesse; eadem vero veritate illa adseritur, qua Magogi iter) praeterea Sveci, Dani, & Germani adfines nationes, & una olim simul mutaverunt sedes, una illis lingua, contiguae sedes; quos omnes per Bothniam transiisse impossibile, nec via brevior, nec ullus verax Historicus auctor.

(4) Gothi, qui Sveciam inhabitant una egredi potuerunt.

(5) Duces (qui procul dubio Hadingi Comites) nominantur a Iornande, nisi forte alio egressi tempore.

(6) Vellem ergo hic Auctor suam insereret sententiam de illa expeditione prima Danorum in Asiam, & Cimmeriorum, seu Gothorum emigratione.

Pag. 2. *b* v. 10. a fine. Nb. Pag. 8. Gothiae Regem Svarinum; malim omnibus huius Historiae locis, ubi Gothicae Sveticae mentio, scribi Gyllandiae (ita enim Gothiam Sveticam Dani vocant) regem Svarinum &c. Nam Sveci putant illam solam Gothiam esse, veramque, ideoque se merito Reges Gothorum vocari, non vero Daniae Reges. Vel vero addi interdum Gothiae Sveticae Rex [a].

Pag 5. *a* v. 8. a fine. Pag. 18. A. *Hundingus*) monendum brevissime, e nomine hoc ortam fabulam de cane, quem Dani Regem Svecis dedisse dicuntur, Hundingus enim caninum, vel canem notat.

Pag 6. *b* v. 8 Pag. 22. C. *Auri custos draco*) Addendum auri custos Archipirata insignis Draco nomine; ita alii. Vbi vero alibi huiusmodi non verisimilia occurrunt, praetereunda potius, ne totam Historiam in suspicionem vocent.

Pag. 28. *Legendum*) *longissime*.

Pag. 10. *a* v. 4. a fine. Pag. 39. *Balderus*) addendum, *e posteritate Othini* [b].

Pag. 10. *b* v. 6. a fine. Pag. 41. A. *Vandalia*) Mutandum, & eius loco scribendum, *Vendia*, nisi forte de Vandalia Germanica, vel Danica intelligendum. Vandalini, Dani, ac Vendi, Sarmatae, vel Sclavi, communis Historicorum error, qui Vendos, & Vandalos confundunt.

Pag 45. Vltimae periodi sensum non capio, deesse videtur verbum aliquod.

Pag. 12. *b* versus fin. Pag. 49. B. *Amlethum*) Scribendum nonnulli putant *Ameletbum*, & principem hunc esse, Amalorum familiae Gothae regiae; ut Balterum, (qui alias Balderus) Baltorum.

Pag. 13. *a* v. 18. à fine. Pag. 51. *Scotorum Regina* (Hic dubito, Angliae ne Danicae, an Britannicae Rex hic fuerit. Danicae fuisse puto; Scoti enim hic Scotburg-Graandl, Disotbouniy Dlot, nec dubium Scotos, Anglosque eiusdem originis, vel adfines gentes fuisse, nisi forte Scoti etiam ante Christum natum Britanniam Septentrionalem occupassent. Itaque pro Britannia inserendum, Anglia Danica, vel vero pro Scotia Britannia Septentrionalis substituenda.

Pag. 15. *a* med. Pag. 59. C. *Daniae, & Holsatiae*) Substituendum, *Daniae, & Germaniae*.

Pag. 16. *a* v. 10. seq. Pag 63. A. *Albim mox*) Addendum, *Dani enim Germanos omnes circa Albim habitantes Saxones vocabant*.

Pag. 16. *a* v. 5. a fin. Pag. 64. B. *Idem Angliae facturus*] Scribendum, *idem Britanniae facturus*. Nb. Metello Celeri tum missum scribunt a Sveviae Rege Indum, ac Svevos, tum illos vocabant, qui post Saxones, & procul dubio Fridlaevus Celer Rex ille erat, qui Indum mittebat [c].

Pag. 16. *b* v. 13. Pag. 65. A. *Tergemini*) Si intelligendum sex manus, totidemque pedes habuisse cum fabulosum sit, potius loco *Tergemini* insere, *& bis tres, Greppae uno nomine appellati*.

Pag. 18. *a* v. 5. a fine. Pag. 73. A. C. *Vandali* (Sclavos, & Vendos puto. Sed adseri verius posset addito Vandalos, (quo nomine Vendos Latini Scriptores posterioris aevi vocant) nisi forte Vandalos putat Saxo, qui ad Scagam habitant, & hodie Vaendalboi dicuntur, veri, & antiqui Vandali; sed vereor, ne Saxo ubique Vendos Vandalos vocet.

Pag. 18. *b* v. 14. a fine. Pag. 75. *Rex Hunnorum*) Inserendum Hunnos tum Moscoviam Romanis ignotam tenuisse, & Hunnos ita tum bello fractos, ut eorum inde mentio usque ad tempora Attilae, (qui longius, & nunc in Asia imperitabat) non fiat ab Historicis.

Pag. 20. *a* v. 9. a fine. Pag. 81. B. *Matrimonio potitur*) Hic inseri posse videtur eorum sententia, qui putant, Ariovistum fuisse illum Ericum Ducem Frothonis praecipuum. Rationes sunt:

(1) Quoad nomen, Ericus etiam Italis hodie Arigo, nec alio nomine illorum Historicis Ericus Rex Sveciae, vel alii dicuntur. Ericus vero *Eric Vise* 7. *Ericus Sapiens* nostris Historicis, ut & Sveticis vocatur, unde *Arigo Vise*, & *Ariovisle*, litera una demta, & alia, ut in peregrina gente Gallorum, a quibus procul dubio nomen ita leviter inflexum, quod & hodie faciunt, & olim *Hanri* pro *Henricus*, Clodovaeus, quod *Lovis*, Chilperic, pro *Hilperic*, (& alia infinita) licet hi proprii ipsorum Reges.

(2) Ariovisti istius mentio nusquam, postea quam a Caesare fugatus fuisset, rediit enim in Sveciam procul dubio. Si mansisset in Germania, tam celebris, & magnus Dux, & bellator, duorum Regum fultus adfinitate, tamquam potens Rex latere non potuisset, & igno-

(a) Nisi malis Gothorum Orientalium, nam forte ibi sedes Regum, semper ponere iis locis Historiae suae, ubi Gothiae Sveticae mentio, nisi Historia expresse mentionem faciat Occidentalium.

(b) Gram, Otin, Hading, Frode, Haldan, Bald, Roe, Rolf, Hother.

(c) Nb. Dani ignoti, sed Sveci propiores Romanis notiores, ita Ariovistus, qui Fridlevi Celeris dicitur Svevorum Regis filiam duxisse; vide infra in Frothone filio.

& ignorari; & usi procul dubio Germani contra Caesarem eius opera fuissent, si illis adfuisset.

(3) Congruit Frothonis potentia huic expeditioni.

(4) Argumentum certissimum, quod natio primaria Harudum Dani, [a] & hodie sint, & olim ab omnibus Chorographis in Cimbrica Chersoneso ponantur. Marcomanni tum primum nominantur, & cum eorum nomen (notat vero agrorum custodem) exstet in Legibus nostris, non gentis, sed officii nomen crediderim, ut qui ab Harudibus proximi ponuntur e Dania una adventasse; licet iisdem postea in Moravia, & istis locis sedes occuparint. De ceteris gentibus, quas sub Ariovisto recenset Caesar, videre iam non vacat.

(5) Refert Caesar habuisse duas uxores, alteram Regis Svevorum, ac Svevi tum ad mare Balthicum, quod ideo olim Svevicum dictum (vide Historicos antiquos) & Fridlevus Celer, is procul dubio Rex Svevorum, qui Metello Celeri Indum dono misit (Sic Teutones in Selandia olim habitabant, & Danica natio post Germanica facta. Habuit vero Ericus uxorem Fridlevi Celeris filiam,) aut & Noricorum (ita enim Norike [b] etiam hodie dicitur,) quam tamen nomine Frothonis duxit; ac dicit Caesar utramque secum habuisse. Haec Caesar, ut multa etiam proprii exercitus gesta, (ut referunt Historici) ex semiplena, & male intellecta Gallorum relatione. Eodem redit, quod Noricos forte Caesar intellexerit, non Septemtrionales hosce, sed Alpium accolas [c].

(6) Iulius Caesar optime Danis olim notus [d]. Inde festum, & lusus *Iul* dixere, ubi arietem omnibus cornibus invadentem (homo erat larva arietis instructus) introducebant hunc *Iule-buk*, vel *Iulium* arietem dixerunt, in laudem an ludibrium, vel vero memoriam praelii cum eo commissi, non dixerim; ludus etiam hodie notus (me vero puero usitatissimus) in usu manet.

Nb. ad Pag. 39. C. *Profligat*, *profligatus fuit* (procul a Roeschildia ad pagum *Tune*, inde hodieque ludus, qui *Balderrune*) Balderus magus, vel doctus) dicitur [e] Balder rune og faus ubif, in ypprt Iim faa ftom nu Rif, faa ftot nu Rygs i Tune, Int flogrt Balderrune. Haec olim ab Arnoldo Hvitfeldio inter eius manuscripta adnotata vidi. *Pag. 10. b v. 10.*

Pag. 81. *Eam petit*) Haec Frothonis expeditio contigisse videtur, posteaquam Ariovistus caesus, & Britannia Caesar discessisset, forte, ut Romanorum contemtum ostentaret. Congruit tempus: triginta annis postea regnasse dicitur; sed posteaquam devicisset Britannos, & Hibernos; quem vero Britanniae Regem, (ut multi procul dubio erant) non memorat.

Pag. 84. *Alter per Septentrionem Augustus cui erat coetaneus*) De Frothone intelligenda videntur Horatiana illa, quae (ni fallor) ita se habent: *Pag. 21. a v. 4.*

> *Securus qui sub arcto*
> *Rex gelidae metuatur orae*
> *Quod Tyridatem terreat unice.*

Non me latet, alios aliter haec explicare, sed minus apte. De potentia Frothonis inaudiverat; de nomine, & reliquis parum ille (ut & Romani reliqui soliciti erant) solicitus erat, de vino, & luxuria potius &c.

Pag. 93. C. *Iurita Grubbi*) Vnde haec? quum in Historicis nostris non exstent. *Pag. 23. a v. 4. a fine.*

Pag. 94. C. *Sveciae*) alii dicunt in Estonia (vel Estia) natum, alii Finnam. *Pag. 23. b v. 21.*

Pag. 98 A. *Tandem*) Aliquid deest ad sensum supplendum. *Pag. 24. a v. penult.*

Pag. 101. B. *Suo sanguine abstineret* (Loco τῷ *suo* aliud substituendum videtur, nempe *illorum sanguine abstineret*. *Pag. 25. a v. 21 a fine.*

Pag. 102. A. *Iterum parcit*) An potius legendum, *illo die parcit*, vel *tum quidem parcit*. *Ibid. a v. 3. a fine.*

Pag. 103. C. 104. A. Sensus loci esse debet, quod suis pugnantibus in valle, ipse interim cum nonnullis in vicinas rupes enisus, causa victoriae fuerit desuper coniectis saxis. *Pag. 25. b v. 16. a fin.*

Pag. 104. C. *Animo maiorem* (Vnde minori animo iudicandus Haldanus. *Pag. 26. a v. 5.*

Pag. 105. A. B *Quos nequiret*) Vellem, quos *magia* (3. *fascino*) *munitos*, *ferro nequiret laedere*. *Ibid. v. 19.*

Pag. 108. B. Gothorum velim quidem hic notari quod pag. 8. supra, addendum quod Sveticorum, vel Orientalium potius. *Pag. 26. b v. 14. a fin.*

Pag. 109. C. *Stuprat pellicitque in amorem*) Anne posterius membrum pellicere in amorem priori loco ponendum? *Pag. 27. a v. 21.*

Pag. 110. A. *Strangulat*) Vellem hic addi loca prope Ringstadium, Sigersted regia Sigari, item locus ubi suspensus, & ceterae circumstantiae. Sveci enim in hac Historia mendacii Historicos nostros arguunt, statuuntque, Sigarum hunc Sveciae Regem fuisse, in Svecia peractam hanc tragoediam. Quum vero maxima styli Auctoris dignitas & elegantia sit, vellem nonnulla diductius, fusiusque traderet. *Ibid. v. 25. seqq. & v. 36.*

Pag. 111. C. Malim illud *in quoscumque*, poni proxime post voculam *Haco*, dubium enim isto loco. *Pag. 27. b v. 23.*

Pag. 113. C. *Regis*) Deesse videtur aliquid, nec enim ex eo constat, an Drotha filia, soror, vel neptis fuerit. *Pag. 28. a v. 19.*

Pag. 117. B. *Vicarorum*) Qui illi? *Pag. 28 b v. ult.*

Pag. 118. A. *Cum Othini oraculum*) Othinus non in Svetia, sed in Fyonia. Videndus hic Saxo, qui forte Islandis fidem hic adhibuit. *Pag. 29. a v. 12.*

Pag. 120. C. *Olonem*) Videndus hic Saxo, num dederit, vel elegerit. *Pag. 29. b med.*

Pag. 121. B. *Nunc Slesvicum* (Nb. *Hethaeby*, non isto, sed adverso littore aedificata. Communis Historicorum sententia tamen est, eodem illos loco exstitisse. *Ibid v. 14. a fine.*

Pag.

(a) Nb. alii Reges omissi, Balderus, Othinus, Sigefridus, &c. alias Marcoman notat Campi virum.
(b) Norvegiae Germanicum est.
(c) Potius Balchus ille Rex Cimbrorum?
(d) Et ob Ariovistum caesum, & ob Britanniam vastatam.
(e) In margine verba haec, quae parum Historiam ornant, adnotari possent.

Pag.33.a.v.8. a fine. Pag. 136. A. *Fratres quatuor ex Hellesponto*) Quod ad Hellespontum Saxonis attinet, dominatus quidem Sarmaticus magnus erat; pars enim illa Europae, & Asiae, quae maioribus nostris, *Aula Orientis* Ostergard, (diversa illa erat a *magna aula*, Intyblagandt, ita enim Constantinopolin maiores nostri vocabant) interdum Gothis, interdum Hunnis, ut plurimum Sarmatis, vel Russis parebat, quorum imperium usque ad mare nostrum, Livonicum nempe, extendebatur, excursiones vero eorumdem ad Hellespontum; Saxo vero saepe in vocibus illis, gentiumque nominibus fallitur, unumque pro alio quasi latinum magis, vel suo seculo conveniens, ponit.

Pag. 35. a v. 16. Pag. 143 A. *Gothiam*) hic & alibi, *Gothiam Sveticam* convenit, vel tale quid nominari, ut vera natio sciatur, de qua Historia loquitur.

Pag. 35. b med. Pag. 146 A. *Scanienses*) E Scania quidem exierunt, sed e tota Dania exercitus lectus, & conscriptus. Testis est Historia Gothica nuper edita (praeter multa alia) *Vinnulos*, primum nominatos esse, ab Ebbone natione Vinnulo, af Inha-Ineborlaud, ita sonant verba; adeoque (a) fratres illos uterinos fuisse, diverso, ut adparet, patre.

Pag.36.a v.9 Pag. 146 C. *Quosdam inserunt*) Saxonem saepius lapsum, multa vero omisisse, ostendere facilius est, quam emendare. Censeo vero, alios non esse omittendos Auctores Aliquem vero ipse brevi, Deo volente, subministrabo, quem forte nondum vidit auctor.

Pag. 36. a v. 23. seq. Pag. 147. B. *De Geruthi sede*) Optime Historiae nostrae consultum, quod diabolicas istas praestigias omittat auctor; vellem tamen ita inseri hic, variis, magicisque imaginibus, & elusionibus expositum Gormoni, & Torchillo a Cacodaemone, & sceleratissimis Gerutho, & Vgartiloco, quo regnum suum, superstitionesque hisce locis firmarent (b).

Ibid. Pag. 147 *Omitto vero illa, quae a fabulis propiora sunt*) Plane vero non omittendum; quod Torchillus Christianus ex eo factus primus, de quo ex Historia constet.

Pag. 36. b med. Pag. 149 A. *Vitichindus*) Proprium huius nomen (quod & non semel in Historicis exteris invenitur) *Videkendus*, vel *Videkend*, (quod nobis hodie famosum, praecipue hodie in malam partem) erat vero is ut Auctores Galli notant, natione Danus, e Regia vel familia, vel vero adfinitate saltem Gotrico (c) iunctus, quod referunt Hist. Gallorum; nam Genealogia eius, quam texunt Germani ad Mannum, & ulterius, plane fabulosa est.

Pag. 37. b v. 19. a fine Pag 153. B. *Nihil certe constituere*) Etsi diffentiam, historici veritas tamen ex collatione temporum elici potest, usque adsentiendum, qui hac fulciuntur.

Pag. 37. b v.10. a fine. Pag. 153. C. *Gothi*, *Vandali*) Venetam urbem *Veneti*, vel *Vendi* incoluere, non Gothi, vel Vandali, utraque natio Danica, vel Germanica.

Pag. 38. a v. 15. Pag. 154. C. *Patre incerto*) Cimbro tamen, ut ex factione adparet.

(a) Aconem, & Ivarum, ita nonnulli.
(b) Ad Saxonem scire avens remittendus Lector.

Pag. 157. C. Saxonis verum encomion. Pag. 38. b v. 19.

Pag. 160. C. *Duos angues*) Hoc vero quum plane verisimile non sit, iis adsentior, qui dicunt, duos aulae alumnos Regi tamdem ipsi, aulaeque toti graves, & invisos, quosque mallet aliena quam suamet manu cadere; itaque hoc ita immutandum. Pag. 39. b v. 8.

Pag. 162. A. *Lodebrogi*) Hirsutis illis braccis hybernae expeditionis caussa potius usus fuit. --- v. 19. a fine.

Pag. 162. B. *Clagium*, *Clagi*) Nomen verius, --- v. 12. a fine.

Pag. 167. A. *Populis Orientis divexatis in Biarmos*) Quid per Hellespontum sibi velit Saxo, ex hoc patet, mox enim nominat *Biarmos*. Pag. 41. a v. 2. seq.

Ibid. *Biarmos Sveciae*) Non Sveciae, sed *Rutheniae*, vel Sarmatica est ditio, vocatur vero hodie Permia, vel Permski Russis, olim Regibus Norvagiae subiecta, quo eodem nomine, hodieque a Regibus nostris repetitur. — v. 3.

Pag. 169. A. *Gothia*) Svetica illa. — v penult.

Pag. 170. B. *Armis suis*) An τὸ *suis* hic superfluum? Pag. 41. b v. 18. a fin.

Pag 176. B. *Cur extraneo*) Notandum vero praecipue documenta Saxonis fuisse carmina; illa vero licet a Graecorum, & Latinorum carminibus eo diversa, quod non fabulas, sed historias tractarent, eo vero conveniebant, quod epitheta, allegorias, & similia itidem metaphorice adhiberent. Ita latrones, dracones, & angues vocavere, ut in historia Frothonis, & Lodebroci, quod & Latini etiam in prosa sacra, & profana. Herodem vulpem, nutricem Romuli Lupam &c. allegorias quoque nostra carmina admisere; ideo non plane contemnendi alii, praecipue, si coaetanei, & consentientes. Tamen certum habeo in carcere Regnerum obiisse. Pag. 43. a v. 15.

Pag. 181. A. *In quo superati Dani*) Malim loco, Dani, reponi factio novorum Regum, (vel novi Reges, vel tale quid) nam nullum est dubium, quin prolem copiarum suarum Danicarum una cum Anglis secum adduxerit, & sibi quoque addictos in Dania habuisse, quo tempore semestri illo se ad verum Dominum contulerint. Pag.44 a v. 22. a fin.

Pag. 183. A. *Vel ut alii* DCCCLVII.) Non video annorum, vel Aerae. Pag. 44. b v. 21.

Ibid. C. *Ansgarius*) Nb. Ansgarii secundum iter in Daniam. — v. 9. a fin.

Pag. 186. A. *Infans*, *Barn.*) Lingua nostra non infantem, sed puerum notat, posset vero retineri nomen *Barnonis*, vel *Bari*. Pag. 45. b v. 1. seqq.

Pag. 186. C. *Normannos*) Imo ipse sub nomine Normannorum exercitum in Saxones misit. Constat omnibus, quibus Historiae Normannorum notae, Normannos vocatos esse Danos. Pag.45. b v. penult.

Pag. 194. A. *Gothicis literis*) Eo loco ponendum Runicis, ut ab incolis, & hodie vocantur. Vulcanius Historiarum nostrarum ignarus Gothicas illas cum Ioanne Magno vocat. Pag. 47. a v. 14. a fine.

Obiter vero monendum duxi, cavendum in pri-

(c) Goterico.

in primis, praecipue in Genealogiis Regum, ab Historiis Ioan. Magni. Ille enim quum occupatam a Danis saepius Sveciam sciret, Reges occupantes audaci commento origine Svecos facit; quod in primis notandum.

Pag. 47. b v. 15. Pag. 195. A. *Si Historiae fides constat*) Haec omitti possent, & restitui eorum loco, *incertum a quo missa*, vel *incertum, an ab aliquo missa*, vel (quod alii tradunt) *magicis incantationibus &c.*

Pag. 48. a v. 21. a fine. Pag. 198. C. *Ac sinu Limico*) Potius *freto Ottoniano*, hodie dicitur *Ottesund*. Et ostenditur ab incolis hodie locus castrorum, hinc Ottonis, & ultra fretum, Haraldi.

Pag. 49. a v. 8. a fine. Pag. 200. A. *Thyra*) Quid hic dicam nescio. Ante paucos dies Ielingae diligenter inspexi Epitaphium Thyrae; non illud modo, quod filius Haraldus, sed & illud, quod maritus Gormo posuerat. Ex hoc adparet, mortuam illam ante Gormonem, nisi forte dicendum & sibi, & uxori vivis statuisse monumenta Gormonem.

Pag. 49. b v. 6. Pag. 203. A. *Aqua mersum*) Considerandum num ita Saxo. Lapis sane non ita magnus, ut ea de causa seditionem motam credam. A paucis enim trahi posset (10. vel ad summum 20. vel 8. equis trahi) sed puto, concitatos a Svenone, praetextum post defectionem hinc quaesivisse, ut sceleri colorem &c.

— v. 24. a fin. Pag. 204. A. B. *Mercatu Viburgensi*) Saxo Latinus ad manus iam non est. Danicam Velleii versionem inspexi, quae ait, Svenonem classi praefectum, ab iis Regem, & Ducem electum. Viburgum vero procul a mari distat. Causas addit tantam religionis mutationem, & onera, vel exactiones; lapidem vero ait ab equis, bobus, & hominibus protractum ad locum, quo de defectu filii.

Nota vero *mercatum* hic, & alibi in Historia de *Conventu Viburgensi*; quum non mercatus, sed conventus Ordinum Viburgi Regem eligentium, vel de negotiis regni deliberantium, quod emendari posset.

Pag. 50. a v. antepen. Pag 207. A. *Leges tulit*) Notandum hic, Haraldum hunc Saxonibus leges dedisse. Auctor est Helmoldus, vel alius fide dignus Historicus. Locus non iam certo occurrit; memini me tamen legisse. Has vero leges illas fuisse, quas *Speculum Saxonicum* postea dixere, vel ex quibus Speculum Saxonicum congestum, adparet ex Historico praedicto, quem, Deo volente, reversus domum monstrabo. Monstratur vero maxime e legum similitudine. Latas illas patet ante susceptum ab Haraldo Christianismum. Nam nostris olim legibus ante Christianismum usitatus, duello decidendi dubias, & non satis liquido probatas causas, modus iis continetur. Germani ipsi legum auctorem non nominant, ideo forte quod peregrinus. Coniecturas adferunt de tempore, nil vero certi, quod hoc loci non videtur tacendum.

Pag. 52. a v. 19. a fin. Pag. 214. C. *Ericum antea devictum*) Puto, auctorem dicere velle: *Svenonem antea devictum*.

(a) Nb. nullum ante hoc tempus habebat Episcopum Scania.

Pag. 53. a v. 8. Pag. 218. A. *Sanctae Trinitati consecrati*) Dubito, vocatur, ni fallor, Lucii, vel Luciae templum.

— v. 22. a fin. Pag. 218. C. *Uxorem Ulvonis, summi inter Svecos loci*) Novi tam Saxonis, quam Historicorum Svecorum sententiam esse, Ulvonem natum esse in Svecia, patrem eius Torchetillum, vel Trugellum Sprageleg, avum Biornonem, Urso, (qui Biorn nobis dicitur) procreatum. Sed merae sunt fabulae, ex eo ortae, quod Sveciae Regis amicitia fretus, in Sveciam se saepius recepit, & cum Svecis conspiravit in Canutum. Ulvo vero Anglus natione erat. Pater Danicis (procul dubio Regii sanguinis) ortus parentibus, vocabatur Trugel Spraclei. Haec ex Historicis Anglicis patent, quibus, ni fallor, adsentitur Ericus Pomeranus in sua Historia. Quam expositionem, fabulosa illa reiecta, retinendam censeo.

ibid. mox. Nota vero, Estritam non nupsisse Godvino, sed sororem alteram Canuti, Thyram nomine, quae etiam mater erat Haraldi Biorn &c. quod emendandum ibidem.

Pag. 54. a v. 9. a fine. Pag. 223. B. *Homo Svecus*) Mutandum.

Pag. 55. a med. & seq. Pag. 226. B. Vera est illa sententia, quae occisum tradit Sticlestadii in conflictu a suismet subditis rebellibus, vel potius Canuti partes (quorum etiam subsidia secum habebant) sequentibus. Vide Historiam nuper Danice de eo editam. Nec tacendum hic videtur, eumdem esse, quem S. Olaum dicunt Norv. Regem longe fortissimum, & iustissimum, & numquam satis laudatum.

Pag. 55. b v. 20. Pag. 228. C. *S. Trinitatis*) Vide quod ad pag. 218. adnotavi.

— v. 31. Pag. 229. A. *Leges condit*) Addendum, *Danis pariter, & Anglis*. Impressae habentur.

Pag. 56. b v. 14. a fin. Pag. 233. B. *Machiavelli Schola*) Velim hac sublata, nec enim e dignitate Historiae hominis Scholastico-politici Machiavelli nomine hoc loco uti; tum vero quod Olaus hostis fuerit acie caesus a Ducibus Canuti, & Norvegis, qui ipsius partes sequebantur. De Edvardi Historia iam non constat, an ille hostis fuerit, an semel transacta servavit. Improbo sane caedes illas, ut & bella, & hostilitates, maxime si Reges hi, amicitia Canuti freti, circumventi; illud enim dolus foret.

Pag. 57. b v. 19. a fine. Pag. 238. A. *Imperaverint, his servire*) Haec forte ex Saxone, qui vir bonus, & simplex, non intelligebat, pacto regnum obvenisse Magno (non belli iure) idque Senatus decreto, & subintellecta electione, nec paruisse Daniam Norvegis, sed Magno. Elegere Dani Ericum Pomeranum Christophorum III. Christianum I. Germanos; non ideo servierunt Germanis. Electionis Regum natura est, ut fit quasi praestantissimum genus naturalisationis, ut ita barbara voce dicam.

Pag. 58. b v. 20. a fin. Pag. 242. A. *Regum stirpe*) Regia familia mascula iam plane interciderat; nisi intelligendum, quod alii faciunt, Trugillum Ulvonis patrem Regiae familiae fuisse &c.

Pag. 59. a v. 7. Pag. 243. B. *Separavit eam*) Scaniam intellige (a). Dubium alias, de Selandia, an Scandica Dioecesi loquatur auctor.

Pag.

Pag. 60. a v. 12. Pag. 248. A. *Cum Olaus, atque Magnus*) Locus hic subobscurus, nec intelligi facilis, nisi si cui Historia aliunde nota (a).

Pag. 60. b v. 21. a fin. Pag. 251. A. *De Ducatu Slesvicensi*) Saxo nil de hoc. Cavendum vero, ne fides habeatur Germanis Historicis hic, qui controversum faciunt hunc Ducatum; eius loco inserendum, *Nordalbingia*, vel *Ducatus Holsatiae*. De dominio Vandaliae crediderim certasse; nam illam nunc Dani, nunc Germani ad se rapiebant.

mox ibid. Ibid. *Hamburgum evocaret*) Eius loco scribendum potius, *invitaret*, vel quod tale. Nam prius nimis pro imperio.

Pag. 61. a v. 4. a fine. Pag. 257. A. *Sveno*) Ex Historia Belli sacri, vel Ierosolymitani constat, *Svenonem* aliquem Principem Danum Regis Daniae Svenonis filium abduxisse per Thraciam in Terram Sanctam mille quingentos equites, ibique a Turcis, vel Saracenis fortiter pugnantem cum suis caesum, an vero hic Sveno (cuius tamen postea mentio, ut & mortis eius, quod tamen errore irrepsisse in Historiam potuit, loco alius filii Svenonis) vel vero Sveno ille Regis Svenonis Grathedii filius fuerit, incertum Chronologia hoc dabit. De postremo hoc memoratur in Historia nostra incertum esse, ubi interierit, vel quando. Non mirum, hoc omissum in Saxone, qui plura praeterit supra modum incuriosus, & negligens in Historia scribenda, plus scilicet de stilo sollicitus. Ego tamen non praetereundum censeo.

Pag. 63. a v. ult. Pag. 261. A. *Ferrum magis quam periurium metuentibus*, item *peierandi ansam &c.* Licet haec ita se habeant, tolli tamen malim. Saxo Grammaticus de sui seculi moribus loquutus, ait, homines tum deierare, & mentiri inter vitia non habuisse. Illud detorserunt Io. Magnus, & Sveci ad nationem Danicam, proprium illis, vel proprio Historico teste, hoc esse. Idem hic facerent, licet non isto fine scribantur.

Pag. 64. a v. 3. Pag 262. C. *Semel ipse statuisset*) Nb. leges olim, ut & hodie non Reges, sed Reges cum Optimatibus statuunt, ergo scribendum, *ipsi statuissent*.

— v. 11. Pag. 263. Canutus primus ad dignitatem nimiam politicam evexit Episcopos, &c.

Pag. 65. b v. 13. Pag. 270. A. *Vindili*] Incolae, qui A pro E, in multis se *Vandilos* dicunt (b), vel sua lingua *Vandilboos*, i. e. *indigenas Vandilos*: *Boe enim habitare*, indigenam item notat, & incolam, quod notare tamen hic volui; antea enim de eodem.

Pag. 66. a v. 13. a fine. Pag. 273. B. *Erico Gothorum*) *Sveticorum*, vel *Ostro-Gothorum*, adiectione aliqua hic opus.

Pag. 67. b v. 15. a fin. Pag. 279. A. *Vandalos*) Vendi sunt, & Sclavones, non Vandali.

Pag. 69. a v. 10. Pag. 285. A. Fabula, quam de *sepultura Cypri* adfert Saxo, iure omittenda, ex Sanctorum legendis desumta.

Pag. 70. b v. 10. Pag. 291. C. *Henricus, intellecto*) Sensus videtur alienior, nisi forte ita scribendum, *simul Henricus* &c.

v. 10. a fine. Pag. 293. B. *Viginti equitibus*) Nb. Naturale hoc Canuto, ut & filio Valdemaro, praecipitanter, & nulla ratione fidem habere, quod in utroque multoties videre fuit.

Pag. 71. a v. 15. a fin. Pag. 295. B. *Cuius illud interesset*) Malim, *quantum illius interesset*. Et hoc tota hac Historia observandum, Reges enim nostri Reges Vandalorum; partis saltem, si non omnium, & hodie eumdem titulum servant.

Pag. 71. b v. 6 7. Pag. 296. B. *Ducem Vandalorum*) Addendum, eorum, qui parebant eius tunc imperio. Huc etiam pertinet, quod pagina sequente A. *Vandalorum Regem*. Ideoque Canutus se numquam *Vandalorum Regem*, neque id ausus fuisset, sed *Obotritorum* vocari se passus est. Ita & Roschildiae ad imaginem eius adscriptum, ut & hodie videre est. Caute ergo hic agendum, ne iura Maiestatis nobismet minuamus.

— v. 22. 23.

Pag. 72. a v. 19. Pag. 299. A. *Gothi*) Subficit semel monuisse, quinam hi Gothi intelligendi.

— med. Ibid. B. *Vandaliam*) Vendiam, Sclavoniam, vel Sarmatiam maritimam, licet olim ibi locorum Svevi; nisi si forte semel monendum; placet tamen & hic, & alibi mutari. Sic pag. 303. C. Crantzius ita esse credidit, nominum similitudine in errorem cum aliis inductus

Pag. 323. B *Constitueret*) Hoc loci aliud substituendum forte posset.

Pag. 77. a v. 9. a fin. Pag. 334. B. *Gothiam*) In Sveciam, vel Gyllandiam, vel Gothiam Sveticam, vel Ostrogothiam.

Pag. 78. b a med. Pag. 336. *Avunculum patruum*) Intelligit, ita & pagina sequente B.

Pag. 78. b v. 14. Pag. 336. C. *Novercae virum*) Vnde illud?

Pag. 84. b v. 4. Pag. 346. B. *Ac nunc sextum ex adulterio genitum*) Dissimulari haec, licet verissima, malim. Nota enim quaedam Regibus nostris inuritur, & talia tegenda; quum ad Historiam parum faciunt; ex quo iam ante constat, nothos sex hosce fuisse; nisi quod forte rarum, & inauditum exemplum in omni omnium nationum Historia, sed praestaret omittere.

Pag. 85. a v. 13. Pag. 357. *Ad Frothonis legis*) Mentionem. Nb. Optarem omnes a Regibus latas leges ante Valdemarum I. collectas haberi uno intuitu posse.

Pag. 86. a med. Pag. 362. B. *Vandali*) Vendi.

Pag. 87. a v. 16. a fin. Pag. 364. A. *Lundiensem*) Lundensem malim.

Pag. 87. b & 88. Pag. 366. Longe elegantissima dictio, saepius aequo, vocula *ac* connectitur, quae saepius abesse potuit; quod pace auctoris dixerim, qui linguae latinae puritate coaetaneos omnes longe exsuperat; sed non dubito, secunda manus uti accesserit, opus magis expoliri posse.

Pag. 88. b med. Pag. 369. C. *Vandalorum*) Vendorum.

Pag. 89. a v. 8. & 6. a fin. Pag. 372. B. *Pulso herede*, & *quem maiores*) Hoc post explicandum, conficta (ut colorem induceret) haec ab Imperatore fuisse.

Pag. 89. b v. 5. Pag. 372. C. *Vti causa utriusque*) Non haec. Saxo, *Germanorum* potius. Isto ergo modo

(a) Disertius ergo haec dicenda.

(b) Ita quoque in Codice Valdemari legum antiquo.

modo proponenda, Caesarem cum Septemviris sumsisse sibi arbitri partes, ut aequitatis maiorem omnia speciem haberent.

Pag. 89. b vers. 16. a fine. Pag. 374. A. *Saxoniae Ducis*) Misniae, ni fallor, Marchio erat.

P. 91. a v. 5. C. 281. A. Pag. 379. B. *Rutheno patre nata, neque ullam in Dania*) Sophia Magni Regis filia erat, ideoque iuxta leges, ut soror tertiam partem bonorum hereditariorum accepit. Nullam in Dania habuisse hereditatem non meminit Saxo, sed Rutheni patris. Addit vero id ioco dictum, forte quia Valdemarus Magnum Ruthenis perfidia parem, & Ruthenum, ceu hostem etiamnum vocant, licet mortuum, itaque haec mutanda [a].

P. 93. a v. 9. a fine. Pag. 389. B. *Infesta classe mittat*, Potius *Vandalos inducat, ut infesta classe* &c.

— b v. 5. Pag. 389. C. *Canuto, qui e Svetia*) Non tamen Canutus e Svecia. Vide Saxonem.

— b v. 7. & P. 95. b v. 1. Ibid. ut & pag. 398. A. *Collactaneum*) Non collactaneus, sed una educatus erat.

P. 94. a v. 11. a fine. Pag. 393. C. *Animis coniuncti*) Sveno eligere poterat; elegit ille Scaniam ob causas, quas adfert Saxo.

P. 95. b v. 23. a fine. Pag. 399. A. *Mercatum Viburgensem*] Non ad mercatum, sed ad *conventum procerum, & ordinum.*

P. 96. b v. 24. a fine. Pag. 403. A. *Grathenedae*) Gratemosae. *Grathbeda* campus erat, ubi conflictus: *Gratemosa* palus adiacens, ubi caesus Sveno.

P. 97. a v. 10. a fine. Pag. 406. *Cuius uti nomen, ita fatum*) Saxo Svenonem vocat [b], ni fallor. Conferri possunt tempora. Et forte Svenonem hunc habebat a priore coniugio; sed de eo amplius inquirendum.

P. 98. a v. 21. Pag. 408. *Borlundam*) Nescio an *Borlum* velit, quod olim *Borglanum*; dioecesis vero *Borglanensis* dicta.

Ibidem. *Vandali*) Vendi. Et saepius hoc in Historia Valdemari, ideoque semel monuisse sufficit.

Multa in Historia Valdemari Saxo, qui tum vivebat, aliter. Cui ergo fides habenda? Quae vero de societate navali in piratas, & eius conditionibus, refert, digna sunt, quae tradantur.

Pag. 98. b v. 21. a fine & seqq. Pag. 410. A. *Permutare*) Modus permutandi navem describendus, animosior illo, quo Caesar in Aegypto &c.

P. 99. a v. 4. Pag. 410. C. *Revertentes*] Intellectu difficilior locus.

P. 100. b v. 23. a fine. Pag. 417. C. *Soram*) Non ille Soram, sed Ascerus Ryg, Absolon, & Frater fundarunt.

P. 103. a med. Pag. 427. Vellem hic moneret auctor, fraude extortum obsequium Regis, regni maiestati nihil derogare. Illud electione deferri ab Ordinibus, sine quorum consensu submitti nullo modo potuit. Quodque Rex pro persona, & temporis necessitate fecit, regnum non obligavit.

P. 105. a v. 3. Pag. 435. A. *Tradunt quidam*) Haec verba, *tradunt quidam*, omitti malim; quia, ceu dubiae Historiae (quae incerta) fidem elevant. Olim iisdem pene locis Gedanum a Danis ibidem.

P. 106. b med. Pag. 442 C. *Perturbatus*) Desiderari voculam puto, vel forte, *perturbatur*, scribendum.

P. 107. a v. 12. a fine. Pag. 445. & 446. *S. Viti*) Puto, non a *Sancto* [c] *Vito* nomen traxisse; sed *Svante Vitum* nomen idoli iam olim fuisse ethnicis illis, & tum, & postea ritus, & cetera ostendunt, tum nomina aliorum, iisdem locis, idolorum, *Porenuti*, *Ryviti*, *Proreviti*.

P. 109. b v. 12. a fine. Pag. 457. A. *Tanto Vandalorum*] Vendi; *metu*, dubium, an metus Vandalis, vel a Vandalis fuerit.

P. 110. a v. 8. a fine. Pag. 459. B. *Mansuetam*) An Masnetam? classis portus prope Vord.

P. 114. a v. 28. Pag. 476. *In urbem Laterensem*) Vbi illa urbs? nisi forte alia.

Atque haec (librum enim non perlegi cum cura aliqua, sed nunc hoc, nunc illud notavi) festinanter videre licuit, & adnotare. Quae quum Auctor suis verbis, i. e. elegantissimis abdiderit, Historiae nostrae lucem inferet. Relegere haec, & altius considerare non licet, nec enim tempus suppetit. Inprimis considerandum, ne quid nimis aculeatum relinquatur in Historia, quod vicinos offendere possit.

(a) Patris sui occisorem.
(b) An. ille qui in Terra Sancta occubuit.
(c) Coniectura Germanorum esse videtur.

IOANNIS MEVRSI

AD ADNOTATIONES VIRI ILLVSTRIS

A Dn. CANCELLARIO *sibi communicatas Responsio.*

ILLVSTRIS ET GENEROSE DOMINE.

QVae de exordio mones, & doctissime suggeris, satius duxi in observationibus his primo loco exhibere.

De Chronologia vero, si permittis, admodum abs te dissentio. Nam quid attinet, eam plane incertam ponere, & ludibrium a Viris doctis apud exteros, posterosque reportare? Et Achilles quidem Gassarus, quem commendas, in ipso limine impingit; quippe Danum Regem primum, qui Frothonem, sub quo Christus natus fertur, annis mille antecessit, uti notas in exordio, & Chronographi alii tecum, tantum annos quadringentos & nonaginta praecessisse nobis tradunt. Equidem plane sentio cum Venusino viro docto, qui in Thesibus *de fabulis, quae saepe pro Historiis venditantur*, ita scribit:

„ Saxo Grammaticus, ne patriam suam „ antiquitatis laude fraudaret, exemplo alio„ rum, suoque arbitratu, triginta eoque plu„ ribus ante natum Christum, Regibus re„ gnatam esse Daniam tradit. Neque tamen „ certum regnandi tempus singulis attribuit. „ In eo modestior, multoque cautior A„ chille Gassaro, qui Regibus Grammatici „ nostri, qui forte numquam, vel nusquam „ imperitarunt, certa tempora adsignat. „ Nam unde Gassaro isthaec temporum no„ titia? Vnde nostrarum rerum, & quidem „ tam antiquarum, ipsi suppetebant com„ mentarii? Rudem fuisse hominem, plane„ que historicarum rerum imperitum neces„ se est, qui in hac renascentis veritatis lu„ ce, istos fumos nobis excitare, atque di„ vendere ausus fuit. Magnum hercle super„ cilium, quod impacta in frontem ferula, „ merito deiici oportuit. „ Hactenus Ionas Venusinus.

Potuisset sine dubio Saxo noster in nonnullis postremorum etiam annos indicare, uti factum a Pontano. Sed profecto vir egregii iudicii, quod non posset in principio, illud nec in fine voluit: arbitratus, faciem historiae decoram magis, si a se differret nusquam, & ubique similis foret. Et hoc puto in Praefatione mea ad Lectorem dici posse.

Ad pag. 65. pro *tergemini* mavis *tres*. Sed auctores probatissimi ea voce sic utuntur, Livius de tribus Horatiis, & Curiatiis lib. 1. *Forte in duobus tunc exercitibus erant trigemini fratres*. Et occurrit illic bis terve. Plinius de iisdem lib. 7. cap. 3. *Tergeminos nasci certum est Horatiorum, Curatiorumque exemplo*. Valerius Flaccus de Hecate, quae eadem Diana, & Proserpina ab antiquis credebatur, Argonaut. lib. 1.

Tergeminam tum placat heram.

Et Ausonius de eadem in Gripho ternarii numeri:

Tergemina est Hecate.

Pag. 93. *Iuritha Grubbi*) ita Saxo lib. 6. pag. 91. lin. 43. & 92. lin. 5.

Pag. 101. Recte me dixisse puto, *suo sanguine abstineret*, siquidem illi fratris sui filii essent.

Pag. 102. *Iterum parcit*] ita dico, quia iam ante semel pepercerat.

Pag. 104. Minori animo iudicandus est Haldanus, quod Regem summa animi magnitudine praeditum, ideoque servitutem detrectantem, ipse, animi sui impotens, & hoc ipso minor illo, cum feris devorandum obiecerit.

Pag. 117. *Vicari*) qui sint in Norvegia, ipse etiam ignoro, sed Svaningius illos nominat; item Saxo pag. 124. lin. 50.

Pag. 118. De Othini Oraculo, Vpsaliae consulto, sum Svaningium sequutus. Certe Saxo etiam Othinum Vpsaliae commoratum plurimum scribit, lib. 1. pag. 12. lin. 19. Et in hoc ipso Haraldo, pag. 124. lin. 23. Oraculum eius Vpsaliae ponit, istis verbis: *Conciliandae ei foecunditatis gratia, Vpsalam petit; responsoque monitus, suscitandae sobolis causa, fraternis primum manibus parentare, postquam oraculo paruit, optatae rei solatium impetravit, siquidem filium ex Gyritha susscepit, cui Haraldo vocabulum aptavit*. Atque id oraculum fuisse Othini patet ex sequentibus verbis: tantam Othini, cuius oraculo editus videbatur, indulgentiam expertus fuerat.

Pag. 120. Olonem Scaniae dedit praefectum Victor Ringo, non autem elegerunt proceres, quibus potestatem eligendi sub extraneo victore minime relictam fuisse est probabile. Et mecum facit ipse Saxo p. 133. lin. 10. istis verbis: *Scaniam a Daniae corpore abruptam in Olonis praefecturam* (*Ringo*) *secrevit*.

Pag. 146. Ad subplendum Historiae defectum iubes inserere Reges aliis commemoratos. Sed, quod pace tua liceat, cur ab ordine Saxonis, Erici Pomerani, & Anonymi, recedamus? equidem caussae nihil video: quum, qui memorantur Reges apud alios, minime ad Daniam spectent, ut Pontanus quoque noster recte censet, pag. 37. tum vix septem memorentur, quorum fere, praeter nomina, nihil exstat.

Pag.

Pag. 176. *Extraneo Scriptori*] Nempe Aimoino Gallo, qui *Regnerum* istum nostrum *Raganarium* adpellat, & historiam mortis eius aliter quam Saxo narrat.

Pag. 183. A. *Vel ut alii* DCCCLVII. dissidium est annorum decem, nam alii dicebant factum anno DCCCXLVII.

Pag, 203 Saxo in eumdem modum p. 167. lin. 41. *Posthaec Haraldus totam regni classem exserens, ne parvo adparatu magnae molis pondus adgrederetur, iunctis hominum, boumque copiis, inusitatae magnitudinis, Iutico littore repertum, quo matris tumulum insigniret abstrahi iussit*. Et paullo post: *Inter haec Haraldus circa tractum lapidis occupatus, quemdam suorum e classe supervenientem arctius percunctari coepit, an tantam alias molem mortali manu tentatam conspexerit*.

Pag. 218. A. *Sanctae Trinitati*) Ita pluribus locis Saxo.

Pag. 336. *Et novercae suae virum*) Recte; nam Ericus, postquam Magnam filiam Canuti fratris concessisset, ipse quoque eius novercam sibi uxorem postulaverat, & acceperat, ut commemoro pag. 329.

Pag. 372. *Pulso herede*, & *quem minorem*) Haec sunt Caesaris verba, pro arbitrio suo loquentis; neque regno, quod non habet successorem, nisi quem primates statuunt, aliquid praescribere possunt. Nam non censeo de illis quidquam laborandum, maxime quum ipse Sveno in responso, quod subsequitur, sat refellat.

Pag. 346. B. *Ac nunc sextum genitum ex adulterio*) Liceat mihi quoque dicere, quod iam alii dixerunt, neque tam probrosum id Erico erat, quam parenti, si virtutem coluisset. Illud certe gravius opprobrium habet, & Erico ipsi proprium, quod a fratris, ac nepotum caede adeo nefaria principatum inchoaverit, quod omnino Regi huic optandum erat, ut historia tacuisset: sed profecto, ut virtutes laudatissimorum Regum candide sunt praedicandae ab Historicis, ita vitia libere posteritati proponenda, ut lecturi ista Reges subsequentes mali esse minus ausint.

Pag. 372. B. *Vti causa utriusque*) Isto modo proponenda, Caesarem cum VII. Viris sumsisse sibi Arbitri partes, ut aequitatis maiorem omnia speciem haberent. Sed non video in Caesare, qui Svenonem sibi subditum cupiebat, ullum studium aequitatis; & adparet ex sequentibus, ubi sic pronuntiat idem contra Arbitrorum sententiam, *velle se, ut regnum suum Sveno Caesaris beneficium fateatur, ac Canutum in societatem admittat; si detrectet, bellum exspectandum sciat*.

Pag. 379. B. *Rutheno patre nata, neque ullam in Dania hereditatem possidebat*) Plenissime ita Saxo pag. 240. lin. 31. *Cuius efficiendi gratia uterinam Canuti sororem Sophiam apud Waldemarum eximia pulcritudinis laude de industria prosequebantur*. Sed Waldemarus, quo minus ad hanc copulam intenderet, inopiam virginis obstare dicebat; quod patre Rutheno procreata, nullorum in Dania bonorum heres exsisteret.

Pag. 406. *Cuius uti nomen*] Svenonem ex Cunradi Misnici filia filium suscepisse tradit Saxo, sed non addit eius nomen.

Pag. 408. *Borlundam*) Ita Saxo vocat, & ex eo Pontanus quoque.

Ibidem *Vandali*) Saepius rescripsi in libris praecedentibus, tuo iussu Vendi, aut Sclavi. Sed sciendum, Vandalos, Vendos, Venedos, Bandalos, Bandilos, & Sclavos apud Auctores pro iisdem nominari indistincte, ut docet Abrahamus Ortelius in Thesauro Geographico. Itaque non necesse puto, anxie de his laborare.

Ibidem *Et a praeda revertentes*) Nam paullo ante dicitur, *direptis passim viris*.

Pag. 417. *Soram*) Conditam hanc a Valdemaro dicit Ericus Pomeranus anno MCLXI.

Pag. 442. *Motus fama perturbatus*) Nil omnino desideratur: & sensus est planus.

Pag. 459 B. *Mansuetam*) Ita dicitur Saxoni pag. 263. lin. 44. & pag. 304. lin. 8.

Pag. 445. *Sancti Viti*). Ita dicitur, & Saxoni, pag. 289. lin. n. 13. 15. 16.

Pag. 476. *In urbem Laterensem mittit*) Ita Saxo pag. 321. lin. 9.

De Gentis Danicae antiquitate (a).

CAPVT I.

QVamvis arduum sit maxime, & incertum prima gentium antiquissimarum exordia memorare, in his tamen, quae ad Danicam nostram attinent, equidem adsentiendum illis puto, qui a Dais, Asiae populis, hanc deducunt. Nam coloniae Magogi, ante Babylonicam confusionem in Septentrionem ductae, nihil plane veri habent, ut omittam, ipsos Graecos, ac Chaldaeos, & Aegyptios, non sat certam temporum cognitionem habuisse, quod testantur tot eorum anachronismi, & errores. Itaque mirandum minus, homines Septemtrionales, a gente Dei, literisque item sacris, remotissimos, quique ceterorum rudes, in bellandi solo studio decus omne positum existimabant, sacrae historiae, & religionis verae nullam sibi cognitionem, aut exiguam habuisse. Iam, a Dais oriundos esse Danos, praeter alia, fidem mihi Herodotus facit, qui Historiae libro primo, Daos, Germanos, Parthos, Persas, etsi sub diversis regibus, gentem unam extitisse. Optimeque, hac de re constare illi certe poterat; qui res Persicas & tenebat exactissime, & vivebat eo tempore, quo florebant istae gentes universae. Arguit praeterea communio linguae; quo non aliud fere certius populorum adfinitatis est indicium. Quamvis enim natio Persica, tot Medorum, Assyriorum, Chaldaeorum, & Macedo-

(a) Not. Quia illustris adnotator supra optaverat, ut nonnulla observationum suarum capita, scilicet illa, de *Danicae gentis origine*, de *primo Regum Dano*, de *Cimmeriis & Cimbris* &c. &c. non suis verbis nudiusculis [ut loquitur,] sed exposita elegantissimo stylo Meursii videret; hinc Meursius illi eius desiderio satisfacturus, sequentia responsioni suae adtexuit.

cedonum, Arabumque, ac Tartarorum, seu Scytharum, invasionibus graviter vexata fuerit, atque sine ullo dubio gentes illae aliquid sui idiotismi in Persarum, quos subegerant, linguam infuderint. Insuper temporis longitudo etiam mutationem maximam adferre solet, multa tamen etiamnum lingua Persica hodierna Danicae vestigia retinet; ac potissimum in his vocibus, quae communes fere nationibus cunctis, maximeque usitatae. Ego recte numerum earum magnum observavi; & complures ibidem a Gulielmo Lelelio (a) linguae Persicae perito, peti possunt. Sacae vero, quod notandum, gens diversa, eadem cum Scythis esse, ac Persarum quoque lingua hic vocari, memoratur ab Herodoto lib. VII. & sunt illi procul dubio, qui iisdem locis habitant etiam hodie, Tartari, Sacataii dicti, magis ad austrum, quam Chitaii.

De Dano, primo Daniae Rege.

CAP. II.

QVonam tempore Danus vixerit, etsi in antiquitate tam remota sit difficile certi quid pronunciare, attamen Chronographi nostri pariter & peregrini, in eo conveniunt fere, Frothonem III. sub quo natum Christum volunt, annis circiter mille praecessisse. Quidam etiam alterius mentionem faciunt, qui nongentis ante hunc ipsum annis vixerit. Estque hic fortasse ille, qui Iustino Tanaus dicitur lib. I. Neque mirum, Danum Graecis Tanaum dictum; cum & fluvius, qui a Graecis Tanais est adpellatus, a Sarmatis accolis Dan, & Dun, etiam hodie nominetur. Danos autem a Sarmatis, ac praecipue Polonis, Dunos dici, satis notum est. Sic *Crol Dunske* Regem Daniae adpellant; & Germani, eodem cum Sarmatis modo. Cosaccos, Tanais accolas, *De Dun ke Cosakan*. An vero Danubius sit, sive Tanais, qui Danastrum ab Historicis nominatur, animi haereo. Sed pronunciare tamen recte licet, Danastrum, sive *Dana Strom*, nihil plane aliud esse, quam Dana fluvium.

CAP. III.

IN Historia Hadingi Regis considerandum, an Duna fuerit urbs Thraciae; tum notandum Historicos nostros saepe urbes, atque gentes, adpellasse nomine earum urbium gentiumque, quarum sub imperio erant. Sic Asiaticos vocant Thraces, quia illos Constantinopolitani Imperatores postea in potestate habuerunt. Insuper, vocant nationes, non ut olim, cum res, quas describunt, gestae, dicebantur, sed ut illo, quo scribebant eas, tempore. Sic Veronam, quamvis sat Italiam nossent, quam Valland adpellitabant, Bernam Graeciae dixerunt. Britanniam Angliam dixerunt, antequam Angli invasissent, Angliamque a suo nomine adpellandam statuissent. Interdum & gentes nominantur, quae deinde alio loco habitarunt, habitantve, sicut Finni. Atque haec sunt observanda, uti sua Historicis nostris fides constet.

De Cimmeriis, sive Cimbris.

CAP. IV.

CImbros, & Cimmerios eosdem esse, quamvis id Pontano nostro non probetur, luculentus testis Strabo libro VII. & cum eo quoque alii; neque obstat, quod temporibus diversis emigraverint. Ac Cimmerios quidem olim emigrasse, probant ista, quae in Asia gessere, tum Historiae ex Gothlandicis monumentis Hafniae iam pridem editae, in Praefatione Operis, adtestantur. Cimmerios solvisse quondam Cimmers-Hafnia, urbe, & portu terrae Scaniae, etiamnum illud nomen retinente; cui pagus quoque adiacet, qui & hodie *Cimbrishafn* dicitur. Estque vero plane simile, hos fuisse, qui in Asiam cum Hadingo, Svibdageri, & Guthormi imperium pertaesi, quod consultum fere in seditionibus excessere. Solebant vero etiam fratres Regum iuniores classem, & cum ea exercitum, hereditatis loco adripere, seque Reges in his locis, ad quae forte adpulissent, nuncupare. Altera vero etiam ratio est. Non antiquior in Asiam expeditio nostratium memoratur; quumque Dani abnepos Hadingus fuerit, gens Cimmeriorum nostra centum annis ante Gomerum, qui illius mentionem primus facit, Dania excessisse potuit. Adde, quod, quum Gothi ex iisdem locis, nempe Bosphori Cimmerii in Pannonias invaserint; & eadem lingua sint usi, ut videre est apud Busbequium in Legatione Turcica, illos vero, qui Romanis Daci dicti, Graecis Getae, veteres Historiae nostrae, Gothos esse, & e Dania oriundos esse, fidem faciunt. Ac testantur nomina locorum quaedam; nam Gottorpium illic exstat; ibi Vibungi, Vidingsgerret; ibi Gothi, sive Guthi Septentrionales, & Australes; in Septentrionalibus rursum Gothi quoque Orientales, & Occidentales. Migrarunt gentes ab Asia, & Austro versus Septemtrionem, per Daciam, & Pannonias, in Germaniam; & ex ea in Daniam, e Dania in Sveciam. Etenim per Bothniam Septemtrionalem, etsi hodie habitetur, vix alicui, cum exiguo comitatu, qui cibaria tamen secum ferre habeat necesse, via patet. Estque illud adeo verum, ac Magogi, de quo antea

(a) Guilielmus iste Leiel. Danus fuit, natus Helsingorae, ex familia quadam oriundus Scotica, quae ante duo secula in Dania nostra sedem fixerat. Ipse vero a pueritia mercaturae studio addictus, a parente Amstelodamum missus fuerat, indeque cum negotiatoribus in Indiam, aliasque Asiae partes venerat, ac in Persia ultra XII. annos commoratus, linguam, moresque gentis, ut erat ingenio acri, satis perfecte didicerat. Hinc in Europam, ac patriam Daniam reversus, eo tempore, quo Rex Christianus IV. coeperat ad navigationem Indicam cives suos excitare. Quumque ob Persicae linguae peritiam passim celebraretur, eruditorum eo tempore Virorum laudes, & amicitiam meruit, ita ut non solum ab iis per literas consuleretur; sed & unicus fere haberetur, ob quem, linguae Persicae addiscendae causa, iter in Daniam doctrinae eius studiosi susciperent.

antea dixi, iter. Praeterea Sveci, Dani, Germani, adfines gentes, una omnes sedem olim mutaverunt; quos per Bothniam transiisse universos, est omnino impossibile; nec Historicus id ullus, cui quidem fides constet, nobis tradit. Insuper, qui Sveciam inhabitant Gothi, una egredi potuere; quique Duces a Iornande nominantur, comites Hadingi fuerint, nisi illi alio egressi tempore.

De Amletho.

CAP. V.

AMlethum, sunt nonnulli, qui scribendum Amalethum arbitrentur; & hunc principem item esse Amalorum, familiae apud Gothos regiae; uti Baltorum Balterum, qui Balderus aliis scribitur.

De Indo, Metello Celeri a Fridlevo Celere misso.

CAP. VI.

MEtello Celeri a Rege Sveviae Indum missum Historiae produnt; Svevos autem tunc vocabant, qui post Saxones adpellati. Procul dubio, qui mittebat Indum illum, Rex Fridlevus Celer erat.

Hunnos Moscoviam tenuisse.

CAP. VII.

IN Historia Frothonis III. ubi Hunnorum Regis mentio, id notandum; Hunnos tum Moscoviam, Romanis ignotam, tenuisse; ac tum ita bello fractos, ut ad tempora usque Attilae, qui in ipsam etiam Asiam regnum suum extendebat, Historici eorum non meminerint.

Ericum disertum, eumdem cum Ariovisto esse.

CAP. VIII.

IN eiusdem Frothonis Historia, qui Ericus *disertus* dicitur, idem cum Ariovisto non iniuria putari potest. Etenim quod nomen attinet, idem est Svecorum Ericus, quod Arigus Italorum, quem & hodie *Arigo* dicunt. Iam cum Sveci *Eric Vise*, sive Ericum Sapientem, adpellarent, Itali *Arigo Vise*, & *Ario Visge*, litera in principio demta, & in fine interposita, ut in gente peregrina fieri amat, nominarunt. Alterum sententiae huius fundamentum, quod istius Ariovisgi nulla usquam mentio fiat. postquam is a Caesare in fugam actus, unde colligi certo potest, Sveciam repetiisse. Etenim si in Germania remansisset magnus adeo Dux belli, qui duorum adfinitate Regum nixus, ipse etiam Rex potens, non latere, & ignorari potuisset. Quin Germani, si tum illis adfuisset, opera ipsius usi contra Caesarem fuissent. Porro huic expeditioni consentanea est Frothonis potentia, tum certissimum argumentum, quod Harudes etiam hodie gens sit Danica, & ab omnibus Chorographis Cimbrica in Chersoneso collocentur. Marcomanni vero tunc primum nominantur, quumque eorum item nomen Danicis in legibus reperiatur; non ut gentis, sed officii, ceu *agrorum viros* dicas, aut *custodes*, verisimile est, ut, qui proximi ab Harudibus nominantur, una e Dania advenerint, posteaque in Moravia, & istis locis, sedes fixerint. Ceterae gentes, quas sub Ariovisgi signis militasse refert Caesar, sunt Germanicae, una cum eo in bellum profectae. Insuper hoc etiam considerandum, duas Ariovisgi uxores Caesari commemorari; Svevam unam, alteram Noricam. Svevi autem tunc ad mare Balthicum se extendebant, idque olim ideo Svevicum adpellatum. Ita Teutones quondam Sialandiam inhabitabant, & gens Danica postea facta est Germanica. Habuit vero uxorem Ericus filiam Fridlevi Celeris, Sveviae Regis, ubi supra memoratum, qui Metello Indum misit. Habuit autem etiam Noricam, seu Norvagicam, siquidem Norvagia Danorum lingua *Norika* dicitur. Sed Frothonis tantum nomine eam duxerat. At quod Caesar eam utramque secum habuisse dicit, id, ut multa exercitus sui gesta alia, referentibus Historicis, sive ex incuriosa Gallorum relatione, sive male intellecta, fide minus certa tradit. Eiusdem quoque est erroris, quod non Boreales Noricos intellexerit, verum alios accolas. Fuit autem Iulius olim Danis optime notus, quum ob victum Ariovisgum, tum Britanniam vastatam. Inde festum, atque lusus *Iul*, seu *Iulius* adpellatus. In hoc hominem, pelle arietis indutum, cornibusque in quoscumque incursantem introducebant, & hunc *Iule-Buck* dicebant, sive *Iulium arietem*. Illud vero an in Iulii laudem dictum, an ludibrium, an simpliciter in memoriam victi ab eo Ariovisgi, in incerto est. Lusus autem puero me frequentissimus, etiam nunc in usu manet.

De Frothonis III. in Britanniam expeditione.

CAP. IX.

EIusdem Frothonis in Britanniam expeditio contigisse videtur, postquam victus Ariovisgus, & Britannia Iulius Caesar excessisset, ac subscepta ideo esse, ut contemtum Romanorum obstentaret. Ac Frothonem denotari omnino censeo ab Horatio lib. I. ad XXVI.

> —— *qui sub arcto*
> *Rex gelidae metuatur orae,*
> *Quid Tiridatem terreat unice,*
> *Securus* ——

Non me latet alios aliter explicare; sed falluntur. De potentia Frothonis inaudiverat Poeta; sed de nomine, reliquisque, ut Romani item alii, minime solicitus erat, vino potius, & luxuriae intentus. Certe quum Horatius hoc carmen scriberet, gelidae sub arcto orae

orae, ubi dicit, alius, Rex nullus erat, quam hic Frotho, alter quidam per Septentrionem Augustus, cui coaetaneus erat.

De Hellesponto Saxoniae.

CAP. X.

IN Historia Iarmerici meminit Hellesponti Saxo, quem quod attinet, id omnino est tenendum. Magnus quidam Sarmatarum olim dominatus erat; nam pars illa Europae, & Asiae, quam maiores nostri *Ostergard*, sive *Aulam Orientalem*, sicut *Myklegard*, *Magnam Aulam*, quae Constantinopolis erat, nominabant, interdum Gothis, interdum Hunnis, plurimum autem Sarmatis, vel Russis, parebat; quorum imperium usque ad mare nostrum Livonicum extendebatur, & excursionibus quoque eorumdem ad Hellespontum. Saxo vero in vocibus, & nominibus quoque gentium saepe fallitur, & pro uno alterum ponit, veluti Latinum magis, aut conveniens seculo suo.

De Thyrae mortis tempore.

CAP. XI.

IN Historia Haraldi VI. Thyra viva post Gormonem etiam maritum fertur; qua de re quid statuam incertus haereo. Etenim ante paucos dies Ielingae diligenter Epitaphium Thyrae inspexi, non hoc tantum, quod Haraldus filius posuit, sed & quod maritus Gormo, ex quo adparet, eam Gormone priorem vita functam. Vnde sequitur Gormonem sibi, & uxori Thyrae etiam vivae monumenta statuisse.

De Haraldi VI. Legibus, & Speculo Saxonico.

CAP. XII.

IN Haraldi VI. fine est notandum, hunc Saxonibus leges dedisse; quod testatur etiam Helmoldus lib. I. cap. XV. & Albertus Abbas Stadensis ad annum DCCCCLXXXIV. Has vero leges illas fuisse, quas *Saxonicum* postea *Speculum* adpellarunt, aut ex istis illud concinnatum esse, e similitudine legum satis clarum. Latas vero eas patet, antequam Christianus esset, quod duellum ad res dubias decidendas praescribatur; isque modus inter Danos olim sub paganis Regibus diu usitatus fuerat. Germani legum auctorem ignorant, aut dissimulant; tamquam probrum arbitrentur, illas sibi a peregrino principe latas; tum de tempore nihil adferunt, praeter meras coniecturas.

De Vlvone.

CAP. XIII.

IN Svenonis I. fine, ubi mentio Vlvonis, non ignoro, tam Saxonem, quam Historicos Svecos, tradere, eum in Svecia natum, atque patrem Turchetillum, vel Torchillum, ut alii scribunt, Sprageligium, avum Vrsum, qui Biorno nostris dicitur, habuisse; sed hoc mere fabulosum est. Inde ortum, quod amicus Regi Sveciae, saepe eo se conferret, & cum Svecis in Canutum conspiraret. Vlvo vero natione Anglus erat, patre Dano, regii sanguinis, cui nomen Trugel Spraclei, ut ex Historicis Anglicis, & Erico Pomerano, Angliae comitem dicente, satis constat.

IOAN-

IOANNIS MEVRSI
ANIMADVERSIONES IN HISTORIAM DANICAM IO. ISACII PONTANI
EDITAM AMSTELODAMI M.DC.XXXI.

Cum adspersis pauculis *Steph. Stephanii* notis, quibus *Pontanum* vindicatum ivit.

APVD IOANNEM IANSONIVM.

PAg. 13. lin. xi. ad 26. Haec, quum de incerto Rege ab Historicis referantur, minus certe circumspecte huic Scioldo tribuuntur: neque haec Saxonis verba satis argumenti habent.

Pag. 13. 15. 15. de Svibdagero Rege VI. Totum hoc caput potius Philologicum est, quam historicum; neque ad Svibdagerum pertinet.

Pag. 14. l. 44. *Britannicis adiutus auxiliis*] Immo Tosto e Britannia Collonem Piratam in auxilium advocaverat, & abduxerat, uti locuples testis Saxo.

l. 54. *hostili studio*) Magna ἀκυρολογία. Nam studium est favor: debuisset dicere, *hostili odio*.

Subiecit his Stephanius: *Sed ita cum Saxone loquitur.*

Pag. 16. l. ult. *parricido acceperit*] Parricidio accepit.

Pag. 17. l. 1. *consumpserit*) consumpsit.

Pag. 20. l. 20. *Post id in Iutiae regulum*) Immo in Daniae Regem, mortuo per id tempus Rorico sine prole mascula. Itaque ille, ex filia Gerutha nepos, regno proximus erat.

Addit Stephanius. *Erras vehementer Meursi.*

Pag. 20. l. 30. *Vigleto, Rorici filio*) Magnus error; nam Roricus prolem masculam non habuit.

Addit Stephanius: *Imo habuit, Vigletum nempe; Ergo, Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum.*

l. 37. *Horvendillus*) etiam Feggo.

Pag. 21. l. 53. *Eum Danus tertius*) Hic filius Frothonis fuit, ut testatur Anonymus in hist. Reg. Dan. & Ericus Rex in Chronico. Crantzius incertum dicit.

Pag 22. l. 9. *Qui post superatam virginem Rusilam*) Haec ab Hirvillo, non Fridlevo superata est, uti locuples testis Saxo.

Pag. 23. l. 2. *quo affinem*) Immo Socerum; nam Hermundam, eius filiam, uxorem duxerat; quam quia repudiaverat, bellum istud Hunnus intulit.

Pag. 27. l. 50. *affinem*) Immo Socerum: Nam Haraldus Caroli filiam Signen uxorem duxerat.

Pag. 29. l. 2. *perperam nepotem Haldani facit, qui socer fuerit*) Neque socer fuit. Nam Vnguini filiam duxisse eum, quamquam ab Ebbonis nuptiis liberaverit, nemo dicit.

l. 40. *parentis interfectorem*) Non, sed alterum, cognomento Fastuosum; cui ille fugiens exercitum tradiderat.

Pag. 30. l. 38. *quinquumviris*) Non est Latinum.

Pag. 31. l. 20. *patruo suo Haraldo*) Avunculus erat, non patruus.

l. 28. *ex Elisa*) Esam eam vocat Saxo pag. 127. lin. 30.

Pag. 31. l. penult. *Oddonem*) Omothum dicit Saxo pag. 134. l. 24.

Pag. 33. l. 17. *Inde exertam crumena . . . pecuniam*] Est phrasis Saxonis, sed auctoribus Latinis minus usitata.

Pag. 34. l. 26. seq. ad 34. *de Brodero Rege*) Haec Brodero, necdum Regi, evenere. Itaque nil ad Regem pertinent; & in Iarmerico potius debebant commemorari.

Pag. 35. l. 28. 29. *anno, quem & Prosper ponit*, CCCLXXXIV.) Prosper ponit annum CCCLXXX.

Pag. 89. l. 35. *apud Abbatem Stadensem*) Meminit huius Arnoldus, Abbas Stadensis, ad annum DCCCLXV.

Pag. 95. l. 49. *& septimum ait*) decimum septimum.

Pag. 115. lin. 1. *Canutus Rex*) Canuto huic praemittitur Sivardus IV. ab Anonymo in compendiosa historia Regum Daniae, pag. 23. Et Sivardo quoque Olaus ab Erico Pomerano, & Anonymo.

Pag. 118. l. 50. *& hominibus*) pluraliter, ita est, sed corrupte, in Exemplari Erici.

Pag. 130. l. penult. *Guinilda*) Haec mater eius erat, non soror.

Pag. 131. l. 24. *Gunildam*) Gyritham.

Pag. 138. lin. 38. *esset offensui*) Vox Lucretio usitata, neque fere Auctorum alteri.

Pag. 145. l. 29. *ab ipso*) Imo a patre Haraldo.

Pag. 150. l. 23. *cogerat*) coegerat.

Pag. 181. l. penult. *Guitham e Svecis oriundam*) Erat Guitha haec Svenonis consobrina, ut alii tradunt; cum qua nuptias contrahere, nec

nec divino iure vetitum est, nec civili Romanorum, sed Canonico duntaxat. Non ergo recte hoc loco dicitur Sveno *mandatorum summi, ac coelestis dictatoris oblitus.*

Pag. 182. l. 10. *potionatam*) Hoc vocabulo solus utitur Suetonius in Caligula cap. I.

Pag. 183. l. 40. 49. *legendum potius*) Non recte in Historia Criticum agit.

l. 50. *adhibuerunt lapidem*) debuisset dicere, *Moverunt*. Nam ita habet proverbium vetus: *omnem lapidem movere*, non, *adhibere*.

Pag. 189. l. 31. *vix bidui*) itinere.

Pag. 199. l. 17. *circiter septennium*) Alii decennium tradunt, alii vero octennium.

l. 21. *duo circiter lustra*) immo clare dicit occisum anno CIↃLXXXVI. vid. cap. XIX.

Pag. 200. l. 35. *duobus circiter lustris tenet*] AElnothus ait, annis bis quaternis, & mensibus fere ter ternis, cap. XXXII.

Pag. 201. l. 29. *Eiegod dictus*) Eius nominis III.

Pag. 211. l. 24. *exigiturum*) Vapula Prisciane. Docent Grammatici dicendum esse *exacturum*.

Pag. 213. l. 2. *Emund dictus*) Eius nominis IV.

Pag. 215. l. 12. *Lam dictus*) Eius nominis V.

l. 40. *Ex Sorore cognatum*) Nepotem dicere debuerat.

Pag. 210. l. 7. *Romanus Pontifex*) Eugenius III.

Pag. 221. l. 36. *duo librarum millia*] aurine, an argenti hoc exprimendum erat.

Pag. 222. l. 3. *Imperatorem recognosceret*) Recognoscere, ea significatione Latini non dicunt, sed Agnoscere. Est idiotismus Gallicus.

l. 7. *ad plenum*] Est idiotismus Belgicus. Latine dixisset *plene*.

Pag. 228. l. 19. *caput ei ense deverberat*.) Est idiotismus Belgicus.

l. 23. *Calendarum Octob.*) Immo Novembris, nam commissa est haec pugna die S. Severini, qui incidit in XXIII. Octobris.

Pag. 229. l. 31. *Canutus igitur*) Inepte hic initium Canuti ponit, qui iam ante interfectus: nec eorum, quae subiungit, quicquam ad Canutum pertinet. Merito iudicium quis, ut non semel, requisiverit.

Pag. 233. l. 27. *ad praesulatus*) Non est dictio latina; nam licet a Consul dicatur Consulatus, non tamen ab Exul, & Praesul, *Exulatus* aut *Praesulatus*.

l. 24. *quomodo illi olim rei Romanae* &c.) Illi Pontifices ethnici erant, non Christiani; quos non decet militiam, impietatis plenam sequi: nam his magis convenit, commissam sibi a Deo Ecclesiam, curare. Idem dicit quoque Saxo, quem secutus est Pontanus, sed eundem errorem errat.

Pag. 238. l. 8. *archego*) Est dictio graeca, non latina: nec latina civitate ex Auctoribus probatis quisquam hanc donavit hactenus.

Pag. 240. l. 2. *famigerabilis*) Apud solum Apuleium, haud bonum latinae linguae Auctorem, hoc vocabulum reperitur.

Pag. 243. l. 30. *relicto*, ut plurimum, *foetore recedere*] Est idiotismus Belgicus.

Pag. 246. l. 8. *Eindram*) Ziudram.

l. 11. *Eindram*) Ziudram. Ita Saxo.

Pag. 247. l. 49. *militonum*) non est vocabulum hoc ulli probato Auctori usitatum; quanquam vox composita, Commilito, sit usitata.

l. 54. 55. *Erici Regis Chronicon, quod addit oculos ei effossos; & Albertus Abbas, qui aquis submersum a Valdemaro ait, apud Saxonem legere non memini*) Non est constructio latina.

Pag. 248. a l. 26. ad 34.) haec sunt contraria.

Pag. 250. l. 25. *annuatim*) non est vox latina.

Pag. 258. l. 50. *quae* supra aquas imminebant, *stipitibus*) Stipes est masculini generis, non feminini. Inspice Grammaticam, Pontane.

Pag. 259. l. 2. *stagnum*)

l. 6. *flumine*) lacus erat, sive stagnum, ut ante dixit: male itaque nunc flumen.

Pag. 263. l. 42. *maternus eius avus Eschillus*] Immo avunculus eius potius: nam Eschillus non provecta adeo aetate erat, ut ex filia nepotes tam adultos habere posset. Verum illud de aetate minus urgeo; &, fuisse ut concedam, unde filia sacri ordinis Antistiti; cui iam ab annis quinquaginta septem nuptiis interdictum erat? Vide supra pag. 206. Aut oportet, ut ex concubina illi natus fuerit. Mihi visum potius Suaningium sequi, qui nepotem ex sorore eum dicit, uti etiam Canutum. Sed iudicium subspendo, scrupulumque iniicit Saxo, qui Eschillum maternum eorum avum dicit, pag. 311. 318.

Pag. 264. l. 25. *ire ac redire*] debebat dicere per futura, *iturum, ac rediturum*.

l. ult. *ope reservatum*) Immo, *servatum*, aut *conservatum*. Nam ad alia, sive fausta, sive infausta, reservamur.

Pag. 268. l. 26. *haud unquam*) Immo *semper*; nec recusavit, nisi ultimo colloquio, ut memoratum.

Pag. 271. l. ult. *exercitum construit*] potius, *instruit*; nam construere exercitum, non facile apud probatum linguae latinae auctorem reperitur.

Pag. 272. l. 8. *Guntungam*] In Saxone est, *Getungam*.

Pag. 273. l. 25. *Ave nomen fuit*) Erras graviter, Pontane; nam non *Ave* scribitur apud Ericum, verum *Abe*. Et corrupta eius verba, in hunc modum emendanda: *Has literas, post mortem Regis Abel, quaedam mulier Teutonica &c.* Intelligit vero Mechtildam, Adolphi Holsatiae Comitis filiam, quae, Abeli Regi nupta, postquam is occisus esset, in vindictam, chartas omnes, quae ad hanc rem pertinebant, in ignem coniecit, & combussit. Vide infra, pag. 343.

Pag. 274. l. 33. *Canuto & Valdemaro*) Etiam Christophorum nominat Saxo, pag. 278. 281. 282. Estque hic ipse, ut existimo, quem *Ducis* nomine commemorat Ericus Pomeranus in Chronico suo, in anno CIↃCLXXIII., quo obiisse eum dicit. Sed fuerit hic sine dubio filius eius naturalis: quod & clare Helmoldus tradit

dit lib. II. cap. XIII. Etiam filia ei fuit; seu legitima, sive illa naturalis: cuius nuptias refert Saxo pag. 317.

Pag. 287. l. 33. *Stamparae arcem*) Stamparum. Hoc demum factum, anno post repudium sexto, id est CIↃCXCIX. uti auctor est Rigordus.

lin. ead. *sic Tilius habet*) Tilius hoc nusquam dicit, sed Rigordus.

Pag. 288. l. 1. *Notarium suum, titulo Praxidis Priorem*] Rigordus, eius aevi Scriptor, missum dicit Melionem, Praesbyterum Cardinalem, & Censium Diaconum.

lin. 12. *Qui uti advenisset, successione Rex & Proceres Episcopique frequentes adfuere*) immo nihil hic effecit; posteaque Innocentius III. Caelestini huius successor, per literas Episcopum Parisiensem est hortatus, ut negotium perficeret, & Philippum ad recipiendam uxorem permoveret. Exstat ea ipsa Epistola inter huius Innocentii decretales, lib. I. pag. 2. Adeoque recepit demum anno CIↃCCXIII., uti auctor est Rigordus, eius aevi Scriptor, & Philippi quoque ipsius, filiique Ludovici Historiographus.

Pag. 289. l. 35. *ad expeditionem secum faciendam* lin. 36. arma in promtu, ac parato habere: Tautologia.

Pag. 325. *Plog-penning dictus*) Eius nominis VI. non V.

Pag. 350. l. 22. *regem sibi operuit*) Dicendum erat; *oppertus est*; vel ut Plautus loquitur, *opperitus est*.

Pag. 357. *Cognomento Glipping*) Eius nominis VII. non VI.

Pag. 360. l. 10. *utpote regis avus*) Non erat avus Erici Regis hic Albertus, sed Sambinus, Dux Pomeraniae, cuius filia Margareta, Erici huius nostri mater, Christophoro, eius patri, nupta fuit.

Pag. 368. l. 1. *aulae Regiae Mareschallus*) regni; nam huius erat copias militares ducere; non eius, qui aulae praeerat. Itaque Suaningium hic potius sequendum puto.

l. 6. *resoluta in risum bucca*] Non est dictio latina.

Pag. 371. l. 5 *Comitia Neoburgi habita*) Quae praeterea his Comitiis acta fuerint, vide pag. sequente, in anno CIↃCCLXXXV.

Pag. 374. l. 11. *Menved alias dictus*] Eius nominis VIII.

Pag. 382. a lin. 11. ad 40.) Haec sibi non constant.

Pag. 389. a lin. 6. ad 48.) Haec sibi non constant.

Pag. 403. l. 5. 6. 7. Haec non cohaerent cum antecedentibus pag. 402.

Pag. 404. l. 54. 55. *ut sexies mille & sexcenti cataphracti uno certamine congressi sint*.) IↃCXLVIII. dicunt documenta, quae in archivis regiis, & ex iis Svaningius: & hoc vero est similius. Denique tota haec narratio parum ex fide est. Crantzium sequitur, qui ut alias etiam solet, eum fallit.

Pag. 428. l. 1. *Christophorus eius nominis II.*) Et filius Ericus IX.

Pag. 429. l. 21. *indigenis*) *Incolis*, debebat dicere: nam & proscripti *indigenae* erant.

Pag. 430. l. 23. *Ioannis XXIII.*] XXII. Nam Ioannes XXIII. Pontificatum adiit demum anno CIↃCCCCX. Eodem modo peccatur infra pag 445. 457.

Pag. 431. l. 44. *Hindius*] Huidius.

Pag. 446. l. 21. *Ioannem XXIII.*) XXII. vide quae notavi supra pag. 430.

l. 24. *Corvarium*) Correbarium.

l. 25. *Nicolaum IV.*] Imo V. Nam Nicolaus IV. Pontificatum adiit annis triginta novem ante; id est, CIↃCCLXXXVIII.

Pag. 448. l. 42. *excepta australi Hallandia, quae Canuti Porsii erat, obaeratam tenerent.*) Immo utraque Hallandia Porsii erat; ut supra traditur pag. 441. lin. 40. Praeterea nemo latinus unquam dixit, rem aliquam, quae pignori data, *obaeratam tenere*. Eodem modo iterum peccat postea pagin. 454 455. 456. 458. 465. 466.

Pag 454. l. 31. *Ringstadii*) Immo, Sorae.

l. 32. XI. *nonas Maii*) Crassus error. Maius enim, uti sciunt, qui vel mediocriter docti, sex duntaxat Nonas habet. Posset mendum typographicum putari, nisi etiam Witfeldius, quem verbo tenus sequitur auctor, ad eundem modum haberet.

Pag. 457. l. 5. *a Iohanne quidem* 23., *qui anno hoc eodem Avenione vitae finem fecerat*) Ioannes XXIII. Pontifex factus est anno CIↃCCCCX., & coactus est *abdicare* se magistratu anno CIↃCCCCXV. Ergo hic est crassus error.

l. 29. *repulso Gerbardo*) potius *expulso*.

Pag. 466. l. 29. *adpromisit*] Adpromittere est, rem aliquam cum altero promittere, eius nomine.

Pag. 476. l. 24. *insula Dragorae*] Dragora non est insula, sed Amagriae insulae pagus.

Pag. 482. l. 39. *Urbanum V.*) Innocentium VI. Nam is hoc tempore pontificatum tenebat, adeptus biennio ante; ac possedit usque ad annum CIↃCCCLXII. quo demum successit Vrbanus V.

lin. penult. *possessori*) *domino* debebat dicere; nam possidebat, qui alteri per vim, aut iniuriam eripuerat.

Pag. 483. lin. 8. *ab Anefeld*) Alefeld.

Pag. 486. l. 49. *Vffo, Stigotus*] Vffo Stigotus, sive Stigoti: ita dicitur Witfeldio.

Pag. 495. l. 39.) *annis superioribus*) Immo, anno superiore; nam unus tantum annus elapsus erat ab ista transactione, non plures.

Pag. 513. l. 18. *abnepos*) pronepos debebat dicere.

Pag. 517. l. 45. *vero*) vera.

Pag. 523. l 18. *Vrbano sexto*) Bonifacio IX. debebat dicere, nam Vrbanus hic diem obierat anno CIↃCCCLXXXIX. Cui successit Bonifacius IX. qui Pontificatum tenuit usque ad annum CIↃCCCCXIII. proxime insequutum.

Pag. 524. l. 4. *sexaginta marcarum argenti puri millia*:] Errat pag. 529.

Pag. 525. l. 9. *Princeps Ericus*) Rex, non Princeps dictus Ericus fuit .... Stephanius habet. *Rex, non princeps electus Ericus fuit*.

Pag. 526. l. 9. *Eugenii Papae IV.*) Mirum quomodo hic Pontifex hoc tempore comme-

moratur Eugenius IV., qui Pontificatum demum adiit anno CIƆCCCCXXXI. sed sciendum, postea id factum esse, quarto anno huius Eugenii, id est, triginta novem annis post electionem Erici.

Pag. 529. l. 14. *sex millibus marcarum*) Sexaginta millibus debebat dicere. Vide supra pag. 524.

Pag. 538. l. 36 *Coronae adiecit*] Est idiotismus, quo non raro utitur.

Pag. 539. l. 27. *undecim aureorum millia*) undecies mille, & quadringentas marcas lubecenses, tradit Witfeldius.

Pag. 541. l. 25. *Ellebolmeslotam*) Elleholmum arcem.

l. 29 *Ruperti Imperatoris filio*) Hic Rex tantum Romanorum electus fuit; nec Imperium unquam tenuit.

Pag. 544 l. 16. 17. *Annos duos, & triginta*) Immo, sex & triginta. Nam Olaus regnum adiit anno CIƆCCCLXXVI. a quo ad hoc praesens tempus tantum annorum, quantum dixi, numeratur. Idem error est Witfeldii.

Pag. 547. l. 1. *Ericus* VIII) Eius nominis X., non VIII. & sic ipse quoque eum infra nominat pag. 785.

Pag. 555. l. 50 *Principi mandabat*) Non habebat Imperator, quod mandaret Regi Daniae. Est haec itaque magna ἀκυρολογία.

Pag. 559. l. 39. *centies*) *centum*, dicendum erat.

Pag. 560. l. 12. *mille triginta*) Immo vero *triginta millia* dicere debebat: atque sic historia habet.

Pag. 566. l. 52. *inbibuit*) *probibuit*, debebat dicere.

Pag. 569. l. 46. 48. *mutuo*) *commodato*, dicere debebat.

Pag. 570. l. 37. *Doringae*) Dorningae. 567.

Pag. 577. l. 46. *multas*) multa.

Pag. 585. l. 46. *Barius*) Barnimus.

l. 51. *foederatis*) foederatos.

Pag. 607. l. 46. *nepotem*) Erat patruelis, non nepos.

Pag. 608. l. 16. *nepotibus*) *Patruelibus*, debebat dicere.

Pag. 616. l. 4. *nepte*) *Pronepte* debebat dicere; nam Margaretae ex sorore Ingeburga, neptis erat Anna, aliis Maria dicta; cuius ex Vratislao VI. Pomerano nata est Sophia haec, quae aliis Catharina dicitur, Christophori huius mater.

l. 17. *archego*) Cur non potius, *Ductori*, latina voce: nam hoc verbum hactenus latinitate nemo donavit, sicut alia istiusmodi.

Pag. 627. l. 15. 16. 17.) Hoc argumentum non valet.

Pag. 635. l. 52. 53. *extincta est &c.*) Non est verum hoc, nam Christianus Oldenburgicus, qui successit, Valdemari abnepos erat, per matrem Hedvigam, pariter ac Christophorus iste, per matrem Sophiam; sive Catharinam, ut alii eam vocant.

Pag. 723. l. 3 *anno Domini* 1536.] 1535. Errat etiam Ionas Coldingus, qui in descriptione Daniae reiecit in annum 1537.

F I N I S

Communicatae mihi [a] *ab Illustrissimo Viro*

DOMINO OWENIO IUL

Ser. Reg. Vice Cancellario,

Qui eas ad marginem sui libri autographo Meursiano adnotaverat.

(a) Fil. Thomae Bartholino Sen. Medicinae Professori, Anatomico & Polyhistori: cujus ex autographo hoc descriptum.

INDEX

INDEX

Rerum & Verborum memorabilium, quae in hac Historia Danica continentur.

A

Au-

Brun-

C

Ra-

D

Dithmar-

E

Eri.

Fri-

G

Gam-

Gui-

Hel-

Her-

I

L

Lu-

Lohe-

Lun-

Mega-

Ni-

O

Ore-

P

Q

R

Ro-

Se-

Sui-

T

Tu-

V

X

Y

Z


FINIS.

a Guill. Insulano descriptum


Florentiae apud Tartinium et Franchium A. MDCCXLVI




Ad Hist. Danic. Io. Meursij Post Præfat pag. IV. Tabula I.




Tabula II.




Ad Histor. Danic. Jo. Meursii post Præfat. pag. IV. Tabula III.



Tabula IIII.




REGIS CHRISTIERNI PRIMI
REGIS JOHANNIS I.
REGIS CHRISTIERNI II
REGIS FRIDERICI I.
REGIS CHRISTIANI III
REGINA DOROTHEA
FRIDERICVS BT SOPHIA D G REX ET REGINA DANIE
VNICA SPES MEA CHRISTVS 1541
CHRIS TIANVS 3 D:G DANIE Z NORVEG IE REX
IHS KK
A LES VAN GODT 1560

Ad Hist. Danic. Jo. Meursii post. Præfat pag. IV. Tabula VI.

